

37
13 C
13





R. P. NATALIS
ALEXANDRI

ORDINIS FF. PRÆDICATORUM,
IN SACRA FACULTATE PARISIENSI DOCTORIS
ET EMERITI PROFESSORIS

HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS
NOVIQUE TESTAMENTI

Ab orbe condito ad Annum poſt Chriſtum natum milleſimum ſexcenteſimum : Et in loca ejuſdem inſignia Diſſertationes Hiſtoricæ, Chronologicæ, Criticæ, Dogmaticæ.

EDITIO OMNIUM NOVISSIMA

Notis & Animadverſionibus, quoad Hiſtoriam & Diſſertationes novi Teſtamenti, aucta ad caſtigationem & illuſtrationem opinionum quarumdam Auctoris;

OPERA ET STUDIO

CONSTANTINI RONCAGLIA
CONGREGATIONIS MATRIS DEI.

Tomus Quartus
Sæculum Quartum continens.






L U C Æ MDCCXXXIV.

Typis LEONARDI VENTURINI
DE SUPERIORUM LICENTIA.

INDEX

CAPITUM, DISSERTATIONUM, Articulorum, Propositionum & Paragraphorum, Voluminis IV. Historiam Ecclesiasticam IV. Sæculi continentis.

IN HISTORIAM
ECCLESIASTICAM
QUARTI SÆCULI.
SELECTÆ DISSERTATIONES.

nes

§. III.

IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM QUARTI SÆCULI.

SELECTÆ DISSERTATIONES.

PANOPLIA
ADVERSUS HÆRESES
SÆCULI QUARTI.

§. XXIX.

APPENDIX

AD SUPERIOREM DISSERTATIONEM.

FINIS.



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ QUARTI SÆCULI SYNOPSIS.

CAPUT PRIMUM

De Persecutionibus quæ Ecclesiam afflixerunt quarto Sæculo.

PERSECUTIONEM Christiani nominis a Diocletiano cœptam, post ejus & Maximiani Herculii abdicationem propagavere Galerius Maximianus, & alter Galerius Maximinus, quorum crudelibus edictis plurimi sublati sunt Martyres. Nonnullorum certamina descripsit Eusebius Libro 8. Historiæ Ecclesiasticæ cap.14. 15. & sequentibus usque ad 22. scilicet Ulpiani adolescentis Tyrii, qui pelle bubulâ, more parricidarum, cum cane & aspide involutus & iosutus, præceps in mare dejectus est; & Apphiani, atque Ædesii fratrum, qui ipsi Eusebio erant amicissimi, quorum ille Cæsareæ in Palæstina passus est, quòd Præsidem sacrificantem arguisset; iste Alexandriæ, quòd Judicem reprehendisset de sententiis in Christianos latis, quibos sæpè viros graves & modestos variis ignominiæ notis afficeret, ac mulieres summæ continentiæ, virginesque Deo dicatas lenonibus traderet. Hæc contigerunt anno Christi 305. Iisdem temporibus plures in provincia Ponti Martyres coronati sunt, quos inter celeberrimus fuit Theodorus miles; qui cùm divino impulsu templum matris deorum Amaseæ iocendisset, post dirissima tormenta, vivus incendio consumptus est. Hujus certamen ex antiquioribus monumentis descripsit Metaphrastes ad diem 17. Februarii, ubi & duas Orationes in ejus laudem, alteram Gregorii Nysseni, alteram Nectarii Episcopi Constantinopolitani retulit. Eâdem tempestate in Cappadocia passi sunt Barlaham, qui inter alia dexteræ manus adustionem immobiliter passus est, ne granum thuris ipsi a persecutoribus impositum in ignem coram idolo excuteret; Dorothea virgo, & Julitta, Anno sequenti 306. Agapios Cæsareæ in amphiteatro feris objectus, ipso Imperatore Maximino crudeles ludos spectaote. De illius Martyrio agit Eusebius cap.16. Anno 307. Theodosia virgo nondum octodecim annos nata, Domninus, & Auxentius Martyrio consummati sunt. Alii Christiani propè inoumeri, postquam Eunuchi facti essent, ad metalla dsmnati. De his Eusebius cap.17. lib.8. Sanctus Januarius Beneventanus Episcopus eâdem persecutiooe, & eodem anno sublatus est. Anno sequenti persecutiooem auxit novis datis edictis Galerius Maximinus: quâ in Ægypto & Palæstina immensa fidelium omnis sexus, ætatis, & conditionis multitudo, partim se sponte martyrio offerentes, partim vi tracti, alii præcisis ferro candenti sinistrorum pedum commissuris, & oculis dextris effossis ad metalla damnati; alii flammis traditi, vel capite truncati; alii variis & exquisitis cruciatibus vexati. Martyrum verò copora feris & avibus voranda, & dilanianda exposita sunt, custodibus adhibitis, oe a fidelibus auferrentur & sepelirentur. Eodem tempore Cæsareæ Palæstinæ visæ sunt in summa serenitate columnæ civitatis, forum item, & plateæ, ac porticus, aquâ aspersæ madere; quasi rerum id temporis gestarum scelus & impietatem deflerent. De his legendus Eusebius lib.8. capp.18. & 19. Ad hæc tempora Anoales Ecclesiastici referunt certamen S. Catharinæ virginis & martyris; cujus meminisse volunt Eusebium cap.27. Sed si ita est, falsum est quod Acta illius apud Surium ad diem 25. Novembris habeot ipsam jussu Maximini fuisse martyrio affectam. De illa namque ita scribit Eusebius: *Sola mulier quædam Christiana inter alias a tyranno adulterii labe turpificatas, ex Alexandrinis mulieribus nobilissima,* *splen-*

Falsa S. Catharinæ Virg. & Mart. Acta.

splendidissimaque, Maximini animum libidine furentem, & lascivientem intemperantiâ, magnitudine altissimi animi devicit; quæ quanquam aliis rebus, ut opibus, generis splendore, & exquisitâ doctrinâ insignis fuit, tamen ista omnia præ pudicitia postputavit. Istam quidem Maximinus licèt sæpè orasset, utì ipsius cupiditati obsequeretur, eaque denegasset, seque morè paratam ostenderet: tamen interficere non potuit [quippe libido potiùs, quàm iracundia mentis suæ tenebat imperium], sed illam fugâ mulctatam, omnibus facultatibus spoliavit.

Quæ si de S. Catharina intelligenda sunt, falsum est quòd martyrium consummaverit sub Maximino. Incerta etiam sunt quæ de Imperatrice, & Porphyrio duce militum, necnon de quinquaginta seu Philosophis, seu Oratoribus ab eâdem sancta virgine ad fidem conversis memorantur. Nulla enim de Catharinæ martyrio, & de tot prodigiis ipsum comitantibus apud auctores Metaphraste superiores occurrit memoria. Omnem de S. Catharinæ gestis eximerent scrupulum Acta illius Leoni Allatio relata in sua de Simeonibus Diatriba, si vera esset illorum subscriptio: Auctori quippè æquali, & ipsi Catharinæ familiari adhibenda fides esset. In eorum porrò Actorum fine hæc leguntur: *Hæc ego Athanasius scriba, simulque famulus dominæ meæ Catharinæ, commentaria ipsius conscripsi in omni sapientia.* Sic autem incipiunt: *Anno trigesimo quinto, Imperante impio ac scelerato Maxentio.* Quæ verba manifestum errorem continentia, fidem Actorum istorum elevant. Nusquam enim in oriente Maxentius imperavit, sed in occidente, cujus nec anni tot Imperii extiterunt.

Anno Christi 308. Pamphilius Cæsariensis Præsbyter, Eusebii amicissimus, ob cujus venerationem Eusebius Pamphilii dictus est, cum duodecim sociis martyrium subiit. De his præfatus Historicus cap.21. lib.8. ubi prolixè describit eorum certamen. In hac etiam persecutione S. Petrus Alexandrinus Episcopus coronatus est, aliique complures Episcopi, quos idem Eusebius recenset cap. 25. Cæterùm tam gravem persecutionem divinam justitiam permisisse scribit, ut Ecclesiarum Præsides, quorum plerique ambitione & cupiditate honorum flagrabant, alii Ordinationes contra Canones & disciplinam peregerant, alii dissidiis mutuis exarserant, his plagis castigati revocarentur ad officium. De his ipse cap.22. lib.8.

Anno Christi 311. Galerius Maximianus a Deo gravissimo, fœdissimoque ulcere percussus, persecutionem remisit, datoque edicto Christianis permisit ut suam religionem liberè profiterentur, Deoque pro Imperatorum salute & Imperii tranquillitate supplicarent. Refert istud Edictum Eusebius, cap.29. libri 8.

II. Hoc vero edicto promulgato, Maximinus tyrannidem in Oriente exercens, verbo tenus Magistratibus imperavit ut a Christianorum persecutione cessarent. Sabinus summus Provinciarum Præfectus, Imperatoris voluntatem Præsidibus significavit per Epistolam, quam refert Eusebius libro 9. cap.1. sed sex mensibus nedùm elapsis, idem Maximinus immane rursus in Christianos bellum novis Edictis accendit, auctore Theotecno quondam Antiocheno Curatore, homine crudeli & vafro, qui calumnias horrendas adversùs nostræ religionis professores commentus est, & ad Jovis φιλίου id est, qui præest amicitiis, simulacrum falsa præstigiis suis edens miracula, coram Imperatore asseruit, Deum præcepisse ut Christiani tanquam ipsi infesti, urbe, agrisque penitus expellerentur. De his Eusebius lib.9. cap.2. & 3. Tunc etiam jussu Maximini detestandus quidam liber sub Actorum Pilati nomine vulgatus est, in quo multa de Christo nefaria continebantur. Conductæ etiam Ethnicæ meretriculæ, quæ se olim Christianas fuisse palam assererent, sed ob turpia quæ in Christianorum Ecclesiis, & Conventibus patrarentur facinora, ab iis recessisse. Ita divini nominis hostis cruciatus, & exquisitiora supplicia inutilia fore arbitratus est ad Christianam Religionem labefactandam, nisi calumnias adhiberet. De his Eusebius, lib.9. cap.3. & 4. De Galerii Maximiani & Galerii Maximini persecutione, lege *Lactantium*, libro *De Mortibus Persecutorum*.

III. Eâdem tempestate Romæ persecutionem movebat Maxentius Tyrannus, qua Marcellus Pontifex sublatus est. Favere hic primùm visus fuerat nostræ Religioni, ut Christianos demereretur: sed tyrannide stabilitâ in illos acerbè grassatus est. Nec mirum quòd in Christianos sævierit; qui Senatorum populique Romani cædibus innumeris delectatus est, qui uxores ipsorum & filias rapuit, constupravit, qui mulieres gravidas magicarum præstigiarum causâ dissecuit, infantiumque viscera scrutatus est: qui denique in omnem intemperantiam, libidinem, impietatem, immanitatem effusus fuit, ut testatur Eusebius, lib.8. cap.26. & lib.1. de Vita Constantini, a cap. 27. ad 31. Ea tempestate nobilis matrona Romana, religione Christianâ, quam Sophroniam vocat Rufinus, cùm a Maxentii satellitibus rapienda esset ad stuprum, consentiente etiam præ metu marito Præfecturam gerente, exiguo temporis spatio postulato, quo se decenter ornaret, in cubiculum ingressa, gladio sibi pectus transfixit, mortuaque concidit, stupendo exemplo Ethnicis ostendens castitatem Christianis mulieribus vitâ ipsâ potiorem esse. De hac Eusebius lib.1. de Vita Constantini, cap.28.

IV. Decimam tertiam inter Ecclesiæ persecutiones numerare possumus eam quæ à Licinio excitata est. Is primùm fautor Christiani nominis cum Constantino, deinde hostis infensissimus extitit. Episcoporum Conventus prohibuit: Mulieres in Ecclesiam unà cum viris ingredi vetuit, ac precibus interesse: Milites exauctoravit qui idolis sacrificare noluerunt: Christianos omnes quà facultatum publicatione, quà exiliis, quà morte mulctavit, iis etiam qui carceribus addicti erant, alimenta subministrari vetans. De his Eusebius lib.10. Histor. cap.8. & lib.1. de Vita Constantini, cap.44. 45. 46. & 47. Multos hæc persecutio Martyres cœlo peperit, quos inter celeberrimi sunt 40. Milites Cappadoces, qui Sebastæ in Armenia minori, sub Præfecto Agricolao, noctu in stagnum gelu concretum injecti, frigore enecti sunt. Quorum in laudem extat egregia Oratio apud S. Basilium, qua & eorum fortitudinem, & miracula quæ illorum agonem illustrarunt celebrat. Eâdem persecutione Basilius Amaseæ Episcopus martyrio coronatus est. De hac persecutione legendus etiam Socrates lib.1. Historiæ Ecclesiast. cap.2.

V. Pace a Constantino Ecclesiis redditâ, res Christianorum in Perside haud prorsùs tranquillæ fuerunt. Nam Sapores istius Rex nationis, 14. Persecutio.
Christianæ religionis cultores vexavit, Martyresque plurimos persecutione suâ consecravit: quos inter eminent Simeon, Acepsimas, & Milles Episcopi, Ustazanes, Regis educator, Tarbula virgo soror Simeonis, Pusices omnium Regis artificum Præfectus, de quibus scribit Sozomenus libro 2. Historiæ Ecclesiast. a cap.8. ad 14. Saporem literis ad eum datis mitigare studuit Constantinus, ut refert idem Auctor cap.14. Epistolam Constantini ad præfatum Regem pro Christianis datam refert Theodoretus libro 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.25. sed S. Hieronymus in Chronico excita-

tam

tam in Christianos Persas a Sapore persecutionem consignat anno Constantii & Constantis Impp. septimo. Non sunt tamen arguendi propterea falsitatis alii Scriptores Ecclesiastici, qui hanc persecutionem ad Constantini Magni tempora referunt, ut eos perperam arguunt Annalium Ecclesiasticorum Parens & Spondanus. Siquidem conciliari hæc optimè possunt, quòd nimirùm sub Imperio Constantini cœpta sit, ac ejus precibus mitigata: deinde sub Constantis Imperio acerbiùs recruduerit. De illa lege Sozomenum lib. 2. cap. 13.

VI. Decimam-quintam persecutionem Constantius Imperator excitavit, qua de agemus, cùm Arianæ Hæreseos exponemus Historiam.

Anno Christi 362. Juliani I.

VII. Decimam-sextam Christianorum persecutionem numeramus eam quæ a Juliano Apostata excitata est. Longè dissimilis illa fuit persecutionibus ab aliis Imperatoribus Ethnicis illatis: Illiciens quippè magis, quàm impellens Christianos ad sacrificandum, nec palàm exerto gladio in illos sæviens, quibus martyrii gloriam invidebat, & quos noverat ad martyrium, velut apes ad alvearium, volaturos, ut ait S. Joannes Chrysostomus in Sermone de Sanctis Juventino & Maximino, utque S. Gregorius Nazianzenus testatur Oratione 1. in Julianum. Christianos per contemptum Galilæos vocabat. Labarum, seu Vexillum Crucis, quod exercitui præferri jusserat Constantinus Magnus, mutavit Imperator Apostata, ut S. Gregorius Nazianzenus Oratione 1. in Julianum, & Sozomenus lib. 5. cap. 16. testantur. Statuam suam inter idola collocari jussit, ut Christiani vel honoris Imperatori in illius imagine recusati arguerentur, ac velut Majestatis contemptores plecti possent; vel certè colendo imaginem Imperatoris, falsa etiam numina juxtà posita coluisse viderentur. Hac fraude Militum Christianorum plurimi decepti in donativi erogatione, cùm thus coram imagine Imperatoris adolevissent, compertâ fraude, Julianum adierunt, ipsi impietatem exprobrantes, Christianosque se esse palam per vicos & plateas proclamarunt, pecuniam ab Imperatore acceptam præ foribus Palatii projicientes, ac Martyrium flagitantes, quo scelus ex ignorantia admissum eluerent. Illos capite plecti jussit Julianus, sed cùm jam martyrii palmam contingerent, & ad supplicii locum essent perducti, hanc eis invidens gloriam, mortem commutavit exilio. De his legendi S. Gregorius Nazianzenus Oratione 1. adversùs Julianum, Theodoretus lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ capp. 15. & 16. & Sozomenus lib. 5. cap. 15. leges contra Christianos iniquissimas tulit Imperator Apostata. Ipsis foro, judiciis, omnique magistratu interdixit. Lege etiam latâ prohibuit, ne Christianorum filii humaniores literas & Philosophiam discerent, ut viris eruditissimis & eloquentissimis, quibus tunc munita erat Ecclesia paulatim destitueretur, & ita adversùs Ethnicos Oratores & Philosophos inermis maneret. Id testantur Socrates lib. 2. cap. 14. Theodoretus lib. 3. cap. 7. & Sozomenus lib. 5. cap. 17. Dolis Christianorum fidem non semel aggressus est. Constantinopoli cibaria in foris vænalia inquinari jussit idolothytis, sub initium Quadragesimæ, ut Christiani vel cibis immolatitiis vescerentur, vel fame perirent. Sed Theodori Martyris revelatione admoniti, loco panis coctum frumentum in cibum sumpserunt: quo facto victus Julianus, cibos ab omni labe puros venundari ut antea jussit. Hæc ex Nectarii Constantinopolitani Episcopi Oratione in exordio Quadragesimalis jejunii habitâ referunt Annales Ecclesiastici. Idem tentavit Antiochiæ, ubi etiam fontes omnes aquâ lustrali aspersit; quibus nihilominus Christiani dolenter usi sunt, ut & cibis immolatitiorum admixtione pollutis, legi Apostoli obsecuti 1. ad Corinthios 10. *Quicquid in macello venditur, comedite, nihil interrogantes propter conscientiam.* Hæc refert Theodoretus lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 14.

Antiochenam Ecclesiam, quæ Dominicum Aureum vocabatur, Constantini & Constantii magnificentiâ extructam sacrilegus Imperator invasit, polluit, diripuit, minxit ad sacram mensam, sacra vasa in ærarium suum inferri jussit: Quorum pretium ac splendorem demiratus Felix Regii Thesauri Quæstor, in blasphemam hanc vocem erupuit: *Ecce quàm sumptuosis vasis Mariæ Filio ministratur.* Sed divinitus percussus, impietatis suæ brevì pœnas dedit, sicut & Julianus Præfectus Orientis, & Imperatoris avunculus. Lege Theodoretum lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ capp. 11. & 12. Eâ tempestate, cùm Imperator Apostata reliquias Babylæ Martyris & Episcopi Antiocheni e luco Daphne deturbari jussisset, ut ibi Apollinis sacra restitueret, Sancti Martyris ussa ritu solenni a Christianis Antiochiam translata sunt, Psalmos magnâ alacritate ac pietate canentibus, & identidem repetentibus hunc versum: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis.* Unde in furorem actus Imperator, multos in carcerem conjici jussit; & Theodorum adolescentem inter alios dirè vexari. De his S. Chrysostomus Oratione contra Gentiles, Socrates lib. 2. Historiæ cap. 16. Theodoretus l. 3. Historiæ Ecclesiasticæ capp. 9. & 10. & Sozomenus lib. 5. capp. 18. & 59.

Christi statuam quam mulier a profluvio sanguinis sanata ipsi erexerat Cæsareæ Philippi, deturbavit, suamque in locum ejus reposuit impius Princeps, quæ confestim igne cœlesti circa pectus discerpta, in terram dejecta est. Statuæ verò Christi fragmenta Christiani collegerunt, & in Ecclesia cum veneratione collocarunt. Id constat ex Sozomeno, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 20.

Judæis adversùs Christianos favens Julianus, & Christi sententiam de perpetua Templi Hierosolymitani ruina frustrare se posse præsumens, ejus instaurationem & reædificationem immensis sumptibus aggressus est: Sed flammarum globi ex fundamentis erumpentes, sævi turbines, & terræ motus, necnon signum Crucis in cœlo conspicuum, aliaque prodigia Judæos temerario ab opere deterruerunt ac prohibuerunt. Quâ de re legendi sunt S. Joannes Chrysostomus Oratione 2. adversùs Judæos, S. Gregorius Nazianzenus Oratione 2. in Julianum, Socrates lib. 2. cap. 17. Theodoretus lib. 3. cap. 17. & Sozomenus lib. 5. cap. 21.

Hac persecutione grassante, Valentinianus, Valens, & Jovianus, qui posteà Imperatores fuere, confessionis gloriam consecuti sunt, ut constat ex Socrate lib. 3. cap. 11. & ex Theodoreto, lib. 3. cap. 15. Eandem gloriam promerita est Publia sacris virginibus præfecta, quas transeunte Juliano ad canendum illos Davidis versus hortabatur: *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum, &c. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* In hac etiam persecutione Juventinus & Maximinus Romani, & Artemius dux militum in Ægypto, celebre martyrium consummarunt. De quibus legendus est Theodoretus capp. 14. & 17. libri 3.

Connivente & probante Juliano, Ethnici, Ascalonitæ præsertim, & Gazenses, in Christianos inhumaniter sævierunt; & inter alia specimina crudelitatis, Sacerdotum & virginum ventres discissos, hordeoque infartos, porcis devorandos objecerunt. Dirissima sub id tempus ab Arethusiis passus est

Marcus illius civitatis Episcopus, quem verisimile est Arianas partes, quas anteà sectatus fuerat, deseruisse, cùm eius pietatem, & invictam animi fortitudinem Sanctus Gregorius Nazianzenus impensè commender, Oratione 2. adversùs Julianum, necnon Theodoretus lib. 3. cap. 6. ubi certamen ipsius, & singulas gloriosæ confessionis circumstantias describunt. Notat porrò S. Gregorius Marcum Arethusium olim Julianum servasse, furtimque subduxisse, cùm genus ipsius totum periclitaretur: unde immane ingrati animi vitium in Juliano fuit, Sancti illius Antistitis persecutio. At Imperatoris Apostatæ feritatem nihil magis demonstrat, quàm illius truculenta vox, cùm Præfectum Gentilem, qui in Ethnicos nonnullos, quòd impetu facto Christianorum ingentem numerum occidissent, ex legum præscripto animadverterat, exilio mulctavit: *Quid grave*, inquit, *si manus una Gentilis decem Galilæos interfecit?*

Istius persecutionis temporibus, SS. Basilius & Gregorius Nazianzenus fidem & Ecclesiam strenuè defenderunt ac sustentarunt. Ipsos primùm ad se vocavit, sibique devincire conatus est, ut & Cæsarium Gregorii fratrem, quem præfecturâ donavit amplissimâ custodiæ thesauri. Sed Basilius & Gregorius ad hostem Christi proficisci recusarunt, ejusque spreverunt amicitiam: & S. Gregorius, junctis cum patris imperio precibus, Cæsarium a suscipiendo Magistratu deterruit, & in patriam revocavit. Hæc constant ex ipso Gregorio Nazianzeno, Oratione in laudem Cæsarii fratris. Hinc Basilio & Gregorio infensissimus fuit Julianus, quorum exitium meditatus est ac decrevit, ut primùm e Bello Persico redux esset, ut testatur ipse S. Gregorius Nazianzenus, Oratione 47. quæ est secunda in Julianum.

VII. Decimam-septimam persecutionem Valens Imperator, Arianæ fautor Hæreseos, in Nicænæ fidei professores excitavit, in qua plores acti in exilium Episcopi, aliorumque ordinum Catholici; cæteri variis modis vexati; non pauci extrema perpessi sunt. Cœpta persecutio est anno Christi 370. S. Basilium Cæsareæ in Cappadocia Episcopum frustrà Valens aggressus est: adversùs quem cùm exilium decrevisset, & impium decretum conscribere conaretur, calamus tertiò confractus est, obriguit dextera, filius ejus Galates in pœnam paternæ impietatis extinctus est, ut testantur S. Gregorius Nazianzenus, Oratione in laudem Basilii, Theodoretus lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 17. Socrates lib. 4. cap. 21. & Sozomenus lib. 6. cap. 15. Ejusdem Imperatoris persecutione S. Gregorius Nyssenus Basilii frater sede pulsus est, & in exilium missus, quem S. Gregorius Nazianzenus duabus Epistolis, 34. scilicet, & 35. consolatus est. Sæviit quoque in Eusebium Samosatenum insignem Fidei Nicenæ defensorem, & in Pelagium Laodicenum Episcopum perfidus Imperator, & utrumque exilio damnavit. De Eusebii relegatione & de Samosatensium in fide constantia & in Hæreticos odio, quod adversùs Eunomium & Lucium Arianos Episcopos in Eusebii locum intrusos eorum communionem execrando demonstrarunt, agit Theodoretus lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ capp. 13. & 14. de Pelagio verò cap. 12. Porrò Eusebium Epistolis suis recrearunt Basilius & Gregorius Nazianzenus. Hac etiam tempestate Magnus Meletius ex Antiochena Ecclesia ejectus est, & in Armeniam amandatus, ut idem Theodoretus refert. His etiam temporibus, cùm post Eudoxii obitum Ariani Demophilum, Catholici Evagrium in Constantinopolitana sede collocassent, & Catholici deindè ab Arianis oppressi, per octoginta Ecclesiastici Ordinis viros querimonias suas ad Imperatorem misissent, hos Valentis jussu Modestus Præfectus in navem impositos, medio mari, aquis & incendio consumpsit, ut referunt Socrates lib. 4. cap. 13. Theodoretus lib. 4. cap. 22. & Sozomenus lib. 6. cap. 14. Bretannio Ecclesiarum Scythiæ Episcopus, eâ in persecutione confessionis gloriâ celebris extitit, de quo Sozomenus lib. 6. cap. 20.

Monachos potissimùm insectatus est Valens Imperator, quod ipsi cum omnibus fermè hæreticis commune fuit. Primò namque eos vexavit exactione tributi; deindè eos ex Asceteriis ad militiam lege latâ revocavit, & repugnantes fustibus interfici jussit, ut S. Hieronymus in Chronico, & Paulus Orosius lib. 57. cap. 19. testantur, utque constat ex L. 63. C. Theodos. *de Decurionibus*. Pii autem Imperatores, & designati ab iis Magistratus, Clericos & Monachos tributorum immunitate donarunt. Unde quòd ea non solvant, non habent ex divino jure, ut Theologi quidam inscitè propugnarunt, sed ex Imperatorum Christianorum pietate & munificentia. Unde S. Gregorius Nazianzenus Oratione 9. ad Julianum Tributorum Exæquatorem, ipsum rogat ut in illorum impositione Sacerdotibus & Monachis parcat. *Tu quidem*, inquit. *orationi meæ mercedem persolvisti, quamcunque tandem persolvisti: at illa tibi donò pauperes offert, totum Sacerdotum & Philosophorum cœtum, qui nullo vinculo huic tenentur, qui sola corpora, ac ne ea quidem tota possident, qui Cæsari nihil, Deo omnia habent, hymnos, preces, vigilias, lachrymas, hoc est ejusmodi opes, quæ manibus arripi ac teneri nequeunt: qui mundo mortui sunt, Christo vivunt, carnem confecerunt, animam a corpore abstraxerunt. His parcens, aut etiam omninò Deo reddens divini numinis famulos, & discipulos, cœlestiumque rerum inspectores, hos, inquam, generis nostri primitias, hos columina, has fidei coronas, has pretiosas margaritas, hos Templi illius lapides, cujus fundamentum & lapis angularis est Christus, hoc est, præclari Ecclesiæ complementi: pulcherrimè utique & ipsis, & tibi, & nobis omnibus consulueris*. Valenti in persequendis Monachis Lucius Arianus Episcopus Alexandrinæ Sedis invasor, operam commodavit. Lege Theodoretum lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 21.

Valentis ferocem animum delinire studuit, & a persecutione Catholicorum revocare, Themistius Platonicus philosophus; qui quamvis Ethnicus esset, tamen ad Catholicorum tam diræ persecutionis tempestate jactatorum commiserationem inflexus est. Hac autem ratione usus est, ut Valentis vesaniam curaret: *Non oportere mirari dissensionem quæ in Ecclesiasticis opinionibus versabatur, cùm multò inferior, multòque minor sit, quàm quæ extaret apud Gentiles. Nam permultæ apud ipsos sunt opiniones & dissensiones, ob multitudinem dogmatum susceptam, complures contentiones de hujusmodi rebus, & disceptationes excitare necessum est. Siquidem Deo fortasse visum sit, ut ipse non facilè nosceretur, & varia existerent de eo opiniones, quò singuli magis eum vererentur, cùm exquisitam ejus cognitionem comprehendere non possint: secum reputantes quantus sit, ad cujus cognitionem venire cogitant*. Hæc habentur ex Sozomenu lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 35. In Oriente solùm grassata est Valentis persecutio. Nam in Occidente quem Valentinianus Princeps Catholicus obtinebat, Ecclesia summâ pace potita est.

SCHOLION I.

Ad istud Caput pag. 3. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Historiam Sanctæ Catharinæ Martyris ex parte fabulosam dicit*.

R. Ad.

R. Addere debebant Religiosi Censores, *& probat*. Quæstio merè historica & eritica est, ex earum genere, in quibus opioionum libertatem permittit Ecclesia. Sententiam hac in re meam viri eruditi sequuntur. De Actis *S. Catharina* scribit *Papebrochius*, in Ephemeridibus Græco-Moschis, quas priori Tomo Sanctorum mensis Maji præfixit, ad diem 25. Novembris; *Hecaterinam Graci, Latini Catharinam appellant. Acta apud utrosque quantùm habent admirabilitatis, tanto etiam plus difficultatis patiuntur ad obtinendam fidem.*

SCHOLION II.

In eodem Capite, pag. 14. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Quòd Clerici non solvant tributa, id non habent ex jure divino, ut inscitè propugnant aliqui Theologi, sed ex Imperatorum pietate & munificentia.*

R. Id verissimum est. Clericos namque Christus non excepit, cùm ait: *Reddite qua sunt Casaris Casari.* Non excepit Apostolus, cùm scripsit: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum &c.* Clericos a solutione tributorum sub Ethnicis Imperatoribus immunes non fuisse certum est. Christianorum igitur Imperatorum pietate & munificentiâ immunitatem illam sunt consecuti. *Ante Justiniani tempora immunes fuisse Clericos a tributis personalibus, non tamen fuisse liberos a tributis qua pendi solent ratione possessionum*, fatetur *Bellarminus* libro 1. *De Clericis*, Cap. 28. idque colligi observat ex *S. Ambrosio*, in Oratione *De tradendis Basilicis*, ubi dicit: *Agri Ecclesia solvunt tributum.* Et ex *Theodoreto*, lib. 4. *Historia Ecclesiastica*, cap. 7. ubi scribit, Valentinianum Seniorem in Epistola ad Episcopos Asiæ verba illa posuisse: *Boni Episcopi tributa pensitant Regibus.*

Nota.

Omnium modò est sapientum Criticorum opinio, quammaximè incertitudinis tenebris obvolvi omnia ea, quæ communiter de S. Catharina circumferuntur. Eam, nomen tamen tacendo, Eusebium descripsisse videtur putasse Baronius; at cùm illam minimè martyrii palmam obtinuisse dicat Eusebius, immo ab ipsius cæde Maximioum abstinuisse, licet conjicere non Catharinam, sed quamdam potiùs illustrem virginem, Dorotheam nomine, ut vult Ruffinus *hist. l. 8. cap. 17.* designatam fuisse. Nulla S. Catharinæ extat memoria, nisi ab octavo labente sæculo, vel noni exordio. Eo tampore a Christianis Saracenorum jugo oppressis quoddam corpus in monte Sina adinventum narratur, & cùm sanctæ Martyris reliquias judicaverint, religiosè colere cæperunt; quod & illico Græci sub Hecatarinæ nomine præstitere. Interim omnia, quæ de ipsa circumferuntur, fabulis scatere non obscurè dignoscitur; quare & ipse Metaphrastes a consueto more recedendo, non omnia, quæ in ipsis leguntur, recenset, ut sibi quantùm fieri poterat, fidem conciliaret. Etiam Baronius *ad an. Ch. 307. num. 33.* conqueritur S. Catharinæ acta a nullo referri, qui illi sæculo, quo S. Catharina floruisse dicitur, proximus esset. Neque etiam dissimulat quam mereantur fidem quæ tam serò ab anonimo edita habentur, quæque quò ampliora, eò magis commentitia dignoscuntur. Ultra Papebrochium consulantur Bollandus *tom. 1. Febr. p. 777. & tom. 7. pag. 798. n. 17.* Pagi *ad an. 307. n. 8.* Tillemontius *tom. 5. pag. 448.*

Nota.

Quanquam non una sit Theologorum, & Canonistarum opinio, indubium nihilominus est non paucos etiam primi subsellii theologos, & canonistas eam tueri opinionem, qua divino jure realis immunitas concessa affirmatur. Abstinendum ergo erat a Natale ab illo verbo *inscitè*, ne tantos viros ignorantiæ accusare videretur.

CAPUT II.

De Pontificibus qui Romanam & universalem Ecclesiam rexerunt sæculo quarto.

I. Marcellino in Romanæ & universalis Ecclesiæ regimine successit *Marcellus* anno Christi 304. Constantii & Galerii Imperatorum primo. Viginti quinque titulos Romæ constituit, seu Parochiales Ecclesias, propter Baptismi & Pœnitentiæ administrationem, & propter sepulturas Martyrum, ut habet Auctor Libri Pontificalis. Hunc Pontificem Eusebius in Chronico prætermisit, Eusebium Papam immediatè Marcellino subnectens: recenset *Optatus* libro 11. & *S. Augustinus* Epistolâ 53. aliàs 165. Sedit annis quinque & duobus circiter mensibus. Martyrii palmam tulit in persecutione Galerii Maximiani, damnatus ad catabulum, id est, ad curandos & alendos equos Imperatorum. Supposititiæ sunt quæ circumferuntur hujus Pontificis nomine Epistolæ duæ, una ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ, *de Romana Ecclesia Primatu & Auctoritate*, altera ad Maxentium Tyrannum. *Marcellus.*

II. Marcello successit *Eusebius*, natione Græcus, anno Christi 309. Constantini Imperatoris 4. Falsum est quod habet Liber Pontificalis, Crucem Domini sub illius Pontificatu inventam fuisse, cùm necdum Constantinus Christianam Religionem suscepisset, neque mater Helena: & aliundè constat ex Antiquis Auctoribus non contigisse Crucis dominicæ inventionem, nisi post Nicænum Concilium. Confictæ sunt ac spuriæ tres Epistolæ, quæ Eusebii nomen præferunt, & quæcunque illius nomine Decreta laudantur a Gratiano. Sedit menses quatuor aut quinque cum diebus undecim. Ultra sex annos ipsum in Cathedra S. Petri sedisse, falsò scripsit Auctor Libri Pontificalis. *Eusebius.*

III. Eusebio successit *Melchiades*, sive *Miltiades*: qui Donatistas Schismaticos in Concilio Romano damnavit, & Cæcilianum Carthaginensem Episcopum, quem Traditionis sacrorum Codicum crimine insimulabant, absolvit, anno Christi 313. Pontifex inauguratus est anno Christi 311. Constantini Imperatoris 3. Annis & mensibus duobus moderatus est Ecclesiam, non annis 3. & mensibus 7. ut scripsit Auctor Libri Pontificalis. Unica sub ejus nomine fertur Epistola, quam confictam Viri Eruditi summo consensu arbitrantur. Quæ in ea habentur de Confirmationis Sacramento, desumpta sunt maxima ex parte ex Eucherio Lugdunensi, sive alio Episcopo Gallicano, in Homilia de Pentecoste, quæ Eusebio Emisseno passim, sed falsò tribuitur. *Melchiades.*

IV. Melchiadi successit *Sylvester*, anno Christi 314. Constantini Imperatoris 9. cui Baptismum non contulit, ut contendit post Nicephorum Baronius, utque habent Acta Sylvestri apocrypha: cùm sub finem vitæ baptizatus sit Nicomediæ, ut singulari Dissertatione evincemus. Falsum etiam est, *Sylvester.*

est, quod Constantinus Baptismo curatus sit a lepra, ut ibidem ostendemus. Concilia duo Romana sub Sylvestro; primum quod ascribitur anno Christi 315. ut inter Judæos & Sylvestrum fieret disputatio; alterum, quod anno Christi 324. consignatur, conficta sunt & apocrypha. Sub hoc Pontifice vires sumpsit majores Schisma Donatistarum, qui in Concilio Arelatensi primo damnati sunt. Sub eodem emersit Arii Hæresis, cui damnandæ cum auctore ipsius, Nicænum magnum Concilium convocatum est ac celebratum. Ad ejusdem tempora Concilia Ancyranum, Neocæsariense & Gangrense referuntur, de quibus posteà agemus. Item Concilia Tyrium, & Hierosolymitanum Arianorum. Rexit Ecclesiam Sylvester annis fermè 21.

Marcus. V. Ipsi successit *Marcus* anno Christi 336. Constantini 31. Ipsi acceptum fert Liber Pontificalis, quòd Ostiensis Episcopus Romani Consecrator Episcopi, Pallio utatur. Quæ ejus nomine inscribitur Epistola ad Athanasium & universos Ægypti Episcopos, supposititia est. Nam scribitur data X. Cal. Novembris Nepotiano & Secundo Coss. at nullus Nepotiani Consulatus cum Secundo, sed cum Facundo, Fastis consignatur. Contigit autem anno 336. quo Marcus sedit a 16. Januarii ad 7. Octobris. Data ergo esset Epistola die 16. ab obitu Marci. Secundò supponit Ægyptios dirâ Arianorum persecutione vexatos, dispendium passos esse Nicænorum Canonum, qui unà cum omnibus aliis Libris ab iisdem incensi fuerint, quorum exemplar a Romana Ecclesia postulaverint. At persecutionem ab Arianis nullam passi sunt Ægyptii sub Constantini, sed tantùm sub Constantis Imperio.

Tertiò 70. Canones a Nicæna Synodo conditos contra fidem Alexandrini Codicis a S. Cyrillo missi ad Africanos Antistites, qui viginti duntaxat exhibebat, asserit.

Quartò. S. Athanasius jam hoc anno exul agebat in Galliis; non potuit itaque Alexandria scribere ad Marcum Romanum Pontificem, ut ipsum scripsisse hæc Marci Epistola supponit.

Denique hæc Epistola consuta est ex variis Sententiis Cœlestini primi, Attici Episcopi Constantinopolitani, S. Leonis, & Agathonis. Octo tantùm mensibus in S. Petri Cathedra Marcum sedisse, testatur S. Hieronymus in Chronico.

Julius P. VI. Post Marci obitum *Julius*, Civis Romanus, Summum Pontificatum adeptus est, anno Christi 336. Constantini Imperatoris ultimo. Sedit annis quindecim, & quinque mensibus. Ex quatuor Julii primi Epistolis, quæ in editionibus Conciliorum leguntur, duæ duntaxat genuinæ sunt: Una quæ ad Orientales; altera quæ ad Alexandrinos inscribitur. Referuntur ambæ in Apologia secunda S. Athanasii. Julii temporibus Concilia Antiochenum, Sardicense, & alia de quibus posteà dicemus, celebrata sunt.

Liberius. VII. Julio primo successit in Romana sede *Liberius*, anno Christi 352. Constantii Imperatoris 16. Propter fidei Nicænæ & S. Athanasii defensionem, in exilium missus est a Constantio, Berœam Thraciæ, ut constat ex Dialogo, quem Imperator ille cum ipso habuit Mediolani, & quem Theodoretus refert lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 16. in quo cedro dignæ sunt illæ voces quibus Constantio exilii minas intentanti respondit: *Leges Ecclesiasticas observare, pluris faciendum censeo, quàm Romæ domicilium habere.* Noluit autem damnationi S. Athanasii, secundùm Imperatoris vota, assensum præbere: tum quòd comperta ipsi esset sanctissimi illius Antistitis innocentia, & Arianorum invidia, calumniæ, fraudes, immanitas in illum exploratè perspectæ: tum quòd fidem Nicænam per cuniculos peti ab Arianis videbat, cùm strenuum ejus propugnatorem S. Athanasium accusabant, damnabant, persequebantur. Unde Constantio Athanasii damnationem ab eo extorquere conanti, consultissimè respondit Liberius: *Æquum censeo ut priùs proponatur generalis Episcoporum subscriptio, quâ fides in Concilio Nicæno exposita confirmatur: deinde ut fratribus nostris ab exilio revocatis, & ad suas ipsorum sedes restitutis, si isti, qui nunc tumultuantur, fidei Apostolicæ assentiri comperiantur, tunc omnes contendamus Alexandriam, ubi reus, ubi accusatores, & caussa eorum Patroni sunt: atque litigantium causâ diligenter cognitâ, sententiam de ea pariter feramus.* In exilium amandato Liberio, *Felix* ejus Diaconus in Sedem Romanam intrusus est auctoritate Constantii Imperatoris, quod facilioris animi videretur, & cum Arianis non gravatè communicaret, quamvis Arianus non esset.

Vix biennium in exilio egerat Liberius, cùm ejus fracta constantia est, & tædio victus, ac desiderio impotenti recuperandæ Sedis æstuans, formulæ fidei sibi ab Arianis oblatæ subscripsit. Quænam illa fuerit, celebris est inter Eruditos controversia. Quidam ipsum subscripsisse volunt secundæ Sirmiensi, quæ penitùs Ariana est; alii primæ, quæ Catholica est, contrà Photinum Hæresiarcham editæ. Sententiam ea de re nostram Dissertatione propriâ exponemus.

Restituto post Athanasii damnationem Romanæ Sedi Liberio, Felix Româ pulsus est, quem nusquàm legitimum Pontificem fuisse, nec Martyrem, longè est verisimilius, ut probabimus suo loco. Quanquam, factâ Liberio potestate Romam revertendi, Episcopi Ariani Sirmii congregati, datis ad Felicem, & ad Romanum Clerum literis, mandaverint ut ambo pariter Sedem Apostolicam administrarent, communique consensu & concordiâ Sacerdotio illo fungerentur: atque tum casum acerbum, qui in electione Felicis obtigisset, tum exilium Liberii oblivione delerent, ut scribit Sozomenus lib. 4. Historiæ. Liberio Pontifice, Concilia Sirmiense, Ariminense, Seleuciense, & alia tum Ecclesiæ, tum Arianæ factionis celebrata sunt, de quibus suo loco. Ecclesiam rexit Liberius annis quindecim, & mensibus quatuor. Obiit *Liberius*, ut Cardinali *Baronio* placet, quinto Idus Septembris anno 367. vel octavo Kal. Octobris anno 366. ut alii volunt. Lapsum suum reparasse minimè dubium est, siquidem Ariminensi Concilio assensum suum ac suffragium summâ constantiâ negavit. Unde a *S. Ambrosio* libro 3. *De Virginibus*, ubi illius Sermones refert, *beatæ memoriæ*, atque *Vir sanctior appellatur*: Similesque honoris ac venerationis titulos meruit a *S. Basilio* Epistolâ 74. a *S. Epiphanio* Hæresi 75. & a Siricio Pontifice Maximo Epist. ad *Himerium* cap. 1. Ejus nomen in Martyrologio *S. Hieronymi* ad diem 8. Kal. Octobris, in veteribus Additamentis ad *Bedæ* Martyrologium, in Martyrologio *Vvandalberti*, in Synaxariis & Menæis Græcorum 27. Augusti, velut Sancti Pontificis celebratur.

VIII. Ipsi successit *Damasus* anno Christi 367. Valentiniani & Valentis Imperatorum. Ejus electio nefando *Ursicini* Romani Diaconi Schismate turbata est: is enim contra Damasum legitimis electum suffragiis ordinatus est Episcopus, & multis ex Clero populoque Romano suas in partes pertraxit. Ex quo tam atrox orta seditio est, ut in Basilica Sicinini uno die 137. cadavera reperta sint, ut testatur Ammianus Marcellinus. De hoc Schismate legendi Rufinus lib. 2. cap. 10. Socrates lib. 4. cap. 24. & Sozomenus lib. 6. cap. 23. In iis autem quæ illius Historiam spectant, nul- *S. Damasus.* *Schisma Ursicini.*

la

la fides adhibenda est Marcellino Presbytero Romano, nt nec Libello quem cum Faostino Diacono postea Theodosio Imperatori obtulit: cùm Marcellinus iste Schismaticus foerit, & adhæserit Ursicino contra Damasum. Projecta fuit Schismaticorum audacia, qui legitimam Pontificis electionem convellere cùm non possent, ad calumnias conversi, saoctissimum virum adulterii accusarunt; quem S. Hieronymus Epistolâ 50. ad Pammachium virginem, Ecclesiæque virginis Doctorem appellat: cujusque mores integerrimos antiqui Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores, Socrates, Theodoretus, & Sozomeous pariter prædicant.

Ammian. lib. 27. Extinguendo Ursicini Schismati Catholici Imperatores auctoritate suà adlaborarunt. Prætextatus sub Valentiniano Urbis præfectus, enm Romà expulit, Ammiano teste. Basilicam a Schismaticis occupatam Damaso restitui imperavit Valentinianus, dato ad eundem Prætextatum Rescripto. Schismaticos etiam ab urbe pelli jussit, quos tamen postea in urbem annuit revocari; ita tamen ut si quid tumultûs cierent, graviori supplicio molestarentur. Valentiniani Edicto in Galliis exulare jussns est Ursicinus, ut Ecclesiæ paci consuleretur; cujus indulgentiâ postea ab exilio revocatus est cum sui Schismatis præcipuis fautoribus, eâ tamen lege, ut nec Romam, neć in suburbicarias regiones pedem inferre possent. Valentiniano vivente, quieverunt subinde Schismatici; sed eo vitâ functo, & Valentiniano juniore cum Gratiano imperante, majores tumultus excitarunt. Tunc enim Ursicinus Romanam Sedem iterum invadere molitus est. Tunc ejus consortes, & in Schismate ordinati Episcopi, atque sacerdotali judicio Catholicorum Antistitum damnati, ac exauctorati, quas iovaserant Ecclesias, retinebaot impudenter ac procaciter: quamobrem Orthodoxi Episcopi anno 378. Gratiano & Valentiniano Imperatoribus e Synodo Romana supplicaverunt, ut Ursicini & consortinm iosolentiam lege latâ cohiberent, & omnes qui a Damaso & Catholicis Episcopis essent damnati, cogerent ut eorom judicio acquiescerent, & quicumque a sacerdotali judicio vocatus, adesse per contumaciam renueret, is a Præfectis Prætorio Italiæ, sive a Vicario Romæ ad Summi Pontificis tribnnal se sistere cogeretur: aut, si in remotioribus locis, id est extra Italiam, qoæstio mota fuisset, per Judices locorum ad Metropolitani deduceretur examen; vel, si de Metropolitani caussa ageretur, ad Romanum, vel ad eos quos Romanus Episcopus Judices dedisset, sine dilatione pergere juberetur. Ista constant ex Epistola Concilii Romani ad Gratianum & Valentinianum Imperatores, data anno 378. Orthodoxorum Antistitum votis annuit Gratiaous Augustus, & Edicto dato ad Aquilinum Vicarium Urbis, Ecclesiæ paci consuluit, Ecclesiasticorum Judiciorum ordioem in Schismaticorum causis præscribens. Ex quo piissimi Imperatoris facto, constat ad Imperatores pertinere leges Ecclesiæ pacem, & Ecclesiasticorum Judiciorum ordinem spectantes ferre, ac de caussis Clericorum decernere, modò non sint merè Ecclesiasticæ, sed mixtæ; id est, si non Ecclesiæ solùm, sed Reipublicæ pax & tranquillitas in discrimen vocetur: Imò earum cognitionem suscipere pro jure suo possont titnlo patrocinii, post Episcoporum judicium, ut Ecclesiæ defensores. Eidem Imperatori supplicaverunt Aqnilejensis Concilii Patres anno Christi 381. ut Ursicinum, qui cum Arianis Mediolani conjunctus, novas turbas recèns meditatus fuerat, novaqne inierat consilia Romanæ Sedis invadendæ, suâ aoctoritate cohiberet. Id constat ex Epistola Concilii Aquilejensis ad Gratianum Imperatorem datâ.

Sub Damasi Pontificatu Concilium primum Constantioopolitanum, quod inter Oecumenica secundum locum tenet, congregatum est; celebrata item Romæ & alibi varia Concilia; damnati Auxentius Arianus Mediolanensium Episcopus, & Apollinaris Hæresiarcha.

Liber Pontificalis multa falsa habet in Vita Damasi. Falsum namque est quòd constituerit ut Psalmi diu noctùque in Ecclesiis canerentur, quasi primus sacri illius moris fuerit Auctor. Hæc enim verò consuetudo ab Apostolicis temporibus in Ecclesia viguit, cujus ipsi Ethnici, nimirum Lucianus in Philopatro, & Plinius junior epistolâ 98. lib. 10. meminerunt, quam S. Justinus Martyr in Apologia ad Aotoninum Pium, Clemens Alexaodrinus Oratione ad Gentes, Tertullianus lib. 2. ad Uxorem cap. 6. S. Cyprianus lib. de Oratione Dominica, S. Basilius Epistolâ 63. commendant. Forsan Damasus ritum aliquem psallendi antea in Ecclesia non usurpatum instituit. *Libri Pontificalis errores.*

Falsum etiam est, quòd scripsit Auctor ille, Ursicinum postquam Româ pulsus est, consecratum fuisse Neapolitanæ Ecclesiæ Episcopnm, cùm imperante Gratiano adhuc in Galliis exul ageret, ut constat ex istius Principis Edicto: nec Marcellinus Ursicini partiarius, aut ullus veterum Scriptorum id referant.

Tertiò, falsò Damasi Pontificatum consignat Juliani Apostatæ temporibus. Nam anno 4. Valentioiani senioris & Valentis Pontificatum adeptus, ad usque Valentiniani junioris & Theodosii senioris sextum, rexit Ecclesiam, Sedit annis 17. & duobus ferè mensibus. Inter Sanctos miraculis clarus recensetur, necnon inter Scriptores Ecclesiasticos. Ejus de Operibus suo loco agemus, hic satis sit revocare in memoriam ejus Epistolas, quæ a Collectoribus Conciliorum referuntur, suppositias esse, iis exceptis quæ apod S. Hieronymum leguntur, & Epistolâ Synodicâ, quam ex Romano Concilio ad Episcopos Illyrici dedit, quam Theodoretus lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. & Sozomenus lib. 6. cap. 27. repræsentant. Plures Basilicas Martyrum erexit Damasus, plurium sepulcra versibus exornavit. Istud sibi edidit Epitaphium:

Qui gradiens pelagi fluctus compressit amaros:
Vivere qui præstat morientia semina terræ,
Solvere qui potuit Lazaro sua vincula, mortis
Post tenebras, fratrem post tertia lumina Solis
Ad superos iterum Mariæ donare Sorori,
Post cineres Damasum faciet quia surgere, credo.

IX. S. Damaso successit *Siricius* anno Christi 385. pridie Idus Januarii. Sedit annis tredecim. Sub ejns Pontificatu Priscilliani, Bonosi, Jovioiani, Helvidii hæreses variis in Conciliis damnatæ sunt, de quibus inferiùs agemus. *Siricius.*

Quatuor extant istius Pontificis Epistolæ. Prima celeberrima est, & Ecclesiasticæ restauratrix Disciplinæ, quâ Himerii Tarraconensis Episcopi relationi ad Damasum missæ, quæ tamen post illius obitum Romam pervenerat, respondet. Quindecim constat capitibus. Primò, Arianos rebaptizari vetat. Resecat abusum qui in Hispaniensi Ecclesia irrepserat, ut Baptismus in Natali Christi, io die Epiphaoiæ, imò & in Festivitatibus Apostolorom ac Martyrum, ritu solenni administraretur, illumque extra Pascha & Pentecostem conferri vetat, prout in Romana & in cæteris Ecclesiis observatur: nisi in casu necessitatis & imminentis periculi. Tertiò, apostatas ab Ecclesia jubet abscindi, & si resipiscant, ad mortem usque agere pœnitentiam: ita ut in fioe vitæ reconciliatioois gratiâ donentur. *Synopsis Epistolarum Siricii.*

Quartò, Puellam alteri despoosatam, ab alio duci in matrimooium dicit esse nefas. Quintò, illos qui actâ pœnitentiâ publicâ, militiæ cingu-

lum

lum, vel nova connjugia, & illicitos appetunt concubitus, a Mensa Dominica segregat, & solius orationis intra Ecclesiam decernit esse participes. Quos tamen Viatico donari jubet in morte, quia carnali fragilitate ceciderunt. Sextò, Sacerdotum & Diaconorum continentiam lege latâ sancit; cùm antea cœlibatus nullâ esset Ecclesiasticâ lege, sed solâ consuetudine sacris Ordinibus annexos. Septimo Cap, & sequentibus usque ad 11. ad eosdem Ordines admitti vetat inexploratæ vitæ homines, & quibus fuerint numerosa conjugia, & qui diu in inferioribus gradibus non fuerint probati. Clericum autem qui secundam conjugem, aut viduam duxerit, ad Laicam detrudit Communionem. 12. Tertium Nicænæ Synodi Canonem renovat, nullasque fœminas in domibus Clericorum esse patitur, nisi quas cùm illis morari permisit magna Synodus, matrem, sororem, vel amitam, & quæ, suspicionem omnem effugiunt. 13. Monachos, quos morum gravitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, ad Clericatum admitti optat, ac jubet. 15. Pœnitentes, digamos, viduarum maritos, in eo in quo consecrati sunt Ordine, manere indulget, omni spe ulterioris promotionis ademptâ. Eadem fermè decreta inculcat Africanis Episcopis, Epistolâ 4. prohibetque insuper ne Episcopi inconsulto Primate ordinentur, & ne ab uno tantùm consecrentur Episcopo; ne alienæ diœceseos Clericum ordinent, aut ab aliis Antistitibus abjectum admittant.

Epistolâ 3. ad universos Episcopos datâ, vetat ne indigni ad Episcopatum promoveantur: *Sed examine habito, & probitate morum, & Ecclesiastico labore sit commendatior, qui vocatur in medium, ut summum Sacerdotium possit accipere, probatus judicio, non favore: susceptus veritate, non gratiâ: Apostolico ordine fultus, non proprià voluntate*. Vetat insuper, ne ignari, aut neophyti ad Sacros Ordines promoveantur, contra Apostolica præcepta; nec præsumatur lege licitum, quod aliquando propter Ecclesiæ bonum, & hæreses quæ grassabantur, atque ministrorum penuriam, ex dispensatione concessum est.

Epistolâ 4. Siricii ad Anysium & Episcopos Illyrici de Bonoso Hæresiarcha, Sancto olim Ambrosio falsò tributa est, cujus inter Epistolas extat ordine quinta: falsò, inquam, cùm ejusdem S. Ambrosii velut tertiæ personæ meminerit. Illam autem Siricio vindicavit vir eruditus Lucas Holstenius.

Anastasius. X. Siricio in Romana Sede successit *Anastasius*, natione Romanus anno Christi 398. Arcadii & Honorii Imperatorum 4. Sedit annis 3. Ejus temporibus tumultuati sunt Origenistæ, ejusque auctoritate repressi: damnatus Rufinus pertinax Origenis defensor ac sectator. Sed de Origene & Origenistis abundè actum est superiori sæculo. Ejus temporibus Concilium Carthaginense 4. Ecclesiasticæ promptuarium disciplinæ celebratum est. Unica extat Anastasii Pontificis legitima Epistola ad Joannem Hierosolymorum Episcopum data, cujus meminit S. Hieronymus Apologiâ 3. adversùs Ruffinum cap.6. & extat Tom.9. Operum ejusdem Sancti Doctoris. Duæ autem aliæ Epistolæ, quas sub Anastasii nomine Conciliorum editiones repræsentant, adulterinæ sunt. Prima inscribitur ad omnes Germaniæ ac Burgundiæ Episcopos: quæ nota evidens est suppositionis; nam Ethnici adhuc erant Burgundiones Anastasii temporibus, adeoque nullos habebant Episcopos. Nam sub Valentiniani III. Imperio primùm ad fidem Christi conversi sunt. 2. Nota Consulum ad finem Epistolæ consignata, mendosa est; scribitur enim data Arcadio & Bautone Consulibus, quorum Consulatus incidit in annum Christi 385. Siricii 2. ante Anastasii electionem 13. Tertiò, contexta est ex variis sententiis Innocentii primi Epist.14. & 15. S. Leonis Epist.1. & 2. & S. Flaviani Episcopi Constantinop. Ep.1. ad S. Leonem. Secunda verò Epistola, præterquàm quòd a stylo Anastasii aliena est, & ex Innocentii I. S. Leonis & S. Gregorii sententiis consuta, data scribitur 7. Idus Junii, Theodosio Augusto VII. & Palladio Consulibus, id est anno 416. mortuo jam a pluribus annis Anastasio.

Hunc Pontificem decrevisse, ut dum Evangelium in Ecclesia recitaretur, Sacerdotes non sederent, sed curvi starent, tradit Liber Pontificalis. Quod si ita est, huic decreto videtur occasionem dedisse contentio, quæ his temporibus Presbyteros inter & Diaconos Romæ oborta est: dum hi administrantes Ecclesiæ bona, Presbyteros spernebant, & cum ipsis in Ecclesia sedebant, contra verò Presbyteri stare coram se Diaconos debere contendebant. Eò enim usque progressam esse pertinacem contentionem verisimile est, ut Presbyteri ad majorem Diaconorum humiliationem, Diaconis Evangelium legentibus & stantibus assurgere non dignarentur: quod Anastasius Pontifex emendavit.

SCHOLION I.

Hoc in capite ad pag.16. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Supposititiæ sunt duæ Marcelli Romani Pontificis Epistolæ*.

R. Id nemo negaverit Criticæ sacræ peritus. Barbarismi frequentes, locorum Scripturæ sacræ secundùm Versionem *S. Hieronymi* citatio, exscriptæ posteriorum Pontificum sententiæ; falsa nota Consulatûs, has Epistolas supposititias esse probant.

SCHOLION II.

Eodem in capite hæc notant Religiosi Censores: *Julii I. duæ dumtaxat Epistolæ genuinæ*.

R. Nemo Criticæ vel leviter peritus id nescit.

SCHOLION III.

In eodem cap. ad pag.23. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Constat ad Imperatores pertinere Leges Ecclesiæ pacem, & Ecclesiasticorum judiciorum ordinem spectantes ferre, ac de causis Clericorum decernere, modò non sint merè Ecclesiasticæ, sed mixtæ: imò earum cognitionem suscipere pro jure suo possunt titulo patrocinii*.

R. Id a me observatum est occasione datâ ex Edicto *Gratiani* Augusti ad *Aquilinum* urbis Vicarium, quo Ecclesiasticorum judiciorum ordo in causis Schismaticorum præscribitur. Id confirmant variæ Leges Codicis Theodosiani & Justiniani, *De Episcopis, Clericis & Monachis*, Novellæ Constitutiones Justiniani, & Regum Francorum Capitularia. Causas mixtas esse observavi, cum non Ecclesiæ solùm, sed Reipublicæ pax & tranquillitas in discrimen vocatur. Causarum hujusmodi cognitionem suscipere posse pro jure suo Principes titulo patrocinii, *Post Episcoporum judicium, ut Ecclesiæ defensores*: Quæ verba Indiculi Censorii Auctores suppresserunt. Sic *Constantinus Magnus* Episcopos *intra Ecclesiam*, se verò *extra Ecclesiam Episcopum constitutum* dixit, referente *Eusebio*, lib.4. *De Vita Constantini*, cap.24. qui & ipsum Episcoporum Synodis a se indictis interfuisse, atque rerum in deliberationem vocatarum se participem fecisse scripsit, *tamquam communem Episcopum* a Deo constitutum (lib.1. *De Vita Constantini*, cap.37.) Ob eam causarum Ecclesiasti-

ca-

earum curam, quoad politiam externam, judiciorum ordioem, Canooum executionem, Ecclesiæ tuitionem, *Marciano* Augusto acclamatum est a Concilio Chalcedonensi: *Sacerdoti Imperatori*. Ob eandem rationem, *Clodoveus* Regum Christianissimorum primus, *Regionum Præsul* a S. Remigio vocatur. Ob eamdem causam *Carolus Magnus* in Capitulari Aquisgranensi *Devotum sanctæ Dei Ecclesiæ Defensorem, humilemque Adjutorem* se profitetur.

SCHOLION IV.

In eodem capite, pag. 26. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *De cœlibatu Clericorum legem sancivit Siricius, cùm antea cœlibatus nullâ lege, sed solâ consuetudine sacris Ordinibus annexus esset.*

R. Lex quidem nulla de Clericorum majorum cœlibatu ante *Siricium* Romanum Pontificem lata, quæ generalis esset, atque ad universam pertinens Ecclesiam. *Ex Ecclesia tamen disciplina, diuturno usu ab Apostolicis temporibus derivato firmatâ, Episcopi, Presbyteri & Diaconi continentiam ante Siricii Pontificatum servabant: cujus disciplina a Siricio & aliis Pontificibus lege latâ roborata sanctimoniam irrito conatu impugnant Heterodoxi*. Verba mea suot io Dissertatione de Historia *Paphnutii*, ubi propositionis hujus partes omnes probavi. Quam reprehendunt propositionem Religiosi Censores, confer cum Epistola *Siricii* ad *Himerium* cap. 7. & cum Epistola ejusdem Pontificis ad Africanos Episcopos. Facti & Historiæ quæstio ista est, noo dogmatis.

ANIMADVERSIONES in illam Natalis propositionem: *Constat ad Imperatorem pertinere leges ecclesiæ pacem, & ecclesiasticorum judiciorum ordinem spectantes ferre; ac de causis Clericorum decernere, modò non sint merè ecclesiastica, sed mixta: immo earum cognitionem suscipere pro jure suo possunt, post episcoporum judicium, titulo patrocinii.*

§. I.

NON pertinet ad laicam potestatem ferre leges ad Ecclesiæ pacem, & ecclesiasticorum judiciorum ordinem spectantes.

Si inspiciamus quos limites habeant ecclesiastica, ac sæcularis potestas, statim dignoscitur hanc proprios prætergredi, si in iis, quæ ad ecclesiæ gubernium pertinent, sese velit immiscere. Famigerata est Osii episcopi Cordubensis ad Constantium Imperatorem admonitio, quam refert S. Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes: *Quid tale*, inquit, *a Constante actum est, aut quando judiciis ecclesiasticis interfuit? Ne te misceas ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea a nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Et quemadmodum, qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ. Ita & tu cave, ne quæ sunt ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Neque igitur fas est nobis in terris Imperium tenere, neque tu thymiamatum, & Sacrorum potestatem habes*. Post Osium Constantium reprehendentem, audiamus & quomodo S. Theodorus Studita Leooem Armenum ioterpellaverit, teste Theostericto in Vitâ S. Nicetæ apud Surium die 3. Aprilis, nbi ita narrat: *Respondit autem & Theodorus vehemens ecclesiæ magister, dux studiorum: Ne tentes nunc o Imperator, ecclesiasticum statum dissolvere, nic enim Apostolus: Quosdam quidem posuit Deus in ecclesia primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Pastores, & Doctores ad perfectionem Sanctorum; non dixit Reges. Tibi quidem, o Imperator, civilis status, & exercitus commissus est. Hæc igitur cura; ecclesiam autem Pastoribus, & Doctoribus derelinque*. Mirum in modum Studitæ consonat Damasceous *orat. 2. de Imag.* ubi sic ait: *Regum partes non sunt, ut ecclesiæ leges præscribant: Considera enim quid dicat Apostolus: Et quosdam quidem in Ecclesia posuit, deinde Prophetas, tum Pastores, & Doctores. Ad ecclesiæ constitutionem non adhibuit Reges*. Et rursum: *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei. Verbum non locuti sunt nobis Reges, sed Apostoli, & Prophetæ, Pastores, atque Doctores. Cùm præcepisset Deus David, ut ædificaret sibi domum, sic allocutus est eum: Non ædificabis mihi domum tu, quoniam vir sanguinum es. Regum est civilis administratio, ecclesiastica verò constitutio Pastorum, atque Doctorum*. Iis addo Ivonem Carnotensem, relatom *can. Cùm ad verbum dist. 96.* ubi hæc habet: *Sic Deus actibus propriis, & dignitatibus distinctis, utriusque potestatis officia discrevit, ut & christiani Principes pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium imperialibus legibus uterentur. Quatenus spiritualis actio a carnalibus distet incursibus, & militans Deo negotiis non se implicet sæcularibus; ac vicissim divina non attingat, qui est temporalibus intentus*. Juvat autem & hic addere Glossæ verba ita ajentis: *Julianus Imperator vendicabat sibi Imperium, & Pontificatum: quod locum habuit in Veteri Testamento. Sed dicit Cyprianus, quòd postquam Christus venit, sic officia utriusque potestatis discrevit, ut Imperator terrenis, Pontifex cælestibus præsideret: ne propter duplicem potestatem homo superbiens, rursum ad inferna demergatur: sed cùm opus est, altera potestas vicissim alteram sublevaret*.

Idem quod PP. objecerunt Romani Pontifices Imperatoribus, ostendentes ipsorum non esse in Ecclesiæ regimen sese immiscere. Audiatur inter alios S. Gelasius in celebri epistola ad Anastasium Augustum, ubi eum ita alloqoitur: *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, Sacerdotalis auctoritas, & regalis potestas, utraque principalis, suprema utraque, neque in officio suo alteri obnoxia est*. His verbis Imperatori se opposuit, cùm vellet in Ecclesiæ judiciis se immiscere, oitereturque excommunicatum Acacium sacris diptycis restituere; ac Ecclesiam in suo gubernio nullum in terris agnoscere, a quo pendeat, demonstrat. Mitto epistolam Symmachi ad Hoaorium Augustum, Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem, & Ludovicum pariter Imperatorem, Joannis Papæ &c. ubi Priocipes pluribus edocentur ipsorum potestatis non esse, ni quæ Pontificum sunt attingere velint, de ecclesiasticis rebus disponere. Has epistolas legere etiam est in prima parte Decreti *dist. 96.* Id agnovisse demonstravit Marcianus Imperator in Synodo Chalcedonensi; percupiens etenim plura sanciri quoad obsequium a Monachis Episcopis exhibendum; quoad monasteriorum ædificationem, solùm Episcopo adnuente, aggrediendam; quoad prohibendos clericos a sæcularibus negotiis; quoad residentiam propriarum ecclesiarum non deserendam, hæc oon sua auctoritate, sed Synodi decreto statuenda agnovit; unde *sess. 6.* eamdem alloquens Synodum ait: *Quædam capitula sunt, quæ ad honorem vestræ reverentiæ servavimus, decorum esse judicantes a vobis hæc canonicè potiùs formari per Synodum, quàm nostra lege sanciri*.

Ita proinde exhibuerunt nobis PP. ac Romani Pontifices utriusque potestatis, ecclesiasticæ nempe,

pe, & sæcularis discretionem, ut utrique peculiaria sua munera correspondeant. Ecclesiasticæ potestati, quæ ecclesiæ sunt Deus commisit; Pastoribus ecclesiæ Ecclesiam dereliquit, ecclesiasticasque constitutiones ab eis promulgandas voluit; itaut secularis potestatis non sit ad se, quæ sunt Ecclesiæ, trahere. Ubi verò sæcularis regiminis fines describunt, intra temporalia coarctant; & civilem administrationem, civilemque statum illi adsignantes, nolunt ab ea leges Ecclesiæ præscribi. Unde quæ ad suam conducunt pacem, suaveque ac justum gubernium in judiciis dirigendis, unius est ecclesiæ decernere, sibique providere.

Sed & ulteriùs animadvertendum, quòd ne locus esset dicendi eò etiam posse pervenire principum potestatem, ut leges ecclesiæ indiceret, id tantùm eorundem muneris esse testati etiam sunt PP. ut eidem ecclesiæ præsto essent, quoties ipsorum auxilio indigeret, ne leges ab ea sancitæ pessumdarentur; abstinendo tamen a moderando suis constitutionibus gubernium ecclesiasticum. Hinc Facundus Hermianensis *lib.12. cap.3.* ea ratione Marcianum Imperatorem commendat, quòd *nosset quibus in causis uteretur Principis potestate, & in quibus exhiberet obedientiam christiani. Ideo enim non solùm a fidei definitionibus abstinuit, sed etiam noluit novos constituere canones, quod nonnisi multis, & in unum congregatis primi ordinis Sacerdotibus licet. Ob hoc itaque vir temperans, & suo contentus officio, Ecclesiasticorum canonum executor esse voluit, non conditor.* Potestatem sæcularem solùm intra Ecclesiam aliquando esse ad muniendam legum ecclesiasticarum observantiam, ita explicat S. Isidorus Hispalensis lib.3. de Sum. Bon. cap.51. *Sub Religionis disciplina sæculi potestates subjectæ sunt . . . Principes sæculi nonnunquam intra ecclesiam potestatis adepta culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Cæterùm intra ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem.* Principum pariter non esse suis legibus gubernium dirigere ecclesiæ, sed legum dumtaxat ipsius Ecclesiæ adimplementum, ubi ita necesse esset, promovere, Galliæ Rex profitebatur apud Lupum Ferrariensem *ep.81.* ajebat enim *se fideliter tenere, quòd Rex Regum, idemque Sacerdos sacerdotum, qui solus potuit ecclesiam regere, quam redemit, postquam humanitatem suam in cælum evexit, semper enim suis futurus Divinitate, potestatem suam ad eamdem gubernandam ecclesiam in Sacerdotes divisit, & Reges, ut quod sancti decernunt pontifices, & ipsi implorent, & impleri facerent devotissimi Reges.* Dum principibus ergo tantùm conceditur, pro suo erga Ecclesiam patrocinio, amore, ac reverentia, illos coercere, quos ipsa ecclesia ad obediendum suis mandatis compellere non valet, statim dignoscitur ab ipsorum potestate alienum esse leges sancire, quibus gubernetur.

Ad hujusmodi confirmanda accedit ecclesiasticam potestatem sanè sæculari esse digniorem; quapropter S. Gregorius M. *lib.2. regestr. indict. 11. ep.62.* admonet Mauritium Imperatorem *potestatem sibi cælitus datam esse super omnes homines, ut cælorum via largiùs pateat, ut terrestre regnum cælesti regno famuletur.* Eamdem veritatem Ivo Carnotensis *ep.51.* Henricum Angliæ Regem edocebat, unde postquam excellentiam Regni cælestis Ecclesiæ commissi supra terrenum explicavit, ita subdit: *Sicut enim sensus animalis subditus debet esse rationi, ita potestas terrena subdita debet esse ecclesiastico regimini. Et quantùm valet corpus nisi regatur ab anima, tantùm valet terrena potestas, nisi informetur ecclesiasticâ disciplinâ. Et sicut pacatum est regnum corporis, cùm jam non resistit caro spiritui, sic in pace possidetur regnum mundi, cùm jam resistere non molitur regno Dei.* Eâdem loquendi phrasi ad ecclesiasticæ potestatis supra civilem extollendam dignitatem utuntur S. Gregorius Nazianzenus, & S. Isidorus Pelusiota *lib. 3. ep. 249.* & dicunt ita se habere ecclesiasticam potestatem ad civilem, sicut spiritus se habet ad carnem. Si verò civilis potestas tantò est ecclesiasticâ inferior, ut ecclesiæ legem dicere posse conciperemus, oporteret unà sibi posse persuadere eum, qui inferior est dignitate, suis mandatis ad sibi obsequendum illum posse adigere, qui excellentiori prævalet jurisdictione.

Nonne demum injuria J. Christo Ecclesiæ Fundatori irrogaretur, si a civili potestate expectare deberet leges pro sua pace munienda, judiciisque efformandis? Talem dicere necesse est Christum Dominum suæ impertitum esse ecclesiæ potestatem, ut cuncta quæ suo sunt necessaria regimini ex seipsa decerneret, sibique in omnibus provideret. Si diversimodè Ecclesiæ gubernium stabilitum judicaremus, illud mancum mutilumque nostræ objiceretur menti; quod non patitur dicere illius Sapientia, qui ejusdem Ecclesiæ fundamentum esse voluit, & munimen.

Cùm ex hucusque dictis perspicuè quid juris sit inspiciamus, perperam ex iis, quæ facta sunt, tenebris illud involvere conaremur. Optimè ex eo quod juris est, quò nostra extendatur potestas dignoscimus; ex eo autem quod factum est crebrò, quid juris sit pessimè erueremus. Quàm maximè autem errandi aditus pateret, si ex iis, quæ Græci Imperatores attentarunt, civilem potestatem metiri aggrederemur. Eò usque propriam potestatem extenderunt, ut non solùm leges ad ecclesiam ejusque Ministros pertinentes publicarent, sed ultra progressi potestatem sibi vindicarunt episcopatus, metropolesque novas creandi, ecclesiis vacantibus episcopos concedendi, priscis Metropolitanis suffraganeos subducendi, ac tribuendi episcopis facultatem, ut in alieno territorio pontificalia exercerent. Hæc præstitere Græci Imperatores, eorumque Assentatores probarunt; ut conqueritur Thomassinus *Vet. & Nov. Eccles. Discipl. p.1. lib.1. cap.43.* & alibi. En clarissimè ex iis quæ facta sunt, non semper legitimam potestatem dimetiendam. Et re vera cùm in Conciliis vel aliquod gestum est, vel aliquæ rogatæ sunt leges, quæ ad potestatem Principis pertinere videbantur, qui tuentur principum jurisdictionem, respondent tunc Præsules vel propriam excessisse potestatem, vel Principibus annuentibus canones edidisse. Fleury *hist. eccles. lib. 40. n.29.* Ita pariter ex his quæ gesserint Principes, consectaria proferre non debent, quæ Principum extollant, Ecclesiæ verò minuant auctoritatem. Sanè vir æquus judicare saltem cogitur, non minùs episcopos, quàm principes propriæ novisse limites jurisdictionis. Videantur, quæ dicam in Animadversionibus post *dissert. 1. sæcul. 4.*

Non ita se gessere Gallorum Reges in suis conficiendis Capitularibus, quibus non pauca quoad ecclesias, ejusque ministros decernuntur. Ea primò Ecclesiæ auctoritate edita, ac deinde ipsius etiam confirmatione roborata affirmat Gretserus, pluribusque ostendit Baronius ad ann. Christ. 819. adeout ipse David Blondellus calvinista ecclesiæ expressam omnium confirmationem intercessisse fateatur. Id quidem asseruisse Gretserum ægerrime fert Baluzius in præfatione ad eadem Capitularia §.10. ac a propria principum auctoritate dimanasse contendit; addens constitu-

tio-

tiones episcoporum, Principum *confirmatione indiguisse ut valerent*. Ita non solùm sæculi Principibus regendi suis legibus ecclesiam concedit potestatem, sed ipsam ecclesiæ jurisdictionem pedissequam Principum auctoritati constituit: quod quàm a veritate aberret, superiùs dicta demonstrant. E contra verò PP. Concilii Troslejani habiti an. 909. licèt Galli, Capitularia Canonum pedissequa nuncuparunt, quia scilicet canonibus consona, & ad ipsorum promovendam exequutionem promulgata. Eadem Capitularia *lib. 5. cap.* 403. laicos omni exutos potestate dicunt *de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi*: Si verò a laica facultate Principes Capitularium conditores Ecclesiæ res immunes reputarunt, multò magis agnoscere cogebantur absque apostolicæ sedis auctoritate leges ferre non posse, quæ ad ipsam ecclesiam, ipsiusque ministros pertinerent. Quis denique non miraretur Carolum Magnum sibi auctoritatem propriis legibus Ecclesiam regendi vindicasse, cùm absque Romani Pontificis, ac deinde Synodi Francfordiensis licentia, sibi fas non esse putaverit, episcopum in proprio palatio retinere *propter utilitates ecclesiasticas*?

§. II.

Causæ mixtæ Ecclesiasticorum laicæ jurisdictioni non subdebantur.

EAS causas hìc mixtas Natalis appellat, quæ non solùm ad Ecclesiæ, sed etiam Reipublicæ pacem pertinent, ac de eis, etsi de Clericis agatur, Principibus datum decernere, affirmat. Hanc verò potestatem minimè in eis PP. agnovere, ut ex pluribus potest demonstrari. Nemo igitur nonscit, quas turbas causa Athanasii excitaverit, & majores etiam excitare potuisset, cùm in eum tam dirè Ariani debaccharentur: eam nihilominus ad se trahere Constantinus Imperator recusavit, & a Synodo Tyria judicandam duxit. At quia ibi aderat Dioscorus comes militibus constipatus, unde videbatur in eo judicando sibi aliquid tribuere Imperator, ita Athanasius conquerebatur: *Si istud judicium Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator?* Neque postea ipse Constantius in eum sententiam pronunciare ausus est; cùm tamen S. Præsulem perdere optaret, ac proinde non omnino liberam synodis agendi facultatem conservaret, ita in illum insurgit apolog. 2. *Quis non execretur sub externo Judice .... quæstionem de corpore, & sanguine Domini haberi? Nam si omnino delictum aliquod perpetratum esset, oportebat de eo legitimè in Ecclesia inquiri a Clericis*. In epistola verò ad Solitarios hæc habentur: *Episcopis ad se vocatis jussit Imperator, ut contra Athanasium subscriberent, & cum hæreticis communionem inirent. Quibus admirantibus novum ejus studium, dicentibusque id non esse ecclesiastici canonis, ille subjecit: At quod ego volo pro canone sit. Denunciabant illi Episcopi diem judicii, suadebantque ne ecclesiastica corrumperet, neve Romanum Imperium ecclesiasticis constitutionibus immisceret*: Et infrà: *Si istud est judicium Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? Sin contra minis Cæsaris conflatur, quid opus est hominibus titulo Episcopis? Quando a condito ævo auditum est? Quando judicium Ecclesiæ auctoritatem suam ab Imperatore accepit? Plurimæ antehac Synodi fuere, multa judicia ecclesiæ habita sunt. Sed neque Patres istiusmodi res Principibus persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus ecclesiasticis curiosum præbuit*. Quamvis ergo de causa ageretur, quam tandem conticescere non parum Reipublicæ interesset; nihilominus quia in Episcopum sententia erat pronuncianda, inauditum dicitur in ea sese laicam immiscere potestatem; Ecclesiæ judicia auctoritatem ab Imperatore non accipere; nihil de eis Patres principibus retulisse, nec Principes de rebus ecclesiasticis cognoscere voluisse.

Conducere etiam poterat ad Reipublicæ tranquillitatem de tot illis causis inquirere, quas complectebatur illa libellorum copia. ab episcopis Nicænæ Synodi tempore Constantino oblatorum: at Imperator illos flammis donando ita effatus est: *Istæ criminationes tempus sibi præstitutum habent, diem magni judicii; Judicem autem, qui sit tum de omnibus sententiam pronunciaturus. Mihi verò non est fas, cùm homo sim, ejusmodi causarum cognitionem arrogare: præsertim cùm & qui accusant & qui accusantur, Sacerdotes sint. Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque judicandi. Et ideo nos a vobis rectè judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari*. Hæc quorum meminere Ruffinus, Socrates, Sozomenus, aliique, nobis exhibent ipsius Imperatoris confessionem, qua palam facit suæ potestatis non esse de Ecclesiæ Ministris judicium instituere, qua de re etiam legendi Optatus Milevitanus *lib. 1. contr. Parmen.* & S. Augustinus *ep. 166.* Si proinde Constantinus dixit se esse extra Ecclesiam Episcopum constitutum, ut objicit Natalis in tertio Scholio, non putandum est suam innuere voluisse in Ecclesiæ Ministros jurisdictionem, sed suum erga Religionem, & Ecclesiam studium, ac patrocinium.

Constantinum imitatus est Basilius Imperator subscripturus decretis octavæ synodi de Photii vitiosa ordinatione, & Ignatii Patriarchæ restitutione, quæ causa diu Rempublicam agitaverat: ita igitur loquutus est: *Laico nulla ratione de Ecclesiasticis causis disputandi, aut universam Ecclesiam, Oecumenicamque synodum oppugnandi, fas esse dico. Hæc enim excutiendi, & in utramque partem agitandi, Patriarcharum, Sacerdotum, & Doctorum est officium. Nam laicus, etsi omni pietatis ac sapientiæ laude præstet, tamen laicus est, & ovis, non pastor*. Ita Imperator suæ potestatis non esse de ecclesiasticorum causis cognoscere fatebatur.

Cùm igitur ex PP. auctoritate, ipsorumque Principum confessione, ni quædam extraordinariæ occurrant circumstantiæ, de quibus infra, laicorum potestas, quæ solùm sæcularia respicit, ad Ecclesiæ Ministros non se extendat, satis quidquid juris sit innotescit; unde frustra in pluribus, quæ facta sunt expendendis non immorandum, nihili etenim hæc habenda, ubi ipsis jus contradicit.

§. III.

Post Ecclesiæ judicium non erat Tribunal Imperatoris adeundum: nonnulli tamen casus excipiuntur.

AB ipsis primis Ecclesiæ sæculis Præsules invigilasse, ne post ipsorum judicium causæ ecclesiasticæ ad Principum Tribunal deferrentur, edocemur ex decretis Synodorum Antiochenæ, & Sardicensis. Prima *can. 12.* decrevit, ut Presbyteri, & Diaconi, quos concilium provinciale graviori pœnæ subjecisset, ad numerosius episcoporum concilium possent provocare: *Oportet*, ajunt, *ad majus Episcoporum converti concilium, & quod putaverint habere jus, ad plures episcopos referre, eorumque examinationem, ac judicium suscipere*. Vetavit deinde, ne querelas ad Impera-

torem deferrent, atque aliter agentes noluit ampliùs Ordini, aut dignitati restitui, qua expoliati fuissent: *Si molesti fuerint Imperatori, hos nullâ veniâ dignos esse.* Ad hunc abusum eliminandum etiam Concilium Carthaginense III. an. 391. celebratum ita sancivit can.9. *Item placuit, ut quisquis episcoporum & diaconorum, seu clericorum, cùm in Ecclesia crimen fuerit institutum, si relicto ecclesiastico judicio, publicis Judiciis purgari maluerit, etiamsi pro ipso prolata fuerit sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali judicio &c.* Et Concilium Milevitanum circa idem tempus, ita can.10. decrevit: *Placuit ut quicumque ab Imperatore cognitionem publicorum judiciorum petierit, honore proprio privetur.* Sardicensis verò Synodus ad extirpandam, quæ invalescebat consuetudo, in causis ecclesiasticis Imperatorem adeundi, post Synodi judicium, si Rei ipsius sententiæ nollent acquiescere, appellandum voluit ad Romanum Pontificem. Et quidem rerum naturæ est consentaneum, ut inferiores Superioris opem implorent, ubi inter se conciliandæ pacis viam non adinveniunt, & ut membra ad suum Caput convertantur.

Quod Concilia decrevere, nullatenus omittendum non semel confirmat Carolus Magnus in suis Capitularibus; atque ita solùm Episcopum de Ministrorum Ecclesiæ delictis cognoscere posse, asserit *lib.1. cap.38.* Sive civilia fuerint, sive canonica eorum crimina coram Episcopo vocandos decernit *lib.5. cap.125. & 237. & lib.6. cap.125.* Hujusmodi verò agendi rationem jam traditam ab Apostolo agnoscit *lib.7. cap.107.* ubi hæc habet: *Nec Laico quemquam clericum in sæculari judicio liceat accusare; cùm privatorum Christianorum causas magis Apostolus ad ecclesias deferri, atque ibidem terminari præcipiat.* Demum arcere volens Clericos a flagitando ut Principes illis jus dicerent, quod nonnisi sacros canones infringendo eos fecisse agnoscit, *lib.5. cap.179.* hæc habet: *Placuit ut Monachi, & Presbyteri, necnon & Clerici, qui postposita canonica auctoritate passim palatium adeunt, & nostris sacris auribus importunissimam molestiam inferunt, at non hoc facere præsumant. Quoniam hujusmodi facto & vigor Ecclesiæ contemnitur, & religio sacerdotalis, & professio monastica vilior efficitur.* Hanc canonicam disciplinam strenuè tutatus est inter alios Hincmarus archiepiscopus Remensis; ubi enim agnovit Hincmaro Laudunensi episcopo a regiis Judicibus diem dictum fuisse, & quia obedire renuit, ipsius res occupasse, ab illis peccatum fuisse in S. Scripturam, in S. canones, in Imperatorias constitutiones, & in Caroli Magni capitularia scripsit ad Carolum Calvum, ut videre est in eo Tractatu, quem de hoc argumento lucubravit. Cùm verò postea ipse episcopus Laudunensis, quod ecclesiæ tribunal judicaverat, iterum ad judices sæculares deferendum voluisset, ita in eum insurgit: *Contra canones, qui ab ecclesiasticis ad majoris auctoritatis ecclesiasticos judices, & non a majoribus ad minores, nec ab ecclesiasticis ad sæculares provocari permittant.... non licet tibi postposito, vel contempto ecclesiastico judicio ad sæcularia judicia convolare, vel quemcumque, nec etiam laicam personam pertrahere, neque ad forum suum sequi, si ipsa laica persona consenserit ecclesiasticum subire judicium, sicut lex Valentiniani, quam probat Ecclesia, demonstrat.* Meritò ergo Marcianus Imperator agnovit post Ecclesiæ judicium nil a se præstandum superesse: *Cognovit ille*, ita de eo effatur Facundus Hermianensis l.12. cap.3. *quibus in causis uteretur Principis potestate, & in quibus exhiberet obedientiam Christiani. Et ideo ne impius, atque sacrilegus videretur, post tot Sacerdotum sententiam opinioni suæ nihil reliquit.*

Porro hucusque dicta satis ostendunt, non esse absque limitatione asserendum laicum tribunal titulo patrocinii, de eo, quod ecclesia judicavit, posse iterum cognoscere. Id si universaliter admitteretur, frustra S. canones, ac ipsæ Imperatorum leges ecclesiæ ministros non esse laicorum subditos potestati dixissent; statim etenim vel ipsi Judices laici possent se sub patrocinii titulo in omnibus ipsorum causis immiscere; vel ipsi Clerici ad declinandam ecclesiæ sententiam, laicum tribunal, a quo patrocinarentur, adire.

Nemo nihilominus inficias ibit ecclesiæ ministrum manifestam injuriam apud suos judices passum, posse ad Principis tutelam confugere, quoties iidem judices a sua non discedant iniquitate. Hujusmodi propriæ tutelæ viam in talibus occludere circumstantiis, idem esset ac necessaria defensione illum expoliare, quod ipsum naturæ jura concessit, cùm unicuique tribuat illatam vim majore, si potest, vi repellere. Ita S. Athanasius a latrocinali Tyria synodo damnatus, integram causam suam Imperatori reservavit; cùm ad ipsum confugere, unicum tunc putaret suæ innocentiæ præsidium. Hanc tamen viam aggredi non licet, quoties ab ipsa Ecclesia injustitiam removendam sperare datur; quapropter eam primò adire necesse est: *Ab ipsa ad ipsam confugiant*, ajebat Ivo Carnotensis ep.159. *& inde expectent levamen, unde se conquerantur gravamen accepisse.* Et S. Bernardus ep.108. *Apostolica Sedes hoc solet habere præcipuum, ut non pigeat revocare, quod a se fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.* Quòd si alicui ea adsit animi fortitudo, ut injustitiam quam passus est, & cui apud ecclesiæ tribunal levamen non adinveniat, possit patienter tolerare, Ivo supra citatus illi suadet, ne sæcularem imploret potestatem: *Si qui*, ait, *aliquando se prægravatos ipsius ecclesiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Ægyptum propter auxilium.* Concordat canon *in memoriam dist.19.* quem ut ex Capitularibus Caroli Magni desumptum refert Gratianus.

Si verò ipsis ecclesiæ Ministris conceditur ad manifestam propulsandam injuriam sibi ab ecclesiæ judice, quam removere non vult, illatam, Principum præsidium implorare, & hi sanè poterunt insontibus injustè oppressis opem ferre, & suâ auctoritate protegere. Et quidem, si charitatis titulo id quisque privatus præstare posset, dum vires suppeterent, quomodo denegandum Principi suo patrocinio fovere illum, qui dum ipsius auctoritate non defenderetur, injustum gravamen subiret? Ita putandum est Constantinum, quæ Sylvestro Papæ opponebantur, ad examen revocasse, ut ita omnium ipsi maledicentium os obstrueret. Etiam PP. Concilii Romani in epistola ad Gratianum, & Valentinianum Imperatores ipsis gratantur, quia ipsorum judicio Pontificis Damasi innocentia adversùs criminationes Ursicini, ejusque Asseclarum probata appareret. Videatur Sfondratus *Gall. Vindic. dissert.3. §.2. n.6.*

Demum nulli dubium est, quòd si aliquis ecclesiæ Minister reipublicæ paci infensus, eamdem perturbaret, ac in illum ecclesiæ tribunal non animadverteret, vel qualibet cunctatio in hujus expectando judicio esset perniciosa, Principis esset qua meliori posset via imminenti malo occurrere. Cùm potissimum Principis munus sit publicæ tranquillitatis hostes evertere, eamque pro suo virili tutari, Defensoria officium negligeret, quoties adversùs hujusmodi homines non insurgeret.

Nota,

Nota.

NON ex sola ecclesiæ consuetudine ante Siricii Decretalem cælibatum in ecclesiæ ministris viguisse, docet Thomassinus *Vet. & Nov. Eccles. Discipl. p.1. l.2. c.60.* sed etiam ex sacrorum canonum præcepto. Ad id probandum refert S. Epiphanium, qui *in Expos. Fid. Cathol. n.21.* collegium sacerdotale, in quo etiam Subdiaconos recenset, ex solis virginibus conflatum docet, & lege apostolica sancitum fuisse affirmat *hæres.48. num.7.* Non moribus pariter tantùm, & consuetudini continentiæ sacerdotalis legem inniti declarat *hæres.59. n.4.* sed & ipsis sacris canonibus: & proinde viguisse, ubi *ecclesiastici canones accuratè servantur*. Concludit demum in desuetudinem abiisse ob corruptelam, quæ in ecclesiæ leges irrepserat: *Respondeo*, ait, *non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere solet*. S. Epiphanio concinit S. Isidorus Pelusiota *lib.5. ep.75.* ubi loquens de castitate a Sacerdotibus servanda, ita ait: *Hoc quidem leges, & ecclesiastica instituta sanciunt: verùm haud admodum tamen istud fit. Quam autem ob causam non est meum commemorare*. Hinc audiendus non videtur Socrates, asserens *l.5. cap.21.* episcopos, & presbyteros nulla ecclesiastica lege, sed sola voluntate ab uxoribus abstinuisse, sed potiùs PP. quos recenset Thomassinus, fides est adhibenda. Monet etiam iste Auctor, quòd etsi sacri canones ad ea usque tempora non aliud decrevisse videantur, quàm post ordinationem non potuisse ecclesiæ ministros nuptias inire, malè ex hoc inferretur prioris conjugis consuetudinem concessisse. Id ex sola indulgentia toleratum dicit; nam *Si vigore legum*, ajebat S. Epiphanius, *emendatum fuisset, fortè ex ipso medicamine morbus evasisset deterior*.

CAPUT III.

De Hæresibus, & Schismatibus, quibus Ecclesia sæculo quarto turbata est.

ECclesiam quarto sæculo turbarunt Donatistæ, Meletiani, Ariani & Semi Ariani, Colluthiani, Audiani, Eustathiani, Macedoniani; Aëtiani, & Anomæi, Aëriani, Photiniani, Messaliani, Luciferiani, Apollinaristæ, Priscillianistæ, Helvidiani, Jovinianistæ, Discalceati, Collyridiani, Bonosiaci; de quibus singulis articulis agendum est. Est etiam hoc sæculo vexata diro Schismate Antiochena Ecclesia, cujus caussam, initia, progressum explicabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Schismate & Hæresi Donatistarum.

§. I.

De Schismatis istius origine & Auctore.

ANno Christi ter centesimo undecimo Lucilla Hispana mulier, præpotens & factiosa, Carthagine morabatur, quæ a Cæciliano Carthaginensis Ecclesiæ Archidiacono reprehensa, quòd ante sacram Communionem, os cujusdam hominis mortui, etsi Martyris, sed nondum vindicati, & ab Ecclesia agniti, superstitiosis osculis veneraretur, ulciscendi sui captabat occasionem. Fortè accidit ut Mensurius Carthaginensis Episcopus a Maxentio Romam evocatus, propterea quòd Diaconum quemdam Felicem nomine, famosæ contra dictum Tyrannum Epistolæ auctorem apud se occultasset, nec repræsentare vellet, senioribus Ecclesiæ vasa & ornamenta commendaret. Quo mortuo, Cæcilianus in ejus locum electus est, & a Felice Aptungitano ordinatus; qui cùm a senioribus illis depositum sacrum repeteret, hi communionem ejus aversati sunt. Iisque se Lucilla conjunxit, cum Botro & Cælesio; qui eundem Episcopatum ambierant, & spe suâ fuerant dejecti. Sic tribus convenientibus caussis, & diversis personis, ingens Schisma conflatum est, quod confusæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit. Ut autem Schismati suo colorem aliquem oblinirent, vitiosam esse Cæciliani Ordinationem confinxerunt, quòd Felix Aptungitanus ejus ordinator, sacros codices tempore persecutionis infidelibus tradidisset: & ipse Cæcilianus Confessoribus olim in carcere constitutis victum afferri prohibuisset. Exinde Secundum Tigisitanum, Numidiæ Primatem, Traditorum Principem, cum aliis ejusdem notæ Episcopis Carthaginem convocarunt: qui Majorinum in sedem Carthaginensem intruserunt, damnato priùs Cæciliano in Conciliabulo 70. Episcoporum, qui traditionis crimine infames, & a Lucilla muneribus redempti erant. Hæc referunt S. Augustinus lib. de Hæresibus cap.69. & in Breviculo Collationis diei tertiæ, cap.14. & Epistolâ 162. Glorio, Eleusio, & aliis inscripta, & Optatus Milevitanus lib.1. contra Parmenianum, pagg.40. & 41.

Primus Auctor & præcipuus incentor Schismatis Donatistarum, fuit Donatus a Casis Nigris Episcopus, a quo Majorinus ordinatus est. Ab altero tamen Donato, qui Majorino suffectus est, appellari postea maluere, & eo velut sectæ suæ principe gloriati sunt. S. Augustinum aliquando fefellit similitudo nominis, ut Donatum Carthaginensem primum Schismatis auctorem a Melchiade Pontifice Maximo damnatum existimaret. Quod ipse testatur lib.1. Retractationum cap.21. *Librum scripsi*, inquit, *contra Epistolam Donati, qui partis Donati secundus post Majorinum Episcopus apud Carthaginem fuit.... Quod dixi, Donatum, cujus Epistolam refellebam, egisse ut Imperator inter ipsum & Cæcilianum transmarinos Episcopos judices daret; non ipsum, sed alium Donatum, ejusdem tamen Schismatis, hoc fecisse probabilius invenitur. Ille autem non erat Carthaginensis Donatistarum Episcopus, sed a Casis Nigris, qui tamen primus apud Carthaginem ipsum nefarium Schisma commisit.*

Auctor schismatis Donatistarum non fuit Donatus Carthaginensis.

§. II.

Quid apud Constantinum Imperatorem egerint Schismatici Donatistæ?

SEse tutum satis existimabat Cæcilianus adversùs furentes Schismaticos, quòd communione conjunctus esset Romanæ Ecclesiæ, ut testatur S. Augustinus Epistolâ 162. *Posset*, inquit, *Cæcilianus non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse conjunctum, ubi paratus esset caussam suam dicere, si adversarii ejus ab eo illas Ecclesias alienare conaren-*

ventur. Noverant aliundè Schiſmatici, Cæcilianum gratiſſimum eſſe Conſtantino Magno, nec conſilia in illum ſua fœliciter ceſſura, niſi Imperatorem ſuas in partes quoquomodo pertraherent. Quapropter Anulinum Africæ Proconſulem interpellarunt, ut quos adversùs Cæcilianum ſcripſerant libellos, ad Conſtantinum mitteret. Annuit ipſorum votis Anulinus, & Cæciliano in ſtatu ſuo manente, Conſtantinum tunc in Galliis agentem de his omnibus certiorem fecit. Id conſtat ex Epiſtola 68. S. Auguſtini ad Januarium Donatianæ partis Epiſcopum datâ, in quâ & Anulini relationem ad Conſtantinum Imperatorem ad verbum refert: & ex Optato Milevitano, lib. 1. adversùs Parmenianum, pag. 44. ubi libelli ſupplicis Conſtantino a Donatiſtis oblati, & ab Anulino ad Imperatorem tranſmiſſi, hunc fuiſſe tenorem teſtatur: *Rogamus te, o Conſtantine optime Imperator, quoniam de genere juſto es, cujus pater inter cæteros Imperatores perſecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia (Nam in Africa inter nos & cæteros Epiſcopos contentiones ſunt:) ut de Gallia nobis judices dari præcipiat Pietas tua. Data a Luciano, Digno, Naſſutio, Capitono, Fidentio, & cæteris Epiſcopis partis Donati*. Ex quibus perperam colligit Baronius illos in Gallias ad Conſtantinum navigaſſe. Quaſi verò ipſorum Libellum non direxiſſet ad Imperatorem Anulinus: aut quaſi omnes Epiſcopi Donatiani in Gallias navigaſſent, quia omnes huic Libello ſubſcripſerunt.

§. III.

Quid in cauſſa Donatiſtarum egerit Conſtantinus Magnus?

Lectis Donatiſtarum libellis, Conſtantinus, teſte Optato Milevitano, ſubiraeundè reſpondit: *Petitis a me in ſæculo judicium, cùm ego ipſe Chriſti judicium expectem*. Dedit tamen judices Imperator, Maternum Agrippinenſem, Rheticium Auguſtodunenſem, Marinum Arelatenſem, qui cum Melchiade, & aliis Epiſcopis Italis ab ipſo deligendis cauſſam Cæciliani judicarent, ut conſtat ex Optato Milevitano, lib. 1. adversùs Parmenianum pag. 44. ex S. Auguſtino in Breviculo Collationis diei 3. & Epiſt. 62. Porrò de Concilio Romano ſub Melchiade, deque rebus in eo geſtis, ſuo loco agemus. Expendemus etiam, utrùm jure Conſtantinus judices deſignaverit Donatiſtis, & Concilia decreverit, quæ de Cæciliani cauſſa & ipſorum Schiſmate judicium ferrent.

Donatiſtæ, cum ſuo principe Donato a Caſis Nigris, in Concilio Romano, anno 313. damnati, ad Imperatorem Conſtantinum provocaverunt. Quâ de appellatione Optatus Milevitanus lib. 1. p. 44. ait: *Sufficit ergo & Donatum tot ſententiis eſſe percuſſum, & Cæcilianum tanto judicio eſſe purgatum: & tamen Donatus appellandum eſſe ab Epiſcopis credidit. Ad quam appellationem Conſtantinus Imperator ſic reſpondit: O rabida furoris audacia! ſicut in cauſſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt*. Quæ verba deſumpta ſunt ex Epiſtolâ Conſtantini ad Epiſcopos datâ poſt Concilium, quæ extat in appendice ad Optatum, & tomo 1. Conciliorum.

De eadem appellatione S. Auguſtinus Epiſtolâ 162. *Scitote*, inquit, *quòd primi majores veſtri cauſſam Cæciliani ad Imperatorem Conſtantinum detulerunt. Exigite hoc a nobis, probemus vobis, & ſi non probaverimus, facite de nobis quicquid potueritis. Sed quia Conſtantinus non eſt auſus de cauſſa Epiſcopi judicare, eam diſcutiendam atque finiendam Epiſcopis delegavit, quod & factum eſt in urbe Roma, præſidente Melchiade Epiſcopo illius Eccleſiæ cum multis Collegis ſuis. Qui cùm Cæcilianum innocentem pronuntiaſſent, & Donatum, qui Schiſma Carthagine fecerat, ſententiâ percuſſiſſent; iterum veſtri ad Imperatorem venerunt, & de judicio Epiſcoporum, in quo victi fuerunt, murmuraverunt. Quomodo enim poteſt malus litigator laudare judices, quibus judicantibus victus eſt?* Et Epiſtolâ 162. *Judices enim Eccleſiaſticos, tantæ auctoritatis Epiſcopos, quorum judicio & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata eſt, non apud alios Collegas, ſed apud Imperatorem accuſare auſi ſunt, quòd malè judicaverint*.

Iterùm tumultuantibus in Africa Donatiſtis, Felicemque Aptungitanum Epiſcopum, Cæciliani ordinatorem, traditionis accuſantibus, ut in ipſum quoque Cæcilianum labes illa refunderetur; de mandato Conſtantini Imperatoris cognitionem illius cauſſæ ſuſcipiens Proconſul, Voluſiano & Aniano Conſulibus, 15. Calendas Martii anno Chriſti 314. Poſt varias Donatiſtarum detectas falſitates, & ſuperatas fraudes, Ingentio etiam ſcriba falſi convicto, & crimen confeſſo, Felicem recto & legitimo judicio innocentem pronuntiavit. Sic autem a Proconſule dictam ſententiam refert Optatus Milevitanus lib. 1. pag. 45. *Felicem autem Religioſum Epiſcopum, liberum eſſe ab exuſtione Inſtrumentorum deificorum manifeſtum eſt, cùm nemo in eum aliquid probare potuerit, quòd religioſiſſimas Scripturas tradiderit, vel exuſſerit. Omnium enim interrogatio ſuprà ſcripta manifeſta eſt, nullas Scripturas deificas vel inventas, vel corruptas, vel exuſtas fuiſſe*. Addit Optatus: *Hoc Actis continetur, quòd Felix Epiſcopus Religioſus, illis temporibus neque præſens fuerit, neque conſcientiam accommodaverit, neque aliquid tale fieri juſſerit. Unde pulsâ, atque exterreâ infamiâ, cum ingenti laude illo judicio receſſit*. Idem conſtat ex S. Auguſtino, lib. poſt Collationem contra Donatiſtas capp. 22. & 33. *Hæc ergo cauſſa Felicis*, inquit, *diſcuſſa eſt Proconſulari judicio, ubi liquidiſſimè innocentia Felicis apparuit*. Sed de his uberiùs in Diſſertatione de iure Conſtantini in cauſſa Cæciliani, & Felicis Aptungitani. Legatur interim Epiſtola S. Auguſtini 152. & Epiſtola Conſtantini, ad Probianum Africæ Proconſulem, inſerta Epiſtolæ 68. Sancti Auguſtini, & Acta Proconſularia purgationis Felicis, quæ extant ad calcem Optati Milevitani. Quod verò cauſſam Cæciliani ſpectat. cùm Donatiſtæ adversùs Melchiadis, & Romanæ Synodi judicium expoſtulaſſent, Conſtantinus Synodum Arelate indixit, in qua iterum diſceptata eſt, & ſecundùm Cæcilianum dicta ſententia, ut conſtat ex S. Auguſtino Epiſtolis 68. 162. & alibi paſſim, ſed de Concilio Arelatenſi ſuo loco agemus.

A Concilii Arelatenſis judicio iterùm Conſtantinum appellarunt Donatiſtæ perduelles, a quo Romam primùm, deinde Mediolanum venire juſſi, ibi poſtremò damnati ſunt, additâ exilii pœnâ, quam idem poſtea Conſtantinus remiſit. Id conſtat ex S. Auguſtino, locis mox laudatis. Cùm verò toties cauſsâ cecidiſſent, Conſtantinum ultimò Cæcilianum abſolventem corruptum calumniabantur, ut teſtatur S. Auguſtinus lib. 1. contra Epiſtolam Parmeniani, cap. *Nec tamen*, inquit, *negat Parmenianus rursùs ... ad Conſtantinum veniſſe: & quia ibi quoque ultimo judicio ſuperati ſunt, etiam ipſum gratiâ corruptum criminantur. Quibus omnibus conſideratis, qui ſine ſtudio partium judicat, eligat quibus credat; utrùm judicibus ſententias proferentibus, an litigatoribus contra quos prolata ſunt, litem finire nolentibus. Certè orbis terrarum judicibat credidit*, &c. Eodem

in

in libro cap. 8. sententiam capitis in Donatistas latam S. Augustinus testatur; eorumque calumniam propellit, quâ id immaniter jussisse Constantinum, suggerente Osio, criminabantur.

§. IV.

De Erroribus Donatistarum.

SChisma Donatistarum in hæresim evasit. Cujus hi præcipui errores. Primò, Baptismum extra Ecclesiam collatum, nullum esse contendebant; & quia Ecclesiam a toto terrarum orbe defecisse, & intrà suam sectam coarctari comminiscebantur, ideò Catholicos a se deceptos, suoque Schismati implicitos rebaptizabant, ut testatur S. Augustinus lib. de Hæresibus cap. 69. lib. 2. contrà Epistolam Parmeniani, in septem libris de Baptismo contrà Donatistas, lib. de unico Baptismo contrà Petilianum, & alibi passim.

Secundò, Ecclesiam, ut mox innui, in cæteris orbis regionibus, Traditorum contagio, malorumque communione, periisse asserebant, & in Africa remansisse, in sola parte Donati; ad illudque commentum suum fulciendum verbis Sponsæ in Canticis Canticorum abutebantur: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie:* illum enim textum errori suo favere arbitrabantur, quòd Africa in meridiana orbis parte sit constituta, ut testatur S. Augustinus lib. de Unitate Ecclesiæ, cap. 16. undè Donatistas non de Capite, sed de corpore a Catholicis dissentire scribit, cap. 5. ejusdem Libri: *Totum igitur*, inquit, *quod annunciatur de Christo, caput & corpus est. Caput est ipse unigenitus Jesus Christus, Filius Dei vivi, ipse Salvator corporis, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Corpus ejus Ecclesia, de qua dicitur: Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi. Inter nos autem & Donatistas quæstio est, ubi sit hoc corpus, id est, ubi sit Ecclesia.*

Hinc etiam libro 2. contra literas Petiliani Donatistæ cap. 51. sic illos Hæreticos affatur; *Verba legis dicitis, sed in quos dicatis, non attenditis: sicut diabolus verba legis dicebat, sed cui diceret, non agnoscebat. Ille Caput nostrum sursùm ascensurum, deorsùm volebat dejicere: vos autem corpus ejusdem Capitis, quod per totam terram diffusum est, ad exiguam partem vultis redigere.* De eodem Donatistarum errore legendus est Optatus Milevitanus lib. 2. pag. 46.

Tertiò, Ecclesiam Catholicam meretricem vocabant, ut refert S. Augustinus in Concione de gestis cum Emerito: *Psalmum lego*, inquit: *Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar. Si rectè persequor occultè proximo detrahentem, non rectè persequor Dei Ecclesiam publicè blasphemantem, quando dicit, Non est ipsa; quando dicit, Nostra est quæ in parte est; quando dicit, Illa meretrix est?* Ex quibus innotescit quos Magistros habeant hujus temporis Hæretici, qui Catholicam Ecclesiam conviciis proscindunt, & in pusillo suo grege veram Ecclesiam coarctatam effutiunt.

Præter hos errores, Donatus Carthaginensis Arianæ hæreseos fuligine intinctus fuit. Id testatur Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum, cap. 69. ubi de illo ait: *Extant scripta ejus, ubi apparet eum etiam non Catholicam de Trinitate habuisse sententiam: sed quamvis ejusdem substantiæ, minorem tamen Patre Filium, & minorem Filio putasse Spiritum Sanctum. Verùm in hunc, quem de Trinitate habuit, ejus errorem Donatistarum multitudo intenta non fuit, nec facilè in eis quisquam qui hoc illum sensisse noverit invenitur.* Falsò itaque Theodoretus de Donatistis generatim ait: *Hi quod hæresim attinet cum Ario sentiunt.* De eodem S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ait; *Extant ejus multa ad suam hæresim pertinentia, & de Spiritu Sancto liber Ariano dogmati congruens.*

Donatum communione cum Arianis junctum fuisse fidem facit Epistola Synodalis in Conciliabulo Sardicensi ab Arianis ad ipsum data, quæ extat apud S. Hilarium Libro Fragmentorum, & tom. 1. Conciliorum, ex qua cùm probare vellet Cresconius Grammaticus Orientales Donato Carthaginensi communicasse, S. Augustinus lib. 3. contra Cresconium cap. 34. respondit: *Disce quod nescis: Sardicense Concilium Arianorum fuit, quod notum jamdiu est, ut habemus in manibus, contractum maximè contra Athanasium Episcopum Alexandrinum Catholicum, qui eorum errorem ex ipsa civitate ortum, præ cæteris acriter arguebat, & refellebat. Non igitur mirum, si illi hæretici Donatum sibi adsciscere tentaverunt, quos per totum orbem Catholica damnabat Ecclesia: quamquam nos sine civitatum nominibus Episcopos, ad quos hæ literæ datæ sunt, habeamus. Aut ergo aliquis Donatus fuit, non in Africa Episcopus, cui nomini Carthago a vestris est addita; aut, ut dixi, Africanam hæresim Orientalis hæresis sibi tentavit adjungere. Quòd hinc maximè credibile est, quòd ad Carthaginis Episcopum, Romano prætermisso, nunquam Orientalis Catholica scriberet.*

§. V.

De moribus Donatistarum.

I. DOnatistæ sacro-sancta Ecclesiæ Sacramenta indignissimè tractarunt, Eucharistiam canibus projicientes, & sanctum Chrisma effundentes. Id refert Optatus Milevitanus lib. 2. pag. 55. *Ut omnia*, inquit, *sacro-sancta vestri Episcopi violarent, jusserunt Eucharistiam canibus fundi, non sine signo divini judicii. Nam iidem canes accensi rabie, ipsos Dominos suos quasi latrones sancti Corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos & inimicos laniaverunt.*

Et ibidem: *Ampullam quoque Chrismatis, per fenestram, ut frangerent, jactaverunt: & cùm casum adjuvaret abjectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam spiritali subvectione deduceret: projecta casum sentire non potuit: Deo muniente, illæsa inter saxa consedit.*

Calvinistarum Hæresim hæc Historia damnat, qui nec sacrum Chrisma venerantur; nec Eucharistiam Christi Corpus esse credunt, nec altaria ulla habent: sed illa polluerunt, & everterunt, facto Schismate Donatistis simillimi.

II. Altaria etiam evertere solitos Donatistas testatur idem Optatus initio Libri 6. pag. 93. *Quid est*, inquit, *tam sacrilegum, quàm altaria Dei in quibus & vos aliquando obtulistis, frangere, radere, removere? In quibus vota populi & membra Christi portata sunt: quò Deus omnipotens invocatus sit: quò postulatus descendit Spiritus Sanctus: unde a multis pignus salutis æternæ & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est. Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non jussit Salvator poni, nisi quæ essent de pace condita. Quid est enim altare, nisi sedes Corporis & Sanguinis Christi? Hæc omnia furor vester aut rasit, aut fregit, aut removit.... Quid perditorum conductam referam multitudinem, & vinum in mercedem sceleris datum? Quod ut immundo ore, sacrilegis haustibus biberetur, calida de fragmentis altarium facta est. Si livoris judicio nos vobis sordidi videbamur, quid vobis fecerat Deus, qui illuc invocari consueverat? Quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa momenta Corpus & Sanguis ha-*

habitabat? Quid vos offendistis, etiam vos ipsi, ut illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spatia sanctè, ut arbitramini, obtulistis? Dum impiè persequimini manus nostras illic, ubi Corpus Christi habitabat, feriistis & vestras. Hoc modo Judæos estis imitati. Illi injecerunt manus Christo in cruce: a vobis percussus est in altari.

Quòd si ab altarium eversione aliquandò temperarent Donatistæ, ea sacrilego ritu radebant, quasi a Catholicis violata. Id testatur Optatus lib. 6. p. 94. ubi sic ipsos insectatur: *Quæ est ista nova & stulta sapientia, novitatem quærere in visceribus vetustatis, & remotâ quasi quadam corporis cute in latente corpore cutem quasi alteram quærere? .... Rasisti equidem quod tibi visum est: sed adhuc ibi est quod odisti. Quid, quod si sic conjurastis, ut quæ a nobis in nomine Dei in ipso Mysterio tacta sunt, immunda viderentur? Quis fidelium nescit, in peragendis Mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri? Inter ipsa Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum. Aut si tactu possit penetrari velamen, ergo penetratur & ligna. Si penetrari possunt ligna, penetratur & terra. Si a vobis lignum raditur, & terra, quæ subter est, fodiatur, altam facite scrobem, dum pro vestro quæritis arbitrio puritatem. Sed observate ne veniatis ad inferos, & illic inveniatis Core, Datan, & Abiron Schismaticos, Magistros scilicet vestros.*

III. Calices etiam sacros frangebant, & conflabant impii Donatistæ, ut testatur idem Pater pag. 95. Libri citati. *Hoc tamen immane facinus geminatum est*, inquit, *dum fregistis etiam Calices Christi Sanguinis portitores, quorum species revocastis in massas, mercem nefariis nundinis procurantes, ad quam nec emptores eligere voluistis sacrilegi, dum inconsideratè vendidistis. Passi estis etiam comburi manus vestras, quibus ante nos eosdem Calices tractabatis. Eam rem tamen passim vendi jussistis. Emerunt forsan in usus suos sordida mulieres. Emerunt Pagani, facturi vasa in quibus incenderent Idolis suis. O scelus nefarium! o facinus inauditum! auferre Deo, quod Idolis præstes: subducere Christo, quod proficiat sacrilegio.*

IV. Codices, pallas & vela sacra per vim extorquebant, & velut profanata a Catholicis purificabant, ut constat ex eodem Auctore lib. 6. pag. 98. *Velamina*, inquit, *& instrumenta dominica extorsistis, quæ jamdudum fuerant in communione possessa. Extorsistis cum codicibus pallas. Indicate quid de codicibus feceritis: in omnibus judicium providentia vestra debet esse æquale. Aut utrumque lava, aut utrumque dimitte. Quòd si aliter facias, corrupisti diligentiam tuam. Pallam lavas, codicem non lavas. Si in una parte bonum, in altera malum est, non potes negare offendere in una, si in altera promereris.*

V. Donatistæ usurpata Catholicorum templa iterùm benedicebant, ut refert Optatus ibidem. *Dicite*, inquit, *Frater Parmeniane, quid vobis fecerat locus? quid ipsi parietes, ut ista paterentur? An quia illic rogatus est Deus? An quia illic invocatus est Spiritus sanctus? An quia vobis absentibus illic Propheta, & sancta Evangelia recitata sunt? An quia illic fratrum jamdudum litigantium concordaverant mentes? An quia unitas Deo placita, in qua habitabat, invenerat domum? Indicate quid illic lavare potuistis? Si Catholicorum vestigia: & in vico, & in platea calcavimus: quare non omnia emendatis? Nam & sordentium corporum causâ, eadem nos & vos lavacra pariter abluerunt. Et ante vos frequenter nostrorum loti sunt multi. Si post nos purificanda putatis omnia, lavate & aquam si potestis*, &c.

VI. Sacras Virgines, quæ in Catholica Ecclesia votum emiserant, ad secundam professionem cogebant, postquam eas Pœnitentiæ subjecissent. Hujus rei fidem facit Optatus lib. 6. pag. 96. *Jam illud*, inquit, *quàm stultum, quàm vanum, quod ad voluntatem, & quasi ad dignitatem vestram revocare voluistis, ut Virgines Dei agerent Pœnitentiam, ut jamdudum professa signa voluntatis capitibus, postea vobis jubentibus immutarent: ut mitrellas aureas projicerent, alias acciperent?*

Et pag. sequenti: *Spiritale nubendi hoc genus est. In nuptias Sponsi jam venerant voluntate & professione sua, & ut sæcularibus nuptiis se renuntiasse monstrarent, spiritali Sponso solverant crinem. Jam cælestes celebraverant nuptias. Quid est quòd eas iterùm crines solvere coëgistis? Quid inquam, quod ab ipsis per vos est exacta professio secunda? Quis est alter spiritalis sponsus, cui iterum nuberent? Quando mortuus est cui nupserant, ut alteri nubant? Nudastis denuo capita jam velata, de quibus professionis detraxistis indicia, quæ contra raptores, aut petitores viderentur inventa. In mitrella indicium est voluntatis, non castitatis auxilium, ut rem jam Deo devotam, ne qui sponsabat, perseveret petere, aut ne raptor audeat violare. Signum est ergo, non Sacramentum. Invenistis igitur hujusmodi Virgines, quæ jam spiritaliter nupserant, quasi secundas coëgistis ad nuptias; ut crines iterùm solverent imperastis.*

Et infrà: *Detraxistis igitur non capitis ornamenta, sed bonæ voluntatis indicia. Jam consecratas Deo aspersistis immundis cineribus: crines jussistis etiam falsâ aquâ perfundi.*

VII. Immanitatem & sævitiam erga Catholicos maximam exercuerunt Donatistæ sub Juliano præsertim Apostata, ut refert Optatus lib. 2. pag. 54. *Erubescite*, inquit, *si ullus est pudor. Eâdem voce vobis libertas est reddita, quâ voce Idolorum patefieri jussa sunt templa. Eisdem penè momentis vester furor in Africam revertitur, quibus diabolus de suis carceribus relaxatur. Et non erubescitis, qui uno tempore cum inimico communia gaudia possidetis! venistis rabidi, venistis irati; membra laniantes Ecclesiæ: subtiles in seductionibus, in cædibus immanes, filios pacis ad bella provocantes. De sedibus suis multos fecistis extorres; cùm conducta manu venientes basilicas invasistis. Multi ex numero vestro per loca plurima cruentas operati sunt cædes, & tam atroces, ut de talibus factis ab illius temporis judicibus relatio mitteretur. Sed intervenit & occurrit judicium Dei, ut ille, qui vos jamdudum redire jusserat, Imperator profanus & sacrilegus, moreretur, qui persecutionem, vobis provocantibus, jam miserat, aut mittere disponebat. Operata est apud loca supradicta in Catholicos trucidatio. Memoramini per loca singula qui fuerint vestri discursus. Nonne de numero vestro fuerunt, Felix Diabensis, Januarius Flamen Pistensis, & cæteri qui totâ celeritate cucurrerunt ad Castellum Lemellense: ubi cùm contra importunitatem suam viderent Basilicam clausam, præsentes jusserunt comites suos, ut ascenderent culmina, nudarent tecta, jactarent tegulas: Imperia eorum sine mora completa sunt: & cùm altare defenderent Diaconi Catholici, tegulis plurimi cruentati sunt, duo occisi sunt.*

Hanc Donatistarum in Catholicos sævitiam exaggerat S. Augustinus Epistolâ [illegible]8. his verbis ipsos urgens: *De nobis ergo quod queramini non habetis, & tamen Ecclesia Catholica mansuetudo etiam ab his Imperatorum jussionibus omninò conquieverat, nisi vestri Clerici & Circumcelliones per suas immanissimas improbitates furiosasque violentias quietem nostram perturbantes, atque vastantes, hæc in vos recoli & moveri coëgissent. Nam priusquam leges istæ, de quibus modò queri mini, ve-*

Leges illæ de quibus loquitur S. Augustinus, ab Honorio Imperatore latæ sunt anno Christi 398. quibus pœna capitis in Donatistas decreta est, cùm antea mulctâ tantùm pecuniariâ plecterentur.

venissent in Africum, insidias in itineribus nostris Episcopis tetenderunt, Conclericos nostros plagis immanissimis quassaverunt, Laicis quoque & plagas gravissimas inflixerunt, & intulerunt eorum ædificiis incendia. Presbyterum etiam quemdam quia propriâ & liberâ voluntate unitatem nostræ communionis elegit, de domo sua ruptum, & pro arbitrio immaniter cæsum, in gurgite etiam cœnoso volututum, burdâ vestitum, cùm quibusdam dolendum, quibusdam ridendum, in pompa sui facinoris ostentassent, abductum indè quò voluerunt, vix post dies duodecim dimiserunt.

Et ibidem: *Vos dicitis pati persecutionem; & oculi nostri ab armatis vestris calce & aceto extinguuntur.*

VIII. Nec in vivos tantùm; sed in defunctos etiam Catholicos Donatistas sævisse, testatur Optatus lib.6. pag. 99. *Quid referam etiam*, inquit, *illam impietatem de vestra conjuratione venientem? Quia ad hoc Basilicas invadere voluistis, ut vobis solis cœmeteria vendicetis: non permittentes sepeliri corpora* Catholica: *ut terreatis vivos, malè tractatis & mortuos, negantes funeribus locum. Si inter viventes fuerat certamen, odia vestra vel mors aliena compescat. Jam tacet cum quo paulò ante litigabas. Quid insultas funeri? quid rumpetis sepulcrum? quid cum mortuis litigas? perdidisti malitiæ fructum. Et si corpora non vis in unum quiescere, animas tamen in uno apud Deum positas non poteris separare.*

IX. Donatistæ, prætextu martyrii, sibi ipsis violentas manus frequenter inferebant, ut testatur S. Augustinus libro 1. contra Gaudentium, cap.28. *Sed nunc planè*, inquit, *cùm parcente vobis mansuetudine Christiana, ita in vobis sævit vestra dementia, ut [quemadmodum dicis] caminorum reperto compendio, vestras animas rapiatis, omnimodò vos a vobis ipsis pati persecutionem, nimia est impudentia, si negatis: quando vos utrumque completis, & undè justè persequi, & quid peritis. Sic autem dicis, tot hominum millia esse qui hoc faciunt, quasi non etiam ista sit non parva caussa, cur ab hujusmodi magisterio vestro Africa liberetur. Eorum est enim hominum genus cui hoc malum persuadere potuistis, qui solent hac & antea facere, maximè cùm idololatriæ licentia usquequaque ferveret, quandò isti Paganorum armis festa sua frequentantibus irruebant. Vovebant autem Pagani juvenes idolis suis, quis, quot occideret. At isti gregatim hinc atque indè confluenter, tanquàm in amphiteatro a venatoribus more immanium bestiarum venabulis se oppositis ingerebant; furentes moriebantur, putrescentes sepeliebantur, decipientes colebantur. Præter hæc sunt saxa immania, & montium horrida prærupta, voluntariorum creberrimis mortibus nobilitata vestrorum: aquis & ignibus rariùs id agebant, præcipitiis greges consumebantur ingentes. Ætatis nostræ hominibus res notissimas loquor. Quis enim nescit hoc genus hominum in horrendis facinoribus inquietum, ab utilibus operibus otiosum, crudelissimum in mortibus alienis, vilissimum in suis, maximè in agris territans, ab agris vacans, & victûs sui caussâ cellas circumiens rusticanas, undè & Circumcellionum nomen accepit, universo penè mundo famosissimum, Africani erroris opprobrium?* Legatur & caput 27. ejusdem Libri, & sequentia, ex quibus innotescet præfatos hæreticos furorem suum exemplo Raziæ defendisse, quem secundus Machabæorum liber sese gladio percussisse memorat, & e muro dedisse præcipitem, ac deinde intestina sua discerpsisse. Quod facinus ipsis nullatenus favere ostendit ibidem S. Augustinus: quia Razias non sapientiæ, sed insipientiæ dedit exemplum, non Christi Martyribus, sed Donati Circumcellionibus imitandum; & Scriptura ejus mortem mirabiliorem, quàm prudentiorem, refert quemadmodum facta sit; non laudat tanquam facienda esset.

X. Quod Hæreticorum proprium est, Donatistæ Monachorum hostes erant infensissimi, ut testatur S. Augustinus in Psalmum 132. ubi illos inducit quærentes: *Quid sibi vult nomen Monachorum? ostendite ubi scriptum sit nomen Monachorum. Quare ergo*, inquit S. Augustinus, *non appellemus Monachos, cùm dicat Psalmus: Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum? μόνος enim unus dicitur, & non unus quomodocumque; nam & in turba est unus; sed unà cum multis unus dici potest: μόνος id est solus: μόνος enim unus solus est. Qui ergo sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut sit illis*, verè *quod scriptum est; una anima & unum cor, rectè dicitur μόνος id est, unus solus.* Et post pauca; *Meritò insultant nomini unitatis, qui se ab unitate præciderunt. Meritò illis displicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum fratribus; sed sequentes Donatum, Christum dimiserunt.*

S. Augustinus de Petiliano Donatista loquens, lib. 3. contra ejus literas, ait: Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem Monasteriorum, & Monachorum, arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ a me fuerit institutum.

§. VI.

De Schismate Donatistarum inter se.

ANno Christi 344. Siricio Pontifice Maximo, Theodosio Imperatore, cùm obiisset Parmenianus tertius Donatistarum Episcopus, in ejus locum ab ipsis suffectus est Primianus, adversùs quem postea ab aliis Donatistis creatus est Maximianus Diaconus; sicque ingens inter eos conflatum est Schisma, ut alii Primianistæ, alii Maximianistæ dicerentur.

Plura hinc indè celebrata sunt a Schismaticis factionibus Concilia. Unum ab Episcopis quinquaginta tribus partis Maximiani apud Caveroas-Susis propè Carthaginem coactum anno Christi 304. in quo damnatus est Primianus, & communione interdictus, has ob caussas: Primò, quia super vivos Episcopos alios subrogavit. Secundò, quòd incestos cum Sanctorum Communione miscuerit. Tertiò, quòd Episcopos ad conjurationem constringere pertentarit. 4. Quòd Fortunatum Presbyterum in cloacam fecerit mitti, cùm ægrotantibus Baptismo succurrisset. 5. Quòd communionem Demetrio Episcopo denegarit, ut cogeret filium abdicare. 6. Quòd idem Presbyter objurgatus sit, quòd Episcopos hospitio suscepisset. 7. Quòd multitudinem miserit, quæ Christianorum domos everteret. 8. Quòd obsessi sunt Episcopi simul & Clerici, & postea ab ejus satellitibus lapidati. 9. Quòd in Basilica cæsi sunt Seniores, quòd indignè ferrent Claudianistas ad communionem admitti. 10. Quòd innocentes Clericos putaverit esse condemnandos. 11. Quòd se audiendum exhibere noluerit Concilio, & legatos ad se missos injuriosè rejecerit. 12. Quòd multa alia illicita admiserit, quæ pro honestate styli silentur. Hæc constant ex Epistola Synodali istius Conciliabuli, quam S. Augustinus recenset Enarratione in Psalmum 36.

Cladianistæ pars Donatistarum.

Alterum Conciliabulum in Primianum, celebratum est Cebarsussi, centum & ampliùs Episcoporum: cujus meminit S. Augustinus lib.4. adversùs Cresconium, cap.6. *Nunquid*, inquit, *hoc dicturus es, Maximianum a vestra communione Schisma fecisse? Sed Maximianus non hoc dicit, qui Primianum potiùs & vos omnes affirmat a parte Donati, in qua ipse permansit, Schisma fecisse: & recitat Decreta Conciliorum. Primum, quod apud Carthaginem a quinquaginta & tribus factum est,*

quò prædamnatus est Primianus. Alterum, quod Cebarsussi centum vel ampliùs vestri tunc Episcopi condideraut, quò perfectè pleniùsque damnatus est.

Verùm prævaluit Primiani factio. Is trecentos & decem Episcopos Bagaim Numidiæ civitatem convocavit eodem anno 394. undè Bagajense Concilium dictum est; in quo hæc adversùs Maximianum prolata sententia: *Maximianum fidei æmulum, veritatis adulterum, Ecclesiæ matris inimicum, Dathan, Core & Abiron ministrum, de pacis gremio sententiæ fulmen excutiat, quem non solùm mors justa sui sceleris condemnat, sed etiam trahit in consortium criminis plurimos catena sacrilegii.* Duodecim subindè Maximiani ordinatores damnati sunt. Aliis verò ipsius fautoribus ad Schismaticam Donati partem, cui Primianus præsidebat, redire permissum est; ita tamen ut, nisi statâ die redirent, pœnitentiæ addicerentur. Hæc constant ex S. Augustino lib. 3. contra Cresconium capp. 53. & 54.

Nec illius statim Controversiæ finis. Primianistæ jura Catholicorum usurpantes, adversùs perduelles Maximianistas legibus publicis egerunt. *Et se dixerunt Catholicos, ut possent excludere hæreticos*, inquit S. Augustinus in Psalmum 57. id est, legum ab Imperatoribus latarum adversùs hæreticos, Donatistæ & ipsi hæretici imploravere patrocinium, deceptis Proconsulibus, apud quos sese Catholicos mentiebantur, ut Maximianistas e suis Basilicis exturbarent.

Denique post multum temporis, Maximianistas suis restitutos honoribus susceperunt Primianistæ, & collatum ab eis, extra communionem licèt suam, Baptisma ratum habuerunt.

Porrò cùm Primianistæ adversùs Maximianistas ea omninò præstitissent, quæ iidem atque cæteri Donatistæ in Catholicos ab initio Schismatis gesserant, sicque suis ipsorum armis se confodi negare non possent, hinc factum est ut Africani Patres in Concilio congregati statuerint e publicis Actis cuncta excipienda esse, quæ inter Primianistas & Maximianistas apud Proconsules essent agitata, ut ex ipsis Catholici ineluctabilia adversùs Donatistarum omnium pervicaciam argumenta eruerent. En verba Concilii, cap. 34. relata in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, cap. 67. *Itaque placuit, ut ex Concilio nostro literæ darentur ad Judices Africanos, a quibus hoc petere congruum videretur, ut in hoc adjuvent communem matrem Ecclesiam Catholicam, in quo Episcopalis auctoritas contemni in civitatibus potest: Id est, ut judiciaria potestate, atque diligentiâ ex fide Christiana quid gestum sit in omnibus locis, in quibus Maximianistæ Basilicas obtinuerant, qui ab eis Schisma fecerant, inquirant, & gestis publicis, propter firmam notitiam omnibus necessariam, faciant inhærere.*

Et verò quantæ fuerint utilitatis hæc Acta, ostendit qui eis toties utitur S. Augustinus, quique ex iis conficit argumenta, quibus nihil usquam respondere potuerunt Donatistæ. Sic libro 1. contra Gaudentium, cap. 39. ubi, suam cum Emerito Donatista collationem indicans, ait: *De caussa etiam Maximianistarum cum illo egimus, de qua a nobis in collatione toties vobis objectâ nihil respondistis; quoniam de re manifestissima & recentissima vobis objecta nihil quod responderetis, invenire potuistis: quomodò Maximianus, quem multò graviore quàm Cæcilianum sententiâ percussistis, ita ut diceretis eum Dathan, Core, & Abiron ministrum, quos pro scelere Schismatis vivos terra deglutivit, non polluerit consortes Schismatis sui, quibus ut ad vestram communionem redirent, dilationem dedistis, non polluerit Afer Afros, vivus vivos, notus notos, particeps socios: & Cæcilianus polluerit transmarinos, polluerit longè positos, polluerit ignotos, polluerit nondum natos. Inveni, si potes, quid dicas; quomodò susceperitis honorem Feliciani Mustitani, & Prætextati Assuritani, quos cum Maximiano, & aliis decem sine ulla dilatione damnastis; contra quos, ut eos de Basilicis pelleretis, apud duos, vel nisi fallor, apud tres Proconsules litigastis: & cùm jam in locum Prætextati alium ordinassetis, post tam longum tempus eos in suis honoribus recepistis? Quâ justitiâ, quâ ratione, quâ fronte in honore suo suscipitur Maximianista damnatus, & damnatur orbis terrarum Catholicus inauditus? Quâ justitiâ, quâ ratione, quâ fronte cavendum esse dicitis, ne vos inquinet Cæcilianus olim defunctus, vobisque prorsùs incognitus, vestris majoribus judicantibus semel damnatus, vestris majoribus accusantibus ter absolutus: & cavendum non putastis ne vos inquinaret Felicianus universalis Concilii vestri ore damnatus, & ab universis vobis, præcipuè tui Prædecessoris favore susceptus? Quâ justitiâ, quâ ratione, quâ fronte, rescinditis Baptismum, quem dant Ecclesiæ, quas laboribus suis Apostoli plantaverunt, cùm susceperitis Baptismum, quem Felicianus, & Prætextatus per tam longum tempus, quandò contra eos damnatos litigabatis, foris a vestra Ecclesia tradiderunt? Si enim, [ut soletis malè intelligere, & nobis objicere] sic est intelligendum quod scriptum est: Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavacro suo? inter illos isti jacebant, quandò baptizabant, de quibus vestra Bagajensis sententia tanto strepitu insonuit: Ægyptiorum admodùm* Verba sententiæ *exemplo; pereuntium funeribus plena sunt littora,* Concilii *quibus in ipsa morte major est pœna, quòd post ex-* Bagaiensis. *tortam aquis ultricibus animam, nec ipsam inveniunt sepulturam. Quid ad hæc dicturi estis? Ecce mortui baptizant eos quos suscipitis, aut morimini, & nobis tanquàm mortuis calumniamini, ut Catholicæ unitati communicare nolentes, vestris ignibus verò moriamini.*

Idem argumentum urget contra Donatistas S. Augustinus lib. 3. contra Cresconium, capp. 1. 7. & 14. & in Breviculo Collationis diei 3. cap. 8. & Epistolâ 169. ad Generosum datâ, & in Psalmum 36. & lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum cap. 69.

§. VII.

De Conciliis Donatistarum, & primò de Concilio Cirtensi.

CONcilium Cirtense anno Christi 305. Cirtæ in Numidia celebratum est ab antesignanis Donatistarum, qui Cæcilianum ipsi posteà deposuerunt, & Schisma fecerunt. Auctor & Præses Conciliabuli fuit Secundus Tigisitanus Episcopus, Numidiæ Primas. Caussa præcipua fuit Cirtensis Episcopi Ordinatio. De Traditionibus sacrorum Codicum, omnisque supellectilis Ecclesiasticæ ea in Synodo quæsitum est a Secundo Tigisitano. Convicti sunt istius sceleris, qui intererant Episcopi. Secundus ipse Tigisitanus a Purpurio ejusdem facinoris insimulatus est, cujus oppressus conscientiâ, suique consilium secutus nepotis, hujus caussæ cognitionem Dei judicio servandam esse dixit, & Traditorum gregem suscepit universum. Hanc historiam refert Optatus Milevitanus lib. 1. adversùs Parmenianum, pag. 39. sicque contra ipsum colligit: *Habes ergo, Parmeniane frater, qui manifestò fuerint Traditores. Deindè non post longum tempus iidem ipsi tot & tales ad Carthaginem profecti Traditores, conjurati omicidæ, Majorinum, cujus tu cathedram tenes, post ordinationem Cæciliani ordinaverunt, Schisma facientes.*

Ejus-

Ejusdem Conciliabuli Acta prolixè refert S. Augustinus libro 3. contra Cresconium Grammaticum, capp. 26. & 27. Eadem Acta urget contra Donatistas Epistolâ 162.

Hanc Synodum sæpe Donatistis objecerunt Catholici, ut a Traditoribus damnatum & gradu motum Cæcilianum evincerent, quem ipsi adeò insolenter Traditorem proclamabant, ut constat ex S. Augustino, in Breviculo Collationis diei 3. cap. 15. Sed Donatistæ ut invictum argumentum, quod ex illius Concilii Actis contra ipsos vibrabatur, declinarent, falsum illud esse Concilium, & a Catholicis confictum effutiebant. Quibus niterentur conjecturis, & quid ad eas responderent Orthodoxi, dicemus in Dissertatione de epocha Cirtensis Concilii.

§. VIII.

De duobus Conciliis Carthaginensibus Donatistarum.

PRimum Concilium Carthagine celebratum est a Donatistis, anno Christi 311. Eusebio Pontifice maximo. Eo in Cociliabulo Cæcilianum deposuerunt, & Majorinum in Sedem Carthaginensem intruserunt, ut constat ex Optato Milevitano lib. 1. & ex S. Augustino in Breviculo Collationis diei 3. cap. 10.

Alterum Concilium Carthagine celebrarunt sub Donato Carthaginensi Pseudoepiscopo: quo præcisè anno incertum est. In eo Traditores communi Donatistarum suffragio ad communionem recepti sunt, etiamsi rebaptizari nollent. Hujus Concilii gesta recenset S. Augustinus ex Tychonii Donatistæ commentariis, cùm ad Vincentium scribens Epist. 46. hæc habet: *Jam si velim & illa commemorare, quæ Tychonius homo communionis vestræ scriptis suis inseruit, qui magis contra vos pro Ecclesia Catholica scripsit, frustrà se ab Afrorum quasi Traditorum communione secernens, quo uno eum Parmenianus suffocat, quid respondere poteritis, nisi quòd de vobis idem Tychonius dixit, & ego paulò antè recolui, Quod volumus, sanctum est? Scribit enim ille Tychonius a ducentis & septuaginta Episcopis vestris Concilium Carthagine celebratum, in quo Concilio per 75. dies, postpositis omnibus præteritis, limatum esse sententiam, atque decretam, ut Traditoribus immensi criminis reis, si baptizari nollent, pro integris communicaretur. Deuterium etiam Macrianensem Episcopum communionis vestræ, dicit Traditorum plebem congregatam Ecclesiæ miscuisse, & secundùm statuta illius Concilii a ducentis & septuaginta Episcopis vestris facti, fecisse cum Traditoribus unitatem; eique Deuterio post hoc factum jugiter communicasse Donatum: nec solùm huic, sed etiam universis Maurorum Episcopis per 40. annos, quos dicit usque ad persecutionem per Macarium factam, Traditoribus sine Baptismo communicasse.*

Macarius Constantis Imperatoris ad compescendos Donatistas, in Africam legatus, a quo se persecutionem passos calumniati sunt.

Istius porrò Concilii memoriam penitùs antiquatam optabant Donatistæ; quia cùm se purissimos atque innocentissimos ostentarent, nec se, nec suos, traditionis unquam labe maculatos assererent, atque Cæcilianum, ejusque socios eo nomine insectarentur: cùmque numerosum adeò Concilium evinceret, ex Traditorum gregibus collectam illorum, quam solam veram prædicabant, Ecclesiam: omnibus enisi sunt studiis, ut istud Concilium ex hominum memoria deleretur, ut constat ex S. Augustino in citata ad Vincentium Donatistam Epistola.

§. IX.

De Conciliis adversùs Donatistas celebratis. Et primò de Concilio Romano.

INter Concilia contra Donatistas celebrata primum occurit Romanum anno Christi 313. Constantino & Licinio III. Consulibus habitum. A Constantino Imperatore convocatum est, a quo & tres Galliarum Episcopi ad illud missi sunt, qui cum Melchiade Pontifice de caussa Schismatis, & de Cæciliani Ordinatione judicarent, nimirum Maternus Coloniæ Agrippinæ Episcopus, Rheticius Augustodunensis, & Marinus Arelatensis, ut constat ex Epistola Constantini ad Melchiadem, quam refert Eusebius lib. 10. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 5. Concilio præfuit Melchiades Romanus Pontifex, cui assidebant octodecim Episcopi, scilicet tres illi ex Ecclesia Gallicana, & quindecim Itali. Locus Concilii fuit Domus Faustæ, in Laterano. In Donatum a Casis Nigris lata sententia est, suffragantibus universis, *Quòd confessus sit rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse; quod ab Ecclesia alienum est. Testes inducti a Donato, confessi sunt se non habere quod in Cæcilianum dicerent. Cæcilianus omnium suprà memoratorum sententiis innocens est pronuntiatus, etiam Miltiadis sententiâ, qua judicium clausum est his verbis: Cùm constiterit Cæcilianum ab iis qui cum Donato venerant, juxta professionem suam non accusari, nec a Donato convictum esse in aliqua parte constiterit sua, Communioni Ecclesiasticæ integro statu retinendum meritò esse censeo.* Hæc refert Optatus Milevitanus lib. 1. adversùs Parmenianum, pag. 44. Ejusdem Concilii meminit S. Augustinus Epist. 62. & 162. in Breviculo Collationis diei 3. cap. 18. & alibi. Epistola porrò 162. zelum, prudentiam, æquitatem Melchiadis in ferenda sententia potissimùm commendat his verbis: *Et tamen qualis ipsius Beati Melchiadis ultima est prolata sententia? Quàm innocens, quàm integra, quàm provida, atque pacifica! Qua neque Collegas, in quibus nihil constiterat, de collegio suo ausus est removere, & Donato solo, quem totius mali principem invenerat, maximè culpato, sanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit, paratus communicatorias literas mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatos esse constaret. Ita ut in quibuscunque locis duo ordinati essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur.*

Roma, Latii in Italia urbs princeps.

seu Melchiadis.

Secundum Concilium adversùs Donatistas celebratum, fuit Arelatense primum, de quo §. sequenti agemus.

§. X.

De Concilio Arelatensi primo.

COncilium Arelatense primum contra Donatistas celebratum est anno Christi 314. iis conquerentibus de Synodo Romana sub Melchiade, quòd non rectè judicasset, neque omnia caussæ, quâ de agebatur, expendisset momenta. Illud convocavit Constantinus Imperator, ut ostenditur ex illius Epistola ad Ablavium Africæ Vicarium, & ex alia ad Chrestum Syracusanorum Episcopum. Annus tum agebatur illius Imperii nonus, Sylvestri Romani Pontificis primus. Locus fuit Arelate Galliarum civitas. Ad illud convocati sunt Episcopi ex locis diversis & propè in-

Arelate, *vulgo* Arles, *urbs Provinciæ nobilissima ad Rhodanum fluvium.*

infinitis plurimi, ut testatur Constantinus ad Chrestum scribens: ducenti interfuerunt. Ne verò sumptuum excessu deterriti a Synodo abessent, jussit Imperator ipsis publicum viaticum a Præsidibus Provinciarum suppeditari, tractoriasque ad hunc finem ipsis dari literas, ut constat ex ipsius Epistola ad Ablavium. Tantus Episcoporum numerus doctissimis viris Sirmondo & Launoio dedit occasionem propugnandi Synodum istam Arelatensem esse *Plenarium Concilium*, cujus auctoritatem contra Donatistas tam sæpè urget S. Augustinus. Sed rem aliter se habere, nec S. Augustinum plenarii nomine Concilii aliud intellexisse a Nicæno, singulari Dissertatione alibi demonstravimus. Eo in Concilio caussa Cæciliani, & Schismatis Donatistarum discussa est, illi damnati, Cæcilianus absolutus, Canones conditi viginti duo.

Synopsis Canonum Concilii Arelatensis 1.

Primus Canon Pascha uno tempore & die celebrandum statuit, ac de die celebrandi Festi sacratissimi commoneri cæteros Episcopos a Romano Pontifice. Secundus ministrus Ecclesiæ iis in locis manere perpetuò jubet, pro quibus fuerint ordinati. Tunc scilicet nulli ordinabantur Clerici, nisi pro certis Ecclesiis. Hic ipsorum titulus. Tertius Canon anathemate percellit eos qui in bello arma projecerint. Ita enim legendum est, non verò; *qui arma projiciunt in pace*, quod inemendatum Conciliorum Editores reliquerunt, quamvis errorem indicaverint, prout indicaverat Surius, & corrigendum notaverat ex fide vetusti MS. Ivo Carnotensis part. 10. Decreti cap. 22. habet. *in prælio*, & nisi ita legatur, sensus absonus est. Quâ enim, quæso, pœnâ sunt digni, qui arma in pace projiciunt? Verisimilius est Constantinum hunc Canonem a Patribus adversùs Christianos Milites desertores obtinuisse.

Lectio 3. Canonis emendatur.

Histriones.

Canones quartus & quintus Aurigas, qui Circensibus in spectaculis equos agitabant, quia vix se cruentis non implicabant factionibus, & Mimos arcent a communione. Sextus iis qui in infirmitate positi Baptismum postulabant, manum imponi jubet, id est, Confirmationis Sacramentum simul administrari. Septimus, fidelium qui magistratus gerebant, singularem curam commisit Episcopis locorum, qui eos a communione excluderent, si contra Christianam disciplinam aliquid agerent. Metuendum quippe erat illis temporibus ne rempublicam gerendo, ethnicorum se ritibus pollucrent, vel iis faverent. Quod ne contingeret, anathema Patres minitati sunt ab Episcopis incutiendum. Octavus Canon Baptisma hæreticorum in Patre & Filio, & Spiritu Sancto collatum, ratum esse decernit, & rebaptizationes prohibet, contrà Donatistas. Nonus eos qui Confessorum literas afferrent, seu Martyrum designatorum libellos, ut ad communionem admitterentur post lapsum, communicatorias ab Episcopis literas accipere præcipit. Hujus Canonis sensum exposuimus in Dissertatione de Libellis Martyrum, sæculo tertio.

Baptisma Hæreticorum ratum habetur.

Matrimonii indissolubilitas.

Decimus Canon matrimonium etiam adulterii caussâ solvi prohibet. Quamvis enim consilii tantùm nomine utatur, cùm persuaderi vult junioribus Christianis, ne viventibus uxoribus suis, licèt adulteris, alias accipiant: tamen hoc iisdem prohibitum ait, lege utique Evangelicâ. Undecimus Canon puellas Christianas, quæ Ethnicis matrimonio copulatæ fuerint, arcet a communione. Duodecimus Clericos fœneratores a communione excludit.

Decimus-tertius sanctarum Scripturarum, & vasorum sacrorum traditores, & eos qui Christianorum nomina ad judices persecutionis tempore detulerant, in ordinem redegit, si ex actis publicis eorum crimen probaretur. Ordinationes tamen a Traditoribus factas, ratas esse decernit, si nullum aliud crimen obstiterit ordinatis. Canon ille sancitus est occasione Donatistarum, qui Cæciliani Ordinationem, propter crimen Traditionis, quod Felici Aptungitano illius ordinatori affinxerant, irritam esse pertinaciter contendebant.

Canon 14. falsis fratrum accusatoribus communione ad exitum usque interdicit. Qui Canon etiam contrà Cæciliani & Felicis Aptungitani accusatores Donatistas editus est.

Diaconorum supercilium & fastum reprimunt Canones 15. & 56. qui tantus erat, ut multis in locis offerre, id est, sacrificare, & Eucharistiam consecrare præsumpsissent. Canone 16. sancitum est ut nullus admitteretur ad communionem nisi in locis in quibus fuisset a communione exclusus; sive ut nullus Episcopus excommunicatum ab altero communioni restitueret. Canone 17. ne ullus Episcopus alium conculcaret, id est, alterius fines invaderet. Decimus nonus Canon Episcopis peregrinis locum dari Sacrificii offerendi jubet: quod antea non concedebatur vulgò & ex Ecclesiæ disciplinâ: quamvis Anicetus Romanus Pontifex offerendi potestatem S. Polycarpo honoris ergo, Romanâ in Ecclesia fecerit. Canon vigesimus Ordinationes Episcoporum a septem Episcopis fieri jubet; quod si tot Antistites convenire facilè non potuerint, vetat Episcopum nisi a tribus ordinari. Canon vigesimus primus Presbyteros & Diaconos, qui relictis Ecclesiis pro quibus fuerant ordinati, ad alias commigrabant, sancit esse depositionis pœnâ mulctandos. Quam disciplinam in Ecclesia præsertim Gallicanâ collapsam, est cur lugeamus, in quâ tantam Sacerdotum divagantium multitudinem cernimus qui nullis Ecclesiis affixi Diœceses omnes lustrant, in nullâ quiescunt, vel qui hùc illuc discurrunt ut Missas aucupentur unde victum captent. Utinam omnes Episcopi veterem disciplinam restaurent, & hoc Sacerdotii dedecus avertant, impediantque ne homines vilissimi Clericatum eligant velut artem sustentandæ vitæ commodam, & laboris expertem.

Mansio Presbyterorum in Ecclesiis pro quibus sunt ordinati.

Denique Canon vigesimus-secundus Apostatis non agentibus pœnitentiam, & communionem in infirmitate duntaxat postulantibus, absolutionem dari vetat, etiam in exitu, nisi revaluerint & egerint fructus dignos pœnitentiæ.

Disciplina circa Apostatas Pœnitentiam in infirmitate duntaxat postulantes.

Absolutâ Synodo Patres de rebus in eâ gestis & Canonibus constitutis relationem ad Sylvestrum Pontificem maximum miserunt, honorificâ ad eum datâ Epistolâ, quâ dicti Concilii Canonumque confirmationem & promulgationem ad ipsum pertinere agnoscunt. *Placuit*, inquiunt, *per te qui majores Diœceses tenes potissimùm omnibus insinuari.* Non adfuisse Synodo Constantinum, probat ejus Epistola ad Episcopos, qui venerando illi cœtui interfuerant, data; probat Eusebii silentium; probat maximè appellatio Donatistarum ab isto Concilio ad Imperatorem.

§. XI.

Donatistæ Romæ habere Episcopum ambierunt, ut Catholici nominis gloriam subriperent.

ID testantur S. Augustinus lib. de Hæresibus & Optatus Milevitanus lib. 2. adversùs Parmenianum, ubi ostendit Episcopos Donatistas, qui Romæ sederunt, nullam habuisse a S. Petro manantem successionem: Cathedram unicam esse, in quâ sedit omnium Apostolorum caput Petrus, a

quo

quo ad Siricium usque tunc temporis Pontificem, omnium Episcoporum Romanorum seriem texit, Donatistas subinde sic compellans: *Vestra Cathedra vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare. Sed & habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis. Ramus est vestri erroris, protentus de mendacio, non de radice veritatis: denique si Macrobio dicatur, ubi illic sedeat, numquid potest dicere, in Cathedra Petri? quam nescio si vel oculis novit, & ad cujus memoriam non accedit quasi Schismaticus, contrà Apostolum faciens, qui ait, Memoriis sanctorum communicantes. Ergo restat ut fateatur socius vester Macrobius se ibi sedere, ubi aliquando sedit Encolpius. Si & ipse Encolpius posset interrogari, diceret se ibi sedere, ubi ante sedit Bonifacius Ballitanus. Deinde si & ipse interrogari potuisset, diceret; ubi sedit Victor Garbiensis, a vestris jamdudum de Africa ad paucos erraticos missus. Quid est hoc quod pars vestra in urbe Roma Episcopum civem habere non potuit? quid est quòd toti Afri & Peregrini in illa civitate sibi successisse noscuntur? Non apparet dolus? Non factio, quæ est mater schismatis? Intereà Victor Garbiensis, ut hinc prior mitteretur, [non dico lapis in fortem, quia nec valuit puritatem Catholicæ multitudinis perturbare] sed quia quibusdam Afris placuerat urbica commoratio, & hinc a vobis profecti videbantur, ipsi petierunt, ut aliquis hinc qui illos colligeret, mitteretur. Missus est igitur Victor, erat ibi filius sine patre, tyro sine principe, Discipulus sine Magistro, sequens sine antecedente, inquilinus sine domo, hospes sine hospitio, Pastor sine grege, Episcopus sine populo. Non enim grex aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta, & quod excurrit, Basilicas, locum, ubi colligerent, non habebant. Sic speluncam quandam foris a civitate gradibus sepserunt, ubi ipso tempore conventiculum habere potuissent: unde Montenses appellati sunt. Igitur quia Claudianus Luciano, Lucianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius Victori successisse videntur: si Victori diceretur ubi sederit, nec ante se aliquem illic fuisse monstraret, nec Cathedram aliquam nisi pestilentia ostenderet.*

Quòd igitur conarentur Donatistæ aucupari nomen Catholicum ex communicatione cum Episcopo Romæ agente, haud vulgares viros ad gerendum Episcopatum Romam destinabant, sed quos inter se omnium disertissimos, & vitæ sanctioris specie conspicuos nossent; quod possumus facilè demonstrare ex uno illorum de quibus mox agebamus, Macrobio scilicet, de quo hæc habet Gennadius lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 5. *Macrobius Presbyter, & ipse (ut ex scriptis Optati cognovimus) Donatista, & suorum postea in urbe Roma occultus Episcopus fuit. Scripsit, cùm adhuc in Ecclesia Dei Presbyter fuisset, ad Confessores, & ad Virgines Librum unum, Moralis quidem, sed valdè necessariæ Doctrinæ, & præcipuæ ad custodiendam Castitatem aptissimis valdè Sententiis communitum. Claruit inter nostros primùm Africa, & inter suos, id est, Donatianos, sive Montenses, posteà Roma.* Dicti sunt autem Donatistæ Montenses, quòd degerent in Montibus extrà urbem. Eosdem Campitas appellat S. Hieronymus in Dialogo adversùs Luciferianos, quòd cœtus suos in campis colligerent. Missus est porrò primus partis Donatistarum Episcopus Romam Victor Garbiensis, sub Sylvestri Pontificatu, anno Christi circiter 321. cùm exilium illis irrogatum Constantinus datis ad Verinum Africæ Vicarium literis relaxasset: quarum meminit S. Augustinus Epistolà 152. & alibi.



§. XII.

De Christianorum Imperatorum Edictis & gestis adversùs Donatistas.

IN Donatistas tot judiciis convictos & superatos, legibus animadvertendum esse piissimi Imperatores existimarunt, ut eorum pervicaciam frangerent, ac furorem cohiberent. Constantinus Magnus sententiam capitis primò in eos tulit, de quà S. Augustinus lib. 1. contra Epistolam Parmeniani, cap. 8. hæc habet: *Quin etiam audet conqueri Parmenianus, quòd eos Constantinus ad Campum, id est ad supplicium duci jussit .... & hoc eum tanquam immaniter jussisse, Hispano Osio suggerente, criminatur, suspicionibus videlicet suis, sicut semper, damnando inauditos: quasi verò non humaniùs ac probabiliùs alius crediderit, Osio tanquam Episcopo suggerente, potiùs factum ut in leviorem coërcitionem, quamvis immanissimi sceleris, id est sacrilegi schismatis, sententiam flecteret Imperator:* Et revera pœnam capitis exilio, & Basilicarum privatione, quas fisco vendicavit, postea commutavit Imperator. Exilii fidem faciunt ipsius literæ ad Verinum Africæ Vicarium: ablationis verò Basilicarum Sanctus Augustinus Lib. 2. contra Epistolam Petiliani cap. 92. *Constantinus*, inquit, *vobis Basilicas jussit auferri, Julianus restitui.* Ipsos tamen ab exilio revocavit nimiæ mansuetudinis Princeps anno Christi 321. Crispo & Constantino iterum Coss. quod notatum a S. Augustino in lib. ad Donatistas post Collationem cap. 33. post quartum annum & mensem fermè sextum ab Edicto in eos lato.

Anno Christi 348. Constans Imperator paternæ pietatis hæres viros clarissimos Paulum & Macarium in Africam legatos misit, eo quidem titulo ut munificentià Imperatoris pauperum omnium sublevarent inopiam, sed revera ut populum his beneficiis demeritum ad ineundam cum fratribus concordiam provocarent. Hujus legationis meminerunt Optatus Milevitanus lib. 3. adversùs Parmenianum, & Gratus Carthaginensis, Episcopus in exordio Concilii primi Carthaginensis. Ab hoc Macario dicta sunt tempora Macariana, quorum toties Optatus & S. Augustinus meminerunt. In legatos & in Imperatorem ipsum contumeliosus fuit Donatus Carthaginensis Schismaticorum Episcopus, in hæc verba prorumpens, cùm de pio illorum consilio certior factus est: *Quid Imperatori cum Ecclesia?* Repudiavit Imperatoris munera, nec suorum quemquam regiarum eleemosynarum participem esse voluit. Nota hìc, lector, superbiam, & elationem adversùs Principes & Magistratus, Hæreticorum & Schismaticorum characterem esse, in Donato maximè conspicuum, de quo Optatus ita scribit: *Carthagini principatum se tenuisse crediderat, & cùm super Imperatorem non sit nisi solus Deus qui fecit Imperatorem; dum se Donatus super Imperatorem extollit, jam quasi hominum excesserat metas, ut se Deum, non hominem æstimaret, non verendo eum qui post Deum ab hominibus timebatur.* Tam execrandæ & meritò plectendæ elationis specimen dederat superbus ille Donatistarum Antistes & Pater, ad Gregorium Præfectum aliàs ita scribens: *Gregori macula Senatus, dedecus Præfectorum. Jam tunc meditabatur*, inquit Optatus, *contra præcepta Apostoli Pauli, Potestatibus & Regibus injuriam facere, pro quibus, si Apostolum audiret, quotidie rogare debuerat.* Eadem superbia effecit, ut per nomen suum Donatistas suos jurare pateretur, teste Optato. Sed ut ad Macarianam legationem redeamus:

Cùm

Cùm ad Circumcellionum tumultuantium, & in Catholicos passim, demumque in se ipsos sævientium furorem cohibendum armatos milites a Silvestro Comite postulasset Macarius, & in milites ipsos irrupissent nebulones illi, universæ Comitis phalanges commilitonum suorum dolentes injuriam, in Donatistas irruperunt, interfecere plurimos, qui se *Sanctorum duces* nuncupabant, & inter alios Marculum & Donatum Bagajensem. Hinc Donatistæ motam in se a Macario & Paulo persecutionem calumniabantur: quam calumniam lib. 3. adversùs Parmenianum prolixè refellit Optatus, & exemplo Moysis, Phinees, & Eliæ, qui impios occiderunt, Macarium justè vindictam de Donatistis sumpsisse probat. Tum demonstrat falsò Schismaticos Marculo & Donato deferre Martyrum nomen. *Si supra memoratos videri Martyres vultis, probate illos amasse pacem, in quâ prima sunt fundamenta Martyrii: aut dilexisse Deo placitam unitatem, aut habuisse cum fratribus charitatem .... Nulla est excusatio, quia charitatem illos non habuisse manifestissimè constat, sine qua nullum nominari potest, vel esse Martyrium; sine quâ maxima & pretiosa virtus caret effectu, sine quâ nihil valet omnium scientia linguarum, sine qua nihil potest etiam societas Angelorum. Videte, an dicantur Martyres, sed aliquid aliud appellari mereantur, qui charitatis desertores, pro eadem desertione pati aliquid potuerunt?* Ex hac Macarii legatione, & iis quæ sub ipsa contigerant, Donatistæ, Orthodoxos per invidiam Macarianos nuncupabant, ut ex S. Augustino constat lib. 2. contra literas Petiliani cap. 39.

Post hæc Constans Imperator Donatistas exilio damnavit, a quo nonnisi Juliani Apostatæ Edicto revocati sunt, ut testatur Optatus lib. 2. pag. 54.

Cod. Theodos. L. 5. Ne sanctum Baptisma iteretur.

Anno 373. Valentinianus Augustus Treveris agens, hanc adversùs Donatistas rebaptizantes legem dedit: *Antistitem, qui sanctitatem Baptismi illicita usurpatione geminaverit, & contra instituta omnium, eam gratiam iterando, contaminaverit; Sacerdotio indignum censemus.* Eosdem lege latâ compescuit Gratianus anno 377. Ecclesias ab ipsis usurpatas Catholicis restitui jubens, dato ea de re Rescripto ad Flavianum Vicarium Africæ. *Eorum*, inquit, *condemnamus errorem, qui Apostolorum præcepta calcantes, Christiani nominis sacramenta sortitos, alio cursu Baptismate non purificant, sed incestant, lavacri nomine polluentes. Eos igitur auctoritas tua erroribus miseris jubebit abstinere, Ecclesiis, quas contra fidem retineat, restitutis Catholicæ.*

L. 2. Ne sanctum Baptisma iteretur. *Cod. Theodos.*

Iisdem mulctam decem librarum auri indixit Theodosius Senior, lege lata, quam Honorius & Arcadius Imperatores ejus filii renovarunt, postulantibus Concilii Carthaginensis legatis. Earum legum S. Augustinus meminit Epistolâ 50. ad Bonifacium Comitem data. *Jam enim*, inquit, *lex fuerat promulgata, ut tanta immanitatis Hæresis Donatistarum, cui crudelitas parci videbatur, quàm ipsa sæviebat, non tantùm violenta esse, sed omninò esse non sineretur impunè: non tamen suppliciis capitali, propter servandam etiam circa indignos mansuetudinem Christianam, sed pecuniariis damnis propositis, & in Episcopos, vel ministros eorum exilio constituto.*

Earumdem meminit lib. 3. contra Cresconium cap. 43. & 44. Donatistas in erroribus & Schismate pertinaces & baptisma iterantes, novâ lege, latâ occasione Crispini Calamensis Donatistarum Episcopi, qui colonos agri Fiscalis illatâ vi rebaptizaverat, omnium publicatione facultatum, & conficiendorum testamentorum, vel aliquid specie donationis, legati, aut hæreditatis ex iisdem colligendi ademptâ potestate mulctavit, anno Christi 405. Hujus legis meminit S. Augustinus in Epistola ad Vincentium Donatistam. Ubi & illarum utilitatem & fructum ad conversionem Donatistarum procurandam ostendit. Ait-que in hâc se primùm fuisse sententiâ. *Neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum; ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis*, inquit S. Augustinus; *nam primò mihi opponebatur civitas mea, quæ cùm tota esset in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore legum imperialium conversa est.*

L. 4. Ne sanctum Baptisma iteretur. *Cod. Theodos.*

Anno Christi 410. cùm Attalus tyrannus invasisset Imperium, & jam Africæ immineret, qui rempublicam iis in regionibus gerebant, metuentes ne Donatistæ ad Attali partes deficerent, Rescriptum ab Honorio Imperatore impetrarunt, quo ipsis religionis libertas concedebatur. Sed Attalo exauctorato, Africani Episcopi Carthagine collecti, legatione ad Honorium missâ, prioris Edicti revocationem ab ipso obtinuerunt. De his igitur sic rescripsit ad Heraclianum in Africa Comitem: *Oraculo penitus remoto, quo ad ritus suos Hæreticæ superstitiones obrepserant, sciant omnes sanctæ legis inimici, plectendos se pœnâ & proscriptionis, & sanguinis, si ultrà convenire per publicum exsecrandâ sceleris sui temeritate tentaverint.*

L. 51. de Hæreticis *Cod. Theodos.*

Anno Christi 412. Donatistas post Collationem Carthaginensem, de quâ mox agemus, pertinaces novis legibus duxit coercendos Honorius, litteris ad Seleucum Præfectum Prætorio datis, quibus Laicis ex illorum Schismaticâ factione mulctam pecuniariam indixit, Clericis verò exilium irrogavit, illisque legata Ecclesiæ in commodum cedere præcepit. Semper verò intercesserunt Episcopi Christianæ mansuetudinis animo, ne Hæretici illi morte a Magistratibus afficerentur. Quâ de re S. Augustinus egregias ac luculentas Epistolas scripsit; nempe 127. ad Donatum Proconsulem Africæ; 158. & 150. ad Marcellinum & Epistolam 160. ad Apringium Judicem. Nec verò pro solis Hæreticis, sed pro quibusvis reis intercedere solitos Episcopos, ne supremo supplicio plecterentur, constat ex S. Augustino Epistolâ 54. ad Macedonium, in quâ morem illum vindicat.

L. 52. de Hæreticis *Cod. Theodos.*

Denique Theodosius & Valentinianus Imperatores legem adversùs Donatistas, cæterosque Hæreticos tulerunt severissimam, anno Christi 428. quæ extat in Codice Theodosiano L. 65. *de Hæreticis.*

§. XIII.

De Collatione Carthaginensi.

Collationem Catholicorum cum Donatistis indixit Honorius Imperator, ut eos ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem reduceret. Illius Collationis cogendæ & dirigendæ Provinciam illustrissimo viro Marcellino demandavit. Habita est anno Christi 411. post Varanis Consulatum, Carthagine intra Thermas Gargilianas, ut constat ex S. Augustino in Breviculo Collationis diei 1. cap. 14. Quam inire coacti sunt cum Catholicis Collationem Donatistæ perduelles, eamdem Maximianistæ ambierunt, ut nomen sibi pararent; sed ab Episcopis contempti sunt, & rejecti, ut qui non ab Ecclesiâ Catholica sicut Donatistæ, sed ab ipsis Donatistis immediatè segregati fuissent, ut testatur S. Augustinus lib. 3. contra Julianum, cap.

5. Ne

1. Ne verò de gravamine conqueri possent Donatistæ, Marcellinus Collationis habendæ Cognitor ab Imperatore delegatus, per Tractorias ad eorum Primates missas eos convocavit, quibus sic invitatis publica vehicula, & omnia ad commeatum necessaria abundè impenderentur. Id testatur S. Augustinus in libro ad Donatistas post Collationem, cap. 24.

Duplex Edictum dedit Marcellinus Cognitor antequam Collatio haberetur: Primum quod per Provinciam misit, ut convenirent utriusque partis Episcopi, & Carthagine congregarentur ad mutuam Collationem habendam intrà Calendas Junias. Eo Edicto, inquit Augustinus in Breviculo Collationis diei 1. cap. 2. Basilicas sine jussione Imperatoris reddidit Donatistis, qui se pollicerentur esse venturos, ut eo modo eos ad conferendum etiam beneficiis invitaret. Eodem etiam Edicto obtulit eis ut alium, quem vellent, cum eo Judicem constituerent, juravitque se hoc judicaturum quod veritas suasisset. Alterum Edictum datum est jam præsentibus apud Carthaginem utriusque partis Episcopis, quo proposuit locum & modum futuræ Collationis, & admonuit ut ei pars utraque rescriberet, utrùm placerent quæ comprehendit Edicto, ut refert S. Augustinus in Breviculo Collationis diei 1. cap. 3. Quoad modum Collationis decrevit; ut ad vitandum tumultum, quem ingens multitudo concitare potuisset, ad Collationem decem & octo duntaxat ex qualibet parte Episcopi admitterentur, id est 36. in solidum, quorum alii disputationi, alii consultationi, alii notariæ operam darent, quod Donatistis minimè placuit, qui Collationis locum suis omnibus patere postulabant, teste S. Augustino in Breviculo Collationis diei 1. cap. 4.

Quanta fuit Donatistarum pertinacia adversùs Edictum Cognitoris, tanta fuit Catholicorum observantia. Datis enim ad Clarissimum Virum literis, insinuaverunt consentire se ad omnia quæ illo Edicto fuerant ordinata. Sed & iisdem literis polliciti sunt, si in parte Donati veritas eis demonstraretur Ecclesiæ, non se illic Episcopalem honorem quæsituros, sed consilium eorum secuturos pro salute Christiana. Si autem in sua communione potiùs veritas ostenderetur Ecclesiæ, honorem Episcopalem eis non se negaturos, & hoc a se fieri bono pacis, ut intelligerent hi quibus hoc præstaretur, quòd in eis Catholici non Christianam Consecrationem, sed humanum detestarentur errorem. Quòd si plebes duos in una Ecclesia Episcopos ferre non possent, utrisque de medio recedentibus singuli constituerentur Episcopi, ab iis Episcopis ordinandi; qui in suis plebibus singuli invenirentur. Harum Epistolarum exemplar legitur apud S. Augustinum in libro de Gestis cum Emerito Donatista, ubi & de cessione Episcopatus ad quam paratiâ erant Catholici Antistites pacis faciendæ gratiâ, ait: *Cùm ante ipsam Collationem inter nos aliqui fratres de hac re colloqueremur, quia pro pace Christi Episcopi debent esse, aut non esse: quod vobis fatendum est, circumspicientes omnes Fratres & Coëpiscopos nostros, non facilè nobis occurrebant, qui hoc vellent suscipere, & de hac humilitate Domino sacrificare. Dicebamus, ut fieri solet; Ille potest, ille non potest, ille consentit, hoc ille non tolerat, loquentes magis pro suspicionibus nostris qui corda illorum videre minimè poteramus. Quando autem ventum est ut hoc palam fieret, in Concilio universorum tam frequenti penè trecentorum Episcoporum, sic placuit omnibus, sic exarserunt omnes, ut parati essent Episcopatum pro Christi unitate deponere, & non perdere, sed Deo tutiùs commendare.*

In has autem voces, charitatem & humilitatem spirantes Christianam, Catholicos Episcopos erupisse refert S. Augustinus: *Quid dubitemus Redemptori nostro Sacrificium istius humilitatis offerre? An verò ille de cœlis in humana membra descendit, ut membra ejus essemus; & nos ne ipsa ejus membra crudeli divisione lanientur, de Cathedris descendere formidamus? Propter nos nihil sufficentibt quàm Christiani, fideles, & obedientes sumus. Hoc ergo semper sumus, Episcopi autem propter Christianos populos ordinamur. Quod ergo Christianis populis ad Christianam pacem prodest, hoc de nostro Episcopatu faciamus.*

Interfuerunt Collationi Episcopi Catholici ducenti octoginta sex: Donatistæ verò centum quinquaginta novem, ut constat ex S. Augustino in lib. ad Donatistas post Collationem, cap. 24. Inter Catholicos celebrioris nominis Episcopi erant Aurelius Carthaginensis, Alypius Tagastensis, Augustinus Hipponensis: inter Donatistas verò insignes erant Primianus Carthaginensis, Emeritus Cæsareæ Mauritaniæ, Gaudentius Tamugadensis, Petilianus denique vir ex illa secta disertissimus.

Oblatum sibi semel iterumque a Cognitore consessum Donatistæ pertinaciter recusarunt, dicentes sibi scriptum esse Psalmo 25. cum talibus non sedere, id est, cum impiis. Cæterùm qui Collationem fugerant, quantùm licuerat, dicente ipsorum primate Primiano; *Indignum est ut in unum conveniant filii Martyrum, & progenies Traditorum*, egerunt quantùm in ipsis fuit, ne indicta Collatione, congregatisque Episcopis, caussa ageretur. Hinc innumeræ ipsorum tergiversationes, vitiligationes, & strophæ, quas recenset S. Augustinus in Breviculo Collationis diei 3. cap. 5. Actum est in ea Collatione duabus potissimùm de caussis. Primò de caussâ Ecclesiæ Catholicæ, quam falsis criminationibus Donatistæ insectabantur, & Cæciliani, aliorumque nescio quibus criminibus pollutam per totum orbem periisse, & in sola parte Donati remansisse effutiebant. Ostenderunt Catholici evidentissimis Scripturarum sacrarum testimoniis, Ecclesiam toto orbe diffusam, contagione malorum non perire. His respondere Donatistæ non potuerunt, ut constat ex S. Augustino in Breviculo Collationis diei 3. illa referente, cum Schismaticorum effugiis & cavillationibus, & ex Actis Collationis, quibus prolixa de Ecclesia disputatio continetur. Ideò autem de Ecclesia primitùs actum est, *Ut posset Donatistarum separatio vel defendi, vel corrigi*, inquit S. Augustinus; id est, ut probarêtur eos vel justè ab Ecclesia Catholica recessisse, vel sacrilegi Schismatis reos esse. Secundò actum est de caussâ Cæciliani, & variis monumentis; Actisque & instrumentis publicis ostensum est, ipsius innocentiam fuisse multoties probatam, Donatistas verò fuisse multis judiciis tum Ecclesiasticis, cùm civilibus convictos atque damnatos. Omnibus denique ultrò citròque auditis, Marcellinus tulit sententiam, *Donatistas a Catholicis confutatos omnium documentorum manifestatione pronuntians*, ut S. Augustinus in fine Breviculi Collationis cum Donatistis testatur.

Istius Collationis annus nullibi a S. Augustino expressus est: sed Collationis Acta ipsam fuisse celebratam *post Consulatum Varanis* testantur, *Calendis Junii*, id est, anno Christi 411. post captam a Gothis Urbem. Proximo sanè anno Christi 410. Calendis Januarii nulli fuisse dicuntur Consules ordinarii, & propterea in quibusdam Fastis eo modo notatur hic annus: *P. C. Imp. Theodos. Junioris A. III. & Imp. Honor. A. VIII.* Constat tamen eo anno Calendis Februarii creatum esse in Oriente Varanem Consulem, Romæ

ve-

verò circa Calendas Julias Tertullum: & proptereà in Chronico Prosperi & Cassiodnri scriptum est, Varane & Tertullo Consulibus Urbem a Gothis captam fuisse.

Maximus fuit istius Collationis fructus, teste S. Augustino Epistolâ 50. ad Bonifacium data: *Maximè*, inquit, *post Collationem, qua inter nos & Episcopos eorum apud Carthaginem fuit, ex magnâ parte correcti sunt*. Et in lib. de Gestis cum Emerito: *Donatistas*, inquit, *in nomine Christi in gremium Catholicum magna ex parte suscepimus; ita ut penè omnes communi Catholica secutos esse gaudeamus*.

Cæterùm qui mansere perduelles, nullam non captarunt occasionem adversùs Collationem calumniandi. Alii Marcellinum præmio corruptum impudenter effutiebant. Alii conquerebantur quòd Donatistarum Episcopis a Cognitore permissum non esset dicere omnia, quæ caussæ ipsorum patrocinabantur, quia Cognitor Catholicis partibus favebat. Alii denique conquesti sunt, Marcellinum noctu judicasse: quorum insanas querelas refellit S. Augustinus in Libro ad Donatistas post Collationem, & in Lib. de Gestis cum Emerito Donatistarum Episcopo.

Non multò post Collationem Marcellinus vir clarissimus Donatistarum insidiis & calumniis oppressus, jubente Marino Honorii duce, capite plexus est, tanquam reus conjurationis cum Heracliano Africæ Gubernatore & Consule, qui adversus Honorium rebellaverat, initæ, anno Christi 413. S. Augustinus cum cæteris Africæ Episcopis de nobilissimi atque innocentissimi viri salute sollicitus, totius Africanæ Ecclesiæ nomine Episcopum Legatum ad Imperatorem mittendum decrevit, quo statim ad Aulam profecto, idem Augustinus Cæcilianum Africæ Præsidem convenit, ut eum pro Marcellini liberatione deprecaretur. Cæcilianus ipsi spopondit se Marcellini salutem *veluti familiare viaticum* a Marino Duce petiturum; sed nec Cæciliani, nec totius Africanæ Ecclesiæ precibus victus est Marinus, & innocentem Tribunum extremo supplicio addixit Idibus Septembris. De ejus morte legendus est S. Augustinus Epistolâ 259. ad Cæcilianum data, in qua & illius in moribus probitatem, in amicitia fidem, in doctrina studium, in Religione sinceritatem, in conjugio pudicitiam, in judicio continentiam, erga inimicos patientiam, erga amicos affabilitatem, erga Sanctos humilitatem, erga omnes charitatem, in beneficiis præstandis facilitatem, in petendis pudorem, in rectè factis amorem, in peccatis dolorem, rerum præsentium contemptum, & bonorum æternorum desiderium, mira facundia commendat. De Marcellino S. Hieronymus lib. 3. Dialogorum contra Pelagianos scribit: *Sub invidia tyrannidis Heracliana ab hæreticis innocens occisus est*. Ejus memoria Martyrologio Romano VIII. Idus Aprilis est adscripta, cum titulo Martyris. Honorius Imperator Africanorum Patrum suscepta legatione, Marcellino velut insonti vitam & libertatem concesserat, teste S. Augustino in Epist. suprà laudata: sed Imperatoris Mandata post ejus necem in Africam pervenerunt: cujus nuntium cùm accepisset, Marinum Ducem exuit Dignitate & Magistratu, ut testatur Orosius lib. 7. cap. 32.

Quæsitum est, an Marcellini morte Collationis Carthaginensis Acta labefactarentur. Qua de re Honorius Imperator ad Julianum Africæ Proconsulem scribens, ea confirmavit his verbis: *Notione & sollicitudine Marcellini spectabilis memoriæ viri contra Donatistas gesta sunt ea, quæ translata in publica monumenta habere volumus perpetuam firmitatem, neque enim morte Cognitoris perire debet publica fides*. Datum 3. Cal. Septemb. Constantio & Constante Coss. anno scilicet 414.

Porrò Marcellinus ille, quem Collationi præfuisse diximus, *Tribunus*, & *Notarius* dicitur: quæ dignitas in Imperio spectabilis erat. Videntur hi Notarii fuisse similes iis qui in Galliis dicuntur, *Regi Christianissimo a secretioribus Consiliis & Mandatis*: vulgò *Secretaires d' Estat*. Idque colligitur ex Theodorico Rege apud Cassiodorum, lib. 1. Epistolâ 4. *Pater ejus*, inquit, *candidati sub Valentino Principe gessit Tribuni & Notarii laudabiliter dignitatem, honorem qui tunc dabatur egregiis, dum ad Imperiale secretum tales constet eligi, in quibus reprehensionis vitium nequeat inveniri*. De hac dignitate lege Pancirolum in Notitia Imperii, cap. 91.

Ad hunc Marcellinum scripsit S. Augustinus libros *de Peccatorum meritis & Remissione*, contrà Pelagianos, librum *de Spiritu & Litera*, libros *de Civitate Dei*, & Epistolas quatuor. Ad eundem extat Epistola S. Hieronymi 82. Porrò cùm in dicta Collatione facti potiùs quàm juris quæstio ventilanda esset; Cognitor potiùs quàm Judex in ea appellatus est Marcellinus.

§. XIV.

De Impugnatoribus Donatistarum.

IN iisdem ubi orti sunt Regionibus Donatistæ, scilicet in Africa, a doctissimis viris sunt debellati, qui veritatis & Ecclesiæ defensionem susceperunt, nimirùm ab Optato Milevitano & S. Augustino. Scripsit ille sex Libros contra Parmenianum Donatistam, quorum S. Hieronymus meminit in Cathalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: nunc septem legimus: quorum postremus, si solus stylus attendatur, & vetusti quidam consulantur MSS. Codices, non abjudicabitur Optato: si autem S. Hieronymus & Optatus ipsi audiantur, adscribetur alteri ab Optato, antiquissimo quidem Auctori, & qui stylum ipsius fœliciter fuerit imitatus. Certè Optatus ipse in sui Operis exordio sex tantùm Libros pollicetur. In primo de Traditorum, & Schismaticorum Civitatibus, Personis & nominibus acturum se spondet. In secundo, dicturum quæ, vel ubi sit Ecclesia, quæ una est. In tertio se ostensurum Catholicos militem non postulasse, persecutionem non movisse, nec ad eos pertinere, quod ab operariis unitatis, id est a Paulo & Macario Constantis Imperatoris Legatis ad procurandam unitatem, dicitur esse commissum. In quarto, se declaraturum ait, qui sit peccator, cujus Sacrificium repudiat Deus, vel cujus oleum fugiendum sit. In quinto de Baptismate; In sexto, de inconsideratis præsumptionibus & erroribus Donatistarum. Scripsit autem hos libros Optatus sub Valentiniani & Valentis Imperio, initio Pontificatus Damasi, anno Christi circiter 370. quo nempè 40. & ampliùs annos a Diocletiani persecutione Optatus numerat lib. 1. Hanc tamen lucubrationem ad tempora Siricii, qui Damaso successit anno Christi 386. aliquis referendam existimare posset, cùm libro 2. Siricium Damasi successorem in Romanorum Pontificum Catalogo conscribat. *Damaso Siricius* [successit] *hodie qui noster est socius*. Suspicatus est doctissimus Balduinus Siricii nomen illo ex Catalogo expungendum esse, sed inaniter, ut opinor, conjecit. Verisimilius est Damasi temporibus, ipsum libros laudatos contra Parmenianum conscripsisse: deinde electo in locum Damasi Siricio, eos recognovisse, & in serie Romanorum Pontificum adscripsisse nomen Siricii tunc sedentis. *Hieron. in Catal. Script. Eccles.*

Optati temporibus, & post ipsum Optatum,

Do-

Donatiſtas etiam impugnavit atque debellavit S. Auguſtinus, ſequentibus adversùs ipſos conſcriptis libris, nimirum:

1. Pſalmo Abecedario contra partem Donati, ut humillimum vulgus Donatiſtarum cauſam cantando ediſceret, ac eorum Schiſma & errores execraretur, cauſam necnon rationes adversùs impiam ſectam facilibus rithmis expoſitas, abſque labore memoriæ commendaret. Cujus Pſalmi & Poſſidius in Indiculò, & S. Auguſtinus lib.1. Retractationum cap.20. meminerunt.

2. Libro uno contra Epiſtolam Donati, cujus meminit lib.1. Retract. cap.21. & altero contra partem Donati, de quo lib.2. Retract. cap.5. quos libroa recenſet etiam Poſſidius. Sed iſti libri perierunt.

3. Libris tribus contra Epiſtolam Parmeniani Donatiſtarum Carthaginenſis Epiſcopi, qui ſucceſſit Donato, in quo hanc potiſſimùm quæſtionem verſat & ſolvit, utrùm in unitate, & eorumdem communione Sacramentorum mali contaminent bonos?

4. Libris ſeptem de Baptiſmo contra Donatiſtas auctoritate S. Cypriani ſe defendere molientes. Hos recenſet lib.1. Retract. cap.18.

5. Libro uno de unico Baptiſmo contra Petilianum Conſtantinienſem Donatiſtarum Epiſcopum: quem recognoſcit lib. 1. Retract. cap. 34.

6. Tribus libris contra literas ejuſdem Petiliani, recognitis lib.2. Retractat. cap.25.

7. Libro uno de Unitate Eccleſiæ contra eundem Petilianum.

8. Quatuor Libris contra Creſconium Grammaticum, tempore Honorii Imperatoris exaratis: de quibus lib.2. Retractat. cap. 26.

9. Libro contra id quod attulit Centurius a Donatiſtis: quem tempus nobis eripuit.

10. Libro probationum & teſtimoniorum contra Donatiſtas, qui libr. 2. Retract. cap. 27. recenſetur: ſed excidit.

11. Libro contra quemdam Donatiſtam, cujus ſolum nomen ſupereſt lib.2. Retractat. cap. 28.

12. Admonitione Donatiſtarum de Maximianiſtis: cujus meminit lib. 2. Retractat. cap.29. Hujus libri ne apicem quidem habemus.

13. Librum alium de Maximianiſtis contra Donatiſtas, recenſitum cap. 35. lib. 2. Retract. ſed minimè ſuperſtitem.

14. Breviculis Collationum contra Donatiſtas, quibus Geſta in Collatione trium dierum ſpatio, quorum conſcriptio nimiâ prolixitate ſuâ Lectorem fatigabat; in Compendium redegit. De his libr. 2. Retractat. cap. 39.

15. Libro uno ad Donatiſtas, poſt Collationem, quo reſpondet quibuſdam perduellium Schiſmaticorum contra Collationem criminationibus & mendaciis. Quod Opus lib.2. Retract. cap. 40. recenſetur.

16. Item Epiſtolâ nomine Cirtenſia Concilii ad eoſdem: Cujus ibidem fit mentio.

17. Libro ad Emeritum Donatiſtam, cujus nihil præter memoriam habemus, lib.2. Retractat. cap.46.

18. Libro, & Concione de Geſtis cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo, qui Collationi Carthaginenſi interfuerat: ſed tantùm aberat ut ſe victum in eâ ab Orthodoxis Antiſtitibus fateretur: quin potiùs neſcio quos calumniarum fumos in ſuâ Cæſarienſi Mauritania ſpargeret. Eò cùm profectus eſſet S. Auguſtinus, non recuſavit actum agere, & geſta Collationis rurſùs exponere, atque tueri. Ait id ſe feciſſe Honorio duodecies, & Theodoſio octies Conſulibus; nimirùm 7. annis poſt Collationem S. Auguſtinus lib.2. Retractat. cap.51. ſimpliciter ait; *Aliquantò poſt Collationem, cùm quadam orta eſſet neceſſitas pergendi in Mauritaniam Cæſarienſem*, ſe egiſſe cum illo Emerito: neque alioqui cauſſam illius profectionis ſuæ exprimit. Sic tantùm Epiſtolâ 207. *Eo*, inquit, *nos injuncta nobis a Zoſimo Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo Eccleſiaſtica neceſſitas deduxerat.*

19. Scripſit S. Auguſtinus libros duos contra Gaudentium Donatiſtarum Thamugadenſem Epiſcopum, unum ex illis ſeptem, quos in Collatione Carthaginenſi auctores ſuæ defenſionis elegerant. Hic cùm ſeipſum in Eccleſiâ, quibuſdam ſibi adjunctis perditis, incendere minaretur: viro ſpectabili Dulcitio Tribuno & Notario, cui piiſſimus Imperator Honorius Leges ſuas exequendas curâ perficiendæ unitatis injunxit, agenti, ut oportebat, cum furentibus manſuetè, & priùs ad eundem Gaudentium literas pacificas danti, duas reſcripſit Epiſtolas, quas Dulcitius ad S. Auguſtinum refellendas miſit. Id ipſe teſtatur lib. 2. Retractat. cap.59.

20. Plurimas Epiſtolas contra Donatiſtas ſcripſit S. Auguſtinus, nempè 48. ad Vincentium; quinquageſimam ad Bonifacium Comitem, quam & librum de Correctione Donatiſtarum vocat, lib. 2. Retractat. cap.48. in quâ oſtendit ipſos Imperatorum Legibus meritò coerceri & puniri: ſexageſimam octavam ad Januarium Donatiſtarum Primatem nomine Clericorum Hipponenſium: centeſimam trigeſimam ad Cirtenſes a factione Donatiſtarum ad Eccleſiæ Catholicæ ſocietatem converſos: 147. ad Proculejanum Donatiſtam Epiſcopum; 152. ad populum factionis Donatianæ. 161. ad Honoratum Donatiſtam. 162. ad Epiſcopos Donatiſtas. 163. ad Glorium, Eleuſium, & Felices. 164. ad Emeritum. 167. ad Feſtum. 168. ad Euſebium. 171. qua Donatiſtas ſub perſonâ Eccleſiæ Catholicæ ad Communionem adhortatur. 172. & 173. ad Criſpinum Donatiſtam. 203. ad Maximum Donatiſtam Epiſcopum. 204. ad Donatum Presbyterum Donatiſtam. 210. ad Celerem. 237. ad eumdem. 255. ad Macrobium Epiſcopum Donatiſtam, & alias, quas Poſſidius recenſet, & quæ deſiderantur.

§. XV. E Ultimus.

Quamdiu duraverit Donatiſtarum Hæreſis.

Etſi graſſante per Africam Ariana & Pelagiana hæreſi, nulla fermè fieret Donatiſtarum mentio: non ſtatim tamen poſt Collationem Carthaginenſem neſaria hæreſis extincta eſt. Nam & S. Gregorii Magni temporibus multos adhuc ſuperſtites fuiſſe Donatiſtas, fidem faciunt ejus Epiſtolæ. Libro enim 3. Epiſt.32. Indict.12. ad Pantaleonem Africæ Præfectum data ſcribit: *In illis partibus, quantam didicimus, ita Donatiſtarum crevit audacia, ut non ſolùm de ſuis Eccleſiis auctoritate peſtiferâ ejiciant Catholicæ fidei Sacerdotes: ſed & quos verâ confeſſione, aqua regenerationis abluerat, rebaptizare non metuunt.* Tum Præfectum rugat S. Gregorius, eorum ut exceſſus coërceat. Et lib.5. Epiſtolâ 36. ad Columbum Numidiæ Epiſcopum datâ: *Præterea*, inquit, *res ad nos omnino dura & rectæ fidei inimica pervenit; quia, quod dici nefas eſt, Catholici homines, & religioſi, quod eſt deterius, filios, mancipiaque ſua, vel alios quos in poteſtate habeat, in Donatiſtarum hæreſi baptizari conſentiunt. Et ideò, ſi verum eſt, hoc fraternitas veſtra ſummopere ſtudeat emendare.*

Denique lib.6. Epiſtolâ 63. ad Mauritium Imperatorem datâ: *Qualiter*, inquit, *pietatis veſtræ Serenitas contra Donatiſtarum flagitioſiſſimam pravita-*

citatem consideratione justitiæ, & sincerissimè religionis zelo commota sit, directarum lucidissimè tenor insinuat Jussionum, sed venientes viri reverendissimi ex Africanâ Provinciâ Episcopi asserunt ita esse incautâ dissimulatione postpositas, ut nec Dei illic judicium haberetur in meta, nec principales hactenus Jussiones sortirentur effectum: hoc etiam subjungentes, quòd in præfatâ Provinciâ Donatistarum præmiis prævalentibus, fides Catholica publicè venunderur.

SCHOLION I.

In hujus Articuli Paragrapho decimo, pag.58. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Constantinus congregat aliud Concilium, factâ Appellatione a Donatistis a sententia Papæ in Concilio Romano.*

R. Mirum est quòd propositionem reprehendant, *Constantini* Imperatoris literis ad *Elasiam* seu *Ablaviam* Africæ Vicarium, & *Chrestum* Siracusanum Episcopum probatam, necnon Epistola Synodica Concilii Arelatensis ad *S. Sylvestrum*, cujus hæc sunt verba: *Communi copulâ caritatis, & unitate Matris Ecclesiæ Catholicæ vinculo inhærentes, ad Arelatensium civitatem piissimi Imperatoris voluntate adducti, inde te, Gloriosissime Papa, commeritâ reverentiâ salutamus.* Propositionem denique notant, a S. Augustino confirmatam Epistola 43. aliàs 152. cujus hæc sunt verba: *Judices Ecclesiasticos tantæ auctoritatis Episcopos, quorum judicio, & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata est, non apud alios Collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt. Dedit ille aliud Arelatense Judicium, aliorum scilicet Episcoporum; non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.*

SCHOLION II.

In Paragrapho duodecimo, pag.66. Edit. primæ Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Supra Imperatorem solus Deus.*

R. Non mea, sed *S. Optati* Milevitani Episcopi propositio est, lib.3. *Adversùs Parmenianam* scribentis: *Cùm super Imperatorem non sit nisi solus Deus qui fecit Imperatorem*, &c. S. Optati verba hìc tantùm descripsi, de meo nihil addidi.

Nota.

QUæ gessit Constantinus in Synodis convocandis absque Romani Pontificis consensu in exemplum trahenda non sunt, quippe omnes in hoc convenire necesse est, congregandarum Synodorum jus ab iis divelli non posse, quibus suæ regendæ Ecclesiæ Christus contulit potestatem. Ita ante Constantinum, solis indicentibus ecclesiæ Præsulibus, coaluere Synodus Carthaginensis, ubi de hæreticorum baptismo actum est, Antiochena contra Novatum, & altera Antiochena contra Samosatenum, in quibus ingens præsulum numerus videbatur. Primus Constantinus cogendarum Synodorum auctoritatem sibi adscripsit, aliaque solis ecclesiæ Rectoribus convenientia aggressus est, qualia fuere Gallos Judices destinare, qui unà cum romano Pontifice de Donatistis judicarent, post Romanum Concilium ob Donatistarum injustas querelas Arelatense indicere, iterumque post latam in hoc sententiam contra eosdem Donatistas, novum coram se judicium instituere &c. Has ob causas Valesius *lib.3. Vit. Const. cap.51.* dissimulare non potuit *aliquantò plus illum sibi in negotiis ecclesiasticis vindicasse, quàm laico Principi conveniret.* Multa nihilominus illorum temporum infelicitati sunt donanda: unde veluti cogebatur ea ad se trahere, quæ sui juris non esse & ipse agnoverat, Ita, Augustino teste, *ep.162.* post Romanum judicium, Donatistarum querelas esse respuendas non ignorabat: *Non ausus est*, ait, *Christianus Imperator sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de judicio episcoporum, qui Romæ sederant, ipse judicaret.* Agnoverat pariter post synodum Arelatensem Donatistas novum ab ipso judicium postulantes, esse repellendos; unde in literis ad Episcopos Arelatenses, ita eos perstringit apud eundem Augustinum: *O rabida furoris audacia, sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Causæ posteà cognitionem suscepit *a sanctis Antistibus veniam petiturus*, ait S. August. cit.

Alia etiam a Constantino non bene gesta considerant: ut quod æquè inclementer Alexandrum Athanasii prædecessorem exceperit, ac Arium; quòd istum semel damnatum, ab eoque illusum in ecclesiam recipi mandaverit; quòd Tyriam synodum aliasque adversus Athanasium coegerit, ac in eum siverit sævire; quòd insontem Præsulem exilio multaverit, aliaque sub gravium pœnarum interminatione decreverit adversus episcopos, qui Synodis a se indictis adesse renuerent. Unica illius excusandi via est, quia hujusmodi, ad quæ ipsius non extendebatur potestas, cùm & ipse fassus esset Deos, nempe ecclesiæ Præsules non esse a se judicandos, aggressus fuerit ab utroque Eusebio fascinatus.

Nota.

PUtat Natalis, & cum ipso non pauci, Donatistas a Melchiadis judicio ad Imperatorem appellasse. Placuit tamen Valesio *de Schism. Donatist. cap.7.* & Sirmondo in notis ad rescriptum Constantini ad PP. concilii Arelatensis *in calce tom.1. Conciliorum Labbæi*, minimè illos appellasse, sed Judicum paucitatem, aliaque objiciendo, illi acquiescere noluisse. Hujusmodi opinio videtur fundamentum habere in D. Augustino, qui frequenter notat Donatistas conquestos quidem fuisse de judicio Melchiadis, sed tunc ad Constantinum appellasse, quando postea iterum concilium Arelatense ipsos damnavit. Ita habet *lib. de unit. Eccles. cap.18. enar.2. in ps.36. contr. Crescon. cap.7. lib.2. contr. liter. Petilian. cap.92. ep.88. & 89. in nov. edit. ep.93.* Sed audiatur quæ habet *ep.53. Gesta quoque*, ait, *in urbe Roma, ubi ab Episcopis, quos ille miserat, causa cognita atque discussa est; itemque alias literas, ubi declarat memoratus Imperator eos apud se de collegarum suorum judicio, idest Episcoporum, quos ad urbem Romam miserat, fuisse conquestos, ubi etiam alios episcopos voluit apud Arelatum judicare, ubi isti & ab ipsorum judicio ad eumdem Imperatorem appellaverunt.* Et ep.76. *Datis judicibus, quos postulaverant, & Roma judicantibus non obtemperaverunt. Episcopos apud Imperatorem, tanquam male judicaverint, arguerunt. Ab aliis rursus episcopis ad Arelatum missis ad ipsum Imperatorem appellaverunt.* En Augustinum, ubi loquitur de sententia Romæ lata, dicere tantùm eam Donatistas multis querelis proscidisse, ut novum judicium institueretur. Narrando verò quid Donatistæ egerint postquam Arelate iterum damnati fuere, semper affirmat illud judicium declinare voluisse ad Imperatorem appellando.

Unicus Augustini locus excerptus ex psalmo in partem Donati videtur hìc aliquam ingerere

dif-

difficultatem; postquam etenim ibi judiciom Romæ habitum narrat, subdit: *Ausus est & appellare, & post collegarum sedem audiee ab Imperatore.* Iste nihilominus Augustini locus commodè interpretatur de appellatione post concilium Arelatease, nam statioi mentio fit judicii Constantini, quod sane Synodi Arelatensis sententiam subsecutum est. Sed & illud addendum, quod Optatus *lib.1.* cùm ex literis Constantini didieisset Donatistas a Concilio ad Imperatorem appellasse, illique incognitum fuisset concilium Arelateose, illius etenim nunquam meminit, scripsit Donatum a sententia Melchiadis appellasse. Ut hanc verò appellationem ioterveniise probet, illa exeribit verba ex literis Constantini desumpta: *O rabida furoeis audacia! sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Sed quia nulli fas est dubirare Constantinum has literas post concilium Arelatense ad Episcopos scripsisse, palam fit Optatum in eo deceptum, quòd appellationem a sententia Melchiadis lata in concilio romano, interpositam crediderit, cùm Imperator taotùm de appellatione facta a Donatistis post concilium Arelatense conquereretur. Potuit ergo & Augustino, dum scripsit in psalmo contra Donatistas, non adhuc veritas satis innotescere, & cum Optato ignorare, a quo concilio Donatistæ appellaverint. Ubi verò rem melius exploratam habuit, Donatistarum querelas toties ab appellatione distinguens, de romano concilio conquestos tradidit, ab Arelatensi verò synodo ad Imperatorem appellasse.

Pagius ad an.313. num.9. illorum propugnans sententiam, qui dixerunt Donatistas a sententia Melchiadis appellasso, objicit ex ep.43. illa Augustini verba: *Alios apud Arelatum judices episcopos dedit, a quibus tamen illi ad ipsum rursum Imperatorem provocare maluerant.* Si *rursum* ergo priùs quoque ad Imperatorem provocaverant. At non est contra Augustini mentem in voce *rursum* insistendum; nil aliud etenim per eam declarare voluit Augustinus, quam Donatistas nullius voluisse se subdere judicio, & quamvis non semel damnatos, novas semper turbas apud Imperatorem excitasse.

Non solùm verò ex iis, quæ ex Augustino delibavimus, conjicitur Donatistas media appellatione romanos judices non respuisse, sed etiam quia Arelate quidam ex illis Præsulibus tanquam judices sedère, qui cum Melchiade concilio adfuerant romano; quòd si ab illorum sententia Donatistæ appellassent, judicis munus Arelate obire non potuissent. Illi autem fuerunt Rheticius Augustodunensis, Maternus, & Marinus Arelatensis, qui certe etiam in synodo Arelatensi inter Judices assidebant; nam numerantur in titulo literarum ad Sylvestrum, ubi ab iisdem cum aliis Donatistarum causa iterum cognita affirmatur.

Nota.

DUm Optatus Imperatorem, præter Deum, nullum Superiorem agnoscere scripsit, id ad civile gubernium referendum nemo inficiabitur, cùm & ipsi Imperatores spirituali ecclesiæ regimini se subditos agnoverint. Ita dum Constantinus flammis donavit libellos ipsi in Nicæna Synodn adversus ecclesiæ Ministros oblatos, inter alia hæc ait: *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque judicandi. Et ideo nos a vobis rectè judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari.*

ARTICULUS II.

De Schismate Meletianorum.

MEletius Lycopolis in Ægypto Episcopus, nefarii Schismatis auctor fuit anno Christi 306. ut colligit Baroaius Cardinalis ex Epistolâ quadam S. Athanasii ad Ægypti Episcopos, quam Athanasianorum Operum Editores improdenter inscripserunt Orationem primam adversùs Arianos: vel anno Christi 300. aut 301. ut aliis placeet. Ratio autem quæ movit Meletium, ut adversùs S. Petrum Alexandrinum Episcopum Schisma faceret, & Ordinationes ipsi debitas usurparet, fuit odium adversùs Sanctissimum illum Antistitem conceptum, propterea quòd ab ipso, ob Idololatriæ crimen, aliaque scelera, fuisset in Concilio Episcoporum depositus. De Meletio legendi sunt Sanctus Athanasius Apalogiâ 2. Socrates lib.1. Historiæ Ecclesiasticę cap.3. ubi testatur ipsum probra in Sanctos Antistites Alexandrinos Petrum, Achillam & Alexandrum evomuisse, & Ario cum suis partiariis tulisse suppetias: Theodoretus lib.1. Historiæ Ecclesiasticæ cap.9. & lib.4. Hæreticarum Fabularum cap.7. ubi ait Meletianos circa Fidem nihil innovasse, sed privatos duntaxat conventus egisse seorsim ab aliis Episcopis & Ecclesiis, necnon ridicula quædam excogitasse & usurpasse, ut nimirùm corpus alternis diebus aquâ mundarent, cum plausu manuum, & saltatione quâdam Hymnos concinerent, & tintinoabula multa ligno appeosa agitarent. In Synodo Nicæna compressus est Meletius, & damnati Meletiani. Quid in eorum caussa magnum Concilium decreverit, suo loco dicemus. Meletiani Schismatis caussam aliter refert S. Epiohanius Hæresi 68. sed ipsum in hac Historia texendâ falsis monumentis, & ab aliquo Meletiano acceptis deceptum fuisse, singulari Dissertatione probabimus.

ARTICULUS III.

De Arianis, & Semi-Arianis.

§. I.

De Arii persona.

ARiana Hæresis, quæ ut perfidiâ nulli est inferior; ita calliditate ac versutiâ vincit universas, malè auspicatum ab anctore Ario nomen adepta est. Is ex Libya fuit oriundus, teste S. Epiphanio, ea videlicet quæ Ægypto vicina est, & Alexandriæ contributa. Unde Constantinos apud Socratem lib.1. cap.10. Alexandriam vocat Arii patriam. Externâ corporis, oris, & habitûs specie eam præferebat virtutem, gravitatem ac modestiam, quâ facilè hominibus illuderet; eam in verbis comitatem, urbanitatem, easque blanditias, ut omnium sibi animos conciliaret. Dialecticarum argotiarum erat peritissimus. Schismaticus fuit antequam Hæresiarcha; Meletio quippè res novas molienti se adjunxit, ot scribit Sozomenus lib.1. Historiæ Ecclesiasticæ cap.14. Ex Schismate conversus, a S. Petro Alexandrino Diaconus ordinatus est. Sed cùm Petrus Meletii fautores excommunicasset, nec eorum Baptismum vellet admittere, id est, cùm eis Baptismi administratione ut & cæteris muniis Ecclesiasticis interdice-

diceret, Arius hujus impatiens & vituperator disciplinæ, ab eo pulsus est ex Ecclesia. Narrant Acta S. Petri Alexandrini, quæ Anastasius Bibliothecarius ex Græcia Latina fecit, cùm Arius in Communione restitui a S. Petro in carcere constituto, & jam martyrio proximo vehementiùs postularet, Christum Sanctissimo Antistiti noctu apparuisse veste discissâ, caussamque rei sciscitanti respondisse: *Arius mihi scidit. Præcave omnino ne eum in Communionem recipias. Quin potiùs jubeto Achillæ & Alexandro Presbyteris, qui post meum exitum recturi sunt Ecclesiam meam, ne eum in communionem recipiant.* Sed eam Visionem, & Acta ipsa in quibus refertur, suspecta meritò esse Eruditis, Dissertatione singulari ostendemus.

Apud Baron. ad ann. Chr. 310. num. 4. & 5.

Post S. Petri martyrium, in Ecclesiam Arius irrepsit, & ab Achilla susceptus in Communionem, Presbyter factus est, ut S. Epiphanius refert Hæresi 69. quamquam Gelasius Cyzicenus a S. Alexandro Presbyterum ordinatum, & Baucalensis Ecclesiæ regimini præfectum scribat. Ipsum ad fabricandam hæresim impulit ambitio & invidia in Sanctum Alexandrum, quem sibi prælatum in electione ad Episcopatum Alexandrinum ægrè ferebat, teste Theodoreto, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 2. & lib. 4. Hæreticarum Fabularum cap. 1. Falsum itaque est quod Philostorgius Arianus Historicus lib. 2. cap. 3. scribit, Arium S. Alexandri electioni benevolentissimè fuisse suffragatum.

§. II.

Quo tempore Arius hæresim condiderit, & qui fuerint illius errores.

HÆresim disseminare cœpit Arius anno Christi 317. iis nempè diebus, quibus Crispus & Constantinus Junior Cæsares creati sunt, ut colligitur ex Orosio lib. 7. cap. 28. quod eo anno contigisse Fasti Idaciani notant. Ante Licinii persecutionem, promulgatam asserere nequaquam necesse est propter auctoritatem Lactantii, qui lib. 4. Divinarum Institutionum cap. ultimo Arianorum meminit: nam Arianorum nomen in textum Lactantii irrepsit, nec in melioris notæ Codicibus legitur. Ad annum duntaxat 321. Arianæ hæreseos ortum refert S. Hieronymus. Utraque epocha suam probabilitatem habet. Neutram Baronius probat, qui Arianæ Hæreseos natales anno Christi 315. consignat.

Ut ut est, S. Alexandro de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis in conventu Ecclesiastico disserente, & Filium Patri honore parem, ejusdemque cum ipso substantiæ prædicante, Arius palàm apertèque restitit, asserens unum esse verum proprièque dictum Deum, scilicet Patrem. *Solum ingenitum, solum æternum, solum nullo principio inchoatum, solum verum, solum immortalitate præditum, solum sapientem, solum bonum, qui genuit Filium unigenitum ante tempora æterna, per quem sæcula condidit.*

2. Asseruit *Filium esse creaturam Dei perfectam, sed tamen, non ut aliquid ex creaturis, non esse γέννημα Patri consubstantiale, voluntate Dei ante tempora conditum, non esse coæternum Patri; neque Patris naturam, ut in se est, cognoscere, nec suam ipsius, alienum externumque esse a Patre quantùm ad substantiam, ex non extantibus factum esse: id ex ἦν ποτε fuisse tempus quando non erat, Verbum mutabilitati obnoxium esse, ac in libero ejus arbitrio fuisse, quandiu vellet, bonum permanere. Deum porrò, cùm præcognosceret eum bonum futurum, anticipando illi hanc gloriam dedisse, quam homo postmodùm ex virtute mereretur: ipsum proinde participata gratia Deum fieri; ut reliquos omnes, sic & ipsum titulo tenus Deum vocari.* Hæ Arii blasphemiæ decerptæ sunt ex ejus *Taleia*, cujus fragmentum refert S. Athanasius in Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ; ex illius & primorum discipulorum Epistola ad S. Alexandrum Episcopum Alexandrinum, quam refert ibidem S. Athanasius; ex S. Athanasio Oratione 2. contra Arianos pag. 138. ex Epistola Synodica Nicæni Concilii ad Ecclesiam Alexandrinam, quam refert Socrates lib. 1. cap. 6. ex S. Epiphanio Hæresi 69. & ex Theodoreto lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 2. & lib. 4. Hæreticarum Fabularum cap. 1.

3. Erravit etiam Arius circa mysterium Incarnationis: Verbum namque divinum corpus inanimum assumpsisse asseruit, animæque partes implevisse divinitatem, ut testatur Theodoretus loco suprà laudato, & S. Athanasius lib. de salutari Adventu Christi.

4. Hymnum glorificationis pervertit, suos cantare docens, *Gloria Patri per Filium, in Spiritu Sancto.*

5. Arianos Catholicos rebaptizasse scribit S. Augustinus lib. de Hæresibus: sed id ipsis a nemine præterea Veterum exprobratum lego.

§. III.

De primis Arii discipulis, & fautoribus. Et de S. Alexandri adversùs novam Hæresim vigilantia.

SAnctus Epiphanius initio septem Presbyteros Ario inhæsisse docet; Episcopum unum, Secundum Pentapolitanum, & Virgines septingentas. Sanctus autem Alexander in Encyclica Epistola apud Socratem lib. 1. cap. 3. quatuordecim tantùm ejus discipulos recenset, in quibus Secundus Ptolemaidis, & Theonas Marmaricæ Episcopi eminebant. Hos coacto Alexandriæ centum circiter Episcoporum Concilio, anathemate damnavit S. Alexander, deque eorum damnatione Epistolam Encyclicam ad universos Ecclesiæ Catholicæ Episcopos dedit. Ejusdem Concilii meminit Sozomenus lib. 1. cap. 14.

Alexandriâ fugiens Arius, in Palæstinam abiit. Ibi singulos Episcopos adire, singulis adulari cœpit, quò plures sibi suffragatores adjungeret. Ex his quidam ipsum receperunt, alii repulerunt; quæ mox ut ad aures Alexandri Patriarchæ Alexandrini perlata sunt, varias scripsit ad plurimos Episcopos literas Sanctissimus Antistes, quibus eis Arii & sectatorum impietatem detexit. Dedit inter alias eruditissimam & luculentissimam ad S. Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum, quam legimus apud Theodoretum lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 4. Patrocinium Arii & ipsius Hæreseos suscepit Eusebius Nicomediensis, ad quem extat Epistola ab Hæresiarcha illo data apud Theodoretum lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 5. & apud S. Epiphanium Hæresi 69. In hac Epistola vocat eum Arius verè Collucianistam, quòd verisimiliter S. Luciano Antiocheno simul operam dedissent: quamvis iniquum sit Arii errores Sanctissimo illi Martyri tribuere, quem tot laudibus exornavit S. Chrysostomus.

S. Alexandri contra Arium Epistolas memorat S. Epiphanius Hæresi 69.

Interim Thaleiam suam Arius composuit. Cantilena hæc erat mollis & impura, cujus nomen & modum a Sotade veteri Poeta mutuatus est. In hac omne Hæreseos suæ virus expressit, ut illud suavibus modulis in hominum & muliereu-

la-

larum ad voluptates proclivium animos infunderet. De hac execranda cantilena lege S. Athanasium lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ, & Oratione 2. contra Arianos. In Aulam etiam irrepsit perfidus Hæresiarcha, & Constantiam Augustam Constantini sororem suis partibus addixit, ejusque deinceps patrocinio usus est.

Post hæc, Concilium in Bythinia convocavit Eusebius Nicomediensis; ex quo ipse & ejus Symmistæ literas ad omnes Episcopos dederunt, quibus eos adhortabantur ut suam in communionem restituerent Arium ejusque sectatores, & Alexandrum ipsum ad pacem cum illis ineundam impellerent. Superest harum Epistolarum una ad Paulinum Episcopum Tyri data apud Theodoretum lib. 1. Historiæ cap. 6. In ea gratulatur quòd Eusebius Cæsariensis veritatis defensionem susceperit: (sic dogmata Ariana vocat, quæ ibidem exponit) eumque tam insigni exemplo ad scribendum pro Arianæ caussæ defensione invitat, blandis verbis ejus tarditatem & silentium coarguens.

Arianorum Epistolis, malis artibus, & blasphemiis Tomum, seu libellum opposuit adversùs Arium & ejus blasphemias a se editum S. Alexander, eumque misit ad Episcopos Ægypti, Thebaidis, Libyæ, Pentapoleos, Syriæ, Lyciæ Pamphiliæ, Cappadociæ, Asiæ, ac finitimarum regionum, qui ipsi subscripserunt, & summa consensione cum Alexandro conspirarunt ad propugnandam fidei veritatem, ut constat ex Theodoreto lib. 1. Historiæ cap. 4. Certiorem etiam de Arii Hæresi, & de turbis ab ipso in Ægypto, & Palæstina excitatis, fecit Silvestrum Romanum Pontificem, ut testatur Liberius in Epistola ad Constantium Imperatorem data: quia noverat ad Summum Pontificem præcipuè pertinere judicium de caussis fidei, quas majorum caussarum nomine tota intellexit Antiquitas.

§. IV.

De Arii damnatione, restitutione, & exitu.

ARius damnatus in Alexandrino, quod missus a Constantino congregavit Osius, Concilio, ac deinde in Nicæno, quod S. Athanasius Apologiâ 2. Epistolâ ejusdem magnæ Synodi ad Ecclesiam Alexandrinam. Socrates lib. 1. cap. 5. & Theodoretus lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 6. testantur, a Constantino Imperatore in exilium cum suis discipulis amandatus est, eodem Socrate, & Philostorgio testibus. Edictum prætereà tulit pientissimus Imperator, quo tam Arium, quàm ejus fautores sempiternâ notavit ignominiâ, jubens omnes in posterum *Porphyrianos* appellari, a Porphyrio Apostata & infensissimo Christianæ religionis hoste, cujus impietatem imitabantur, Filium quem adoraverat semper Ecclesia, in ordinem creaturarum redigentes, & sic Idololatriam inducentes: quod egregiè explicat S. Athanasius Oratione 4. contra Arianos, pag. 468. & 469. Decrevit etiam Constantinus ut Arii Thaleia, & quicquid uspiam librorum illius extaret, igni traderetur, pœnâ capitis in eos constitutâ, qui ipsos penes se retinerent. (Ex Socrate lib. 1. cap. 6. ubi Constantini Edictum ea de re ad Episcopos & populum datum recenset.)

Anno Christi 330. Constantia magni Constantini sorore, Arii revocationem, ut erat morti proxima, singularis beneficii loco ab Imperatore postulante, in Aulam ab ipso vocatus est. Leguntur Constantini literæ ad ipsum hanc ob caussam datæ, apud Socratem lib. 1. cap. 9. Id autem factum est cujusdam Presbyteri, Ariani quidem, sed occulti, quem Constantia moriens Constantino commendaverat, industriâ. Sacra jussione acceptâ, Constantinopolim cum Euzoio discipulo, Alexandrinæ olim Ecclesiæ Diacono, profectus est. Rogati ab Imperatore utrùm Nicænæ fidei assensum præberent, se eam amplecti asseruerunt. Tum jussi ut fidei professionem scriptis mandarent, & subscriptione munirent, Formulam obtulerunt Principi Catholicam in speciem, sed æquivocam, & quæ errorem non excluderet. Se enim credere profitebantur *in unum Deum, Patrem omnipotentem, & in Dominum Jesum Christum, Filium ejus, ex ipso antè omnia sæcula genitum, Deum Verbum per quem omnia facta sunt, cùm quæ in cœlis, tùm quæ in terris.*

Imperatoris mandato Alexandriam reversus est Arius anno Christi 331. & Eusebii etiam Nicomediensis Epistolam ad Athanasium Patriarcham Alexandrinum detulit, qua ipsum obtestabatur ut Arium reciperet. Restitit Athanasius, nec Imperatoris literis, quibus ipsi & depositionem, & exilium minabatur, nisi Arium in Ecclesiam admitteret, flecti potuit invictæ constantiæ Præsul. Ista constant ex ipsomet S. Athanasio Apologiâ 2. pag. 778. ex Socrate lib. 1. cap. 20. & Sozomeno, lib. 2. cap. 26.

Anno Christi 335. cùm Hierosolymam ad Dedicationem Templi Constantini munificentiâ extructi, Episcopi frequentes convenissent, rogatique fuissent, ut Professionem fidei, quam ab aliquot annis Arius Imperatori obtulerat, expenderent, jussique ab eodem Principe, ut si recta videretur, illum restituerent Communioni: Eusebianorum factio, quæ illo in Concilio prævaluit, Formulam fidei præfatam, nihil non Orthodoxum & Ecclesiasticum continere pronuntiavit: admisitque in Ecclesiam cùm Arium ipsum, tum Arianos omnes, quasi per invidiam olim anathemate damnatos. Id constat ex Epistolâ Synodica istius Concilii relatâ a S. Athanasio lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ, pag. 586. ex eodem Patre Apologiâ 2. pag. 621. & in Epistola ad Solitarios, pag. 627. ubi hæc habet: *Arianos in communionem recepere, sine omni curâ respectuque tot judiciorum, quibus illi damnati erant; iterùmque Imperiale Mandatum caussificati sunt; nec puduit eos in Epistolis suis scribere, post Athanasium afflictum odium desiisse. Quin illud nosi sunt sine omni fronte adjicere, Arianos rectè sentire.* Legendi item Socrates lib. 1. cap. 22. Rufinus lib. 1. cap. 2. & Sozomenus lib. 2. cap. 26.

Anno Christi 336. urgentibus Arianis, qui ad Concilium Constantinopolitanum contra Marcellum Ancyranum Fidei Nicænæ defensorem convenerant, ut Arius, quem plebs Alexandrina ab Ecclesiæ ingressu arcebat, & execrabatur semper ut Hæresiarcham, in Communionem Constantini mandato reciperetur, gratiâque frueretur, quam ipsi concesserat Hierosolymitana Synodus: Imperator ipsum vocavit Constantinopolim. Oblatâ pientissimo Principi fidei Formula, quam Nicænam ipsam fuisse tradit Socrates, ita se credere juramento confirmavit, aliam perfidiæ suæ Formulam sub ala recondens, de qua juramentum suum restrictione mentali intelligebat, ut Socrates refert. Regebat tunc temporis Constantinopolitanam Ecclesiam S. Alexander, Apostolicus Antistes, & Nicænæ Synodi propugnator acerrimus: qui triumphaturum Arium dolens & Hæresim Eusebii Nicomediensis & aliorum patrocinio fultam, necnon credulitate nimia Constantini securam, ad preces & jejunia confugit, unà cum S. Jacobo Nisibis Episcopo. Quorum votis annuens Deus,

& Ec-

& Ecclesiæ suæ integritati prospiciens, ne communione infamis Hæresiarchæ violaretur, Arium simul communione & vitâ privavit. A Deo itaque invisibiliter percussus, animam simul cum visceribus, & sanguine in latrinis effudit, vespere Sabbati quod Dominicam præcessit, qua Eusebius Nicomediensis, aliique Arii fautores, illum se in Ecclesiam, invito S. Alexandro, introducturos gloriati fuerant. Ista constant ex S. Athanasio Oratione 1. contrà Arianos pag. 130. ex S. Epiphanio Hæresi 69. Socrate lib. 1. cap. 25. Theodoreto, lib. 1. cap. 14. & lib. 4. Hæreticarum Fabularum cap. 1. & Sozomeno lib. 2. cap. 28.

§. V.

De multiplici Arianæ Sectæ factione.

ARiana Secta progressu temporis in tres factiones divisa est. Prima fuit eorum qui primigenium Arii errorem & meram blasphemiam propugnabant. Hanc Aëtius & Eunomius amplexi sunt, qui & proprios errores addentes Arianæ Hæresi, sectam sui nominis condidere. Secundùm hos etiam sensit Eudoxius Antiochenæ Sedis invasor. His etiam adhæsit Georgius Alexandrinus. Hi in Conciliabulo Antiochiæ congregato anno Christi 360. Formulam fidei conscripserunt, in qua Filium Dei Patri per omnia dissimilem asseruere. Quamobrem ἀνόμοιοι nuncupati sunt. Huic etiam parti adhæserunt Euzoius, qui Antiochiæ, post redactum in ordinem Meletium, Episcopus inauguratus est, Uranius Tyrius, Valens Mursæ, & Ursacius Singidonis Episcopi, Germinius Sirmiensis, Cajus Demophilus, & Auxentius Mediolanensis. His assentiebatur reipsa Acacius Cæsareæ in Palęstina Episcopus, ut Sozomenus scribit lib. 4. cap. 12. quamvis propriæ ipse factionis auctor fuerit, sed palam Arianas blasphemias non propugnabat, Semi-Arianis potiùs communicans.

Altera factio fuit Semi-Arianorum, qui vocem ὁμοούσιον rejiciebant, & Filium Patri minimè consubstantialem esse, sed per omnia similem, adeoque κατ' οὐσίαν dicebant, & ὁμοιούσιον esse Patri, quòd editâ fidei formulâ in Ancyranâ Synodo anno Christi 358. professi sunt. Hujus factionis principes extiterunt Basilius Ancyranus, Georgius Laodicænus, Silvanus Tarsensis, Sophronius Pompeiopolitanus, Eleusius Cyzicenus, Macedonius Constantinopolitanus, qui execrandam Hæresim contra Spiritum Sanctum postea vulgavit, Marcus Arethusius, Cyrillus Hierosolymitanus, Eusebius Samosatenus, & Meletius Antiochenus. Semi-Arianos asseruisse Filium esse creaturam, non tamen cæteris similem creaturis; & negasse divinitatem Spiritûs Sancti, tradit S. Epiphanius: sed hos errores omnibus, quos modò nominavimus, tribuere nimis iniquum est, ut Basilio Ancyrano cujus fidem laudat S. Athanasius lib. de Synodis, & Cyrillo Hierosolymitano, necnon Meletio Antiocheno, quos Ecclesia ut Sanctos veneratur, & qui cum Catholicis & sanctis Episcopis communione juncti fuerunt, ab iisque laudati, ut Meletius a SS. Basilio, & Gregorio Nazianzeno. Iniquum est etiam hos errores tribuere Eusebio Samosateno, Fidei Nicænæ acerrimo vindici, & Martyri. Neque ideò Hæretici censeri debent, quòd vocem ὁμοούσιον admittere nollent, & ὁμοιούσιον duntaxat profiterentur, ut Dissertatione singulari ostendemus.

Tertia factio Sectæ Arianicæ fuit Acacianorum. Hujus princeps fuit Acacius Episcopus Cæsariensis, quem privatæ cum Cyrillo Hierosolymitano inimicitiæ a Semi-Arianorum partibus, quibus antea adhærebat, abstraxerunt, impuleruntque, ut propriam factionem conflaret. Jurgium autem inter illum & Cyrillum obortum est ob Metropoliticæ Dignitatis jura, quam in Cæsariensi Prçsule non satis revereri Cyrillus videbatur, Nicæno fretus Canone, quo singularis Hierosolymitanæ Sedi concessa fuerat prærogativa, ut testatur Sozomenus lib. 4. cap. 24. Hic igitur Acacius neque consubstantialem esse Patri Filium asserebat, neque unam ex creaturis, sed similem, non tamen substantiâ, vel οὐσία. Non ὁμοούσιον, ut prædicabant Catholici, non ὁμοιούσιον ut profitebantur Semi-Ariani, non ἀνόμοιον ut blasphemabant Aëtiani, Eunomiani, & Eudoxiani, sed ὅμοιον propugnabat. Quod ille sic exponebat: ut quemadmodum statuarii effigies, & simulacra hominum vivorum ad similitudinem exprimunt, quæ naturâ substantiaque diversa ac dissimilia, externâ solâ specie ac lineamentis similia, sunt: sic Pater similem sibi Filium procreaverit; non tamen divinitate, vel æternitate parem & æqualem. Ista constant ex Sancto Epiphanio Hæresi 73. Num. 23. & 24. & ex Formulâ Fidei, quam Leonæ Comiti in Seleuciana Synodo obtulit Acacius, & quam SS. Athanasius lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ, Epiphanius Hæresi 73. Socrates lib. 2. cap. 2. describunt. Ejusdem meminit, fragmentumque illius refert Sozomenus lib. 4. cap. 21. Inter Acacianos celebriores extiterunt Uranius Tyrius, & Eutychius Eleutheropolitanus, ut S. Epiphanius scribit: qui perperam ipsis accenset Meletium virum sanctissimum, & Nicænæ Fidei invictissimum defensorem.

§. VII.

De insidiis & persecutionibus Arianorum in S. Athanasium, & alios Nicænæ Fidei Defensores.

ANno Christi 331. cùm S. Athanasius in recusandâ Ario communione constantissimus esset, Eusebiani Meletianis conjuncti calumnias in S. Athanasium commenti sunt, ut Constantinum Imperatorem ipsi infensum redderent. Id testatur S. ipse Athanasius Apologiâ 2. pag. 604. *Cùm ego*, inquit, *Cæsari persuasissem nullam esse debere Ecclesiæ Catholicæ cum Hæresi Christi oppugnatrice communionem, tum demum tempus obvenisse arbitratus Eusebius, quod cum Meletianis constituerat, literas ad eos scribit, ut scelera de nobis fingerent, & famâ spargerent.*

Prima ipsorum calumnia fuit de exactione tributi. Accusarunt scilicet Athanasium quòd novum tributum Ægyptiis de pendendis Ecclesiæ linteaminibus indixisset: sed Apis atque Macarius, qui tum Nicomediæ in Aula Imperatoris, Deo volente, inventi sunt, hanc a suo Patriarcha facilè depulerunt calumniam, certiorem facientes Imperatorem, quòd pia quidem collecta de more ab Athanasio facta esset ad fidelium spontaneas oblationes in Ecclesiæ & ministrorum ornatum suscipiendas: nullius verò tributi exactio facta esset. Ista constant ex S. Athanasio Apologiâ 2.

Dilutâ hujusmodi calumniâ ab Athanasii Presbyteris non quieverunt Eusebiani, sed novas construxere calumnias. Macario ex illis Presbyteris alteri crimen fracti Calicis impegerunt: Athanasio verò perduellionis, & læsę Majestatis scelus; quòd scilicet Philomeno cuidam hosti Imperatoris magnam pecuniæ vim subministrasset. Caussam Psammathiæ, quod Nicodemiæ suburbium est, cognovit Constantinus, factisque hujusmodi accuratè discussis, Eusebianos calumniæ reos, Athanasium insontem pronuntiavit, eum-

que

que ad suam remisit Ecclesiam, honorificas de illius innocentiâ literas ad Clerum, Populumque Alexandrinum scribens, quas Apologiæ suæ secundæ idem Sanctus inseruit. De iisdem legendus Theodoretus lib.1. cap.26. & 27.

Anno Christi 332. Meletiani & Eusebiani suas in S. Athanasium calumnias iterarunt, ac novas commenti sunt, Ischyram Pseudopresbyterum, & revera Laicum, perditis moribus virum Colluthi Hæresiarchæ & Schismatici sectatorem, qui in quodam pago Mareotidis Sacerdotii munia usurpabat, ad confirmandam suffragio suo de fracto calice accusationem inducentes, & novam de cæde Arsenii ab eodem Athanasio perpetrata addentes sycophantiam. Hæc referunt S. Athanasios Apologiâ 2. Socrates lib.1. cap.20. Theodoretus lib.1. cap.28. Ischyras paulò post conscientiæ stimulis, & amicorum suasione impulsus, supplex a S. Athanasio veniam petiit, atque ad tam putidas calumnias in S. Antistitem spargendas, vi & verberibus a Meletianis & Eusebianis se adactum esse contestatus est. Ischyræ libellum quo hæc in scriptis confessus est, sex Presbyteris coram, & septem Diaconis, recenset S. Athanasius Apologiâ 2.

Tam solemnis Ischyræ Palinodia Meletianos & Eusebianos a malè cœptis in Athanasium non revocavit. Calumniam de Arsenii Meletiani Hypselitarum Episcopi fictitiâ cæde ubique sparserunt, ipsum occultantes, & manum hominis cujusdam mortui ostentantes, ut manum Arsenio ab Athanasio amputatam, quo eâ ad magicas præstigias uteretur, Arseniumque ab ipso occisum nimium credulis persuaderent. Has calumnias ad sacras aures Imperatoris detulerunt anno Christi circiter 333. qui Dalmatio nepoti suo, Antiochiæ Censori, hujus cognitionem caussæ demandavit. Scripsit S. Athanasius ad Episcopos Ægypti ut in detegendo Arsenio, quem in aliquo Thebaidis Monasterio latitare suspicabatur, operam navarent: illucque Diaconum misit, qui in ejus latebras inquireret. Accepit Diaconus illum in Monasterio quodam degere, cui Pinnes Sacerdos præerat. Sed illius adventûs præcognitâ caussâ, dictus Monasterii Præpositus Arsenium clam navi impositum, in Ægyptum inferiorem transvehi jusserat. Diaconus S. Athanasii spe sua frustratus Pinnem, & Monachum quemdam Eliam nomine arreptos duci curavit Alexandriam, & sisti coram Duce, seu totius Ægyptiacæ Militiæ generali Præfecto: cui fateri coacti sunt vivere Arsenium, in suo Monasterio illum delituisse, & etiamnum degere in Ægypto; nec alio ipsum secessisse consilio, quàm ne fabula de illius cæde ab Athanasio perpetrata detegeretur. Patefacta veritate, Pinnes ad Joannem Pseudoëpiscopum, Meletii in Schismate successorem literas dedit, quibus ipsum monuit, ne cædis Arsenii accusare pergeret Athanasium, quem vivere coram Duce confessus erat. Hanc Epistolam refert S. Athanasius Apologiâ 2. Idem Arsenius Tyri postea ab amicis S. Athanasii inventus, noluit se fateri Arsenium, donec in judicio a Paulo Tyri Episcopo, qui eum probè noverat, convictus est. De incolumitate Arsenii certior factus Constantinus, literas ad Athanasium dedit, quibus Meletianorum crimina, & nefarias calumnias execratus est. Jussit Athanasio ut literæ illæ ipsius gloriosæ innocentiæ testes ad populum recitarentur; Meletianisque minatus est, ni quiescerent, se in eos secundùm legum severitatem animadversurum. Has refert S. Athanasius Apologiâ 2. Lege Socratem lib.2. cap.20.

Tam illustris S. Athanasii victoria Meletianos prostravit, Arseniumque cum Presbyteris & Diaconis illi adhærentibus supplicem abjecit ad pedes sanctissimi Patriarchæ, ut ejus communionem postularent, ipsique reverentiam & obedientiam secundùm Nicæni statuta Concilii pollicerentur. Quod datâ ad ipsum Epistolâ præstiterunt, quam refert S. Athanasius Apologiâ 2.

Anno Christi 335. novas adversùs S. Athanasium calumnias vulgarunt, & veteres refricarunt Eusebiani, Concilium Tyri celebrandum ab Imperatore impetrantes. Eo in conciliabulo calumnias de cæde Arsenii, & de fracto calice tam solemniter convictas instaurarunt. Latuit parumper in diversorio Arsenius Athanasio rogante, ac demum ab eo in Synodo adductus, & pro vero agnitus Arsenio, utramque manum ostentans, silentium Eusebianis imposuit, ac pudorem incussit. (Ex Theodoreto lib.1. Historiæ Ecclesiasticæ cap.30.) Narrat ibidem Theodoretus aliam Eusebianorum technam de meretriculâ conductâ quæ se ab Athanasio vi oppressam quereretur, quæ cùm Timotheum sese Athanasium simulantem, ereptæ sibi virginitatis petulantiùs accusaret, calumnia illico detecta est.

Quod spectat calumniam de fracto calice Athanasio ab Eusebianis irrogatam, quòd ejus jussu id sceleris patrasse Macarium dicerent, notandum est Episcopos Alexandrinos in Epistolâ Synodica, quam S. Athanasius Apologiâ 2. describit, calumniam illam ex duplici capite revincere. Primò quòd locus in quo confractum calicem jactitabant, Ecclesia non esset, nec quisquam Presbyterorum ei loco vicinus, neque dies quo id factum a Macario effutiebant, esset Dominica, neque sacra fierent, neque dies hoc ipsum postularet. Ex quibus constat hanc fuisse Ecclesiæ Alexandrinæ disciplinam S. Athanasii temporibus, ut sacri calices nonnisi in locis sacris asservarentur, nec Missæ Sacrificium celebraretur aliis diebus quàm Dominicis.

Cæterùm cùm Eusebiani fracti calicis Athanasium convincere non possent, sententiam eâ de re suspensam voluerunt, donec de probationibus constaret. Ad eas concinnandas, & ab Arianis, Meletianis, Colluthianisque extorquendas, sex Episcopos Arianos S. Athanasio infensissimos, scilicet Theognidem, Marim, Macedonium, Theodorum, Ursacium, & Valentem, clam in Mareotem regionem cum inquirendi potestate delegarunt, reclamantibus & intercedentibus Episcopis Ægyptiis, quorum libellum Synodo Tyriæ oblatum S. Athanasius recenset Apologiâ 2. Iidem Antistites Alexandri Thessalonicensis Episcopi auctoritatem, quæ apud Dionysium Comitem servando judiciorum ordini in Synodo præfectum ab Imperatore, erat maxima, interposuerunt, ut Commissarios ad inquirendum contra S. Athanasium, communi omnium Episcoporum suffragio nominari obtineret, alios a professis & conjuratis illius hostibus. Illius Episcopi ad Dionysium Epistolam describit S. Athanasius Apologiâ 2. necnon Epistolam ejusdem Comitis ad Eusebianos Antistites, quibus eos monet ac hortatur, ut communi omnium Episcoporum qui Tyri aderant, & Alexandri Thessalonicensis consensu & suffragio Commissarii deligerentur, ne quid contra judiciorum publicorum ordinem, & æquitatem a se & illis actum hâc in causâ ipsis meritò, sibique exprobrari posset. Verùm cùm Eusebiani Comitis consiliis non parerent, quia si paruissent, opprimendum non fore Athanasium noverant; Catholici Ægypti Episcopi contestatorium libellum, seu instrumentum appellationis ad Constantinum Imperatorem ab ipsis tunc interjectæ, de vi publicâ Ecclesiæ Alexandrinæ & ejus Episcopo, & consequenter omnibus Ægypti Ecclesiis ab Eusebianis

illa-

illatâ in Synodo, Comiti Dionysio obtulerunt; ipsum rogantes, ut hujus cognitionem caussæ Imperatori servaret. Hunc libellum recenset S. Athanasius loco supra laudato.

Has Ægyptiorum Episcoporum contestationes Eusebianorum conjuratio irritas fecit. Mareotem profecti sunt Commissarii ab ipsis electi cum Ischyra Athanasii accusatore, & Philagrio Ægypti Præfecto, ethnico homine, & Christianæ religionis desertore. In domo ipsius Ischyræ accusatoris commorati sunt præclari illi judices, Cathecumenos, Judæos, Paganos, testes contra Athanasium & Macarium audivere, Clericos omnes qui S. Athanasio communione jungebantur, a ferendo repulere testimonio.

Judiciorum ordinem omnem perturbari & everti, opprimique æquitatem & innocentiam cernentes Alexandrini & Mareotici Presbyteri & Diaconi, contestatorium libellum significaverunt Eusebianis Inquisitoribus, cujus transumptum dedere Palladio uni ex Magistratibus Imperatoris. Alterum libellum ad Patres Tyri congregatos Mareotici Clerici, qui S. Athanasium dum sacram illâ in regione visitationem obiret, semper fuerant comitati, direxerunt, quo ipsos fecere certiores de Commissariorum irregulari prorsùs & iniquo in instruendâ lite agendi modo, de Ischiræ criminibus & calumniis, & Sancti Athanasii integris inculpatisque moribus. Tertium denique libellum contestatorium obtulerunt Philagrio Præfecto, & aliis Aulæ Imperatoriæ Ministris, ipsos obsecrantes in nomine Dei omnipotentis, & Augusti Imperatoris Constantini, & filiorum eius Illustrissimorum Cæsarum, ut eius Pietatem his omnibus de rebus commonerent. Hos Libellos describit S. Athanasius Apologiâ 2.

Cùm hæc Mareotæ agerentur, S. Athanasius Tyri se inter hostes minimè securum conspiciens, quibus Dionysius Comes favebat, e Synodo secessit, de vi sibi ab Arianis illatâ ad Imperatorem appellans, ut ipsemet in Apologia 2. testatur; Ipsum interim absentem indictaque causâ damnarunt Eusebiani, & Episcopatu abdicarunt.

Constantinopoli coram Imperatore stetit S. Athanasius, ab ipsoque ægrè obtinuit ut Eusebianos, a quibus Tyri, omni juris ordine insuperhabito damnatus fuerat, suum ad Tribunal evocaret. Id præstitit datis ad ipsos literis, quas describit S. Athanasius Apologia 2. pag. 622. quas etiam recenset Socrates lib. 1. cap. 22. & Sozomenus lib. 2. cap. 27. Imperatoris mandato ut aliquatenus parerent, nec tamen superior ipsorum calumniis & iniquo judicio evaderet Athanasius, cæteris Episcopis immonitis, Constantinopolim profecti sunt, Eusebius uterque, Nicomediensis & Cæsariensis, Theognius, Patrophilus, Ursacius & Valens: ubi Sententiæ suæ viribus diffidentes, novam calumniam compegerunt; scilicet minatum fuisse Athanasium, se frumentarium Canonem, qui Constantinopolim quotannis Alexandriâ deferebatur, prohibiturum. Quod redemptis testibus cùm Principi probassent, ejus judicio Treveros in Gallias amandatus est. Rei gestæ testis est Athanasius ipse Apologiâ 2. pag. 624. Eandem Historiam prout gesta est, narrant Episcopi Ægypti in suâ Epistola Synodica, quæ apud eundem Athanasium legitur. Cæterùm videtur Constantinus Athanasium exilio affecisse, non ut ipsum damnaret, sed ut illius incolumitati consuleret. Ejus enim vita in tuto non erat inter Eusebianos ejus hostes infensissimos. Eo consilio missum esse, Treverim a Constantino patre testatur Constantinus Junior in Epistola ad Populum Alexandrinum pro Athanasii restitutione data. Hanc refert S. Athanasius Apologia 2. pag. 624. post quam subjungit: *Cùm igitur ex hac causâ in Gallias amandati simus, quis non videt simul & Imperatoris mentem, & Eusebianorum sanguinarios animos, & principem id propterea fecisse, ne graviori calumniâ ab illis opprimeremur? Simplici enim animo in audiendo fuit.*

Revocatus autem est Alexandriam Constantis, & Constantini junioris mandato, Constantio etiam consentiente, anno Christi 338. Literas Constantini Junioris ad Populum Ecclesiæ Alexandrinæ de eius reditu datas videsis in Apologia 2. ipsius Athanasii. Testatur autem Princeps se voluntatem Magni Constantini parentis sui adimplere, qui Athanasium Ecclesiæ suæ restituere decreverat, quod morte præventus perficere nequiverat.

Redux ab exilio, ingenti gaudio a Clero populoque Alexandrino exceptus est Sanctissimus Præsul, solis Arianis illius reditum ægrè ferentibus. Unde reducem tribus rursùm accusationibus divexarunt. Primò quòd eius reditus magni mœroris caussa multarumque cædium occasio extitisset. 2. Quòd a Synodo damnatus, absque alia Synodo Sedem recipere temerè & contra Canones præsumpsisset. 3. Quòd frumentum Constantini Imperatoris munificentiâ Ægypti ac Libyæ viduis exhiberi solitum, proprios in usus divenditum convertisset. Quas calumnias Episcopi Alexandrini Patriarchatus in Concilio congregati anno Christi 339. in Epistola sua Synodica ad Iulium Pontificem Romanum, & ad omnes Catholicæ communionis Episcopos toto orbe Christiano diffusos data referunt, ac egregiè diluunt. Extat apud S. Athanasium Apologiâ 2.

Hoc ipso anno & ad Julium Pontificem, & ad Imperatores Constantinum & Constantem literas contrà S. Athanasium scripserunt Eusebiani, & Legatos miserunt ad Julium, Macarium scilicet Presbyterum, Martyrium & Hesychium Diaconos, qui Athanasium accusarent, & sententiæ in illum latæ in Synodo Tyria confirmationem ab Apostolica Sede obtinerent. Id ut primùm rescivit Athanasius, quosdam e Presbyteris suis Romam misit, qui illius innocentiam contrà hostium calumnias vindicarent. Synodum postularunt a Julio Eusebiani, & impetrarunt. Romæ celebrata est. In ea absolutus est S. Athanasius. Quæri solet utrùm S. Athanasius ad Julium Romanum Pontificem appellaverit. Appellasse quidam contendunt, ut Baronius, Bellarminus, Binius, & alii: confugisse duntaxat ad ejus tribunal asserunt alii, non propriè appellasse. Quid nobis videatur, in Dissertationibus exponemus. Blondellus partium Calvinianarum auctor Julium de caussa Athanasii judicasse duntaxat ut arbitrum propugnat a partibus electum. Hujus falsitatem opinionis demonstrabimus. De hac Eusebianorum ad Julium Legatione, & de rebus ab ipsorum legatis, & Athanasii Presbyteris, ibidem gestis, lege S. Athanasium Apologiâ 2. & Epistolam Julii ad Eusebianos, quam ibidem descripsit, & in Epistola ad Solitarios. Profectum autem Romam S. Athanasium ante Romanam Synodum, ut vocanti Julio pareret, coràmque se de objectis criminibus purgaret, ex iisdem constat Monumentis. Anno 341. habito Antiochiæ Concilio, Ariani Gregorium Cappadocem pariter Arianum in Alexandrinam S. Athanasii Sedem intruserunt. Deductus est Alexandriam stipatus militum satellitio. Sævam persecutionem intulit Alexandrinæ Ecclesiæ hujus invasoris ambitio: quam Philagrius Præfectus cum insolentium militum manu exercuit. Hanc accuratè describit S. Athanasius in Epistola ad Orthodoxos; quam legere totam operæ pretium est. Tunc saluti suæ fugâ consuluit Sanctissimus Patriarcha, & Romanam ad Ecclesiam velut ad asylum, portumque tutissimum confugit.

An-

Anno Christi 349. Deus cor Constantii mutavit, & ipsum Athanasio fecit benevolum. Tribus ad ipsum datis Epistolis illum revocavit Alexandriam, quas refert Athanasius ipse Apologià 2. Julium Romanum Pontificem ante reditum invisit: qui gratulatorias ad Presbyteros & ad Populum Alexandrinum eius de reditu literas dedit, quas refert ipse Apologià 2. pag.698.

Statim atque Sedi suæ restitutus est Athanasius, & Alexandriæ exceptus eà quam describit lætitià, in Epistola ad Solitarios, Ursacius & Valens Antistites Politici, qui hucusque Arianam hæresim palam professi fuerant, & calumniarum S. Athanasio illatarum, persecutionumque ipsius fuerant participes, libellum retractationis & pœnitentiæ Julio Romano Pontifici obtulerunt, quo Arium & ejus hæresim anathemate damnabant; falsa & ficta esse, quæ Athanasio objecta fuerant crimina contestabantur, ac pollicebantur nusquam se Eusebio & ejus partiariis contra Athanasium adhæsuros. Scripseront etiam communicatoriam Epistolam ad ipsum Athanasium, com illa ad Julium Epistola. Insertus est ejus Apologiæ 2. pag.602. & 603. dictus Libellus.

Anno Christi circiter 352. Eusebianæ successores impietatis, & præsertim Leontius Antiochenus, Georgius Laodicenus, Acacius Cæsariensis, Theodorus Heracleensis, & Narcissus Nerodiadis Episcopi, a Concilio Sardicensi exauctorati, pacis Ecclesiæ, & communionis infinitorum propè Episcoporum eum S. Athanasio impatientes, novas in ipsum turbas excitàrunt. Ursacium primò & Valentem suæ pœnitentes pœnitentiæ ab Athanasii communione abstraxerunt, novisque nexibus suis partibus illigavere.

Adierunt deinde simul Constantium Imperatorem, eumque contra Athanasium novis artibus, & calumniis incitarunt. De tam subita Constantii mutatione, & nova, quam in Athanasium movit, persecutione hæc habet Sanctissimus Patriarcha Apologià 2. *Neque admirationi esse debet, si post tot Epistolas, tot juramenta, Constantius immutatus sit; si quidem & tyrannus Ægypti Pharao subinde promittens, atque inde relaxationem mali adeptus, tandem sese mutavit, donec prorsus tandem cum suis gregalibus periret. Hos igitur* (Episcopos) *singulis in urbibus ad sententiæ mutationem cogebat. Cæterùm cùm esset Arelate & Mediolani, omnia pro Hæreticorum adhortata, suggestioneque faciebat; vel potiùs illi ipsi agebant, insultabantque in omnes, Cæsaris potestate succincti. Statim igitur mandata, literæque ad Præfectum, ut frumentum quod hactenus Athanasio cum suis cedebat, illi adimeretur, dareturque illis qui Ariànica saperent, & ut liberum esset contumeliam inferre in Athanasii communicatores. Minæ item denuntiata Judicibus, nisi cum hæreticis communionem celebrarent. Rursus ad alias partes Edicta missa, Notariique præsto in singulis urbibus, & Palatini minas secum ad Episcopos & Judices deferentes, ut isti quidem de caussa judicarent: illi verò contra Athanasium scriberent, atque communionem cum Arianis haberent, aut pœnam exilii sustinerent; populique qui ad communionem cum illis coirent vincula, contumelias, bonorumque suorum direptionem expectarent. Neque negotium negligenter curatum est: habebant secum in comitatu Ursacii & Valentis Clericos, qui eos excitarent & negligentiores Judices ad Cæsarem deferrent: aliasque hæreses minores ut sorores permittebant blasphemias in Dominum proferre, & Christianis tantummodò suis insidiis imminebant, non sustinentes alios pios sermones de Christo. Quot igitur Episcopi, prout in sacris literis est, ad Præsides & Reges adducti sunt, & a Judicibus hanc sententiam audiverunt: Aut subscribite, aut ab Ecclesiis recedite?*

Et infrà: *Quotquot*, inquit, *ad Imperatorem profecti sunt, non priùs ad ejus conspectum admissi fuere, ne tantillo quidem laxamento indulto, ut vel ex domicilio ipsis procedere liceret, priusquàm subscriberent: aut si recusarent, in exilium mitterentur. Idque ideò faciebat, quòd animadverterat ab omnibus hæresim odio haberi. Quæ res in caussa fuit cur tam multos repelleret, ut se hæreticorum paucitati adjungerent, magnoperè id studens ut multorum nomina corrogaret, tum ad invidiam Episcoporum, tum ut speciem aliquam, dignitatisque imaginem Arianæ hæresi conciliaret, cujus ipse propugnator erat, existimans quòd quemadmodum hominum sententias, ita quoque veritatem immutare posset; inscius ignarusque Sadducæos & Herodianos non ideò validiores factos esse ad veritatem opprimendam, quia sibi Pharisæos associaverant.*

Describit ibidem S. Athanasius aliorum Episcoporum Catholicorum persecutionem; & invictam fortitudinem, qua neque consiliis, neque minis Constantii cesserunt. Postquam enim dixit, *Arianos revera non habere Regem, nisi Cæsarem*, hæc subjungit: *Sed cùm se arbitrabantur plurimis insidiari, non animadvertunt se plures facere Confessores, ex quorum numero clarissima sunt confessionis viri religiosi, & Episcopi boni, Paulinus Episcopus Treverorum, Lucifer Metropolitanus Episcopus Sardiniæ, Eusebius Vercellis, Dionysius Mediolani. His enim ad se vocatis, jussit Imperator contra Athanasium subscriberent, & cum hæreticis communionem inirent. Quibus admirantibus novum ejus studium, dicentibusque, Id non esse Ecclesiastici Canonis, statim subjecit: At quod ego volo, pro Canone sit: ita enim me loquentem Syriæ Episcopi sustinent. Aut igitur obtemperate: aut vos quoque exules estote. Id cùm audivissent Episcopi, magnoperè admirantes, & ad Deum manus tendentes, multa cum libertate illi suas rationes proposuerant, docentes Regnum non ipsius esse, sed Dei, a quo acceperat: illumque metuendum, ne quod dederat, repentè adimeret. Denuntiabant illi diem Judicii, suadebantque ne Ecclesiastica corrumperet, neve Romanum Imperium Ecclesiasticis Constitutionibus immisceret, neve Arianam hæresim introduceret in Ecclesiam Dei. Verùm nec ille audiit, nec eos plura dicere permisit. Quin ob hoc ipsum acriter minabundus & gladium intentans, quosdam ex iis abduci jussit, sententiam suam, quam antea professus erat, ut Pharao revocans. Excusso igitur Sancti pulvere, & oculis in Deum rejectis, nec Cæsaris minas verebantur, neque ob strictos enses veritatem prodiderunt, & exilium veluti ministerii sui officium acceptarunt.*

Anno Christi circiter 353. cùm Constantius profligato Magnentio tyranno pacem Imperio procurasset, Ariani bellum in S. Athanasium instaurarunt, Imperatorem ipsi magis magisque infensum reddere conati. Ipsi insusurrare sanctissimum Antistitem sæpè ipsi apud Constantem Augustum ejus fratrem oblocutum fuisse. 2. Intercessisse ipsi familiaritatem cum Magnentio Majestatis illius & Imperii hoste. 3. Ipsum sprevisse mandata Imperatoris, nec illius sacræ jussioni paruisse, qua ad Aulam vocabatur. Has calumnias diluit S. Athanasius in Apologia ad Constantium. In ea mansuetudinis Ecclesiasticæ, & obedientiæ quam Principibus Clerici etiam debent, egregium specimen præbet, cùm ait: *Non ergo is sum, qui vel Quæstori civitatis restitero, nedùm tanto Imperatori.* Ex ea etiam Apologia discimus Arianos falsam Epistolam, & Constantii nomine perperam subscriptam, curavisse reddi S. Athanasio per Montanum Palatinum, qua ipsi facultas in Italiam pergendi concedebatur: Sanctum porrò Athanasium subodoratum

tum fuisse hostium dolos, qui vel inutili itinere ipsum ab Ecclesia abstrahere nitebantur, vel inobedientiæ specie ipsum Imperatori magis invisum facere. Ostendit autem S. Athanasius apud Constantium se purgans, Dei, & Ecclesiæ leges non permittere Episcopis, ut suo relicto grege ad Aulam Principum se conferant, nisi Ecclesiæ negotia, aut sacra Jussio ipsos illuc vocent: *Nec fas est*, inquit, *Ecclesiam relinquere, aut tuæ Pietati molestum esse: maximè cùm etiam absentibus nobis in Ecclesiasticis postulationibus annuas.*

Anno Christi 355. persecutionem rursùs gravissimam passus est S. Athanasius a Syriano Duce: quæ ipsum compulit ut Alexandriâ fugeret. Hanc describit in Apologia ad Constantium pag.536. & in Apologia de fuga sua. Hujus meminit & Sozomenus lib. 4. cap. 8. Ea tempestate intrusus est Alexandrinam in Sedem Georgius Cappadox, de cujus nefariis facinoribus, præter S. Athanasiumq legendus est Theodoretus lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap.14. Aliam denique ab Arianis passus est persecutionem S. Athanasius sub Valente Imperatore Ariano, sive ab ipso Valente, anno Christi 370. quam in paterno sepulcro, quatuor mensibus delitescens, evasit. Hujus persecutionis incentor fuit Eudoxius: de qua legendi sunt Socrates lib. 4. cap.12. & Sozomenus lib.6. cap.12.

Sæviit etiam Arianorum persecutio in Sanctum Eustathium Antiochenum, quem Sabellianismi, & adulterii conductâ meretriculâ accusatum deposuerunt, & in exilium a Constantino curarunt amandari, anno Christi 330. quo pariter exauctorarunt Asclepam Gazensem acerrimum Nicænæ Fidei defensorem. De S. Eustathii persecutione lege S. Chrysostomum Homiliâ 52. Socratem lib. 1. cap.18. Theodoretum lib.1. Historiæ Ecclesiasticæ cap.21. & Sozomenum lib.2. cap.18. Eutropium etiam Andrinopolis Antistitem calumniis suis oppressere, cujus pro Catholica fide zelum commendat S. Athanasius in Epistola ad Solitarios. Marcellum etiam Ancyranum Arianorum persecutio jactavit, & S. Paulum Constantinopolitanum, Sede sua non semel ab ipsis extrusum, sæpe in exilium amandatum a Constantio, ac tandem martyrio coronatum, ut testantur S. Athanasius in Apologia pro fuga sua, & Theodoretus lib.2. cap.5. Eorundem hæreticorum persecutione afflictus est Meletius Antiochenus Episcopus. In Occidente verò eam sustinuerunt S. Maximinus Treverensis, SS. Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis, Lucifer Calaritanus, Osius, Liberius, S. Rodanus Tolosanus, & S. Hilarius Pictaviensis.

Nec in istos solùm Ecclesiæ Heroas debacchatus est Arianorum furor; verùm etiam in omnes consubstantialitatis Filii Dei professores, in omnes S. Athanasii defensores; in Clericos, & in Virgines sacras, in quibus sponsum Dei Filium persecuti sunt, maximè cùm Alexandriæ Dux Syrianus grassaretur. Ipsas enim, proh pudor! denudarunt, & ab Eremitariis suspenderunt, lateribus earum tertiò laceratis, in hoc Pilato crudeliores, ut ostendit S. Athanasius Apologiâ 1. *Pilatus enim*, inquit, *lanceâ unum latus Salvatoris perfodit: isti autem rabie sua Pilatum vicerunt, cùm non unum latus Christi, sed utrumque laceraverint. Membra enim Virginum præcipua & propria Christi sunt. ... Isti soli nihil veriti sunt denudare & lancinare impolluta membra, quæ puellarum æterna virginitas Christo dedicaverat.* Et in Epistola ad Solitarios ait: *Quòd cum scirent pudicitiam Virginum & aurium integritatem, & quòd patientiùs ferrent lapides & fustes quàm verba obscœna, fœdissimis dictis inter invadendum utebantur: & hæc Ariani juventuti suggerebant, quippè qui ad ista dicta & facinora cachinnarentur. Sacræ autem Virgines, & aliæ castæ mulieres, ut morsus aspidum istas voces refugiebant.*

Quoniam verò Arianorum persecutionem in Liberium Romanum Pontificem, & Osium Cordubensem Episcopum etiam sæviisse diximus; illorum Historiam hic subjicere conveniens videtur.

§. VII.

De Persecutione Constantii in Liberium.

ANno Christi 356. Ariani Constantio persuaserunt, ut Liberium Romanum Pontificem ad damnationem S. Athanasii cogeret, & ad ὁμουσιου rejectionem. Id ut a S. Pontifice extorqueret, ipsum persequi cœpit, misso Romam Eusebio eunucho, qui ejus constantiam donis primùm, deinde minis tentaret. Sed nihil ab ipso potuit obtinere: dona enim rejecit, minas contempsit, Apostolica libertate respondit: *Quem non una, sed jam altera Synodus probè ab omni crimine liberum pronuntiavit, & Romana Ecclesia cum pace dimisit, quomodo poterimus condemnare? aut quis nos probaret, si quem præsentem dileximus, & habuimus in nostra communione, eundem absentem aversemur? Non ita se habet Ecclesiasticus Canon, neque unquam accepimus talem a Patribus traditionem. Quòd si omninò Imperator curam suam pro Ecclesiastica pace interponere quærit, aut si scripta a nobis pro Athanasio deleri jubet, deleantur quoque ea quæ contra eum scripta sunt: fiatque deinde Ecclesiastica Synodus longè a Palatio, ubi nec Imperator præsto est, nec Comes se ingerit, nec Judex minatur, & ubi solus timor Dei ad omnia sufficit, & Apostolorum institutio, ut eo in loco ante omnia Ecclesiastica Fides asseratur, quemadmodum a Patribus definitum est in Concilio Nicæno, iique qui Arianicæ sententiæ sunt, ejiciantur, & eorum hæresis anathemate damnetur; ac deinde judicium de Athanasio fiat, aut si quis alius reus agitur; & quotquot noxii reperti fuerint, ejiciantur; quotquot autem puri, reatu absolvantur. Non enim fieri potest ut locum in Synodo habeant, qui fide impii sunt: neque fas est quæstionem de factis alicujus, priùs quàm de fide Religionis haberi. Primùm enim omnis fidei discordia rescindenda est, & tum quæstionem de negotiis fieri oportet. Nam & Dominus noster Jesus Christus non priùs sanabat ægrotos, quàm ubi ostendissent, & prolocuti fuissent quam fidem in illum haberent.*

Invicta tunc Liberii fortitudo ipsum gloriosæ confessioni destinavit. Jussit nempe Constantius ut ad se Mediolanum traheretur; quò cùm pervenisset, magnâ etiam ibi dicendi libertate usus est. *Desine*, inquit, *persequi Christianos: ne tenta per me hæreticam impietatem in Ecclesiam introducere. Ad omnia potiùs sustinenda parati sumus, quàm nos Christiani eò deveniamus, ut Ariani appellemur*, &c. Hæc refert S. Athanasius in Epistola ad Solitariam Vitam agentes. Prolixior Liberii cum Imperatore Constantio Dialogus Mediolani habitus, refertur integer a Theodoreto lib.2. Historiæ Ecclesiasticæ cap.16. in quo mira Sanctissimi Pontificis animi fortitudo elucet, præsertim in illis verbis, quibus Imperatori exilium minitanti respondit: *Leges Ecclesiasticas observare pluris faciendum censeo, quàm Romæ habere domicilium.*

Videns itaque Constantius se nihil promovere, Liberium exulare jussit usque Bœream Thraciæ. Discedenti quingentos aureos Imperatoris nomine obtulit Eusebius eunuchus, quos Pontifex

in-

invicto animo respuit, dicens: *Tu Ecclesias orbis terræ expulisti, & jam mihi ut damnato, egenti-que eleemosynam affers. Abi primùm, & Christianus ipse fias.*

Anno Christi 357. Constantio Romæ triumphum agente, Matronæ Romanæ Liberii reditum ab ipso supplices postularunt. Quarum precibus inflexus, ipsum Romam redire jussit; ac unà cum Felice, qui ejus in Sedem intrusus fuerat, Ecclesiam regere. Imperatoris literæ cum risu in Circo exceptæ sunt, clamante populo æquam esse Imperatoris sententiam: Nam bifariam divisos esse spectatores, quibus nomen impositum est ex colorum varietate: & proptereà alterum Episcopum his, alterum illis præesse debere. Deinde omnes uno ore vociferati sunt: *Unus Deus, Unus Christus, Unus Episcopus.* Quibus vocibus cum pietate & justitia a pia plebe profusis, rediit Liberius. Ista constant ex Theodoreto lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 14. Sed priùs Liberio facta non est ab Imperatore potestas Romam redeundi, quàm cum Arianis communicaret, & S. Athanasii communionem execraretur, Formulæque Fidei sibi ab Arianarum partium Episcopis oblatæ subscriberet: quod præstitit anno Christi 358. Cui autem Formulæ subscripserit, & utrùm fuerit hæreticus, propria Dissertatione expendemus. Legatur interim Sozomenus lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 14.

§.VIII.

De Persecutione Constantii in Osium.

ANno Christi circiter 355. Ariani Constantium Imperatorem ad persequendum Osium impulere, ut ejus in propugnanda Fide Nicæna, & S. Athanasii innocentia invicta fortitudo, minis & terroribus aliquando frangeretur. His verbis allocuti Constantium referuntur a S. Athanasio in Epistola ad Solitarios. *Omnia quidem a nobis facta sunt. Profligavimus in exilium Romanorum Pontificem. & jam ante eum extorres fecimus quamplurimos Episcopos: omnia loca terroribus implevimus: sed tamen pro nihilo sunt tanta tua opera, neque quidquam profecimus, quandiu reliquus est Osius. Quamdiu enim ille in suis agit, omnes in suis Ecclesiis agere videntur. Potest ille & verbis & auctoritate fidei suæ, omnes contra nos inducere. Hic Princeps est Synodorum, & si quid scribit, ubique auditur. Hic Formulam Fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos ubique pro hæreticis traduxit. Quòd si ille in suo statu permaneat, supervacuum est cæterorum exilium: hæresis enim nostra cedere cogitur. Incipe igitur & hunc persequi.* Arianis auscultavit Constantius, & accersitum ad se Osium ad subscribendum contra S. Athanasium, communionemque cum illis ineundam hortatus est. At Imperatorem suarum pondere rationum a sententia deduxit, liberque in suam rediit Ecclesiam.

Non quievit Arianorum furor. Imperatorem adversùs Osium magis magisque exacerbarunt, & minaces ab eo ad Venerabilem Senem obtinuerunt literas, ut illius frangerent constantiam. At invictus stetit magnus ille Antistes, dignam Osii sapientiâ, fortitudine & episcopali zelo ad ipsum vicissim scripsit Epistolam, quam S. Athanasius recenset in Epistola ad Solitarios. In ea hæc præsertim verba notari velim, quæ Regiæ & Ecclesiasticæ Potestatis limites describunt: *Define, quæso, & memineris te mortalem esse; reformida diem judicii. Serva te in illam diem purum; ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit: & quemadmodùm qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ: ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date (scriptum est) quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator.*

Recensita Osii Epistola subjungit S. Athanasius: *Hæc Abrahamicus ille Senex, verè Osius, id est Sanctus, & sensit, & scripsit: ille autem* (scilicet Constantius) *neque insidias de manibus deposuit, neque criminandi occasiones quærere desiit; sed graviùs semper minabatur, ut eum vi oppressum in suas partes transferret, aut inobsequentem exterminaret, sed ut occasionem Duces & Satrapæ Babylonis sedulò quærentes contra Danielem, non inveniebant nisi ex causâ legis Dei, ita quoque nunc Satrapæ impietatis ne fingere quidem quidquam contra Senem potuerunt. Omnibus enim ille notus erat, ac verus pro suo nomine Osius, hoc est Sanctus habebatur, vitaque ejus irreprehensibilis, nisi ex odio ejus contra hæresim crimen mutuarentur. Calumniantur igitur eum, sed non ut illi Danielem apud Darium illibenter talia audientem, sed ut Jezabel contra Naboth, & ut Judæi apud Herodem, his verbis agentes: Non solùm non subscribit contra Athanasium, sed & nos ob Athanasium condemnat, & hæresim tali odio persequitur, ut aliis scribat, Melius esse mortem perferre, quàm proditores fieri veritatis. Hæc cùm audisset impietatis propugnator Constantius Cæsar, & quòd alii essent per Hispanias ejusdem cum Osio sententia, quos cùm sollicitasset, ad subscriptionem impellere nequivisset, accersit Osium, & pro exilio detinet illum integrum annum Sirmii, nihil veritus impius nec Deum, neque Patris sui, quem erga Osium habebat, affectum, neque senectutem hominis jam centenarii inhumanus ille respexit. Omnia namque ob amorem hæresis neglectui habebat novus ille Achab, & nostris temporibus secundus Balthasar.*

Meminit deinde lapsûs Osii, qui tandem cum Arianis communicavit afflictus atritusque malis; & secundæ Formulæ Sirmiensi Arianam impietatem manifestè continenti subscripsit, anno Christi 357. Utrùm autem in hæresi mortuus sit, in Dissertationibus expendemus.

SCHOLION.

Hujus Articuli Paragrapho septimo, pag. 112. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc observationem notant: *S. Athanasius in Apologia ad Constantium, egregium specimen præbet mansuetudinis Ecclesiasticæ, & obedientiæ, quam Principibus Clerici debent, &c.*

R. Quid in hac Observatione reprehensione dignum? Fortè quòd Clericos Principibus obedientiam debere dixerim? Atqui Apostolum auctorem habeo: *Omnis anima* (inquit) *potestatibus sublimioribus subdita sit .... Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt .....* Secundùm hanc Apostoli Doctrinam scribebat S. Athanasius: *Non ergo is sum qui vel Quæstori civitatis restiterim, nedum tanto Imperatori.* Quod observatione dignum judicavi.

Nota.

QUacumque ex ratione S. Athanasius sese laicæ potestati submittere duxerit, utique id non præstasse dicendum est, quia eidem subditi obedientiam debuisse crederet. Nullam in eccle-

ſiaſticis judiciis vel ad ipſum Imperatorem pertinere juriſdictionem, non ſemel proteſtatus eſt, ut adnotavi in Animadverſionibus poſt cap.2. ſæcul.4. §. 2. Dum ergo nec etiam Quæſtori Civitatis ſe reſtitutum affirmabat, non ſubditi obedientiam exhibere intellexit, ſed quam etiam non ſubditus Superioribus, & multò magis Principibus debet obſervantiam demonſtrare; ſeu quia aliquando *obſequendi manet neceſſitas, etſi non adſit auctoritas imperandi*, ut dicitur *cap. Quæ in Eccleſiar.10. de Conſtit.* Cæterùm nemo gradu, quo inſignitur, fretus debet juſſa Principum ea ratione parvipendere, quòd a laica, cui non ſubeſt, oriantur poteſtate: nam ubi eccleſiæ jura non violentur, ipſi Eccleſiæ Miniſtri aliis præire debent, ut obſequendi exemplar exhibeant. Hinc S. Bernardus Epiſcopo Sennonenſi præ oculis Chriſti proponit exemplum, quamvis etenim nulli ſubderetur poteſtati, quam nihilominus Pilatus habebat auctoritatem non ſprevit: *Quid ſæcularitatem*, ait, *contemnitis? Nemo ſæcularior Pilato, cui Dominus adſtitit judicandus. Non haberes, inquit, in me poteſtatem, niſi tibi datum eſſet deſuper: jam tunc pro ſe loquebatur, & in ſe experiebatur, quod poſt per Apoſtolos exclamavit in eccleſiis: non eſt poteſtas niſi a Deo.* Non dixerim tamen, quòd ſi legitima imperandi poteſtas, vel jus e. g. naturale ad obediendum non impellat, inobediens ſibi damnationem acquirat. Ubi Apoſtolus ad Rom.13. ſcripſit: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit &c.* nil aliud intelligere potuit, niſi quòd unuſquiſque ſubditus ſui ſuperioris mandatis debitam præſtet obedientiam.

ARTICULUS IV.

De Conciliis in cauſſa Arianæ Hæreſeos, & Arianorum celebratis.

§. I.

De duobus prioribus Conciliis Alexandrinis contra Arium.

Alexandria *Urbs Ægypti celeberrima, ſedes Patriarchalis.*

PRimum contra Arium Concilium a S. Alexandro convocatum eſt & celebratum Alexandriæ anno Chriſti circiter 320. cui interfuerunt ex Ægypto & Libya Epiſcopi fere centum. In eo Arius, & ejus Sectatores anathemate damnati ſunt, & gradibus Eccleſiaſticis abdicati. Ex eâ Synodo Encyclicam ad omnes Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos Epiſtolam dedit S. Alexander, quam refert Socrates lib.1. cap.3. Meminit ejuſdem Concilii S. Epiphanius Hæreſi 69.

Alterum Concilium Alexandriæ celebratum eſt anno Chriſti 324. cadente. Ipſi præfuit Oſius a Conſtantino miſſus in Ægyptum ad componendos Alexandrinæ Eccleſiæ tumultus, non a Sylveſtro Romano Pontifice, ut in Diſſertationibus oſtendam contra Cardinalem Baronium. Scripſit Imperator graviſſimam ad Alexandrum & Arium Epiſtolam, quam referunt Euſebius lib.2. de Vita Conſtantini, cap.63. & ſequentibus, & Socrates, lib.1. cap.4. Eâ in Epiſtolâ notat Alexandrum non minùs quàm Arium, quaſi uterque diſſenſionis cauſſa extiterit: ac de Controverſiâ inter ipſos ortâ ſic loquitur, quaſi minimè verſaretur circa fidem; ſed quaſi de inani quæſtione, & otioſâ diſputatione, a quâ hortatur ut abſtineant, ſentiendo interiùs quod voluerint. Unde conſtat Imperatorem ignoraſſe quâ de re Controverſia inter Arium & Alexandrum orta eſſet, ac tot ſubinde tumultus excitati: ſed ab Euſebio Nicomedienſi deceptum (tunc namque temporis adhuc Nicomediæ verſabatur Conſtantinus) exiſtimaſſe non agi de fide, neque Arium blaſphemiæ & hæreſeos reum eſſe; imò totum diſſidium in Alexandri imprudentiam rejiciendum eſſe, qui quæſtiones inutiles & curioſas nimiùm propoſuiſſet, ac de iis quadam argumentandi libidine diſceptaſſet. Vel, ut erat adhuc Catechumenus Conſtantinus, & nondum plenè Myſteriorum noſtrorum imbutus cognitione, bona fide arbitratus eſt, quæſtiones illas, quòd ſubtilitatis plurimum haberent, ad ſummam fidei non pertinere.

In iſtâ Synodo Arius damnatus eſt, & ejus proſcriptus error; Sabellii etiam dogma, cujus Alexandrum Arius falsò accuſaverat, exploſum fuit, teſte Socrate lib.3. cap.5. Actum eſt præterea de diſſenſione quæ Eccleſias dividebat propter diverſum celebrandi Paſchatis diem: de Meletii Schiſmate; & de Collutho Presbytero, qui dignitatem & munia Epiſcopalia ſibi abſque Ordinatione arrogaverat. Hic ab Oſio & cæteris Epiſcopis in Alexandrina Synodo conſidentibus in ordinem redactus eſt, ut & illi quos ordinaverat. Id teſtantur Clerici Mareotici in libello conteſtatorio, quem Curioſo & Philagrio porrexerunt, & quem refert Sanctus Athanaſius Apologia 2. pag.616.

§. II.

De Concilio Nicæno.

NIcæna Synodus œcumenicarum prima, convocata eſt a Conſtantino Imperatore, conſentiente Sylveſtro Pontifice Romano, anno Chriſti 325. Sylveſtri Pontificis 12. Conſtantini ipſius 20. Paulino & Juliano Coſſ. Locus Concilii fuit Nicæa Bythiniæ Metropolis, non Nicæa Thraciæ: qua in urbe Ariani, pendente Concilio Ariminenſi, Conciliabulum celebrarunt, ut nominum ſimilitudine Catholicorum ſimplicioribus illuderent, ac hæreticam Fidei Formulam ſpecioſo Nicænæ Fidei nomine larvatam obtruderent; ut teſtantur Aſiatici in Epiſtolâ ad Liberium, apud Socratem lib.4. cap.11. & lib.2. cap.39. & Theodoretus lib.2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.19. & Sozomenus lib.4. cap.18. Præſides Concilii fuerunt Oſius Cordubenſis Epiſcopus, Vitus ſeu Vito, & Vincentius Presbyteri, S. Sylveſtri, cujus erant Legati, nomine. Trecenti decem & octo interfuerunt Epiſcopi, ex S. Athanaſio in Epiſtola ad Jovianum Imp. Epiphanio Hæreſi 69. Hilario contra Conſtantium, Rufino lib.1. cap.1. Theodoreto lib.1. cap.7. Idipſum ſignificavit Sozomenus lib.1. cap.18. ubi circiter trecentos viginti conveniſſe ſcribit. Marius Victorinus lib.2. adversùs Arium, trecentos quindecim nominat. Unde mendoſus eſt Euſebii textus, in quo ducenti quinquaginta leguntur, lib.3. de Vita Conſtantini, cap.9. cùm Socrates Euſebii verba recitans trecentos & ampliùs recenſeat, lib.1. cap.5. S. Ambroſius lib.1. de Fide ad Gratianum, cap.9. ait de Nicænorum numero Patrum: *Trecenti decem & octo Epiſcopi ad Concilium convenerunt, ut in numero eorum per ſignum ſuæ paſſionis Dominus Jeſus ſuo probaret ſe adeſſe Concilio. Crux in trecentis: Jeſu nomen in decem & octo eſt Sacerdotibus.*

Nicæa, Nicée, *Urbs Bythiniæ, ad Aſcaniam paludem, ſedes Archiepiſcopalis.*

Adfuit etiam Concilio Conſtantinus; & infrà Epiſcopos, nonniſi ipſis annuentibus ſedit. Ad ipſum Orationem habuit Concilii nomine Euſtathius Antiochenus. Orationem viciſſim habuit elegantiſſimam Imperator, qua Patres ad concordiam adhortatus eſt. Legatur de his Euſebius lib.3. de

Vi-

Vitâ Constantini cap.10.11.& 12.Socrates lib.1. cap.5. Theodoretus lib.1.cap.7. Imperatorem Patribus sumptus necessarios regali munificentia ministrasse, iidem Auctores testantur. Porrò cum Ariani in ipso Concilii ingressu libellos ipsi adversùs Orthodoxos Antistites porrexissent, quò eis infensum redderent Imperatorem, & ad expugnandam Catholicam fidem faciliorem aditum sibi aperirent, indicto die cunctos Libellos comburi jussit Constantinus, hæc cedro digna proferens: *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque judicandi; & ideò nos a vobis rectè judicamur: vos autem non potestis ab hominibus judicari: propter quod Dei solius inter vos expectate judicium; & vestra jurgia quæcumque sunt, ad illud divinum reserventur examen. Vos etenim nobis a Deo dati estis Dii: & conveniens non est ut homo judicet Deos, sed ille solus de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* Refert istud Ruffinus lib.1. Historiæ cap.1.

Addit Theodoretus lib.1.cap.11. Constantinum jurejurando asseruisse, se ne verbum quidem Libellorum legisse; *Quòd Sacerdotum vitia non sint Populo aperienda, ne caussâ offendiculi inde arreptâ, licenter peccare aggrediatur.* Quin etiam hoc adjecisse: *Si suis oculis Episcopum alienæ uxori stuprum inferre fortè videret, facinus illud nefandum suo paludamento se obtecturum, ne facinoris aspectus, eos qui idipsum cernerent, ulla ex parte læderet.*

Adfuerunt etiam Concilio Nicæno plures Philosophi ethnici, ut ingenii vim & Philosophiæ divitias ostentarent. Horum unum cùm vidisset S. Spiridion ingenii vir simplicissimi, & parum dicendi peritus, Catholicis insultantem, aggressus est, & nudè proposita mysteriorum nostrorum majestate, mutum reddidit, Christianæque Fidei addixit; ità ut Philosophus ad discipulos suos & auditores conversus dixerit: *Audite, o eruditi viri; donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui, & quæ dicebantur, dicendi arte subverti: ubi verò pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo adversari potuit Deo: & ideò si quis vestrûm potuit in his quæ dicta sunt sentire quæ sensi, credat Christo, & sequatur hunc Senem in quo locutus est Deus.* Istud referunt Rufinus lib.1. Historiæ Ecclesiasticæ cap.3. & Gelasius Cyzicenus lib.2. cap.13.

Tribus de caussis convocata est Nicæna Synodus: Primò ad Arianæ Hæreseos damnationem. Secundò, ad dissensiones Ecclesiarum circa tempus Paschatis celebrandi componendas. Tertiò ad Meletii Schisma extinguendum.

Quod spectat primum caput, Arius in Concilium vocatus est, auditus, Hæreseos & blasphemiarum convictus a Patribus, & a S. Athanasio adhuc Diacono, qui Verbi Divini caussam propugnaturus cum S. Alexandro venerat, anathemate confossus est, hæresisque damnata: editum Symbolum fidei, cui vox sacra ὁμοούσιον convenienter addita est, ut ostendit S. Athanasius lib. de Synodi Nicænæ decretis, ad hæresim prosternendam. Refertur Nicænum Symbolum lib.1. Historiæ Ecclesiasticæ Socratis cap.5. & a Theodoreto lib.1. cap.12. & a Rufino lib.1. cap.6. Ad finem Symboli additur anathema in Arianos, his verbis: *Eos autem qui dicunt: Erat aliquando quando non erat, & antequam nasceretur, non erat; & quia ex iis quæ non sunt, factus est; aut ex alia substantia, vel essentia dicunt esse, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei; anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.*

Formulam fidei a se compositam sanctæ Synodo obtulerunt Ariani. Hanc refert Eusebius Cæsariensis in Epistola, quam ad suam Ecclesiam scripsit post Concilium, quæ extat apud Theodoretum lib.1. Historiæ Ecclesiasticæ cap.12. Verùm, quod addit Eusebius, neminem huic formulæ fidei contradixisse, jussisseque Imperatorem ut omnes eidem assentirentur, ac subscriberent, modò vox, *Consubstantiale*, adscriberetur; suspectæ fidei est. Est enim parum verisimile professionem fidei quæ crassiores tantùm Arii blasphemias explodit, alias verò subtiliores non rejicit, & quâ pristinos errores ingenuè, & sincerè non ejurabant, imò se veram fidem semper amplexos esse contestabantur, approbatam fuisse a Patribus Nicænis: maximè cùm in eâ legatur, *Filium factum esse ex Patre*. Πρὸ παντων των αἰωνων ἐκ τοῦ πατρὸς γεγενημενον. Major itaque fides adhibenda est Theodoreto asserenti Formulam illam, statim atque lecta est, discerptam fuisse, omnibus eam falsam, adulterinam, & blasphemam conclamantibus. (Lib.1. Historiæ Ecclesiasticæ cap.7.) Quamobrem omnes Ariani, etiam Eusebius Nicomediensis, & Theognis Nicænus Fidei Nicænæ Symbolo, & Arii damnationi subscripserunt, quamvis animo non sincero, & solo exauctorationis exiliique metu. Soli Theonas Marmaricæ, & Secundus Ptolemaidis subscribere, & Arium damnare renuerunt, ut constat ex S. Athanasio in Epistola de Nicænæ Synodi decretis, Theodoreto lib.5. cap.19. & 20. S. Hieronymo in Dialogo adversùs Luciferianos. Subscripsit etiam Eusebius Cæsariensis, ut constat insuper ex Epistolâ quam scripsit ad suam Ecclesiam post Concilium: sed fictè fraudulenterque subscripsit homo semper Arianus. Arium errores ejurasse & a Synodo fuisse receptum, falsum est: Sed de his in Dissertationibus.

Quoad secundum caput, decrevit Nicæna Synodus Festum Paschatis eodem die ab omnibus Ecclesiis celebrandum, scilicet Dominica proximè sequente Lunam decimam quartam. Quod decretum Ecclesiæ Syriæ, Ciliciæ, & Mesopotamiæ, quæ in celebratione Festi claudicabant, ut ait S. Athanasius, amplexæ sunt. Quâ de re legendi sunt S. Athanasius lib. de Nicænæ Synodi decretis, Eusebius lib.3. de Vitâ Constantini, cap. 17. & 18. Sanctus Epiphanius Hæresi 70. & Theodoretus, lib.1. cap.10. Porrò notat S. Athanasius lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ, pag.693. Nicænos Patres longè aliter suam expressisse definitionem in quæstione fidei, & in negotio celebrandi Paschatis; in decreto namque de celebratione Paschatis addiderunt. *Visum est ut omnes obtemperarent:* quia solam spectabat disciplinam. *De fide verò non scripserunt, Visum est; sed Ad istum modum credit Catholica Ecclesia, ut ostenderent eam non novam esse sententiam, sed Apostolicam: & quæ ipsi scripsissent, non esse sua inventa, sed Apostolorum documenta.* Relegantur quæ in secundi sæculi Dissertationibus de celebratione Paschatis diximus.

Quoad tertium caput, sancitum est a Patribus cum Meletio clementius agentibus, ut in propriâ civitate, nimirum Lycopolytanâ maneret, nullamque haberet potestatem vel cuiquam manus imponendi, vel quemquam ad aliquod munus Ecclesiasticum deligendi, vel in alienam regionem & civitatem ejus rei gratiâ commeandi: sed ut solum dignitatis & officii nomen retineret: illi autem qui ab eo Presbyteri designati essent, simulatque sanctiore manus impositione in Ordinatione acceptâ confirmati fuissent, in Ecclesiæ communionem, & ad Ecclesiasticæ communionis ministerii gradum admitterentur: ita tamen ut omnibus Presbyteris a S. Alexandro ordinatis essent inferiores. Ipsis verò est inhibitum ne Ministros Ecclesiæ designarent, & ne aliquid age-

agerent abſque conſenſu Catholicorum Epiſcoporum, qui S. Alexandri Patriarchatui ſubjacebant. Ipſis nihilominus indultum, ut poſt obitum Catholicorum Antiſtitum, Epiſcopatum obtinere poſſent, modò idonei viderentur, & populus illos eligeret, & Epiſcopus Alexandriæ eis ſuffragaretur, populique electionem confirmaret. Iſta conſtant ex Epiſtolâ Concilii Nicæni ad Eccleſiam Alexandrinam, quam deſcribit Theodoretus lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 11.

Nicanorum Canonum ſynopſis.

His ita conſtitutis, Nicæni Patret viginti Canonibus Diſciplinam Eccleſiaſticam ſanciverunt. Neque enim plures ſunt admittendi. Unde Canones Arabici a Turriano editi, ab Abrahamo Ecchellenſi Maronita vindicati, ab omnibus Eruditis rejiciuntur. Primus Canon Eunuchos qui ſe ſponte abſciderint, a ſacris Ordinationibus, & Ordinum antè ſuſceptorum functionibus prohibet. Quam ſeveritatem erga eos qui a medicis, a barbaris, aut dominis mutilati fuerint, non eſſe exercendam conſtituit. Secundus Canon prohibet neophytorum ordinationem.

Subintroductarum mulierum contubernium Clericis vetitum.

Tertius ſubintroductarum mulierum contubernin clericis omnibus interdicit: ſolius matris, ſororis, amitæ, vel earum perſonarum, quæ ſuſpicionem omnem effugiunt, cohabitatione ipſis permiſsâ & convictu. Hoc porro Canone cœlibatum Clericis majoribus non indici, contra Baronium, Bellarminum, & alios demonſtrabimus. Quartus Canon Epiſcoporum Ordinationes ab omnibus Epiſcopis Comprovincialibus, vel ſaltem a tribus de cæterorum aſſenſu fieri decernit, aſſerto Metropolitanis confirmandi jure. Quintus excommunicatum ab uno Epiſcopo vetat ab aliis recipi. Conditus eſt hic Canon occaſione Euſebii Nicomedienſis, qui Arium & ejus ſectatores a S. Alexandro communione privatos recipere auſus fuerat.

Conciliorum Provincialium celebratio.

Ne verò ſive Clerici, ſive Laici ab Epiſcopis, ipſos contentionis & invidiæ impulſu, levibuſque de cauſſis quandòque excommunicantibus opprimantur, ſancit ſacra Synodus eodem Canone, ut ad cauſſas hujuſmodi expendendas & judicandas, aliaque Eccleſiaſtica negotia, Concilia Provincialia bis in anno celebrentur.

Sedium Patriarchalium privilegia.

Sextus Canon jura & privilegia ſedium Patriarchalium ſarta-tecta eſſe jubet, præcipuè Alexandrinæ Sedis, cujus juriſdictionem in Ægyptum, Libyam & Pentapolim fundi conſtitoit, exemplo Romani Epiſcopi, cui parilis mos eſt in Eccleſiis ejus Patriarchatui ſubjectis, ut nimirum & Ordinationes celebret, vel confirmet, congregetque totius Patriarchatûs ſui Concilia. De hujus Canonis ſenſu Diſſertationem ſingularem edemus, oſtendemuſque illum Romani Pontificis primatui non obeſſe.

Canon ſeptimus Epiſcopo Hieroſolymitano Patriarchicum honorem priſcâ conſuetudine ipſi quæſitum, propter dignitatem Civitatis, in quâ præcipua Redemptionis noſtræ myſteria ſunt adimpleta, conſervat; ſed nullam ipſi juriſdictionem tribuit: imò Cæſarienſis Metropolitæ cui ſubjacebat, jura tuetur.

Canon octavus Novatianos ad Eccleſiam redeuntes, & manuum impoſitione reconciliatos, ſi Clerici in ſuâ ſectâ ordinati ſint, in Clericatu manere conſtituit, modò in ſcriptis profiteantur, quòd Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ dogmata ſuſcipiant & ſequantur, id eſt, bigamis, & lapſis ſe communicare. Canones nonus & decimus a ſacris miniſteriis ſuſpendunt eos qui abſque examine fuerint ad Sacerdotium promoti, vel alicujus ſe criminis reos, cùm in eorum vitam inquireretur confeſſi fuerant, vel perſecutionis temporibus lapſi erant. Canon undecimus lapſis in perſecutione Licinii pœnitentiæ tempus

Pœnitentia diſciplina.

definit. Duodecimus his qui abjecto propter Chriſti fidem cingulo militiæ, illud reſumpſerint perſecutionis tempore, & ita ſe idololatriæ periculo expoſuerint, pœnitentiam imponit. Cujus tamen minuendæ & breviandæ poteſtatem concedit Epiſcopis. Decimus-tertius Canon decernit ut moribundis ultimum & maximè neceſſarium viaticum non denegetur, id eſt, abſolutio a peccatis prout antiquâ lege ſtatutum jam erat. Decimus-quartus Catechumenorum in perſecutione lapſorum præſcribit pœnitentiam.

Tranſlationes Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorum vetita.

Decimus-quintus tranſlationes Epiſcoporum, Preſbyterorum, & Diaconorum de unâ Eccleſiâ in aliam prohibet, irritaſque in poſterum fore decernit. Cui Canoni condendo occaſionem forſan dedit inquieta Euſebii Nicomedienſis ambitio qui ex Berytenſi ad Nicomedienſem Epiſcopatum tranſierat. Canon decimus-ſextus Preſbyteros aliosque Clericos ſuis Eccleſiis pro quibus ordinati ſunt, addictos eſſe jubet, nec aliam in Eccleſiam recipi: ſi ſecus fecerint, communione privandos. Vetat etiam Epiſcopis ne alienos Clericos ordinent: alioquin Ordinationem irritam declarat. Decimus-ſeptimus Canon Clericos uſurarios a Clero excludit.

Canon decimus-octavus Diaconorum faſtum & audaciam coercet, ipſiſque prohibet ne Sacerdotibus Euchariſtiam porrigant; Neve inter Sacerdotes ſedeant. Decimus-nonus Paulianiſtas, id eſt, Pauli Samoſateni ſectatores ad Eccleſiam redeuntes, baptizari præcipit; quòd eorum Baptiſma, utpote verbis Evangelicis non conſecratum, nullum eſſet. Canon denique vigeſimus prohibet ne diebus Dominicis, & diebus quinquaginta qui a Paſchate ad Pentecoſtem intercedunt, fideles orent flexis genibus. Quæ diſciplina ab antiquo obſervata fuit, ut conſtat ex Tertulliano lib. de Corona Militis, cap. 3.

Damnata hæreſi, & ejus auctore ac ſectatoribus, edito Symbolo, ſancitâque tot Canonibus diſciplina, Synodus Epiſtolam ſcripſit ad Eccleſiam Alexandrinam de rebus a ſe geſtis, quam Theodoretus deſcripſit lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 10. De iiſdem rebus ſcripſit Conſtantinus Imperator Encyclicam ad Eccleſias Epiſtolam, quam referunt Euſebius lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 16. & ſequentibus, Socrates lib. 1. cap. 6. & Theodoretus lib. 1. cap. 10. Epiſtola Concilii Nicæni ad Silveſtrum Papam, quam exhibent Conciliorum Collectores, & Reſcriptum Silveſtri ad Nicænam Synodum, ab eruditis omnibus ut ſuppoſititia monumenta arguuntur, & exploduntur. Suppoſitionem probat phraſis tenebroſa & barbara, ex qua vix ſanum ſenſum exſculpere liceat. Item quòd cum Oſio Cordubenſi, & Macario Hieroſolymitano, 318. Epiſcopi ſcribere dicantur; quòd ſi ita eſt, trecenti & viginti Antiſtites Nicæno Concilio adfuerunt. Tertiò quòd Epiſcopi Apoſtolicæ Urbis, id eſt Romæ, conveniſſe dicantur ad Synodum, quaſi plures fuiſſent Romæ Epiſcopi. Quartò, quòd Macarii nomen potiùs quàm Alexandri & Euſtathii Patriarcharum adſcriptum legatur. Quintò quòd non exprimatur in Epiſtola nomen Synodi ex qua trecenti decem & octo Epiſcopi ſcribunt, contra morem Conciliorum: denique Silveſtri Reſcriptum ad Synodum, præter ſtyli barbariem, mendoſam habet notam Conſulatus. Dicitur enim datum ſub Conſulatu Conſtantii 4. cum Conſtantini 8. ſive 7. qui eſt ab hoc annus quintus. Unde etiam Baronius hanc Silveſtri Epiſtolam commentitiam exiſtimat.

§. III.

§. III.

De Synodo Tyria.

Tyrus. Phœnicia Insula & Urbs celeberrima, olim orbis emporium.

Concilium Tyri anno Christi 335. Sylvestri 22. Constantini Imperaotis trigesimo celebratum est. Cæsaream primùm fuit convocatum; deinde Tyrum; quòd Constantinus Cæsaream S. Athanasio gratam non esse, ob Eusebium illius urbis Episcopum ipsi suspectum intellexisset. Arianorum iodustriâ & dolis impetratum est ab Imperatore, ut S. Athanasium quadam Judicii Ecclesiastici specie opprimerent. Hanc Synodum solus Constantinus convocavit, ut constat ex Eusebio lib.4. de Vita Constantini, cap.41. & ex Epistola ejusdem Principis ad Synodum Tyri congregatam, quam refert idem Auctor cap.42. & ex Alexandrina Synodo, quam refert S. Athanasius Apologiâ 2. ex S. Epiphanio Hæresi 69. ex Socrate lib.1. Historiæ cap.20. ex Theodoreto lib.1. Historiæ Ecclesiasticæ cap.28. & 29. & ex Sozomeno lib.2. Historiæ cap.24.

Huic Synodo Comes Dionysius ab Imperatore missus dominabatur, & Arianorum consilia juvabat. Præerant Eusebii ambo, Nicomediensis & Cæsareensis. Arianorum numerus Catholicorum Antistitum numerum superabat. Ibi variis calumniis impetitus est S. Athanasius, & ab Episcopatu depositus. Unde quod ait Julius Romanus Pontifex in Epistola ad Orientales, *Athanasium Tyri condemnatum non esse*, ita intelligendum est, quòd non fuerit justè, & juris ordine observato damnatus, nec a saniori parte Concilii, sed ab Arianis tumultuatim damnatus sit, repugnantibus, & appellantibus Orthodoxis. Hæc Synodus Conciliabulum fuit, potiùs quàm Concilium; & ab ipsius judicio S. Athanasius ad Constantinum Imperatorem jure meritòque appellavit, ut Dissertatione propria demonstrabimus. Ea in Synodo Potamo Episcopus Heracleensis, qui alterum io persecutione oculum pro fidei confessione amiserat, Eusebium Cæsareensem sedeotem intuitus, Athanasium verò stantem, magna vocis contentione adversùs Eusebium invectus est. *Te ne*, inquit, *Eusebi, sedere, & innocentem Athanasium a te judicari? quis ista sustinere possit? Dic sodes, nonne mecum persecutionis tempore in custodia fuisti? atque ego quidem pro veritate oculum perdidi, tu nulla corporis parte mutilatus es, neque martyrium subiisti, sed vivus, integerque consistis. Quanam ratione e custodia evolasti, nisi quòd persecutoribus nostris nefarium facinus admissurum te esse recepisti, vel etiam admisisti?* Id refert S. Epiphanius Hæresi 68. Alexandrina Synodus a S. Athanasio relata id spectavit, cùm Eusebium in Concilio Tyrio de idololatria a Sanctis Confessoribus accusatum dicit. Hujus exprobrationis æquitatem ostendit Eusebii agendi modus, qui hoc a se patratum facinus ausus non est inficiari, sed iracundiæ impetu Concilium dimisit, dicens: *Si huc accedentes tantoperè nobis contradicere audetis, verum est profectò quod vestri accusatores objiciunt: Nam cùm hoc in loco tyrannidem quandam exerceatis, multò id magis in patria vestra facitis.*

§. IV.

De Synodo Hierosolymitana.

Hierosolyma Judææ caput, sedes Patriarch. olim Episcopalis tantùm sub Metropoli Cæsariensi. Anno 335.

Absoluto Tyri Cooiciliabulo, iidem Episcopi Hierosolymam ad Dedicationem Templi Martyrum, quod Constantini munificentiâ extructum erat, convenerunt. Magnificum illum cœtum describit Eusebius lib.4. de Vita Constantini, cap. 43. & sequentibus, & hujus ad commendationem Synodi nihil omittit, ut Arium a Concilio non minùs celebri quàm fuerat Nicænum, receptum fuisse in Ecclesiam posteris persuadeat. Sed Ariano Episcopo non est temerè adhibenda fides. Hac in Synodo Arius cum suis discipulis in Ecclesiam receptus est, æquivocâ Fidei Formulâ, quam obtulerat Constantino, approbatâ. Legendus hoc de Concilio Socrates lib.1. Historiæ Ecclesiasticæ cap.22. & Sozomenus lib.2. cap. 25. & 26. Hunc Auctorem Cardinalis Baronius immeritò arguit, quòd scripserit Arium tunc temporis fuisse ab exilio revocatum. Duobus momentis nititur Illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum Pareos. Primum, quòd Arium in Nicæno Concilio palinodiam recantasse, & receptum fuisse constet, ex S. Hieronymo adversùs Luciferianos scribeote. Sed S. Hieronymum deceptum fuisse, ex ipsis, quæ supersunt, Nicæni Concilii monumentis, & ex omnium Scriptorum veterum fide constat, ut io Dissertationibus evincam.

Secundum Baronii momentum est, quòd antè hæc datis ad Arium liberè agentem literis mirari se dicit Constantinus, cur non ad se venerit, & eum quàm primùm ad se venire, concesso regio diplomate pro viatico jubet. Verùm quid hoc contrà Sozomenum? Acceperat quidem antehac Arius facultatem accedendi ad Aulam; sed potestatem nondùm obtinuerat redeundi Alexandriam, ut patet ex ipsa Constantini Epistola. *Jam igitur*, inquit, *publico curru conscenso, nostra castra adire propera, ut nostram benignitatem & studium erga te expertus, in patriam redire queas.* Ergo adhuc extorris agebat Arius. Hanc Epistolam Constantini ad Arium refert Socrates lib. 1. cap. 19.

Epistolam Synodicam hujus Conciliabuli refert S. Athanasius lib. de Syoodis Arimini & Seleuciæ.

§. V.

De Synodo Constantinopolitana Arianorum.

Anno Christi 336. Ariani Conciliabulum Constantinopoli habuere adversùs Marcellum Ancyræ Episcopum, & Galatiæ Primatem, quem Episcopatu abdicarunt, ejusque in locum Basilium suffecere. Depositionis prætextus fuit hæresis, in quam ipsum lapsum fuisse criminabantur, cùm Asterii Sophistæ librum adversùs Catholicam Fidem pro Ariana hæresi editum confutaret. Ajebant enim ipsum instar Pauli Samosateni, Christum purum hominem asseruisse. Id constat ex Socrate lib.1. cap.24. Idem constat ex Sozomeno lib.2. Historiæ Ecclesiasticæ cap.31. referente, Marcellum Ancyranum Constantinopoli depositum fuisse, quòd scripsisset *Filium Dei principium ex Maria habuisse, & regnum ejus finem habiturum.* Addit nonnullos existimasse, *Ista a Marcello dicta esse velut de eisdem solùm quærente: & ab Eusebio ejusque sectatoribus ad Imperatorem per calumniam delata, perindè ac si Marcellus eadem constanter asseverasset. Nam hos ei graviter succensuisse, quòd neque in Concilio Tyri urbis Phœniciæ habito ipsorum Decretis consentiret, neque Hierosolymis de Ario in Ecclesiam admittendo concederet, neque consecrationi magni Templi sibi a Constantino ædificati interesse vellet, idque non alia ex causa, quàm ut ipsorum vitaret communionem.*

Cæterùm de Marcelli Ancyrani fide in Dissertationibus agemus. Notare hìc in antecessum sufficiat, S. Athanasium ejus Orthodoxiæ suffragari

Apo-

Apologiâ 2. & in Epistola ad solitariam vitam agentes.

§. VI.

De altero Conciliabulo Constantinopolitano.

VErtebatur annus Christi 339. cùm Ariani aliud Conciliabulum Constantinopoli celebrarunt, in quo S. Paulum illius urbis Episcopum deposuere, & eam in Sedem Eusebium Nicomediensem intruserunt. Id constat ex Socrate lib. 2. cap. 5. & ex Sozomeno lib. 3. cap. 3. & 4.

§. VII.

De Concilio Alexandrino, in caussa Sancti Athanasii.

DUm Eusebiani missis ad Julium Romanum Pontificem legatis cum Actis Conciliabuli Tyrii, contra S. Athanasium agerent; Episcopi Ægypti, Libyæ & Pentapoleos Alexandriam convenerunt anno Christi 339. ut de propugnanda Sanctissimi Patriarchæ sui Innocentia, refellendisque Eusebianorum calumniis Concilium inirent. Quod præstiterunt, Synodicâ Epistolâ ad omnes Catholicæ Ecclesiæ Episcopos, & præcipuè ad Julium scriptâ, quam refert S. Athanasius Apologia 2. In fine Epistolæ hæc habent: *In publico conventu de consilio omnium has literas ad vos dedimus, quibus oramus vestram in Christo Prudentiam, ut recipiatis hanc de Athanasio contestationem, & commercium, communionemque ejus admittite, & zelum, indignationemque contra Eusebianos, qui istiusmodi tentant, induite, ne diutius istiusmodi pravitas & malitia contra Ecclesiam invalescat. Vos certè vindices hujus injustitiæ imploramus, citantes illud Apostolicum verbum: Auferte mala ex vobis: mala enim revera sunt, & indigna communione, quæ ab illis designantur. Ne igitur illis aures præbueritis, si denuò ad vos contra Athanasium Episcopum scribant.* Centum propè Episcopos huic Synodo adfuisse, ex S. Athanasio discimus.

§. VIII.

De Concilio Antiocheno Arianorum.

Antiochia *Urbe Syriæ, Sedes Patriarchalis.*

ANno post obitum Constantini Imperatoris quinto, Marcellino & Probino Consulibus Indictione 14. id est anno Christi 341. Julii Romani Pontificis 5. Constantii & Constantis Impp. 5. Antiochiæ Encænia celebrata sunt in Dedicatione augustissimi Templi a Constantino Magno cœpti, & Constantii curis ac magnificentia absoluti, quod Dominicum aureum nuncupatum est: cui interfuit ipse Constantius. Hujus solemnitatis prætextu convenerunt Antiochiam Episcopi nonaginta.

Eusebiani habita Synodo Gregorium Cappadocem, hominem Arianum, in locum S. Athanasii caussam suam ad Apostolicæ Sedis tribunal agentis, Alexandrinæ Ecclesiæ præfecerunt. De hoc Conciliabulo S. Athanasius ita scribit in lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ: *Fuere autem numero, qui Antiochiam tempore Encæniorum convenerant, nonaginta, Consulibus Marcellino & Probino, Indictione 14. præsente ibidem impiissimo Imperatore Constantio.*

C. 11. Dist. 16. Errat Gratianus * cùm Eusebium Cæsareensem huic Concilio præfuisse, & Canones conscripsisse ait. Vitâ enim jam functus erat Eusebius: aderat Concilio Acacius, qui in ejus locum successerat. Errat etiam idem Auctor, cùm hujus Synodi Patres 25. duntaxat fuisse scribit.

Celebratam esse dictæ Ecclesiæ Dedicationem jussu Constantii scribit Socrates lib. 2. cap. 5. *Ut fidem consubstantialis prorsùs labefactaret, everteretque.* Scribit etiam *Maximum Hierosolymorum Episcopum, qui Macario successerat, ad illud neutiquam accessisse, ratum, si accessisset, se compulsum iri ut Athanasii abdicationi subscriberet.* Addit, factionem Eusebianam ad S. Athanasium falsò accusandum operam suam ac studium potissimùm contulisse: ac primùm quòd Statutum ab illis tum editum violasset, nempe quòd absque consensu, & sententia communis Concilii Episcoporum, gradum Sacerdotii denuò suscepisset. Nam illum ab exilio redeuntem, suo ipsius arbitrio ad Ecclesiam regendam præcipitem ruisse querebantur. Deinde, quòd tumultus & cædes in ejus reditu contigissent. In medium denique protulerunt, quæ contra Athanasium Tyri acta fuerant.

Inter alia nullitatis Antiocheni Concilii capita, illud notat potissimùm Socrates, *Quòd Julius Romanus Episcopus neutiquam aderat; neque quemquam qui ejus locum suppleret, eò misit: idque cùm Canon Ecclesiasticus jubeat, non oportere absque sententia Romani Episcopi decreta Ecclesiis sancire.* Quo ex loco luculentum & magnificum eruitur pro Romani Episcopi Primatu adversus Novatores argumentum. *Summa Romani Pontificis auctoritas.*

Ariani falsis criminationibus, quas dudum contra S. Athanasium commenti fuerant, in illo Conciliabulo Antiocheno relectis, Eusebium Emissenum Episcopum Alexandriæ in ejus locum delegerunt. Hujus Eusebii Vitam ex Georgio Alexandrino describit Socrates lib. 2. cap. 6. & Sozomenus lib. 3. cap. 5. Quâ in narratione multa notat mendacia Baronius, quorum non minimum illud est, quòd Deum multa per hunc Eusebium edidisse scribant miracula. Sed hæc mendacia Georgio Laodiceno homini Ariano, qui in gratiam Eusebii Emisseni pariter Ariani hæc scripsit, potiùs quàm nobilibus Historicis tribuenda sunt. Meliùs Socrates *Portentosas quasdam præstigias* ab eo editas fuisse refert, quàm miracula. Nec aliud de homine Ariano censendum: præsertim cùm accusatus sit quòd Mathematicam disciplinam exercuisset, ut ex Georgio Laodiceno refert idem Socrates. Magicæ enim Artes isto nomine ab ipsarum Professoribus insigniebantur. Ut ut sit de ejus gestis, certum est ipsum sectâ Arianum fuisse, ex S. Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum & ex Theodoreto in Dialogo, *Impatibilis.*

Cæterùm Eusebius ille delatum sibi a Conciliabulo Alexandrinum Episcopatum recusavit, ratus se Alexandrinorum odium incursurum, qui alium in loco Athanasii sedentem ferre non poterant. Quamobrem Ariani Gregorium sibi impiorum dogmatum communione conjunctum in sedem Alexandrinam intruserunt. Hujus Ordinationis multiplex vitium coarguit Julius Romanus Pontifex in Epistola ad Eusebianos. Primò quòd judicium Romanæ Synodi ad ipsorum petitionem indictæ antevertissent. Secundò quòd externum hominem, & incognitum Episcopum salutassent, & militari manu Alexandriam deduxissent: cùm, etiamsi legitimè depositus fuisset Athanasius, debuisset eligi Episcopus ex Clero illius Ecclesiæ. *Prorsùs ignoro*, inquit Julius, *quonam ratione facta sunt, quæ facta sunt. Primùm enim non decebat, cùm ad celebrandam Synodum literas mitteremus, aliquos præoccupare judicium Synodi. Deinde non decuit novos istos modos contra Ecclesiam induci. Ubi enim est.*

istius-

istiusmodi Ecclesiasticus Canon? aut istiusmodi traditio Apostolica? at in pace agente Ecclesiâ, & Episcopis concordibus cum Episcopo Alexandriæ Athanasio, immittere Gregorium peregrinum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque postulatum a Presbyteris, eumque Antiochia creare Episcopum, atque inde deducere Alexandriam, non cum Presbyteris, aut Diaconis civitatis, non cum Episcopis Ægypti, sed cum militibus? Si enim post Synodum in culpâ fuisset deprehensus Athanasius, non tamen oportuit creationem novi Episcopi ita illegaliter & præter Canonem Ecclesiasticum fieri, sed in ipsâ Ecclesia, & ex ipso sacerdotali ordine, & ex ipso Clero ejus Provinciæ Episcopos constitui, & nequaquam ex illis qui nunc Apostolorum Canones violant.

§. IX.

De variis Fidei Formulis in Concilio Antiocheno ab Arianis editis.

SUbrogato in locum S. Athanasii Gregorio, Eusebiani fidem commutare aggressi sunt, ut ait Socrates: quod ut ipsis fœliciùs cederet; professi sunt se minimè Arianos esse. Nos, inquiebant, *neque sumus Arii sectatores: quî namque fieri potest ut cùm simus Episcopi, Ario Presbytero auscultemus? neque aliam fidem, quàm quæ ab initio divulgata sit, recipimus: sed cùm in fidem ejus studiosè inquirere, tamque accuratè expendere niteremur, Arium potiùs ad nos revertentem admisimus, quàm ejus opinioni simus obsecuti.*

Duas tantùm Formulas fidei Socrates refert.

His præmissis, quatuor Fidei Formulas ediderunt, quas refert Sanctus Athanasius. In prima profitentur, *Unum Filium Dei unigenitum, ante omnia sæcula existentem & coexistentem cum Patre suo, per quem omnia facta sunt.*

In secunda, quam excogitarunt, cùm ipsos prioris pœnituisset, ut ait S. Athanasius, profitentur se credere *In unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, unigenitum Deum, per quem omnia: eum natum esse ante sæcula ex Patre, Deum ex Deo, totum ex toto, solum ex solo, perfectum ex perfecto.... sapientiæ & gloriæ Patris sine omni dissimilitudine imaginem, primogenitum omnis creaturæ, eundemque in principio apud Deum Verbum esse.*

Secundam illam fidei Formulam refert S. Hilarius in lib. de Synodis, ipsamque ab Episcopis 98. editam ait, cùm unus ex eis in suspicionem pravi dogmatis venisset: ipsamque insuper exponit velut Catholicam & piam. Verùm S. Athanasio fidem adhibere satius est, qui formulam illam fidei ab Eusebianis editam refert, cùm ipsos prioris pœniteret. Non igitur *a Sanctorum Synodo*, ut ait S. Hilarius, sed ab impiorum Conciliabulo edita est. Ignorasse etiam videtur S. Hilarius caussam istius Synodi celebrandæ, cùm scribit, adversùs eos fuisse coactam, qui post sanctam Nicænam Synodum eam in hæresim proruperant, ut tria nomina Patri adscriberent, id est, contra hæresim Sabellianam. Unde quod ex illâ Fidei Formula legit [quamquam in illa quam referunt S. Athanasius & Socrates, non extet,] *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse per substantiam tria, per consonantium verò unum;* vult contra Sabellianos scriptum esse. Denique Formulam illam non a Sanctorum Synodo, sed ab Arianis Episcopis editam esse, ostendit istud anathema ipsi subnexum, quod sub verbis æquivocis, & ab Arianis usurpari solitis, hæreticum virus obtegit: *Si quis Filium creaturam pro ratione cæterarum creaturarum dicit .... anathema sit.* Sed mirum videri non debet, quòd Gallicanæ Ecclesiæ Episcopus adeò accuratè non nosset, quæ & quo pacto gesta essent in Synodo Orientali.

Inconstantia, quæ mendacii & erroris proprii est, ipsos impulit ut tertiam Fidei Formulam ederent secundâ illâ breviorem, nec tam magnificè Filium Dei prædicantem. Hanc composuit Theophronius Tyanensis Episcopus, cui Eusebiani omnes subscripserunt. In hac profitetur se credere *In Filium Dei unigenitum, Deum, Verbum, potentiam & sapientiam, Dominum nostrum Jesum Christum, per quem omnia, eumque genitum esse ex Patre, ante sæcula, Deum perfectum ex Deo perfecto, & apud Patrem existere in suâ personâ.*

Quartam denique Formulam, non quidem in ipso Concilio Antiocheno, sed post aliquot menses ediderunt, eamque ad Constantem Augustum in Gallias misere per Narcissum Nerodiadis, Marim Chalcedonis, Theodorum Heracleensem, & Marcum Arethusium. In fine istius Formulæ Synodi Nicænæ decretis sese conformare velle videbantur, his verbis: *Eos porro qui dicant Filium ex non ente, aut ex aliâ subsistentiâ, & non ex Deo esse; aut, Erat quando non erat filius, alienos a se censet Catholica Ecclesia.* Sed eorum technæ, quæ ad Fidem Nicænam subvertendam, & ad imponendum simplicioribus tendebant, omnibus perspectæ erant, & exploratæ.

§. X.

De Canonibus Antiochena Synodi.

ANtiochenæ Synodi viginti-quinque Canones leguntur: qui an recepti sint ab Ecclesia, in Dissertationibus expendemus. Primus anathemate plectit eos, qui contra Nicænæ decretum Synodi Pascha cum Judæis celebraverint. Secundus ab Ecclesia removet eos, qui Ecclesiam ingressi, & Scripturas sacras audientes, in Oratione cum populo non communicant: Communionem cum excommunicatis prohibet sub excommunicationis pœna: orandum tandem non esse decernit cum his qui per domos conveniunt, devitantes orationes Ecclesiæ. Hunc Canonem ediderunt Eusebiani contra Eustathianos, id est, contra fideles Antiochiæ, qui Magno Eustathio in exilium misso, & post ejus mortem, convenire nolebant cum iis qui ab Eusebianis intrusi fuerant, sed cœtus suos & Synaxes seorsim agebant, ne communione hæreticorum macularentur.

Canonum Antiochenorum Synopsis.

Tertius Canon Clericos ab una Ecclesia ad aliam transmigrantes a sacris Ministeriis suspendit, maximè si Episcopo suo ad propriam Parochiam eos revocanti parere contempserint: pertinaces absque spe restitutionis deponit: coërceri tandem jubet a Synodo Episcopum, qui Clericos eâ de caussâ a Coëpiscopo damnatos susceperit.

Clerici qui in aliam Diœcesim migraverant, Episcopo suo illos revocanti parere debent.

Quartus Canon Episcopum a Synodo, vel Presbyterum, aut Diaconum a suo Episcopo damnatos, frustrat omnino spe restitutionis in suos gradus, si sacra interim Ministeria obierint.

Quintus Canon Presbyteros & Diaconos a propriis sese segregantes Episcopis, & adversùs ipsos perduelles, damnat absque spe restitutionis: & adversùs perturbatores Ecclesiæ sæcularem potestatem decernit implorandam.

Sextus Canon excommunicatos a suis Episcopis, vetat ab aliis antè suscipi, quàm ipsis reconcilientur, aut a Synodo rescissa sit sententia in ipsos lata.

Septimus Canon peregrinos, sive extraneos, absque pacificis Epistolis recipi vetat.

Octavus, Chorepiscopis concedit potestatem hujusmodi Epistolas concedendi: non verò Presbyteris agrorum jus tribuit literas illas destinandi, nisi ad vicinos Episcopos.

Nonus Metropolitani dignitati & juribus consulit; & suffraganeis Episcopis prohibet aliquid agere præter ejus auctoritatem & assensum, secundùm antiquam a Patribus regulam constitutam: iis exceptis quæ ad Diœcesim eorum pertinent, possessiones subjectas.

Chorepiscoporum jurisdictio.

Decimus Canon Chorepiscoporum jurisdictionem certis limitibus circumscribit; ipsisque, etiamsi Episcopi consecrati sint. Lectorum dumtaxat, Exorcistarum, & Subdiaconorum Ordinationes permittit, non verò Diaconorom, aut Presbyterorum, absque civitatis Episcopo. Quo ex Canone colligitur evidenter quosdam Choreoiscopos charactere Episcopali insignitos fuisse. Sed de his agemus in Dissertatione singulari.

Episcoporum aditus ad aulam circumscriptus. Ecclesiastica Jurisdictio.

Undecimus Canon Episcopis & Clericis sub excommunicationis & exauctorationis pœna prohibet, ne absque consilio & Literis Episcoporum Provinciæ, & præcipuè Metropolitani, ad Aulam se conferant, & Principem adeant.

Canon duodecimus spe restitutionis in gradus Ecclesiasticos dejicit in perpetuum Episcopos, qui a Synodo, & Presbyteros ac Diaconos qui ab Episcopo damnati, caussam suam ad Tribunal Imperatoris detulerint, non verò ad majus & frequentius Episcoporum Concilium. Hunc Canonem condiderunt Ariani ut S. Athanasium opprimerent, qui in ipsorum Synodis iniquè damnatus, Imperatoris Edicto Sedem suam repetierat.

Decimus tertius prohibet Episcopis sub pœna depositionis, ne in aliena Diœcesi Ordioationes celebrent, aut ullis negotiis Ecclesiasticis se ingerant, nisi literis Metropolitani, & Comprovincialium Episcoporum rogati.

Canon decimus quartus statuit ut, cùm Episcopi Comprovinciales in judicio criminali alicujus e suis Coëpiscopis dissenserint, ad caussæ ambiguæ judicium Episcopi vicinioris Provinciæ unà cum illis a Metropolitano convocentur.

Decimus-quintus Episcopum ab omnibus suæ Provinciæ Episcopis damnatum ab aliis judicari prohibet, & supremam fore his in caussis decernit Conciliorum Provincialium auctoritatem.

Canon decimus-sextus vetat, ne Episcopus vacans, id est, qui nullam sedem habet, in Ecclesiam vacantem prosiliat absque integri perfectique Concilii, cui scilicet Metropolitanus Antistes interfuerit, auctoritate: quamvis a populo expectatur.

Episcoporum Residentia.

Canon decimos-septimus animadvertit in Episcopos qui post Ordinationem suam ad Ecclesiam sibi commissam ire neglexerint; eosqoe a communione excludit, donec Officium sacrum susceperint & obierint ministerium; nisi Synodus Provincialis aliter decreverit. Decimus-octavus honorem & ministerium servat Episcopo, qui ad Ecclesiam, cui præfectus est, propterea non accesserit, quòd eum populus non recepetit: dummodò molestiam non creet Ecclesiæ in quâ ministrat. Hunc tamen vult parere judicio, quod ejus in causâ tulerit perfecta Provinciæ Synodus.

Decimus-nonus Canon Episcopum ordinari prohibet extrà Synodum, & absente Metropolitano: irritam autem Ordinationem declarat, cui plurimi ejusdem Proviociæ Antistites noo adfuerint, aut certè non fuerint Decreto suo suffragati.

Canon vigesimus duas quotannis Synodos Provinciales statuit celebrandas, Metropolitano convocante: unam hebdomade quarta post Pascha: alteram 15. die Octobris.

Migrationes Episcoporum.

Vigesimus-primus migrationes Episcoporum ab una Ecclesia ad aliam prohibet, sive sponte sua illam invadant, sive cogantur a populis, sive ab Episcopia necessitate compellantur.

Vigesimus secundus idem prohibet quod decimus-tertius, ne scilicet Episcopi Ordinationes in aliena Diœcesi, aut alienorum Clericorum usurpent.

Vigesimus-tertius prohibet Episcopia ne sibi successorem designent, etiam morti proximi: Synodi autem & Episcoporum judicio eum promoveri jubet ad Episcopatum, qui dignus extiterit.

Bonorum Ecclesiasticorum Dispensatio.

Canon vigesimus-quartus bonorum Ecclesiasticorum administrationem & dispensationem credit potestati Episcopi: qui tamen Presbyteris & Diaconis nota facere teneatur, quæ ad Ecclesiam pertinent, ne post mortem Episcopi bona Ecclesiæ, cum bonis Antistitis, quorum hæredes instituere potest quos voluerit, confundantur, & lites oriantur inter ejus consanguineos, vel hæredes, & Ecclesiam.

Canon denique vigesimus-quintus præscribit Episcopo modum sanctissimum dispensandi bona Ecclesiastica: inhibet ne bona illa convertat in domesticos usus: ne absque Presbyterorum, Diaconorumque suorum consilio redditus Ecclesiæ, & agrorum fructus pertractet, ac dispenset: ne horum administrationem domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus, filiisque committat, ità ut Ecclesia ex hoc detrimentum patiatur; si secus fecerit, pœnas in Synodo daturum. Canonibus Antiochenis præfixa est brevis Epistola, cui adnexæ sunt subscriptiones 28. Episcoporum, sed mendosæ sunt dobio procul, nec ad Concilium istud Antiochenum referendæ. Nam Theodotus Laodicenus, cujus inter alias legitur subscriptio, ante Concilium Tyrium obierat, cui Georgius ipsius successor interfuit, sicut & huic Antiocheno. Legitur etiam subscriptio Anatolii Emisseni: cùm initio hujus Antiochenæ Synodi, quâ de agimus, constitutus fuerit Episcopus Emissenus Eusebius. Non est etiam verisimile huic interfuisse Concilio eximios Confessores S. Jacobom Nisibis, & S. Paulum Neocæsareæ, quorum subscriptiones cum cæteris leguntur. Nec enim ullus veterum illos adfuisse huic Synodo meminit: qui tamen si adfuissent, pro veritatis & justitiæ defensione aliquid egissent strenuum, & quod a Scriptoribus Ecclesiasticis memoriæ commendatum fuisset.

Baronius emendatur.

Falsò persuasum fuit Baronio Cardinali, huic Antiochenæ Synodo triginta sex dumtaxat Episcopos Arianos interfuisse; cæteros verò fuisse Orthodoxos. Nititur Eminentissimus Auctor his verbis Epistolæ Julii ad Eusebianos: *Qui igitur sunt, qui contra Canones agunt? Nosne qui cum tantis rerum documentis virum recipimus? An qui solùm ad triginta sex suffragia eorum qui Antiochia fuere, externum hominem Episcopum salutarunt, eumque militum manu Alexandriam deduxerunt?* Verùm ex hoc loco non colligitur quod intendit Baronius, si Græcus textus consulatur. Nam significat ille Gregorium triginta sex mansionibus, id est Antiochiæ, quæ 36. dierum itinere ab ea urbe distat, ut constat ex Itinerario Antonini, Episcopum ab Eusebianis inauguratum: cùm Episcopus, si sedes illa vacasset, debuisset eligi in ipsa civitate Ecclesiæ vacantis, & ex Cleri Alexandrini gremio. Error igitur est in versione Epistolæ Julii, cujus Interpres vocem Græcam *μονῶν ἀπὸ τῆς μονῆς*, quæ mansionem significat, cum *μονῶν* quod a *μόνος*, id est, *solus*, incautè confudit.

§. XI.

De Concilio Romano in caussa S. Athanasii.

ANno Christi 341. mense Junio Concilium anno præcedenti ab Eusebianorum legatis postulatum, a Julio Romano Pontifice indictum, ad quod Eusebiani citati fuerant per literas ejusdem Julii ab Elpidio & Philoxeno ejus a latere legatis in Orientem delatas, celebratum est. Huic adfuere quinqoaginta Episcopi, curâ Vitonis Sylvestri Pontificis in Nicæna quondam Synodo legati. Ibi caussa S. Athanasii ad examen vocata est secundùm Nicænæ Synodi leges, quæ prioris Synodi Acta in alia Synodo posteriori examinari permiserunt. Tunc innotuit Eusebianorum contumacia, qui adesse Concilio renuerunt, ad quod fuerant canonicè citati, ridiculam & turpem excusationem prætexentes, quòd scilicet ob bella Persarum Romam venire non possent: quique Sedis Apostolicæ Legatos usque ad tempus quo foerat indictum Concilium, in Oriente detinuerant; Legatos remisere mense Junio, eisque dedere literas ad Julium perferendas nomine Synodi Antiochenæ in Encæniis celebratæ, de quâ superiùs egimus. Stylo insolenti, & contentioso erant scriptæ, & moltiplicem adversùs Pontificem querelam continebant. Lectæ sunt in Concilio, cùm legati rediissent: Iisque respondit ex Concilii sententiâ Julius Pontifex. Ejus Epistola, quam S. Athanasius Apologiâ 2. refert, insigne est Ecclesiasticæ Disciplinæ promptuarium. In ista Synodo, communione & Episcopatu dignus judicatus est S. Athanasius, ut purus criminum, quæ ipsi affixerant Eusebiani. Id constat ex Epistola Julii: *Cùm igitur*, inquit, *istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam justa pro se afferret; quid, quaso, oportuit nos facere? Annon quod Ecclesiastici Canonis est? hominemque proinde non condemnaremus, sed potiùs reciperemus? eumque pro Episcopo, quemadmodùm est, haberemus?* Idem constat ex ipso Athanasio Apologiâ 2. dicente: *Presbyter Vitus plaees Episcopos quàm quinquaginta ad Concilium adduxit: ubi & nostra defensio recepta fuit, & digni habiti sumus communione & Agape: magnaque indignatio exorta est contra Eusebianos, quibus Julium, cùm ab eis literas accepisset, rescribere jusserant.* Sed de his uberiùs agemus in Dissertatione singulari de confugio Sancti Athanasii ad Sedem Apostolicam.

In eadem Synodo absolutus est, & Sedi suæ restitutus Marcellus Ancyranus, quem Eusebiani anno 336. velut novæ hæreseos reum exauctoraverant. Communionem porrò antè ipsi Julius non restituit, quàm Fidei professiooem in scriptis illi tradidisset, cujus apud se exemplar Marcellus retinoit, rogavitque Summum Pontificem ut ejusdem Professionis exemplum suis ad Episcopos literis insereret, ut ejus recta fides omnibus esset explorata. Hanc Fidei Professionem tunc a Marcello Ancyrano editam refert S. Epiphanius Hæresi 72. Dubitat Baronius utrùm ea Fidei Professio sit genuina Marcelli Ancyrani; quia in ea vox *Consubstantialis* reticetur: quam silentio præteriisse hominem, qui in Concilio Nicæno adversùs Arianos tam acri animo decertaverat, improbabile est. Verùm levis est illa dubitandi ratio. Nam & alii viri cùm primis Catholici, & Nicænæ Fidei egregii defensores ὁμοούσιον reticebant, quòd pravo sensui obnoxium esse videretur. Unde cùm Marcellus Ancyranus exemplar Fidei suæ ad omnes Episcopos mitti a Julio optaret, nomen, ὁμοούσιον œconomia quadam siluit, ne aliquorum incurreret offensionem, præsertim cùm erroris Pauli Samosateni accusatus fuisset, qui consubstaotialis nomen pravo sensu usurpabat. Præterea notum erat Julio ex Legatorum suorum relatione, quo ardore Marcellus Nicæna in Synodo Arianam hæresim, & Arianos insectatus fuisset, acerrimisque disputationibus expugnasset. Unde necessarium non erst ut vocem consubstantialis ad fidem suam comprobandam adhiberet.

Marcellum autem & alios, qui ab Eusebianis depositi, suas ad Julium querimonias pariter detulerant, suis Sedibus restituit jure Apostolici Primatûs, ut Socrates testatur. *Ille*, inquit, *quoniam Ecclesia Romana privilegium prater caterns obtinebat, literis suis ad Episcopos Orientis liberiùs perscriptis, illorum partes tueri studet: in Orientem literas mittit, quò & suus cuique locus restitueretur, & eos qui illos temerè abdicaverant, reprehenderet. Illi decedunt Roma; literisque Julii Episcopi confisi, ad suas ipsorum Ecclesias cedeunt.* Jus Pontificis Primatûs. Idem testatur Sozomenus lib. 3. cap. 7. *Cùm*, inquit, *propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit; scripsitque ad Episcopos Orientis, eosque incusavit, quòd inconsultò de hisce viris judicassent, Ecclesiasque perturbassent, cùm Decretis Nicani Concilii stare nollent.*

§. XII.

De secunda Synodo Antiochena Arianorum.

ANno Christi 345. Ariani Antiochiam secundò convenerunt, ubi aliam Fidei Formulam edidere, quam μακρόστιχον, id est prolixiorem, vel multas lineas comprehendentem nuncuparunt: in qua Arianæ venenum hæreseos, quamvis sub verbis æquivocis latens, facilè detegitur. Primò namque in eâ habetur, Filium esse Patri similem, sed nomen essentiæ, & substantiæ reticetur. Secundò anathemate ferit eos, qui dixerint. *Quòd Patee consilio suo & voluntate Filium non genuerit.* Tertiò ait, non esse tutum dicere Filium ex non ente ad essentiam prodiisse, sed hanc unam affert rationem, *Quòd illud in sacess literis nusquam de Filio feeatur.* Quartò, eatenus tantum Filium creatum esse negat, *Ut similis sit rebus ab ipso conditis.* In eâ Marcelli Ancyrani, & Photini errores damnant. Legitur hæc formula apud S. Athanasium lib. de Synodis pag. 690. & apud Socratem lib. 2. cap. 15. Hanc ad Episcopos Occidentis miserunt per Eudoxium Germaniciæ in Syria Episcopum, Martyrium, Macedonium Mopsuestenum, & alios nonnullos. Sed nihil sunt eâ legatione consecuti. Nam Episcopi Catholici hanc Fidei Formulam rejecerunt; non quòd linguam Græcam non callerent, ut Socrates inconsideratè scripsit, Sabini Macedonianâ ex Sectâ Historici relatione fortè deceptus, sed quòd ipsis meritò suspecta esset omnis Fidei Professio, in quâ verbi Divini cum Patre consubstantialitas disertis verbis expressa non esset. Hæc Fidei Formula videtur explosa fuisse in Concilio Mediolanensi, quod anno 347. celebratum est, ubi cùm Eusebianorum legati Arianam hæresim noluissent damnare, ex concilio iratis animis exierunt, ut testatur Liberius Romanus Pontifex in Epistolâ scriptâ anno 354. quam Baronius describit in Aonalibus Ecclesiasticis.

§. XIII.

De Concilio Sardicensi.

Sardica urbs Thraciæ, nunc primaria Bulgariæ, Thracis & Græcis Sophia.

Concilium Sardicense ab Imperatoribus Constantio & Constante convocatum est sub Rufini & Eusebii Consulatu, anno 347. annis undecim post magni Constantini obitum. Caussa convocationis Concilii, fuerunt calumniæ Eusebianorum in S. Athanasium, Marcellum Ancyranum, & Asclepam Gazensem toties repetitæ, lata in ipsos judicia, murmurque adversùs eorum absolutionem & restitutionem a Julio Pontifice Maximo factam. Quamobrem Imperatores Athanasii & aliorum caussas, in Concilio Sardicensi retractari jusserunt, scripseruntque ad Episcopus Orientales Eusebianæ factionis, ut ad illud convenirent, allegata contra Athanasium, aliosque Antistites probaturi. Hallucinatus est Severus Sulpitius lib.2. Historiæ Sacræ, cùm Sardicensem Synodum sub Constantino magno scripsit convocatam. Sardicensis dicitur, non Sardensis, ut quidam imperitè vocant. Neque enim Sardis celebrata est, quæ est minoris Asiæ civitas, cujus meminit S. Joannes Apocalypsis 1. sed Sardicæ, quæ confinis est Illyrici, Mysiæ, & Thraciæ.

Præfuerunt Concilio Sardicensi Osius Episcopus Cordubensis, Archidamus, & Philoxenus Presbyteri, Julii Pontificis Legati. Non fuisse œcumenicum exitu, sed convocatione duntaxat, post illustrissimum & doctissimum Antistitem D. de Marca plures propugnant. Numerus Episcoporum qui sacro illi cœtui interfuerunt, obscurus satis & incertus est. Theodoretus lib.2. cap.7. ducentos quinquaginta Episcopos ad Synodum Sardicensem convenisse affirmat, idque a Veteribus memoriæ proditum esse scribit. Sozomenus lib.3. cap.11. *Eò*, * inquit, *convenere ex urbibus versus solem occidentem sitis, Episcopi numero circiter treceuti: ex Oriente autem septuaginta sex.* Socrates lib.2. cap.16. *Episcopi circiter treceuti, qui versus Occidentem habitabant, eò conveniunt, (ut ait Athanasius:) ex Episcopis autem qui Orientem incolebant (ut Sabinus narrat) solùm 76.*

Sardicam.

S. Athanasius Apologiâ 2. ait, innocentiam suam in magno Sardico Concilio plures quàm trecentos Episcopos suis calculis comprobasse, & inferiùs, recenset ex Italia Episcopos 78. ex Canalio Italiæ 14. ex Galliis 34. ex Africa 36. ex Ægypto 02. ex Cypro 12. ex Palæstina 15. omnes numero 284. cui quidem Episcoporum indiculo hæc præmittit: *Eorum autem qui Synodo subscripserunt nomina, cæterorumque aliorum ista sunt; Osius ab Hispania* &c. quibus recensitis, sic rursus in fine: *Qui igitur decretis Synodi subscripserunt, sunt iste, plurimique item alii, qui ante hanc Synodum pro nobis scripserunt, tum ex Asia, tum ex Phrygia, tum ex Isauria; quorum singulorum nomina cum suis Epistolis, circumferuntur propè sexaginta: in universum verò treceuti quadraginta quatuor.* A quo numero 344. si 60. detraxeris, qui ante Synodum, Athanasii innocentiam suffragiis suis & Epistolis comprobaverant, sequitur 284. Episcopos Concilio Sardicensi interfuisse. Verùm, quia in ea serie Antistitum soli Episcopi Italiæ, Galliæ, Africæ, Ægypti, Cypri, & Palæstinæ recensentur; cum tamen complurium aliarum Provinciarum Antistites Sardicam convenisse testetur idem S. Athanasius ipso suæ Apologiæ 2. exordio, scilicet ex Isauria, Pamphilia, Lycia, Galatia, Dacia, Thracia, Dardania, Macedonia, Epiro, &c. hoc numero 284. non omnes Episcopos Concilii Sardicensis comprehensos esse, & Orientalium præsertim plurimos reticeri conjicio. Quod autem habet S. Athanasius in Epistola ad Solitarios: *Conveniunt igitur ab Oriente & ex Occidente in urbem Sardicam numero plus minùs centum Episcopi*, prout legitur in Editione antiqua Basileensi, depravatum est, & in novis Editionibus meliùs restitutum, in quibus legitur, *Plus minùs ter centum Episcopi.*

Cùm Sardicæ congregati essent Orthodoxi Episcopi, Eusebiani, qui illuc se contulerant, cum iis se conjungere noluerunt, neque cum iis corpus Concilii constituere. Declararunt enim ferre se non posse ut Athanasium, Marcellum Ancyranum, & Asclepam Gazensem communione suâ publicè honestarent: quòd de retractanda eorum caussa ageretur, deque eorum depositione in superioribus Synodis decreta, rursus discutienda: *Nos enim*, inquiunt illi in sua Epistola Synodica, *omninò illis communicare nolumus, nisi eos, quos damnavimus, projecissent, & dignam honorem Concilio Orientis tribuerent.* Quia verò Orthodoxi Antistites, ac Osius in primis & Protogenes Sardicensis Episcopus, eis morem in hac parte gerere recusabant, arrepta est protinus ab Eusebianis occasio divortii, quòd probè intelligerent fieri non posse, quin calumniæ Athanasio impactæ detegerentur, ideòque noctu aufugerunt in Thraciæ urbem Philippopolim: illic suum Conciliabulum celebrarunt sub nomine Concilii Sardicensis. Hujus divortii historiam scribit Socrates lib.2. cap.16. De eadem legendus est S. Athanasius in Epistola ad solitariam vitam agentes. Octoginta tantùm Episcopi Arianarum partium Philippopolim secesserunt, ut ipsi testantur in Epistola sua Synodica. *His itaque cognitis*, inquiunt, *nos octoginta Episcopi, qui propter pacem confirmandam Ecclesiæ, ex diversis, longinquisque Provinciis, cum ingenti exitu & labore ad Sardicam veneramus*, &c.

Caussam secessionis suæ in Occidentales rejiciebant, qui adversùs veterem Ecclesiæ consuetudinem cognoscere vellent de caussis Orientalium. Sic enim scribunt in Epistola sua Synodica, quæ habetur in Fragmentis S. Hilarii: *Hanc novitatem moliebantur inducere, quam horret vetus consuetudo Ecclesiæ, ut in Concilio Orientales Episcopi, quod fortè statuissent, ab Episcopis Occidentalibus refricaretur: similiter quicquid Occidentalium partium Episcopi, ab Orientalibus solveretur. Verùm omnium Conciliorum justè legitimèque actorum decreta firmanda, majorum nostrorum gesta consignant. Nam in urbe Roma sub Novato, & Sabellio, & Valentino hæreticis factum Concilium, ab Orientalibus confirmatum est: & iterum in Oriente sub Paulo Samosateno, quod statutum est, ab omnibus est signatum.* At istud non erat Julii, Romanæque Synodi consilium, ut ipsi caussantur: id unum exigebant, ut caussæ Ecclesiarum Apostolicarum, in primis verò Alexandrinæ, quoties de exauctoratione Episcoporum earum sedium ageretur, cum Papa & Synodo Romana communicarentur, antequam Synodi Orientales cognitionem de eis instituerent.

In Synodo Sardicensi S. Athanasius, Marcellus Ancyranus, Asclepas Gazensis, & alii ab Eusebianis iniquè damnati, absoluti sunt: Eusebiani verò damnati, & sedibus ejecti, scilicet Valens, Ursacius, Narcissus, Stephanus Antiochenus, Acacius Cæsareensis, Menophantus Ephesinus, & Georgius Laodicenus, ut constat ex Synodica ejusdem Concilii ad Julium Episcopum Romanum Epistola, in qua * illa verba notatu digna sunt, quibus egregiè asseritur Episcopi Romani Primatus: *Hoc enim optimum & congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est ad Petri Apostoli*

Apud S. Hil. in Fragmentis.

Se-

Sedem, de singulis quibusque Provinciis, Domini referant Sacerdotes. Idem constat ex Epistola Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam, & ex Epistola Synodica ad omnes Episcopos, quæ a S. Athanasio Apologiâ 2. referuntur.

Idem constat ex eodem S. Athanasio in exordio Apologiæ suæ secundæ. *Judicatum est*, inquit, *non semel secundùm nos, sed sæpiùs. Primùm quidem in nostra Provincia, cùm convenissent propemodum centum Episcopi. Secundò Romæ, nobis, antecisque adversariis Eusebii, ad ejus criminosas literas in judicio comparentibus. Tertiò in magno Sardica Concilio ad edictum religiosissimorum Principum Constantii & Constantis, in quo judicio ita ceciderunt adversarii, ut habiti pro calumniatoribus, depositionem, exauctorationemque Ordinis sui retulerint: nostram verò innocentiam plures quàm trecenti Episcopi calculis suis comprobarint.* Idem hac de re legendus in Epistola ad solitariam vitam agentes.

In Concilio Sardicensi nulla de Fide quæstio habita est; nulla Professio, aut Formula Fidei edita, ut infrà probabimus.

§. XIV.

De Canonibus Concilii Sardicensis.

NOn solùm vindicandæ Athanasii, aliorumque Episcoporum injustè ab Arianis depositorum innocentiæ, verùm etiam restaurandæ disciplinæ, quæ ab iisdem hæreticis violata passim fuerat, Sardicenses Patres adlaboraverunt, editis sanctissimis Canonibus, qui ad nos usque

Synopsis Canonum Sardicensium.

pervenere. 20. Græci numerant. 21. Latini. Primus migrationem Episcoporum de minori civitate ad majorem, ardore avaritiæ & ambitionis, damnat ceu perniciosam corruptelam, & a laica etiam communione eos removet, qui sic Episco-

Migrationes Episcoporum.

patus mutaverint. Secundus Canon eorum excusationem rejicit qui literis populi se ad majorem civitatem vocatos asserebant, ac probant; nec ad laicam, etiam in exitu, admittendos esse communionem decernit.

Appellationes ad Romanum Pontificem.

Tertius, quartus & septimus Canon jus appellationum in Episcoporum caussis asserunt Romano Pontifici, *ad honorandam S. Petri Apostoli memoriam.*

Quintus statuit Episcopum a vicinæ Provinciæ Antistitibus esse ordinandum, si Episcopus, qui fortè in Provincia sua solus remanserit, ipsum ordinare neglexerit, populorumque votis satisfacere. Sextus in vico, aut in modica civitate ordinari prohibet Episcopum, ne vilescat nomen Episcopi & auctoritas.

Episcopi ne frequentiùs & sine caussa legitima Aulam adeant.

Octavus, nonus, & decimus, perstringunt Episcopos ad Aulam Imperatoris frequentiùs, & absque legitima caussâ euntes, illuc ne proficiscantur prohibent, nisi Imperatoris literis vel invitati, vel evocati, & ad opem ferendam iis, qui injuriam passi, ad Ecclesiam confugerint, ut pupillis & viduis: pro caussis minoris momenti mittere eos dumtaxat debere Diaconum, qui Ecclesiæ & Episcopi nomine preces Imperatori porrigat. Cæterùm, mittendum esse priùs hujusmodi Diaconum ad Metropolitanum Provinciæ, qui det ipsi literas commendatitias ad Episcopos tunc in Aula degentes, si petitiones justas esse animadvertit. Si verò Diaconi illi Romam pergant, Romanum Pontificem examinaturum esse, an petitiones eorum honestæ & justæ sint, & diligentiam atque sollicitudinem præstiturum, ut ad Aulam perferantur. Canon undecimus honoris, dignitatisque jacturâ mulctandum decernit, qui ambitionis impulsu perrexerit ad Aulam. Quod ut mandari executioni possit, jubet ut unusquisque Antistitum, qui in canali * constitutus est, inquirat in caussas itineris illorum Episcoporum qui ad Aulam profecturi transeunt; neque literis eorum subscribat, aut eum eis communicet, si eos ambitione ductos, non verò a Principe convocatos, illuc pergere compererit. Canon 12. Episcopos, qui decreta Synodi ignorantes, venerint ad civitates in canali constitutas, inde ad Aulam profecturi, admonendos esse statuit ab Episcopo civitatis, ad quam se primùm contulerint, ut inde Diaconum suum ad Aulam mittant, ipsi verò ad Ecclesiam suam redeant.

*Id est, in viâ publicâ & regiâ.

Minores Ordines. Interstitia.

Canon 13. Laicum e foro, ex Aula, aut ex quavis administratione sæculari, priùs ordinari vetat Episcopum, quàm Lectoris, Diaconi, & Presbyteri officia impleverit, ut diuturno tempore probetur ejus fides, modestia, gravitas, verecundia, & ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen Episcopatus.

Canon 14. & 15. Episcopum ultra tres hebdomadas a sua Ecclesia abesse, & in aliena civitate morari prohibent, ne fortè contingat ut Episcopus adveniens magis eruditus sit ac disertus, quàm Episcopus civitatis, & Sermonem habendo frequentiùs ad Populum, famam proprii Episcopi apud ipsum deprimat ac imminuat.

Canon 16. Ad fovendam inter episcopos concordiam, vetat ab aliis Episcopis recipi in communionem Clericum, qui fuerit ab uno Antistite excommunicatus.

Canon 17. Clericis, qui ab Episcopo in iracundiam prono & citiùs in ipsos asperiùsque commoto, fuerint communione privati; concedit ut Episcopos finitimos interpellare possint, caussæque suæ cognitionem ad ipsos deferre, ne innocens damnetur, aut a communione repellatur. Excommunicatos tamen, a quovis in communionem recipi vetat ante caussæ cognitionem.

Canones 18. & 19. Alienos Clericos ab Episcopis sollicitari, aut ordinari prohibent, absque proprii Episcopi consensu; aliàs irritam fore Ordinationem statuunt.

Canon 20. Presbyteros & Diaconos in alienis regionibus & Ecclesiis morari prohibet ultra tempus Episcopis a Concilio definitum.

Canon 21. Statuit ut Clerici vim, aut persecutionem passi, si ad aliam civitatem accesserint, ibi morari possint, donec eorum injuria remedium acceperit, aut ad propriam Ecclesiam redire possint.

Hic ordo est Sardicensium Canonum secundùm Dionysii Exigui Editionem: alium enim servat ordinem Editio Græca: sed illam non sequimur, quia Canones illi Latinè editi primùm fuerunt, non Græcè quemadmodum & Africani, ut testatur ipse Dionysius in Epistola ad Stephanum Salonitanum.

§. XV.

De Pseudosynodo Sardicensi, & rebus post eam gestis.

FActo divortio, Episcopos Orientales ad urbem Philippi in Thracia commigrasse, jam suprà diximus, atque ibi conventiculum celebrasse, quod Sardicensis Concilii nomine exornarunt. Quid in eo egerint, Synodica ipsorum Epistola edocebit. Primò igitur Marcellum damnarunt, utpotè traditionem extraneam, omnium hæreticorum sectis mixtam, invehentem, ut declinantem in aliud Evangelium, ut qui sacrilega mente, ore profano, perditoque argumento, velit Christi Domi-

ni regnum perpetuum & æternum disterminasse, ac dixisse, Dominum initium regnandi accepisse ante 400. annos, finemque ei venturum simul cum mundi occasu: ut denique asserentem quòd in corporis duntaxat conceptione factus sit imago invisibilis Dei.

Secundò, Conciliabuli Tyrii sententiam in Athanasium confirmarunt. Tertiò, Asclepam Gazensem proscripsere, necnon Paulum Constantinopolitanum. Denique in Osium Cordubensem, Protogenem Sardicensem, Maximum Trevirensem, immò & in Julium Episcopum Romanum, excommunicationis sententiam tulere. Hæc constant ex Epistola Synodica Conciliabuli Philippolitani: quod, ut fucum facerent, Sardicense falsò nuncuparunt. Quæ Epistola extat apud S. Hilarium in Fragmentis lib.2. Mendaciis & calumniis in S. Athanasium, aliosque Sanctissimos Episcopos Nicænæ Fidei defensores, tota scatet. Subjecerunt illâ in Epistolâ Professionem Fidei, in qua contra Marcellum Ancyrsnum posuerunt, *Regnum Christi sine cessatione permanere per immensa sæcula*. Subjecerunt denique hos Anathematismos: *Eos autem, qui credunt de non extantibus esse Filium Dei, vel ex aliâ substantiâ, & non ex Deo; & quod erat aliquando tempus, aut sæculum quando non erat, alienos novit Sancta & Catholica Ecclesia. Similiter & illos, qui dicant tres esse Deos, aut Christum non esse Deum, aut ante sæcula eum fuisse, neque Filium esse Dei; vel eum ipsum esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, vel quòd neque consilio, neque voluntate Pater genuerit Filium, anathematizat Sancta & Catholica Ecclesia.*

Extat & Professio seu Formula Fidei ab Eusebianis Philippopoli edita apud S. Hilarium, separatim in libro de Synodis, ubi & ipsam explicat, & Catholicum in sensum trahit, præmittens hæc verba: *Brevibus Expositio Fidei hujus, sed absolutissimis usa est definitionibus.*

Ne quis tamen inde inferat Formulam Sardicensem, vel alias quas exponit S. Hilarius, ab ipso ita probari, ut neget eas ab Arianis aut Semi-Arianis editss esse, vel ut illas Catholicæ Ecclesiæ proponat suscipiendss. Nam quæ sui instituti ratio fuerit, ipso propè exordio sui de Synodis libri admonet his verbis rescribens ad Gallos: *Obsequor igitur charitatis vestræ impatientissimæ voluntati, & omnes Fides, quæ post sanctam Synodum Nicænam diversis temporibus & locis editæ sunt, cum sententiarum omnium, atque etiam verborum additis per me expositionibus destinavi. In quibus si quid vitiosum inesse intelligetur, nemo mihi vitium potest assignare dictorum: interpres enim, ut voluistis, sum ipse, & non conditor. Si quid verò rectum, atque ex doctrinis Apostolicis deprehenditur, nemo ambigit non interpretantis in eo esse gloriam, sed auctoris. Ego tamen, quæ gesta sunt, fideliter transmisi: vos an Catholica, an Hæretica sint, Fidei vestræ judicio comprobate.*

Absolutâ Synodo Sardicensi, anno Christi 348. Ariani nullum non moverunt lapidem, ut Episcopi, qui judicio Synodi Ssrdicensis sedibus suis restituti erant, ad ipsas remeare prohiberentur. Hanc persecutionem describit S. Athanasius in Epistola ad Solitarios: *Curavere igitur*, inquit, *Edicta fieri, quibus portæ & introitus civitatum observari juberentur, ne quibus a Synodo concessum erat, reditus ad suas Ecclesias pateret; simulque Diplomata ad judices Alexandrinos nominatim de Athanasio & Presbyteris certis impetraverant, sive quisquam suorum urbes aut fines illos ingredi deprehenderetur, capite id lueret.*

Eodem anno Legati a Patribus Sardicensibus, necnon a Constante Imperatore, ut Theodoretus lib.2. cap.8. testatur, ad Constantium Imperatorem missi, indigna passi sunt ab Arianis. Ea persequitur S. Athanasius loco suprà laudato. *Missi*, inquit, *a sancto Concilio in legationem Episcopi, Vincentio Capua, quæ Metropolis est Campaniæ, & Euphrate Agrippina, quæ est Metropolis superioris Galliæ, * ut pro Synodi decretis Imperator Constantius Episcopos, quos ipse ejecerat, in suas ædes reverti pateretur, & in eam sententiam a Constante pientissimo ad fratrem suum literis datis, quibus Episcopos illi commendabat: viri isti mirifici ad quodvis facinus prompti, cùm Legatos istos Antiochiæ vidissent, in communi quidem consilium ineunt, sed ita tamen ut Stephanus * fabulam initi consilii peragendam susciperet. Suscepto negotio conducit ille publicam meretricem in ipsis feriis sanctissimi Paschatis, eamque nudam per tenebras immittunt in ædes Euphratæ Episcopi*, &c.

Id est, Germaniæ inferioris.

Antiochenus Episcopus Arianus.

Narrat subinde S. Athanasius quomodò facinus illud detectum fuerit, ac tam portentosæ calumniæ auctor agnitus sit Stephanus, & quæ illi pœna fuerit ob illud scelus irrogata. *Stephanus igitur*, inquit, *Episcopali dignitate exuitur, & in locum ejus sufficitur Leontius ille castratus, non ob aliud quàm ut non deesset Hæreseos propugnator. Imperator verò Constantius paulisper compunctus ad se rediit, conjecturâque ex iis, quæ adversùs Euphratam designaverant, factâ, consimiles esse eorum in alios calumnias arbitratur, relegatos ex Alexandria Presbyteros & Diaconos e vestigio redire jubet, & disertè Alexandriam scribit, ne ulteriùs Athanasii aut Clericos, aut Laicos persequerentur. Deinde post menses decem defuncto Gregorio, * accersit & Athanasium*, &c.

Tyrannidem in Alexandr. Ecclesia octo annis exercuit Gregorius ille invasor, quamvis Theodoret. sex annis illi ar sessionem desi-gnat.

Anno Christi 349. a Constantio Imperatore vocatus est S. Athanasius ad Comitatum, & sedi suæ restitutus, ut ipsemet testatur in Epistola ad Solitarios. Tres porrò Epistolæ ad ipsum a Constantio datæ, quibus eum ad se honorificè vocabat, recitantur ab eodem Apologiâ 2. Ibidem leguntur gratulatoriæ Julii Pontificis Msximi literæ ad Alexandrinam Ecclesiam, de restitutione Athanasii. Extat ibidem duplex exemplar literarum a Constantio datarum ad Alexandrinos, quibus ipsum Ecclesiæ suæ, & patriæ divino nutu, suoque judicio restitutum declarat, & omnia contra eos acta, qui cum ipso antea communicarunt, oblivioni tradi se velle significat, eademque immunitate frui Clericos illius decernit, quâ fruebantur ante eius abdicationem & exilium, & apud universos sacri Ordinis viros promulgari, cunctis qui Athanasio adhæsere, datam esse securitatem, sive Episcopi, sive Clerici sint. His scriptis, jussit Imperator ea, quæ priùs adversùs Athanasium decreta erant per calumniss Eusebii, abrogari, tollique de tabulis Ducis & Præfecti Ægypti. Missus eâ de causâ Eusebius Decurio (inquit S. Athanasius ibidem) ubi & recitat literas ad Nestorium Præfectum a Constantio Imperatore datss.

Anno Christi 350. Palæstini Episcopi, qui sententiæ in Athanasium latæ subscripserant olim, facti pœnitentes, ejusdem se communioni adjunxerunt, eumque Alexandriam redeuntem iidem in Concilio Hierosolymis congregato amicissimè complexi sunt, ut ipsemet in Epistola ad Solitarios testatur, ubi & Epistolam Synodicam hujusce Concilii Hierosolymitani describit.

§.XVI.

§. XVI.

De Concilio Mediolanensi Catholicorum.

Mediolanum, *vulgò* Milan, *Insubriæ Metropolis, Ducatûs caput, sedes Archiepisc.*

POst Concilium Sardicense, Mediolani Catholicorum celebrata est Synodus, biennio antequam Valens & Ursacius, oblato Libello supplici Julio Romano Pontifici, & S. Athanasio, in Ecclesiam recipi se postularunt, ut testatur S. Hilarius in Fragmentis. Huic Synodo Romani Episcopi Legati interfuerunt; in eaque Hæresis Ariana damnata est, & Ursacius ac Valens a communione suspensi, rogatâ veniâ in gratiam recepti sunt. Id constat ex Liberii Epistola ad Constantium Imperatorem, quam refert S. Hilarius in Fragmentis, & ex Epistola Concilii Ariminensis ad eundem Principem, quæ extat apud S. Athanasium libro de Synodis. Damnatum fuisse in illa Synodo Photinum Hæreticum, Hilarius testis est. Illius epocha Synodi ex Liberii Epistola colligitur. Ait, enim, ante octo annos quàm ad Constantium illam Epistolam scriberet, illam celebratam fuisse. Scripsit autem ad Constantium Liberius, antequam in exilium mitteretur; adeoque anno Christi 355. Quare octavus annus ante hunc, erit annus Christi 347. Illo itaque anno Synodus Mediolanensis habita est.

§. XVII.

De Concilio Sirmiensi. *

* Sirmium, *vulgò* Sirmich, *Pannoniæ inferioris Civitas, Episc. nunc in Hungaria.*

DUplex Sirmii Concilium contra Photinum celebratum est. Unum a Catholicis Episcopis, a Semi-Arianis alterum. Prius habitum est anno Christi 349. alterum anno Christi 351. non verò anno 357. ut Baronius Cardinalis contendit: cujus sententiam egregiè confutavit Petavius, cùm in Animadversionibus doctissimis ad S. Epiphanium, tùm in Dissertatione singulari. Porrò quis fuerit error Photini his in Conciliis damnati, suo loco dicemus. Hic scire sufficiat quæ Socrates & Sozomenus de posteriore Concilio Sirmiensi scribunt. Ille lib. 2. Historiæ cap. 24. iste lib. 4. cap. 5. Socrates quidem de Episcopis qui Sirmium convenerunt, ita scribit: *Photinum dogma Sabellii Afri & Pauli Samosateni tueri deprehensum, illicò Episcopatu abdicant. Quod quidem omnes & jam tùm & postea, ut rectè probèque factum magnoperè approbarunt.* Sozomenus verò: *Photinus*, inquit, *licèt ab Arianis, æquam tamen pro merito accepit sententiam, ut qui non tantùm Pauli Samosateni, sed Cerinthi & Ebionis damnatas hæreses, de Christo, quòd non fuerit ante Mariam, restituere conatus est.*

§. XVIII.

De Sirmiensibus Fidei Formulis.

TRes extant Fidei Formulæ Sirmienses. Prima Græcè concepta est, cum Anathematismis 25. Eam refert S. Athanasius libro de Synodis, eandemque Latinitate donatam S. Hilarius libro etiam de Synodis repræsentat. Primus anathematismus sic habet: *Eos qui dicunt, Ex non ante, aut ex alio subsistente, & non ex Deo Filium extitisse, aut quòd tempus aut ætas fuit, quandò ille non erat, alienos a se censet Sancta & Catholica Ecclesia.* Ultimus verò his verbis conceptus est: *Si quis Christum Deum Filium Dei ante sæcula, administrumque ad universitatis opificium fuisse neget; sed ex quo tempore e Maria genitus est, Christum & Filium appellatum fuisse, & principium suæ Deitatis tum accepisse dicat, anathema esto.* In hoc anathematismo, quo percellitur Photini Hæresis, suspecta sunt illa verba, quibus Filius Patris administer in creatione appellatur. Licèt enim a Patribus quibusdam innoxiè usurpata sint; a Semi-Arianis profecta non possunt quin æquivocatione suâ suspicionem moveant. Primam illam Fidei Formulam S. Hilarius libro de Synodis exponit ceu Catholicam; & revera prorsus Catholica est, si in se spectetur, nec ullus ad ipsius auctores habeatur respectus. Illam S. Athanasius libro de Synodis inter Arianorum Formulas recenset, quæ non minùs ipsorum inconstantiam, quàm impietatem prodant. Prior hæc Fidei Formula edita est in Concilio Sirmiensi anno 351.

Altera Fidei Formula apud Sirmium edita est anno 357. Latino Sermone, quam SS. Athanasius & Hilarius referunt libro de Synodis, Socrates libr. 2. cap. 25. & Sozomenus lib. 4. cap. 5. Non est conscripta in Concilio Sirmiensi, sed postea in conventu paucorum Episcoporum, ut probabo in Dissertationibus, in eoque deceptos Socratem & Sozomenum, atque omnes qui illorum vestigia presserunt, ostendam, quòd tres Fidei Formulas Sirmienses ejusdem Synodi fœtum existimaverint.

In secunda illa Formula Sirmiensi pura puta Arii Hæresis asseritur, voces verò *consubstantiale*, & *similis substantia*, proscribuntur ut a Scripturis sacris alienæ. *Cæterùm*, inquit, *quia multos commovet vox Latinè quidem dicta substantia, Græcè autem οὐσία, hoc est, ut diligentiùs cognoscatur, illud quod, ὁμοούσιον, aut ὁμοιούσιον dicitur, nullam earum vocum mentionem debere fieri, neque de eis sermocinandum in Ecclesia censemus, quod de his nihil sit scriptum in sacris Literis, & quòd illa hominum mentem & intellectum transcendant ..... Nulli verò ambiguum, Patrem majorem esse, neque est quòd quisquam dubitet, Patrem honore, dignitate, deitate, atque adeò ipso nomine paterno majorem esse ...... Filium verò Patri, cum omnibus quæ illi Pater subjecit, subjectum esse.* Hæc perfidi.

Porrò secunda hæc Fidei Formula apud S. Hilarium libro de Synodis, hanc præfixam habet inscriptionem: *Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Osium & Potaminum conscriptæ.* Quo titulo licèt careat illa apud S. Athanasium, & Socratem, non concedo Baronio Cardinali ab Arianis illum additum fuisse. Nam Osii subscriptio, quâ hæc Formula munita est, occasionem dedit ut ejus nomine circumferretur. Hinc S. Hilarius libro de Synodis, ait: *Nam illa in primâ collata expositionis Synodo, Fides hanc habuit necessitatem: cùm apud Sirmium per Osium immemorem gestorum suorum dictorumque, nova, & tamen jamdiu suppurata impietatis doctrina proruperat.*

Tertia Formula Fidei, quæ Sirmiensis etiam dicitur, Latinè pariter conscripta est, Sirmii non in Sirmiensi Concilio, sed post annos octo, Eusebio & Hypatio Consulibus, id est; anno Christi 359. & hæc a Valente & Ursacio ad Concilium Ariminense perlata est, ut testatur S. Athanasius libr. de Synodis. *Postquam*, inquit, *divisio facta est, & alii ad Seleuciam cognomento asperam abiissent, alii Ariminum se contulissent, venit etiam ad eum locum Germinius, Auxentius, Valens, Ursacius, Demophilus, Cajus. Ibi cùm cæteri Episcopi ex sacris Literis verba sua formarent, illi Chartulam exhibuerunt; recitatisque Consulibus quibus scripta erat, postulabant ut ea omnibus Synodis anteponeretur. Omissâ enim de Hæ-*

re-

veticis quæſtione, nullaque habitâ percontatione, quo animo, aut quâ ſententia eſſent, ſcriptis Chartula ſolummodò contentos eſſe debere. Scripta autem eorum hujuſmodi fuere: Edita eſt Catholica Fides in præſentia Domini noſtri religioſiſſimi præclarique Victoriæ Conſtantii Imperatoris Auguſti æterni, Conſulibus Viris Clariſſimis Euſebio & Hypatio Sirmii 2. Calendas Junias, Credimus in unum Deum, &c.

Lib. de Synodis.

Cæterùm eorum temeritatem S. Athanaſius * exagitat, *Qui cùm nonniſi tres aut quatuor eſſent, auſi ſunt tamen Regulæ Fidei Conſules addere, quod trecenti & octodecim Patres Nicæni non fecerunt.* Ex quibus patet editam eſſe hanc Formulam Sirmii, non in ſolenni Concilio, ſed in fortuito paucorum Epiſcoporum congreſſu.

Hæc fidei Profeſſio vocabulo quidem ſubſtantiæ interdicit, ſed Filium Patri per omnia ſimilem profitetur. *Vocabulum porrò ſubſtantiæ*, inquit *quia ſimpliciùs a Patribus poſitum eſt, & a populis ignoratur, & ſcandalum affert, eò quòd in Scripturis non contineatur, placuit ut de medio tolleretur, & nullam poſthac de Dei ſubſtantia mentionem eſſe faciendam, eò quòd ſacræ Scripturæ nuſquam meminere ſubſtantiæ Patris & Filii. Filium autem Patri per omnia ſimilem dicimus, quemadmodum ſacræ Literæ dicunt & docent.*

§. XIX.

De Arelatenſi Arianorum Conciliabulo.

ANNO Chriſti 353. cùm Conſtantius Imperator, profligato Magnentio, Arelate ſubſtitiſſet, Liberius Legationem ad eùm miſit, quam geſſerunt Vincentius Capuanus Epiſcopus, Marcellus Campaniæ, & alii nonnulli. Finis hujus Legationis fuit, ut Concilium generale, Aquilejæ celebrandum, a Conſtantio impetrarent, in quo priùs de Fide, tum de cauſa Athanaſii ageretur. Ea occaſione Concilium Arelare coactum eſt, in quo Imperator Urſacio & Valente inſtigantibus, unà cum Saturnino Arelatenſi Epiſcopo homine Ariano, pleroſque ad Epiſcopos Orthodoxos, & in primis Vincentium Sedis Apoſtolicæ Legatum, damnationi Athanaſii ſubſcribere coëgit. Solus ferme invicti animi ſpecimen dedit Paulinus Treverenſis Epiſcopus, qui ob fidem & Athanaſii innocentiam, egregiè fortiterque propugnatas, ab Arianis exauctoratus, & a Conſtantio in exilium apud Phrygiam amandatus eſt, ubi anno 358. glorioſus Confeſſor occubuit. Hujus Conciliabuli Hiſtoria deprompta eſt ex Liberii Pontificis Epiſtola ad Conſtantium, ex S. Athanaſio Apologiâ 1. ex Fragmentis S. Hilarii, & ex Sulpitio Severo lib. 2. Hiſtoriæ Sacræ.

§. XX.

De Concilio Mediolanenſi ſub Liberio.

ANNO Chriſti 354. Liberius, qui tertium ſui Pontificatus agebat annum, videns quàm infelicem exitum conſecuta eſſet prior ad Conſtantium Legatio, novam ad ipſum decrevit, cujus onus ſuſceperunt Lucifer Calaritanus Epiſcopus, Euſebius Vercellenſis, Pancratius Romanæ Eccleſiæ Presbyter, & Hilarius Diaconus qui Liberii Epiſtolam ad Imperatorem detulerunt, quæ extat in Fragmentis S. Hilarii. Obtinuerunt illi a Conſtatino quod flagitabant, convocationem ſcilicet Concilii Generalis in ſequentem annum.

Anno itaque Chriſti 355. celebratum eſt Mediolani Concilium, ad quod pauci ex Oriente Epiſcopi, ex Occidente trecenti & ampliùs convenerunt, ut Socrates & Sozomenus teſtantur.

Tyrannidem hac in Synodo a Conſtantio exercendam prævidebat Euſebius Vercellenſis, qui ægrè admodum ad illam acceſſit, cùm ſolidis diebus decem cunctatus eſſet, ut teſtatur S. Hilarius ad Conſtantium ſcribens. Extant Tomo I. Conciliorum duæ Epiſtolæ ad Euſebium Vercellenſem datæ, quibus ad Concilium invitatus eſt. Prior eſt Arianorum, altera Legatorum Sedis Apoſtolicæ, ex Actis S. Euſebii, & ex Tabulario Vercellenſis Eccleſiæ editæ [ait Baronius.]

Vix poſt decem dies ab adventu ſuo Mediolanum, Euſebius Vercellenſis cum aliis Legatis Apoſtolicis in Eccleſiam, & Synodum admiſſus eſt, quo temporis intervallo Ariani everſionem Fidei Nicænæ, omniumque Epiſcoporum qui damnationi Athanaſii non ſubſcriberent, exilia meditabantur. Poſtularunt ab Euſebio, cæteriſque Legatis, ut primùm ingreſſi ſunt, ut in Athanaſium ſubſcriberent. Reſpondit Euſebius, *De Sacerdotali Fide priùs oportere conſtare: comperiſſe ſe quoſdam ex his qui adeſſent, Hæreticâ labe pollutos. Expoſitam Fidem apud Nicæam poſuit in medio; ſpondens omnia ſe quæ poſtularent, eſſe facturum, ſi pro Fidei Profeſſione ſcripſiſſent.* Sic ipſorum dolos eluſit, ſciens ipſos oblatam non accepturos conditionem. Tum Ariani Synodum ab Eccleſia ad Palatium tranſtulerunt, metu plebis Mediolanenſis, quæ Catholicam Fidem egregio ſtudio conſervabat. Iſta conſtant ex S. Hilario ad Conſtantium ſcribente. Edictum deinde, ſeu Epiſtolam ſub Imperatoris nomine emiſerunt blaſphemiis refertam, eo conſilio, ut ſi eam æquis auribus Populus recepiſſet, Principis auctoritate recipiendam, quam continebat perfidiam decernerent: ſin aliter eveniret, invidia redundaret in Regem, qui, utpote Cathecumenus, adhuc Sacramentum Fidei innoxiè ignorare poſſe videretur. Iſta conſtant ex Sulpitio Severo lib. 2. Hiſtoriæ Sacræ.

Tanta fuit Conſtantii Imperatoris eâ in Synodo Tyrannis, ut Epiſcopis Orthodoxis Urſacii & Valentis accuſationem contra Athanaſium audiendam non eſſe conteſtantibus, eò quòd ipſi Palinodiam jam anteà ceciniſſet, reſponderit: *Ego ſum Athanaſii accuſator, meo nomine illis credite:* Et Legatis Apoſtolicis dicentibus, Se non poſſe in Athanaſium ſubſcribere, & cum Hæreticis inire communionem, repoſuerit: *Quod ego volo, pro Canone ſit.* Hinc S. Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios hæc omnia recenſens, ait: *Conſtantium induiſſe imaginem Antichriſti. Quis enim*, inquit, *videns eum in decernendo Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere Judiciis Eccleſiaſticis: non meritò dicat, Eum illam ipſam abominationis deſolationem eſſe, quæ a Daniele prædicta eſt.*

Euſebium Vercellenſem, Luciferum Calaritanum, Pancratium & Hilarium Apoſtolici in propugnanda Fide, & juſtitia, pectoris viros, quibus adjunctus eſt in confeſſionis gloria Dionyſius * Mediolanenſis Epiſcopus, Conſtantius Imperator exilio damnavit. Hilarius Diaconus, Urſacii, Valentis, & Eunuchorum Conſtantii malis artibus, flagris immaniter cæſus eſt, ut S. Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios teſtatur. Mortuus eſt in exilio S. Dionyſius Mediolanenſis: cujus in Sedem Auxentium Arianum perfidus Imperator intruſit. Subſcripſerat imprudenter damnationi Athanaſii Dionyſius, a quo hujus ſubſcriptionis labem S. Euſebius Vercellenſis abſterſit, ipſam innocenti quadam arte, inſonteque dolo expungens; quem narrat Auctor Sermonis 15. de Sanctis, S. Ambroſio adſcripti, * in Natali S. Euſebii Vercellenſis habiti. *Illud autem*, inquit, *tacendum omnino*

* *Dionyſium Albæ Epiſcopum falſò vocat Socrates. Falſò etiam Paulinum Treverenſem jam anteà exulem ſanctis illis Confeſſoribus in Mediolanenſi Concilio adjungit.*

*omnino non arbitror, quòd cùm Arianorum detestanda perfidia totam cum universo mundo Italiam perturbasset, atque ejusdem pestilentia Sacerdotes simplicitatem S. Dionysii captivassent, ita ut subscriptionis ejus vinculum retinerent: qua illum è manibus eorum sapientiâ liberavit. Sicut enim ait S. Paulus: Factus sum Judæis tamquam Judæus ut Judæos lucrifacerem: ita Eusebius Hæreticis se esse Hæreticum mentitus est, ut de Hæresi Filium * liberaret. Dixit enim eorum se consentire perfidiæ, hoc sibi placere quod illis; sed quòd sibi filium Dionysium in subscribendo præposuerent, graviter se moveri. Vos enim,* inquit, *qui dicitis Filium Dei Patri Deo æqualem esse non posse, cur mihi Filium prætulistis? quâ ille ratione permoti, statim S. Dionysii chirographum deleverunt, priorem locum subscribendi Beato Eusebio deferentes. Quos ille increpans & irridens, ait: Neque ego me vestris sceleribus polluo, neque Filium meum vobiscum participare permitto.*

De Concilio illo Mediolanensi legendi sunt Socrates lio.2. cap.29. Sozomenus lib.4. cap.18. & Theodoretus lib.2. cap.15.

* *Hunc Sermonem esse S. Maximi Taurinensis, Cardinali Baronio persuaserat Gennadii auctoritas. Sed id retractare coactus est vi veritatis: quia in illo Sermone, cùm honorifica mentio fiat S. Exuperantii Episcopi, discipuli S. Eusebii, qui cum S. Ambrosio subscripsit Aquilejensi Concilio, anno 381. auctor illius esse non potest Maximus Taurinensis, qui floruit post annum 460.*

§. XXI.

*De Synodo Byterrensi * Arianorum.*

ANno 356. cùm celebres illi, quos suprà nominavimus Confessores in exilium acti essent, jamque Arianorum persecutio satis pervulgata esset, S. Hilarius, aliique Præsules Gallicani, decreto edito, sese mutuo consensu a communione Saturnini Arelatensis Episcopi, Valentis, & Ursacii, Arianorum hominum separarunt, excommunicationis Senteotiam io illos decernentes, qui eisdem communicaverint. Id cùm iniquo animo ferrent Episcopi Ariani, ipseque in primis Saturninus, obtinueruot a Constantio, ut Byterris Concilium cogeretur, ad quod a Præsidibus Catholici accedere compellerentur Antistites.

* *Ita Dionysium vocabat quòd junior esset Episcopus.*

Libellum tempore istius Synodi edidit S. Hilarius, quo Arianorum latebras & dolos panderet, metuens ne Catholicis adhuc illuderent, fallaces Fidei formulas conscribendo. Sed ne Libellus Hilarii legeretur, prohibuerunt Ariani, Edictumque a Constantio Imperatore obtinuerunt, quo in Phrygiam relegatus est. Horum testes sunt Hilarius ipse in libro adversùs Constantium, & in lib. de Synodis, necnon Sulpitius Severus lib.2. Historiæ sacræ.

Byterræ, *vulgò* Beziers, *nobilis Septimaniæ Civitas, Sedes Episcop. sub Archiepisc. Narbonensi.*

Cæterùm quàm constans fuerit hoc tempore Gallorum Fides, quaotùmque odium adversùs Arianam Hæresim ipsorum mentibus insitum fuerit, testatur S. Hilarius in i[illegible] de Synodis, obi sic Gallicanos Episcopos alloquitur: *Gratulatus sum in Domino incontaminatos vos & illæsos ab omni contagio detestandæ Hæreseos perstitisse, vosque comparticipes exilii mei, in quod me Saturninus, ipsam conscientiam suam veritus, circumvento Imperatore, detruserat; negatâ ipsi, usque ad hoc tempus, toto jam triennio communione, Fide mihi ac spiritu cohærere; & missam proximè vobis ex Sirmiensi oppido infidelis Fidei impietatem, non modò non suscepisse; sed nuntiatam etiam, significatamque damnasse: necessarium mihi ac religiosum intellexi, ut nunc quasi Episcopus Episcopis mibi in Christo communicantibus, salutaris & fidelis Sermonis colloquia transmitterem*, &c.

§. XXII.

De Concilio Ancyrano Semi-Arianorum.

ANno Christi 358. Semi-Ariani Divinæ sobstantiæ nomen a Filio Dei per Annmæos ablegatum restituere cogitarunt; eaque de causa Ancyram convenere numero pauci, Præside Basilio Ancyrano. Ibi octodecim regulas Fidei, seu 18. Anathematismos ediderunt, secundæ formolæ Sirmiensi planè contrarios: ex quibus duodecim recenset S. Hilarius libro de Synodis. Quartus sic conceptus est: *Si quis audiens hoc: Quomodo Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filiò habere vitam in semetipso, similem non dicat etiam Filium Patri juxta essentiam, anathema sit.* Septimus verò his verbis: *Si quis Patrem & Filium credere se promittens, Patrem dissimilis essentiæ dicat, sed similis efficaciæ, quasi profanas & novas voces contra essentiam Filii loquens, & interimens verum Filium Dei esse, anathema sit.* Octodecim illos anathematismos ad Constantium Sirmii tunc agentem miserunt: quos eùm accepisset, secundam Formulam Sirmiensem Edicto solenni reptobavit: ac ea occasione Mareus Arethusius, qui eum aliquot aliis Episcopis tunc erat in Comitatu, tertiam illam Formulam Sirmiensem dictavit, de qua superiùs diximus.

Quidam Ancyritanum perperam vocant. Ancyra Galatiæ Metropolis.

Decimus-octavus anathematismus damnat vocem sacram ὁμοούσιον, ut apud S. Epiphanium legere est Hæresi 73. quæ est Semi-Arianorum. Sic autem habet: *Si quis Patrem potestate simul & substantiâ Filii Patrem asserens, consubstantialem, vel ejusdem cum Patre substantiæ Filium esse dicat, anathema sit.* Sanctus etiam Basilius Epistolâ 74. testatur Eustathium Sebastenum anathemati τὸ ὁμοούσιον in Colloquio Ancyranò subscripsisse. *Mox verò,* inquit, *ubi fortuitò adeptus esset Episcopatum, anathematismum contra ὁμοούσιον in Synodo Ancyrana scripsisse deprehenditur.* Hunc anathematismum 18. fuisse in Ancyrana Synodo editum, constat etiam ex S. Hilario, quamvis omnibus exemplaribus Epistolæ Synodicæ insertos oon fuerit. *Habuerunt,* [inquit Hilarius] *nonnihil offensionis, quæ credo vos, sanctissimi viri, Basilii, & Eustathii, & Eleusii, ne quid scandali afferretur, abolenda tacuisse. Quæ si rectè scripta sunt, taceri non debuerunt. Si autem quia non rectè scripta sunt, adhuc tacentur, cavendum est ne aliquando dicantur. Parcens enim adhuc de his nihil dico: tamen mecum recognoscitis, quòd non ita omnis scripta apud Ancyram Fides se habeat. Non fama fabulam loquor: Literarum Fidem teneo, non a Laicis sumptam, sed ab Episcopis datam. Oro vos, fratres, adimite suspicionem, secludite occasionem, ut probare possit ὁμοιούσιον, non improbemus ὁμοούσιον.* Literarum nomine intelligit S. Hilarius Epistolam Synodicam Ancyrani Concilii, quam S. Epiphaoius Hæresi 73. integram exhibet.

S. Hilar. lib. de Synodis.

§. XXIII.

De Concilio Ariminensi.

ANno Christi 358. cùm absoluto Sirmiano Concilio, non tam pax inter Orientales sanciri visa esset, quàm inter ipsos nova emergere dissidia: ad hæc componenda Constantius Imperator de celebraoda Nicomediæ Synodo consilium iniit. Quæ tamen prodigio divinitus edito impedita est, scilicet horrendo terræ motu, qoo præfata civitas concussa est & corruit, incendioque

Vulgò, de Rimini. *Est autem Ariminum urbs Flaminiæ, sed*

G quo

Romandiola in Italia, juxta Rubiconem Fluvium: sedes Episcop. sub Archiepisc. Ravennate.

quo simul conflagravit. (Ex Socrate lib.2. Historiæ Ecclesiast. cap.31. & Sozomeno lib.4. cap. 16.) Constantius locum Synodi pro Nicomedia Nicæam designavit: Sed gravi etiam terræ motu prohibita est illa Synodus: quod divino factum esse consilio Theodoretus animadvertit lib.2. Historiæ Ecclesiast. cap.26. Nam, inquit, *cùm in illa urbe Fidei Apostolica doctrina a SS. Patribus descripta esset; & alii postea ibi congregati, contrariam doctrinam conscribere in animo haberent, Deus qui Ecclesiæ providere non desinit, Concilium illud propterea prohibuit, ne ex similitudine nominis ansam Ariani arriperent ad fraudem; neve Concilium istud Nicænum quoque appellando, simplicium animos circumvenirent.*

Anno Christi 359. Constantius ipse ad controversias Fidei componendas Oecumenicam Arimini Synodum indixit: sed eandem consilio Arianorum duas in partes dividere persuasus est; Ita ut Orientales Seleuciæ in Isauria: Occidentales verò Arimini in Æmilia convenirent: quod Divina Providentia permisit, *Ut in singulis Conciliis, hic quidem sincera puraque Fidei Sententia apparerent, illic autem suspecta incertaque ingenia cum suis moribus sese ostenderent.* Ex S. Athanasio lib. de Synodis, [lege Socratem lib.2. cap.29. & Sozomenum lib.4.c.15.& 16.] 400. Occidentis Episcopi ad Concilium Ariminense convenerunt, quibus omnibus annonam & cellaria dari jusserat Imperator. Sed id Aquitanis, Gallis & Britannis indecens visum,

Histor. Sacræ Lib.2.

qui ut refert Sulpitius Severus, repudiatis Fiscalibus, propriis sumptibus vivere maluerunt. Tres tantùm ex Britannia, inopiâ proprii, publico usi sunt, cùm oblatam a cæteris collationem respulissent, sanctius putantes fiscum gravare, quàm singulos. Orthodoxos inter Præsules eminebant Restitutus Carthaginensis Episcopus, S. Phœbadius Aginnensis, & S. Servatius Tungrensis: inter Hæreticos verò qui octoginta circiter aderant, Ursacius, Valens, Germinius, Epictetus, Demophilus, Auxentius. Episcopos Catholicos propè ducentos duntaxat Concilio Ariminensi interfuisse, scribit S. Athanasius in Epistola ad Africanos; qui numerus ita ab eo remotus est, quem semel iterumque refert libro de Synodis, ut locum depravatum esse ac mendosum Cardinalis Baronius suspicetur, ad annum 350. Attamen Maximinus Arianus Episcopus hujus Synodi auctoritate abuti volens, in disputatione quam Sancto cum Augustino habuit, triginta tantùm supra trecentos Episcopos ait ejus decretis subscripsisse. Contra verò Julianus Pelagianus, apud S. Augustinum, lib. 1. Operis Imperfecti, cap.73. Episcopos 650., Ariminensi Concilio interfuisse dicit,

Episcopis in unum coactis, quos ante dimitti vetuerat Imperator ad Taurum Præfectum scribens, quàm unam in Fidem consentirent, lectæ sunt ipsius literæ, quibus jubebat ut solùm tractaretur de fide: prohibebat verò, ne de Orientalium Episcoporum causis decerneretur quidquam. Extat hæc Epistola apud S. Hilarium in Fragmentis. Ubi de Fide quæri cœptum est, Valens & Ursacius tertiam formulam Sirmiensem in medium protulerunt, quæ Filium Patri similem secundùm Scripturas doceret: hanc probari a Concilio postulavere, siquidem Imperatori placuerat, cæteras verò Formulas antiquari. Sed a Patribus rejecta est; qui malas ipsorum artes ex eo perspectas habuere, quòd cæteris cum hæresibus Arianam damnare recusarent. Exinde Nicæna Fides unanimi Catholicorum Antistitum suffragio probata est, hancque ad omnia sufficere judicatum. Ursacius, Valens, Germinius, Auxentius, Caius Demophilus, damnati: Epistola Synodica ad Constantium Augustum data, quam refert S. Athanasius libro de Synodis. Ea in Epistola scribunt Patres, primò visum esse Concilio ut retineretur Nicæna Fides. *Indecens enim & nefarium*, inquit, *aliud ex rectè & justè decretis, & ex rebus Nicææ publicè cum illustrissimo Principe Constantino Patre tuo per accuratam deliberationem constitutis, immutare velle; in quibus tanta doctrina est & prudentia, ut ea ubique deprædicata ad omnium aures animosque pervenerit, qua sola hostis & interfectrix Arianæ Hæreseos, & per quam non illa sola, sed & reliquæ Hæreses sublata sunt: in qua certè & addere aliquid temerarium est, & auferre periculosum.* Addunt, Ursacium & Valentem ab Ecclesiæ communione, latâ Sententiâ segregatos. Tertiò orant Imperatorem ut Legatos Concilii benignè suscipiat, eisque aures benevolas præbeat. Supplicant denique ut Episcopos peregrè commorantes, quos & gravitas ætatis, & paupertas affligit, quàm facillimè in Patriam reduci jubeat, ne Ecclesiæ absentibus Episcopis desertæ relinquantur.

Subjicit huic Epistolæ S. Athanasius Sententiam in Hæreticos Ursacium, Valentem, Cajum, Germinium, Auxentium latam.

Legendus est S. Hilarius in Fragmentis, ubi & Decretum Ariminensis Concilii pro Nicæna Fide retinenda refert, cui præfixa est ista inscriptio: *Incipit Definitio Catholica, habita ab omnibus Catholicis Episcopis, priusquam per terrenam Potestatem territi, Hæreticorum consortio sociarentur in Concilio Ariminensi.* Extat ibidem repetita Arii damnatio cum Anathematismis. Lege Socratem lib.2. cap.29. Theodoretum lib.2. cap.18. & 19. & Sozomenum lib.4. cap.16. & 17.

Ursacius interim & Valens, qui Legatorum Orthodoxorum adventum apud Imperatorem præverterant, Concilio obtrectare, & Fidei Formulam, quam illi secum attulerant, ostendere: Imperator verò contra Concilium irâ exardescere, Ursacium & Valentem in magno honore habere cœpit. Quapropter Episcopi a Concilio missi, diu quidem apud illum commorati, nullum responsum referre potuerunt. Tandem per alios qui aderant, ad Concilium scripsit Imperator. Hæc Socrates loco supra laudato, ubi & subdit Epistolam Constantii ad Patres Ariminenses, quâ scribit, sibi per otium non licuisse admittere ipsorum Legatos in conspectum suum, quia expeditionem in Barbaros parabat, proindeque se mandasse Episcopis ut ejus reditum Adrianopoli expectarent, ut cùm ea, quæ ad Rempublicam pertinebant, ritè fuissent procurata, illa quæ deinceps essent proposituri, diligenter audire, expendereque posset. Ista omnia consilio & artibus Legatorum Arianorum facta Theodoretus testatur, ut Orthodoxos A[illegible]tites mora diuturniore fatigatos, tædioque op[illegible]os ad destructionem decretorum compellerent, quæ contra Hæresim, ejusque defensores ediderant. Sed nihil profecere Ariani. Datis enim ad Constantium literis, professi sunt Catholici Præsules nunquam se a priori proposito & sententia discessuros, idemque se Concilii Legatis in mandatis dedisse. Has Epistolas refert Theodoretus lib.2. cap.19. & 20. Legendus etiam Socrates loco supra laudato, & Sozomenus lib.4. cap.18.

His Epistolis ad Imperatorem delatis, effecerunt Ariani ut plurimi Episcopi Nicæam Thraciæ urbem inviti perducerentur: quorum partem propter animi simplicitatem callidè circumveniendo, partem minis perterrendo, impulerunt, ut has voces, *Substantia*, & *Consubstantialis*, ex Fidei Formula eximerent, inque earum locum vocem, *Similis*, apponerent, ut scribit Theodoretus lib.2. cap.21. ubi & perversam illam Fidei Formulam Nicææ in Thracia editam recitat. Con-

fentiens est in omnibus tertiæ Formulæ Sirmii editæ, & Ariminum a Valente & Urfacio perlatæ hoc uno excepto, quòd prior Filium dicat *per omnia similem Patri:* ista verò fcribat solùm, *similem Patri qui eum genuit, secundùm Scripturas.* Lege Socratem & Sozomenum locis suprà laudatis.

Tunc evenit ut decem Legatis a Catholicis partibus ad Comitatum destinatis, a Constantio persuasum sit, ut Formulæ perfidiæ apud Nicæam Thraciæ editæ subscriberent, & cum Arianis communicarent, rescissâ sententiâ quæ contra Valentem, Ursacium, cæterosque, Arimini lata erat. Quam in prævaricationem non soli abducti sunt Legati, sed & omnes pene Orthodoxarum partium Antistites. De quorum lapsu legendi sunt S. Athanasius in Epistola ad Africanos, S. Hilarius in Fragmentis, Sulpitius Severus lib. 2. Historiæ sacræ, S. Hieronymus in Dialogo adversùs Luciferianos, & Sozomenus lib. 4. cap. 18. Ob lapsum tamen adeò lugendum Ariminensis Concilii Episcopis nota Hæreseos non est inurenda, ut propria Dissertatione ostendam.

§. XXIV.

De Concilio Seleuciensi.

Seleucia Isauriæ urbs seu Ciliciæ asperæ, in Asia minori, sedes Archiepiscop.

DUm Concilium Ariminense ageretur, Seleuciam Isauriæ urbem Orientales Episcopi numero 160. se contulerunt. Eo in loco congregati, præsentibus viris clarissimis Leona & Lauricio Comitibus, ab Imperatore ad curandum Concilium missis, disputavere: resque disceptatæ per Scribas in publicos commentarios relatæ sunt. Hujus Concilii Acta uberiori stylo describit Socrates lib. 2. cap. 31. & 32. ex Sabino.

Prima die multùm diuque certatum est de modo procedendi in Concilio. Quidam enim primò de personis agendum: alii prius de Fide disceptandum contendebant. Fuerant autem in crimen vocati Cyrillus Hierosolymitanus, Eustathius Sebastiæ, & quidam alii. Hæc contentio Schismatis causa fuit. Concilium enim duas in partes scissum est. Alteri Acacius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, Georgius Alexandriæ, Ursacius Tyri, & Eudoxius Antiochiæ præfuere, quibus triginta alii Episcopi consociabantur. Alteri Georgius Laodiceæ, Sophronius Pompejopolis, & Eleusius Cyzici; cum quibus alii etiam complures sentiebant. Mutuis sese accusationibus utriusque partis Episcopi divexarunt. Acacius cum Gregalibus suis suspectus magis erat. Hi teste S. Athanasio lib. de Synodis, immani vecordiâ audaciâque abnegarunt Nicæni Concilii scripta, ipsam Synodum diffamantes. Alii verò, iique permulti, reliqua Synodi approbabant, solummodò de voce ὁμοούσιον quasi obscura cavillati. Ipsis ita dimicantibus, Silvanus Tarsensis inclamabat, Nullam aliam Fidei Formulam describendam esse præter Antiochenam in Encæniis. Id cùm dixisset, Acacii sectatores se subduxerunt, alii dictam Formulam ratam habuere.

Secunda die, Acacius novam Fidei Formulam coram Comitibus Leona & Lauricio edidit, quæ tertia die perlecta est. In ea vocabula *Consubstantiale*, & *Æquiconsubstantiale* rejiciebat tanquam a Scripturis abhorrentia: verbum *Dissimile* anathemate damnabat, omnesque ipsius propugnatores: *Similitudinem* autem Filii cum Patre fatebatur, secundùm Apostolum dicentem: *Qui est imago Dei invisibilis.* Hanc Acacianæ perfidiæ Formulam S. Athanasius libro de Synodis, & Socrates lib. 2. cap. 32. referunt. Huic Formulæ Sophronius, Eleusius, aliique Semi-Ariani sunt refragati. Orta inter factionem utramque controversia est. Quæsitum nempe est ab Acacio qua in re Filium intelligeret similem Patri. Respondit ille, Non substantia, sed sola voluntate Patri esse similem. At Semi-Ariani similitudinem in substantia propugnarunt vehementiùs. Hac animorum effervescente contentione, Leonas Concilium dimisit. Hinc occasionem nacti Acaciani discesserunt: Semi-Ariani verò in Ecclesiam convenientes, adesse jusserunt Acacium cum suis, quò de Cyrilli Hierosolymitani causa cognosceretur. Qui cùm parere nollent, rationemque reddere gestorum, abdicati sunt quidam, alii excommunicati, donec se legitima defensione criminis puros ostenderent. De his S. Athanasius lib. de Synodis, Socrates loco supra laudato, Sozomenus lib. 4. cap. 22.

Seleuciensi Concilio adfuisse S. Hilarium Pictaviensem Episcopum, testis est Severus Sulpitius, * quod nuto divino gestum scribit, ut rerum divinarum vir peritissimus, ubi de Fide erat disceptandum, interesset. Quæ proinde illo in Concilio gesta sint, accuratiùs narrat S. ipse Hilarius horum omnium testis oculatus, libro contra Constantium. *Quæ enim dicturus sum*, inquit, *non aliunde cognovi; sed ipse audivi; & præsens adsui cùm gerebantur, Orientalium in Seleucia Synodo, ubi tantum blasphemiarum, quantum Constantio placebat. Nam post secessionem meam deprehendi, ut Christum tantum quinque Episcopi ὁμοιούσιον id est, similis essentiæ profiterentur, & soli Ægyptii, præter Alexandrinum Hæreticum *, ὁμοούσιον constantissimè obtinerent. Cogente itaque Leona Comite, in unum omnes congregati sunt, ex his qui ὁμοιούσιον prædicabant. Aliqui coram nonnulla piè verbis præferebant, Quod & ex Deo esset, id est, de substantia Dei Filius, & semper fuisset. Qui verò ὁμοιούσιον defendebant, * nihil nisi profanissimum afferebant, negantes quidquam substantiæ Dei simile esse posse, neque de Deo posse exsistere generationem: sed esse Christum creaturam. Itaque quòd creatus esset, id ei nativitas deputaretur: ex nihilo autem esse, & idcirco non esse Filium, nec Deo similem. Loquor autem vobis, quod ipse recitari in conventu publicè audivi: quod prædicatum ab Episcopo Antiochiæ, * exceptum habebatur. Hæc ergo dicta esse ab eo commemorantur. Erat Deus quod est. Pater non erat, quia neque ei Filius..... O miseras aures meas, quæ tam funestæ vocis sonum audierunt, hæc de Deo ab homine dici, & de Christo in Ecclesia prædicari! Post multas autem istiusmodi impietates, cùm Patrem & Filium ex nominibus, potiùs quàm ex natura comparasset, ait: Quantùm enim Filius se extendit cognoscere Patrem, tantùm Pater superextendit se, ne cognitus sit. Cùm autem intellexissent & hi qui dissimilem Deum dicunt, humanas aures tanta impietatis acerba susceptura non esse: rursum hi ipsi Palatii potiùs, quàm Ecclesiæ Episcopi Fidem scribunt; ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον, dissimilitudinem damnant. Quod cùm contrarium ipsi sensui audientium esset; ipse ego quemdam eorum, qui fortè ad me pertentandum accesserat, quasi ignorans rerum gestarum, percontatus sum quid sibi vellet istud, ut qui unam substantiam Filii cum Patre damnassent, vel esse similis substantiæ denegassent, dissimilitudinem damnarent? Tunc mihi ait, Christum Deo similem non esse, sed similem Patri esse. Rursus hoc obscurius mihi adhuc videbatur. De quo cùm iterum interrogarem, tunc hæc ita locutus est: Dico enim dissimilem Deo esse, similem Patri posse intelligi, quia Pater voluisset creaturam istiusmodi creare, quæ similis sui vellet: & idcirco similem Patri esse, quia voluntatis esset potiùs Filius, quàm divinitatis. Dissimilem autem Deo esse, quia neque Deus esset*

* Lib. 2. Hist. sacræ.

Georgium Alexandrinæ Sedis invasorem designat.

Defendere pro eodem hic asserpat S. Hilarius, ac impugnare.

Eudoxio.

esset, neque ex Deo, id est, de substantia Patris natus esset. Hæc audiens hebui, neque credidi, donec publicè, ex consensu omnium eorum, profanissima hujus similitudinis ratio prædicaretur. Qui autem ignominiose prædicabant, omnes, qui maximè sine aliquo impietatis pudore impudentissima hæc loquebantur, condemnaverunt. Hæc S. Hilarius.

§. XXV.

De Constantinopolitano Conciliabulo.

EOdem anno 359. dimissâ Synodo Seleuciensi, cùm Acacius ad Constantium festinus cum suis convolasset, adversùs Acta Seleuciensia oblatraturus, Imperator novam Synodum indixit Constantinopoli. Ex 50. duntaxat Episcopis Bityhniæ istud conventiculum conflatum est, quibus accessit Maria Chalcedonis. Ibi Fidei Formulam Arimini perlectam, ante cujus initiom Consules scripti erant, confirmarunt. Ad quam illud impietatis addidere, ut non solùm substantiæ nomen, sed & hypostaseos sive subsistentiæ damnarent. De his legendi sunt S. Athanasius lib. de Synodis, Socrates lib. 2. cap. 32. qui & perfidam illam Formulam describunt. Legendi item Theodoretus lib. 2. cap. 27. & Sozomenus lib. 4. cap. 23.

Illa in Synodo Aëtii, Eudoxiique blasphemiæ detectæ sunt agentibus Basilio Aocyrano, Silvano Tarseosi, Eleuzio Cyziceno, aliisque Semi-Arianis. Formula Fidei ab Aëtio edita impium hunc contioebat Syllogismum: *Quæ dissimili ratione proferuntur, ea sunt essentiâ dissimilia. At unus Deus Pater ex quo omnia, & Dominus Jesus Christus, per quem omnia, dissimilem habent prolationem, nimirum, Ex quo, & per quem. Proinde Filius Patri dissimilis est.* Ita refert Theodoretus loco suprà laudato. Aëtium tantæ impietatis convictum a Synodo abdicari jussit Constantius: quod secundùm ipsius desiderium cessit. Ea de re scripta est Epistola Synodica ad Georgium Alexandriæ Pseudoepiscopum, quòd Aëtius illius Ecclesiæ Diaconus esset. Eam descripsit Theodoretus lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 28. Ex ea discimus, inter alia objectum fuisse Aëtio, quòd temeraria audacia elatus, affirmasset Deum sibi revelasse ea quæ ab Apostolorom temporibus hactenus occultaverat. Nec Aëtium modò, sed & alios plurimos abdicaront, scilicet Macedonium Constantinopol. Basilium Ancyranum, Eleusium Cyzicenum, Silvanum Tarsensem, aliosque Semi-Arianarum partium: necnon & Cyrillum Hierosolymitanum. Aëtius autem & Eudoxius nedum a Synodo fuere damnati, sed etiam ab Imperatore in exilium amandati. Denique Ariani Concilii Ariminensis Decreta, sive potiùs ea quæ posteriùs Arimini statuta erant post defectionem Legatorum, omnium subscriptionibus firmari curaverunt.

§. XXVI.

De altero Conciliabulo Antiocheno.

ANno Christi 361. cùm Ariani Meletium Sebastenum Ecclesiæ Antiochenæ præfecissent: atque ille Fidem Nicænam, præter omnium expectationem, propognasset: ille Imperatoris mandato exturbatos Ecclesiâ est, & in exilium ejectus, Euzoio in ejus locum substituto. His peractis, quietis impatientes Acaciani novam rursus Fidem condiderunt, eamque omnium deterrimam: In qua nomen simile ex Formula Fidei Arimini & Constantinopoli perlecta expunxerunt, & *Filium Patri tum substantiâ, tum voluntate dissimilem esse, & ex nihilo ortum asseruerunt.* Cùm verò ab ipsis quærerent Nicænæ fidei defensores, qua ratione duo hæc illorum dogmata conciliari possent, *Filium Deum esse de Deo*, & esse Patri dissimilem, *& ex nihilo ortum*: Responderunt, Filium se profiteri Deum ex Deo, secundùm sensum Apostoli dicentis, *Omnia ex Deo esse*: Filium namque in hac voce, *omnia*, includi. De his S. Athanasius lib. *De Synodis Arimini & Seleuciæ*, Socrates lib. 2. cap. 35. & Sozomenus lib. 4. cap. 28.

§. XXVII.

De Concilio Alexandrino post reditum S. Athanasii celebrato.

CUm occiso a Gentilibus Georgio * Alexandrinæ Sedis invasore S. Athanasios Alexandriam quasi triumphans rediisset, Concilium statim indixit, ut collapsum dirâ tot annorum persecutione Ecclesiæ suæ statum restitueret. Convocatum ac celebratum est anno Christi 362. Huic cum pluribus aliis adsuit S. Eusebius Vercellensis, adsuit & Lucifer Calaritanus, non per se, sed per Diaconum; divertit enim tunc temporis Antiochiam, ubi dissidentibus adhuc ob Episcopi legitimi electionem partibus, Pauliοum Episcopum consecravit.

De Georgii Alexandrinè Pseudo-episcopè nece, legendi sunt S. Epiphanius Hær. 76. n. 1. Socrates lib. 3. cap. 2. & Ammian. Martellin. lib. 22. p. 223.

Quid porrò actum sit in Alexandrina illa Synodo, colligere est ex Epistola Synodica, quam descripsit S. Athanasius ad Antiochenos scribens. Primò, Canon sancitus est de Episcopis, qui vi, aut ignorantiâ Arianis consensissent, & Arimini, aut aliàs lapsi essent, in pristinæ dignitatis gradum recipiendia, modò Arianam Hæresim execrarentur, Nicænamque Fidem profiterentur. Excepti sunt ab hac gratia Auctores Hæreseos, fautoresque primarii, quos error excusare non poterat, ut testatur Sanctus Hieronymus in Dialogo adversùs Luciferianos, utque exponit 7. Synodus Actione 1.

Secundò, gravis illa de vocabulis τῆς οὐσίας καὶ τῆς ὑποστάσεως controversia, quæ Catholicos cum Catholicis committebat, excussa est, & composita; partes ambas conciliante S. Athanasio. Quà de re in Dissertationibus agemus.

Tertiò, recta Fides de Verbi Divini Incarnatione exposita fuit: & contra hæresim jam emergentem, cui nomen dedit Apollinaris, statutum est *Salvatorem corpus inanimatum, aut cogitationis, aut mentis expers non habuisse.*

§. XXVIII.

De Concilio Parisiensi contra Arianos.

ANno Christi 362. Juliani Imperatoris Apostatæ 2. Concilium Parisiis celebratum est contra Arianos. Unum illud fuit ex præcipuis quæ S. Hilarius in Gallias redux curavit frequentiâ celebrari. Ea in Synodo *usia* vocabulum, quod Arimini & Nicææ in Thracia silentio oppressum fuerat, & *ignavum* vindicatum est: Fides Catholica de Filii divinitate luculento perspicuoque stylo exposita: contestatio facta a Gallicanis Episcopis, quòd fraudem Arimini passi essent: Auxentius, Valens, Ursacius, Cajus, Megasius, & Justinus anathemate damnati. Ista constant ex Epistola Synodica istius Concilii, quæ a S. Hilario in Fragmentis descripta est.

§. XXIX.

§. XXIX.

De altero Concilio Alexandrino sub S. Athanasio.

Cum S. Athanasius a Juliano Apostata in exilium ob causam Fidei relegatus, post impii Tyranni fatum a Joviano Imperatore Christiano relaxatus esset, atque Ecclesiæ suæ restitutus, Synodum ex primariis Ægypti, Thebaidis, ac Libyæ Episcopis congregavit, in quâ ut Christianissimi Imperatoris votis satisfacerent, Epistolam de *Recta Fide* ad ipsum scripserunt, cui Nicænum inseruerunt Symbolum, cujus in professione religiosissimum Principem confirmarunt. Hæc Epistola extat apud S. Athanasium libro *de Fide, ad Jovianum*, & refertur a Theodoreto lib. 4. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 3. Celebratum est illud Concilium anno Christi 363.

§. XXX.

De Concilio Antiocheno sub Meletio.

Eodem anno, variarum factionum Hæretici piissimum Imperatorem adiere, liberam sibi facultatem ab eo concedendam rati, ut contra adversarios more solito dimicarent. Aditum aliis patefecerunt Macedoniani, qui libellum Joviano obtulere, postulantes ut qui Filium Patri dissimilem asserebant, ii ab Ecclesia ejicerentur, ipsique in eorum sufficerentur Episcopatus. Imperator, accepto eorum libello, ipsos absque responso dimisit, hæc verba duntaxat proferens: *Ego contentionem odio prosequor; eos qui concordiæ dediti sunt, prosequor amore, veneror que*. Quæ cùm ad aures Acacianorum pervenissent, Antiochiæ in unum coacti, cum Meletio in colloquium venerunt. Quod ab ipsis animo politico factum est, quia eum magno in pretio & honore esse apud Imperatorem animadvertebant. Illi igitur communi consensu libellum componere; consubstantiali assentiri: Fidem Concilii Nicæni ratam facere: libellum denique his de rebus Imperatori offerre decreverunt. Id constat ex Socrate lib. 3. cap. 21. ubi illum etiam libellum, sive Synodicam Epistolam subjicit, in quâ subscriptum quoque legitur nomen Acacii Cæsareensis. Legatur & Sozomenus lib. 6. cap. 4.

§. XXXI.

De Synodo Lampsacena.

Lampsacus urbs Mysiæ minoris, sive Hellespon. ti ad Græcia flumen vii ossia sedes Archiepiscop.

Defuncto Joviano Imperatore, statim atque Valentinianus Augustus salutatus est, & Valentem fratrem sibi in Imperio Collegam adscivit, Episcopi Hellespnti & Bythiniæ, aliique consubstantialitatis assertores, Hypatium Heracliæ Antistitem Legatum ad ipsum miserunt, ut sibi de Fidei doctrina ritè constituenda in unum conveniendi potestas permitteretur. Cui respondit Valentinianus: *Sibi qui unus è Laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere, & ideo*, inquit, *Episcopi, quibus cura sunt, ubicumque ipsis libitum fuerit, in unum conveniant*. Hæc refert Sozomenus lib. 6. cap. 7.

Lampsaci igitur, quæ civitas est in Hellesponto, celebrarunt Concilium anno Christi 365. In quo decreverunt, Acta Constantinopoli operâ ac studio Eudoxii & Acacii sancita, abroganda esse. Deinde Formulam Fidei ab ipsis editam rescinderunt. Tertiò, decreverunt doctrinam illam ratam fore, quæ Filium Patri substantiâ similem asserebat. Quartò, Formulam Fidei in consecratione Ecclesiæ Antiochenæ editam, & Seleuciæ omnium Episcoporum consensu confirmatam, in omnibus Ecclesiis tenendam. Denique contra Eudoxium, & Acacium, utpote jure abdicatos, rursus tulere sententiam. [Ex Sozomeno loco suprà laudato, & Socrate lib. 4. cap. 4.]

Celebrato Concilio, Episcopi Legationem miserunt ad Liberium Romanum Episcopum, cujus munus imposuerunt Eustathio Sebasteno, Silvano Tarsensi, & Theophilo Castabalorum: illisque in mandatis dedere, ut nequaquam cum Liberio de Fide dissentirent, sed communicarent cum Ecclesia Romanâ, Fidemque consubstantialis ratam facerent. Ut Romam advenere, Liberio literas obtulerunt: qui eas recipere nolebat, quòd eos Arianæ Hæreseos suspectos haberet. At illi se Catholicos esse professi sunt: Filium in omnibus Patri similem se agnoscere ac venerari: vocem porrò *similem*, nihil a consubstantiali discrepare. Tandem urgenti Liberio libellum obtulere, in quo verba ipsa Nicæni Symboli conscripta erant. Hæc refert Socrates lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 12. — Lampsaceni Synodus Catholica.

Subjicit ibidem libellum a Legatis Liberio traditum: quo profitentur se Fidem Catholicam tenere, servareque, quæ a sacrosancto Concilio Nicæno confirmata fuerit, in quâ vox *Consubstantialis* ad perversam Arii doctrinam expugnandam, sanctè pièque posita est. Deinde Arium, impiam ejus doctrinam, & erroris fautores execrantur & damnant. Tertiò dicunt anathema nominatim Fidei Formulæ in Concilio Ariminensi recitatæ, utpote quæ Fidei Nicænæ Synodi repugnet. Quartò exponunt Fidem suam quæ in omnibus Nicæna Fides est. Isto libello Liberius Legatos tanquam sponsione obstringens, in communionem recepit, datisque literis illos dimisit; inquit Socrates cap. 12. Subjungit idem Auctor Epistolam a Liberio ad Episcopos Orientales suo & Episcoporum Italiæ nomine datam, quâ acceptâ, Legati in Siciliam profecti sunt: ubi Siculorum Episcoporum convocata Synodo, coram illis pariter Fidem Consubstantialis servare se sunt professi; Fideique Formulam in Concilio Nicæno confirmatam iterum ratam fecerunt: a quibus cùm literas in eandem cum Liberii Epistola sententiam, perseriptas ad Episcopos, a quibus missi erant, accepissent, rectà reversi sunt. Illi Epistola Liberii acceptâ, Legatos miserunt ad omnes Episcopos Consubstantialitatis assertores, oraturos, ut uno animorum consensu Tarsum Ciliciæ tum ad Fidem Nicæni Concilii confirmandam, tum ad omnem contentionem, quæ post illud in Ecclesia oriebatur, dirimendam commearent. Quod artibus suis prohibuit Eudoxius. — Socrates lib. 4. cap. 12.

Ex his colligitur Lampsacenam Synodum Catholicam fuisse: & Sozomenum a Baronio *& Binio immeritò reprehendi, quod Episcopos qui hoic interfuere Concilio, existimaverit Catholicos. Qui enim Arianos damnabant, Nicænam Fidem profitebantur, & ὁμοούσιον amplectebantur, nec alterius erroris labe maculati erant, illos verè Catholicos nemo non dixerit. Sed Episcopi Synodi Lampsacenæ Arianos damnabant, Nicænam Fidem profitebantur, amplectebantur ὁμοούσιον nec erant alterius erroris labe maculati: erant igitur Catholici. — Baronius tom. 4. Annal. ad ann. 365.

Nec obstat quòd S. Basilius Epistolâ 82. Lampsacenam Confessionem inter alias annumeret, quæ ab Hæreticis variis in locis editæ sunt. *Quoties*, inquit, *Fidem exponendo novarunt? Ancyræ dederunt aliam; Seleuciæ aliam; aliam Constantinopoli*,

nopoli, divulgatam illam, & aliam in Lampsaco postea, & quam dederunt in Nicea Thraciæ, & jam aliam in Cyzico; de qua etsi reliqua ignoro, hoc tamen audio, quod omissâ consubstantialis confessione, τὸ κατ' οὐσίαν ὅμοιον similitudinem quamdam essentiæ circumferunt, & præterea blasphemias contra Spiritum Sanctum cum Eunomio conscribunt. Hæc, inquam, verba S. Basilii non probant Lampsaceni Concilii Episcopos Hæreticos fuisse: sed solùm evincunt, S. Basilium eos suspectos habuisse prupterea quòd vocem ὁμοιούσιον silentio oppressissent, Sed non noverat proculdubio Basilius, illos nomine ὁμοιούσιον, quod in sua Fidei Professione usurpabant, idem intelligere, quod Orthodoxi cæteri significabant, vocabulo ὁμοούσιον: & id coram Liberio professos fuisse, non voce tenua, sed edito libello.

§. XXXII.

De Synodo Illyrici. *

* Illyricum, *vulgò* l' Esclavonie' *in ora Maris Adriatici.*

EOdem anno 367. Liberius Legatum misit in Orientem Elpidium Presbyterum, qui Catholicæ Fidei negotium cum Orientalibus Episcopis, quorum Legationem recens susceperat, promoveret. Eo tempore Synodus in Illyrico celebrata est, in qua Nicæni Concilii Fides confirmata fuit. Valentiniani Imperatoris mandato coacta est illa Synodus: de qua Theodoretus legendus est lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 6. Apud eundem extat Epistola Synodica illius Concilii scripta ad Episcopos Diœceseos Asianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, & Pacacianæ, qui errore Macedonii infecti erant, quippe qui Spiritum Sanctum a Patre & Filio separarent, ut habet illa Epistola. Tota est in stabilienda consubstantialitatis doctrina, eosque anathemate percellit, qui Trinitatem non esse consubstantialem contendunt, necnon illos omnes qui sunt ipsis communione conjuncti. Refert idem Auctor * Epistolam Imperatorum Valentiniani & Valentis ad Asianam Diœcesim, cui summam Decretorum præfati Concilii piissimi Principes inseruerunt, Fidemque consubstantialitatis ubique prædicari jusserunt. Ex quibus constat Valentem Imperatorem nondum Arianâ Hæresi infectum fuisse. Ex Actis istius Concilii, & ex illa Epistola discimus, quo sensu quidam Ariani Catholicorum larvam induentes, *consubstantiale* usurparent & exponerent. Sic enim Imperatores cum Synodo Illyrici profitentur: *Sententiam magni & Orthodoxi Concilii Nicanè sequuti, confitemur Filium Patri consubstantialem esse. Neque certè ita intelligimus consubstantialem, uti quidam olim exposuerunt, qui non sincerè & ex animo Concilio Nicano subscripserunt: neque ut alii, qui hoc tempore illos appellant Patres; & vim hujus verbi consubstantialis tollunt, sequunturque opinionem eorum, qui tradiderunt, per hanc vocem consubstantialis, nihil aliud significari, quàm similem, per quam vocem Filius nulli creaturæ per ipsum condita, sed soli Patri similis ostenditur. Qui ista tradunt, Filium Dei nihil aliud quàm creaturam eximiam esse, impiè planè definiunt. Nos autem non aliter sentimus atque duo Concilia, quorum alterum jam Romæ, alterum habetur in Gallia: nimirum unam eandemque essentiam esse Patris & Filii & Spiritus Sancti, in tribus personis, hoc est in tribus perfectis hypostasibus.*

* *Lib. 4. c. 7.*

Extat apud S. Hilarium in Fragmentis Epistola Episcoporum Italiæ ad Illyricos, de Nicænæ Fidei confirmatione gratulatoria; quæ ibi legi potest.

§. XXXIII.

De Synodo Tyanensi.

EOdem anno 360. cùm Legati Romam ab Orientalibus missi ad propria remeassent, atque tunc Tyanæ, quæ Cappadociæ Civitas est, Concilium a Catholicis celebraretur, ad illud sese cum Symmistis suis contulit Eustathius Sebastæ urbis Armeniæ Episcopus; atque prolatis Liberii literis, ac iterata Fidei Professione, qua consubstantiale amplectebatur, sedi suæ restitui petiit. Quod ipsi perlætaoter concesserunt Orthodoxi Antistites, cùm ob reverentiam Romani Pontificis, tum ob Catholicæ Fidei recentem & sinceram (ut existimabant) professionem. Verùm hæc subdolè ab Eustathio & sociis gesta esse, ipsumque Hæresim ore tenus ejurasse, constat ex S. Basilio Epist. 73. 74. & 82. & ex S. Epiphanio Hæresi 75. Num. 2. In Epistola 73. S. Basilii, emendanda est interpretis Latini versio. Perperam enim habet: *Est Nicana Fides quam Occidentales attulerunt, Tyanensique Synodo tradiderunt.* Scilicet veritati Historiæ, & Græco textui æquè illa versio adversatur: Cùm illi qui Fidem memoratam Româ in Orientem attulerunt, eamque Synodo Tyanensi obtulerunt, non Occidentales fuerint, sed Orientales; nimirum Eustathius Sebastenus, Silvanus Tarsensis, & Theophilus Castabalensis: & in Græco textu habeatur, ἀπὸ τῆς δύσεως, ab Occidente. Mirum quòd a Baronio Cardinali non fuerit id animadversum.

Tyana, *ad Tauri Montis radices, sedes Archiepiscopi.*

Ad omnes Ecclesias scripserunt Tyanensis Concilii Patres, ut literis Liberii, & aliorum Episcoporum Italiæ, Africæ, Galliæ, & Siciliæ, quas Legati ex Lampsacena Synodo ad eos missi attulerant, diligenter perlectis, doctrinæ se illis, & communionis socios adjungerent, Fidemque Nicænam paribus studiis promoverent. De his Sozomenus lib. 6. cap. 12.

§. XXXIV.

De aliis Arianorum Conciliabulis.

ANno Christi 366. Valens ab Eudoxio Constantinopolitano Episcopo Ariano baptizatus, jurejurando se obstrinxit, in Ariana Hæresi, quam tunc professus est, se perseveraturum, & omnes qui Catholicæ Doctrinæ adhærerent, Ecclesiis exturbaturum, teste Theodoreto, lib. 4. cap. 12. Diram inde adversùs Catholicos Antistites persecutionem movit.

Eodem anno Concilium ab Arianis in Caria Asiæ Civitate celebratum est, in quo vocabulum ὁμοούσιον exploserunt, & Fidei Formulas Antiochiæ & Seleuciæ editas, ratas habuerunt. [Ex Sozomeno, lib. 6. cap. 12.]

Eodem etiam anno, Valens & Ursacius unà cum ejusdem perfidiæ collegis, Singeduni in Mysia aliud Conciliabulum habuere, adversùs Semi-Arianos, ut ipsos ad Formulam Ariminensem & Constantinopolitanam approbandam cogerent, quibus Filius Patri similis dicebatur, sed non in substantia, aut per omnia similis. Extat in Fragmentis S. Hilarii Epistola hujus Concilii Synodica ad Germinium. Extat & Germinii Epistola, qua adversùs meros Arianos Filium Patri per omnia similem, excepta innascibilitate, profitetur.

§. XXXV.

§. XXXV.

De Sancti Hilarii Pictaviensis gestis contra Auxentium: & de Romana contra illum Hæreticum Synodo.

ANno Christi 360. Damasi Romani Pontificis 3. Imperii Valentiniani & Valentis 6. cùm Auxentius Mediolanensis Episcopus Arianus Catholici nominis larvam assumens, multos in errorem pertraheret, ipsique fucum faceret Valentiniano, fortissimum expertus est adversarium, Hilarium Pictaviensem. Quæ gesserit Mediolani contra Auxentium, testis est ipse locupletissimus in lib. contra ipsum conscripto. *Cùm*, inquit, *Edicto gravi sanctus Rex perturbari Ecclesiam Mediolanensium, qua Deum verum Christum, & unius cum Patre divinitatis & substantiæ confitetur, sub unitatis specie & voluntate jussisset: etiam importuna interpellatione suggessi, Auxentium blasphemum esse, & omninò hostem Christi habendum: atque adjeci, eum aliter credere quàm Rex ipse, & alii omnes haberent: quibus rebus permotus, audiri nos a Quæstore & Magistro præcepit, considentibus unà nobiscum Episcopis ferè decem: primùmque, ut in foro solet, de persona calumniatus est, damnatum quondam me a Saturnino, audiri ut Episcopum non oportere. Non est nunc temporis, quid ad hæc responsum sit, enarrare. Sed qui tum audiebant, de Fide potiùs, ut Regi placuerat, agitandum esse decernunt, cumque jam in arcto esset negandi periculo: credere se Auxentius Christum Deum verum, & unius cum Patre divinitatis & substantiæ, est professus. Placuit igitur hoc scribi, & ne memoriis audientium, quæ dicta essent, elaberentur, continuò libellum Regi per Quæstorem offero, quo quid convenisset, contineretur. Placet omnibus, Auxentium hæc ipsa profiteri frequenter, qui ut ipse subscriberet, est coactus. Qui diu consilia sua versans, callidissimè Fidem Regis eludit; dat Scripturam stylo Antichristi compositam. Nam primùm ea quæ Niceæ Thraciæ omnium impietas ex se solvisset, sancta esse testatur: vim scilicet illatam Episcopis, Fidem esse veræ confessionis affirmans. Negat quoque se scire Arium, cùm in Alexandria, in Ariana Ecclesia, cui Gregorius præerat, Presbyter esse cœpisset. Sed de Ariminensi Synodo, quæ ab omnibus est religiosè dissoluta, nihil dicamus: tantùm diaboli commenta pandenda sunt. Cùm placuisset igitur scribi, Deum verum esse Christum, & unius cum Patre divinitatis esse atque substantiæ: ponitur talis ab eo, ut a callidissimo diabolo sententia, quæ significaret Christum ante omnia tempora natum, Deum, verum Filium; ut secundùm Arianos, veritas ad Filium referretur, non ad Deum, & ut longè major differentia hujus significationis existeret, subjicitur: Ex vero Deo Patre, ut in Patre veritas Dei esset; in Christo veritas tantùm Filii scriberetur. Dehinc procedente Sermone, una ab Auxentio divinitas prædicatur, & in ea non confitetur & Filium: ut in solo Patre, non etiam in Filio, esset una sola divinitas. Spargitur verò per populos, Auxentium verum Deum Christum, & unius cum Patre divinitatis ac substantiæ scripsisse, neque ab exposita per me Fidei dissidere sententia: postque ad communionem ejus Rex pro Fidei sinceritate advenit. Sed cum hoc mysterium impietatis diu occultatum, jam non taceretur, diceremque fingi omnia, Fidem negari, Deum atque homines illudi, jubeor de Mediolano proficisci, cùm consistendi mihi in ea, invito Rege, nulla esset libertas.* Hęc S. Hilarius.

Extat apud eundem Epistola Auxentii ad Imperatores data, qua Fidem Niceæ in Thracia editam, & Arimini probatam, profitetur. Hanc Fidem Illyricis quoque proposuit Episcopis vir subdolus, quos magna ex parte seduxisset, nisi Damasus, qui Ecclesiæ præerat universæ, coacta Romæ Synodo 90. Episcoporum Italiæ & Galliæ damnasset Auxentium, Ariminensis Conciliabuli Acta iterum rescidisset, Nicænam Fidem confirmasset. Extat illius Concilii Synodica Epistola apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. & Sozomenum lib. 6. cap. 23.

Neque verò in Romana duntaxat, sed in aliis passim Synodis damnatus est Auxentius, teste S. Athanasio in Epistola ad Epictetum. *Diversis*, inquit, *Conciliis per Galliam, & Hispanias, & Romæ celebratis, omnes qui in eo Conventu fuere, istos lucifugas qui sese etiamnum occultant, & quæ Arii sunt, sapiunt, Auxentium dico Mediolanensem, Ursacium, Valentem & Cajum Pannonem, communi calculo, unius Spiritus incitatu, anathemate percusserunt.*

§. XXXVI.

De Synodo Aquilejensi.

Aquileja, Metropolis Carnorum, ad Natisonem fluvium, in Italia sedes Archiepisc.

AD Arianorum Historiam spectat hæc etiam Synodus, contra Palladium & Secundianum Episcopos Arianos, & Attalum quendam ejusdem Sectæ Presbyterum, Gratiani Imperatoris mandato congregata, anno Christi 381. Postulaverant illi ab Imperatore Generale Concilium, in quo causam dicerent: sed indignum existimavit pientissimus Princeps, ut propter duos in Fide cariosos totus orbis Christianus commoveretur, & Ecclesiæ Sacerdotibus destituerentur, ut constat ex Epistola Synodica ad Imperatores datâ. Concilio 32. Episcopi ex Italia, Galliis, Pannonia & Africa adfuere. Præfuit S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus. In hoc cœtu celeberrimi fuere post ipsum Valerianus Aquilejensis, Eusebius Bononiensis, Limenius Vercellensis, Sabinus Placentinus, Philaster Brixiensis, Abundantius Tridentinus, ex Italiæ Diœcesi. Ex Illyrico, Aneminius Sirmiensis Episcopus. Ex Galliis, Justus Lugdunensium Episcopus, Proculus Massiliensis, Constantius Arausicanus. Ex Africa, Felix & Numidius Episcopi, cum Evagrio Presbytero, Ecclesiæ Africanæ Legati. Concilii sententiâ exauctorati sunt Palladius & Secundianus, cùm nec Arium, nec ejus Hæresim damnare vellent, nec Filium Dei Deum verum & Dominum confiteri, sed inani ludificatione, vanissimisque strophis Ecclesiæ Judicium vitare niterentur. Modò enim plenum seu Generale Concilium postulabant, modò sæculares Judices. At Ambrosius qui Concilii dux erat & ingenium, indignum judicans ut caussa Ecclesiastica, maximè quæ Fidem spectaret, ad sæculi judices deferretur, his verbis in Palladium sententiam dixit: *Etsi in multis impietatibus deprehensus sit, erubescimus tamen, ut videatur, qui Sacerdotium sibi vendicat, a Laicis esse damnatus. Ac per hoc, quoniam & in hoc ipso damnandus est, qui Laicorum expectat sententiam, cùm magis de Laicis Sacerdotes debeant judicare; juxta ea quæ hodie audivimus Palladium profitentem, & juxta quæ condemnare noluit, pronuntio illum Sacerdotio indignum & carendum, & in loco ejus Catholicus ordinetur.*

Decretorum Synodicorum ad pientissimos Imperatores Gratianum, Valentinianum, & Theodosium relatione facta, illorum confirmationem ab illis postularunt, supplicantes ut sacra jussione Hæreticos solenni & Canonico Judicio damnatos ab Ecclesiæ liminibus arcerent, in eorumque lo-

locum sanctos subrogari Sacerdotes præciperent. Rogarunt denique Imperatores ut Photiniani, qui in Canonum Legumque contemptum, Sirmii Conventus agebant, cohiberentur. Extat ejusdem Concilii Epistola ad Imperatores data, quâ ipsos obsecrat ne Ursicino Schismatico, qui contra Damasum Antipapa erat, Sedemque Romanam, post damnationem, repetere moliebatur, faciles aures præberent. Extat & alia ad eosdem Principes data, qua ipsos rogant ut Alexandriæ celebrari jubeant Concilium, quod decernat, quibus impertienda sit, quibus servanda communio, in gravioribus dissidiis, quibus & Alexandrina, & Antiochena Ecclesia turbabantur. Hæ Epistolæ post Aquilejense Concilium in Labbeana Editione leguntur. Hujus Concilii Acta adulterina esse, & a Vigilio Tapsensi fabricata, paucis persuasit P. Franciscus Chiffletius.

ARTICULUS V.

De Impugnatoribus Arianorum.

SUperest ad plenam Historiæ Arianismi notitiam, eos Patres indicare qui Arianos lucubrationibus suis impugnarunt, ac debellarunt. Horum eminet in ordine S. Athanasius, qui quatuor Orationes contra Arianos edidit, nec non Epistolam ad Episcopos Ægypti & Libyæ, quæ in excusis Codicibus perperam inscribitur, Oratio prima adversùs Arianos, cùm sit opus ab illis Orationibus omninò distinctum, & penitus avulsum. De his ita censet Photius in Bibliotheca, Cod. 140. *Hujus dictio perspicua, ut & in cæteris ejus omnibus, sobria item & candida, vehemensque ac profunda, & argumenta validè torquens. Ejus verò ubertas in his ac fœcunditas admodum sanè fuit mirabilis. Dialecticis ad hæc usus est argumentis, non illis nudè propositis, & ipsismet ex ea arte petitis vocibus (quod pueri, recentioresque discipuli, juveniliter sese ac gloriosè ostentantes, solent) verùm Philosophorum more, magnificèque prolatis, ac per nudas duntaxat notiones, & has quidem benè ornatas. Sacra quoque Scripturæ testimoniis, ac demonstrationibus validè communitur: & ut uno verbo absolvam, solus hic liber ad Arianismum universum refellendum sufficere queat. Imò qui Gregorium Theologum, Sanctumque Basilium dixerit, ex hoc tanquam fonte haustos egregios illos & limpidos librorum suorum rivos contra eundem errorem profudisse, sanè a scopo minimè aberravit.*

Conscripsit adversùs eosdem Hæreticos S. Athanasius librum in illud Matth. 2. *Omnia mihi tradita sunt a Patre, &c.* Epistolam ad Adelphium, Orationem de Divinitate Christi, ad Maximum Philosophum; Epistolam de Fide ad Jovianum, Epistolam de Synodi Nicænæ contra Hæresim Arianam Decretis, Epistolam de sententia Dionysii Alexandrini contra Arianos, Epistolas item ad Orthodoxos, ad Antiochenos, ad Epictetum, ad Solitarios, ad Africanos; Epistolam de Synodis Arimini & Seleuciæ, Apologiam primam ad Constantium, Apologiam de Fuga sua.

Arianos post S. Athanasium impugnavit S. Hilarius editis duodecim *de Trinitate* libris; Libellis *ad Constantium Augustum*; & libro adversùs eundem Imperatorem jam vitâ functum; *Contra Auxentium Mediolanensem; de Synodis* adversùs Arianos, & libro adversùs Valentem & Ursacium, Historiam Synodorum Seleuciensis & Ariminensis continente, qui inscribitur liber *Fragmentorum* S. Hilarii.

Tertius Arianorum debellator fuit Lucifer Calaritanus. Is plures libros adversùs Constantium Imperatorem edidit; nempe duos pro S. Athanasii defensione, unum *de Regibus apostatis*; quo ostendit impiis Principibus quandoque omnia prosperè cessisse, adeoque Constantium de victoriis suis perperam gloriari, easque jactare ad Fidei suæ integritatem comprobandam. Scripsit etiam librum, cui titulus est, *De non conveniendo cum Hæreticis*, adversùs eundem Constantium, qui Orthodoxos Episcopos calumniabatur velut unitatis & pacis Ecclesiasticæ, fraternæque charitatis hostes, quòd cum Arianis non convenirent. Item librum *De non parcendo in Deum delinquentibus*: contrà eundem Imperatorem, conquerentem quòd Episcopi duriùs cum ipso & irreverentiùs agerent. Librum tandem composuit, cujus hæc est inscriptio, *Quòd sit moriendum pro Filio Dei*. Extant ejus Opera tomo 9. Bibliothecæ Patrum Parisiensis.

Quartus Arianorum impugnator fuit S. Phoebadius, seu Soebadius, (ut alii scribunt) Aginnensis in Gallia Episcopus. Hic librum *de Trinitate* contra Arianos edidit, qui extat tomo 4. Bibliothecæ Patrum.

Quintus Arianorum triumphator fuit Marius Victorinus Afer, qui sub Constantio Imperatore floruit. Hic libros 4. edidit contrà Arium, qui tomo 4. Bibliothecæ Patrum sunt inserti.

VI. S. Gregorius Nazianzenus eruditionem quoque suam & eloquentiam in confutandis Arianis exercuit, Oratione 25. Oratione 35. & 36. quæ sunt tertia & quarta de Theologia; 48. & 49. quæ est expositio Nicænæ Fidei.

VII. Arianos in Eunomianis profligavit S. Basilius, lib. 1. adversùs Eunomium, qui inscribitur, *De æqualitate Patris & Filii in divinis*, & secundo, cujus hic titulus est: *Quòd Filius in divinis non est factura, nec Patre duratione aliqua posterior*, & quarto, quo respondet argumentis Eunomianorum ex veteri novoque Testamento petitis adversùs Filii Divinitatem.

VIII. S. Cyrillus Alexandrinus in *Thesauro*, quod Opus in 35. Assertiones seu libros distributum est, & Dialogis septem *De Sancta Trinitate*, Arianam Hæresim contrivit.

IX S. Epiphanius Hæresi 69. & 73. Arianos luculenter confutavit.

X. S. Ambrosius libris quinque *De Fide ad Gratianum Imperatorem*, Arianorum evertit errores, & Filii Divinitatem consubstantialitatemque asseruit.

XI. S. Augustinus librum edidit contra Sermonem quemdam Arianorum, qui in ejus fortè manus inciderat; tres libros contra Maximinum Arianorum Episcopum: * & libros quindecim *De Trinitate*, * quibus Arianam Hæresim egregiè refellit, quos libros incœpit juvenis, perfecit senex.

** Tomo 6. Oper. S. August. Tom. 3.*

XII. Faustinus Presbyter, Luciferianæ Sectæ, contra Arianos librum scripsit, Flaccillæ Imperatrici, Theodosii Magni uxori nuncupatum. Extat in Bibliotheca Patrum Parif. Tom. 4.

XIII. S. Fulgentius Ruspensis in Africa Episcopus librum conscripsit contra Sermonem Fastidiosi Monachi & Presbyteri Apostatæ, qui a Fide Catholica ad Arianam Hæresim defecerat. Alterum quoque librum contra Arianos edidit Sanctissimus Episcopus; decem responsiones ad objectiones totidem continentem. Eandem Hæresim passim refellit libro secundo ad Trasamundum Regem, & in libro *De Fide Orthodoxa* ad Donatum.

XIV. Vigilius Tapsensis in Africa Episcopus, sub finem V. Sæculi impugnavit Arianos in Africana regione grassantes, duodecim *De Trinitate* libris, qui inter S. Athanasii Opera Latinè tan-

tum editi habentur: Eos enim Vigilio viri eruditi asserunt, Sirmondus in Notis ad Theodulphum de Spiritu Sancto, Chiffletius in Vindiciis Operum Vigilii Tapsensis & Quenellius Dissertatione 14. in Opera S. Leonis. Scripsit etiam Dialogorum libros inter Athanasium, Arium, & Probum Judicem. Eidem tribuunt Viri Docti librum contra Marivadum, vulgatum sub nomine Idacii Clari, & librum *De unitate Trinitatis* contra Felicianum Arianum, S. Augustino adscriptum, ac denique librum *contra Palladium*, inscriptum S. Ambrosio.

SCHOLION.

In hujus Articuli Paragrapho secundo, pag. 128. Editionis primæ, Religiosi Censores hæc in Indiculo suo notant: *Canone tertio Concilii Nicæni cœlibatum Clericis Majoribus non indici, contra Baronium, Bellarminum, & alios demonstrabimus.*

R. Demonstravi in Dissertatione *De Historia Paphnutii*. Quæstio est num subintroductarum mulierum nomine uxores Majoribus Clericis interdicantur Canone 3. Nicæni Concilii. Eo vocabulo uxores significari nego cum viris plerisque eruditis. Subintroductæ mulieres non sunt uxores legitimæ, sed extraneæ. Unde *Ruffinus* Canonem tertium Concilii Nicæni e Græco Latinum reddens, pro hac voce *subintroductas*, ponit *extraneas*. Has *Agapetas*, seu *Sorores adoptivas* appellarunt, contra quarum contubernium graviter invectus est *S. Joannes Chrysostomus* proprio Tractatu, & *S. Hieronymus* Epist. 22. ad *Eustochium*. Has prohibuit Nicæna Synodus, non legitimas uxores. Id ante me asseruit *Christianus Lupus*, Scholio in Canonem tertium Concilii Nicæni. *Romana*, inquit, *ac Latina omnis Ecclesia Episcopis, Presbyteris atque Diaconis plenam semper continentiam imposuit, etiam ab uxoribus antea ductis. Eamdem Ægypti atque Orientis fuisse consuetudinem testatur S. Hieronymus lib. contra Vigilantium. Legem hanc & reliquis Græcorum Ecclesiis inferre conati sunt in hac Synodo Legati Apostolici: Verùm S. Paphnutii Ægyptii intercessio impedivit, fecitque proscribi solam introductionem mulierum extranearum. Scio Paphnutii intercessionem a quibusdam abjici ut supposititiam & Græculum figmentum: at existimo quòd malè, ex gravibus rationibus ac testimoniis.*

Nota.

Paphnutii historiam expendo post eam dissertationem, de qua Natalis in scholio.

ARTICULUS VI.

De Colluthianis.

Hujus Sectæ Auctor fuit Colluthus Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter Ario coævus. Hic merus Presbyter cùm esset, uniusque ex Ecclesiis Alexandriæ Rector, Episcopalia munia usurpavit, Presbyterosque nonnullos ordinare ausus est, & inter alios Ischyram, famosum illum S. Athanasii calumniatorem. Colluthi præcipuus error fuit, quòd Deum non esse malorum naturæ, & pœnæ auctorem assereret. [Ex Philastrio, lib. de Hæres. cap. 31. & ex S. Augustino lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, cap. 65.] A Concilio Alexandrino in ordinem redactus est hic Hæresiarcha, ut S. Athanasius testatur Apologiâ 2. * *Cùm Ischyram quemdam subornassent*, inquit, *quem secum adduxerant, hominem minimè Presbyterum, tametsi se eo nomine jactitet, quippe ordinatum a Colutho quodam, non vero, sed imaginario Episcopo, cui in Generali Concilio ab Hosio & a cæteris Episcopis, qui unà aderant, jussum fuit, ut se pro Presbytero, qualis antea fuerat, haberet; atque ideo omnes ab illo constitutos in veterem suum ordinem recurrisse, inter quos etiam Ischyras numerandus est.*

* *Sive Mareotici Presbyteri in Epist. ad Philagrium Præfectum Ægypti, apud S. Athanas. Apolog. 2.*

Et in Epistola Synodica Concilii Alexandrini, quam ibidem refert S. Athanasius, de Collutho & Ischyra hæc habentur: *Presbyter autem qui fingitur adfuisse, est ille toties rumoribus jactatus Ischyras, qui neque ab Ecclesia electus Presbyter, neque tùm a Meletio constitutos Presbyteros Alexander in Ecclesia recipiebat, in eorum numero unquam habitus fuit, aut ab eo creatus. Quo pactò igitur Presbyter Ischyras? aut quo tandem auctore constitutus? numquid scilicet a Collutho? id enim restat. Atqui Colluthum in gradu Presbyterii mortuum, omnemque ejus manuum impositionem recissam, omnesque ab eo constitutos, in Laicorum ordinem redactos esse, & sub nomine Laicorum ad Synaxim admissos, adeò apud omnes constat, ut nemo eâ de re dubitandum putet.* Brevì extinctam fuisse Colluthi Sectam, S. Epiphanius testatur Hæresi 69.

ARTICULUS VII.

De Aëtianis, & Anomæis.

Aëtii, Eunomiique Secta, infelix Arianæ Hæreseos propago fuit. Eunomius Cyzicenus Episcopus, Aëtii Antiocheni Diaconi, qui atheus cognominatus est, discipulus & scriba fuit. Quocum vitam degens, fallaces ratiocinandi concludendique modos, qui sunt Sophistarum proprii, ab illo didicit. His gradibus præceps ruit ad blasphemiam, & Arianis se adjunxit. Ab Eudoxio Cyzicenus Episcopus creatus est: sed a Cyzicenis propter impietatem, & insolentiam in dicendo ejectus, Constantinopolim apud Eudoxium se recepit. Ista constant ex Socrate lib. 4. cap. 1.

Verùm cùm Eudoxius Aëtium in Ecclesiam recipere nollet, frequentibus licèt Eunomii precibus eâ de re interpellatus, Eunomius eam injuriam præceptori suo irrogari impatienter ferens, sese ab Eudoxio segregavit, teste Socrate lib. 4. cap. 12. Aliam rationem cur ab Eudoxio recesserit, refert Theodoretus lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 29. quòd scilicet Eunomius ab Eudoxio monitus, ut Cyzico secederet, ne secundùm Imperatoris jussionem ipsum coërcere cogeretur, ipsum proditionis incusavit, & conventus seorsim agere cœpit: Ariique blasphemiam accessione quadam adauxit impietatis. Ejus discipuli Eunomiani ab ipso dicti, sive etiam Anomæi, quod Filium Patri ανομοιον id est, dissimilem eum Aëtio prædicarent. (Ex S. Epiphanio Hæresi 76. & ex Theodoreto libro 4. Hæreticarum Fabularum, cap. 3. & ex S. Augustino lib. de Hæresibus.)

II. Eunomius Spiritum Sanctum, nedum dignitate & ordine, sed naturâ quoque ipsâ tertium a Patre asserebat, & creaturam. [Ex S. Basilio lib. 3. contra Eunomium, & Theodoreto, loco mox laudato.]

III. Attributa omnia quæ de Deo prædicantur, velut bonitatem, sapientiam, potentiam, ac multò magis quæ in Personis relativa sunt, ut innascibilitatem in Patre, nullo prorsus modo dis-

erepare putabat ab essentiâ, ac ne cogitatione quidem. Quin ipsiusmet essentiæ notionem, esse bonitatis notionem aut sapientiæ, aut proprietatum cæterarum; præsertim, ut dixi relativarum, quæ sunt personales Patris: ut eo ipso Filium a veræ, propriæque communione Divinitatis excluderet, quod ingeniti notione careret, quam ipsam volebat esse Divinitatem & essentiam. Id ex S. Gregorio Nysseno constat Oratione 12. contra Eunomium, illius verba referente. *Non aliud quid*, inquit, *est vita, quàm essentia, ne aliqua compositio in simplici natura intelligatur, in id quod participat, & quod participatur, notione divisa: Sed idem*, inquit, *quod est vita, est etiam essentia. Sed quomodo orationem ad scopum conclusit! Si quod principio caret significantes*, inquit, *vitam significamus, hanc autem vitam essentiam dicere veritatis sermo compellit, ipsius divina essentia*, inquit, *significativum esse ingenitum*. Idipsum Aëtius magister Eunomii asserit in Capitulis suis, apud S. Epiphanium, Hæresi 76. *Si ingeniti vox*, inquit, *Dei essentiam minimè significat: Sed incomparabile illud nomen humana cogitationis est, Deus ob istud ingeniti commentum, iis qui repererint, gratia debitor est, cùm tanto nomini respondentem excellentiam in essentia suâ non habeat*. Et infrà: *Si ingenitum Deo extrinsecùs affingitur humanâ consideratione; qui affinxerunt, ei ipsi cui affingitur, antecellunt; cùm prestantius quàm pro ejus naturâ illi nomen attribuant*.

IV. Verbum Divinum animam non assumpsisse sensit Eunomius, sed animæ vices Divinitatem supplevisse [ex Theodoreto, lib.5. Hæreticarum Fabularum cap.11.] Addiderunt Eunomii discipuli, (teste Nemesio lib. de Natura Hominis, cap.3.) *Divinum Verbum cum corpore unitum fuisse, non substantiâ, sed facultatibus utrinsque: Neque enim substantias unitas, vel inter se temperatas, sed facultates corporis facultatibus divinis esse commixtas*. Hinc Theodoretus in Epistola ad Andream Samosatenum, relata a Mario Mercatore, Eunomium Appollinari in ejusdem erroris defensione adjungit. *Magnificus Vir Aristolaus* inquit, *ab Ægypto Magistrianum cum literis Cyrilli destinavit; quibus anathematizat Arium, Eunomium, Appollinarem, eosque qui Deitatem Christi passibilem dicunt, & qui confusionem atque permixtionem duarum asserunt naturarum*.

V. Deum ita perfectè se cognoscere, sicut ipse se cognoscit Deus, ipsumque cognitione comprehendere, impudenter Anomæi cum Auctore suo gloriabantur. Id constat ex S. Basilio Epistolâ 166. ad Eunomium, in quâ sic istum errorem perstringit: *Dicat itaque formicarum nobis naturam, qui eorum, qua in natura sunt, scientiam cum fastu se prædicat assecutum, atque ita demum de potentia illâ omnem intellectum superante disputet. Si verò scientiâ minutissima formicæ nendum es assecutus naturam, quomodò incomprehensibilem Dei potentiam imaginatione tuâ comprehensam esse gloriaris?* Idem constat ex S. Gregorio Nysseno Oratione 12. adversùs Eunomium, in quâ eum errorem latè refellit. *Si itaque*, inquit, *ima creatura, qua nostros usque ad sensus pertingit, modum humana cognitionis superat, quomodo qui solâ voluntate universum constituit, in nostra comprehensione continebitur? Vanitas hæc & furor falsus, sicut ait Propheta, putare incomprehensibilium cognitionem alicui concessam esse*. Et infrà: *Pusille anime & infantili, circa impossibilia in vanum laborantes, veluti quadam palmâ puerili, imperceptibilem Dei naturam paucis syllabis includunt, atque opinantur tantum ac talem esse Deum, ut humanâ ratione, per unam appellationem possit coërceri*. Idem testatur S. Epiphanius Hæresi 76. ubi asserit Aëtium Eunomii præceptorem, ac auctorem perfidiæ, cum suis in eam amentiam incidisse, *Ut suprà mortales omnes Deum se non Fide sola, sed propria quadam scientiâ comprehendere jactaret*, Impudensque illius effatum hoc refert: *Tam Deum intellige, quàm me ipsum*. Unde Anomæi Fidem Catholicorum, qui Deum incomprehensibilem profitebantur, cavillatoriè dicebant similem esse vitiatæ, ac cæcæ, surdæ, mutæque Virgini, cui oblatum stuprum omnes norunt, quæ rogantes, quis ipsam vitiaverit, audire non potest ob surditatem; nec illius nomen indicare, quia muta; nec illum videre, quia cæca. Idipsum testatur Theodoretus lib. 4. Hæreticarum Fabularum, cap. 3. *Debaccbatus*, inquit, *in hunc modum adversùs veritatem Eunomius, morbum in dies augere studebat. Ausus enim est dicere, Se nihil ex rebus divinis ignorare, sed ipsam etiam Dei essentiam exactè se nosse; eandemque de Deo notitiam habere, quam Deus ipse habet de seipso. Ad hunc ab illo furorem perducti, qui ejus pestem hauserunt, audent apertè profiteri se ita Deum nosse, ut ipse seipsum*. Idem refert Socrates lib.4. cap.17. *Ipsius*, inquit, *Eunomii verba audiamus. Sic enim loquitur: Deus de sua ipsius essentiâ nihilò plus intelligit, quàm nos; neque ea ipsi magis est cognita & perspecta, quàm nobis. Sed quod nos de ea scimus, idem omninò & ipse scit: ac rursus quod ille novit, idem in nobis vicissim reperies*. Quibus testimoniis refellitor Vasquezius, 1. p. Disputat. 37. cap. 3. scribens, Non ita fuisse amentem Eunomium, ut in eo, quem diximus, errore versaretur, utque scientiam suam divina cum cognitione componeret. *Vasquez notatur.*

Adversùs hunc Eunomii errorem Homilias 5. de incomprehensibili Dei Natura scripsit S. Joannes Chrysostomus, in quibus disputationis abreptus fervore, extremum in errorem declinasse visus est, & Deum, nedum incomprehensibilem, sed invisibilem etiam asserere. Verùm a doctioribus Theologis rectum in sensum explicatur, & ab omni erroris labe vindicatur uno reclamante Vasquezio.

VI. Eunomios Reliquias Martyrum contempsit ac ludibrio habuit, ipsorumque detraxit miraculis, quæ dæmonum esse præstigias effutiebat; Ex S. Hieronymo in Libro adversùs Vigilantium, ubi hunc Hæresiarcham ita refellit: *Rides de reliquiis Martyrum; & cum auctore hujus Hæreseos Eunomio, Ecclesiis Christi calumniam struis, nec tali societate terreris, ut eadem contra nos loquaris, qua ille contra Ecclesiam loquitur? Omnes enim sectatores ejus basilicas Apostolorum & Martyrum non ingrediuntur, ut scilicet mortuum adorent Eunomium, cujus libros majoris auctoritatis arbitrantur, quàm Evangelia: & in ipso credunt esse lumen veritatis*.

VII. Baptismatis legem a Christo Domino Apostolis traditam evertit contrariamque apertè sanxit, docens non oportere ter illum immergere qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, sed semel baptizare in Christi mortem; teste Theodoreto, loco suprà laudato. Addit, Anomæos Competentes suos usque ad pectus tantùm aquâ madefecisse, reliquis partibus tanquam execrandis, aquam adhibere prohibuisse. Hinc colligitur, Anomæos duplex admisisse Principium cum Marcionitis, & Manichæis; bonum unum, a quo partes corporis superiores, quas bonas esse non negabant conditæ essent: malum alterum, à quo inferiores, quas malas esse iidem contendebant. Unde S. *Ambrosius* lib.1. *De Officiis Ministrorum*, cap.25. *Quomodo*, inquit, *sapiens Marcion atque Eunomius, qui malunt Deum malum quàm bonum habere?*

VIII. Baptismum iterabat Eunomius, non solùm qui a Catholicis, aut ab aliarum Sectarum Hæreticis,

ticis, sed etiam qui ab ipsis Arianis collatus esset. Repetiti porrò illius Baptismi hanc fuisse Formulam S. Epiphanius testatur: *In nomine Dei increati, & in nomine Filii creati; & in nomine Spiritûs sanctificantis, & a creato Filio procreati.*

IX. Asserebant Anomæi, eos qui Baptismi mysterio nequaquam initiati essent, alios baptizare non posse; teste Sozomeno, lib.6. cap.26. Addit hic Auctor, Eunomium nihil in Baptismi ritu ac forma innovasse, sed Teophronium Cappadocem & Eutychium illius Sectatores, eam cujus meminimus, invexisse in ritum Sancti Lavacri corruptelam.

X. Prophetarum, Apostolorumque nominibus contumeliam inferebant Anomæi: quorum auctoritate si quis eos urgeret: procaci respondebant insolentiâ: *Iste Apostolus tanquam homo dixit.* Aliàs: *Quid tu mihi vetus*, inquiebant, *Testamentum objicis?*

Christiana Moralis eversio ab Eunomio.

XI. Docuit Eunomius, quorumlibet perpetrationem peccatorum, ac in iis perseverantiam, nihil eis obesse, qui illius, quam tradebat, Fidei participes essent. (Ex S. Augustino lib. de Hæresibus.) Addit S. Epiphanius, nullam apud illos curam sanctitatis fuisse, aut jejuniorum, aut mandatorum Dei, cæterarumve rerum, quæ hominibus divino mandato præscriptæ sunt. Cùm verò aliquis divinorum præceptorum observantiam ipsis inculcaret, eos respondere solitos: *Nihil aliud a nobis flagitare Deum, quàm ut cognoscamus ipsum, quemadmodum Christus declaravit his verbis:* * *Da ipsis, pater, habere in se ipsis vitam, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Ex hoc tam perdito principio, totius Moralis Christianæ corruptela sequebatur, & flagitii cujuslibet impunè perpetrandi licentia; cujus exemplum profert Epiphanius, quòd a testibus oculatis acceperat. Scilicet, cùm quidam ob stuprum fœminę illatum accusarentur, & ab aliis damnarentur, Eunomium nihil commotum, sed factum illud risu excipientem, dixisse, Nullius istud esse momenti: corporis enim hanc esse necessitatem ac functionem, quemadmodum aurem nonnunquam scalpimus. Quanquam autem impurissima esset Eunomii Ethica, ipsum vivendi modum ab Ecclesię disciplina diversum invenisse, qui severitate ipsa, & exquisita observatione doctrinæ obtegeret novitatem, Sozomenus testis est, loco supra laudato. Hæresim disseminavit anno Christi circiter 360. novam ex tunc Sectam instituens; cùm antea in Arianorum castris militasset. Vitam protraxit magno Fidelium damno, ad annum usque 14. Theodosii Senioris. Adversùs illius errores S. Basilius quinque libros conscripsit: Sanctus verò Gregorius Nyssenus Basilii frater duodecim contra eundem edidit Orationes, veritatis, & fratris patrocinium suscipiens.

Joann. 17.

Cod. Theodos. de Hæret. l.6. 8. 11. 12. 13. & 63.

Anomæorum Sectam religiosissimus Imperator Theodosius, jam inde ab anno 381. quo vivebat adhuc Eunomius, legibus latis coercuit, decernens, ut neque Ecclesias habere in civitatibus sinerentur, neque cœtus ullos agitare, neque creare Sacerdotes; imò ut perfidiæ pleni codices in Auctorum oculis comburerentur.

ARTICULUS VIII.

De Photino & ejus Hæresi.

Hunc & Scotinum, id est tenebrosum SS. Patres appellarunt, quod nomen ipsi magis conveniebat quàm Photini, quod ab illuminatione derivatum est.

PHotinus natione Galata a Marcello Ancyrano Episcopo institutus est, cùm junior esset, ejusque Diaconus aliquandò fuit. Ad Sirmiensem postea Episcopatum promotus est. Eruditione præstabat & facundiâ: quò majoris fuit in Ecclesia tentationis occasio, teste Vincentio Lirinensi in Commonitorio cap.26. *Eos potiùs commemoremus*, inquit, *qui multis profectibus, multâque industriâ præditi, non parva tentationi Catholicis hominibus extiterunt: velut apud Pannonias majorum memoriâ Photinus Ecclesiam Sirmiensem tentasse memoratur, ubi cùm magno omnium favore in Sacerdotium fuisset adscitus, & aliquandiu tanquam Catholicus administraret, subitò sicut malus ille Propheta, aut somniator, quem Moyses significat, credita sibi plebi Dei persuadere cœpit ut sequeretur Deos alienos; id est, errores externos, quos antea nesciebat. Sed hoc usitatum; illud verò perniciosum, quòd ad tantum nefas non mediocribus adminiculis utebatur: nam erat & ingenii viribus valens, & doctrinæ opibus excellens, & eloquio præpotens: quippe qui utroque Sermone copiosè & graviter disputaret & scriberet, quod monumentis librorum suorum manifestatur, quos partim Græco, partim Latino Sermone composuit. Sed bene, quòd commissæ ipsi oves Christi multùm pro Catholica Fide vigilantes, & cautè citò ad præmonentis Moysis eloquia respexerunt, & Prophetæ atque Pastoris sui licèt admirarentur eloquentiam, tentationem tamen non ignorarunt: nam quem antea quasi arietem gregis sequebantur, eundem deinceps velut lupum fugere cœperunt.*

Anno circiter 343. [ut ex Socrate colligitur lib.2. cap.14.] Hæreseos suæ virus effudit: cujus hæc fuere capita. Primò, Deum solitarium esse, & more Judaico confitendum effutiit, nullam Verbi Divini aut Spiritûs Sancti putans esse personam, sed unam esse Patris, & Filii & Spiritus Sancti operationem prędicans: atque hoc pacto Sabellii errorem instaurans.

Secundò, Christum initium accepisse ex Maria, & merum esse hominem asseruit. Hęc constant ex S. Epiphanio hæresi 71. Theodoreto lib.3. Hęreticarum Fabularum cap.11. Severo Sulpitio lib. 2. Historiæ sacræ, Vincentio Lirinensi in Commonitorio 1. cap.27. ex Philastrio, & S. Augustino, lib. de Hęresibus. Idem constat ex Mario Mercatore in Epistola de discrimine inter Hęresim Nestorii, & dogmata Pauli Samosateni, Ebionis, Photini & Marcelli. *Nestorius*, inquit, *circa Verbum Dei, non quidem ut Paulus sentit, qui non substantivum, sed prolatitium potentia Dei efficax esse Verbum definit: non confitetur tamen idem Nestorius de Verbo substantivo, ipsum Filium Dei naturaliter esse, sed dicit, argutè quidem, quin non expressè ab æternitate Filium non esse, sed Verbum tantùm, quod in substantia Patris manens, Deus sit consubstantialis, Filium verò illum esse, & dici debere asserit, qui ex Maria sit natus..... In eo igitur Paulo Samosateno conjungitur, in quo habitatorem, & habitaculum pro meritis separat, dividens quod unicuique eorum sit proprium, in diversitate naturæ; quod quidem illis ambobus cum Ebione & Photino, & Galata Marcello commune est. In eo verò quòd substantiale Dei Verbum confitetur, & esse ab æterno cum Patre Deum asserit, a memoratis eorum dissentit, & Fidei rectæ conjungitur.*

Et in Dissertatione in Anathematismum 12. Nestorii. *Differentia itaque*, inquit, *inter Samosatenum & Photinum ista sola est, quâ Paulus Verbum Dei προφορικὸν καὶ πρακτικὸν λογικὸν ἐνεργητικὸν id est, prolativum, & potestatis effectivum Verbum sentit, non substantivum, quod Græci οὐσιώδες dicunt. Photinus autem Nestorii Magister verbum quidem hoc Dei esse in substantia negat, sed esse id Dei Filium non vult; habitasse verò peculiariter, vel adhæsisse Christo Jesu de Joseph & Maria nato, nec quidquam hunc plus fuisse quàm hominem, cum impietate delirat, qui omnes omninò homines vitæ de-*

Filium Patri consubstantialem non agnovit Photinus.

merito antevertèrit. Ex quibus colligitur, Photinum sensisse, Verbum Divinum prolatitium duntaxat esse & energiticum, non verò propria hypostasi subsistens. Unde expungenda videtur negatio ex loco illo Marii Mercatoris, ubi paulò ante verba laudata, habet: *Photinus autem infanissimo Nestorio parem sententiam tenuit, Verbum quidem Dei non negans esse in substantia*, &c. Et legendum, *Verbum quidem Dei negans esse in substantia:* alioquin secum ipse, & cum omnibus Patribus pugnabit Marius Mercator, qui Photinum propriam Verbo negasse hypostasin, secundùm Sabellii & Pauli Samosateni sensum, scripserunt. Sic restituendum esse Mercatoris textum, patet ex eo quòd addat, Photinum Deum appellasse λογοπάτορα, id est, Verbum Patrem: quòd eandem personam Patrem & Verbum esse pro varietate operationum existimaret.

P. Garnerius refellitur.

Ex his colligitur secundò, falsum esse quod scripsit Vir eruditus Joannes Garnerius Marii Mercatoris Editor, Dissertatione de Hæresi & libri Nestorii, §. 5. Photinum constanter in confessione ὁμοουσίου perstitisse. Id, inquam, prorsus falsum est. Quomodò enim filium Patri consubstantialem propugnasset, qui verbum non esse Dei Filium volebat, nec ante sæcula extitisse, sed ab eo tempore dumtaxat, quo ex Maria natus est, Filium esse cœpisse? Id autem asseruisse Photinum, demonstratur ex Anathematismis Sirmii in ipsum editis: *Si quis*, inquit Sirmiensis Synodus, *Filium ante Mariam, sed secundùm prænotionem fuisse dicat, ac non potiùs ante sæcula ex Deo genitum, apud Deum fuisse, & per eum omnia facta, Anathema esto.... Si quis dilatatam essentiam, Filium efficere dicat, aut dilatationem substantiæ Dei Filium nominet, Anathema esto.... Si quis insitum & prolatitium Verbum Filium Dei dicat, Anathema sit.... Si quis Christum Deum Filium Dei ante sæcula, administrumque ad universitatis opificium fuisse neget, sed ex quo tempore e Maria genitus est, Christum & Filium appellatum fuisse, & principium suæ deitatis tum accepisse dicat, Anathema esto.*

Nec verò Socratis verba a Patre Garnerio laudata probant Photinum confessum fuisse ὁμοούσιον. Sic enim habet Socrates lib. 2. capit. 25. *Photino persuadere nituntur, post ejus abdicationem, ut ipsis rebus assentiret, subscriberetque, & polliciti sunt Episcopatum illi se reddituros, si modò resipisceret, dogmaque seorsum ab ipso excogitatum damnaret Anathemate, atque adeo ipsorum opinioni accederet. Ille repudiat conditionem, eosque ad disputandum provocat, sed victus condemnatur.* At ex iis verbis quâ ratione colligi possit Photinum fuisse τοῦ ὁμοουσίου assertorem, prorsus non intelligo. Certè non postularunt Ariani a Photino, ut subscriberet damnationi ὁμοουσίου: Si quidem hanc vocem in Formula Sirmiana contra ipsum edita non proscripserant; sed ut subscriberet & formulę Sirmianę, & Anathematismis, quibus ejus confixi fuerant errores; eorumque opinioni in Ecbtesi illa explanatæ accederet.

Damnatus est Photinus in Concilio Mediolanensi, anno 347. celebrato; & in Concilio Sirmiensi anno 351. Ipsum in Sardicensi jam antea damnatum Synodo S. Epiphanius affirmat, sed memoriâ lapsus est & Sardicensem pro Sirmiensi usurpavit. Exauctoratus a Synodo Photinus, Imperatorem appellavit, atque apud eum de sententiæ in se latę iniquitate conquestus est, ac judices petiit. Annuit ejus supplicationi Constantius: judicesque dedit, apud quos ille causam ageret, Thalassium, & Datianum, Cerealium, Taurum, Marcellinum, Evanthium, Olympium, & Leontium. Basilio verò Ancyrano Antistiti munus imposuit ipsum interrogandi, refellendique. Celebris extitit Disputatio, in qua victus est Photinus. Ejus Acta ad Imperatorem missa sunt obsignata.

Contra Photinum scripserunt Diodorus Cilicum Episcopus, teste Theodoreto, & Audentius de quo Gennadius lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 14. ait: *Scripsit speciali intentione contra Photinianos, qui nunc vocantur Bonosiaci, librum quem prætitulavit De Fide adversùm omnes Hæreticos, in quo ostendit antiquitatem Filii Dei coæternalem Patri fuisse, nec initium deitatis tunc a Deo Patre accepisse, cùm de Beata Maria Virgine homo Deo fabricante, conceptus & natus est.*

ARTICULUS IX.

De Audianis,

AUdianis nomen dedit Audæus, e Mesopotamia oriundus, qui Arii temporibus vixit. Vir fuit integritate morum spectabilis, veritatis amans, severioris disciplinæ fervidus æmulator: a cujus observantia deficientes Clericos, & Episcopos ipsos arguebat liberiùs. Hinc ipsorum in se concitavit offensionem, ab iisque ex Ecclesia ejectus est. In illius tamen unitate mansit, donec eum ad extrema graviores injuriæ, & verbera, impulerunt. Secessit tandem ab Ecclesiâ, & privatos conventus cum suis agitare cœpit. Non discessit a recta Fide Audeus: duriore tamen & imperitiori modo, nimiaque pertinaciâ, locum illum Scripturę interpretatus est: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Hæc enim verba referenda esse ad corpus affirmabat. [Ex S. Epiphanio Hæresi 70.]

II. Cum Judæis Pascha celebrabant Audiani, & Apostolicarum Constitutionum auctoritatem ad morem suum vindicandum obtrudebant. (Ex S. Epiphanio.)

III, Theodoretus ait Audæum tenebras, ignem & aquam ingenita dixisse; sed ex vago quodam rumore id se accepisse significat.

IV. Qui Theodoreti temporibus supererant Audiani, se remissionem peccatorum dare jactitabant. Duas enim in partes libros sacros cum adulterinis dividentes, & ordine hinc inde collocantes, inter hos jubebant transire unumquemque, & peccata sua confiteri: deinde confessis dabant veniam, non tempus ad Pœnitentiam definientes, sicut Ecclesiæ leges præcipiebant, sed potestate condonantes. Scientes autem qui sic transibant, ludum esse quod agebatur, vera peccata celabant. Ita refert Theodoretus lib. 4. Hæreticarum Fabularum cap. 10.

Schismatis malum.

V. At quamvis Audianorum, qui S. Epiphanii vigebant ætate, Fides esset integra, moresque aliunde castissimi, & arctiorem plerique eorum in Monasteriis disciplinam colerent; Audæusque eorum Auctor Gotthorum plurimos ad Christianam Fidem convertisset, ex quo ab Ecclesia defecerat; ipsa tamen eorum separatio & Schisma nefarium crimen erat; quod effecit, ut inter Hæreticos numerati sint. Quæ ea de re S. Epiphanius habet Lutherani, Calvinianique expendant, seque vel eo solo nomine damnandos fateantur, quòd ab Ecclesia Schismate facto recesserunt. *Sed illud*, (inquit. S. Epiphanius) *reliquis omnibus ad horrorem & atrocitatem majus est, quòd cum nemine precantur, tametsi honestis atque integris moribus esse videantur; neque quidquam habeant quod illi objiciant; non stupri, non adulterii, non avaritiæ crimen ullum, nisi hoc duntaxat, quod Ecclesiæ communione continetur. Est hoc*

verò

verò horrendam, Christianorum commutare nomen, qui in Sancta Ecclesia censetur, qua solà Christi, & Christianorum appellatione contenta, adscititium omne nomen respuit. Pro illo, inquam, nomine Audianos appellari, coitiones inter se facere, ac tesseram meri hominis nomine inscriptam exigere. Hæc, inquam, minimè ferenda sunt, quamvis alioqui integerrimus sit hominum ille conventus, atque omnis se probitate, justitiâque venditet.

Notæ.

AUdæum a recta fide non discessisse modò non admittitur a peritioribus Criticis; etenim ideo ad corpus referenda affirmabat ea S. Scripturæ verba, quibus dicitur homo ad imaginem & Dei similitudinem factus, quia cùm de Deo literaliter intelligeret ea S. Scripturæ loca, quibus Deo oculi, aures, manus, aliaque corporis membra tribuuntur, inde corpus ad Dei imaginem efformatum inferebat. *Dogm. c.4. Epiphan. hæres.70. n.6.* Unde Gennadius, qui Audianos nuncupat Antropomorphitas, affirmat voluisse Deum esse *corporaliter effigiatum*. Cùm verò S. Epiphanius n.1. & 2. dicat Audianos a recta fide non discessisse, occasionem inde aliqui sumpsere illum accusandi non satis ab Antropomorphitarum hæresi recessisse, ut apud Socratem & Sozomenum, quos refert Natalis infra *cap.6. art.28.* Ita quidam explicant S. Epiphanium, ut intelligere voluerit Andianos veram SS. Trinitatis fidem retinuisse, quod tamen cùm verum esse non possit, si Deum corpore constantem credebant, ideo & in hoc dogmate cum ecclesia Audianos sensisse putant Epiphanium affirmasse, quia Personarum consobstantialitatem fatebantur.

ARTICULUS X.

De Eustathianis.

EUstathiani, ab Eustathio Sebasteno, Arianarum partium Episcopo, nomen erroresque acceperunt, ut Socrates & Sozomenus putavere, non ab Eutacto quodam Armeno Pseudomonacho, qui Constantii temporibus vixit, cuius meminit S. Epiphanius Hæresi L. quæ est Archonticorum, ut conjicit Annalium Ecclesiasticorum Parens. Multorum porrò errorum architectos Eustathius. Primò damnabat nuptias, & conjugatis omnem beatitudinis æternæ spem adimebat. Unde contigit, ut mulieres plurimæ viris relictis, & viri uxoribus dimissis, connubii vinculum dissolverent. Secundò, carnium esu, velut malo interdicebat. 3. Presbyteros conjugatos ita aversabatur, ut iis rem sacram agentibus, communicandum esse negaret. 4. Primitias fructuum & oblationes sibi vendicabat, inter suos dispensandas. 5. Conventus Ecclesiasticos spernebat, suosque extra Ecclesiam cœtus agebat. 6. Agapas, seu convivia quæ paoperibus ex Christiana impendebantur charitate, contemnebat. 7. Filios a parentibus, servos a dominis, continentiæ ac religionis prætextu abstrahebat. 8. Tradita in commune jejunia, & ab Ecclesia custodita, dissolvere non verebatur, & diem Dominicum insolitis funestabat jejuniis. 9. Singulare quoddam affectabat indumenti & pallii genus ad ostentationem fictæ virtutis, & justitiæ, eosque despiciebat, qui vestibus communibus utebantur. 10. Permittebat mulieribus virili habitu indui, propter continentiam. 11. Abhorrebat a conventibus, quos Christiani ad Memorias Martyrum celebrabant. Hos errores Concilium Gangrense, quod non multò post Nicænum celebratum est, viginti Canonibus confixit. Ista constant ex illo Concilio, ex Socrate lib.2. cap.33. & Sozomeno lib.3. cap.13.

In Concilio Gangrensi, notandi sunt diligenter Canones, quibus Lutheranorum, & Calvinianorum errores prædamnantur. Hi namque Traditiones Apostolicas rejiciunt, solas Scripturas Sacras amplectuntur. Illa verò Synodus Canone 4. utrumque Regulæ instar Ecclesiæ esse, & ab eâ suscipi testatur. *Quæ a divinis Scripturis*, inquit, *& Apostolicis Traditionibus tradita sunt in Ecclesia fieri optamus.* Lutherani & Calvinistæ extra Ecclesiam, seorsim conventus celebrant, nec Episcopos aut Presbyteros Calvinistæ habent. Quæ vivendi ratio damnata est a Concilio Gangrensi Canone 6. *Si quis*, inquit, *extra Ecclesiam, seorsum conventus celebrat, & despiciens Ecclesiam, ea quæ sunt Ecclesiæ voluerit usurpare non conveniente Presbytero juxta decretum Episcopi, Anathema sit.* Lutherani & Calvinistæ, indicta ab Ecclesia jejunia dissolvunt & aspernantur. Gangrensis contra Synodus, Canone 19. eum Anathemate percellit, *Qui absque necessitate corporea tradita in communi jejunia, & ab Ecclesia custodita, superbiendo dissolvit.* Lutherani, & Calvinistæ, Memorias Martyrum, & Sacra ministeria, quæ ipsorum in honorem fiunt, execrantur: Gangrensis verò Synodus, * eos diris devovet, *Qui conventus abominantur, qui ad Confessiones Martyrum celebrantur, & ministeria quæ in eis fiunt, simul cum eorum memoriis execrantur.*

Eustathiani in Concilio Gangrensi damnati.

* Can.20.

ARTICULUS XI.

De Macedonianis.

§. I.

ARii Heresim in Filium, excepit Macedonii blasphemia in Spiritum Sanctum. Macedonius ille Arianarum partium fuit, ex Concilio Tyrio ad Constantinum Imperatorem Legatus. Defuncto Eusebio, qui Nicomediensis primùm Episcopus fuerat, deinde in Sedem Pauli Constantinopolitani intrusus, ab Arianis Episcopus illius Ecclesiæ constitutus est, teste Socrate lib.2. cap.9. Favit ipsi Constantius, Ariano Antistiti Arianus Imperator; qui Paulo Catholico & legitimo Antistite in exilium amandato, invasori patrocinatus est, & Præfectum misit cum militari manu, qui perfidum & adulterum in Ecclesiam introduceret: quod absque dira multorum hominum, qui Paulo favebant, cæde, ad tria circiter millia, & centum insuper & quinquaginta, non fuit executioni mandatum teste Socrate lib.2. cap.12.

Ecclesia itaque Constantinopolitanâ occupata, præsidiis Monasteriorum complurium, quæ ipse Constantinopoli ædificari curaverat, & fœderibus cum finitimis Episcopis percussis seipsum muniens, Pauli fautores variis affecit incommodis; ac primùm Ecclesiis exturbavit, deinde vim illis intulit, ut suam ad communionem accederent. Multi verberibus graviter cæsi, eo auctore perierunt: alios fortunis; Urbe alios privavit: alios in fronte notis inussit, teste Sozomeno, lib.3. cap.6.

Ausus est etiam Macedonius, Constantio Imperatore inconsulto, & magna populi multitudine

re-

reluctante, corpus Constantini, ex Apostolorum Templo in aliud transferre. Quod facinus, cùm gravem seditionem concitasset, & multarum cædium extitisset occasio, Imperatorem ipsi fecit infensissimum: adeò ut eo jubente, in Conciliabulo Constantinopolitano abdicatus, & in ordinem redactus sit, teste Socrate lib.2. cap.30. & 33. quæ Macedonii abdicatio contigit anno Christi 350. Ipsi suffectus est Eudoxius Antiochenus.

Statim atque Episcopatu abdicatus est, novam condidit Hæresim, asserens Spiritum Sanctum non ejusdem cum Patre & Filio honoris participem, sed utriusque Ministrum esse ac creaturam. Hinc, qui ejus Hæresim sectati sunt, a Græcis πνευματομάχοι sunt appellati, id est Spiritus Sancti impugnatores: (ex Epiphanio Hæresi 74. & Theodoreto.) Doctrinæ Macedonianorum, sive (ut meliùs dicam) perfidiæ, non exigua populi multitudo, tum Constantinopoli, tum in Bythinia, Thracia, & Hellesponto, tum deoique in aliis nationibus paruit, teste Sozomeno, lib.4. cap.26. Etenim, ut ipse ait, vitam, cui maximè populos attendere solet, non malè instituebant. Nam incessus gravis illis, & vivendi ratio similis Monachorum fuit; oratio non indiserta, indoles ad persuadendum apta, qualem etiam eo tempore Marathonium fuisse traduot: qui cùm Quæstor publicus esset militum Præfectis inservientium, multas collegit divitias, & ut primùm militiam deseruit, ad conventus pauperum curà & studio sublevandos, totum se contulit. Postea verò, suasu Eustathii Sebasteni Episcopi, Monasticam vitam amplexatus est, & conventum Monachorum Constantinopoli coëgit. Hanc Hæresim partim studio, partim pecunià, adeo auxit Marathonius, ut Macedoniani a multis Marathoniani vocarentur, teste Sozomeno.

Lib.2. Hæret. Fabul.

Nata est Macedonii Hæresis anno Christi 360. damnata verò fuit primùm in Synodo Alexandrina, post reditum S. Athanasii celebrata, anno 362. ut ex illius Synodica Epistola constat, quæ est apud ipsum Athanasium, ad Antiochenos scripta. Secundò, proscripta est hæc Hæresis in Synodo Illyrici anno Christi 367. ut constat ex Epistola Synodica illius Concilii ad Orientales, qua profitentur Patres in illo Concilio congregati, *Sanctam Trinitatem consubstantialem esse, & Deum Patrem cum Filio & Spiritu Sancto sanctificari & glorificari: & Patrem in Filio existere, & Filium in Patre, unà cum Spiritu Sancto, in omnem æternitatem.* Tertiò damnata est in Synodo Romana, quam paulò post celebravit Damasus Pontifex, ex qua ad Episcopos Illyrici Epistolam dedit, quæ extat apud Theodoretum lib.2. Historiæ Ecclesiasticæ cap.22. in qua *Spiritum Sanctum unam eandemque cum Patre & Filio substantiam & subsistentiam habere asseritur.* Quartò, damnata est cum auctore suo Macedonii Hæresis in altera Synodo Romana, quam contrà Apollinarem habuit Damasus, ex qua ad Paulinum Antiochenum Episcopum Epistolam dedit, quam refert Theodoretus lib.5. Historiæ Ecclesiasticæ cap.11. In ea nominatim Anathemate feriuntur Macedoniani: *Anathematisamus*, inquit, *Macedonianos, qui de Arii stirpe venientes, non perfidiam mutaverunt, sed nomen.* Et infrà, horum Hæreticorum error multiplici Anathematismo percellitur. *Si quis*, inquit, *dixerit Spiritum Sanctum facturam, aut per Filium factum, Anathema sit ...... Si quis non dixerit Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti unam Divinitatem, potestatem, majestatem, potentiam, unam gloriam, dominationem, unum regnum, atque unam voluntatem ac veritatem, Anathema sit ...... Si quis non dixerit Spiritum Sanctum adorandum ab omni creatura, sicut & Filium, & Patrem, Anathema sit.*

Quintò, damnati sunt Macedoniani, & illorum Hæresis in Synodo Oecumenica secunda, quæ est Constantinopolitana 1. de qua sequenti Paragrapho agemus.

§. II.

De Concilio Constantinopolitano primo, adversus Macedonianos celebrato.

Constantinopolis *in Thracia, sedes Patriarchalis*

** Concilium Constantinopol. triplex distinguendum est.*

TRiplex Concilium Constantinopolitanum intrà biennium celebratum, distinguere necesse est, ad accuratam Historiæ notitiam. Primum anno Christi 381. ipso anni exordio, habitum est, ad Episcopi Constantinopolitani designationem; quod ex Socrate colligitur lib.5. cap.5. *Eodem tempore*, inquit, *quo & res Antiochena in tanta perturbatione versabantur, & Gregorius communi multorum Episcoporum consensu ab urbis Nazianzi Episcopatu ad Episcopatum Constantinopolis translatus fuit, Meletius Constantinopolim necessariò contendit.* Cùm igitur Socrates, cap.8. ejusdem libri, Concilii Constantinopolitani Oecumenici figat epocham Calendis Maii ejusdem anni, quo Eucharides & Evagrius Consulatum gerebant, rectè colligitur S. Gregorium Nazianzenum, aliquot saltem ante mensibus in sedem Regiæ Urbis provectum: id verò non ab uno Meletio factum est, sed ab ipsa Synodo Episcoporum, quam & ad hoc fuisse collectam, S. Gregorius Nazianzenus docet in Carmine de Vita sua, in quo hæc habet:

Nam quicquid Ortus Præsulum (Ægyptum citra)
Habebat, usque ad inclytam Romam novam,
Terra marisque ex intimis recessibus,
Quo concitatum cœlitus pacto, haud scio,
Coit repente, firmet ut Thronum mihi.
Quos inter unus Vir erat pius admodum,
Simplex apertis moribus, plenus Deo,
Placidusque vultu, fortis & pudens simul....
Quis, nostra quem vox signat, ignorat virum,
Antiochiæ Urbis Præsulem? in quo nomini
Res congruebat, rursus ac nomen rei:
*Nam nomen illi melleum, * & mores erant.*

** S. Meletium intelligit.*

Narrat ibidem S. Gregorius Nazianzenus, Petrum Alexandrinum, qui ejus electionem per literas priùs probaverat, Ægyptiosque unà cum ipso Antistites, eandem postea improbavisse, ac totis viribus impugnasse, auro corruptos.

Qui Petrus ipse Præsulum illorum arbiter,
Priùs quidem nos literis clarissimis,
Fucoque vacuis, litera ut ipsa fidem
Faciant, sacrato nos fixerit in Throno,
Dignatus atque nomine sit Antistitis:
Nunc venit autem Virginis cervus loco?

Et infrà:

Veniunt repente, nam vocanti fœderi
Ut funciendo jungerent vires suas,
Ægyptiique, Macedonesque, operarii
Mysteriorum seduli, & legum Dei,
Insultantes Hesperium in nos & grave
......
Odio quidem non tam mei, vel ut in Throno
Alium locarent, quàm dolorem ut inurerent
Aliquem bis, Throno me fixerunt qui in Præsulis.

Ex quibus colligitur, Petrum Alexandrinum Episcopum ab ea Synodo absuisse, in qua S. Gregorius Constantinopolitanam in sedem provectus est: accessisse verò postea, & eodem anno obiisse: Et Timotheum ejus successorem ac fratrem interfuisse Synodo, in qua sponte se Gregorius abdicavit: adeòque Synodum in quâ Meletius, aliique Episcopi, Gregorium ad Episcopatum Regiæ Urbis promoverunt, diversam fuisse ab œcume-

menico Concilio, in quo S. Meletio vitâ functo centum quadraginta Patres religiosè parentavere, & S. Gregorius Nyssenus ipsum Oratione funebri commendavit.

Quæ gesta in Concil. œcumenico secundo.

Itaque secundum Concilium celebratum est Constantinopoli, eodem anno Christi 381. Damasi Pontificis 15. Imperantibus Valentiniano, Theodosio Magno & Gratiano, Eucharide & Evagrio Coss. Calendis Maji. Hoc Concilium Oecumenicum fuit, a Theodosio Seniore convocatum, ut constat ex Epistola Synodica, ex Socrate lib. 5. cap. 8. ex Sozomeno lib. 7. cap. 7. ex Theodoreto lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 7. & aliis. Huic Concilio præfuit Timotheus Alexandrinus, ut testatur Octava Synodus Actione 5. & Photius in libro de Synodis. Eo in Concilio abdicatus est Maximus Cynicus Constantinopolitanæ Sedis invasor; sedes S. Gregorio Nazianzeno confirmata; cui tamen, studio pacis, nuntium remisit. Unde in ejus locum Nectarius, vir ex ordine Senatorio, adhuc Catechumenus, eodem in Concilio suffectus est. Secundò, Macedonii, Apollinaris & Eunomii confixæ sunt Hæreses, editumque adversùs illas Fidei Symbolum, quo Nicæna Fides magis exposita fuit & confirmata. Tertiò, Canones administrationem Ecclesiarum spectantes, editi. Septem Græci Collectores exhibent. Tres duntaxat editos fuisse, longè est probabilius: alios verò in altera Synodo Constantinopolitana, alio tempore sancitus, huic Concilio adscriptos fuisse ab iis, qui Codicem Ecclesiæ Græcæ composuerunt. Canon Tertius, de secundo Constantinopolitani Antistitis in Ecclesia loco, hac in Synodo constitutus est, quem subdititium esse Baronius Cardinalis perperam asserit, ad annum Christi 381. Utrùm hoc Canone Patriarchica dignitas & jurisdictio in Thracicam, Ponticam, Asianamque Diœceses Episcopo Constantinopolitano collata fuerit, an secundus duntaxat honoris locus concessus; gravis est inter Eruditos controversia, quam in Dissertationibus expendemus. Ut ut sit, certum est illum Canonem ab Ecclesia Romana receptum non fuisse, ac disertè probatum, ad tempora usque Innocentii III. Pontificis Maximi qui in Concilio Lateranensi IV. Canone 5. Sedem Constantinopolitanam inter Patriarchicas secundo loco numerat, propriamque ei asserit, secundam a Romana, dignitatem. Quartò, hac in Synodo, Antiochenus Episcopus, in Meletii locum, designatus est Flavianus, contra S. Gregorii Nazianzeni sententiam, qui illius Ecclesiæ administrationem Paulino uni relinquendam esse prudentiùs censebat, ne Ecclesiæ Antiochenæ Schisma ut factum est, propagaretur. Hoic adfuere Concilio centum quinquaginta Episcopi: quos inter eminebant Timotheus Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Helladius Basilii Magni in Episcopatu successor, Gregorius & Petrus, Basilii fratres, Amphilochius Licaoniæ Antistes, &c. Falsò scripsit Theodoretus, Timotheum Alexandrinum, Petri successorem, ordinasse Maximum quemdam Cynicum Episcopum Constantinopolis, pro Gregorio. Constat enim ex ipso Gregorio Nazianzeno, in Carmine de Vita sua; Maximum a Petro Timothei decessore ordinatum fuisse: * aliunde verò constat Timotheum illi Synodo præfuisse, in qua Maximi Ordinatio in irritum missa est.

** Non per se sed per tres Episcopos à se missos Petrus Alexandrinus Maximum Cynicum ordinavit. Septem recenset Cardin. Baronius graviter in eo hallucinatus, quòd septem nautas, seu potiùs Gubernatores classis Alexandrina, Episcopos fecerit.*

Orientalis duntaxat Ecclesiæ Concilium istud fuit, nec Oecumenicum, nisi ex post-facto, quatenus Occidentalis Ecclesia, in Romana Synodo sub Damaso congregata, in eandem cum Orientali, sententiam, & damnationem Hæreseon conspiravit, Fideique expositionem factam Constantinopoli approbavit.

Synodica ad Damasum Epistola ex Concilio œcumenico scripta non fuit.

Tertium Concilium Constantinopoli celebratum est, anno Christi 382. dum Synodus Romæ agebatur, ad quam etiam convocati erant Orientales. Huic Concilio, quod Oecumenicum non fuit, Nectarius præerat. Ex eo missa est Legatio ad Damasum & Occidentales Episcopos Romæ congregatos, cum Epistola Synodica, relationem eorum, quæ anno proximè superiori in Concilio Oecumenico gesta decretaque fuerant, continente: quam refert Theodoretus lib. 5. cap. 9.

Synodica igitur Epistola Concilii Constantinopolitani, ab Oecumenica Synodo conscripta non est, ut ex ipsiusmet verbis colligitur: *Atque ista*, inquiunt Patres, *de Fide a nobis liberè ingenuèque prædicata disseruimus, de quibus pleniorem cognitionem animis poteritis percipere, si libellum in Concilio Antiochia convocato, de Fidei decisione editum, & eum etiam, qui superiori anno a Concilio Generali compositus est, legere placuerit.*

Idem colligitur ex Theodoreto lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 8. ubi de Concilio Oecumenico Constantinopolitano primo scribens, hæc habet. *Porrò autem cùm Canones pro rectâ Ecclesiæ administratione conscripsissent, statuissentque ut Fidei Formula in Concilio Nicæno edita, firma ac stabilis maneret, singuli domum reversi sunt. Sequenti æstate quamplurimi eorum ad eandem urbem denuò regressi (Necessaria enim Ecclesiæ negotia eos illò revocaverant] Epistolam a Concilio Episcoporum in Occidente coactorum accepere, quæ illos hortabatur, ut Romam, ubi jam Episcoporum cœtus congregatus erat, accederent. At tam longum iter suscipere omnino recusarunt: sed tamen scripserunt Epistolam, quæ tam tempestatem contra Ecclesias excitatam eis significabant, tam eorum notabant in ea re negligentiam, tum denique Doctrinam Apostolicam summatim perstringebant.*

Ea Epistola Damasum orant Orientales Episcopi, ipsis, de rebus in Oecumenica superioris anni Synodo decretis, gratuletur. *Quibus rebus*, inquiunt, *tanquam legitimè & secundùm Ecclesiæ Canones constitutis, obsecramus vestram Reverentiam uti congratuletur: spirituali charitate nos mutuò devinciente, & timore Domini, qui omnem affectionem reprimit: Ecclesiarumque ædificationem amori illi & benevolentiæ, qua singuli singulos complectantur, longè anteponit.*

Sed & ejusdem Oecumenici Concilii confirmationem ab Imperatore Theodosio Magno, statim atque celebratum est, postulaverant centum quinquaginta Patres, his ad illum scribentes verbis: *Rogamus tuam Clementiam, ut per literas quoque tuæ Pietatis ratum habeatur Concilii Decretum: ut sicuti literis, quibus nos convocasti, Ecclesiam honorâsti, ita etiam finem eorum quæ decreta sunt obsignes.* Quod Patres non ideò præstitere quòd Imperatoris confirmationem Oecumenico necessariam Concilio existimarent; sed ut Imperatorem hac ratione adstringerent ad Fidem protegendam, Hæreticosque profligandos, necnon ad Canonum observantiam suis etiam legibus imperandam.

Concilii porrò istius mox a nobis exposita Historia ex Socrate lib. 5. cap. 7. & 8. ex Theodoreto lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 7. 8. & 9. ex Sozomeno lib. 7. cap. 7. 8. & 9. ex S. Gregorio Nazianzeno in Carmine de Vita sua, & in Oratione ad centum quinquaginta Patres habita, & ex Epistola Synodica, & Canonibus ejusdem Concilii, petita est.

§. III.

§. III.

De Macedonianæ Hæreseos Impugnatoribus.

PRimus calamum acuit adversùs Macedonianos S. Athanasius, ex erêmo, in qua fugiendæ persecutionis causâ latebat, scribens ad Serapionem librum de Spiritu Sancto, contra recentem ipsorum errorem. Ejusdem Hæreseos confutationem apud S. Epiphanium Hæresi 74. legere est. Scripsit contra eosdem S. Basilius librum de Spiritu Sancto ad Amphilochium Iconii Episcopum. Scripsit contra eosdem S. Gregorius Nyssenus librum de Sancta Trinitate, & contra adversarios Spiritus Sancti, ad Eustathium, & Orationem de Filii & Spiritus Sancti Deitate. S. denique Ambrosius tres libros de Spiritu Sancto Gratiano Augusto nuncupatos, contra eandem Hæresim edidit.

ARTICULUS XII.

De Ecclesiæ Antiochenæ Schismate.

CUm ob constantem Nicænæ Fidei Professionem, in exilium amandatus esset Eustathius Antiochenus Episcopus, a Constantio Imperatore anno Christi 340. ac suffectus ei ab Arianis esset Eulalius, suarum partium Antistes: Catholici complures, Hæreticorum veriti communionem, a cœtibus Ecclesiasticis abstinebant, ac separatim suos ipsi Conventus agebant, qui Eustathiani ex eo nominati sunt, teste Theodoreto, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 22. Postea, cùm Eudoxius Arianus, Antiochena relicta sede, Constantinopolitanam, exauctorato Macedonio vacuam occupasset; Meletius Sebastenus Episcopus, ab Arianis, qui suis eum partibus addictum existimabant, ad Antiochenam sedem translatus est, anno Christi 360. sed cùm Nicænam Fidem ipsum tueri compertum fuisset, nihilominus Eustathiani cum eo inire communionem recusarunt, quòd ab Hæreticis ordinatus fuisset. Itaque tres in partes Antiochena scissa est Ecclesia. Nam alii erant Ariani: Catholicorum verò alii Eustathii, alii Meletii sectatores. Haud multò post, Meletius Arianorum dolis & invidiâ in odium Fidei, a Constantio relegatus est; ejusque loco, Euzojus, unus ex primariis Arii discipulis, Episcopus consecratus est: ut narrat Socrates lib. 2. cap. 34. Mortuo deinde Constantio, cùm Julianus Imperator omnes, qui ab ipso damnati exilio fuerant, revocasset; Eusebius Vercellensis, & Lucifer Calaritanus, qui in vicina Ægypto loca fuerant deportati, varias in regiones abierunt. Eusebius Alexandriam ad Athanasium accurrit. Lucifer, misso Alexandriam Diacono, qui suo nomine communi Concilio interesset, Antiochiam abiit; ubi conciliandarum studio partium, Paulinum Virum Sanctum, Episcopum creavit, ratus ipsum utrique parti gratissimum fore: sed eum spes fefellit; & auctum potiùs quàm extinctum dissidium est. Reverso enim Antiochiam Meletio, in parte Catholica duo fuerunt Episcopi: tres verò annumerato Euzoio Ariano.

Sub idem tempus Alexandriæ celebrata est Synodus qua de egimus art. 4. §. 26. ex qua cùm Eusebius Vercellensis Antiochiam Legatus missus esset, ibique creatum a Lucifero cognovisset Episcopum, pudore & indignatione commotus recessit; neutra cum parte communicare volens. Porrò Meletius, redux ab exilio, curam suscepit Catholicæ plebis, quæ & ab Arianis, & a Paulino segregata, suos conventus seorsim celebrabat. Ista constant ex Rufino lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 27. 28. & 30. & ex Socrate lib. 3. cap. 7.

Fovit illud Antiochenæ dissidium Ecclesiæ, orta tunc de nomine Hypostaseos controversia. Meletius enim, & qui ab ejus partibus stabant, tres in Deo hypostases prædicabant: qui verò Paulini communionem erant amplexi, unam asserebant hypostasim: sibique mutuò, hi Arianæ; illi Sabellianæ Hæreseos notam inurebant. Exarsit illud Schisma Antiochena in Ecclesia, donec Meletius a secundo exilio, in quod relegatus fuerat a Valente, a Gratiano Imperatore revocatus est. Tunc enim cum Paulino communionem iniit mutuâ pollicitatione facta, ut alterutrô mortuô, qui superstes esset, solus Ecclesiam regeret. Ita refert Socrates lib. 5. cap. 5. Hac tamen pactione sopitum potiùs quàm extinctum Schisma fuit; quia mortuo Meletio Flavianus in locum ipsius ordinatus est. Quam ob causam Damasus Orientalibus Episcopis maximè succensuit. Flaviano Romana non communicavit Ecclesia: sed Evagrium fovit, qui in Paulini demortui locum Antiochenus Episcopus ordinatus est, ut Socrates & Sozomenus testantur: sive ab ipso Paulino Episcopus designatus & consecratus, vi multiplice Canonibus illatâ, si Theodoreto fides lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 23. Post obitum Damasi, Romam a Siricio vocatus est Flavianus, Sedis Apostolicæ subiturus judicium: quod causæ suæ metuens, cautè declinavit, testibus Theodoreto, loco mox laudato, & S. Ambrosio, Epistolâ 78. ad Theophilum data. Tandem Capuana Synodus caussam Evagrii & Flaviani cognoscendam delegavit Theophilo Episcopo Alexandrino, tum ob sedis illius præcipuam in Oriente auctoritatem, tum etiam quòd neutri parti addictus, faciliùs posset, unà cum Ægypti sibi subditis Episcopis, dissidia illa componere. Agente porrò Theophilo, & ostendente e re Ecclesiæ esse, ut ob bonum publicæ pacis, communione donaretur Flavianus, eum ipso Siricius ceu cum Episcopo communionem iniit. Post breve tempus, mortuus est Evagrius, cui licèt nullus datus sit successor, unitas tamen inter utramque partem non statim coaluit. Qui enim ab eo stabant, privatos conventus agitantes, communicare cum Flaviano penitus recusarunt. (Ex Socrate lib. 5. cap. 15. & Sozomeno lib. 7. cap. 15.) Fallitur tamen Socrates cùm Isidorum Presbyterum a Theophilo missum scribit, ut Damasi animum in Flavianum exulceratum mitigaret. Non enim apud Damasum, sed apud Siricium pro Flaviano sequester accessit Theophilus. Quæri solet utrùm Meletius Antiochenus Episcopus fuerit Schismaticus. Hanc in Dissertationibus agitabimus quæstionem.

Socrates lib. 5. c. 5. & Sozom. lib. 5. cap. 3. & 15.

ARTICULUS XIII.

De Luciferiano Schismate.

LUcifer Calaritanus Episcopus, cùm Antiochiam, post reditum ab exilio divertisset, Paulinum, ut diximus, Episcopum imprudenter creavit. Id ipsum egisse auctoritate Sedis Apostolicæ, cujus esset Legatus, contendit Baronius Cardinalis: sed veriùs dicam id præstitisse Apostolica charitate, ut Ecclesiæ acerbo Schismate discissæ, & Arianorum Episcoporum tyrannide tot jam annis opressæ succurreret. Nam Apostolicæ Legationis Lucifero & Eusebio iis temporibus imposi-

tæ

tæ nullum apud Scriptores Ecclesiasticos extat vestigium: illamque immeritò eruere se putat Baronius ex Fragmcuto cujusdam Epistolæ S. Athanasii ad Liberium, cùm tota illa Epistola in explicando Incarnationis Mysterio versetur, nec vel leviter de præsumptitia illa legatione mentionem faciat.

Cùm porrò Ordinationem Paulini a se factam improbari ab Eusebio Vercellensi videret Lucifer, cœpit & ipse Decretum Alexandrinæ Synodi de lapsis in proprio gradu & ordine recipiendis sugillare, nec cum iis communionem inire volens, nec cum illis a quibus essent in pristinas dignitates suscepti, ab Ecclesiæ se abstraxit unitate. Lege Ruffinum lib. 1. cap 30. & Socratem lib. 3. cap. 7. Idem constat ex S. Augustino, libro de Agone Christiano, cap. 30. *Itaque*, inquit, *post persecutionem qua per Arianos facta est: postea quum pax, quum quidem Catholica in Domino tenet, etiam à Principibus saculi reddita est: Episcopi, qui perfidia Arianorum in illa persecutione consenserant, multi redire in Catholicam correcti delegerunt, damnantes sive quod credideraut, sive quod credidisse simulaverant. Hos Ecclesia Catholica materno recepit sinu, tamquam Petrum post fletum negationis per galli cantum admonitum, aut tanquam eumdem, post pravum simulationem, Pauli voce correptum. Hanc illi matris charitatem superbè accipientes, & impiè reprehendentes, quia Petro post galli cantum surgenti non gratulati sunt, cum Lucifero, qui manè oriebatur, cadere meruerunt.*

Lapsus est proculdubio in Historia Theodoretus, cùm scripsit Luciferum in Sardiniam reducem novam quamdam excogitasse Doctrinam, quam sectati sint qui ab eo nomen accepere. Constat enim testimonio S. Ambrosii, Hieronymi & Augustini, ipsum nihil contra Doctrinam Catholicam sensisse. Ita quippe de ipso scripsit S. Ambrosius in Oratione de obitu Satyri fratris sui: *Lucifer se a nostra tunc temporis communione diviserat: & quanquam pro Fide exulasset, & Fidei sua reliquisset hæredes, non putavit tamen* (Satyrus) *Fidem esse in Schismate. Nam etsi Fidem erga Deum tenerent: tamen erga Dei Ecclesiam non tenerent, cujus patiebantur velut quosdam artus dividi, & membra lacerari. Etenim cùm propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi Corpus Ecclesia sit, non videtur ab his exhiberi Christo Fides, a quibus evacuatur ejus passio, corpusque distrahitur.*

Sanctus verò Hieronymus in Dialogo adversùs Luciferianos hæc habet: *Ventum est ad asperrimum locum, in quo adversùs voluntatem & propositum meum, cogor de Beato Lucifero, secus quidquam, quàm & illius meritum, & mea humanitas poscit, existimare. Sed quid faciam? Veritas os reserat, & invitam linguam conscium ad loquendum pectus impellit. In tali articulo Ecclesia, in tanta rabie luporum, segregatis paucis ovibus, reliquum gregem deseruit. Bonus quidem ipse Pastor, sed multam prædam bestiis relinquens. Prætereo illa quæ quidam ex maledicis, quasi satis firma defendunt: hoc illum amore gloriæ, & nominis in posteros transmittendi fecisse, necnon & pro simultate, quam adversùs Eusebium, propter Antiochenam dissensionem susceperat: nihil istorum de tali viro credo. Unum est, quod etiam in præsenti constanter loquar: verbis eum a nobis dissentire, non rebus: siquidem eos recipiat, qui ab Arianis Baptisma consecuti sunt.* S. igitur Hieronymus Luciferum Calaritanum Schismaticum quidem agnoscit, non verò Hæreticum.

Denique S. Augustinus lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum cap. 81. testatur Luciferianos a S. Epiphanio & Philastrio inter Hæreticos numeratos non fuisse, quòd Schismatici tantùm fuerint, non Hæretici. *Luciferianos*, inquit, *a Lucifero Calaritano Episcopo exortos, & celebriter nominatos, nec Epiphanius, nec Philaster inter Hæreticos posuit: Credo tantummodo Schisma, non Hæresim eos condidisse, credentes, apud quemdam tamen, cujus nomen in eodem ejus Opusculo non inveni, in Hæreticis Luciferianos positos legi per hæc verba: Luciferiani*, inquit, *cùm teneant in omnibus Catholicam veritatem, in hunc errorem stultissimum prolabuntur, ut animam dicant ex transfusione generari: tandemque dicant, & de carne, & carnis esse substantiam. Utrùm ergo isti, propter hoc quod de anima ista sentiunt, si tamen verè ita sentiunt, eos inter Hæreticos ponendos esse crediderit, rectèque crediderit: an etiamsi id non sentirent, sive non sentiunt, ideò tamen fiat Hæretici, quia dissensionem suam pertinaci animositate firmarunt, alia quæstio est, neque hoc loco mihi videtur esse tractanda.*

Luciferianum Schisma longe latèque grassatum est per Italiam, Sardiniam, Hispaniam, Antiochiam & Ægyptum. Quin etiam Romæ Episcopum nomine Ephesum creare ausi sunt, quem Taorgius, istius Schismatis Antistes, ordinavit, ut constat ex Libello Marcellini & Faustini ejusdem Sectæ Presbyterorum, quem Theodosio, Valentiniano, & Arcadio Imperatoribus obtulerunt. Hoc Schismate gloriam suam fœdavit Hilarius Romanæ Diaconus Ecclesiæ, cui & Hæresim addidit, Arianos, cæterosque Hæreticos rebaptizandos esse propugnans, contra Luciferi sententiam. Quam ob causam S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, eum *Deucalionem orbis* appellavit.

Quæres, utrùm Lucifer extra sinum & unitatem Ecclesiæ obierit? Respondeo affirmativè. Primò, quia celeberrimi Ecclesiæ Patres, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, eum jam vitâ functum, velut Schismatis auctorem damnarunt, nec ullam pœnitentiæ ipsius unquam fecere mentionem. Secundò, quia S. Hieronymus in Chronico ad annum Christi 371. hæc scribit: *Lucifer Calaritanus Episcopus moritur, qui cum Gregorio Episcopo Hispaniarum, & Philone Libyæ, nusquam se Arianorum miscuit pravitati.* Quæ S. Hieronymi verba non ita accipienda sunt, ut rectè monet Baronius * quasi isti dumtaxat ex omnibus Episcopis, immunes fuerint ab Ariana Hæresi; nam in Occidente vix aliquem Episcopum, præter Saturninum, Auxentium, & paucos illos in Concilio Aquileiensi damnatos, reperies, qui ejusmodi Hæreseos Sectator fuerit: Sed illorum verborum sensus est, quòd Lucifer, cum nominatis Episcopis, abstinuerit ab illorum communione, qui cum Arianis, quantumlibet pœnitentibus, communicaverant. Tertiò, Luciferum in Schismate obiisse, Ruffinus testatur lib. 1. cap. 30. *Ita*, inquit, *regressus ad Sardiniæ partes, sive quia citâ morte preventus, tempus sententiæ mutandæ non habuit: etenim temerè cœpta corrigi spatio solent: sive hoc animo immobiliter sederat, parum firmaverim. Ex ipso interim Luciferianorum Schisma, quod licet per paucos adhuc volvitur, sumpsit exordium.* At falsa est pars disjunctivæ altera, quam proponit Ruffinus. Certum enim est non obiisse Luciferum nisi ad annum Christi 370. octo annis a conflato Schismate: adeoque longum ipsi superfuisse temporis intervallum, errorem ut suum retractare posset, sive defectionem ab Ecclesia suam emendare, ad ejus redeundo unitatem, si ipsam sincerè dilexisset.

Lucifer Calaritanus extra Ecclesiæ Communionem obiit.

* *Baron. ad ann.* 371.

Nec obstat quòd Socrates lib. 3. cap. 6. & Sozomenus lib. 5. cap. 13. testentur, Luciferum Fidei & sententiæ Ecclesiæ assensum præbuisse, & sic affectum in Sardiniam rediisse; quia tenebatur subscriptione Diaconi sui, quem ad Alexandri-

nom Concilium cum auctoritate nominis sui miserat; nec poterat illius Concilii Decretis refragari, nisi Diaconum suum damnaret, & secum ipse pugnaret.

Hoc (inquam) Socratis & Sozomeni testimonium non suadet Luciferum in pace Ecclesiæ obiisse. Nam Socratis, & Sozomeni, qui ipsum exscripsit, auctoritas, locupletissimis, quæ protulimus, Patrum testimoniis est postponenda; maximè cùm secum ipsi non consentiant. Aiunt enim Luciferi offensionem fuisse in causa, ut multi ab Ecclesia separarentur, hincque natum esse Schisma Luciferianum. Verùm si Alexandrini Concilii Decretis assensus est, paruitque Lucifer, qua ratione illius offensio plurimos ab Ecclesia abstraxit, & Schismati ortum dedit? Hæc certè conciliari non possunt.

Nec etiam obstat, quòd S. Hieronymus ipsum jam vitâ functum *Beatum* appellaverit. Istud enim honoris ejus dignitati detulit, non sanctitati. Omnes enim Episcopos, quantumvis improbos, beatos vocare mos erat. Certè si S. Hieronymus existimasset Luciferum a Schismate resipuisse, & in Ecclesiæ sinum rediisse, pœnitentiam ejus & retractationem hoc loco urgere debuisset, quibus nihil proferre potuisset luculentius ad Luciferianorum, contra quos agebat, damnationem, & ad vindicandam Luciferi sanctitatem, in quem propterea propendebat, quòd Paulinum Antiochiæ constituisset Episcopum, a quo fuerat ipse Presbyter ordinatus. Attamen ejus honori alia ratione Hieronymus non consulit, quàm asserendo illis se non adhibere fidem, qui studio gloriæ, vel simultate adversùs Eusebium Vercellensem, Schisma conflavisse Luciferum effutiebant. Denique ex S. Hieronymi Chronico, Luciferum in Schismate obiisse colligitur.

Unum opponi potest: Ecclesiam nimirum Sardiniæ, Luciferi Calaritani sanctitati suffragari: in Calaritana civitate ab antiquis temporibus consecratam esse Deo Basilicam sub invocatione Sancti Luciferi: Vercellensem Ecclesiam ipsum in Hymno sacro cum SS. Eusebio Vercellensi & Dionysio Mediolanensi invocare: Denique anno 1617. eum Archiepiscopi Calaritani pio studio diversa Sanctorum corpora in Ecclesia Metropolitana reperta essent, inventam esse sub altari primario grandem arcam marmoream, ossa sacri cujusdam corporis continentem, odorem spirantia suavissimum. Quæ cùm esse S. Luciferi, populi animos pia quædam opinio occupasset, velut eam confirmante cœlo, campanæ gratulabundum sonum sponte, & nullo pulsante ediderunt. Quod authenticis comprobatum testimoniis, in suam Annalium Ecclesiasticorum Epitomen retulit Spondanus.

Respondeo, Singulares Ecclesias his in rebus errare posse, & colere viros quorum sanctitas non est ab Ecclesia universali vindicata, imò quorum vitia nota sunt: præsertim cùm extant Sancti ejusdem nominis, quos Clerus populusque rerum Ecclesiasticarum ignarus incautè confundit. Porrò ex Ecclesiæ Africanæ notitia constat alterum extitisse postea Luciferum Calaritanum pariter Episcopum, inter Sanctos illos Episcopos celebrem, qui Fidem Catholicam propugnaturi, Carthaginem, Hunnerici temporibus, venerunt. Huic fortè erecta Basilica est, ut qui Vir Sanctissimus extiterit: quam plebs imperita, Luciferianorum parenti existimavit consecratam. Quod spectat miraculum in sacri corporis inventione editum, spontaneus campanarum sonus non probavit vulgi errorem, corpus esse Luciferi, qui suum Luciferianis nomen dedit, existimantis; nec in testimonium sanctitatis ipsius miraculum istud patratum est, sed ad sanctitatem illorum asserendam, quorum inventa sunt corpora; utque Christiana plebs ad sacrorum pignorum venerationem incitaretur.

Tandem, quod de Ecclesia Vercellensi dictum est, falsum esse contendo. Nec id probat sacer Hymnus illa in Ecclesia cantatus, in quo Sancto Eusebio Vercellensi, S. Dionysio Mediolanensi, & Lucifero Calaritano nominatis, Sancti illi generatim invocantur: quam invocationem ad duos tantùm priores referri, par est existimare.

SCHOLION.

In isto Articulo p. 241. Hanc Observationem notant Religiosi Censores: *Luciferum Calaritanum creasse Paulinum Episcopum auctoritate Sedis Apostolicæ, cujus esset Legatus, falsò contendit Baronius.*

R. Historiæ & facti mera Quæstio est. Sententiam suam nullo Antiquitatis Ecclesiasticæ monumento *Baronius* probat. Ejusne Divinationi credere teneor?

Nota.

SI Lucifer Sedis Apostolicæ auctoritate Paulinum ad Episcopatum non promovit, qua potestate id fecerit, vide in Animadversionibus post Dissertationem 4. sæculi 1.

ARTICULUS XIV.

De Apollinaristarum Hæresi.

APollinaristarum Secta, ab utroque Apollinari nomen traxit, patre & filio. Pater Laodicenæ Ecclesiæ Presbyter: Filius ejusdem Ecclesiæ Lector fuit. Ambo humanioris literaturæ Magistri: Grammaticæ Pater, Filius Rethoricæ. Pater Alexandrinus genere, primùm Beryti ludum aperuit. Deinde Laodiceam commigrans, ibi duxit uxorem, ex quâ filium suscepit cognominem. Uterque eodem tempore Laodiceæ floruit, quo Epiphanius Sophista, quo cum maxima illis intercessit familiaritas. Tunc Laodicenæ præerat Ecclesiæ Theodotus Episcopus, qui ipsis Epiphanii consuetudine & colloquio interdixit, metuens ne hominis ethnici familiaritas ipsis in perniciem, Ecclesiæ in scandalum verteretur. Nec levis aut imprudens Theodoti metus erat. Nam Epiphanius Hymnum tunc ediderat in Bacchi laudem, ad quem audiendum, tum e Christianis plurimi, tum uterque Apollinaris confluebant. Ut primùm Sophista Hymni recitationem aggrediebatur, eos qui Bacchi mysteriis initiati non essent, foras mittebat; Christianos tamen, & Apollinares imprimis, non ægrè patiebatur. Id cùm accepisset Theodotus, Laicis objurgatis veniam tribuit: Apollinarem utrumque segregavit ab Ecclesia. Quodam tamen temporis præterlapso intervallo, cùm lachrymis & jejuniis veniam exorassent, peractâ pœnitentia denuò recepti sunt.

Theodoto defuncto, cùm Georgius Arianæ Sectator Hæreseos clavum Laodicenæ regeret Ecclesiæ, S. Athanasio fortè Laodiceam transeunti obvius factus est junior Apollinaris, & cum Sanctissimo Antistite familiariter congressus, ipsius sibi devinxit amicitiam. Id indignè ferens Georgius Laodicenus, Apollinarem ab Ecclesiastica communione exclusit. Ariano enim Episcopo piaculum videbatur, inita cum Athanasio ab Apollinari

com-

communio. Id contigit anno Christi 340. Ejectus ab Ecclesia Appollinaris, Georgio non semel ut restitueretur supplicavit, sed frustra. Quam repulsam contumeliæ loco ducens, novam excogitavit Hæresim. Hæc habentur ex Socrate lib. 2. cap. 36. & Sozomeno lib. 6. cap. 25.

Palmaris Apollinaris error fuit, quòd naturam hominis in Christo semiplenam putavit, hoc est animâ carentem, cujus vicem supplebat corpori Verbum ipsum caro factum, ut constat ex Socrate loco mox laudato, ex S. Epiphanio Hæresi 77. quæ est Dimœritarum, ex S. Leone Sermone 4. de Natali Domini, & ex S. Augustino lib. de Hæresibus cap. 55. Deinde priorem emolliens sententiam, non totam funditus animam defuisse Christo professus est: agnovit quippe in ipso partem illam rationalis animæ, quâ vivimus, & sentimus, & communia cæteris nobiscum animantibus officia præstamus: sed partem illius ipsi duntaxat deesse asseruit, quâ rationales sumus, id est mentem: Verbum autem pro mente in Christo fuisse. Id constat ex Athanasio lib. de Incarnatione Christi contra Apollinarium. *Ajunt*, inquit, *loco ejus hominis, qui in nobis interior dicitur, mentem super-cœlestem in Christo fuisse: instar enim instrumenti cum circumferentiâ corporis usum fuisse: quippe fieri non potuisse ut homo perfectus existeret. Ubi enim perfectus homo, ibi & peccatum: duoque perfecta in unum constari non posse*, &c. Idem constat ex S. Gregorio Nazianzeno in Epist. ad Nectarium, & in Epistola 1. ad Cledonium, ex S. Cyrillo Alexandrino in lib. de recta Fide ad Theodosium, cap. 17. ex Theodoreto lib. 4. Hæreticarum Fabularum cap. 8. ex Vincentio Lirinensi in Commonitorio 1. cap. 17. ex S. Augustino lib. de Hæresibus cap. 55. & Tractatu 47. in Joannem, ex Mario Mercatore in Dissertatione de duodecimo Anathematismo Nestorii, ex S. Leone Epistolâ 23. ex Leontio Scholastico in lib. de Sectis, Actione 4. Sed nihil proferri luculentius potest, ad exponendam Apollinaris de Incarnatione sententiam, quàm colloquium a S. Epiphanio habitum Antiochiæ cum Vitali ipsius Apollinaris discipulo, cùm vellet ipsum, Paulinumque, ambos ejusdem urbis tunc Episcopos, de Fide pugnantes in concordiam revocare. Narrat verò S. Epiphanius * se accepisse a Paulino libellum Fidei, Athanasii manu exaratum, ab ipsoque Paulino subscriptum: Vitalem verò tergiversantem, crebris interrogationibus eò se adduxisse, ut animam quidem in Christo fuisse confiteretur, sed cui pro mente Divinitas esset: ita ut perfectus homo fuisset Christus, ex carne, anima, & Divinitate coalescens.

* Hær. 77. Num. 23.

Hunc errorem hausit Apollinaris ex Platonicæ Philosophiæ fontibus, teste Nemesio, initio libri de Natura Hominis. *Quidam enim*, inquit, *è quibus est Plotinus, aliud esse animam, & aliud mentem statuentes, ex tribus constare volunt hominem, a corpore, anima, & mente. Hos secutus est Apollinaris Laodicea Episcopus. Hoc enim jacto fundamento sententiæ suæ, reliqua dogmati suo consentanea superstruxit.*

II. Asserebant Apollinaristæ, Corpus Christi, Divinitati consubstantiale esse; ex quo sequebatur patibilem esse divinitatem Verbi, ac revera cruciatus & mortem esse perpessam. Id constat ex S. Athanasio lib. de Incarnatione Verbi contrà Apollinarium, & in Epistola ad Epictetum, ex S. Epiphanio, & ex Eraniste, qui Apollinaristarum partes sustinet apud Theodoretum Dialogo 3. qui inscribitur, *Impatibilis*, pag. 144. & 245. Quamquam non ipsam Naturam Divinam in se, sed carne duntaxat passam esse, sicut anima conjuncta corpori patitur ex passione corporis, contendat Eranistes: & ridiculis verborum ambagibus, Verbum Divinum impatibiliter passum esse dicat.

III. Asserebant Verbum Divinum carnem ex Virgine non sumpsisse, sed ex cœlo attulisse, ut testantur S. Gregorius Nazianzenus, in Epistola ad Nectarium, seu Oratione 46. & S. Gregorius Nyssenus in libro Antirrhetico adversùs Apollinarem: qui liber non extat. Ex eo multa describit Euthymius in Panoplia, parte 2. Tit. 3. Catholicos autem, qui Christi corpus ex Maria sumptum profitebantur, hominicolas per convicium nominabant, eis improperantes quòd non Trinitatem, sed quaternitatem statuerent: nempè præter personas tres Divinas, quartam substantiam omninò extraneam ac diversam. Id constat ex S. Athanasio in Epistola ad Epictetum. Ex hoc errore sequebatur alius, scilicet Virginem verè dici non posse.

IV. Divinam ipsam Verbi substantiam, in carnem conversam esse effutiebant Apollinaristæ, ut colligitur ex S. Gregorio Nysseno, in Opusculo contra Apollinaristas, ex S. Ambrosio lib. de Incarnatione, cap. 6. ubi Apollinaris Hæresim tacito nomine refellit; ex S. Leone, Sermone 9. de Quadragesima; ex Gennadio lib. de Dogmatibus Ecclesiasticis, cap. 2. ex Facundo Hermianensi, lib. 6. pro defensione Synodi Chalcedonensis, pagin. 242. & alibi passim; ex Eulogio Alexandrino, apud Photium, Cod. 230. Apollinaris ipsius verbis ostendente, illum ex Divinitate & carne unam constituisse Naturam, in quo Eutychianorum Hæresi prælusit: & ex Leontio in libro adversùs fraudes Apollinaristarum; in quo fragmentum quoddam refert ex Oratione disputatoria Apollinaris, cujus hæc sunt verba: *Organum, & quod movet instrumentum, unam naturaliter perficiunt operationem. Cujus autem est una operatio, una substantia est. Una ergo substantia facta est Verbi & instrumenti.*

Tres tamen istos postremos errores, non ipsiusmet Apollinaris, sed discipulorum ejus fuisse probatur evidenter ex illius Epistola ad Serapionem, quæ extat Tom. 5. Antiquæ Lectionis Henrici Canisii. In qua S. Athanasii Epistolam ad Epictetum hos refellentem errores approbat, quos etiam disertè damnat, cùm ibi, tum in Epist. 1. ad Dionysium, quæ apud eundem Canisium legitur. *Epistolam*, inquit, *Domini mei* (Athanasii) *Corinthum missam, magnoperè approbavimus. Eorum autem, qui dicunt carnem Deo consubstantialem, magnam insaniam damnavimus.*

Quòd autem nemo hæc objicere potest, quæ contra quosdam dicta sunt, manifestum est ex iis quæ semper scripsimus, neque carnem Salvatoris e cælo esse; neque carnem ejusdem substantiæ esse cum Deo, quatenus est caro.

Et infrà: *Anathema igitur sit, qui non dicit carnem ex Maria; & qui dicit eam carnem esse natura non creata, & ὁμοούσιον Deo; imò & qui dicit, Divinitatem esse patibilem, & in ipsa esse passiones animæ.*

Idem confirmatur ex Theodoreto lib. 4. Hæreticarum Fabularum cap. 9. ubi refert Polemium quemdam ex Apollinarii scriptis ansam nactum, & substantiarum confusionem factam dixisse, & commixtionem Divinitatis & corporis. Sed & alios quosdam ex Apollinaris Secta dixisse. *Corpus Domini de cælis descendisse.*

V. Circa Trinitatem erravit Apollinaris, quosdam dignitatis gradus excogitans, magnum scilicet, majus, & maximum, ut magnus Spiritus Sanctus, major Filius, maximus Pater diceretur (Ex S. Gregorio Nazianzeno Epistolâ 1. ad Cledonium, ubi hoc Apollinaris figmentum *Divinitatis scalam* vocat, *quæ non in cælum deducit, sed*

e cœlo dejicit.) Idem constat ex Theodoreto lib. 4. Hæreticarum Fabularum cap. 8. Apollinarium tres in unam Divinas personas confudisse cum Sabellio, S. Basilius Epistolâ 293. testatur, Idem Theodoretus asserit. Leontius verò lib. de Sectis, Actione 4. nihil erroris circa Divinitatis dogma admisisse scribit Apollinarem. Sed huic præ testibus tam claris non est adhibenda fides.

VI. Mille annis post judicium regnaturos in terra Sanctos cum Christo, Judaicos omnes ritus instaurandos esse ac in usum revocandos, docuit Apollinaris (ex S. Basilio Epistolâ 293. ex S. Gregorio Nazianzeno Epistolâ 2. ad Cledonium, & ex S. Hieronymo in Cathalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 28.)

Quo tempore Hæresim dissemınavit Apollinaris.

Cæterùm Hæresim suam diu dissimulavit Apollinaris. Neque enim sub Constantio, neque sub Juliano Apostata, neque prioribus annis Valentiniani, & Valentis innotuit. Imò sub Juliani Imperio Ecclesiæ profuit plurimùm. Cùm enim Edicto prohibuisset perfidus Imperator, ne Christiani adolescentes Gentilium imbuerentur disciplinis, seu artibus quas liberales vocant; Apollinaris, in gratiam juventutis Christianæ, Hebræorum Historiam, usque ad regnum Saulis, descripsit; aliosque edidit humanioris literaturæ libros, argumentis ex Scripturâ Sacra depromptis. Librum etiam edidit adversùs Julianum, sive adversùs Philosophos Gentiles, quo eorum circa Deum pudendos errores confutavit: quod Opus irridens Julianus Apostata, scripsit ad Episcopos: *Legi, intellexi, improbavi*. Ad quæ ipsi responderunt. *Legisti quidem, sed non intellexisti. Nam si intellexisses, non improbasses*: Hæc refert Sozomenus lib. 5. cap. 17. Illa porrò Apollinaris in erroribus suis dissimulandis vafrities Sanctos Patres refellit, qui cum ipso non solùm communicarunt, sed amicitiam foverunt. Hinc S. Basilius de communione cum Apollinari in crimen ab æmulis suis adductus est, ut ipse testatur Epistola 82. ad Patrophilum datâ. Eodem familiarissimè usus est S. Hieronymus, qui & ipsum in sacris literis Præceptorem habuit, ut constat ex Epistola ipsius 65. ad Pammachium datâ. Sanctis etiam Athanasio & Epiphanio carissimus fuit, ut Epiphanius ipse refert Hæresi 77. Num. 2. qui nec sibi persuadere prima fronte poterat, Apollinarem istorum errorum auctorem esse. Innotescere tandem cœpit, depositâ larvâ, Apollinaris, circa annum Christi 372. quo tempore S. Basilius ipsum detulit ad Damasum ceu multorum errorum auctorem, & qui tantam Fratribus perturbationem moverat, ut pauci eorum, quibus colloquii cum illo nonnihil intercesserat, priscum pietatis characterem conservarent: multi verò ad quæstiones & contentiosas inutilium verborum Hæreses aversi essent; (ut videre est in Basilii Epistola 74.)

§. I.

A quibus, & quando sit damnatus Apollinaris?

Damnata non semel est ab Ecclesia Apollinaristarum Hæresis, præsertim quà parte Sacrum Incarnationis Mysterium pulsabat. Primùm, tacito Auctoris nomine, in Alexandrina Synodo, quæ anno Christi 362. a S. Athanasio, aliisque Catholicis Episcopis, post Constantii mortem ab exilio reversis, celebrata est, ut constat ex Epistola Synodica illius Concilii; in qua decretum est, *Salvatorem non habuisse corpus inanimum, nec sensûs, aut mentis expers*.

Secundò, damnata est Apollinaris Hæresis in Romana Synodo, anno circiter Christi 373. Damaso præside, qui in Apollinarem, ejusque primarium discipulum Timotheum, depositionis sententiam tulit, & utriusque dogma confixit. Extat ea de re Epistola Damasi ad Orientales, a Theodoreto descripta lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 10. Hac ex Epistola colligere licet, Orientales Episcopos, secundùm solemnem Ecclesiæ morem, ab Apostolica traditione profectum, referendi ad Romanam Sedem majoribus de Ecclesiæ causis, ad Damasum scripsisse de Timothei erroribus, ut illum damnaret, abdicaretque. Id innuit illius Epistolæ exordium: *Quod vestra charitas*, inquit, *debitam Sedi Apostolicæ reverentiam tribuit, Filii honoratissimi, vobis ipsis quoque maximo sanè honori est. Nam tametsi in Sancta Ecclesia, in qua Sanctus Apostolus sedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula, quæ suscepimus, tractanda sint, nobis primæ partes deferantur: tamen confitemur nos illo dignitatis gradu longè inferiores esse*. Et infrà; *Itaque quid est cur Timothei abdicationem a me cursus requiratis, qui etiam hîc judicio Sedis Apostolicæ, Petro quoque Alexandriæ Episcopo præsente, abdicatus est cum Magistro suo Apollinare?* Sub idem tempus, degebat Antiochiæ Vitalis, alter Apollinaris discipulus, præceptorisque sui ibi disseminabat errores. Ea de causa in crimen vocatus, ad dicendam causam coram Damaso, Romam venit; editaque Fidei Formula, se iniquè de Hæresi accusatum conquestus est. Cùm igitur edito ad nutum Pontificis Libello subscripsisset, ab eo in communionem susceptus est, & exinde ab aliis Episcopis Orthodoxis admissus, & a Gregorio in primis Nazianzeno, qui de communione & familiaritate cum Vitali inita se excusat, in Epistula 2. ad Cledonium, sive Oratione 52. *Ne autem nos*, inquit, *hoc nomine accusent, quòd Vitalis viri nobis charissimi Fidem, quam postulante B. Damaso Romæ Episcopo, literis consignatam edidit, priùs quidem probaverimus, nunc verò repudiemus, de hac quoque re pauca differemus. Isti enim cum apud fidos discipulos suos & arcanorum conscios, quemadmodum Manichæi apud eos quos Electos vocant, de Divinitate disputant, totum morbum ipsis detegentes, vix etiam carnem Salvatori tribuunt. Cùm autem communibus de humanitatis assumptione sententiis, quas Scriptura exhibet, convinci ac premi se vident, pias quidem dictiones confitentur; verùm circa mentem dolum struunt, non quidem anima, aut rationis ac mentis expertem, nec imperfectum hominem confitentes; cæterùm anima, & rationis, ac mentis loco Divinitatem inducentes..... Quoniam igitur eædem voces, si rectè intelligantur, cum pietate conjunctæ sunt: si perperam exponantur, impietate non carent; quid mirum si Vitalis quoque verba, nos quidem ita suadente voluntate, in pium sensum accepimus: alii autem ad eorum, quæ scripta sunt, mentem exasperantur, & inflammantur?*

Damasus Vitalem Apollinaris discipulum in Communionem recepit, ejusque Fidei Libellum probavit: nec tamen favit Apollinaris Hæresi, aut illius Sectatoribus.

Quid denique animadversa fraude Vitalis, quem incautè, & errore facti ad communionem susceperat, Damasus egerit, exponit ibidem S. Gregorius Nazianzenus. *Quod etiam in causa fuisse reor*, inquit, *cur ipse quoque Damasus, cùm postea rectiùs edoctus fuisset, simulque eos in pristinis suis expositionibus perstare audivisset, eos ab Ecclesia cœtu abdicarit, Fideique libellum cum Anathematismo deleverit: tum etiam quòd fraudem eam, in quam per simplicitatem inciderat, permolestè ferret*. Ex quibus colligitur, Damasum Romanum Pontificem, nec Apollinaris errori, nec Apollinaristis favisse, quandiu ipsorum agnovit perfidiam; quamvis ad communionem susceperit Vitalem, Orthodoxiæ larvâ suos errores obtegentem.

Certè Damasum fuisse Apollinaris Hæresi & ejus Sectatoribus infensissimum, & Catholicam adver-

versùs ipsos veritatem strenuè propugnasse, constat insuper ex Theodoreto cap. 10. lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ: *Damasus*, inquit, *vir omni genere laudis florentissimus, simul ut hanc Sectam exortam accepit, non Apollinarem solùm, verùm etiam Timotheum ejus discipulum abdicavit. Quam etiam Episcopis etiam Orientales Ecclesias gubernantibus significavit per literas*, &c.

Idem constat ex Synodo quam Romæ celebravit, ut rem Catholicæ veritatis adversùs Apollinaristas promoveret. Idem probat Libellus Synodicus quem ad Paulinum Antiochenum Episcopum misit, quem refert Theodoretus lib. 5. cap. 11. in quo Anathema impingit Apollinaristis: *Anathema etiam illis adjudicavimus*, inquit, *qui asserunt quòd in carne humana Verbum Dei loco animæ rationis compotis habitavit. Nam idem ipsum Dei verbum, non animæ rationis & mentis compotis loco in corpore, quod sibi sumpserat, obtinuit: sed nostram animam, hoc est, ratione & mente præditam, expertem tamen peccati accepit, servavitque.*

Tertiò, damnata est Apollinaristarum Hæresis in Synodo Antiochena, quæ post novem ab obitu S. Basilii menses habita est, anno scilicet Christi 378. cujus meminit Concilium Constantinopolitanum anno Christi 382. celebratum, in Epistola Synodica: in quâ, ubi Fidei rationem in Oecumenico superioris anni Concilio constitutam exposuerunt Patres, hæc subjungunt: *Atque ista de Fide liberè a nobis ingenueque prædicata, summatim discernimus: de quibus pleniorem delectationem animis poteritis percipere, si libellum in Concilio Antiochiæ convocato, de Fidei decisione editum, & eum etiam qui superiore anno in Constantinopolitano Concilio Generali compositus est, legere placuerit: in quibus tum Fidem nostram uberiùs exposuimus, tum Hæresibus nuper excogitatis Anathema scriptis prodeuntibus denuntiavimus.*

Denique illa Hæresis damnata est in Concilio Oecumenico II. Constantinopolitano 1. ut constat ex eâdem Epistola Synodica, quæ his eam verbis perstringit: *Nos præterea Doctrinam Dominicæ Incarnationis integram & perfectam tenemus; neque dispensationem carnis Christi, vel animæ, vel mentis expertem, vel imperfectam esse asserimus; sed agnoscimus Verbum Dei ante sæcula, omninò perfectum hominem in novissimis diebus, pro nostra salute factum esse.*

§. II.

Quinam Apollinaristarum errores scriptis suis impugnarint.

CAtholicam de Verbi Divini Incarnatione adversùs Apollinaristas sententiam propugnaverunt S. Athanasius in Epistola ad Epictetum Corinthi Episcopum, in libro de Incarnatione Christi, & in altero de Salvatoris Christi Adventu, contra Apollinarium; & in Sermone contrà omnes Hæreses; S. Gregorius Nazianzenus in Epistola ad Nectarium, sive Oratione 46. & in duabus Epistolis ad Cledonium Presbyterum, quæ sunt Orationes 51. & 52. & S. Gregorius Nyssenus, lib. contra Apollinarem ad Theophilum Episcopum Alexandrinum: S. Epiphanius Hæresi 77. Theodoretus lib. 5. Hæreticarum Fabularum cap. 13. & in Dialogo 3. qui inscribitur *Impatibilis*; in quo & ipsius Apollinarii testimoniis locupletissimis probat Verbum Divinum passioni obnoxium non esse *: ex quibus magis confirmatur quod supra asseruimus, non Apollinarem ipsum, sed ejus discipulos, Verbum Divinum patibile asseruisse. Contra eandem Hæresim pugnarunt S. Ambrosius in libro de Dominicæ Incarnationis Mysterio, cap. 4. & 6. & Epistola 63. ad Sabinum data; & S. Fulgentius lib. 1. ad Trasamundum a cap. 8. ad 19.

* *Theodoret. Dial. 3. pag. 170.*

ARTICULUS XV.

De Aërianis.

AErius qui Sectæ nomen dedit, ex Arianorum Secta prodierat, Eustathii Sebasteni sodalis, deinde æmulus. Ab ipso Presbyter creatus, & Xenodochio præfectus est. Episcopum deinde suum ferre præ invidia non valens, ipsiusque famam procacibus appetens calumniis, ingenti ab Ecclesia plebis abstracta multitudine, Sectam condidit. Ipsius errores S. Epiphanius recenset Hæresi 75. quorum expositio, Calvinianorum damnatio est.

Capitalis porrò Aërii error fuit, quòd Presbyteros Episcopis æquaret. *Est illius dogma*, [inquit S. Epiphanius] *supra hominis captum furiosum & immane. Imprimis enim: Quænam*, inquit, *in re Presbytero Episcopus antecellit; Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo, par & idem honor, ac dignitas. Manus imponit Episcopus, imponit & Presbyter: baptizat Episcopus, idem facit & Presbyter: Divinum omnem cultum administrat Episcopus; non minùs id facit & Presbyter. Episcopus in Throno sedet, sedet & Presbyter.* Hunc errorem in Puritanis redivivum Dissertatione singulari adversùs Blondellum confutavimus.

II. Orationes pro defunctis, & bona pro illis suscepta opera damnabat Aërius. *Pergit deinde*; [ait S. Epiphanius] *Et quæ ratio est*, inquit, *post obitum mortuorum appellare nomina? Nam ut vivus oret, aut in pauperes bona sua dispenset; quid ex ea re tandem ad mortuum redit? Quod si superstitum preces iis, qui ex hac vita discesserint, opitulari possunt; nemo piè deinceps agat aliquid, neque boni quidquam faciat: Sed amicos sibi aliquos, quacumque ratione velit, adjungat: sive pecuniarum largitione, sive precibus hoc ab illis sub vitæ finem impetret, ut pro se Deum exorent, ut ne illic aliquid incommodi patiatur, nec immanium a se facinorum pœna repetantur.* Hæc impius Aërius.

III. Stata jejunia, & in Ecclesia observari ab omnibus Christianis solita, damnabat. *Sed neque jejunii*, inquiebat, *instituendi ulla ratio est. Hæc enim omnia Judæorum propria sunt, & cuidam servitutis jugo subjecta. Quippe justo nulla lex posita est: Sed parricidis ac matricidis duntaxat, & id genus aliis. * Nam si jejunare omninò decreverim, quacumque libuerit die, sponte & integra libertate jejunabo.* Haec Aërius. (Ex S. Epiphanio.) *1. Timoth. c. 1.*

Hinc Aëriani Dominica die jejunare potiùs affectabant: quarta verò, sextâque feria, epulabantur. Diebus verò antepaschalibus: quod tempus humi cubando, castimoniam servando, affligendoque corpore, necnon & aridorum ciborum usu, vigiliis, jejuniis ac reliquis id genus saluberrimis corporis cruciatibus, solebant celebrare Catholici: illi e contrario, summo diluculo epulabantur, & solida die genio indulgebant, illos irridentes qui antepaschalem illam hebdomadam religiosis illis traducebant operibus (Ex S. Epiphanio.)

IV. Celebritatem Paschatis tollere conabatur Aërius: *Quid est*, inquit, *Pascha, quod a vobis celebratur! Nimirum ad Judæorum adhuc fabulas adhærescitis: neque enim Paschatis solemnitas obeunda: quoniam Pascha nostrum immolatus est Christus.* Sic loquitur apud S. Epiphanium, loco laudato.

V. Re-

V. Rerum omnium renuntiationem prædicabat Aërius. (Ex eodem.) S. Epiphanii temporibus bie Hæresiarcha magna humani generis calamitate supererat, ut ipse testatur in Indiculo libri 3. De ejusdem erroribus lege S. Augustinum lib. de Hæresibns ad Quodvultdeum. Lege illius Hæresis confutationem apud S. Epiphanium.

ARTICULUS XVI.

De Messalianis, sive Euchitis.

Messalianorum Hæresis, Constantii Imperatoris temporibus emersit. Hi fuere ipsorum errores.

I. Baptisma nihil suscipientibus prodesse asserebant. Novaculæ namque instar ipsum præcedentia peccata auferre contendebant; peccatorum verò radices stirpitus non exscindere. Perpetuam verò orationem & peccati radicem funditus evellere, & malum dæmonem, in unumquemque, in nativitate transfusum, ab anima expellere.

II. Nullum opus aggrediebantur, nullam artem exercebant, nulli vacabant labori, spiritalium hominum sibi nomen arrogantes: Sed ubi orationem, a qua Euchitæ, id est, precantes sunt nuncupati, absolvissent, maxima diei parte somno indulgebant.

III. Divinis revelationibus se illustratos, & futurorum eventuum afflatam sibi cœlitus notitiam jactitabant; quin etiam se Patrem & Filium & Spiritum Sanctom corporeis oculis videre, Spiritusque adventum sensu percipere.

IV. Nullum apud illos erat jejunium; Sed orationem pro quovis bono opere sufficere arbitrabantur.

V. Hujus Sectæ viri & mulieres promiscuè dormiebant in spatiosissimis vicis æstivo tempore; quòd se quidquam in terra possidere negarent. Huc porrò & illuc oberrantes, manus ad stipem porrigebant. Ista constant ex S. Epiphanio Hæresi 80. & ex Theodoreto lib. 4. Hæreticarum Fabularum cap. 11. ubi addit ipsos ridicula quædam perpetrasse, scilicet in saltus erupisse repentinos, & digitis jaculantium speciem præ se tulisse: se in dæmones jaculari, & super eos saltare jactitantes. Hincque illis Enthusiastarum nomen impositum. Hujus Sectæ principes fuerunt Dadoes, & Sabbas, & Adelphius, cum Herma & Simeone, & aliis pluribus; qui se ab Ecclesiastica quidem communione neutiquam separaverunt: nec prodesse quidquam, nec nocere dicentes Divinam escam de qua Christus ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, vivet in æternum.* Ita refert Theodoretus lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 11.

Suos negabant errores Messaliani, Anathema etiam illis impingentes, qui hæc dogmata tuerentur. Unde necesse fuit ut arte & industriâ, imò nonnulla simulatione Flavianus Antiochenus Episcopus uteretur, ut ab Adelphio illorum Duce arcana Sectæ dogmata disceret; de quibus certior factus eos ab Orientis finibus expulit, teste Theodoreto, ibidem. Damnata est Messalianorum Hæresis in Synodo Sydæ congregata anno Christi circiter 383. Præfuit huic Synodo Amphilochius Iconii Episcopus: Synodica Epistola conscripta est ad Flavianum Antiochenum, qui & aliam contra eosdem Hæreticos Synodum habuit. Hujus Concilii meminit Photius in Bibliotheca Cod. 52. Scripsit adversus illos Epistolas & Letoius Melitensis Episcopus, teste Theodoreto. Hanc Hæresim ex quorumdam Christianorum imperitia manasse notat S. Epiphanius, qui cùm rectè alioqui de Fide sentirent, vitæ ex Christi Domini præscripto instituendæ modum non intellexerunt: Sed eos qui Christianæ perfectioni studerent, abdicatis facultatibus, & relicto sæculo, sentiebant manuum opere non teneri. Hos refellit S. Epiphanius, tum verbis Apostoli ad Thessalonicenses 3. *Qui non laborat, non manducet*: tum Ægyptiorum exemplo Monachorum, qui universam penè Scripturam ore pronuntiant; impigrè ac strenuè orando, aut Psalmos modulando pervigilant; solennes de more conventus obeunt; statas horas, & alternis spatiis continuò descriptas, perpetuis ad Deum fundendis precibus transigunt; cùm interea propriis manibus, adjuncta spiritali exercitatione, opus instituant: ne aut inopiâ laborent, aut parasitorum instar divitum mensas frequentare cogantur, & ita veritatem obruere, non reprehendendo eos, qui per injuriam pauperum sunt locupletati. Ipsos etiam refellit S. Epiphanius exemplo Sanctissimorum quorundam Sacerdotum, qui S. Paulum imitati, ad susceptam Divini Verbi prædicationem, externa manuum opera adjungebant, easque exercebant artes, quæ nec ab eorum dignitate, nec ab Ecclesiæ cura abhorrerent; quos tamen nulla ad id necessitate coactos, nulla obstrictos lege, S. Epiphanius agnoscit: siquidem functionibus Ecclesiasticis occupati, a populo ali debent, secundum oracula Divina: Matthæi 10. *Dignus est enim operarius mercede sua*: & 1. ad Corinthios 9. *Quis gregem pascit, & illius lacte non alitur? quis plantat vineam, & de ejus fructu non vescitur?*

ARTICULUS XVII.

De Priscillianistis, & de Cæsaraugustana Synodo adversùs ipsos celebratâ.

Cæsaraugusta, *Hispanis* Caragoca; *Gallis* Saragoce, *Hispaniæ civitas, ad Iberum flumen, regni Aragonici caput.*

Gnosticorum lues ex Ægypto in Hispanias pervadens, Priscillianum virum nobilem, prædivitem, ingenio, facundiâ, disserendi arte conspicuum, infecit. Is multos nobilium, pluresque plebejos sibi adjungens, necnon & mulierum ad se confluentium catervam; singularem Sectam instituit: quam Instantius & Salvianus Episcopi Hispani, non solùm consensione, sed etiam conjuratione quadam susceperunt. (Ex Sulpitio Severo lib. 2. Historiæ Sacræ.) Ad eandem Sectam defecerunt Symposius & Dictinius Episcopi.

Priscilliani errores.

Priscillianistis errores fuere, partim cum Manichæis communes, partim proprii. Primò, unam esse Patris, & Filii, & Spiritus Sancti personam cum Sabellio asserebant. 2. Quasdam virtutes ex Deo procedere prædicabant, quas habere cœperit, & quas essentiâ suâ ipse præcesserit; in quo Arianorum errori suffragabantur. 3. Ideò Unigenitum dici Filium Dei contendebant, quia solus sit natus ex Virgine. Unde vel principium de matre Christo dabant, cum Paulo Samosateno & Photino: vel non unum esse Filium Dei credebant, sed alios quoque ex summo Patre genitos, quorum hic unus sit natus ex fœmina, qui ob hoc appelletur Unigenitus, quia hanc nascendi conditionem alius Filiorum Dei nemo susceperit. 4. Animam Hominis Divinæ asserebant esse substantiæ; nec a Natura Creatoris sui, conditionis nostræ distare Naturam. 5. Asserebant animas, quæ humanis corporibus inseruntur, olim in cælis peccasse, ob idque a sublimioribus ad inferiora delapsas, in diversæ qualitatis principes incidisse, & per aëreas ac sydereas potestates, alias duriores, alias mitiores, corporibus

esse

esse inclusas, sorte diversa & conditione dissimili; ut quicquid in hac vita variè & inæqualiter provenit, ex præcedentibus causis videatur accidere. 6. Fatalibus stellis, & animas hominum, & corpora opinabantur adstringi. 7. Sub aliis potestatibus partes animæ, sub aliis corporis membra describebant, & qualitates interiorum Præsulum, id est, Virtutum quas animam regere fingebant, in Patriarcharum statuebant nominibus; quibus e regione signa opponebant corporea, quorum virtuti corpora subjicerentur. Addebant corporis humani partes, 12. cæli signis respondere, & secundùm ipsa compositas esse, constituentes in capite Arietem, Taurum in cervice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, &c. 8. Diabolum numquam fuisse bonum docebant, neque naturam ejus opificium esse Dei; sed eum ex tenebris & chao emersisse: quia scilicet nullum sui habeat auctorem, sed omnis mali ipse sit principium atque substantia.

Nonò. Damnabant nuptias Priscillianistæ, & generationem perhorrescebant; conjugalem copulam ideò detestati, quia non est illic libertas turpitudinis, ubi & pudor matrimonii servatur, & spes sobolis. Decimò, plasmationem humanorum corporum, diaboli dicebant esse figmentum; & semina conceptionum, dæmonum operâ in mulierum uteris figurari: & propterea resurrectionem carnis non esse credendam, quia concreatio corporis non sit congruens animæ dignitati. Hinc filios promissionis ex mulieribus quidem natos, sed ex Spiritu Sancto dicebant esse conceptos. Has ob causas, Priscillianus conjugia dissolvebat, virosque a nolentibus fœminis, fœminas a nolentibus viris separabat. Adoptivis verò fœminis Priscillianistæ cohabitabant: etiam Clerici & Monachi, ex instituto Sectæ, ut constat ex Concilio Bracarensi 2. cap. 15. Undecimò, carnes, tanquam immundas escas Priscillianistæ rejiciebant. Duodecimò, diem Dominicum, & diem Natalem Christi, jejunio funestabant, Decimotertiò, Scripturas apocryphas obtendebant, quibus commenta sua confirmarent. Ista constant ex S. Augustino lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum, cap. 70. ex Commonitorio Orosii ad S. Augustinum dato; ex lib. ejusdem S. Augustini contra Priscillianistas & Origenistas; ex Epistola S. Leonis 93. ad Turribium datâ. Lege S. Hieronymum in cap. 40. Danielis, & in Epistola ad Ctesiphontem contra Pelagianos, ubi & Priscillianum vocat *Partem Manichæi*, & asserit eum habere *Partem Gnosticæ Hæreseos de Basilidis impietate venientem; & totius orbis auctoritate damnatum* ait. Legendum est & Chronicon Idacii, Olympiade 291.

Decimoquartò, licitum esse mendacium Priscillianus asseruit etiam perjurio junctum: quo permotus errore S. Augustinus, librum contra Mendacium, ut eum confutaret, conscripsit, ut constat ex ipso S. Augustino eo in libro, & lib. 2. Retractationum cap. 60. Addit in lib. de Hæresibus, Priscillianistis, ad turpitudines suas occultandas, familiare fuisse hoc dogma:

Jura, perjura, secretum prodere noli.

Obscœnam fuisse Priscillianistarum vitam, testis est S. Hieronymus in Epistola adversùs Pelagium, ad Ctesiphontem: ubi solos, cum solis mulieribus claudi solitos narrat, & carmina illa inter amplexus canere:

Tum Pater omnipotens, fœcundis imbribus æther,
Conjugis in gremium latè descendit; & omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, fœtus.

Priscilliani Hæresis in Concilio Cùm Priscilliana lues per Hispanias grassaretur, & Instantium, Salvianumque Episcopos jam infecisset, Adiginus Cordubensis Episcopus ad Idacium emeritæ ætatis Antistitem rem eam retulit. Is verò sine modo, & ultra quam oportuit, Instantium sociosque ejus lacessens, facem quamdam nascenti incendio subdidit: ut exasperaverit malos, potiùs quàm compresserit. Post multa inter eos certamina, Synodus Cæsaraugustæ congregata est, cui etiam Aquitaniæ Episcopi interfuerunt. Verùm Hæretici committere se judicio non sunt ausi. In absentes lata sententia est, damnatique sunt Instantius & Salvianus Episcopi, Elpidius & Priscillianus Laici. Vetitum etiam est, ne quis eos in communionem susciperet, nisi eandem pœnam vellet experiri. Ithacio Sossubensi Episcopo negotium datum, ut Decretum Episcoporum in omnium notitiam deferret. Habita est Cæsaraugustana illa Synodus anno Christi circiter 380. *Cæsaraugustano damnata.*

Octo in ea editi sunt Canones. Primus Catholicis mulieribus prohibet, ne virorum alienorum cœtus frequentent, & lectiones audiant: & ne aliæ ad ipsas, legendi sibi munus arrogantes, studio docendi conveniant, vel discendi. *Cæsaraugustani Concilii Canones.* Quem Canonem Patres ediderunt, ad avertendum periculum seductionis a Catholicis mulieribus. Plurimas quippe Priscillianus Hæresi sua infecerat. Secundus Canon, jejunium die Dominica vetat, eos damnat qui ab Ecclesiis, tempore Quadragesimali abessent, & clandestinos conventus agitarent; quæ Priscillianistarum vitia etiam erant. Tertius ferit Anathemate eos, qui Eucharistiam in Ecclesia acceptam non consumpserint: quod flagitium, ut se occultarent, Hæretici illi perpetrabant. Quartus, Anathema impingit illis, qui tribus hebdomadibus Epiphaniam Domini antecedentibus, ab Ecclesia abfuerint, in domibus delituerint, aut nudis pedibus incesserint. Quod pariter contra Priscillianistas decretum est, qui festum Nativitatis Dominicæ non celebrabant, & dies illos transigebant in mœrore, quos Ecclesia spiritalis cum effusione gaudii celebrat. Quintus Canon cavet ne ab aliis Episcopis recipiantur, qui sui Episcopi sententiâ fuerint a communione separati. Sextus, contra eosdem Priscillianistas, qui sanctimoniæ larvam in habitu Monastico simili, præ se ferebant, decernit Clericum, qui propter luxum vanitatemque præsumptam, gradum suum sponte reliquerit, ac velut observatorem legis, Monachum videri voluerit esse, magis quàm Clericum, esse repellendum ab Ecclesia. Canon septimus prohibet, ne quis Doctoris nomen usurpet ac munus, cui concessum non est ab Episcopis. Quo decreto Priscillianistarum coercetur temeritas, qui docendi munus Laicis, & mulieribus suæ Sectæ deferebant. Canon denique octavus, velari Virgines vetat ab Episcopis infra ætatem quadraginta annorum.

Hæretici, Gratiani Imp. edicto restituti: postea capite damnati a Maximo. Interim Instantius & Salvianus damnati judicio Sacerdotum, Priscillianum unà secum in Cæsaraugustana Synodo damnatum, in Labilensi oppido Episcopum constituerunt, rati se fore tutiores, si hominem acrem & callidum Sacerdotali auctoritate armassent. Tum Idacius & Ithacius Rescriptum a Gratiano obtinuerunt, quo universi Hæretici Ecclesiis & urbibus pellebantur. Tum Instantius, Salvianus & Priscillianus Romam profecti, ut apud Damasum Pontificem se purgarent, & ut in ejus adrepèrent communionem; ne in conspectum quidem ipsius sunt admissi. Regressi Mediolanum; æquè rejecti sunt a S. Ambrosio. Hinc aditum sibi ad Imperatorem, per Macedonium Magistrum Officiorum, quem pecunia corruptum suis partibus devinxerant, aperuere. Hujus beneficio rescriptum obtinuerunt a Principe, quo missis in irritum prioribus Decretis, restitui Ecclesiis jubebantur. Hoc freti Instantius & Priscillianus, repetivere Hispanias, Ecclesias quibus præfuerant invaserunt: Itha- *Salvianus Romæ obierat.*

cium

cium velut Ecclesiæ perturbatorem ad judices detulerunt. Trepidus hic profugit in Gallias: ubi Gregorium Præfectum adiit. Huic Macedonii officiorum Magistri artibus, erepta cognitio est, & Hispaniarum Vicario demandata: Missi Officiales, qui Ithacium ad Hispanias pertraherent. Evasit ille, & paulò post ad Maximum, qui Imperium in Occidente usurpaverat, libellum contra Priscillianum, ejusque sectatores detulit. Hæreticos ad Synodum Burdigalæ convocatam adduci jussit Maximus. Ibi convictus Instantius, a Patribus exauctoratus est anno Christi 385. Priscillianus verò Episcopale judicium declinans, ad Principem provocavit. Exinde omnes Hæretici ad Imperatorem deducti: secuti accusatores, Idacius & Ithacius: caussæ cognitio ab Imperatore demandata est Evodio Præfecto. Qui Priscillianum gemino judicio auditum, convictumque maleficii, nec diffitentem obscœnis se studuisse doctrinis, nocturnos etiam turpium fœminarum egisse conventus, nudumque orare solitum, nocentem pronuntiavit, redegitque in custodiam, donec ad Principem referret. Gestis ad Aulam delatis, censuit Imperator, Priscillianum, eiusque socios capite plectendos. Ista constant ex Severo Sulpitio lib. 2. Historiæ Sacræ, versus finem.

Idacius & Ithacius vituperati quòd causam Priscilliani ad saecularia tribunalia detulissent.

Quæres, utrùm Idacius & Ithacius laudem, an vituperium, ex Hæreticorum ad sæculares Judices delatione meruerint; & utrùm Ecclesia extremo supplicio damnari Hæreticos probaverit?

Respondeo, Idacium & Ithacium meritò Episcopis fuisse invisos, quòd apud Imperatorem & sæculares Magistratus, actores fuissent in Priscilliani sociorumque caussa: nec probasse Ecclesiam judicium Maximi Hæreticos capite damnantis. Probatur ex Sulpitio Severo, lib. 2. Historiæ Sacræ. *Omnes*, inquit, *quos causa involverat, ad Regem deducti. Secuti etiam accusatores, Idacius & Ithacius Episcopi: quorum studium in expugnandis Hæreticis non reprehenderem, si non studio vincendi, plusquam oportuit, certassent. Ac mea quidem sententia est mihi tam reos quàm accusatores displicere. Certè Ithacium nihil pensi, nihil sancti habuisse definio: fuit enim audax, loquax, impudens, sumptuosus, ventri & gulæ plurimùm impertiens. Hic stultitia eò usque processerat, ut omnes etiam Sanctos Viros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat certare jejuniis, tanquam Priscilliani socios, aut Discipulos, in crimen accerseret. Ausus etiam miser est, eâ tempestate Martino Episcopo, viro planè Apostolis conferendo, palam objectare Hæresis infamiam. Namque tum Martinus apud Treveros constitutus, non desinebat increpare Ithacium, ut ab accusatione desisteret: Maximum orare, ut a sanguine infelicium abstineret: satis superque sufficere, ut Episcopali sententiâ Hæretici judicati, Ecclesiis pellerentur: Novum esse & inauditum nefas, ut causam Ecclesiæ judex sæculi judicaret. Denique, quoadusque Martinus Treveris fuit, dilata cognitio est, & mox discessurus, egregiâ auctoritate a Maximo elicuit sponsionem, nihil cruentum in reos constituendum; sed postea Imperator per Magnum & Rufum Episcopos depravatus, & a mitioribus consiliis deflexus, causam Præfecto Evodio permisit, viro acri & severo.*

Cùm porrò Priscillianus, unà cum discipulorum suorum primariis, capite plexus fuisset, Theognostus Episcopus Ithacium palam damnavit, quòd actor in causa sanguinis extitisset, ac præter Ecclesiæ mores, legesque mansuetudinis Christianæ, cujus exemplum imprimis præbere debent Episcopi, Hæreticorum necem procurasset. Antistitum pars sanior Ithacii communionem propterea vitavit: alii metu Maximi Imperatoris, qui ipsi favebat, ipsum in Concilio Trevirensi anno Christi 386. absolverunt & communione donarunt, teste Sulpitio Severo Dialogo 3. *De virtutibus, & miraculis S. Martini*. Cum illius Synodi Episcopis, & cum Ithacio communionem inire primùm recusavit S. Martinus, sed cessit tandem, eorumque se communioni adjunxit, ut Imperatorem a mittendis in Hispanias Tribunis & Lictoribus, qui in Hæreticos omnes inquirerent, & animadverterent, avocaret. Prævidebat quippe Sanctissimus Antistes, multos Catholicos cum Hæreticis morti addicendos, ut eorum bona fisco vendicarentur. *Solis enim tunc judicabatur oculis* (ut notat Severus Sulpitius) *cùm quis pallore potiùs, aut veste, quàm fide, Hæreticus judicaretur.* Verùm Martini, & aliorum, qui crudelis Ithacii a communione abhorrebant, saniora fuisse priora consilia, ex eo colligere est, quòd cùm Martinus de initâ, vel ad horam, cum Ithacio, & ejus partium Episcopis communione ingemisceret, statim ipsi conspicuum se præbuit Angelus, his eum verbis compellans: *Meritò Martine compungeris, sed aliter exire nequisti. Repara virtutem, resume constantiam, ne jam non periculum gloriæ, sed salutis incurreris. Itaque ab illo tempore satis cavit cum illa Ithacianæ partis communione misceri. Ceterùm cùm quosdam ex energumenis tardiùs quàm solebat, & gratia minore curaret, subinde cum lachrymis fatebatur; se propter communionis illius malum, cui se vel puncto temporis necessitate, non spiritu miscuisset, detrimentum sentire virtutis.* Ex quibus colligitur, Idacium, & Ithacium, vituperium & damnationem potiùs quàm laudem fuisse promeritos, deferendo causam Priscilliani & Sectatorum ejus ad Imperatorem, sæcularesque Magistratus, & eam ad sententiam usque capitis promovendo.

Nullo autem rei Christianæ bono morte mulctatum fuisse Priscillianum, eiusque socios, testatur, qui tunc vivebat Sulpitius Severus, lib. 2. Historiæ Sacræ. *Ceterùm*, inquit, *Priscilliano occiso, non solùm non repressa est Hæresis, quæ illo auctore proruperat; sed confirmata latiùs propagata est. Namque sectatores ejus, qui eum priùs ut Sanctum honoraverant, postea ut martyrem colere cœperunt. Peremptorum corpora ad Hispanias relata, magnisque obsequiis celebrata eorum funera. Quin & jurare per Priscillianum, summa religio putabatur.* Ex hoc tamen singulari facto ne inferas; Principes, & sæculares Magistratus, in Hæreticos, etiam pœnâ capitis, animadvertere non posse. Possunt planè; & id cum laude faciunt, quando eorum punitio ex Ecclesiæ & Reipublicæ bono est. Nec ullus Episcoporum dixit, Principem, ac Præfectos, Priscillianum, & Instantium morti addicere non potuisse.

§. II.

De aliis Conciliis contra Priscillianistas celebratis.

PRæter Cæsaraugustanam Synodum, contra Priscillianistas celebratæ sunt, Toletana prima ante annum 400. & altera Toletana, quæ prima inscribitur, anno ipso 400. ex cujus definitiva sententia colligitur, Symposium & Dictinium Priscillianistas, priùs indictum in Toletana urbe Concilium declinasse. Ob quam Ecclesiastici judicii fugam, damnati sunt. Sed postmodum, agente S. Ambrosio Mediolanensi Episcopo, aditus Ecclesiæ apertus ipsis est; cùm eo præsente & audiente, sibi ipsi certas pacis conditiones imposuissent; inter quas hæc una erat, ut *Dictinius, bono pacis, locum teneret Presbyterii, non acciperet honoris augmentum:* Altera verò, ut quod perperam egerant, ipsi damnarent. Conditiones non im-

impleverunt contumaces Hæretici, nam Dictinium Symposius Asturicensem Episcopum ordinavit. Tandem Concilio Toletano se repræsentarunt, anno 400. in quo & pravos omnes sensus abjecere, & ultro Priscillianum cum scriptis ejus damnavere. Cujus Concilii indulgentiâ, uterque sedi suæ restitutus est; suspensâ tamen communione, priùs eis non impertiendâ, quàm in Romani & Mediolanensis Pontificum communionem recepti, per illorum literas probarentur; *Inde expectantes communionem, unde priùs spem futuræ pacis acceperant.* Interim sacrarum Ordinationum celebratione ipsis interdictum est.

Geminus Dictinii Priscillianistæ Episcopi lapsus.

Difficultatem parit non levem, quod in Concilii Toletani 1. sententia legitur; Dictinio, post ejuratam Priscilliani Hæresim, sedem suam esse servatam. Id nempè cum Idacii Chronico pugnat, in quo hæc habentur: *Dictinius Asturicensis Episcopus, cui ob Priscilliani Hæresim, quam profitebatur, ejecto cum aliis ejusdem Sectæ Episcopis, successit Turribius.* Si enim sede sua ejectus est Dictinius, & ejus loco successit statim Turribius, quâ ratione Asturicensem Cathedram recipere potuit in Concilio Toletano anni 400.? Hæc utcumque conciliari possunt, duos Dictinii lapsus distinguendo. A primo lapsu resurgens Dictinius, ex indulgentiâ Toletani Concilii Primi, sedem suam recepit. Idem verò post aliquot annos relapsus, atque ex Episcopatu canonicâ sententiâ dejectus, Turribio locum cessit. Geminum Dictinii lapsum firmat conjectura ex his Professionis ipsius verbis petita: *In priori comprehensione mea, in principiis conversionis meæ, quæcumque conscripsi.* Inde etiam forsitan descendit, quod in excerpto Sententiæ, tantùm, *penè lapsus*, dicitur *Dictinius*: & in excerpto Professionis Fidei, semet ipse errores accusat, præsumptionem suam arguit, corrigi se postulat, ea quæ scripserat Anathemate percellit. Denique Dictinium post lapsum, conversum esse, constat ex Concilio Bracarensi II. Canone 17. ubi Anathemate percelluntur, *Qui legunt Tractatus a Dictinio, antequam converteretur, conscriptos.* Cùm igitur aliunde constet ex Idatio, Dictinium Episcopatu exutum esse ob professam Priscilliani Hæresim, eique Turribium successisse, & duo simul Episcopi in eadem sede esse non possint, vel duos Dictinii lapsus distinguere necesse est, & asserere, post primum lapsum, nedum ipsi datum esse successorem; aut illum post conversionem in Episcopatum non fuisse restitutum. Vel dicendum, hæc exemplaria Professionis resipiscentium Episcoporum, & definitivæ Concilii Toletani sententiæ, interpolata fuisse, vel supposita. Certè suppositionis ingerit suspicionem, quòd Symposius & Dictinius, in ipsa Professione quâ Hæresim abdicant, *Sanctæ memoriæ Episcopi appellentur.* Secundò, quòd illæ Fidei Professiones totæ sint ad fraudem compositæ. Damnat Dictinius in scriptis suis *omnia quæ inveniuntur contra fidem*; quæ restrictio vafritiem Hæreticam redolet. Symposius pariter non omnes Priscilliani libros respuit & damnat, sed eos tantùm, *Ubi innascibilem Filium scripsisse dicitur*: ubi & illud *dicitur*, & sola *Innascibilis* mentio, subdolam Hominis mentem, & in Hæresi pertinaciam arguit; sicut & illa verba, quæ in posteriori Professionis parte leguntur: *Si quos malè condidit libros, cum ipso Auctore condemno.* Tertiò, definitivæ sententiæ excerptum ita utriusque illius Episcopi culpam minuit, ut vix eos in errorem lapsos fuisse dixeris. *Symposium*, inquiunt Patres, *deceptum, tentatumque per plurimos, secùs aliqua gessisse reperimus, nullis libris apocryphis, aut novis scientiis, quas Priscillianus composuerat, involutum: Dictinium Epistolis aliquantis penè lapsum.* At longè gravioribus verbis de Dictinio loquitur Idatius coævus Auctor: atrisque longè magis ac horrendis coloribus ejus Hæresim atque impietatem describit. Porrò non est verisimile Toletanos Patres, de Hæretico, qui Tractatus pestilentissimos in defensionem Priscillianicorum errorum scripserat, atque vulgaverat, tam jejunè locutos fuisse: eumque verbis ambiguis & subdolis errores suæ sectæ ejurantem, uti & Symposium, in sedem è qua fuerat ob Hæresim dejectus, restituisse. Denique hæc exemplaria sive Professionum Fidei a Symposio & Dictinio editarum, sive diffinitivæ sententiæ in eorum causâ latæ, absunt a Codicibus MSS. Concilii Toletani melioris notæ. Has conjecturas Quenellio debemus, in Observationibus ad Epistolam S. Leonis ad Turribium.

Exemplaria Professionum Fidei a Symposio & Dictinio editarum & diffinitivæ sententiæ in eorum causa latæ a patribus Toletani Concilii, veniunt in suspicionem suppositionis.

Celebratæ sunt insuper contrà Priscillianistas Synodi duæ in Hispania, S. Leonis temporibus, una ab Episcopis Galliciæ, Idacio Lucensi Episcopo, & Ceponio Bracarensi, Metropolitanis, convocationem ex mandato S. Leonis urgentibus, eidemque præsidentibus. Altera Synodus habita est ab Episcopis quatuor Provinciarum, scilicet Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitanæ, & Bæticæ. Utriusque meminit Concilii Lucretius Bracarensis Episcopus in Concilio Bracarensi 2. anno Christi 569. *Credo*, inquit, *vestræ Beatitudinis Fraternitatem nosse, quia eo tempore, quò in his regionibus nefandissima Priscilliane Sectæ venena serpebant, Beatissimus Papa urbis Romæ Leo, qui quadragesimus ferè extitit Apostoli Petri successor, per Turribium Notarium Sedis suæ, ad Synodum Galliciæ contra impiam Priscilliani Sectam scripta sua direxit. Cujus etiam præcepto Tarraconenses, & Carthaginenses Episcopi, Lusitani quoque, & Bætici, facto inter se Concilio, regulam Fidei contra Priscillianam Hæresim, cum aliquibus capitulis conscribentes, ad Balconium tunc hujus Bracarensis Ecclesiæ Præsulem direxerunt.* Hæc Fidei regula in Synodo quatuor Provinciarum edita, malè assuta est Concilio Toletano 1. a Conciliorum Editoribus, sicut & octodecim Anathematismi eidem regulæ subjecti, quibus Priscilliani errores confodiuntur.

Priscillianistas denique damnavit Concilium Bracarense 2. anno Domini 569. celebratum, in quo capitula 17. contra prava Priscillianistarum dogmata, sub Anathematis pœna, populis Christianis credenda proposuerunt Patres: quæ mutuati sunt ex Epistola S. Leonis ad Turribium. Decimumsextum ostendit, morem fuisse Priscillianistarum, Feriam V. in Cœna Domini cæremoniis sacrilegis polluere. Sic enim habet: *Si quis V. Feria Paschali, quæ est Cœna Domini, hora legitima, post Nonam jejunus in Ecclesia Missas non tenet, sed secundùm Sectam Priscilliani, festivitatem ipsius diei, ab hora tertia, per Missas defunctorum, soluto jejunio colit, Anathema sit.*

SCHOLION.

In istius Articuli Paragrapho 1. pag. 275. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Nullus Catholicorum dixit, Imperatores & Reges non posse in Hæreticum etiam pœnâ capitis animadvertere.*

R. Non scripsi, *Nullus Catholicorum*, sed *Nullus Episcoporum*: Ubi enim de *Priscilliani* & sociorum ejus supplicio egi, exposuique quàm invisi fuerint Episcopis *Idacius & Ithacius*, qui causam eorum ad sæculares Magistratus detulerant, & ad sententiam usque capitis promoverant: Quia prospexi Hæreticos hac *Historia* & facto abuti posse, tum contra Sanctæ Inquisitionis Officium, quod pertinaces Hæreticos Sæcularibus Magistratibus

tibus tradit seu relinquit extremo supplicio puniendos; tum contra Principes ac Magistratus ipsos, qui suo jure in illoa pœnâ etiam capitis animadvertunt, ut in *Petrum de Bruis*, *Joannem Hus*, & alios subjunxi: *Ex hoc tamen singulari facto ne inferas, Principes & saculares Magistratus in Hareticos, etiam pœnâ capitis animadvertere non posse. Possunt planè ..... Nec ullas Episcoporum dixit Principem ac Prafectos morti addicere non potuisse Priscillianum & Indantiam*. Noverant scilicet quòd Princeps & Magistratus *Non sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malè agit*, ut docet Apostolus, ad *Romanos* 13. Ad Divinum istud Oraculum si attendissent Religiosi Censores(ut de S. *Augustini* Doctrina, & Legibus Christianorum Principum nihil dicam impræsentiarum) hanc meam propositionem non reprehendissent.

Nota.

NOn solùm plura facta suadent etiam laicos principes in hæreticos animadvertisse, sed etiam ipsæ leges, nempe *l. 1. §. 1. C. de Sum. Trinit. l. quicumque §. fin. C. de heret. &c.* Modò canones ea jura correxisse, ac ad solum ecclesiæ tribunal causaa hæresis, sive juria sint, sive facti, pertinere docent Canonistæ *in cap. Ut Inquisit. de haret. in 6. §. prohibemus*. Ideo autem ecclesiam etiam facti quęstionem sibi reservasse observant, quia difficillimum est eamdem a juris quæstione secernere. Non statim e.g. hęresis reus habendus, qui eamdem verbia, vel signis manifestet; cùm id fieri potuerit vel ex ignorantia, vel ex joco, vel dicta aliorum referendo: atque ita factis, quæ sunt juris, quæque solùm ecclesiæ subsunt judicio, immiscentur. Cæterùm non alienum fuisse a potestate principum legibus pœnisque indictis hæreses, sacrilegia &c. amovere, docoit Bellarminus *de Rom. Pont. l. 1. c. 7. in fin.* ubi affirmat Reges *custodes esse debere legum divinarum. sed non interpretes; ipsorum est enim edictis & pœnis impedire blasphemias, hareses, sacrilegia: quæ sint autem hereses, & contra, quæ sit fides orthodoxa ab Episcopis discere debent, quod Imperatores pios Constantinum, Valentinianum, Gratiànum, Theodosium, Marcianum fecisse ex ipso Codice dignosci potest.*

ARTICULUS XVIII.

De Helvidio, & ejus Haresi.

HElvidius, Auxentii Ariani discipulus, homo rusticanus, & vix primis imbutus literis, edito impiissimo libello, Sanctissimæ Deiparæ perpetuam Virginitatem impugnavit, effutiens ipsam, postquam Christum ex Spiritu Sancto concepit, & Virgo peperit, alios ex Josepho conjuge filios procreasse, qoi fratres Domini in Evangelio vocarentur.

Ejusdem gloriæ Virgines & maritatas esse asserebat. Ista constant ex S. Hieronymo in libro contra Helvidium, & ex S. Augustino lib. de Hæresibus, cap. 84. Helvidiani, a S. Epiphanio vocati sunt Antidicomarianitæ, Hæresi 78. contra quos ad Arabiæ Ecclesias scripsit Epistolam, ibidem insertam.

ARTICULUS XIX.

De Joviniano & ejus erroribus.

JOvinianus Monachus, ex Mediolanensi Monasterio erumpens anno Christi 382. mollem, voluptatisque sectatricem vitam cum nomine Monachi conjunxit: ea verò docere cœpit dogmata, ob quæ a S. Hieronymo *Christianorum Epicurus* meritò vocatus est. Ea recenset Sanctus ille Doctor lib. 1. adversùs Jovinianum, cap. 2. Jovinianus igitur Virginitati nuptias quoad meritum adæquabat, dicebatque Virgines, viduas & maritatas, quæ semel in Christo lotæ sunt, si cæteris operibus non discrepent, ejusdem esse meriti. Quem errorem cùm Romæ doceret, nonnullas Sanctimoniales, quarum de pudicitia suspicio nulla præcesserat, in nuptias dejecit, hoc maximè ipsas urgens argumento: *Tu ergo melior quàm Sara, melior quàm Susanna, sive Anna?* & cæteras commemorando, testimonio sanctæ Scripturæ commendatissimas fœminas, quibus se illæ meliores, vel etiam pares cogitare non possent. Hoc modo etiam virorum sanctorum cœlibatum, commemoratione Patrum conjugatorum, & prædicatione frangebat. (Ex S. Hieronymo loco laudato, & ex S. Augustino lib. de Hæresibus cap. 82. & lib. 2. Retractationum, cap. 22.)

Secundò, Inter abstinentiam ciborum, & cum gratiarum actione perceptionem eorum, nullam esse distantiam effutiebat: sive iejunia & a certis cibis abstinentiam nihil prodesse.

III. Eos qoi plena Fide in baptismo renati sunt, a diabolo non posse subverti; sive non posse hominem peccare post baptismum asserebat.

IV. Omnium qui suum baptisma servaverint, unam esse in regno cælorum remunerationem, seu æqualem gloriam contendebat. Ista constant ex SS. Hieronymo & Augustino, locis supra laudatis.

V. Omnia peccata paria esse dicebat, Stoicorum sententiam secutus. [Ex S. Augustino, lib. de Hæresibus.]

VI. Sanctissimam Deiparam Mariam in partu Virginem fuisse negabat, imò reliquarum more fœminarum corruptam fuisse, ore blasphemo effutiebat. (Ex S. Augustino ibidem.)

Multos Hæresi suâ Jovinianus infecit, ut testatur S. Hieronymus lib. 2. adversùs ipsum edito, cap. 0. *Nunquam*, inquit, *nos Aristippi multitudo terrebit; quoscumque formosos, quoscumque calamistratos, quos crine composito, quos rubentibus buccis videro, de tuo armento sunt; imò inter tuos sues grunniunt: de nostro grege tristes, pallidi, sordidati, & quasi peregrini hujus saculi, licèt sermone taceant, habitu loquuntur, & gestu: Hei mihi; quia peregrinatio mea prolongata est! .... Quòd multi acquiescunt sententia tua, indicium voluptatis est: non enim tam te loquentem probant, quàm suis favent vitiis.*

Jovinianum indicatos errores Romæ spargentem, scriptisque impiis confirmantem, Pammachius Senator, S. Paulæ gener, ad Siricium Pontificem detulit, ut constat ex Epistola 50. S. Hieronymi, ad nobilissimum illum virum data. Siricius congregato Romæ Concilio, anno Christi 390. damnavit Hæresiarcham, ejusque Sectatores: deque eorum damnatione scripsit ad Mediolanensem Ecclesiam, transmisitque Epistolam per Legatos, Crescentem, Leopardum, & Alexandrum, qui ejusdem Hæreseos, ac Hæreticorum damnationem in Concilio Mediolani celebrando pro-

procurarent. Istud constat ex Epistola 2. Siricii ad Mediolanensem Ecclesiam datâ, in quâ hæc habet: *A fidelissimis Christianis, viris genere optimis, religione præclaris, ad meam humilitatem subitò scriptura horrifica videtur esse delata, ut Sacerdotali judicio detecta, Divinæ legi contraria spirituali sententiâ deleretur. Nos sanè nuptias non aspernanter accipimus, quibus velamine interfuimus: Sed Virgines, quas nuptiæ creant, Deo devotas, majore honorificentiâ veneramur. Facto ergo Presbyterio, constitit Doctrinæ nostræ, id est, Christianæ legi esse contraria. Unde Apostolicum secuti præceptum, quia aliter, quàm quod accepimus annuntiabant, omnium nostrûm, tam Presbyterorum, & Diaconorum, quàm etiam totius Cleri una suscitata fuit sententia, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Plotinus, Martianus, Januarius, & Ingeniosus, qui incentores novæ Hæresis & blasphemiæ inventi sunt, divinâ sententiâ, & nostro judicio in perpetuum damnati, extra Ecclesiam remanerent.*

Siricii Epistolâ, & Legatis honorificè exceptis, S. Ambrosius Mediolani Concilium congregavit, in quo, secundùm Pontificis Romani judicium, Jovinianus ejusque sectatores damnati sunt. Hujus rei testis est Synodica illius Concilii Epistola, quæ inter S. Ambrosii Epistolas legitur.

Scripsit contra Joviniani errores duplicem librum S. Hieronymus, propter quos cùm nonnullorum subiisset invidiam, & in crimen adductus esset apud Siricium, quasi qui Virginitatem immensis laudibus extollens, nuptiis detrahere, easque damnare visus esset; scripsit Apologeticam pro eisdem libris Epistolam ad Pammachium, quæ est inter ejus Epistolas quinquagesima. Scripsit & alteram ejusdem argumenti ad Domnionem. Contra Jovinianistas, & maximè contra Sarmationem & Barbatianum, qui Vercellis Magistri sui errores spargebant, S. Ambrosius Epistolam 26. ad Vercellensem Ecclesiam dedit: monens ut ab iis caveret. Contra eandem Hæresim scripsit S. Augustinus librum *De bono conjugali*: in quo & bonas esse nuptias ostendit, & illis virginitatem & continentiam anteponendas esse. Ideò autem hunc in scribendo modum tenuit S. Augustinus, quia nonnulli jactabant, Joviniano responderi non posse cum laude, sed cum vituperatione nuptiarum, ut ipse testatur, lib. 2. Retractationum, cap. 22.

Jovinianistas suis legibus insectati sunt pientissimi Imperatores Theodosius & Arcadius: illius enim Sectæ primarios e Monasteriis ejectos, habitu tamen Monastico vagantes, ab urbibus recedere, & ad deserta loca proficisci, jussit Theodosius L. 1. *De Monachis*, Cod. Theodos. Honorius verò Jovinianum servili supplicio affectum, in Boam insulam relegavit, ejusque Sectarios in remotissimas insulas deportari decrevit, anno Christi 412. ut constat ex ipsius Rescripto ad Felicem Præfectum Prætorio, quod extat Lege 53. *De Hæreticis*, in Theodosiano Codice.

ARTICULUS XX.

De Discalceatis.

EXtitere quarto sæculo Hæretici quidam, quorum Philastrius & S. Augustinus * meminerunt; qui nudis pedibus semper ambulabant, sicque Christianis omnibus docebant incedendum; eò quòd Dominus ad Moysem, vel ad Josue dixerit: *Solve calceamentum de pedibus tuis*: & quòd Propheta Isaias * nudis pedibus jussus fuerit ambulare.

* lib. de Hæres. cap. 68.

Isai. 20.

ARTICULUS XXI.

De Collyridianis.

ANno 373. Collyridianorum exortam referunt Hæresim Annales Ecclesiastici, in Arabia. Qui hanc sectabantur, Virginem Deiparam ut Deum colebant, & in ejus nomen collyridem panis per mulieres offerebant. Huic enim sexui Secta illa Sacerdotii munia deferebat; imò solæ ferè mulieres hanc Sectam constabant. Illam S. Epiphanius confutat Hæresi 79. ostendens primò, nullam mulierem ex quo mundus conditus est, Sacerdotio functam esse: quod ubi ex Veteri Testamento probavit, hæc addit ex Novo: *Si Sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut Canonicum quiddam præstare in Ecclesia liceret, nulli potiùs quàm Mariæ illud in novo Testamento committi Sacerdotii Officium debuit; cui tantus honor est habitus, ut gremio sinuque suo Regem omnium, ac cælestem Deum, Deique Filium exciperet. Cujus uterus velut templum ac domicilium ad Divini Verbi incarnationem singulari est benignitate Dei, magno ac stupendo mysterio præparatus. Verùm longè Deo aliter est visum: ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta: cùm alioqui ab illa tingi potiùs Christus, quàm a Joanne potuisset.*

Deipara Virgo, non fuit Sacerdotio ornata.

Ostendit deinde Beatam Virginem adorandam non esse. *Sanctum erat*, inquit, *Mariæ corpus, fateor: non tamen Deus illa fuit. Eadem & Virgo extitit: minimè tamen nobis ad adorandum proposita, sed eum adorans ipsum, qui e sua carne genitus, e cælo ac paterno sinu descenderat. Quare Sanctum quoque nos Evangelium præmunire voluit, in quo ita Christus loquitur: Quid mihi & tibi mulier? Nondum venit hora mea. Ubi idcircò mulierem appellavit, ne quis Beatam Virginem excellentioris alicujus esse naturæ crederet.* Et infrà. *Quamquam enim selectum quoddam Vas atque eximium sit, nihilominus mulier est, ejusdemque cum cæteris naturæ; licèt animo atque sensu amplissimis honoribus affecta sit; perinde ac reliquorum Sanctorum corpora, aut si quid ad gloriam ac splendorem illustrius attulero.* Addit inferiùs: Illam Joachimi & Annæ precibus concessam: *Ità tamen ut non aliam quàm cæteri mortales nascendi conditionem habuerit; sed ut illi, e virili sata, ac matris utero prodierit.* Denique hanc statuit religiosi cultus regulam: *Honoretur sanè Maria: Pater verò, Filius & Spiritus Sanctus adoretur: Mariam adoraret nemo velit.* Et infrà: *Maria in honore sit, Dominus adoretur.* Quibus S. Epiphanii verbis cultus religiosus Deiparæ Virginis asseritur, superstitiosus damnatur. Honor Mariæ judicium diligit. Quamobrem nec cum Deo componatur unquam, nec unà cum Christo laude celebretur: nec ipsi tribuantur quæ Deo soli, vel Homini Deo conveniunt. *Valdè honoranda est Mater Domini*, inquit S. Bernardus) *benè admones, sed honor Reginæ judicium diligit. Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum. Honora sanè integritatem carnis, vitæ sanctitatem. Mirare fœcunditatem in Virgine, prolem venerare Divinam. Extolle nescientem in concipiendo concupiscentiam, vel in pariendo dolorem..... Magnifica gratiæ inventricem, Mediatricem salutis, restauratricem sæculorum. Exalta denique exaltatam super Choros Angelorum ad cælestia regna. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, & me eadem docuit decantare.* Novelias adinventiones, si quæ pietatem Christianam adulterant potiùs, quàm promoveant, S. Epiphanius, aliique Patres, non probassent; nec

E virili satu genita est, non de Spiritu S. concepta: quod commentus est apud Venetos quidam malè feriatus Auctor libri erronei, & meritò damnati, De perpetua Virginitate beatæ Annæ.

Superstitiosus illius cultus damnatur, religiosus asseritur.

Religiosi cultus Deiparæ Virginis Regula.

Devotiones apocryphæ ab Ecclesia rejiciuntur.

approbat Ecclesia; quæ apocryphas devotiones eodem spiritu rejicit, quo S. Epiphanius sanctissimam illam statuit Christianæ pietatis regulam: *Maria in honore sit, Dominus adoretur.*

SCHOLION.

Ad hunc Articulum, pag. 287. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Laudat Epistolam S. Bernardi de Conceptione Beatæ Virginis, non citandam post Decretum Alexandri* VII. Hanc præterea notant propositionem: *Apocrypha Devotiones erga Beatam Virginem damnantur.*

Bullarii Tom. 5. pag. 346. R. *Alexandri* VII. Constitutio anno M. DC. LXI. edita, quæ incipit, *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, ne verbum quidem habet de Epistola *S. Bernardi* ad Canonicos Lugdunenses. Hæc Epistola non laudata solùm est, sed edita cum aliis *S. Bernardi* Epistolis, & Notis illustrata a Dom. *Joanne Mabillonio* in Editione novissima *S. Bernardi*, quam *Alexandro VIII.* Pontifici Maximo dicavit. Cæterùm de Conceptione Deiparæ Virginis ibi non loquor, neque ex Epistola illa *S. Bernardi* quidquam profero ad hoc argumentum pertinens: Sed solum probo non esse tribuenda Beatæ Virgini, *quæ Deo soli; vel Homini-Deo conveniunt.* Quod verò Devotiones apocryphas erga Beatam Virginem ab Ecclesia damnari scripsi, rectè scripsi. Tales sunt Devotiones in visionibus incertis, aut humanis figmentis fundatæ. De quibus venerabilis *Gersonius* in Epistola *De susceptione humanitatis Christi* ita scribit:

Decima-nona Veritas: Christus *si asseritur aliquid ad extra facere debere, quia decet eum sic facere; fallitur id asserens, quia præsupponit quod est æquè vel plus ignotum, ut si quis ita paralogizet: Christus potuit communicare Matri suæ in utero quòd gloriosa & consummata felicitate nasceretur; & hoc decuit ipsum facere, quia decuit eum Matrem honorare, ergo sic fecit. Constat quòd Conclusio hæreticalis est: & tamen præmissa communiter assumuntur a nonnullis in Assertionibus suis confirmandis.*

Vigesima Veritas: Christus *non communicavit Matri suæ, statim dum concepta, vel nata est, usum perfectæ rationis: quamvis hoc potuisset, & si fecisset, decuisset. Et oppositum asserere scribendo vel prædicando, est penitus temerarium, sicut & quòd nunquam somniaverit, aut quòd in omni somno semper actu Deum contemplata fuerit hic in via. Quod autem ex Scripturis sanctis auctoritatem non habet, nec ex probabili ratione, eadem facilitate contemnitur, quâ probatur.*

Vigesima-prima Veritas: Christus *potuit conferre dilectissimæ Matri suæ cognitionem lucidissimam totius decursûs vitæ suæ, & Filii, confestim dum nata est: & si hoc fecisset, utique decuisset: ergo fecit: Temerarium est & contrarium Sanctis Doctoribus hoc inferre. Contrarium insuper videtur Evangelicæ Doctrinæ, sic asserere factum esse, Siquidem perditus fuit Jesus ignorante Maria & Joseph.*

Vigesima-tertia Veritas: CHRISTUS *si perquiritur a talibus, cur Matrem suam honoravit in gratiis istis, & non in aliis omnibus quibus poterat? Respondeat, Quis es, o homo, ut investiges sensum Domini? Quis es, ut consiliarius ejus fias? Quis es, ut præsumas dicere, Cur ita facis? Ponat ergo humana loquacitas digitum ori suo, & terminis suis contenta sit.* Sanè si a Synodo Carthaginensi v. sapientissimè decretum est: *Quæ per somnia &*

Canone 14. *per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubique constituuntur Altaria, omnimodè reprobentur;* Si Sanctus Augustinus Lib. *De vera Religione* rectè scripsit: *Non sit Religio in phantasmatibus nostris:* Apochryphas Devotiones erga Beatam Virginem, in visionibus incertis, aut humanis figmentis fundatas, uno verbo ut omnia complectar, ab Ecclesia & Sede Apostolica non probatas, rejiciendas esse rectè dixi.

Nota.

FRequentes admodum sunt Theologi in statuenda mensura privilegiorum Virginis, quatenus decens fuit Dei potentiam singulari modo in Virgine manifestari, præcipuè in removendo ab ea quod indecens esset in tanta Matre concipere. Nec parvipendendum hoc argumentum notant, ni velimus quamplures perfectiones a Dei Matre proscribere; cùm de illa eo innixi fundamento quamplura singularia prædicemus, quia nempe decuit ita Deum erga B. Virginem agere: quapropter dixit Augustinus l.3. de lib. arb. c.5. *Quidquid vera ratione melius occurrerit, id scias fecisse Deum.* Quàm verò deceret Dei Matrem ab originali culpa præservari, passim explicant hujus sententiæ patroni; & meritò animadvertunt decuisse Deum puritatis sanctitatisque amatorem talem sibi efformare Matrem, quam nunquam peccati labes inquinasset. Et quidem si Augustinus *de Nat. & Grat. c.36.* observando quòd B. Virgo *concipere meruit, & parere, quem scimus nullum habuisse peccatum*, nullam vult *cùm de peccatis agimus de ea habere quæstionem*, & fatetur *plus gratiæ ei collatum ad vincendum omni ex parte peccatum*, jam si, quia decens fuit Dei Parentem tantâ gratiâ ornari, immunem considerat ab omni culpæ etiam venialis inquinamento, hujusmodi ratio efficacissima etiam apparet ad removendam ab ea multò magis culpam originalem, quæ gratiam sanctificantem non compatitur, animamque Diabolo mancipat. Illud proinde omnino tenendum est, apud PP. pro stabiliendis B. Virginis privilegiis efficax esse argumentum considerare quid decens fuerit Deum eidem elargiri; si illud non elargiendo, in eadem eam sanctitatem non conspiceremus, quam Dei Matrem ornare debuisse conveniens esse judicamus.

Non verò efficax habendum, ubi ex eo quosdam pœnales culpę effectus a B. Virgine removere intenderemus, ex quibus nulla oritur indecentia, quia tunc ad meriti augmentum, & ad majorem cum Christo similitudinem conferunt. Hinc rectè dicimus non oportuisse ut consummata, & gloriosa felicitate nasceretur; neque necesse fuisse, ut præcognosceret quidquid sibi, Filioque in vitæ decursu erat eventurum. Gratis verò asseritur temerarium esse dicere B. Virginem in primo instanti suæ conceptionis usum perfectæ rationis obtinuisse, cùm hoc privilegium eidem Theologi meritò vindicent, prædicaveritque inter alios S. Bernardinus Senensis *ser.51. de B. Virg. c.1. ar. 1.* Cæterùm quoties non videatur indecens B. Virginem usu rationis aliquo tempore caruisse, argumentum petitum ex eo quod decuit Deum facere, non tanti in hoc privilegio asserendo momenti esset, quanti in removendo a B. Virgine omnem culpę speciem; cùm dedeceat tantam Matrem quovis peccato maculatam considerare.

Occasione verò sermonis hìc habiti de Deiparę immaculata Conceptione omittendum non duxi Natalem in Dissertatione XVI. sęculi II. §.11. scripsisse Festum Conceptionis B. Virginis celebrari *non propter propriam sanctitatem, sed propter sanctitatem & dignitatem personæ conceptæ, quæ prædestinata est ab æterno, & in tempore concepta, ut Dei Mater esset.* Hunc Natalis lapsum fateor me au-

su-

fugisse, dum illam Dissertationem ad examen revocavi; nam si ultra alias Pontificum Constitutiones legatur Constitutio CXIV. Alexandri VII. palam fiet Festum Conceptionis Deiparæ ipsius immunitatem a culpa originali respicere. Cùm igitur §.1. dixisset Alexander veterem esse fidelium pietatem sentientium animam Virginis Matris fuisse a peccati originalis macula pręservatam, atque in hoc sensu Conceptionis festivitatem coluisse; & §.2. retulisset Gregorium XV. ne etiam in colloquiis privatis præfata sententia impugnaretur, vetasse, simul in ejusdem sententię favorem præcipiendo, ut tam in Missa, quàm in divino Officio non alio quàm Conceptionis nomine fideles uterentur; ac §.3. narrasset quosdam ita interpretari cultum ac festum Conceptionis, ut Romani Pontifices sententiæ de immunitate a peccato originis favere non intellexerint, hæc habet §.4. *Nos considerantes quòd S. Romana Ecclesia de intemerata, semperque Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebrat, & speciale ac proprium super hoc officium ordinavit &c.* Eo igitur Conceptionis festum, ejusque officium institutum ad fovendam piam sententiam asserentem B. Virginem a peccato originali fuisse præservatam; unde postea Alexander innovat suorum Prędecessorum Constitutiones editas in favorem sententiæ asserentis Deiparentem immunem fuisse a peccato originali, & *in favorem festi & cultûs Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ secundùm piam istam sententiam ut præfertur exhibiti.*

ARTICULUS XXII.

De Bonosiacis.

Bonosius Sardicensis Episcopus, huic Sectæ nomen dedit. Hic ex Ebione & Photino, suæ virus hausit Hęreseos, & Nestorio prælusit, Christum purum hominem asserens, duosque in Salvâtore filios agnoscens, æternum unum, alterum temporalem. Asseruit præterea Bonosus, Deiparam Virginem, a partu Christi, alios suscepisse liberos. Quamobrem ab Anysio & cæteris Illyrici Episcopis, quibus fuerat a Synodo Capuensi causæ illius cognitio demandata, damnatus est. Ejus errorem damnavit etiam Siricius Pontifex Maximus, ut constat ex ejus Epistola ad Anysium & cæteros Episcopos per Illyricum constitutos. *Sanè*, inquit, *non possumus negare de Maria Filiis jure reprehensum; meritoque vestram sanctitatem abhorruisse, quòd ex eodem utero Virginali, ex quo secundùm carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. Neque enim elegisset Dominus Jesus nasci per Virginem, si eam judicasset tam incontinentem fore, ut illud Genitale Dominici corporis, illam Aulam Regis æterni, concubitûs humani semine coinquinaret.* Celebrata porrò est Capuana contra Bonosum Synodus, anno Christi 389. A Damaso prædamnatum fuisse illum Hęresiarcham, asserit Marius Mercator, in Dissertatione ad XII. Anathematismum Nestorii.

ARTICULUS XXIII.

De Euphrata.

Euphratam Agrippinensem Episcopum, Christum asseruisse purum hominem, ob idque fuisse in Concilio Agrippinensi damnatum anno Christi 346. refert Annalium Ecclesiasticorum Parens Tomo 4. ad annum notatum, ut habent Acta; quę nomine dicti Concilii Agrippinensis referuntur Tomo 2. Conciliorum Editionis Labbeanæ. Idem constat ex Historia S. Maximini Treverensis Episcopi, & ex Vita S. Servatii Tungrensis Episcopi. Verùm fictitiam esse Euphratę Hæresim, & Concilii Agrippinensis Acta supposititia, gravissima ratio persuadet. Euphratas enim anno 347. in Concilio Sardicensi consedit inter Patres, atque etiam cum Vincentio Capuano legatione Synodi functus est ad Constantium Imperatorem, qui Antiochię morabatur, ut testis est S. Athanasius in Epistola ad Solitarios. At nequaquam est verisimile Synodali decreto legatum a Catholicis fuisse Episcopum adversus Arianos, qui superiore anno 346. depositus & damnatus fuisset. Secundò, parum etiam verisimile est Arianos Euphratæ, subintroducto scorto fuisse structuros calumniam, quod Theodoretus refert lib.2. cap.9. si ipsum vera accusatione obruere potuissent; & velut Hæreticum in legitimo Concilio damnatum, ad Imperatorem deferre.

Concilii Agrippinensis acta contra Euphratam supposititia.

Respondet Binius in Notis ad Concilium Agrippinense, hanc Synodum non anno 346. sed 350. aut 351. fuisse congregatam: aut duo in causa Euphratæ Concilia Coloniæ Agrippinæ habita fuisse: alterum anno 346. alterum anno 350. In priore Euphratam vel a suspicione Hæresis liberatum, vel admonitione emendatum esse; in posteriore depositum: utrumque verò a Collectoribus Conciliorum in unum contractum fuisse.

Verùm prima responsio propositam difficultatem non amovet. Siquidem Euphratam anno immediatè antecedente Concilii Sardicensis celebrationem, & ante legationem a Patribus Sardicensibus ipsi impositam, damnatum fuisse ob Hæresim, & exauctoratum in legitimo aliquo Concilio fatetur.

Nec etiam responsio altera probabilior est. Nota enim Consulum, quæ Actis Agrippinensis Concilii est apposita, non convenit anno 350. aut 351. convenit verò anno 346. qui per Consules anni superioris designabatur (ut apud Bucherium ex variis Fastis id probantem videre est, pag.46. 240. 250. 260.) quamvis proprios Consules haberet; nempe Constantium quater & Constantem ter Consulibus, quod forsan inde contigit, quòd Constantius in extremis Orientis regionibus versaretur.

Præterea vix consignari potest Agrippinensis epocha Synodi post Concilium Sardicense. Enimverò Euphratas a Concilio Sardicensi ad Imperatorem Constantium Legatus, Antiochiæ versabatur circa Pascha anni 348. S. verò Maximinus Treverensis Episcopus, qui Euphratæ damnationi præfuisse dicitur, & cujus subscriptionem primo loco exhibent Acta Concilii Agrippinensis, anno 349. obierat. Cùm itaque inter Euphratæ reditum in Germaniam & S. Maximini obitum, ejusdem Euphratæ lapsus in Hæresim, & Concilia contra illum habita consignari debeant, sequitur ipsa rejici non posse in annum 350. aut 351. unde cùm anno etiam 346. celebratum non fuerit Agrippinense Concilium, ut probavimus, colligitur illud fictitium esse.

Accedit quòd Dyscolus Remensis Episcopus, cujus nomen in Actis præfati Concilii subscriptum legitur, fictitius videtur Episcopus, cùm nec in albo Remensium Antistitum, nec in Flodoardi Historia nomen ejus uspiam occurrat.

Denique S. Desiderius Lingonensis, & S. Simplicius Augustodunensis, quinto sæculo florebant, quorum tamen subscriptiones in præfato Concilio Coloniensi leguntur. Ipsos igitur Episcopatum tenuisse sexaginta annis & ampliùs oporteret: aut

duos

duos Episcopos cognomines, hoc temporis intervallo, illas Ecclesias rexisse: quod gratis omninò fingeretur.

Ad Historiam S. Maximini respondeo, ipsam falsis Concilii Agrippinensis Actis inniti. Vita verò S. Servatii multis scatet erroribus, quos inter non levis ille est, quo Servatio legatio ad limina Apostolorum imposita refertur a Concilio, ad avertendam votis & precibus Hunnorum incursionem. Nam Exuperius Tolosatum Episcopus, quo recusante Servatius legationem illam dicitur suscepisse, vixit Theodosio & filiis imperantibus. Legantur doctissimi viri Godefridi Hermantii de Historia Ecclesiastica optimè meriti eruditæ Observationes ad Vitam S. Athanasii Gallico idiomate ab ipso editam.

CAPUT IV.

De Conciliis Nationalibus, aut Provincialibus, quibus sancita est disciplina, IV. Ecclesiæ sæculo.

Disciplinam Ecclesiasticam Sæculo 4. sanxerunt, aut promoverunt, præter Oecumenica Concilia Nicenum, Sardicense, & Constantinopolitanum, Concilia variis in Provinciis aut regionibus congregata, scilicet Arelatense I. Ancyranum, Neocæsariense, Laodicenum, Gangrense, Antiochenum, Carthaginense I. sub Grato Episcopo, Vasense, Valentinum I. Cæsaraugustanum, Taurinense, Carthaginense II. sub Genethlio, Carthaginense III. sub Aurelio, Carthaginensia IV. & V. Ex istis Conciliis aliqua jam data occasione expendimus: de exteris sequentibus Articulis agemus.

ARTICULUS I.

De Concilio Ancyrano.

Ancyra, Galatiæ Metropolis, sedes Archiepiscop.

Ut primùm Maximinus Imperator, Christianorum hostis infensissimus extinctus est, Orientales Episcopi Ecclesiæ pace bene usi, Ancyram Galatiæ urbem ad celebrandum Concilium convenerunt, anno Christi circiter 314. Silvestri Pontificis Maximi I. Constantini Imperatoris 9. Vitali Antiocheno Episcopo præside. In hoc Concilio Canones 24. editi sunt, tum ad congruam lapsis præscribendam pœnitentiam, tum ad alia Disciplinæ capita constituenda. Primus Canon, Presbyteris, qui post sacrilegam immolationem, certamen pro Christiana Fide repetiverint, sedis honore servato, oblatione sacrificii, concionandi munere, cæterisque Sacerdotalibus Officiis interdicit. Secundus eandem pœnam extendit ad Diaconos, qui sacrilegis se polluerint sacrificiis. Tertius, eos qui post Fidei Christianæ publicam Professionem, idolothyta, necessitate adacti, comederunt, aut manu per vim ad funestas aras admotâ, sacrificaverunt, ad communionis gratiam decernit recipiendos; imò & ad Clerum posse provehi, tanquam a crimine immunes. Quartus pœnitentiam imponit iis, qui, cùm ad sacrificia Gentilium, aut ad profanas epulas per vim ducerentur, lætiore habitu fuerunt, & vestimentis pretiosis ornati, paratæ cœnæ indifferenter participes extiterunt. Pœnitentiam verò mitiorem imponit idem Canon illis, qui falsorum Numinum templum veste lugubri ascenderunt, & toto sacrilegarum epularum tempore flevere. Quintus, sextus, septimus Canones, de eorum pœnitentia decernunt, qui vel minis pœnarum sacrificavere, vel ad ethnicorum convivia, diebus eorum festis convenerunt, quamvis cibos immolatitios non comederint, sed paratos in propriis domibus. Octavus, prolixiorem imponit illis, gravioremque pœnam, qui non solùm lapsi sunt ipsi, sed & aliis causa lapsûs extiterunt. Nonus Canon, Diaconos qui ante Ordinationem fuerint contestati se velle connubio copulari, in ministerio decernit manere, si uxores postea duxerint; ab eo verò arceri, qui in Ordinatione tacitè professi fuerint continentiam, si nuptias postmodum contraxerint. Decimus, puellas post sponsalia raptas, etiamsi a raptoribus corruptæ fuerint, eis restitui jubet, quibus primùm fuerint desponsatæ. Undecimus, eos qui ante susceptum baptisma sacrificaverint idolis, ad Ordines posse promoveri statuit. Duodecimus, Presbyterorum aut Diaconorum Ordinationem Chorepiscopis prohibet. Decimus-tertius a sacris ministeriis removet Clericos, qui ita a carnibus abhorrent, ut nec olera cum eis cocta comedere velint. Ideò autem hanc in eos pœnam constituit, quòd Hæreseos Encratitarum, aut Eustathianorum vel etiam Manicheorum suspecti essent, qui carnes velut immundas execrabantur. Unde si tantisper ex eis degustando se ab illa suspicione purgarent, & deinde ab illarum esu sibi temperarent, eorum abstinentiam Synodus probat. Canon decimus-quartus, res a Presbyteris, vacante sede Episcopali venditas, ad Ecclesiæ jura præcipit, rescisso contractu, revocari.

Canonum Ancyranorum Synopsis.

Decimus-quintus & decimus-sextus, in criminis nefarii reus animadvertunt. Decimus-septimus, abjicit ab Episcopali dignitate Episcopos, qui ab Ecclesiis, quibus ordinati sunt, recepti non fuerint; si alienas invadere tentaverunt, & adversùs alios Episcopos seditiones excitaverint.

Decimus-octavus, eos qui virginitatem voverint, & postea nupserint, inter *Bigamos* censeri debere decernit: sed eorum nuptias irritas esse non pronuntiat. * Statuit insuper ne Virgines Sacræ cum viris, sororiæ necessitudinis nomine, sub eodem tecto commorentur.

Olim votum non erat impedimentum dirimens matrimonium.

Decimus-nonus, adulteros septenni plectit pœnitentiâ. Vigesimus mulieribus fornicariis, quæ partus suos excutiunt, vel enecant, decennii Pœnitentiam imponit. Vigesimus-primus homicidii voluntarii reos, perpetuæ; fortuiti verò quinquennii pœnitentiæ addicit Vigesimus-secundus. Eos qui ariolos consuluerint, quinquennii pariter pœnitentiâ Canon vigesimus-tertius castigat. Vigesimus-quartus, decennii pœnitentiam infligit illis, qui conscii fuerint criminis, quod quispiam commisit, sororem sponsæ suæ corrumpendo, quæ se gravidam animadvertens, ob detrimentum famæ in desperationem adducta laqueo se peremit.

In his porrò Canonibus, tria notanda sunt. Primò varios Pœnitentiæ gradus ante Synodum Ancyranam institutos fuisse, quos lapsi, tempore ab Ecclesia definito decurrerent. Secundò, penes Episcopos fuisse in plerisque casibus Pœnitentiæ modum, ut scilicet illius diuturnitatem pro fervore pœnitentium minuerent. Tertiò, nulli in exitu vitæ communionem a Patribus Ancyranis fuisse negatam.

Dionysius Exiguus non fuit assecutus sensum Canonis XVI. quo nefarii criminis reos præcepit Synodus inter hyemantes orare: quo nomine energumenos perperam ipse intellexit. Hyemantes enim illi dicti sunt, qui sub dio pœnitentiam agebant, & omni Ecclesiæ tecto submovebantur, ut colligitur ex Tertulliano, lib. de Pudicitia, dicente: *Reliquas autem libidinum furias impias & in corpora & in sexus, ultra jus naturæ, non*

Hyemantes qui?

modò

modò limine, verùm omni Ecclesia tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra.

ARTICULUS II.

De Concilio Neocæsariensi.

Neocæsarea, ad Lycum fluvium, sedes Archiepiscop.

Neocæsariensium Canonum Synopsis.

Ordo nondum erat Matrimonii impedimentum dirimens.

NOn multò post Ancyranam Synodum, celebrata est alia Neocæsareæ, quæ Cappadociæ civitas est. Plures Episcopi, ad ipsam convenerunt, Vitali Antiocheno Præside, Ecclesiasticæ Disciplinæ prospecturi. Qua de causa Canones 14. edidere. Primus, depositionis pœnam statuit in Presbyteros, qui uxores acceperint: nec tamen eorum nuptias irritas decernit, aut ipsos ab uxoribus separari jubet. * Eosdem verò, si rei fornicationis vel adulterii fuerint, addicit pœnitentiæ. Secundus Canon, mulierem quæ duobus fratribus nupserit, ad mortem usque a communione removet: necnon etiam virum qui duabus nupserit sororibus: quibus tamen communionem in exitu concedit, si polliciti fuerint se, restituta sanitate, incestarum dissoluturos fœdera nuptiarum. Canon tertius, pœnitentiæ publicæ subjicit eos, qui pluries nupserint. Quartus, pœnis Canonicis obnoxios, non esse decernit eos, qui fornicandi propositum habuerint, si criminis cogitationem & consilium ad opus non perducant. Quintus, Cathecumenis peccantibus pœnas statuit. Sextus, Catechumenam prægnantem baptizari jubet, quando voluerit. Septimus, Presbyteris prohibet ne in Bigamorum nuptiis prandeant, quia cùm Bigamus egeat pœnitentiâ, indignum est ut Sacerdos hujusmodi nuptiis consensum præbeat. Octavus, illum, cujus uxor adulterii convicta est, ad Clerum vetat promoveri: quam ab ipso dimitti jubet, si post Ordinationem illius fuerit adulterata: alioqui sacris ipsi ministeriis interdicendum. Nonus & decimus, Presbyterum & Diaconum, qui se ante Ordinationem in peccatum carnis lapsum esse confessus fuerit, illum quidem ab oblatione Sacrificii; hunc verò ab Ordine proprii ministerii suspendit. Undecimus prohibet, ne Presbyter ante trigesimum annum ordinetur. Duodecimus, eum qui fuerit in ægritudine baptizatus, ad honorem Sacerdotii prohibet promoveri: * quòd Fides ejus non ex proposito, sed ex necessitate descendat. Decimus tertius, Presbyteris ruris sacrificium offerre vetat, vel Eucharistiam porrigere in Ecclesiis civitatis, Episcopo, vel Presbyteris urbis præsentibus. Ultimus Canon, septem Diaconos in qualibet civitate esse debere decernit, ut sacratus ab Apostolis numerus observetur.

** Hunc Canonem de Clinicorum irregularitate renovat, ac laudat Concil. Parisiense 6. Can. 8. Legitimum tamen esse baptismum infirmis in lecto per aspersionem collatum, probat S. Cyprian. Ep. 76. ad Magnum datâ & S. Fulgentius lib. de baptismo Æthiopie moribundi.*

ARTICULUS III.

De Concilio Laodiceno.

** Hanc Synodum ante Nicænam celebratam fuisse, Baronius & Binius falsò asserunt, cùm Photinianæ Hæreseos meminerit, quam circa Sirmiensis duntaxat Concilii tempora emersisse certum est.*

LAodicena Synodus * Laodiceæ, quæ Phrygiæ Pacatianæ civitas est, ex diversis Asiæ Provinciis ad Disciplinæ Ecclesiasticæ restaurationem congregata, 60. Canones edidit. Quidam spectant baptismatis administrationem, ut 45. qui post duas Quadragesimæ Hebdomadas aliquem ad baptismum admitti vetat: quòd necesse esset illos fidem discere, Christiana doctrinâ imbui ante Pascha, & quinta Feria in Cœna Domini Symbolum Episcopis, aut Presbyteris reddere, id est recitare Symbolum, & ad quæstiones circa Doctrinam Christianam sibi factas respondere, ut constaret an satis in fide eruditi essent ad baptismum Sabbato Paschatis percipiendum. Id autem Canone 46. constitutum est. Perdiscendæ Fidei legem, iis qui fuerint in ægritudine baptizati, Canon 47. inculcat. Chrisma post baptismum regeneratos percipere, id est, Sacramentum Confirmationis, decernit Canon 48.

Laodicenorum Canonum Synopsis.

Disciplinæ circa Ordinationes.

Alii Canones spectant Ordinationes sacras, a quibus suscipiendis arcentur neophyti seu recens baptizati, Canone 3. & quarum a conspectu Catechumeni, vel Pœnitentes qui in gradu auditionis sunt constituti, probibentur. Porro Episcopos Metropolitanorum, & vicinorum Antistitum judicio provehi jubet Canon 12. nec eorum electiones plebibus esse permittendas, Canon 13. decernit: ipsosque in villulis, vel in agris, Canon 57. constitui vetat. Quidam ejusdem Concilii Canones Christianorum spectant matrimonia. Fideles scilicet cum Hæreticis connubio jungi prohibent Canon 10. & 31. Nuptias in Quadragesima celebrari, vetat Canon 52. Plausus & saltationes in Christianorum nuptiis, Canon 53. damnat: bigamos orationibus & jejuniis, propter incontinentiam, purgari jubet Canon 1. qui tamen secundas nuptias, secundùm Ecclesiasticam regulam, legitimas pronuntiat.

Disciplina circa Matrimonium.

Errores & abusus qui circa cultum Religiosum irrepserunt, emendantur.

Multi hujusce Concilii Canones emendant errores & abusus, qui circa cultum religiosum irrepserant, & ritum Officiorum Ecclesiasticorum præscribunt. Sic Congregationes, quas nonnulli Christianorum, relicta Ecclesiâ, & Christi cultu neglecto, in honorem Angelorum Ethnico vel Judaico more celebrabant, damnat Canon 35. Ne oblationes offerantur, sive celebrentur Missæ privatis in domibus, cavet Canon 58. Eos Anathemate percellit Canon 34. qui relictis Martyribus Christi, falsos Martyres coluerint. Psalmos ab idiotis, id est, a privatis personis compositos, in Ecclesiis recitari, & libros qui non sunt Canonici, legi vetat Canon 59. Decimus-quartus prohibet ne Eucharistia, causâ eulogiarum, ad aliarum Ecclesiarum plebes, tempore Paschatis mittatur. 15. Solos Cantores in Ecclesia psallere jubet. 16. Evangelia cum aliis Scripturis Sabbato legi. 17. Lectiones, post Psalmos singulos, legi præcipit. 18. Nona & Vespera sacrarum precum Officium persolvi. 19. Ordinem precum post Episcoporum Conciones in publicis Christianorum conventibus fundendarum præscribit: ut scilicet primò super Catechumenos, deinde super Pœnitentes orationes fundantur: postea tres fiant orationes a Fidelibus: prima sub silentio, secunda cum solitis exclamationibus: tertia eodem ritu, quo secunda: deinde ut post osculum pacis, sancta celebretur Oblatio. Ingressum autem ad Altare, & jus percipiendæ ibidem Eucharisticæ Communionis, sacratis duntaxat ministris concedunt Laodicensis Concilii Patres. Hinc ad Laicam Communionem detrudi, idem erat quod Eucharistiam extra cancellos altaris, cum vulgo Fidelium percipere.

Cleri Disciplina.

Multi Laodicenæ Synodi Canones ad mores Clericorum componendos editi sunt: & quia Synodorum celebratio frequens, medium est ad id cumprimis opportunum, Canon quadragesimus Episcopos reos statuit, qui ad Synodum vocati, protinus ire contempserint. 56. Episcopo istud reverentiæ argumentum vult a Presbyteris exhiberi, ut eorum nemo ante illum ingrediatur sacrarium, & sedeat. Vigesimus statuit, ut suus etiam Presbyteris servetur honor, prohibetque ne Diaconi coram ipsis, absque eorum jussione sedeant. Vigesimus quintus, Subdiaconis panem dare, vel calicem benedicere vetat; id est, panem consecrandum offerre Presbytero, vel vinum, quod

forte

fortè in calicem infundebant, antequam ad altare deferretur, benedicere. Neque enim arbitror Subdiacnnos aliàs ausos fuisse distribuere Fidelibus Corpus Christi, & Calicem eonsecrare: ut hoc ipsis prnhibere fuisse necessarium mihi persuadeam, eumque esse existimem Canonis Laodiceni sensum. Canon 21. Subdiaconis aditum Diaconii sive Secretarii claudit, illisque ne vasa Dominica contingant, prohibet. Tunc scilicet Subdiaconatus non erat Ordo Sacer. Sed nec Ecclesia Græca prn sacro illum habuit. Unde illum extra Sanctuarium conferebat, ut constat ex omnibus Eucholngiis, & ex Simeone Thessalonicensi in Tractatu de Ordinationibus. Quem ritum etiam olim Ecclesia Latina servavit, ut constat ex Amalario Fortunato, lib.2. de Divinis Officiis, cap.6. Hinc collatus olim Diaconatus ei, qui Subdiaconus non esset: quod probatur ex Ordinatione S. Epiphanii a Pappo Episcopo facta, proot ipsam refert Auctor Vitæ illius apud Surium 12. Maji. Pappus nempe eum Diacooum nrdinavit, deinde Presbyterum, & Episcopum, cùm se nequidem Clericum esse contestaretur. Quod etiam probatur ex facto ipsiusinet S. Epiphanii, qui Paulinianum Mnnachum, S. Hiernnymi fratrem comprehensum, ore compresso ne repugnaret, Diaconum nrdinavit, & Presbyterum, cæteris Ordinibus prætermissis, ut constat ex ipsius S. Epiphanii Epistola ad Joannem Hierosnlymitanum, quæ inter S. Hiernnymi Epistolas sexagesima est. Quod & multis aliis momentis potest demonstrari. Hinc Subdiaconorum proprium munus erat solùm stare ad ostia sacrarii, & attollere vel deprimere vela ante januas suspensa, cùm Episcopus, Sacerdotes & Diaconi ingrederentur, vel exirent, ut habetur in Laodiceno Cannne 22. & 43. Cùm verò is irrepsisset abusus, ut Subdiaconi, Lectores & Cantores nrariis uterentur: id Canonibus 22. & 23. Patres Concilii istius prohibuerunt. Cannn 26. Energumenorum exorcismns illis non permittit, qui ab Episcopis nrdinati non fuerint. Vigesimus-quartus, Clericis & Monacis tabernarum ingressum vetat, quod & Cnncilium Carthaginense 3. Cannne 27. Trullanum Cannne 9. Francofordiense Canone 19. Remense 2. Canone 26. & Turonense 3. Canone 21. eisdem prnhibent. Canone 36. Clerici magiæ operam dantes ab Ecclesia expelluntur. 41. & 42. Sacerdotibus, & Clericis reliquis, absque licentia Episcopi, & Literis Canonicis iter agere prohibent. Vigesimus-septimus, Clericis ad agapen vocatis, id est ad cnnvivia, quæ ad fovendam inter Christianos charitatem, & recreandos pauperes olim instruebantur, vetat ne ciborum partes accipiant, & secum auferant, quod sordida hæc reservatin in dedecus Ecclesiastici Ordinis verteretur. 55. Clericis convivia ex collatis a singulis pecuniis prohibet; quòd comessationum essent nccasio. 54. Iisdem prohibet ne spectacnlis intersint in Scenis, vel in Nuptiis; jubetque ut ante tibicinum ingressum exeant. Cannn 5. ne usuras exigant, decernit.

Subdiaconatus non erat olim Ordo Sacer.

Prnspexerunt etiam Laodiceni Patres templotum venerationi, in quibus convivia, quæ Agapę vocabantur, fieri prohibuerunt Canone 38. De pœnitentibus decrevere Cannne 2. ut iis, post conversionis perfectæ argumenta, & exactum, secundùm gravitatem delicti, Pœnitentiæ tempus, concederetur commnnio. De receptione Hæreticorum ab Hęresi redeuntium ad Ecclesiam, Cannnes 7. & 8. sanxerunt.

Cæteri Canones Christiannrum nmnium mores & conversationem componunt, quorum Fidei integritati consuluerunt Laodiceni Patres. Anathemate scilicet percelluerunt eos, qui Sabbatn cum Judæis feriarentur, qui cum ipsis vel Gentilibus festa celebrarent, qui azyma ab ipsis acciperent, vel munera quævis festiva, necnon etiam ab Hæreticis: cum quibus nedum orare, & eorum cœmeteria, vel Martyria, orationis causâ adire; sed vel in domum eos admittere prohibuerunt Canones 6. 9. 29. 32. 33. 37. 38. 39. Consulnerunt præterea pudicitiæ Fidelium; Balnea virorum cum mulieribus prnhibentes Canone 30. Contra hujusmodi promiscua balnea lege S. Epiphanium Hæresi 30. Mulierum curiositatem coërcet Canon 44. ipsas arcens ab ingressu ad altare. Denique de religiosa Quadragesimæ observantia decreverunt Laodiceni Patres. Jejnnium scilicet solida Quadragesima servari præceperunt: ita ut nec feria quinta in Cœna Domini snlveretur. De hoc Canon 50. Panem offerri, aut Martyrum Natalitia in Quadragesima celebrari, præterquam Sabbatis, & Dominicis diebus, ab eodem Concilin vetitum est Canooe 49. & 51. quòd scilicet hi tantum dies a jejunio immunes essent: & quòd Missa plena his solùm diebns celebraretur: diebus autem cęteris, ex præsanctificatis.

Canon 60. Librorum Canonicorum index est. Ex eo cnnstat, nondum in Asiaticis Ecclesiis Libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Apocalypsis, ut sacros & Canonicos, id est, ut divinæ Scripturæ partes, communi consensu receptns fuisse.

SCHOLION.

In hoc Articuln, pag.300. Editionis primæ, hanc notant Propositionem in Indiculo suo Religiosi Censnres: *Subdiaconatus non erat Ordo Sacer.*

R. Subdiaconatum olim non fuisse Ordinem sacrum, rectè colligere mihi visus sum ex Laodiceni Concilii Canone 21. prohibente Subdiaconis ne sacra vasa cnntingant. Id ante me Viri Eruditi in Romana etiam Curia observarunt, inter alios Doctissimus & Religiosissimus Cardinalis *Bona*, lib.1. *Rerum Liturgicarum*, cap.25. *Ab initio*, inquit, *& deinceps per aliquot sucula Subdiaconatus inter Minores Ordines numerabatur, nec ei annexus erat Cælibatus. Quamvis enim Concilium Illiberitanum Canone* 33. *Subdiaconis indixerit continentiam, certè constat hunc legem nec ulibi, nec in ipsa Hispania tunc fuisse receptam. Post sextum verò seculum vix uliqua memoria Subdiaconorum reperitur, qui non fuerint continentia voto adstricti. Et Roma quidem jam ab his continentia servabatur tempore Pelagii* 2..... *A Romana autem ad alias Ecclesias Occidentis eadem institutio propugata est. Qua occasione paulatim cæpit hic Ordo a Minoribus separari, & Majoribus ac Sacris accenseri. Nam cùm priùs extra Sanctuarium & Altare conferri soleret, invaluit postea quorumdam Episcoporum consuetudo eum intra Missarum solemnia conferentium, & ita sensim Majoribus æquiparatus est. Multùm nihilominus temporis intercessit, antequam certa & inviolabili lege inter sacros recensitus sit. Etenim Petrus Cantor qui vivebat anno* 1200. *relatus a Menardo in Lib. Sacram. pag.*280. *ait: De novo institutum est Subdiaconatum esse Sacrum Ordinem.* Hæc eruditus Cardinalis.

Nota.

PUtat Innocentius III. *c. a multis de æt. & qual. Præfic.* Subdiaconatum relatum fuisse inter sacros, seu majores Ordines ab Urbano II. cùm etenim lex canonica præciperet ne episcopi nisi ex sacris, seu majoribus Ordinibus assumerentur, iis subdiaconatum accensendum indulsisse

vi-

videtur, quia adnuente romano Pontifice, vel Metropolitano, etiam Subdiaconum ad episcopalem cathedram evehi posse concessit. Verùm Thomassinus *Vet. & Nov. Discipl. p.r. l.2. c.33.* animadvertit Innocentium in eo laborasse, quòd putaverit Urbanum Subdiaconatum in sacrum ordinem retulisse, cùm ipsius decretum apud Ivonem Carnotensem *p.5. c.7.* sub nomine Concilii Beneventani relatum, & apud Gratianum *d.60. c.4.* sub nomine Urbani, qui Concilio præfuit, manifeste afferat Presbyteratum, & Diaconatum dumtaxat inter sacros ordines computatos. Præterea cùm in eo ex sola indulgentia permittatur Subdiaconos in episcopos eligi, clarum est hunc Ordinem nondum inter sacros, seu majores accensitum, necessaria etenim tunc non fuisset dispensatio. Dum pariter idem Innocentius *cap. miramur de serv. non ordinan.* videtur dicere S. Gregorium M. & Urbanum II. Subdiaconatum ad sacrum ordinem extulisse, ita illum interpretatur Thomassinus, ut significare voluerit præfatos Pontifices viam stravisse, ut sacris ordinibus adnumetaretur; cùm Gregorius Subdiaconos continentiæ vinculo illigaverit, & Urbanus ex indulgentia concesserit in episcopos eligi. Concludit Thomassinus Subdiaconatum ab Ipso Innocentio, inter sacros ordines relatum, dum concessit ut Subdiaconi non minus quàm Presbyteri & Diaconi in episcopos liberè eligerentur, intacta prisca lege quòd nonnisi ex habentibus sacros ordines possent assumi.

ARTICULUS IV.

De Concilio Carthaginensi I.

Carthago, sex Provinciarum Africæ Metropolis, Sedes Archiepisc.

Concilium Carthaginense I. agente & Præside Grato illius Ecclesiæ Episcopo & Africæ Primate, ex diversis Provinciis Africanis anno Christi 348. celebratum est, ut Ecclesiastica Disciplina, quæ diro Donatistarum Schismate labefactata erat, restauraretur & firmaretur. Quamobrem Canones quatuordecim hæc edidit Synodus. Primus, sebaptizationes illicitas esse decernit, & à sincera fide & Catholica disciplinâ alienas. Secundus Canon, Martyrum nomen & honorem furiosis Circumcellionibus deferri vetat, qui mortem sibi conscivissent; quòd in Martyrum Christi injuriam cederet, si cum desperatis illis hominibus Martyrii gloria communicaretur. Tertius Canon, eos, qui nolunt nubere, & meliorem pudicitiæ partem elegerunt, quo nomine Clerici præcipuè majores intelliguntur, extraneis fœminis in una domo convivere prohibet, *propter blasphemiam Ecclesiæ:* Quia, *Occasiones amputandæ sunt peccatorum, & tollendæ omnes suspiciones, quibus subtilitas diaboli, sub prætextu charitatis & dilectionis, incautas animas vel ignaras irretire consuevit.* Feriuntur porrò Anathemate Laici, qui huncce Canonem violaverint. Eadem sententia Canone 4. ad viduos & viduas simul commorantes, si nullo sanguinis vinculo, quod reverentiam pariat, conjuncti sint, extenditur.

Canonum Synopsis.

Canon 5. Canonem confirmat, quo prohibetur Episcopis ne Laicos ex alienâ plebe ordinent, inconsultis ipsorum Episcopis, aut alienos Clericos sine Literis Antistitum suorum recipiant; ut pax Ecclesiastica conservetur. Sextus Canon, procurationem seu administrationem domorum, Clericis prohibet, secundùm Apostolorum statuta, quæ dicunt, * *Nemo militans Deo, ingerit se negotiis sæcularibus.* Canone 7. sancitum est, nè Clericus quicumque, vel Laicus, in alienâ Ecclesiâ, sine literis Episcopi sui, ad communionem admittatur: ne fortè excommunicati obrepant. Canone 8. decretum est, ne procuratores, actores, & tutores pupillorum, nisi a negotiis & officiis absoluti, redditisque rationibus, in Clerum adlegantur, & ordinentur. Nono provisum est, ne Clericis hujusmodi onera imponerent Laici. Decimo statutum, ne Episcopi alienos fines in Collegarum suorum injuriam usurparent. Undecimus, Clericos contumaces, & in majores natu injurios, & contumeliosos coerceri jubet; eorumque causas cognosci & judicari a tribus vicinis Episcopis, si Diaconi sint; a sex, si Presbyteri; a duodecim, si Episcopi.

1. Timoth. 2.

Canon 12. Optatianum Episcopum, Antigoni Madaurensis Antistitis plebes, contra pacta inita, illicientem & usurpantem, coercet. Decimus-tertius, Clericis prohibet ne fœnus exerceant. Decimus-quartus, Canonum istorum executionem, sub Anathematis pœna Laicis; sub honoris gradusque periculo, Clericis imperat.

ARTICULUS V.

De Concilio Vasensi primo.

Vasio; vulgo Vaison, civitas in Vindassino Comitatu, dans le Venaissin, Episcopalis sedes sub Avenionensi nunc Archiepiscopatu.

Concilium Vasense, seu Vasionense, sub Julii I. Pontificatu, Vasione, quæ est Vocontiorum in Gallia Narbonensi civitas, celebratum fuit. Suppositium illud, cujus tres ab Eminentissimo Baronio, & ejus sequipeda Binio Canones recensentur, doctissimus Pater Sirmondus asserit, dunque solùm agnoscit Concilia Vasensia, seu Vasionensia. Primum sub S. Leonis Magni Pontificatu, anno Christi 442. alterum post annos ferè 90. sub Felice III. celebratum: sed quò minùs primum illud sub Julio Vasense Concilium commentitium existimetur, obstat Adonis Viennensis auctoritas in Chronico scribentis, Maximino Trevirensi Episcopo coævum floruisse Nectarium Viennensem, *Qui in Vasensi illa Synodo venerabili primus interfuit, & Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unam esse naturam, & potestatem, & deitatem, & virtutem, in Ecclesia publicè prædicavit, & docuit.* Frustrà verò fidem Adonis sollicitat Sirmondus, cùm nullo antiquitatis monumento refellatur. Sanè Julii temporibus optimè congruit Canon tertius, quo decernitur, *Ut propter Hæreticorum astutiam*, qua Dei Filium non semper cum Patre fuisse blasphemant, *in* Glorificationis hymno hæc clausula, *Sicut erat in principio, &c.* in Gallicanis Ecclesiis recitetur, sicut in Ecclesia Romana, per Italiam, Africam, Orientemque universum dici consueverat.

Primus Canon, quo sancitum est ut qui defunctorum oblationes retinent, nec tradere festinant Ecclesiæ, ab Ecclesiâ rejiciantur, non est istius Concilii. Cùm enim in eo laudetur S. Hieronymi velut unius e Sanctis Patribus sententia in Epistola 2. ad Nepotianum scribentis: *Amico quidpiam rapere furtum est; Ecclesiam fraudare sacrilegium:* conditum fuisse necesse est in Concilio post mortem sancti Hieronymi celebrato. Quamobrem Vasensis II. quartus est, in quo totidem verbis legitur, ut observat Sirmondus, utque antiqui omnes Codices repræsentant. Laudatur a Concilio Arelatensi II. Canone XXVIII. Canon II. quo Trisagio, seu dulcissimam vocem, *Sanctus*, in omnibus Missis ter dici præcipitur: & nomen Romani Pontificis in Gallicanis Ecclesiis recitari, ad tertium Concilium Vasense pertinet, quod sub Felicis III. Pontificatu anno 529. celebratum est. Et certè cùm Seraphica ista laudatio miraculo celebri in Ecclesiam primùm Constantinopolitanam

introducta feratur, Procli qui Maximianum inter & Flavianum sedit, temporibus, cùm Regiâ Urbe horrendo terræ motu concussâ, plebeque Christianâ Deo supplicante, puer in sublimè raptus voces Angelorum ter *Sanctus* concinentium audivit, accepitque in mandatis, ut hanc laudationem populum Christianum edoceret, [ut Felix III. in Synodica ad Petrum Fullonem Epistola testatur] non convenit Synodo sub Julii I. Pontificatu celebratæ Canon laudatus. Perperam itaque Baronius & Binius hunc Canonem de canendo Trisagio in primo Vaseusi Concilio contra doctrinam Arii statutum fuisse affirmant.

ARTICULUS VI.

De Concilio Valentino primo.

Valentia, vulgò Valenee, Galliarum civitas in Delphinatu, ad Rhodanum Episcopalis sedes sub Archiepiscopatu Viennensi.

CONcillum Valentinum anno Christi 374. ad componendum quod exortum erat in Ecclesiâ Valentinâ dissidium, convocatum est. Quatuor Canones edidit, quorum prior Digamus ad sacros Ordines promoveri vetat. Digamorum autem nomine, viduarum etiam maritos complectitur. Nec referre ait, utrùm ante vel post baptismum plures uxores quis dixerit, ut bigamus censeatur, & hoc nomine a susceptione Ordinum arceatur; quod propter illos dictum, qui matrimonia ante susceptum baptismum inita, non computanda censebant: non intelligentes videlicet, in baptismo peccata dimitti, non uxorum numerum aboleri, ut præclarè contra ipsos urget Innocentius I.

Canonum Synopsis.

Secundus Canon, sacras Virgines, quæ mutato proposito virginitatis nupserint; non statim ad pœnitentiam recipiendas esse decernit, & cùm receptæ fuerint, earum communionem diu differri, quoadusque plenè Deo satisfecerint. Cæterùm earum nuptias non rescindit Synodus.

Tertius Canon, eos qui vel idolorum sacrificiis, post baptismum se polluerint; vel incestâ lavatione, seu iteratione baptismi, Pœnitentiæ publicæ ad diem usque mortis addicit.

Quartus Canon, eos a sacrâ Ordinatione statuit arcendos, qui se mortali crimine pollutos dixerint, seu verè, seu falsò: quia sacrorum Ministros immunes ac liberos esse oportet, non solùm a crimine, verùm etiam a criminis suspicione. In executionem hujus Canonis, cùm *Acceptus* a Forojuliensibus ad Episcopatum posceretur: Synodus assensum negavit, eò quòd vitandi honoris gratiâ quædam in seipsum dixisset; tametsi falsò dicta crederentur, & humilitatis animo. Id constat ex Epistula Concilii ad Clerum & plebem Forojuliensem.

Notitia Provinciarum Ecclesiasticarum Galliæ.

Epistola Synodica ad universos Galliarum Episcopos data, cui adjuncti sunt Canones, inscribitur: *Dilectissimis Fratribus per Gallias & quinque Provincias constitutis Episcopis.* Quinque Provinciæ hoc loco sunt eæ, quæ vetere Narbonensi Provinciâ continebantur: Viennensis nimirum, Narbonensis I. Narbonensis II. Alpes maritimæ, Alpes Grajæ & Penninæ. Galliarum verò nomine, cæteræ intelliguntur, quæ in Aquitania, Celtica, & Belgica. Narbonensem nempè Provinciam Julii Cæsaris exemplo, a Gallia distinguere, solemne olim fuit. Unde & in Concilio Arelatensi, primùm Episcopos hujus Provinciæ nominatos vidimus, tum alios e Galliis. Quinque Provinciarum ut distinctarum a reliquo Galliarum corpore mentio etiam occurrit in Epistola Maximi Imperatoris ad Siricium, & in Synodo Taurinensi.

Sed Zosimi & Bonifacii Romanorum Pontificum tempore, alia solennis erat Galliarum divisio, scilicet in Gallias, & septem Provincias. Zosimus enim Epistolam quintam inscribit: *Universis Episcopis per Gallias, & septem Provincias constitutis.* Hanc Galliarum distinctionem commemorant & Constitutione suâ confirmant Honorius & Theodosius Imperatores datâ ad Agricolam Præfectum Prætorio Galliarum, qua septem Provinciarum quotannis Arelatem confluentium commercium, Constantini cujusdam tyrannide interruptum, instaurant. Septem illæ Provinciæ erant, Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis prima, & secunda, Alpina, Novempopulana, & secunda Aquitanica. Quæ duæ postremæ Provinciæ, cùm longiùs remotæ essent, Legatos suus ad conventum Galliarum, Arelate celebrari solitum, mittebant.

At Notitiæ veteres, Gallias in septemdecim Provincias partiuntur, quæ divisio facta est ab Augusto Cæsare. Hæ sunt, Lugdunensis prima, cujus Metropolis *Lugdunum*; Lugdunensis secunda, cujus Metropolis *Rotomagus*; Lugdunensis tertia, cujus Metropolis *Turonum* civitas; Lugdunensis quarta, cujus Metropolis *Senonensium* civitas; Belgica prima, cujus Metropolis civitas *Treverorum*; Belgica secunda, cujus Metropolis civitas *Remorum*. Germanica prima, cujus Metropolis *Moguntia*; Germanica secunda, cujus Metropolis *Colonia Agrippina*; Maxima Sequanorum, cujus Metropolis *Vesontio*; Provincia Alpium Grajarum & Penninarum, cujus Metropolis *Tarantasia*; Viennensis, cujus Metropolis *Vienna*; Narbonensis prima, cujus *Narbona* Metropolis; Narbonensis secunda, cujus Metropolis *Aquæ-Sextiæ*; Aquitanica prima, cujus Metropolis *Avaricum-Biturigum*; Aquitanica secunda, cujus Metropolis *Burdigala*; Novempopulana, cujus Metropolis *Auscia*, Provincia denique Alpium maritimarum, cujus Metropolis *Ebredunum*.

ARTICULUS VII.

De Concilio Taurinensi.

Malè Taurinatense a quibusdam vocatur. Taurinum, vulgò Turin, Pedemontanæ regionis caput, sedes Archiepisc.

COncilium Taurinense apud Augustam Taurinorum celebratum, ad componendas Gallicanorum quorumdam Episcoporum variis de negotiis controversias, anno Christi 397. a Baronio & Binio falsò affixum est. Constat namque ex Epistola 6. Zosimi, & altera ejusdem ad Africanos, quo tempore habita est Synodus Taurinensis, Briccium apud Turones Episcopum fuisse. Habita ergo est post mortem S. Martini, cui Briccius successit. At S. Martinus, veterum omnium consensu, mense Septembri anni 397. nondum e vivis excesserat. Quare hic annos Synodo non congruit, ut rectè observat doctissimus Sirmondus. Quòd si eos audiamus, qui S. Martini obitum in annum 400. vel etiam longiùs differunt, Synodi pariter epocham differri necessum erit.

Canonum Synopsis.

Octo Canones hoc in Concilio conditi sunt. Primò indultum est Proculo Massiliensium Episcopo, ut quamvis alterius Provinciæ; id est Viennesis esset, Metropolitani jure præesset secundæ Provinciæ Narbonensi, cujus Ecclesias, vel Parochias, suas fuisse asserebat, vel Episcopos a se in eisdem Ecclesiis ordinatos. Sed hoc singulare privilegium & personale Proculi fuit.

Canone 2. contentio inter Arelatensem & Viennensem Episcopos de primatu exorta, fiduciario decreto sedata est, ut scilicet qui suam civitatem probaret esse Metropolim, is primatûs honorem obtineret, aut certè ut bonô pacis, Provinciam,

si vel.

si vellent, inter se dividerent, & proximas sibi uterque civitates Metropolitani jure vindicaret. Gradus is fuit ad augendam Arelatensis Ecclesiæ dignitatem. Cùm enim olim Arelate Viennæ seu Metropoli subjaceret, ut constat ex Concilio Arelatensi, in quo *Marinus Episcopus de civitate Arelatensium Provincia Viennensi*, subscripsit; & ex Imperii Notitiâ, variis a Principibus ornata privilegiis, unde & *Constantina* a Constantino, & *Gallula Roma*, ab Ausonio vocata est, & a Valentiniano II. atque Honorio Principibus *Mater omnium Galliarum*, ob sedem Præfectorianam, quæ illuc ex civitate Treverorum translata fuerat, sensim caput extulerunt Arelatenses Episcopi, & jugum Viennensium excusserunt, primatûs honorem sibi arrogantes.

Canone tertiò, occasione 4. Episcoporum, qui illicita quædam in sacris Ordinationibus usurpaverant, in futurum cavet, ut qui eadem perpetraverint, Ordinationibus, Conciliisque interesse prohibeantur; ordinati verò, Sacerdotii honore priventur.

Canonibus 4. & 5. Sententiæ a Triferio Episcopo in Palladium Laicum, & Exuperaotium Presbyterum latæ confirmantur. Primus cùm Presbytero crimen objecisset, in probatione defecerat; alter Episcopo suo irrogaverat contumeliam. Canon sextus decrevit, secundùm Ambrosii & Siricii literas, ut qui Felici Trevirensi Episcopo, ab Ithacianæ partis Episcopis ordinato, eorumque communioni mordicùs adhærenti communicarent, iis pacis consortium negaretur. De Ithacio vide quæ superiùs dicta sunt, cùm de Priscillianistarum Hæresi egimus.

Canon 7. Clericos alienos suscipere, vel ordinare vetat. Octavus denique ad gradus ulteriores promoveri prohibet: qui contra Canones ordinati fuerint, verbi gratiâ ex Bigamis; vel qui in sacro ministerio filios genuerint.

ARTICULUS VIII.

De Concilio Carthaginensi secundo.

Canonum Concilii Carthaginensis secundi Synopsis.

ANno Christi 390. secundum Carthagine Concilium ad instaurandam Ecclesiasticam Disciplinam celebratum est sub Genethlio, non verò sub Aurelio ejus successore, cujus ut & Alypii nomen, licèt in excusis Conciliis habeatur, a Mss. tamen Codicibus optimæ notæ exulat, ut monet Philippus Labbæus. Tredecim in eo sunt editi Canones. Præmissâ Fidei Professione in Sanctam Trinitatem, Canone 2. de continentiâ sacrorum Ministrorum statutum est, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ab uxoribus abstinerent, secundùm antiquum usum & Apostolorum doctrinam. Nondum eo tempore lex cœlibatus Subdiaconis in Africanâ Ecclesiâ imposita erat. Tertio Canone, Presbyteris Chrismatis confectio, consecratio Virginum, reconciliatio solennis Pœnitentium prohibita est: * quæ munia sibi contra Disciplinam Ecclesiasticam arrogabant. Quartus nihilominùs Canon Pœnitentes in periculo constitutos, Presbyterum ex mandato Episcopi reconciliare posse constituit. Quintus Canon in illis locis Episcopos constitui vetat, quæ numquam Episcopos habuerunt, nisi crescente populo Christiano, & ejus qui Diœcesi præest, accedente consensu. Sextus Canon, criminosos ad Sacerdotum, vel majorum natu accusationem non esse admittendos decernit. Canon septimus, in Episcopos vel Clericos animadvertit, qui damnatos a propriis Episcopis, eorumque regulare judicium fugientes receperint. Canon octavus Anathematis & depositionis pœnâ mulctat Presbyteros superbos, qui ab Episcopis suis correpti & excommunicati, Schisma adversùs ipsos fecerint. Jubet autem, si se gravatos sentiant, ut suas ad vicinos Episcopos deferant querimonias, a quibus eorum causa audiatur, & per quos Antistiti suo reconcilientur.

** Ea prohibitio in Concilio Carthag. 3. Can. 32. & 36. iterata est.*

Canonica Episcoporum judicia.

Nonus Canon, Presbyteris vetat ne inconsulto Episcopo, quovis in loco ad arbitrium *Agenda* agant, id est, Sacra celebrent. Decimus Canon judiciorum Episcopalium formam præscribit, statuitque ut Episcopus alicujus criminis accusatus, si non possit frequentior Synodus congregari, a duodecim saltem Episcopis, sex Presbyteris, & Diaconis tribus, cum proprio suo Episcopo audiatur, secundùm veterum Conciliorum statuta. Canone 11. statutum est, ne quis Episcoporum plebes, vel Diœcesim alienam invaderet. * 12. Canone decretum ne absque Primatis præcepto ordinetur Episcopus. 13. Canone sancitum est, ut uniuscujusque subscriptione saluberrimis his statutis robur adderetur.

** Id quoque prohibitum in Carthag. 3. Can. 20. & 21.*

ARTICULUS IX.

De Concilio Carthaginensi tertio.

Canonum Concilii Carthaginensis Tertii Synopsis.

COncilium Carthaginense III. sub Aurelio Carthaginensi Episcopo, anno Domini 397. congregatum est. Quinquaginta Canonibus Ecclesiasticam sancivit Disciplinam. Quoad Baptismum, rebaptizationes vetitæ sunt, secundùm decretum Capuensis plenariæ Synodi. (Canone 28.) Decretum est, ut ægrotis, si per se respondere non possent, suffragante suorum testimonio, Baptismus conferretur, [Canone 34.) Ne mortuis detur Baptismus vel Eucharistia, statutum est, (Canone 56.) Ne Catechumenis, etiam infra solemnissimos Paschatis dies, Sacramentum aliud, præter solitum sal, daretur, prohibitum est; quo tempore Fidelibus eulogias distribui mos erat, [Canone 5.) Circa Sacrificium altaris, sancitum est, ne in eo aliquid offeratur ampliùs, quàm ipse Dominus tradidit, id est, panis & vinum aquæ mixtum, [Canone 24.] Ut nisi a jejuniis, Sacramenta altaris non celebrentur, excepto die * Cœnæ Dominicæ, [Canone 29.) Ut cum altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio, (Canone 23.) Circa Pœnitentiam, ut pœnitentibus, secundùm peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio, Pœnitentiæ tempora decernantur, (Canone 31.) Ut Pœnitenti, cujus crimen publicum & vulgatissimum est, manus ante absidem imponatur: ut scilicet palam & in oculis omnium Pœnitentiam agat. (Canone 32.) Ut apostatis; vel histrionibus conversis Pœnitentia non negetur, (Canone 35.) Circa sacras Ordinationes, statuere patres Africani, ut Episcopus, non minùs quàm a tribus Episcopis ordinetur, [Canone 39.] Ut cùm electioni Episcopi aliqui contradicunt, unus vel duo ex numero Ordinatorum adjungantur; qui contradicentium personas, & rationes discutiant: & purgatum omni suspicione Sacerdotem sub omnium oculis inaugurent, [Canone 40.) Ut nullus Clericus ordinetur, nisi probatus vel Episcoporum examine, vel populi testimonio, (Canone 22.) Ut Clerici majores non ordinentur; nisi omnes suâ domo ad Fidem Christianam & Catholicam adduxerint, [Canone 18.] Ut ordinandis Episcopis, vel Clericis, Conciliorum decreta inculcentur, (Canone 3.) Ut ante 25. annum Diaconi non ordinentur, (Canone 4.)

** De hac disciplinâ lege S. Augustinum Epist. 118. ad Januarium.*

Disciplina circa Pœnitentes.

Disciplina circa Ordinationes.

Ut Siricius Episcopus Romanus, & Simplicianus Mediolanensis, de infantibus, qui a Donatistis baptizati sunt, consulantur, an cùm ad Ecclesiam fuerint conversi, parentum error illos impediat, quo minùs ad sacra altaris ministeria promoveantur, [Canone 48.] Reordinationes vetitæ sunt, (Canone 38.)

Libri Canonici.

(Canone 47.) Circa lectionem Scripturarum, statutum est, ut præter Scripturas Canonicas, nihil in Ecclesiâ legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sacrorum autem librorum Canonem eundem omninò cum eo, quem Innocentius I. Epistolâ 5. ad Exuperium, Gelasius in Romana Synodo, & Tridentina Synodus, conscripserunt, exhibet: adeò ut Calvinistæ, & Lutherani, plures Sacræ Scripturæ libros respuentes, profligentur hoc Canone, cui condendo S. Augustinus cum Episcopis Africanis 46. interfuit. Hunc autem sacrorum librorum Canonem a Patribus se accepisse profitentur.

Circa celebrationem Conciliorum, decretum est, ut per singulos annos Episcopi ad Concilium conveniant: & Paschæ dies a Primate Carthaginensi indicatur, Canone 1. 2. & 41.) In eos autem qui ad Concilium venire detrectaverint, sua fortè nè prodantur flagitia metuentes, Episcopatûs privatio decernitur. [Canone 43. *]

Hic Canon in Concilii Carthag. 5. Can 10. renovatur.

Circa mores Clericorum, removet Synodus typhum superbiæ ab Episcopis; prohibens ne primæ sedis Episcopus Princeps Sacerdotum appelletur, [Canone 26.] Removet ambitionis vel avaritiæ labem, prohibens translationes Episcoporum, quæ ex alterutrâ radice oriebantur, (Canone 38.) Removet inutilium peregrinationum, contra sacras residentiæ leges susceptarum occasionem, prohibens ne Episcopi absque Formatis Metropolitani sui literis transmarinum iter aggrediantur, (Canone 28.)

Hic Canon renovatus est in Concilio Carthag. 4. Can. 46.

Circa Clericorum omnium mores, decernit Synodus tertia Carthaginensis, ut Clerici procurationibus & negotiis non vacent: [Canone 15.] Ut fœdus non exerceant, (Canone 16.) Ut cum extraneis fœminis non commorentur, * sed solâ cum matre, avia, matertera, amitâ, sororibus, neptibus, nutubus, (Canone 17.) Ut Lectores cùm ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri. (Canone 19.) Ut Clerici nedum inferioris gradûs, sed Presbyteri etiam & Episcopi ad Virgines aut Viduas soli non accedant; sed illi quidem cum sociis a Presbytero aut Episcopo designandis; isti verò Clericis, aut gravibus viris ex Christianorum cœtu præsentibus, (Canone 25.) Ut Clerici, edendi vel bibendi caussâ tabernas non ingrediantur, nisi itineris necessitate compulsi, (Canone 27.) Ut Clerici in aliena civitate non commorentur, nisi justis de causis, & Episcopo, vel Presbytero loci cognitis, (Canone 37.) Ut Clerici nihil rerum suarum infidelibus, vel donatione, vel testamento conferant, etiamsi ipsis consanguinitate juncti fuerint, (Canone 13.)

Circa familiam Clericorum, statuit Synodus, ut eorum filii vel filiæ, Ethnicis, Hæreticis, vel Schismaticis, matrimonio non jungantur, (Canone 12.) Ut filios suos emancipari non sinant, nisi fuerint de eorum moribus & ætate securi, ne peccatis eorum irretiantur, (Canone 14.) Ut spectacula sæcularia nec exhibeant, nec iis intersint Clericorum filii, a quibus omnes Christiani prohibentur, (Canone 11.) Ut quæcumque a tempore Ordinationis suæ prædia, vel alterius generis bona, Episcopus vel Clericus comparavit nomine suo, ea conferat Ecclesiæ, alioqui invasionis rerum dominicarum reus teneatur, [Canone 49.] Quæ autem alicujus liberalitate, vel hæreditate obvenerint, familiæ suæ conferre possit.

Circa Episcoporum & Clericorum judicia, statuit Synodus ut causæ Episcoporum, ad Primatem Provinciæ, & ad Concilium universale anniversarium * totius Africæ deferantur; tempusque præscribit accusato & accusatori, infra quod Ecclesiasticis Judicibus sistere se debeant, (Canone 7.) Presbyterorum causas a proprio Episcopo, cum aliis quinque Episcopis vicinis: Diaconorum cum duobus; inferiorum Clericorum a solo ipsorum Antistite, discuti & finiri constituit, (Canone 8.) Ad publica & sæcularia judicia, sive in criminalibus, sive in civilibus causis, quæ ipsis in Ecclesia fuerint intentatæ, confugere Clericos prohibet sub periculo gradus, in caussa criminali: vel sub periculo rei, quam evicerint, amittendæ, in causa civili, [Canone 9.] Cùm sententia Judicum Ecclesiasticorum, a Superioribus, interjectâ appellatione, solvitur, nihil obesse rescissionem hujusmodi prioribus judicibus decernit: si convinci non potuerint, vel inimico animo judicasse, vel aliquâ cupiditate, aut gratiâ depravati, [Canone 19.] A judicibus mutuo partium consensu electis provocari vetat, (Ibidem.)

** Anniversarium Concilium, id est, quotannis celebrari solitum.*

Circa templorum venerationem, & preces, prohibentur convivia in templis, * (Canone 30.) Precibus verò non probatis uti Fideles vetat, [Canone 33.)

Circa sacras Virgines, statuit, ut cùm parentibus orbatæ fuerint, ab Episcopo, vel Presbytero (si absens ille fuerit) in Monasterio Virginum collocentur, aut gravioribus fœminis commendentur; earum ut consulatur pudicitiæ, & Ecclesiæ honori, (Canone 33.) Virgines porrò ante annum ætatis vigesimum quintum consecrari vetat, [Canone 4.] ne voti temerè emissi ipsas pœniteat, & a sancto proposito resiliant.

** Ut abusum illum in Ecclesiâ Africanâ grassantem compescat, Aurelium Episcopum S. Augustinus adhuc Presbyter hortatur, Epist. 64. ad ipsum datâ.*

ARTICULUS XI.

De Concilio Hipponensi.

QUo præcisè tempore celebratum fuerit istud Concilium, non constat. Certum est celebratum fuisse sub Aurelio Carthaginensi Episcopo, ante Concilium Carthaginense III. in quo ejus Canones in compendium redacti sunt, & cum Byzacenis Episcopis collati. Nihil est his in Canonibus singulare, quod in ipsis Carthaginensis tertiæ Synodi Canonibus non legatur, dempto 41. quò statutum est, ut Donatistarum Clerici, cùm ad Ecclesiam redeunt, in numero Laicorum recipiantur. Addita nihilominus huic regulæ exceptio est a Patribus Africanis, ut in pristino gradu reciperentur & honore, qui non rebaptizassent, vel plebem secum suam ad communionem Catholicam reducerent: quia tunc initæ pacis compensatione, & charitatis sacrificio, repetiti Baptismi crimen abolebatur. Ratio porrò quæ Africanos Patres impulit, ut aliquid prioris de severitate disciplinæ remitterent, fuit Clericorum inopia, quam tunc temporis illorum Ecclesiæ patiebantur.

ARTICULUS XII.

De Concilio Carthaginensi IV.

COncilium Carthaginense IV. Anastasii Romani Pontificis temporibus, Aurelio Carthaginensi Episcopo Præside, ducentis quatuordecim suffragan-

Canonum Concilii Carthaginensis Quarti Synopsis.

gantibus Episcopis, quos inter S. Augustinus eminebat, anno 398. celebratum est. Quatuor supra centum Canonibus Ecclesiasticam sancivit disciplinam. Primus ordinandi Episcopi dotes describit, examine Ordinationi sacræ prævio discutiendas, quæ Ordinatio cum Clericorum & Laicorum consensu, in Conventum Comprovincialium Episcoporum, auctoritate Metropolitani celebranda est. Sequentes Canones ad XI. usque, ritus

Sacrarum Ordinationum Ritus.

Ordinationum sacrarum præscribunt, earumque materiam, vel formam (ut nunc vocamus.) In his notandum, solam impositionem manuum, non unctionem, non instrumentorum porrectionem, ut materiam Presbyteratus assignari. Manuum verò impositionem illam ad Sacerdotii essentiam solam pertinere, quæ ab Episcopo simul & Presbyteris adhibetur; non verò eam quæ fit ab Episcopo statim post Litanias, absque prolatione verborum & oratione; nec eam cui adjungitur illa verborum formula, *Accipite Spiritum Sanctum*, &c. Secundo, nec porrectionem instrumentorum, sive libri Evangeliorum traditionem, esse essentialem Diaconatui, sed manuum impositionem solius Episcopi: quam quia non accipit Subdiaconus, instrumentorum porrectione ordinatur. Quod ex his Canonibus viri doctissimi colligunt.

Mores Episcoporum

Sequentibus Canonibus ad 36. usque, mores Episcoporum componuntur; decerniturque ut Episcopus non longè ab Ecclesia hospitiolum habeat, (Canone 54.) Hospitiolum dicit, non palatium. Ut vilem suppellectilem, & mensam ac victum pauperem habeat, & dignitati suæ auctoritatem Fidei, & vitæ meritis conciliet, (Canone 15.) Ut Gentilium libros non legat, nec Hæreticorum, nisi cùm opus est, (Canone 56.) Ut viduarum, pupillorum, ac peregrinorum curam per seipsum non gerat, sed Archipresbytero, vel Archidiacono eam demandet. Ut tuitionem testamentorum non suscipiat: Ut rem familiarem per se non administret, ne his negotiis a sacra lectione, oratione, & verbi divini prædicatione, quibus totus deditus esse debet, avocetur. [Canonibus 17. 18. & 20.]

Ad hæc decernitur, ne Episcopus pro rebus transitoriis, etiam provocatus, litiget, (Canone 29.] Cùm enim vix absque labe cupiditatis, quæ charitatis venenum est, lites hujusmodi suscipi & promoveri possint, indignæ sunt Episcopo, qui charitatis exemplum esse debet, ac ab omni cupiditate alienus. Hæc a cupiditate immunitas præstabit, ut rebus Ecclesiæ, tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur, quod [Canone 31.) decretum est. Efficiet etiam ne de loco ignobili ad nobiliorem transeat; quod Canone 27. vetitum. Hujusmodi porrò translationes Episcoporum propter Ecclesiæ bonum, Clericis Laicisque supplicantibus, decernente Synodo, licitas fuisse, Canon iste nos docet. Synodo ut adsit Episcopus per se, vel per legatum, [Canone 21.] edicit.

Presbyteri in Ecclesiastici regiminis societatem admissi in Ecclesia Africana.

Veterem Ecclesiæ Africanæ disciplinam, secundùm quam Presbyteros in Ecclesiastici Regiminis societatem admittebant Antistites, ut S. Cypriani Epistolæ demonstrant, hæc sancta renovat Synodus; prohibens ne absque ipsorum consilio Episcopus Clericos ordinet, ne ipsis non consciis, & absentibus causas audiat, jusque dicat; irritam fore alioqui sententiam: ne absque ipsorum subscriptione res Ecclesiasticas donet, vendat, vel commutet: has alioqui actiones irritas fore, [Canonibus 22. 23. & 32.]

Presbyteri ab Episcopis honorificè tractandi.

Jubet proinde Synodus Episcopis, ut honorificè cum Presbyteris agant, nec ipsos excipiant ut servos, sed ut collegas; & quamvis in Ecclesia, & in consessu Presbyterorum subliniores sedeant, nullibi tamen stare coram se Presbyterum patiantur. (Canonibus 34. & 35.)

Episcopos vel Presbyteros alienam Ecclesiam pietatis animo adeuntes & visitantes, honorificè suscipi jubet, & ad consecrandam Oblationem, seu Missam celebrandam, verbumque faciendum, seu habendam Concionem, invitari; nec minorem hac in parte Presbytero, quàm Episcopo, deferri vult honorem, [Canone 33.]

A Caoone 37. ad 42. Diaconorum erga Presbyteros reverentia & obedientia sancitur. Per ipsos porro victum ministrari jubet ab Ecclesia Christianis Catholicis, qui pro Fide, & re Ecclesiastica tribulationem patiuntur, (Canone 43.)

Vita & mores Clericorum.

Clericorum deinde quorumvis reformationem aggreditur Synodus, imprimisque de ipsurum in ornatu corporis modestia fert leges: ut scilicet nec comam, nec barbam nutriant; ut in habitu & in incessu Professionem suam probent, nec vestibus aut calceamentis decorem quærant, [Canonibus 44. & 45.] Clericum, cujus pars Dominus est, a sæculi societate & tumultu secretum vult esse Synodus, adeoque nec per plateas, nisi ministerii sui necessitate compulsum, nec in nundinis vel in foro, nisi ipsi aliqua res emenda sit opus, deambulare; idque sub periculo proprii gradûs, & Officii, (Canonibus 47. & 48.] In sacris Officiis assiduum esse jubet; adeoque stipendiis privari, si Vigiliis, citra ægritudinem, defuerit: ab officio removendum, si se gesserit in ministeriis negligentiùs, [Canonibus 49. & 50.) Ut otio morum optimorum pesti bellum Clerici indicant, neque Ecclesiæ, aut cuivis sint oneri, consultissimè statuit Synodus, ut artificiolo, vel agriculturâ, victum & vestimentum sibi parent, absque Officii sui detrimento. (Canonibus 51. 52. & 53.

Bigamos, Pœnitentes publicos, usurarios, seditiosos, injuriarum suarum ultores, falsos fratrum accusatores, ad Clerum vetat promoveri, [Canonibus 55. 67. 68. 69.] Clericis, qui fratrum profectibus invident, aditum ad altiorem gradum præcludit, [Canone 54.] Clericum adulatorem, proditorem, maledicum (si veniam postulare noluerit) scurrilem & verbis turpibus jocularem, jejunium Ecclesiasticum temerè violantem, Canones 56. 57. 60. 63. percellunt, & in ordinem redigunt. Clericum per creaturas jurantem, objurgandum primò, tum (si perstiterit in vitio] excommunicandum statuit Canon 61. Eum qui inter epulas cantaverit, eadem severitate coerceri jubet Canon 62. Clericos Hæreticorum & Schismaticorum convivia vitare jubet Canon 75. Cum quibus nec orandum, nec psallendum, ex Canone 72. Utì nec cum excommunicatis. Qui secus faxit, excommunicatur, Canone 73. Concordiam inter Clericos omni studio & cura fovere & restaurare tenetur Episcopus, adeoque discordantes, vel ratione, vel potestate, ad concordiam trahere, (Canone 59.) Quia verò quidam sunt ad lites propensi, & ad querimonias faciles, eorum testimonium, aut querelas absque accurato examine recipiendas non esse, statuit Synodus. (Canone 58.)

Pœnitentialis Disciplina.

Pœnitentiæ etiam disciplina hujus Concilii Canonibus sancita est. Circa quam constitutum est primò, Pœnitentiam implorantibus, absque personarum acceptione Pœnitentiæ leges esse imponendas, [Canone 74.) Negligentiores Pœnitentes tardiùs ad communionem recipiendos, [Canone 75. Pœnitentibus moribundis Viaticum esse concedendum: eà tamen lege, ut se a Pœnitentiæ laboribus absolutos non credant, si supervixerint, donec manus impositionis ritu solemni ab Episcopis reconcilientur, [Canonibus 77. & 78.] Cæte-

rùm

rum si infirmus petitâ Pœnitentiâ, & vocato Sacerdote, interim obmutuerit, suffragante adstantium testimonio, Pœnitentiam ipsi imponendam decernunt Africani Patres: & morti proximum reconciliare per manus impositionem, atque Eucharistiæ Viatico muniri. Si autem convaluerit, statutis Pœnitentiæ legibus nihilominus subdendum, (Canone 76.) Ita dubia quæ in exitu agebatur Pœnitentia visa est, ut probandi postea, & secundùm Canonum severitatem novis expiandi laboribus, si convaluissent, Pœnitentes illi Clinici putarentur. Contra verò de eorum salute benè sperabat Ecclesia, qui dum Pœnitentiæ leges accuratè exequerentur, in itinere, vel in mari, ubi eis subveniri non posset, diem suom obibant. Eorum ideò memoriam & orationibus, & Oblationibus commendandam statuit (Canone 79.) Quo Canone Novatorum error, Ecclesiæ preces, & Sacrificia defunctis Fidelibus prodesse impiè negantium, profligatur. Ad hæc, manus Pœnitentibus a Sacerdotibus imponi jejunii diebus, quòd Pœnitentiæ singulari quadam ratione consecrati sint illi dies, (Canone 80.) decernitur. Ut verò charitatis & humilitatis operibus continuò sua possint expiare delicta, ipsis injungitur ut mortuos efferant, & sepeliant, (Canone 81.) Hujus disciplinæ reliquiæ sunt piorum Sodalitia & Confraternitates sub Pœnitentium nomine ab Ecclesiâ probatæ, qui dum grassatur etiam pestifera lues, hoc morbo peremptorum corpora efferunt & sepeliunt, fervore charitatis morte fortioris.

Regula Catechumenis & Neophytis posita.

Cathecumenis etiam, & Neophytis aliquas regulas statuit sancta hæc Synodus: Præcipit scilicet ut nomen suum dent, & diuturnâ a carnibus & vino abstinentiâ, necnon crebrâ manûs impositione, ad Baptismum disponantur, [Canone 85.] Neophytos verò, seu recens Baptizatos, aliquandiu a lautioribus epulis, & spectaculis, & conjugibus abstinere jubet, ut secundùm novum hominem, quem induti sunt, vivere assuescant, (Canone 86.) Ne verò claudi alicui janua salutis videatur, statuit ut Episcopus ab ingressu Ecclesiæ, dum verbum Dei prædicatur, arceat neminem, sive Ethnicum, sive Hæreticum, sive Judæum, (Canone 84.) Quia verò in scandalum infidelium vergebat, quòd a sacrâ concione sese subducerent Christiani, in ipsorum, qui ita se subducebant, perniciem; statuunt Patres, ut qui Sacerdote verbum faciente in Ecclesiâ, egressus de auditorio fuerit, excommunicetur, (Canone 24.]

Anathemate etiam ferit Synodus eos qui auguriis, incantationibus, Judaicis superstitionibus, Christianam Professionem polluebant. Decernit etiam communione privandos, qui die solemni, prætermisso Ecclesiæ conventu, spectaculis interfuerint, (Canonibus 88. & 89.)

Ipsis Energumenis provident Africani Patres, (Canonibus 90. 91. & 92.) Quibus prudenter indicunt ut templorum pavimenta verrant; ut qui ipsos vexat dæmon, hoc religiosæ humilitatis obsequio crucietur, utque contemni se videns superbus Spiritus, templum Dei, Christiani scilicet corpus deserat.

Disciplina circa Viduas & Sanctimoniales.

Accepta ab Apostolis Disciplina, quæ viduarum Christianarum curam ab Ecclesia geri maximam statuit, hujus Concilii Canonibus confirmatur. Crimini vertitur Episcopo, vel Presbytero, qui Parochiæ præest, si sustentandæ vitæ præsentis causa juniores Viduæ vel Sanctimoniales Clericorum familiaritatibus subjiciantur. Viduis denique continentiam ritu solenni professis, quæ violato proposito ad nuptias transierint, Christiana communio subtrahitur, (Canonibus 101. 102. 103. 104.) Probandum ab Episcopo, qui religiosis fœminis præponitur, Sacerdotem, statuit (Canone 97.)

Pauperum cura.

Præterea pauperum curam commendat, & promovet sanctionibus suis hocce Concilium. Et primùm pauperes & senes Ecclesiæ plus cæteris honorandos statuit, (Canone 83.) Ubi nomine honoris, non exterior solùm reverentia, sed maximè rerum necessariarum administratio intelligenda est. Deinde eorum qui pauperes opprimunt, dona & oblationes a Sacerdotibus respui jubet, (Canone 94.) Tandem quia defunctorum oblationes & pia legata in solatium subsidiumque pauperum ab Ecclesia impenduntur, statuunt Patres (Canone 95.) Ut qui oblationes, defunctorum, aut negant Ecclesiis, aut ægrè reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur.

Dissidentium oblationes non recipiendæ.

Ultimò, ut Christiani inter se dissidentes, & odia atque inimicitias in animis foventes, ad concordiam vel pœnis spiritualibus revocentur, qui charitatis legibus, & verbo divino revocari non possunt; prohibent Africani Patres (Canone 93.) Ne oblationes dissidentium fratrum, sive in sacrario, sive in gazophilacio recipiantur.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 319. Editionis primæ. Religiosi Censores hanc Propositionem notant, *Materia Ordinis sacri solam manum impositio.*

R. Non ita scripsi; sed, *Solam impositionem manuum ut materiam Presbyteratûs & Diaconatûs assignari in Concilio Carthaginensi quarto.* Cæterùm an sola manuum impositio, an traditio instrumentorum, an utraque sit materia essentialis horum Ordinum, res est in opinione posita. Quatuor ea de re Scholasticorum opiniones recenset *Joannes Morinus* p. 3. *De Sacris Ordinationibus* Exercitatione 7. cap. 1. primisque tribus expulsis, subdit: *Postrema opinio ea est quæ materiam Sacerdotii constituit solam manuum impositionem. Hanc solam omnis Ecclesia Latina, Græca, Barbara semper agnovit. Hanc solam commemorant omnes antiqui Rituales Latini, Græci; omnes antiqui & recentiores Patres, Græci, Latini .... Græci, ut demonstratum est, legitimè & validè Presbyteros consecrant: Semper Ecclesia Romana eorum Ordinationes probavit. At apud eos incognita est ista Instrumentorum traditio, & semper incognita fuit. Ergo ea non pertinet ad Ordinationis Presbyteralis substantiam. Minor propositio non secus ac Major indubitata est fidei, satisque demonstrata est, & quotidie Romæ ipsa praxi demonstratur.* Et Exercitatione 9. *De Diaconatu*, cap. 1. quatuor item Scholasticorum sententias de materia Diaconatus refert. *Prima est eorum, qui solam manuum impositionem censent esse istius Ordinis materiam, quales videntur S. Bonaventura in 4. Dist. 24. 1. p. Art. 1. Quæst. 4. Durandus ibidem Quæst. 111. n. 7. & 8. Scotus in eamdem Dist. 1. Quæst. 1. Roffensis in lib. contra Captivitatem Babylonicam cap. 12. §. 7. & de Sacerdotio contra Lutherum, Axiom. 9. Arcudius lib. 6. cap. 4. Becanus eamdem sententiam amplectitur, De Sacramento Ordinis cap. 26. Quæst. 4. cùm ait, Materiam verò essentialem esse manuum impositionem, accidentalem autem instrumentorum porrectionem.* Hanc opinionem tuetur eruditus *Morinus*, eâque ex veteribus Ritualibus, & Ecclesiæ Græcæ usu probatâ, ita colligit: *Itaque manifestum est ad Diaconatus materiam nullo modo pertinuisse Evangelii traditionem, cùm Ecclesiæ magna pars eam numquam usurpaverit, & nec etiam nunc usurpet; & pars altera nongentorum annorum spatio eam numquam usurpaverit: & post illud tempus nonnulla Ecclesia sub Formulis variis*

eam

tam amplexa fuerint, tandemque ferò in unam & eandem Formulam conspiraverint.

Nota.

MAnuum impositionem esse materiam essentialem Sacramenti Ordinis suadet S. Scriptura, quæ solius impositionis manuum meminit ubi sacramentum Ordinis exprimit *Act. 6. v. 6. & c. 13. 3.* ubi ordinatio Pauli, & Barnabæ recensetur, & *1. ad Timot. 4. 14.* Suadent deinde Concilia, quæ impositionem manuum & orationem in ordinatione Ministrorum ecclesiæ adhibitam ostendunt, nempe Nicænum *c.* can.9. Antiochenum an.341. can.17. Ancyranum an. 314. can.9. Carthaginense IV. an.398. cap.2. 3. & 4. Toletanum IV. an.633. can.28. ex quo Hallerius *de Sacr. ordination. sect.2. c.2. art.1. n.7.* infert ecclesiam Hispanam initio seculi septimi in ordinatione Presbyteri, & Diaconi nondum instrumentorum porrectionem adhibuisse. Sed aliis conciliis omissis, observandum demum Tridentinum loquendo *sess.14. c.3.* de ministro extremæ Unctionis, ait esse episcopos, aut Sacerdotes rite ordinatos *per impositionem manuum Presbyterii*. Cùm verò ejusdem impositionis manuum non raro etiam PP. meminerint, post illorum allata testimonia Bellarminus *cap.9. de Sacram. Ordinis* hæc habet: *Dicere omnia Concilia, Pontifices, & Patres loqui de accidentaria ceremonia ridiculum est, cùm nunquam ponant aliam ceremoniam, & sæpe ex professo tractent de ritu ordinationis. Quis enim credat tot Patres, & Concilia, cùm nihil frequent ùs tractent quàm ordinationes Sacerdotum, ne semel quidem attigisse id, quod ad essentiam sacramenti pertinet?* Sed & Isidorus Hispalensis, Amalarius Fortunatus, Rabanus Maurus, Alcuinus, Walafridus Strabo de sacris ordinationibus ex professo agentes, sicut & Libri Rituales antiquioris notæ apud Morinum, Menardum, Martenium non aliam materiam quàm impositionem manuum commemorabant. Ecclesia tandem Græca non aliam materiam in sacra ordinatione quàm impositionem manuum usurpat, testibus Arcudio, & Goario; atque ipsorum ordinationes validas esse diversi Pontifices declararunt, ut ostendit Morinus *de Sacr. ordinat. p.1. c.3. & 4.*

Ob hujusmodi momenta inter alios Maldonatus *de Sacram. Ord. q.3. part.2. prop.1.* putat fide catholica tenendum esse manuum impositionem esse partem essentialem sacramenti Ordinis; quod quidem non intelligendum de prima manuum impositione, quę nulla habet adjecta verba, nec de tertia, quæ fit versùs finem Missæ, & supponit Sacerdotes jam consecratos, sed de secunda, quando cum episcopo etiam presbyteri assistentes manus imponunt: quamvis ex parte horum, qui non sunt ministri sacræ ordinationis, nec aliqua proferunt verba, non sit materia ordinationis, sed signum tantùm societatis ad simile ministerium.

Ex prædictis etiam aliqui inferunt porrectionem instrumentorum, calicis nempe cum vino, & patenæ cum hostia esse tantùm materiam integralem sacramenti Ordinis, cum illius S. Scriptura, neque postea Concilia, & PP. per plura sæcula meminerint; unde Morinus *de Sacr. Ordin. p.3. exerc.7. c.1. n.16.* decimo tantùm sæculo hanc ceremoniam incepisse autumat. Neque huic sententiæ obstare ipsis videtur, quòd Eugenius IV. in Decreto, seu Instructione Armenorum singulorum Ordinum materias formasque accurate recensens, nulla impositionis manuum facta mentione, sola commemoret instrumenta, quæ ordinandis porriguntur. Sicut igitur observat Arcudius *lib.6. de Sacram. Ord. c.6.* Eugenius impositionem manuum præsupposuit, cùm Armenos remiserit ad Pontificale Romanum, ubi impositio manus tanquam essentialis præscribitur. Cùm verò eamdem Armeni retinerent, ut observat Menardus in *Not. in Libr. Sacram. S. Gregor.* illius mentio facienda non erat ab Eugenio, sed solùm instruendi circa id, quod ulterius ecclesia Romana, cujus ambiebant unionem, observabat, sicut etiam adnotat Hallerius *de Sacr. Ordin. sect. 2. cap.2. art. 6.12.*

Cæterùm ne quis anxius sit de suæ ordinationis validitate, in praxi omnia sedulò servanda, quæ ecclesiæ usus præscribit, cauteque supplendum, si quid forte fuerit omissum.

ARTICULUS XII.

De Concilio Carthaginensi V.

ANno post Cesarii, & Attici Consulatum qui Christi 398. fuit, V. Carthagine Concilium, Aurelio Præside, septuaginta duobus Episcopis ipsi assidentibus ad restaurandam Africanæ Ecclesiæ disciplinam, congregatum est. Quindecim Canones condidit. *Canonum Synopsis.* Occasione infantium, quos Episcopi Mauritaniæ a Barbaris redimebant, statutum est Canone 6. ut cùm baptizatos esse infantes nullo testimonio constaret, neque ipsi per ætatem essent idonei qui de traditis sibi Sacramentis responderent, absque hæsitatione & scrupulo baptizarentur. *Mos baptizandi sub conditione, quando cœpit.* Quo ex Canone colligitur, in iis baptizandis, de quibus dubitaretur conditionem ex veteri Ecclesiæ disciplina adhibitam non fuisse. Quam disciplinam non Africana tantùm, sed & Romana Ecclesia secuta est, ut constat ex Epistolâ 92. S. Leonis ad Rusticum Narbonensem datâ, in responsione ad inquisitionem 16. & ex ejusdem Epistola 37. ad Neonam Ravennensem Episcopum, & ex S. Gregorio lib.12. Indict.8. Epistola 31. ad Felicem Siciliæ Episcopum datâ; & ex Gregorio III. Epistolâ 14. ad Bonifacium. Eandem in Ecclesia Gallicanâ viguisse disciplinam, ex Capitularium lib.7. c.302. compertum est. Eumdem morem in Ecclesia Anglicanâ fuisse receptum, constat ex Collectione Conciliorum Anglicanorum, inter Excerpta Egberti, Canone 41. ex Concilio Eboracensi, anno 1194. & ex Londoniensi, anno 1200. Statuto 3. Alexander III. Pontifex Maximus, qui sedere cœpit anno 1159. primus hunc baptizandi sub conditione morem invexit. Ejus Decretum refertur Extra, *De Baptismo*, cap.2. Sed nec statim post Alexandri III. Decretum, mos ille ubique obtinuit ut conditio apponeretur, ut constat ex scriptis Magistri Sententiarum, Petri Pictaviensis, & Petri Cantoris, propugnantium nullam esse apponendam conditionem. Canon 2. ejusdem Concilii, Presbyteris in gravius aliquod crimen lapsis, manus, tanquam Pœnitentibus, vel tanquam fidelibus Laicis imponi vetat. Scilicet publicæ Pœnitentiæ Clerici majores ex Ecclesiæ disciplina tunc non subjiciebantur. Notatu dignus est Canon 14. quo statutum est, nullam memoriam Martyrum, sive nullum templum aut altare in Martyrum honorem, probandum esse ab Episcopis, nisi ibi corpus, aut certæ aliquæ reliquiæ Martyris conditæ sint: aut ubi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis Martyrum fidelissimè traditur. *Altaria secundùm somnia & inanes Revelationes erecta reprobantur.* *Quæ enim per somnia, & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubique constituuntur altaria*, Concilium decernit omnimodè reprobanda.

Pau-

Pauperum defensio, quæ sanctis Episcopis semper curdi fuit, dignissima visa est Patribus Africanis Ecclesiasticâ sollicitudine. Sed quia ipsorum impediendæ oppressioni par non erat Ecclesia, Imperatoribus supplicaverunt ut Defensores eis adversùs potentiam divitum constituerent: quod ab ipsorum pietate impetravere.

SCHOLION.

Ad hunc Articulum, pag.327. Editionis primæ Religiosi Censores hanc mihi Propositionem tribuuot; *Non fuat baptizandi sub conditione, sed absolutè, ii de quibus non constat, quòd baptizati sint.*

R. Hæc Propositio non est mea, mihi affingitur; neque hìc, neque alibi in Operibus meis legitur. Ex Canone sexto Concilii Carthaginensis quinti colligo, *In iis baptizandis, de quibus dubitaretur, conditionem ex veteri Ecclesia Disciplina adhibitam non fuisse. Alexandrum III. hanc baptizandi sub conditione morem primam invexisse.* Ext. *De Baptismo*, cap.2. Disciplinæ res est. Vetus Disciplina fuit ut sine conditione baptizarentur illi, de quibus dubitabatur an baptizati essent. Hodierna Ecclesiæ Disciplina est ut sub conditione baptizentur. Hanc observare necesse est.

CAPUT V.

De statu Politiæ Ecclesiasticæ IV. Sæculo.

ARICULUS I.

De Patriarchis.

IGnotum quidem adhuc erat in Ecclesia Patriarchæ nomen, quod nonnisi sub Concilii Calchedonensis tempora usurpari cœpit: sed spectatissimæ erant in Ecclesia tres sedes primariæ, quæ cæteris eminebant omnibus, quòd a S. Petro fundatæ essent: Romana scilicet, Alexandrina & Antiochena. Quarum Episcopi jurisdictione ampliori fruebantur, multisque non modò Provinciis, verùm etiam Diœcesibus præerant. De his Nicæni Concilii Canon 6. *Antiqua consuetudo*, inquit, *servetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia & Urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque Provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis.* De his & Canon secundus Constantinopolitani Concilii. *Secundùm regulas constitutas* (Nicææ) *Alexandria quidem Episcopus ea, quæ sunt in Ægypto tantùm gubernet: Orientis autem Episcopi, solius Orientis curam gerant, servatis honoribus primatûs Ecclesiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicænæ Synodi continentur.* Romani Patriarchæ non meminit, quia nulli præscribi poterant ipsi limites, cùm ejus jurisdictio & auctoritas in totum orbem Christianum funderetur.

Totius Occidentis administrationem Patriarchico jure suscipiebat Romanus Episcopus. Unde Synodus Arelatensis anno 314. ad S. Silvestrum scribebat: *Tu, qui majores Diœceses tenes*: & S. Basilius Romanum Episcopum *Occidentalium Coriphæum* vocabat. Alexandrinus Episcopos totam Ægyptum, ac Thebaidem, Mareotidem, Libyam, Ammonitidem, ac Pentapolim moderabatur. (ex S. Epiphanio Hæresi 78.)

Antiochenus Diœcesim Orientis regebat, quæ Provincias xv. complectebatur; ut colligitur ex S. Hieronymo lib. adversùs errores Joannis Hierosolymitani. *Ad Alexandrinum Episcopum*, inquit, *Palæstina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur* (in Synodo Nycæna) *ut Palæstinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia.* Ibi non significat Orientis nomeo eas omnes Provincias, quæ a Thracia per Ægyptum, & Asiam minorem, usque ad Euphratem & Tigrim pertinent; quæ Provinciæ Diœcesibus v. comprehendebantur, Thraeica, Pontica, Asiana, Orientali, & Ægyptiaca: sed solam Diœcesim Orientalem significat.

Tribus illis Patriarchis proximus erat honore Hierosolymitanus Episcopus, cui Nicæni Patres Ecclesiæ traditionem & antiquam consuetudinem secuti, *consequentiam honoris* detulerunt; *salvâ Metropoli* Cæsareensi *propriâ dignitate.*

Accessit ad Patriarcharum numerum Constantinopolitanus Episcopus, cui secundus locus a Romano, & *Honoris Primatus*, dignitasque Patriarchica Synodi Constantinopolitanæ 1. Canone 3. concessa est: ut in Differt. ostendam. Heracleensis in Thracia Metropolitæ Suffraganeus antea fuerat Antistes Constantinopolitanus, sed cùm Imperii Sedes & nova Roma Byzantium evasisset, urbis dignitas Episcopo ad majores honores, auctoritatemque ampliorem, aditum patefecit.

Patriarcharum privilegia erant, Ordinationes Metropolitanorum in suis Diœcesibus, Conciliorum Patriarchalium convocatio, legum Ecclesiasticarum conditio, majorum judicium causarum, procuratio executionis Canonum in omnibus Provinciis ditioni suæ subjectis.

ARTICULUS II.

De Exarchis.

EXarchi Metropolitanis superiores, Patriarchis dignitate inferiores erant: quibus tamen subditi semper non fuerunt. Tres Exarchi fuerunt in Orientali Ecclesia spectatissimi, scilicet Ephesinus, Heracleensis, & Cæsariensis, Episcopi. Ephesino Asiana Diœcesis, Cœsariensi Pontica, Heracleensi Thracica, parebant. Hos intellexere dubio procul Nicæni Patres Canone 6. his verbis: *Similiter apud Antiochiam, & cæteras Provincias, privilegia serventur Ecclesiis.* Quæ verba indicant, alios ab Antiocheno Episcopos, plures Provincias administrasse. Concilium 1. Constantinopolitanum tres istos Exarchos post Alexandrinum & Antiochenum nominat Canone 2.

Asiatica Diœcesis, in Notitia Imperii, decem Provinciis coostat; quæ Vicario Præfecti Prætorio Orientis parebant, scilicet Pamphylia, Lydia, Hellesponto, Pisidia, Lycaonia, Phrygia utraque, Lycia, Caria & Insulis. In Politiæ tamen Ecclesiasticæ ratione, Asiana Diœcesis undecim Provincias complectebatur, teste Theodoreto, lib.5. cap.28. quod ex Theodosii lege facilè explicatur, quæ Asiam Proconsularem ab Asiana Diœcesi distinguit. (L.3. Codicis Theodos. *De Fide Cathol.*) Itaque Asia Proconsulari ad decem Provincias Asianæ Diœceseos adjectâ, conficitur numerus undecim Provinciarum Ecclesiasticarum a Theodoreto designatus.

Pontica Diœcesis totum tractum a Bithinia usque ad Armeniam, adjectâ Galatiâ, & Cappadociâ complectebatur, & Vicario parebat. In ratione Imperii ex Provinciis decem conflata erat: sed in dispositione Ecclesiastica undecim constabat Provinciis, teste Theodoreto, loco supra laudato.

Diœcesis Thracica sex Provinciis, cùm in Imperii,

perii, tum in Ecclesiæ Notitia constabat. De his lege illustrissimum D. de Marca lib. 1. de Concordia Sacerdotii & Imperii, cap. 3.

Trium illorum Exarchorum brevis admodum fuit auctoritas, siquidem Constantinopolitano Patriarchatu instituto, desiit ipsorum αὐτοκεφαλία. Sub ipsius tamen jurisdictione eximiis fruebantur honoribus, & in Conciliis Oecumenicis post quinque majores Patriarchas sedebant.

ARTICULUS III.

De Thessalonicensi Primate.

I. Thessalonica, licèt Orientalis Imperii civitas, ad Occidentis Patriarchatum pertinebat. Illyrici quippe caput erat. Diviso inter filios Constantini orbe Romano, Illyricum totum cessit Occidentis Imperio, absque ullâ sectione. Tunc Sirmium caput Illyrici evasit. Secto deinde in duas partes Illyrico, Orientale scilicet, quod duas Macedonias, Thessaliam, Achaiam, & utramque Epirum complectebatur; & Occidentale, quod Pannoniam, utrumque Noricum & nonnullas alias Provincias Italiæ vicinas continebat. Thessalonica Illyrici Orientalis caput facta est; Sirmium, Illyrici Occidentalis primaria civitas. Sedes Præfecti Prætorii Illyrici Orientalis Thessalonica. Illyricum Occidentale Præfecto Prætorio Italiæ parebat, cujus Vicarius Sirmii morabatur. Immutatio civilis dispositionis Illyrici, jura Patriarchica Romani Episcopi in illa Diœcesi nullatenus imminuere debuit. Quamobrem illam administravit semper, ut occidentis Patriarcha, constituto Thessalonicæ Vicario Apostolico, id est, suis vicibus Thessalonicensi Episcopo per totum Illyricum demandatis. A Damaso primùm Sedis Romanæ vices obtinuit Acholius Thessalonicensis, a Siricio Anisius; ut constat ex horum Pontificum Epistolis ad illos datis, quas protulit Bonifacius II. in Synodo Romana, quam Lucas Holstenius publici juris fecit. Eodem honore ac munere Anisium auxerunt Anastasius Syricii successor, & Innocentius I. qui exaltationis suæ nuntium ad eum celerrimè transmisit, ut ad optimum virum & in Deo semper fideliter laborantem. *Cui etiam*, inquit, *anteriores tanti ac tales viri Prædecessores mei Episcopi, id est, sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque suprà memoratus vir* [Anastasius] *ita detulerunt ut omnia quæ in illis partibus gererentur, Sanctitati tuæ traderent cognoscenda: meam quoque parvitatem hoc tenere judicium, eamdemque habere voluntatem, te decet recognoscere.*

II. Rufo Thessalonicensi eamdem auctoritatem tribuit ipse Innocentius I. ut constat ex Epistola quam ad ipsum ea de re scripsit, quæ lecta pariter est in laudata Synodo Romana sub Bonifacio. II. *Nec aliter*, inquit, *Apostolorum forma promulgata est, quàm ut ipsi Principes Evangelii constituti cæterarum rerum causas necessitudinesque suis discipulis curandas obeundasque mandarint. Ita denique tota miseratione mirabilis Paulus, Tito quæ curet apud Cretam; Timotheo quæ per Asiam disponat, commisit .... Divinitae ergo hæc procurreas gratia ita longis intervallis a me disterminatis Ecclesiis discat consulendum, ut prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam, causasque, si quæ exoriantur, per Achaiæ, Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, & Cretæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripensis, Mœsiæ, Dardaniæ, & Prævali Ecclesias, Christo Domino annuente, censeam .... Non primitùs hæc ita statuentes, sed Prædecessores nostros Apostolicos imitati; qui beatissimis Acholio & Anysio injungi pro eorum meritis ista voluerunt .... Arripe itaque, dilectissime Frater, nostra vice, per suprà scriptas Ecclesias, salvo earum primatu, curam, & inter ipsos Primates primus, quicquid eos ad nos necesse fuerit mittere, non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quicquid illud est finietur; aut tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus. Licitum autem & Apostolicæ Sedis favore permissum tuæ Fraternitati cognosce, ut cùm aliqua Ecclesiastica ratio vel in tua, vel in memoratis Provinciis agitanda cognoscendaque fuerit, quos velis Episcoporum socios quibuscumque de Ecclesiis assumas tecum, quorum & fide, & moderatione, quicquid necessitas causàve flagitaverit, optimus dirigas arbiter, & præcipuus, quippe a nobis lectus, desinas intercessor.*

III. Bonifacius I. eidem Rufo Vicariam Sedis Apostolicæ auctoritatem confirmavit, ut constat ex pluribus Epistolis, quæ insertæ sunt Synodo Romanæ supra laudatæ. In secunda sic habet. *Te ergo, Frater charissime, omnis cura respectat earum Ecclesiarum, quas tibi vice Sedis Apostolicæ a nobis creditas recognosces: ut & prava corrigas, & dissipata componas, & si quæ inter Episcopos eveniant causæ, sub divini judicii timore distringas: ut creditis tibi a Sede Apostolica gubernaculis contra omnes fluctus nascentium procellarum justè & prudenter utaris.*

In causâ Perigenis, qui Patrensium ordinatus Episcopus, & ab iis repulsus, ac deinde postulatus a Corinthiis, tumultum movebant Thessali, & invito Thessalonicensi Episcopo Synodum indixerant. In quos propterea Bonifacius I. animadvertit: *Ad Thessalos*, inquit, *comminationis & correptionis plenas literas misimus. Ad Synodum, quæ dicitur illicitè congreganda de causa fratris nostri & Coëpiscopi Perigenis, cujus sæpissime statum nulla posse penitus ratione turbari, talia scripta direximus, quibus universi Fratres nostri intelligant, primò convenire se citra tuam conscientiam minimè debuisse; deinde de nostro non esse judicio retractandum. Nunquam etenim licuit de eo rursus, quod semel statutum est ab Apostolica Sede tractari.*

IV. Cælestinus I. Rufo Thessalonicensi vices pariter suas commisit, ut constat ex ipsius Epistola ad Perigenem & octo alios Illyrici Episcopos data. *Dominentur nobis regulæ*, inquit, *non regulis dominemur: simus subjecti, cùm Canonum præcepta servamus. Sunt culpæ aliquantæ non leves, quæ illis innata Provinciis, ad nos cùm simus longiùs, non possunt pervenire; aut jam semotis omnibus, non ita ut sunt acta, interposito temporis spatio perferuntur: quas omnes nos intercessione fratris & Coëpiscopi nostri Rufi, volumus resecare. Cui vicem nostram per vestram Provinciam noveritis esse commissam: ita ut ad eum, quicquid de causis agitur, referatur. Sine ejus consilio nullus ordinetur, nullus usurpet eodem inconscio commissam illi Provinciam. Collegæ nisi cum ejus voluntate Episcopos non præsumant: per eum etiam ad nos si quid est, referatur.*

V. Xistus III. Anastasio Thessalonicensi eumdem honorem atque munus detulit, ut constat ex istius Pontificis Epistola ad universos Episcopos Thessalonicæ congregandos. *Nos*, inquit, *fratri & Coëpiscopo nostro Anastasio tantùm tribuimus, quantum Decessoribus ipsius a nostris Decessoribus attributum. Priorum judicium sequimur, hæc constituendo, quæ ab his novimus constituta .... Habeant honorem, suum Metropolitani singulorum, salvo hujus privilegio, quem honorare debeant ampliùs honorati. In Provincia sua jus habeant ordinandi; sed hoc inscio, vel invito, quem de omnibus volumus Ordinatio-*

nibus consuli, nullus audeat ordinare. Ad Thessalonicensem majores causa referantur Antistitem, ipsum major cura respectet, eos qui ad Episcopatum vocantur discutiendi sollicitius & probandi. Legantur ejusdem Pontificis Epistolæ ad Proclum, & ad Illyrici Episcopos.

VI. S. Leo Anastasio Thessalonicensi idem privilegium, eamdemque auctoritatem concessit, Siricii secutus exemplum, qui Anysio vices suas certa ratione commiserat, ut ipse ait io Epistola ad ipsum Anastasium: in qua & privilegia ipsi ut Sedis Apostolicæ Vicario collata enumerat. *Nullus*, inquit, *te inconsulto per illas Ecclesias ordinetur Antistes. Ita enim fiet ut sint de eligendis maturæ judicia, dum tua Dilectionis examinatio formidetur. Quisquis verò de Metropolitanis Episcopis, contra nostram præceptionem, prætee tuam notitiam, fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos status sui esse noverit firmitatem . . . . Singulis autem Metropolitanis sicut potestas ista committitur, ut in suis Provinciis jus habeant ordinandi; ita eos Metropolitanos a te volumus ordinari, maturo tamen & decocto judicio . . . . Ad Synodum quisquis fratrum fuerit evocatus, occurrat; nec sancta congregationi se deneget, in qua maximè constituendum esse noverit, quod ad Disciplinam poterit Ecclesiasticam pertinere.* Majores tamen causas & appellationes, Sedis Apostolicæ judicio reservat S. Leo: *Si qua verò causa major evenerit*, inquit, *qua a tua Fraternitate illic præsidente non potuerit definiri, relatio tua missa nos consulat: ut revelante Domino, cujus misericordia profitemur esse quod possumus, quod ipse nobis aspiraverit, rescribamus: ut cognitioni nostra pro traditione veteris instituti, & debita Apostolica Sedis reverentia, nostro examine vindicemus. Ut enim auctoritatem tuam vice nostra exercere te volumus; ita nobis qua illic componi non potuerunt, vel qui vocem appellationis emiserit, reservamus.* Legatur ejosdem Pontificis Epistola ad Episcopos per Illyricum constitutos.

VII. In Conciliis Oecumenicis 3. 4. & 6. post Patriarchas sedit ac subscripsit Thessalonicensis Episcopus. Ejus potestas sub Justiniani Imperio imminuta est, sectione quarumdam Illyrici Provinciarum, quæ primæ Justinianæ tunc erectæ addictæ fuerunt. At sub Leone Isauro Imperatore Iconomacho, qui ex odio Romanæ Sedis, & Fidei Catholicæ, quam Romani Pontifices Gregorius II. & Gregorius III. strenuè propugnabant, Illyricum, Siciliam, & Calabriam a Romano Patriarchatu avulsit, & Constantinopolitano Archiepiscopo adscripsit, extinctus est Thessalonicensis Archiepiscopi Vicariatus Apostolicus, & solius Provinciæ Macedoniæ Metropolita permansit. Lege doctissimi Archipræsulis Petri de Marca Dissertationem de Primatibus.

ARTICULUS IV.

De Primate Carthaginensi.

AFrica sub Constantini Imperio sex in Provincias, divisa est, scilicet Africam Proconsularem, cujus Metropolis Carthago, Byzacenam, Tripolitanam, Numidiam, & Mauritanias duas, Sitifensem nimirum, & Cæsariensem. Tingitana, licèt Provinciæ civilis dignitate frueretur, & ea ratione ad Hispaniam pertineret; in Politia tamen Ecclesiastica Mauritaniæ Cæsareensis Synodo subdita erat. Certè *Siritii* Epistola ad *Himerium* Taraconensem Episcopum Tingitanam inter Ecclesiasticas Hispaniæ Provincias non recensct, ut ex illius inscriptione perspicuum est. Notitia verò Episcopatuum Africæ sub Hunnerico Wandalorum Rege edita, Episcopos Tingitanæ Provinciæ sub Mauritania Cæsareensi collocat; quod antiquæ Disciplinæ, & Ordini Ecclesiastico omnino consonum videtur. Hoc sæculo Concilia frequentia cùm Provincialia, tum Generalia Africæ celebrata sunt. Suos Metropolitanos habebant quædam Africanarum Provinciarum: alia nullos habebant, ut colligitur ex Concilio Carthaginensi 3. Can. 3. quo edicitur convocandum esse annis singulis Concilium Generale Africæ, ad quod *Provincia, qua primas sedes habent, ternos Legatos mittant.* Hinc enim sequitur, aliquas tunc fuisse Provincias, apud quas nulli essent Primates, id est Metropolitani. Observandum verò est, non Civilis Metropoleos Episcopum, sed antiquiorem consecratione in unaquaque Provincia Primatis, seu Metropolitani dignitatem & auctoritatem obtinuisse, ut constat ex Leone IX. Epistolâ 9. ad Petrum & Joannem Episcopos Africæ. Hinc Provinciæ Primas vulgò *Senex* appellabatur.

Carthaginensem Episcopum, quem ante Nicæni Concilii tempora solum fuisse totius Africæ Metropolitanum viri eruditi conjiciunt, omnes Episcopi Africani ut Primatem reverebantur. Convocabat ille plenaria totius Africæ Concilia, iisque præsidebat. Poterat ex quibusvis Africæ Ecclesiis assumere Presbyteros, quos Episcopos, ubi opus erat ordinaret, ut constat ex Concilio Carthaginensi 3. in quo & Aurelius Carthaginensis Episcopus ait: *Ego cunctarum Ecclesiarum, dignatione Dei, ut scitis, Fratres, sollicitudinem sustineo.* Dispensationes majoris paulò momenti per totam Africam etiam concedebat Primas Carthaginensis. Unde Valerius Hipponensis Episcopus Aurelium Episcopum Carthaginensem rogavit, ut S. Augustinum Coadjutorem sibi assumere, ac successorem designare per ipsum liceret; ut Possidius in Vita S. Augustini testatur.

Denique cum Africanis Patribus visum est Mauritaniæ Sitifensi proprium designare Primatem, seu Metropolitanum; Carthaginensis imprimis Episcopi consensum rogaverunt: ut constat ex Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ cap. 17. cujus hæc sunt verba: *Primatem proprium cùm Mauritania Sitifensis Episcopi postularent, omne Concilium Episcoporum Numidia, consentientibus omnibus Primatibus, vel universis Episcopis Provinciarum Africanarum, propter longi itineris novitatem, habere permissa est. Cum consensu Carthaginensis Ecclesia factum est.*

Totam Africanæ Ecclesiæ Hierarchiam paucis describit Leo Nonus Pontifex Maximus in Epistola ad Petrum & Joannem Africanos Episcopos. *Sed de Africa Primatibus*, inquit, *aliter intelligendum est, quia in singulis ejus Provinciis antiquitus Primates instituebantur, non secundùm potentiam alicujus civitatis, sed secundùm tempus sua Ordinationis: quibus tamen omnibus præerat unus, scilicet Carthaginensis Archiepiscopus, &c.*

ARTICULUS V.

De Metropolitanis.

EPiscopis in qualibet Provinciâ Metropolitanus præsidebat sæculo sv. Ab Apostolis instituta est Metropolitica dignitas, qui primas Ecclesias in Provinciarum Metropolibus fundaverunt. Metropolitanorum auctoritas ex monumentis Ecclesiasticis sæculi xv. maximè dilucescit. Scilicet ex Concilio Laodiceno Canone 12. decernente: *Episco-*

ſcopos non oportere præter judicium Metropolitanorum, & finitimorum Epiſcoporum conſtitui.

Ex Concilio Nicæno, Canone 4. *Firmitas autem eorum quæ geruntur*, inquit, *per unamquamque Provinciam Metropolitano tribuatur Epiſcopo.* Et ex Canone 6. *Si quis præter ſententiam Metropolitani fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definivit Epiſcopum eſſe non oportere.*

Ex Concilio Antiocheno Canone 9. *Epiſcopos qui ſunt in unaquaque Provincia, ſcire oportet Epiſcopum qui præeſt Metropoli, etiam curam ſuſcipere totius Provinciæ; eò quòd in Metropolim undequaque concurrunt omnes qui habent negotia. Unde viſum eſt eum quoque honore præcedere; reliquos autem Epiſcopos nihil magni momenti aggredi ſine ipſo, ut vult, qui ab initio obtinuit Patrum Canon.* Et Canone 2. Epiſcopis prohibetur ne ad Aulam Imperatoris ob quodvis negotium proficiſcantur abſque licentia Metropolitani: *Si neceſſarius uſus exigat, ut ad Imperatorem ſe conferat, id agat cum deliberatione & ſententia Metropolitani Provinciæ & Epiſcoporum*, Canonibus 14. 16. 19. & 20. Conciliorum Provincialium convocandorum poteſtas Metropolitano tribuitur: *& perfectum Concilium dicitur, ubi interfuerit Metropolitanus Antiſtes.*

Ex Concilio Sardicenſi Canone 9. *Epiſcopi preces mittunt ad Epiſcopum, qui in Metropoli, ut ille & Diaconum ejus, & ſupplicationes diſtineat, tribuens commendatitias Epiſtolas ad Epiſcopos, qui in urbibus morantur, in quibus Auguſtus Rempublicam gubernat.*

Ex Concilio Taurinenſi, controverſiam inter Arelatenſem & Viennenſem Epiſcopos de jure Metropolitico natam dirimente & ſtatuente, ut qui civitatem ſuam civilem Metropolim eſſe probaret; *Is totius Provinciæ honorem Primatus obtineret, & ipſe juxta Canonum præceptum, Ordinationum haberet poteſtatem:* aut, *ut viciniores ſibi vindicaret civitates, atque eas Eccleſias viſitaret, quas oppidis ſuis vicinas magis eſſe conſtaret.*

Ex Siricio Pontifice Maximo Epiſtolâ 1. cap.8. ubi vitia Ordinationum quæ contra Canones fiunt, Metropolitanis imputat.

Ex Concilio III. Carthaginenſi Canone 28. decernente, *Ut Epiſcopi trans mare non proficiſcantur, niſi conſulto primæ Sedis Epiſcopo ſuæ cujuſque Provinciæ, ut ab eo præcipuè poſſint ſumere Formatam.*

Ex Concilio Africano, in quo dicitur: *Decreta Nicæna, ſive inferioris ordinis Clericos, ſive ipſos Epiſcopos, Metropolitanis ſuis apertiſſimè commiſerunt.*

Multa proferri poſſunt ex monumentis Eccleſiaſticis ſequentium ſæculorum, ad Metropolitanorum dignitatem ac jura demonſtranda: ſed in quarto ſæculo ſiſtimus, cujus hoc in Tomo adornamus Hiſtoriam. Satis conſtat ex his quæ huc uſque dicta ſunt, hæc fuiſſe Metropolitanorum jura IV. ſæculo: Suffraganeos Epiſcopos ordinare, convocare Concilia Provincialia & eis præſidere, viſitare omnes Provinciarum ſuarum Eccleſias, Epiſcopos ſibi ſubditos judicare cum Provinciæ Synodo, Clericorum etiam inferiorum cauſas cognoſcere, ſi ab Epiſcoporum ſuorum judiciis appellarent; literas Formatas concedere Suffraganeis ſuis ad Comitatum, aut aliò extra Provinciam pergentibus, invigilare denique ut Canones ab illis ſervarentur ad amuſſim.

ARTICULUS VI.

De Epiſcopis.

EPiſcopos tunc habebant majores quæque civitates. Divina hæc & a Chriſto immediatè inſtituta dignitas. Ab Eccleſiâ frequentibus decretis vetitum 4. ſæculo, ne in agris, villulis, aut modicis civitatibus conſtituerentur Epiſcopi: ſcilicet Laodiceni Concilii Canone 57. Sardicenſis Canone 6. II. Carthaginenſis Canone 5. Novos Epiſcopatus inſtituere poterat Metropolitanus cum plenario ſuæ Provinciæ Concilio, & conſenſu ejus, ad cujus Diœceſim pertinebat Eccleſia, in quâ erigebatur Epiſcopatus. (Ex eodem Canone.) Sic Numidiæ Primas ſive Metropolitanus, rogante S. Auguſtino, Epiſcopum in Caſtello Fuſſalenſi, quod millibus quadraginta diſtabat ab Hippone, conſtituit: ut ipſe teſtatur Epiſtolâ 261. Pagorum Eccleſias Chorepiſcopi regebant: ut conſtat ex Conciliis Neocæſarienſi Canone 13. & 14. Laodiceno, Canone 57. Nicæno Canone 8. Antiocheno Canone 10. Ordinatione ſuâ Epiſcopi non erant, ut Diſſertatione ſingulari probabimus: Clericos minores ordinare poterant: eorum Officium erat viſitare Eccleſias Pagorum, quod nunc præſtant Archidiaconi, pauperum per agros diſperſorum curam gerere, cæterùm nullum alicujus momenti negotium inconſulto Epiſcopo aggredi. *Novorum Epiſcopatuum erectio.*

II. In Epiſcoporum Electionibus præcipuam habebant poteſtatem Comprovinciales Epiſcopi ſæculo 4. cùm in Oriente, tum in Occidente, ut conſtat ex Concilio Laodiceno Canone 12. ſtatuente, *Ut Epiſcopi judicio Metropolitanorum, & eorum Epiſcoporum, qui circum circa ſunt, provehantur ad Eccleſiaſticam Poteſtatem.* Ex Concilio Nicæno Canone 4. ita decernente: *Epiſcopum convenit, maximè quidem ab omnibus qui ſunt in Provincia Epiſcopis conſtitui. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter inſtantem neceſſitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipſum convenientibus, & abſentibus quoque pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tunc Ordinatio celebretur.* Ex Concilio Antiocheno Canone 16. 19. & 23. cujus hæc ſunt verba: *Servetur autem jus Eccleſiaſticum, id continens, oportere non aliter fieri, niſi cum Synodo, & judicio Epiſcoporum, qui poſt obitum quieſcentis poteſtatem habent, eum qui dignus extiterit, promovere.* Ex Concilii 1. Conſtantinopolitani Oecumenici Patribus in Synodica Epiſtola ad Occidentales Epiſcopos ſcribentibus, Nectarium Regiæ Civitatis Epiſcopum electum fuiſſe *in Concilio Generali, communi omnium conſenſu.* Ex S. Ambroſio Epiſtolâ 59. de Acholio Theſſalonicenſi ſcribente: *Ille ſe Monaſteriis puer dedidit, ad ſummum Sacerdotium a Macedonicis obſecratus populis, electus a Sacerdotibus.* Et Epiſtolâ 82. *Supplicaturus*, inquit, *pro populo, eligi à Domino, probari à Sacerdotibus debet, ne quid ſit, quod in ipſo graviter offendat, cujus officium eſt pro aliorum offenſa intervenire.* Ex Siricio Pontifice Maximo, Epiſtolâ 4. ſcribente: *Extra conſcientiam Sedis Apoſtolicæ, hoc eſt, Primatis; nemo audeat ordinare. Integrum enim judicium eſt, quod plurimorum ſententia conſequatur. Ne unus Epiſcopus Epiſcopum ordinare præſumat, propter arrogantiam, ne furtivum beneficium præſtitum videatur.* Ex Severo Sulpitio lib. de Vita S. Martini, cap.7. &c. *Electio Epiſcoporum.*

III. In Epiſcoporum Electionibus multùm Imperatoribus detulit Eccleſia jam a IV. ſæculo. Nectarius à Theodoſio Imperatore Conſtantinopolitanus *Quantùm Imperatoribus detulerit Eccleſia in electionibus Epiſcoporum.*

tanus Episcopus designatus est, ut scribit Sozomenos lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 8. *Cùm Imperator*, inquit, *mandasset Episcopis, ut nomina eorum quos quisque Episcopatu dignos judicaret in charta perscriberet, unumque ex omnibus eligendi facultatem sibi ipse reservasset, alii quidem aliorum nomina perscripserunt. Antiochenus autem Ecclesiæ Antistes scripsit & ipse eos quos voluit: omnium tamen postremum adjecit Nectarium in gratiam Diodori. Imperator perlecto indiculo.... cùm cunctos ordine percurrisset, Nectarium elegit.* Addit Sozomenus, Imperatorem, postquam eum Baptismi expertem esse intellexit, *in eadem sententia permansisse, multis licèt Episcopis refragantibus. Postquam verò universi cessere, & Imperatoris sententiam suo suffragio comprobarunt, baptizatus est.*

Idem Imperator Episcopatum Regiæ Urbis S. Gregorio Nazianzeno confirmaverat his verbis: *O Pater, Deus tibi, tuisque sudoribus per me Ecclesiam committit. En sacram ædem & thronum tibi trado:* ut refert Auctor Vitæ S. Gregorii Nazianzeni.

In Electione S. Ambrosii, Valentiniani Imperatoris intercessit auctoritas, rogantibus Episcopis: ut testatur Theodoretus lib. 4. cap. 6. Historiæ Ecclesiasticæ. *Concilium Episcoporum*, inquit, *contendit ab Imperatore, ut ipse, utpote sapientia & pietatis insignibus præclarè exornatus, Episcopum deligat. At ille, Major est*, inquit, *hæc Provincia, quàm quæ viribus nostris sustineri queat. Proinde vos divina repleti gratia & illius splendore illuminati, multò meliùs hoc Episcopi deligendi negotium transigetis ..... Jubet Imperator extemplo Ambrosium & initiari mysteriis, & Episcopum ordinari.*

Post Nectarii obitum, Episcopum ab Arcadio Imperatore plebs Constantinopolitana postulavit, ut testatur Palladius in Vita S. Joannis Chrysostomi. *Plebs fidelis*, inquit, *Regem pia intentione sollicitat, Pastorem peritum sibi dari suppliciter postulans.* Sozomenus lib. 8. cap. 2. scribit, Imperatorem confirmavisse electionem S. Chrysostomi factam à Clero & populo. *Postquam*, inquit, *populus & Clerus suffragium suum contulissent, etiam Imperator adstipulatus fuit, & qui Chrysostomum adducerent, misit. Convocavit etiam Synodum, ut ea ratione venerabiliorem redderet illius Ordinationem.*

Episcopi ex Clero Ecclesiæ vacantis electi.

IV. Ex Clero Ecclesiæ vacantis tunc eligebantur Episcopi, nisi ob vitandas dissensiones, vel aliis de causis bonum Ecclesiæ spectantibus aliunde advocari satius esset. Id constat ex Epistola Julii Romani Pontificis ad Orientales quam S. Athanasius refert Apologiâ 2. *Si enim*, inquit, *in culpâ fuisset deprehensus Athanasius, non tamen oportuit creationem novi Episcopi ita illegaliter, & præter Ecclesiasticum Canonem fieri, sed in ipsa Ecclesia, & ex ipso Sacerdotali Ordine, & ex ipso Clero Episcopos Provinciæ constituere, nequaquam autem Apostolorum Canonem violare.* Hanc disciplinam sæculo sequenti firmavit Cælestinus 1. Epistolâ 2. ad Gallicanos Episcopos cap. 5.

ARTICULUS VII.

De Curatis & Parochiis.

QUarto Sæculo Presbyteros, sub Episcopis animarum curam gerentes, & Parochias, quæ Romæ tituli vocabantur, regentes videre est. Id constat ex Innocentio I. in Epistola ad Decentium Eugobinum Episcopum. *De fermento*, inquit, *quod die Dominica per Titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti, cùm omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ. Quarum Presbyteri, quia die ipsâ, propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se à nostrâ communione, maximè illâ die, non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia nec longè portanda sunt Sacramenta; nec nos per cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam.* Ea dispositio non primùm inceperat sub Innocentio: loquitur enim ea de Disciplina ut jam longo usu firmata. Constat Romæ tantùm, non in agris Romæ vicinis Ecclesias tunc erectas fuisse. Constat in aliis Diœcesibus Parochias fuisse extra urbem Episcopalem. Constat fermentum missum fuisse ab Episcopo Romano die Dominica per Parochias Urbis, ut communionis tesseram, quod fermentum Eucharistia fuit, ideò fermentum dicta, quod ex pane fermentato conficeretur, & quòd Ecclesiis, ad quas mittebatur, fermenti vicem præstaret, eisque unionis inter se vinculum esset, sicut fermentum massæ cui commiscetur. Constat etiam in Ecclesiis omnibus Urbis die Dominica celebratas Synaxes: quod enim ait Innocentius I. illarum Ecclesiarum Presbyteros propter plebem sibi creditam cum Pontifice convenire non posse, probat ipsos cum sibi subdita plebe Synaxim celebrasse. Minus autem verisimile est, quod doctissimus Thomassinus lib. 2. de Disciplina Ecclesiastica cap. 21. asserit, solum Episcopum Sacrosanctum Sacrificium obtulisse, & Eucharistiam confecisse. Verisimilius existimo, quod Eminentissimo & Doctissimo Cardinali Bona visum est lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 23. Titulorum Presbyteros Sacrificium celebrasse, & Eucharistiam consecrasse ex pane quem plebs fidelis offerebat. Cum oblationibus porrò a se consecratis fermentum ab Episcopo missum miscuisse, & communicantibus distribuisse.

Alexandriæ, Parochiæ etiam plures erant, suis Curatis commissæ, ut testatur S. Epiphanius Hæresi 68. & 69. *Etenim*, inquit, *quotquot Alexandriæ Catholicæ communionis Ecclesiæ sunt, uni Archiepiscopo subjectæ, suus cuique Præpositus est Presbyter, qui Ecclesiastica munera iis administret.* Arius unius ex illis Ecclesiis Curatus erat, S. Epiphanio teste. In agris Alexandrino Episcopo subditis, Ecclesias pariter fuisse, quæ a Presbyteris suis sive Curatis regerentur, S. Athanasius Apologiâ 2. testis est. *Mareotes*, inquit, *ager est Alexandriæ, quo in loco Episcopus numquam fuit; imò ne Chorepiscopus quidem; sed universæ ejus loci Ecclesiæ Episcopo Alexandrino subjacent, ita tamen ut singuli pagi suos Presbyteros habeant. Sunt tamen pagi isti maximi decem numero, aut aliquantò plures. Pagus autem in quo Ischyras habitat, minimus est, & paucissimorum hominum, adeò ut non ibi, sed in proximo pago, Ecclesia sit constituta.* In majoribus dumtaxat pagis, non in minoribus fuisse constitutas Ecclesias ex hoc S. Athanasii testimonio compertum est. Jam a Dionysii Alexandrini temporibus Ecclesiæ & Curati erant in pagis: Is enim ad damnandos Millenariorum errores, quos Nepos Episcopus in Ægypto sparserat, convocavit Presbyteros ac Doctores, qui per singulos vicos fratribus prædicabant: ut refert Eusebius lib. 7. Historiæ cap. 24. Ad Ecclesias in agris erigendas ac dotandas, villarum dominos S. Chrysostomus hortatur Homiliâ 18. in Acta.

ARTICULUS VIII.

De cæteris Clericis.

Clericorum duplex genus.

I. CLerici vel *in gradu* erant, vel *in Ministerio, quod sine manuum impositione dabatur*: ex S. Basilio Epistolæ ad Amphilochium, cap. 51. Ex quo colligitur IV. sæculo neminem in Clerum adscitum fuisse, nisi ad aliquem Ordinem, vel sacrum Ministerium obeundum: nec ullos Clericos tum fuisse, qui solâ Tonsura Clericali, quæ nec tunc ulla erat, in Ecclesiasticum cœtum fuerint cooptati. Id confirmat Epistola 1. Siricii Papæ, cap. 9. & 10. *Quicumque*, inquit, *se Ecclesiæ novit obsequiis a suâ infantiâ deputari, ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet ministerio sociari.* Quòd si Tonsura simplici cooptari quempiam in Clerum mos fuisset, primùm eo ritu mancipati fuissent pueri Ecclesiæ obsequiis. Idem ex Concilio IV. Carthaginensi compertum est, quod cùm omnes Cleri gradus recenseat, omniumque Ordinum ritus, de Tonsuræ collatione prorsus silet.

Tonsura Clericalis nondum in usu 4. Sæculo.

II. Dixi IV. sæculo nedum ullam Tonsuram Clericalem fuisse: quod probat illa Optati Milevitani expostulatio adversùs Donatistas, lib. 2. *Dicite ubi vobis mandatum sit radere capita Sacerdotibus: cùm è contrario tot sint exempla proposita, fieri non debere.* Certè, ita locutus non fuisset Optatus, si jam Clerici parte aliqua capitis rasi fuissent. Idem colligitur ex S. Hieronymo in Ezechielis cap. 44. ubi hæc verba Legis explicans: *Caput suum non radent, neque comam nutrient, sed attondebunt capita sua*; hæc habet: *Perspicuè demonstratur, nec rasis capitibus, sicut Sacerdotes, cultoresque Isidis, atque Serapidis, nos esse debere: nec rursus comam dimittere: sed ut honestus habitus Sacerdotum facie demonstretur, discimus nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur; sed in tantùm capillos esse demittendos, ut opertum sit caput.*

Lib. 22.

Ammianus quidem Marcellinus * testatur Christianum quemdam nomine Diodorum sub Juliani Apostatæ imperio morte affectum fuisse, *quòd dum ædificandæ præesset Ecclesiæ, cirros puerorum licentiùs detondebat.* Sed nec Diodorum illum Episcopum fuisse certum est, nec ait ille Auctor ipsum rasisse puerorum capita in Coronæ modum, sed totondisse dumtaxat comam, quò illos forsan Clero destinaret.

Idem colligitur ex Concilio Carthaginensi IV. Canone 44. quo modestia Clericorum in capillitio decernitur his verbis: *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat.* De Tonsura Clericali & Corona altum silentium. Per Coronam quidem adjurare Episcopos solitum erat. Unde S. Augustinus Epist. 147. Donatistas sic alloquitur: *Per coronam nostram nos adjurant vestri, per coronam vestram vos adjurant nostri.* Sed nomine coronæ, regiam Sacerdotii dignitatem intelligebant, non rasuram capillorum in modum coronæ. Hoc sensu S. Hieronymus ad S. Augustinum scribebat: *Fratres tuos ut meo nomine salutes, precor coronam tuam.*

Vestes civiles Clericorum a Laicorum vestibus nondum distinctæ.

III. Neque etiam 4. sæculo Clericorum vestes civiles a sæcularium vestibus distinctæ erant. Id vel una Cælestini I. Epistola ad Viennensis & Narbonensis Provinciarum Episcopos anno 428. disertè probat, qua improbat Clericos qui tum primùm pallio induti & zonâ præcincti incedebant; & veste discerni studebant a Laicis. *Didicimus*, inquit, *quosdam Domini Sacerdotes, superstitioso potiùs cultui inservire, quàm mentis, vel Fidei puritati. Amicti pallio, & lumbis præcincti, credunt se Scripturæ Fidem, non per spiritum, sed per literam completuros. Nam si ad hoc ista præcepta sunt, ut taliter servarentur: cur non fiunt pariter quæ sequuntur, ut lucernæ ardentes in manibus unà cum baculo teneantur?* Et post; *Discernendi a plebe vel cæteris sumus doctrinâ, non veste: mentis puritate, non cultu.... Unde hic habitus in Ecclesiis Gallicanis ut tot annorum, tantorumque Pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur? &c. Nam si incipiamus studere novitati, traditum nobis a Patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus.* Nigri coloris vestibus nedum indutos fuisse Ecclesiastici Ordinis viros, constat ex S. Hieronymo in Epistola ad Nepotianum, de vita Clericorum. *Vestes pullas*, inquit, *æquè devita, ut candidas: ornatus, ut sordes pari modo fugiendi sunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Constat ex eodem in Clericorum, æquè ac in sæcularium vestibus, luxui & mundanæ gloriæ fuisse locum, in Epistola ad Eustochium de custodia virginitatis. *Omnis*, inquit, *his cura de vestibus si bene oleant; si pes laxa pelle non folleat. Crines calamistri vestigio rotantur: digiti annulis radiant: & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cùm videris, sponsos magis existimato, quàm Clericos.*

SCHOLION.

In isto Articulo Religiosi Censores hanc Propositionem notant; *Sæculo quarto non erat Tonsura, nec corona, nec specialis vestitus Clericorum.*

R. Viris antiquæ Disciplinæ peritis nova hæc Observatio non videtur, quam validis argumentis confirmo. Idem ante me demonstravit doctissimus *Tomassinus* p. 5. Operis *De Nova & Antiqua Ecclesiæ circa Beneficiarios Disciplina*, Gallico idiomate scripti lib. 1. capp. 30. 31. & 32.

ARTICULUS IX.

De Monachis.

FRequentes 4. sæculo Monachi Ecclesiam sancta conversatione sua exornarunt. Primus Monachorum in Ægypto parens S. Antonius, in Palæstina S. Hilario, ut S. Hieronymus in Vitis S. Pauli primi Eremitæ, & S. Hilarionis testatur: quos ante & si Monasticam vitam professi fuissent plurimi, nemo tamen religiosis agminibus solitudinem impleverat. Id significat S. Athanasius in Vita S. Antonii: *Nondum*, inquit, *tam crebra erant in Ægypto Monasteria, neque omninò quisquam aviam solitudinem noverat; sed quicumque in Christi servitute sibimetipsi prodesse cupiebat, non longè a sua villula separatus instituebatur. Erat in agello vicino Senex quidam vitam solitariam a prima sectatus ætate. Hunc Antonius cùm vidisset, æmulatus est ad bonum.*

Id significat & Cassianus Collatione 18. cap. 5. *Cœnobitarum disciplina*, inquit, *a tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium. Nam talis extitit in Hierosolymis omnis illa credentium multitudo, &c.... Istud ergo solum fuit antiquissimum Monachorum genus, quod non modò tempore, sed etiam gratiâ primum est, quodque per annos plurimos solum inviolabile, usque ad Abbatis Pauli, vel Antonii duravit ætatem.*

De Monachis sanctitate celebribus, qui 4. sæculo

tulo floruerunt, lege Socratem lib. 4. Histotiæ Ecclesiasticæ.cap. 23. & Sozomenum lib. 6. cap. 28. 29. 30. 31. 32. 33. & 34. quæ absque ædificatione singulari nemo non leget. Legatur & Theodoretus in Histotia Religiosa, & Rufinus in Vitis Patrum. Cùm a se conscriptam S. Antonii Vitam Romam detulisset S. Athanasius, sanctum vitæ Monasticæ propositum ab ipso suscitatum est in Urbe orbis domina, illudque viri ac fœminæ primatiæ nobilitatis amplexi, Monasteria ædificare cœperunt. Id testatur S. Hieronymus in Epitaphio Marcellæ: *Nulla*, inquit, *eo tempore nobilium fœminarum noverat Roma propositum Monachorum, nec audebat propter rei novitatem, ignominiosum, ut tunc putabatur, & vile in populis nomen assumere. Hæc ab Alexandrinis Sacerdotibus, Papaque Athanasio, & postea Petro, qui persecutionem Hæreseos Arianæ declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, Vitam Beati Antonii adhuc tunc viventis, Monasteriorumque in Thebaide Pachomii, & Virginum, ac Viduarum didicit Disciplinam; nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognoverat.*

Monastici instituti propagatio.

Ad sacram illam Monachorum ac Virginum propagationem multùm contulit doctrina sua, institutione, ac exemplo S. Hiernnymus; qui in eadem Epistola Principiam Virginem his verbis alloquitur: *Suburbanus vobis ager pro Monasterio fuit, & rus electum pro solitudine: multoque ita vixistis tempore, ut ex imitatione vestri, conversatione multorum, gauderemus Romam factam Hierosolymam. Crebra Virginum Monasteria, Monachorum innumerabilis multitudo, ut pro frequentia servientium Deo, quod priùs ignominia fuerat, esset postea gloria.*

Pammachius vir Consularis generis magnum fuit Ordinis Monastici Romæ ornamentum, teste S. Hieronymo in Epistola ad ipsum data de obitu Paulinæ conjugis. *Nobis*, inquit, *post dormitionem somnumque Paulinæ, Pammachium Monachum Ecclesia peperit posthumum, & patris & conjugis nobilitate Patritium. Nostris temporibus Roma possidet quod mundus antè nescivit. Tunc rari sapientes, potentes, nobiles Christiani. Nunc multi Monachi sapientes, potentes, nobiles, quibus cunctis Pammachius meus sapientior, potentior, nobilior ἀρχιστράτηγος Monachorum .... Quis hoc crederet, ut Consulum pronepos inter purpuras Senatorum, furvâ tunicâ pullatus incederet?*

Ethrusci Maris insulæ Monachorum multitudine ac pietate spectabiles erant, teste S. Hieronymo in Epitaphio Fabiolæ. *Quod Monasterium*, inquit, *non illius opibus sustentatum est? Angusta misericordia ejus fuit Roma. Peragrabat ergo insulas & totum Ethruscum mare Volscorumque Provinciam & reconditos curvorum littorum sinus, in quibus Monachorum consistunt chori, vel propria corpore, vel transmissa per Sanctos & Fideles viros munificentia circuibat.*

S. Ambrosius in suburbiis Mediolani Monasterium fundavit, S. Augustino teste lib. 8. Confessionum cap. 6. *Erat*, inquit, *Monasterium Mediolani, plenum bonis fratribus, extra urbis mœnia, sub Ambrosio nutritore.*

Erat & Vercellis sub S. Eusebii Disciplina Monasterium: de quo S. Ambrosius Epistolâ 82. scribit: *Eusebius prior levavit vexillum confessionis. Hac patientia in S. Eusebio Monasterii coaluit usu, & durioris observationis consuetudine, hausit laborum tolerantiam.*

S. Mattinus Pictavis & Turonibus Monasteria extruxit, & Monachos instituit, teste Seveto Sulpitio lib. de Vita S. Martini: primaque hæc fuit in Galliis Monachorum propago.

S. Basilius in Cappadocia Monachorum parens fuit, ipsis Regulas & leges dedit, ejusque institutum longè latèque per totum Orientem propagatum est. Hoc ipsi exprobrabant ejus æmuli, quo in Domino gloriabatur. *Accusamur verò*, inquit, *& hujus, quòd homines habeamus pietatis studiosos, ἀσκητὰς qui mundo renuntiarint. Ego verò vitam impenderem, ut possent mihi hæc delicta impingi; haberemque apud me viros, qui me Doctore hoc pietatis studium amplexi hactenus fuissent: Nunc autem & in Ægypto, & in Palæstina, & in Mesopotamia, audio talem esse virorum quorumdam virtutem, &c.* Legatur S. Gregotius Nazianzenus Oratione 20. ubi ait S. Basilium *Monasticarum legum institutiones, partim voce, partim scripto tradidisse.* Basilio fuerat ille in Monasticæ vitę exercitationibus socius, ut ibidem testatur: non tamen Monachus. Non enim se patrimonio abdicavit, & mediam se viam inter Monachorum & sæcularium vitam elegisse ipse asserit in Carmine de Vita sua: *Mediâ inter illos, hosque procedo viâ, meditans ut isti, commodum illorum æmulans.*

S. Joannes Chrysostomus Vitæ sanctissimæ tyrocinium in solitudine posuit, & Monasticam Vitam egit, quamvis Monachus non fuerit, id est, Professione ac voto huic instituto illigatus. De ipso Palladius in ejus Vita, cap. 5. ita scribit: *In juventutis flore vicinos occupat montes, ibique congressus seni cuidam Syro, sese illi socium dedit: imitatus vitæ continentiam, duritiamque propositi. Mansit autem apud illum annos quatuor. Postea solus remotiorem eremum petiit, ibique speluncæ inclusus, biennium ferè peregit. Quo tempore jugiter fermè sine somno persistens, Scripturas Sanctas penitùs edidicit .... Ecclesiasticum rursus occupat portum. Id autem Divinâ Providentiâ factum scimus, quæ hunc ad Ecclesiæ utilitatem, ab exercitatione immodica, infirmitatis occasionibus repellit, ut impeditus ægritudine, speluncæ renunciare cogeretur. Hinc jam a Meletio Diaconus ordinatus.* Monasticam Vitam egregiè commendavit, ac defendit S. Joannes Chrysostomus lib. adversùs vituperatores Vitæ Monasticæ, & lib. de comparatione Regis & Monachi. Tantas penè in desertis Ægypti fuisse multitudines Monachorum, quanti erant in urbibus populi, Rufinus lib. 2. de Vitis Patrum testatur: & in regione Arsenoite sub unius Serapionis cura quasi decem millia Monachorum Deo serviisse.

II. Monachorum ttiplex genus erat 4. sæculo. Alii in Cœnobiis, sub unius Præpositi, & subalternorum Rectorum Disciplina vivebant. Alii in solitudine, qui & Anachoretæ vocabantur. Alii, qui in Ægypto *Remoboth* vocabantur, bini, vel terni, aut paulò plures simul morabantur, absque Præposito & Regula, proprio arbitrio vivebant: quorum institutum omnium erat imperfectissimum. De his S. Hieronymus in Epistola ad Eostochium, de custodia Virginitatis. De primo genere Monachorum sic loquitur: *Prima apud eos confœderatio est obedire majoribus, & quicquid jusserint facere. Divisi sunt per Decurias, atque Centurias, ita ut novem hominibus decimus præsit, & rursus decem Præpositos sub se centesimus habeat. Manent separati, sed junctis Cellulis .... Post horam nonam in commune concurritur, Psalmi resonant, Scripturæ recitantur ex more, & completis Orationibus, cunctisque residentibus, medius, quem Patrem vocant, incipit disputare,* [id est, spiritalem collationem habere] *quo loquente tantum silentium fit, ut alium nemo respicere, nemo audeat excreare. Dicentis laus in fletu est audientium &c. Post hæc Concilium solvitur: & unaquæque Decuria cum suo Parente pergit ad mensam, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrant. Nullus in cibo strepitus est, nemo comedens loquitur, vivitur pane, le-*

Monachorum genus multiplex.

gu-

guminibus & oleribus, qua solo sale condiuntur: vinum tantùm senes accipiunt, quibus, & parvulis sæpè fit prandium; ut aliorum fessa sustentetur atas, aliorum non frangatur incipiens. Debinc consurgunt pariter, & hymno dicto, ad præsepia redeant, &c. Et quia nocte extra orationes publicas, in suo cubili unusquisque vigilat, circumeunt (Patres) *Cellulas singulorum & aure apposità, quid faciant, diligenter explorant. Quem tardiorem deprehenderint, non increpant; sed dissimulato quod norunt, eum sæpius visitant, & priùs incipientes, provocant magìs orare, quàm cogunt. Opus diei statutum est: quod Decano redditum, fertur ad Oeconomum: qui & ipse per singulos menses Patri omnium tum magno tremore reddit rationem: a quo etiam cibi cùm facti fuerint, prægustantur; & quia non licet dicere cuiquam: Tunicam, & sagum, textaque juncis strata non habeo; ita ille universa moderatur, ut nemo quid postulet, nemo non habeat. Si quis verò cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tanto senum ministerio confovetur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectum. Dominicis diebus Orationi tantùm, & Lectionibus vacant: quod quidem & omni tempore completis opusculis faciant. Quotidie aliquid de Scripturis discitur. Jejunium totius anni æquale est, excepta Quadragesima, in qua solà conceditur districtiùs vivere. A Pascha ad Pentecostem, Cœna mutantur in prandia, &c.* Hæc Ægyptiorum Cœnobiorum Disciplina.

De secundo Monachorum genere ibidem loquitor, scilicet de Anachoretis. Ac tandem de tertio scribit: *Hi bini vel terni, nec multò plures simul habitant, suo arbitratu ac ditione viventes: Et de eo quod laboraverint, in medio partes conferunt, ut habeant alimenta communia. Habitant autem quàm plurimi in Urbibus & Castellis; & quasi Ars sit Sancta, non Vita, quicquid vendiderint, majoris est pretii. Inter hos sæpe sunt jurgia, &c.* Hos descripsit & Cassianos sæculo 5. Collatione 18. cap. 7. & 8. Lauræ Monasteriis plerumque conjunctæ erant. In Cœnobiis juniores Monachi instituebantur, quibus Fratrum societas necessaria erat: in Lauris, quæ dissitas ad invicem Cellulas continebant; solitariam agebant vitam, quorum provectior erat virtus. Tot Monachorum precibus stare mundum Rufinus Prolog. in lib. 2. de Vitis Patrum asserit: *Ut dubitari non debeat*, inquit, *ipsorum meritis adhuc stare mundum*. In Oriente Monachis Regulas scripserunt 4. sæculo, SS. Pachomius, Oresiesis, Macarius uterque & S. Basilius. Quam Regulam Occidentis Monachi tunc sectati fuerint, incertum est. Non aliam forsan habebant, quàm præcepta & consilia sibi a Præpositis suis; & maximè ab Episcopis voce tenus tradita, & in cordibus descripta, moresque in Monasteriis ab eorum Institutione usurpatos.

III. Probatos per aliquod tempus fuisse Monasticæ Vitæ candidatos antequàm ad sacri Professionem instituti reciperentor, constat ex Regula S. Pachomii, quæ solidum triennium probationi præscribit, & ex S. Basilio in Regulis fusiùs disputatis, Interrogatione 10. Ubi tamen certum tempus probationis non statuit: Nec illam fieri post vestium sæcularium depositionem indicat.

Pueri in Monasteriis educati.

IV. Pueri in S. Basilii Monasteriis recipiebantur, ibique pietatis præceptis, & Vitæ Religiosæ institotis erudiebantur: ac ad Monasticam Professionem recipiebantur ut primùm adolescentiam attigerant; ut ipse testatur in Regulis fusiùs disputatis, Interrogatione 19. *Cùm Dominus, dicat: Sinite parvulos venire ad me*, inquit, *& Apostolus eum laudet, qui ab infantia sacras Literas didicisset: prorsùs ad eos, qui ad nos accedunt, admittendos, nullum ætatis tempus non esse idoneum judicamus, vel ipsius adeò teneræ atque incautis: ut videlicet, qui orbati parentibus sint, eos nostrà sponte ipsi assumamus, & exemplo Job parentes pupillorum simus. Qui autem sub parentibus sint, eos ab ipsi ad nos adductos, multis adhibitis testibus recipiamus...... Non ii tamen continuò propterea ad reliquum Fratrum corpus aggregandi, aut cum his simul censendi sunt: ne videlicet, si illi propositum suum minùs fuerint assecuti, eorum postea probra in omnes promiscuè pietatis sectatores redundent; sed educandi illi quidem sunt cum omni charitate, non secùs ac si communes totius Fratrum Collegii filii essent: seorsùmque ipsis & locus in quo habitent, & victus ratio quam teneant, assignari debet.... Quamobrem animus, dum tener est adhuc, & rita cera mollissima cedit, confestim ab ipso initio, omni rerum bonarum imbui exercitatione debet, quo videlicet, ubi postea rationis usus accesserit, & habitum illum rerum dijudicandarum ætas major attulerit, pietatè jam ab ineunte ætate assuetus, nullo impedimento, cursu utatur faciliore; cùm & ratio, quid expediat, admoneat, & ad id assequendum facilitatem probeat consuetudo. Quo sanè tempore admittenda est virginitatis professio, tamquam firma jam, & ejusmodi qua a proprio consilio judicioque proficiscatur, ratione jam probè adultà. Post quod tempus, & præmiis & suppliciis a justo Judice afficiuntur ii, qui vel benè vixerint, vel malè, pro meritis videlicet eorum quæ gesserint.*

Psalmodia Monachorum.

V. Divinæ Psalmodiæ singulis diebus pluries vacabant Monachi, & Officium diu noctuque persolvebant 4. sæculo. Sozomenus refert lib. 3. cap. 14. S. Pachomium Discipulis suis præscripsisse, *Ut primo ac postremo Hebdomadis die*, Sabbato nimirum & Dominica, *ad altare accederent, ad Sacrorum Mysteriorum communionem. Præterea ut duodecies orarent quotidie: mane scilicet sexies, & tantumdem vespere. Nocte quoque totidem vicibus; Hora autem Nona ter; ut cibum sumpturi, ante unamquamque Orationem Psalmum canerent.* Narrat Cassianus lib. 2. de Canone Nocturnæ Orationis cap. 5. & 6. quòd cùm Thebaidis Ægyptique Monachi de numero Psalmorum qui cani in divino deberent Officio, inter se dissiderent, Angelus sub Monachi specie ipsis apparuit ad Officium persolvendum simul congregatis: *Et in medium Psalmos cantaturus exurrexit. Cùmque sedentibus cunctis, & in psallentis verba omni cordis intentione defixis, undecim Psalmos Orationum interjectione distinctos, contiguis versibus parili pronuntiatione cantasset, duodecimum sub Alleluja responsione consummans, quæstioni pariter & Caremoniis finem imposuit.* Addit Cassianus ex tunc morem invaluisse ut Psalmi duodecim *tam in Vespertinis, quàm in Nocturnis conventiculis canerentur.*

Ægypti Monachi ad Officium dumtaxat Nocturnum & Vespertinum conveniebant: tota verò die, Dominica & Sabbato exceptis, manibus laborabant, psallendo interdum, aot Sacrarum Scripturarum meditationi incumbendo. In Palæstinæ verò, Mesopotamiæ, & totius Orientis Monasteriis, Tertiam, Sextam & Nonam simul persolvebant Monachi. Tribus Psalmis quælibet Hora constabat: Ita ot necessaria operationis officia spiritualibus obsequiis nullatenus valerent impediri. De his Cassianus, qui Ægypti, Palæstinæ, & Orientis Monasteria juvenis perlustraverat, lib. 3. de Canonico diurnarum Orationum & Psalmorum modo, cap. 2. 3. & 4. Officii quoque divini, & Psalmorum a Monachis septem diversis horis quolibet die concinendorum, meminit S. Basilius Sermone de Institutione Monachorum & in Regulis fusiùs disputatis cap. 37. Meminit & S. Hieronymus verbis licèt generalioribus, in Epistola ad Rusticum: *Numquam*, inquit, *de manu & oculis*

tuis

tuis recedat liber, discutur Psalterium ad verbum ..... Dicas Psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur. Idem de S. Hilarione in ejus Vita scribit: *Scripturas Sanctas memoriter tenens, post Orationes & Psalmos, quasi Deo præsente recitabat.*

Qui Officio divino non adfuerant Monachi, cùm ab omnibus in commune persolvebatur, in Ecclesia, vel Oratorio, privatim illud recitare tenebantur: ut colligitur ex S. Basilio Regularum cap.107. *Si enim*, inquit, *corporaliter adesse cum cæteris non occurrat ad Orationis locum, in quocumque loco inventus fuerit, quod devotionis est, expleat.* Idem probat factum S. Hilarionis, qui cùm die Dominico ruri esset, noluit ut comitum suorum quisquam cibum sumeret, nisi persoluto Officio. *Oremus*, inquit, *psallamus, reddamus Domino Officium, & sic ad vineam properabitis*: ut refert S. Hieronymus in ejus Vita. Idem constat ex Rufino, lib.3. de Vitis Patrum, cap.5. scribente, Monachos cùm se mutua in solitudine visitatione recreabant, Canonicas Horas sive noctu, sive interdiu recitasse. *Facto vespere*, inquit, *Orationes & Psalmos secundùm consuetudinem compleverunt; similiter etiam & nocte fecerunt*, &c. *Vespere ad Luminaria addidit super consuetudinem alios Psalmos, & post completas orationes dixit eis: Non possumus propter vos omnem Canonem psallere, ideoque repausate modicùm, quia de itinere fatigati estis.*

Opus manuum. VI. Monachi manibus operabantur IV. Sæculo, ut testatur S. Hieronymus in Epistola ad Rusticum. *Ægyptiorum*, inquit, *Monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque labore operis suscipiant, non tam propter victûs necessitatem, quàm propter animæ salutem: ne vagetur perniciosis cogitationibus mens.* De Ægypti & Orientis Monasteriis idem testatur S. Augustinus lib. de Moribus Ecclesiæ, cap.31. *Simul*, inquit, *ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus. Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea quibus & corpus pasci possit, & a Deo mens impediri non possit. Sanè quicquid necessario victui redundat, nam redundat plurimùm ex operibus manuum, & epularum restrictione; egentibus distribuitur. Adeò ut oneratas etiam naves in ea loca mittant, quæ inopes incolunt.* S. Hieronymus Rusticum Monachum ad opera manuum hortabatur his verbis: *Facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. Vel fiscellam texe junco.... sarriatur humus, areola æquo limite dividantur, in quibus cùm olerum jacta fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ.... inserantur infructuosæ arbores vel gemmis, vel surculis .... Apum fabricare alvearia....Texantur & lina capiendis piscibus; scribantur libri, ut & manus operentur cibum, & animus lectione saturetur.* De Monasteriis Ægypti V. Sæculo scribebat Theodoretus Historiæ Religiosæ, cap.30. *In Ægypto ferunt quædam esse Monasteria, quæ virorum habeant ad quinque millia, opus facientium, Deumque interea laudantium; qui opificio suo non solùm victum parant necessarium, sed peregrinis etiam egentibusque subveniunt.* Sanctus quidam Ægypti Monachus dicere solebat, *Monachum qui opus non faceret, non secùs ac alieni cupidum judicatum iri*, ut refert Socrates lib.4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.23. De Serapione scribit Sozomenus lib.6. c.28. ipsum juxta Arsenoiticam Præfecturam mille circiter Monachos rexisse. *Quos omnes ita instituebat, ut propriis laboribus victum sibi compararent, & aliis indigentibus subministrarent. Messis autem tempore, pretio conducti fruges metebant, & frumentum quod sibi sufficeret, recondebant, & aliis Monachis gratis dabant.* Hæc Disciplina ad Monachos V. Sæculi traducta est, ut constat ex S. Augustino, qui librum de Opere Monachorum conscripsit, ex quo discimus è Monachis illos tantùm ab operibus manuum immunes fuisse, qui Divini Verbi, & Altaris ministerio addicti essent, vel qui habebant aliquid in sæculo, quò facilè sine opificio sustentarent vitam, quod ad Deum conversi, pauperibus erogaverant, aut in commune contulerant Monasterio: vel, quos languidior educatio, corporisque infirmitas excusabat a labore. Illos verò qui ad Monasteria veniebant ex conditione servili, ex vita rusticana, ex opificum exercitatione, & plebejo labore, ad opera cogebant, ne in Monasterio ubi fiebant Senatores laboriosi, fierent opifices otiosi. Legatur cap. 21. & 22. libri laudati. Nobiles tamen Monachos ad opera Patres etiam hortabantur, ut cæteris exemplo essent, quamvis ipsos ad ea cogi non debere agnoscerent, maximè si bona sua Monasterio, vel Ecclesiæ, sive pauperibus contulissent. Id constat ex S. Augustino, cap.25. ejusdem libri. *Quamobrem*, inquit, *etiam illi, qui relicta, vel distributa, sive ampla, sive qualicumque opulenta facultate, inter pauperes Christi pia & salubri humilitate numerari voluerunt; si corpore ita valent, & ab Ecclesiasticis occupationibus vacant; quamquam eis tam magnum animi sui documentum afferentibus, & ejusdem societatis indigentia, de his rebus quas habebant, vel plurimum, vel non parum conferentibus, vicem sustentandæ vitæ eorum res ipsa communis & fraterna charitas debeat: tamen si & ipsi aliquid manibus operentur, ut pigris ex vita humiliore, & ab hac exercitatione venientibus auferant excusationem, multò misericordiùs agunt, quàm cùm omnia sua indigentibus diviserunt. Quod quidem si nolunt, quis audeat cogere? Quibus tamen invenienda sunt opera in Monasterio, etiamsi a functione corporali liberiora, sed vigilanti administratione curanda, ut nec ipsi panem suum, quoniam jam communis factus est, gratis manducent.* Nec referre putarunt Patres cui Monasterio, vel Ecclesiæ patrimonium suum, aut bona quæcumque reliquissent Monachi, ut ex Christi, pauperumque patrimonio jure viverent: quia, ut ibidem ait S. Augustinus, *Omnium Christianorum una respublica est. Et ideò quisquis Christianis necessaria ubique erogaverit, undecumque etiam ipse quod sibi necessarium est, accipit, de Christi bonis accipit; quia & ubicumque ipse talibus dedit, quis nisi Christus accepit?* In Monasteriis Mediolanensibus & Romanis, Monachi nemini onerosi erant, *Sed Orientis more, & Pauli Apostoli auctoritate, manibus suis se transigebant*, ut testatur S. Augustinus lib. de Moribus Ecclesiæ, cap.33.

VII. Disciplina quoad manuum laborem, non erat apud omnes Monachos uniformis. De Paulo Abbate, qui Monachis præerat quingentis in Ferme, Sceti monte, scribit Sozomenus lib.6. cap. 29. *Nullum hic opus faciebat, nec ab ullo accipiebat quidquam, præter quàm quod esurus esset. Orationi tantùm vacabat, trecentas orationes velut tributum quoddam quotidie persolvens Deo. Ac ne fortè aberraret ab integro numero, trecentis lapillis in sinum suum congestis, ad singulas precationes singulos projiciebat lapillos.* S. Epiphanius in Expositione Fidei Catholicæ n.23. eandem in Monasteriis disciplinæ varietatem observat. *Nonnulli*, inquit, *ita sæculo renuntiarunt, ut leviores quasdam artes, & minùs negotiosas sibi ipsi excogitarent, ne ætatem in otio degerent, aut cibum cum cujusque incommodo sumerent. Plures autem in decantandis psalmis ac perpetuis orationibus, & Sanctarum Scripturarum lectionibus, eisdemque memoriter pronuntiandis seipsos exercent.* De

De Turonensi S. Martini Monasterio scribit Severus Sulpitius, cap.7. De ejus Vita: *Ars ibi, exceptis scriptoribus nulla habebatur, cui tamen operi minor ætas deputabatur, majores Orationi vacabant.*

Clericalis & Monastica vita conjunctio.

VIII. Clericalis & Monasticæ vitæ conjunctio cœpit IV. Sæculo. Primus omnium S. Athanasius Clero Alexandrino Sacerdotes ex Monachis dedit. Multos ex Monasteriis ad Episcopatum fuisse assumptos, testatur in Epistola ad Dracontium. Ægypti solitudinis Monachos ex cœtu suo Presbyteros & Diaconos habuisse, ex Cassiano certum est. S. Eusebius Vercellensis Monasticum institutum Clero adjunxit, ut testatur S. Ambrosius Ep.82. *In Ecclesia Vercellensi*, inquit, *duo pariter exigi videntur ab Episcopo; Monasterii continentia & disciplina Ecclesiæ. Hæc enim primus in Occidentis partibus diversa inter se Eusebius sanctæ memoriæ conjunxit, ut & in civitate positus instituta Monachorum teneret, & Ecclesiam regeret jejunii sobrietate.*

Monasticum Institutum Clericatu auctum est a Siricio Pontifice per totum Occidentem, ut constat ex Epistola ipsius ad Himerium Taraconensem Episcopum, cap.13. *Monachos*, inquit, *quos morum gravitas, & vitæ ac Fidei institutio sancta commendat, & Clericorum Officiis aggregari & optamus & volumus.* S. Martinus Monasticam vitam in Galliis cum Clericatu conjunxit, *Ita implens Episcopi dignitatem, ut non propositum Monachi virtutemque desereret*: ut scribit Severus Sulpitius in ejus Vita: ubi & de ejus discipulis ita loquitur: *Pluresque ex his postea Episcopos vidimus. Quæ enim esset civitas vel Ecclesia, quæ non se de Martini Monasterio superet habere Sacerdotes?*

Sequenti sæculo Monasterium Hipponense S. Augustini, & ejusdem urbis Ecclesiæ Clericos, & diversis aliis Ecclesiis Episcopos plurimos dedit, ut testatur Possidius in ejus Vitâ, cap.11.

Promotio Monachorum ad sacros Ordines duplici viâ fieri solebat: vel ad petitionem Fratrum, ut sacra ministeria in Cœnobio peragerent, aut solius Episcopi nutu & mandato, qui eos ordinabat ut Ecclesiæ alicui sive Cathedrali, sive Parochiali manciparet. Primam spectat S. Hieronymus ad Heliodorum scribens: *Quòd si te quoque ad ordinem Clericorum pia fratrum blandimenta sollicitant, gaudebo de ascensu, timebo de lapsu.* De altera via loquitur ad Rusticum scribens: *Cùm ad perfectum ætatem veneris, & te vel populus, vel Pontifex civitatis in Clerum elegerit, agito quæ Clerici sunt, & inter ipsos sectare meliores. Quia in omni conditione & gradu, optimis mixta sunt pessima.*

Monachi Episcopi creati.

Monachi quandoque Episcopi creabantur honoris tantùm causâ, in præmium virtutis, etsi nulli plebi præficerentur tempore consecrationis suę, sed in Monasteriis manerent; quod de Barse, Eulogio, & Lazaro memoriæ prodidit Sozomenus lib.6. cap.34. hos tamen postea vacantibus Ecclesiis præfectos fuisse crediderim. Sanctus enim Basilius qui tunc vivebat, ad Barsem Edessę Episcopum geminam Epistolam scripsit, scilicet 326. & 327. Hunc autem eumdem fuisse eum illo de quo locutus est Sozomenus, Viri conjiciunt Eruditi, & maximè Valesius in Notis ad Sozomenum. Et certè honorarios hujusmodi Episcopos ordinarii Canones non patiebantur. Verisimilius igitur est, sanctos illos Monachos consecratos fuisse, non honoris tantùm causâ, sed ut Ecclesiarum vacantium regimini datâ occasione admoverentur, quamvis interim in Monasteriis manerent.

ARTICULUS X.

De sacris Virginibus, & Sanctimonialibus.

Monasteria Virginum.

Monasteria Virginum non minùs antiqua sunt cœnobiis Monachorum. S. Antonii soror sacrarum puellarum in Monasterio magistra fuit, teste S. Athanasio in ejus Vita. S. quoque Pachomium sorori suæ Monasterium non longè a suo dissitum construxisse, in ejus Vitâ legimus. S. Basilium Parthenonum fuisse fundatorem discimus ex S. Gregorio Nazianzeno Oratione 20. *Magna res*, inquit, *est virginitas & cœlibatus, atque in Angelorum naturæ singularis ordine censeri; vereor enim dicere Christi, qui cùm propter nos genitos gignendus esset, ex Virgine gignitur, virginitatem velut latâ lege sanciens, ut hinc abducentem, ac mundum contrahentem, vel potiùs mundum ad mundum transmittentem, præsentem ad futurum. Quis igitur magis quàm Basilius aut virginitatem in pretio habuit, aut carni leges imposuit? Cujus sunt Virginum cœnobia? Cujus præcepta illa Literis mandata?* &c.

Sancta Paula Bethleemi tria Virginum Monasteria construxit, teste S. Hieronymo in Epistola ad Eustochium de Epitaphio Paulæ matris. *Post virorum*, inquit, *Monasterium, quod viris tradiderat gubernandum, plures Virgines, quas e diversis Provinciis congregarat, tam nobiles, quàm medii, & infimi generis, in tres turmas Monasteriaque divisit, ita dumtaxat ut in opere & in cibo separata, Psalmodiis & Orationibus jungerentur. Post Alleluja cantatum, quo signo vocabantur ad Collectam, nulli residere licitum erat: sed prima, seu inter primas veniens, cæterarum operiebatur adventum, pudore & exemplo ad laborem eas provocans, non terrore. Manè hora Tertia, Sexta, Nona, Vespere, noctis medio, per ordinem Psalterium cantabant: Non licebat cuiquam Sororum ignorare Psalmos, & non de Scripturis sanctis quotidie aliquid discere. Die tantùm Dominico ad Ecclesiam procedebant ex cujus habitabant latere: & unumquodque agmen Matrem propriam sequebatur: atque inde pariter revertentes, instabant operi distributo, & vel sibi, vel cæteris indumenta faciebant.*

Itaque erant Monasteria Virginum in Palæstina, quæ ad Officia divina seu Canonicas Horas persolvendas tenebantur, quæ lectioni Sacræ Scripturæ & labori vacabant, quæ uni parebant Matri seu Præpositæ, quæ diebus Dominicis ad Ecclesiam conveniebant, quæ propriam non habebant Ecclesiam, in quâ Sacerdos Sacrum faceret singulis diebus.

Idem Pater in Epitaphio Marcellæ, de ipsa, & Principia ejus filia sic loquitur, utramque compellans: *Multòque ita vixistis tempore, ut ex imitatione vestri, conversatione multarum, gauderemus Romam factam Hierosolymam. Crebra Virginum Monasteria, Monachorum innumerabilis multitudo.*

Idem in Epistola ad Sabinianum de Ægypti & Syriæ Parthenonibus scribit: *Moris est in Ægypti & Syriæ Monasteriis, ut tam Virgo, quàm Vidua, quæ se Deo voverint, & sæculo renuntiantes, omnes delicias sæculi conculcaverint, crines Monasteriorum Matribus offerant desecandos, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessura capite, sed ligato pariter ac velato.*

S. Ambrosius ad Virginem lapsam scribens, illi exprobrat quòd Disciplina Monastica eam in Officio non potuerit continere. *Oblita demum patris tui*, inquit, *ad Monasterium virginale transisti. Non di-*

dico, tuta esse debuerus inter tot positu, si voluisses, sed etiam tutelam aliis præstare potuisses.

Sacra Virgines in privatis domibus degentes.

II. Non tantùm in Monasteriis, sed & in domibus parentum degebant Virgines velut in privatis quibusdam Monasteriis, orationi, & lectioni sacræ diu noctuque vacantes: ut constat ex S. Hieronymo in Epistola ad Eustochium de custodia virginitatis. *Semper te*, inquit, *cubiculi tui secreta custodiunt, semper tecum Sponsus ludat intrinsecùs. Orus, loqueris ad Sponsum: legis, ille tibi loquitur.... Horam tertium, Sextam, Nonam, Diluculum quoque & Vesperum, nemo est qui nesciat. Noctibus bis terque surgendum. Revolvenda, quæ de Scripturis memoriter retinemus. Egredientes de hospitio, armet oratio; regredientibus de plateu, oratio occurrat, antèquam sessio.* Idem in Epistola ad Marcellam, de laudibus Asellæ: *Post duodecimum*, inquit, *ætatis annum, unius cellulo clausa angustiis, latitudine Paradisi fruebatur. Idem terra solum & Orationis locus extitit, & quietis. Jejunium pro ludo habuis. Pane & sale, & aqua frigida concitabat, magis esuriem, quàm restinguebat. Operabatur manibus suis, sciens scriptum esse: Qui non laborat non manducet. Sponso aut orans loquebatur, aut psallens. Ad Martyrum limina penè invisu properabut.... solitudinem putabat esse delicias, & in urbe turbidu eremum invenit Monachorum.... sermo silens, & silentium loquens. Nec citus, nec tardus incessus. Idem semper habitus. Neglectâ munditie, & incultâ veste, cultus ipse sine cultu.*

III. Virginum hujusmodi privatis in domibus manentium duplex genus erat: quædam totius mundi muliebris abdicatione, & tunicæ fuscioris gestatione virginitatem profitebantur: aliæ velum ab Episcopo ritu solemni cum benedictione suscipiebant. Priori modo adolescentulæ virginitatem profiteri poterant: altero modo illæ tantùm quæ provectioris essent ætatis. Priori modo virginitatem professa fuerat Asella, ut colligitur ex S. Hieronymo. *Cùm primùm*, inquit, *hoc propositum arripuit, aurum colli sui absque parentibus vendidit; & tunicam fusciorem, quam a matre impetrare non poterat, induta, pio negotiationis auspicio se repente Domino consecravit: ut intelligeret universa cognatio, non posse aliud ei extorqueri, quæ jam sæculum damnasset in vestibus.*

Virginum professio & consecratio.

De secundo profitendi modo S. Ambrosius in Exhortatione ad Virgines, ita loquitur: *Venit Pascha dies, in toto orbe Baptismi Sacramentu celebrantur, velantur sacræ Virgines. Uno ergo die, sine dolore aliquo multas filias & filios solet Ecclesia parturire.* Et ad Virginem lapsam, cap. 9. *Non es memorata diei Sanctæ Dominica Resurrectionis, in qua divino altari te obtulisti velandum? In tanto itaque solemni Conventu Ecclesiæ Dei inter lumina splendida, inter candidatos regni cælestis, quasi regina Regi nuptura processeras. Non es memorata qualis allocutio facta est illa die ad te: Aspice filia, & intuere, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum, &c. His tunc in illo die consecrationis tuæ dictis, & multis supra castitatem tuam præconiis sacro velamine tecta es; ubi omnis populus dotem tuam subscribens, non atramento, sed spiritu, pariter clamavit, Amen.*

Educatio puellarum Christo ab infantia devotarum a parentibus.

IV. Virginitatis professioni destinabantur quandoque puellæ a parentibus in ipsa infantia, & quasi Deo dicandæ victimæ, religiosiori institutione præparabantur. Id constat, ex S. Hieronymo in Epistola ad Gaudentium de Pacatulæ educatione. *Cùm Virgunculam*, inquit, *rudem & edentulam septimus ætatis annus exceperit, discat memoriter Psalterium, & usque ad annos pubertatis libros Salomonis, Evangelia, Apostolos, & Prophetas, sui cordis thesaurum faciat: nec liberius procedat ad publicum, nec semper Ecclesiarum quærat celebritatem, in cubiculo suo totas delicias habeat.*

Idem constat ex Epistola ad Lætam de institutione filiæ. *Offerre, necne, filiam, potestatis tuæ fuit. Quæcumque illis sit tua conditio, quæ priùs eam vovisti, quàm conciperes: ut autem oblatum non negligas, ad periculum tuum pertinet, &c. Præponatur ei probæ fidei, ac morum & pudicitiæ virgo veterana, quæ illam doceat, & assuescat exemplo ad orationes & Psalmos nocte consurgere, manè hymnos canere, Tertiâ, Sextâ, Nonâ horâ, stare in acie quasi Bellatricem Christi, accensâque lucernâ reddere sacrificium Vespertinum. Sic dies transeat, sic nox inveniat laborantem: Orationi lectio, lectioni succedat oratio. Discat & lanam facere, tenere colum, &c. Spernat bombycum telas, serum vellera, & aurum in fila lentescere. Talia vestimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur, &c. Pro gemmis & serico divinos codices amet.... Discat primò Psalterium, his se Canticis avocet, & in Proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In Ecclesiaste consuescat, quæ mundi sunt, calcare. In Job virtutis & patientiæ exempla sectetur. Ad Evangelia transeat, numquam ea positura de manibus. Apostolorum Acta & Epistolas tota cordis imbibat voluntate. Cùmque pectoris sui cellarium his opibus locupletaverit, mandet memoriæ Prophetas, Pentateuchum, & Regum, & Paralipomenon libros, Esdræ quoque, & Hester volumina. Ad ultimum, sine periculo discat Canticum Canticorum, ne si in exordio legerit, sub carnalibus verbis spiritualium nuptiarum epithalamium non intelligens, vulneretur.* Sic Virgines Christo consecrandæ instituebantur.

V. In Monasteriis etiam tunc educabantur teneræ illæ virginalis professionis candidatæ. Unde S. Hieronymus in Epistola mox laudata Lætam hortatur, ut parvulam Paulam filiam suam mittat ad Paulam matrem & Eustochium, in Monasterio Bethleemitico instituendam. *Noli ergo*, inquit, *subire onus quod ferre non potes: sed postquam ablactaveris, mitte aviæ, & amitæ. Nutriatur in Monasterio, sit inter Virginum choros..... nesciat sæculum, vivat angelicè, &c. Ipse, si Paulam miseris, & Magistrum me, & nutritium spondeo. Gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo, multò gloriosior mundi Philosopho, qui non Regem Macedonum Babylonio periturum veneno, sed ancillam & sponsam Christi erudiam, regnis cælestibus offerendam.* Tanti esse momenti sacrarum Virginum institutionem Patres existimarunt.

Puellæ in Monasteriis educatæ.

VI. Professiones Virginum & Sanctimonialium in adolescentia admittebantur; teste S. Basilio pro Ecclesia Orientali, & S. Ambrosio pro Occidentali. Ita Sanctus Basilius Epistolâ 2. ad Amphilochium, Canone 18. *Professiones*, inquit, *ab eo tempore judicamus, quo ætas rationis complementum habuerit. Non enim pueriles voces omninò in his ratas esse existimare oportet. Sed eam quæ supra sexdecim, vel septemdecim annos nata fuerit, rationisque compos, & diu examinata, probataque perseveraverit?*

Tempus professionis sacrarum Virginum.

Sanctus verò Ambrosius lib. 3. de Virginibus: *Ajunt*, inquit, *plerique maturioris ætatis Virgines esse velandas. Neque ego abnuo, Sacerdotalis esse cautionis debere, ut non temerè puella veletur. Spectet, planè spectet ætatem Sacerdos, sed Fidei, vel pudoris: spectet & maturitatem verecundiæ, examinet gravitatis canitiem, morum senectam, pudicitiæ annos, animos castitatis. Tum deinde si matris tuta custodia, comitum sedula sobrietas, si hæc præsto sunt, non deest Virgini longæva canities. Si hæc desunt, differatur puella moribus, quàm annis adolescentior. Non ergo ætas rejicitur florentior,*

sed

sed animus examinatur. Et infra: *Cùm omnis ætas habilis Deo, perfecta sit Christo. Nec mirere in adolescentulis professionem, cùm legeris in parvulis passionem. An dubitamus si eam usque ad continentiam sequatur adolescentia, quem usque ad mortem confitetur infantia?* Ibidem: *Et tamen incredibile putamus si puellæ nubiles Christum sequantur ad regnum, quem etiam pueri sequebantur in desertum?* Ibidem: *Quibus licet sponsum eligere, non licet Deum præferre?*

Sanctus Hieronymus Asellam paulò post decimum ætatis annum Virginitatem vovisse testatur in Epistola ad Marcellam? *Vix*, inquit, *annum decimum ætatis excedens, honore futuræ beatitudinis consecratur.* De velo Professionis intelligendos istos Patres persuasum habeo: quod Virgines adolescentes suscipère poterant; non de velo Consecrationis, quod ut susciperent, maturioris esse debebant ætatis, scilicet viginti quinque annorum. Quadruplex itaque velum distinguendum est, Professionis, Consecrationis, Prælationis, Ordinationis. Velum Ordinationis, quo Virgines, aut Viduæ univiræ Ecclesiasticis ministeriis deputabantur, & Diaconissæ fiebant impositione manuum Episcopi, ante sexagesimum aut quadragesimum annum non conferebatur. Sexagesimum præscribit post Apostolum, Sanctus Basilius Epistolâ 2. Canonica ad Amphilochium. Quadragesimum tantùm postulant sequentibus sæculis Concilia Calchedonense Canone 15. & Trullanum Canone 14. Velum Prælationis, quo Virgines regimini Monasteriorum præficiebantur, quandoque ante sexagesimum annum, quandoque ante quadragesimum saltem, ne conferretur, prohibitum est. Sexagesimum præscripsit S. Gregorius Magnus lib. 3. Epistolâ 2. ad Maximianum Syracusanum Episcopum data. *Juvenculas Abbatissas fieri*, inquit, *vehementissimè prohibemus. Nullam igitur fraternitas tua nisi sexagenariam virginem, cujus ætas hoc atque mores exegerint, velari permittat.* Quadragesimum duntaxat postulavit Concilium Agathense anno 506. celebratum, Canone 19. & Cæsaraugustanum, Canone 8. Velum Consecrationis, quo Virgines ritu solemni, in Ecclesia benedicebantur die Resurrectionis Dominicæ, vel aliarum hujusmodi majorum festivitatum, habito ad eas Sermone, accensis luminaribus, Christiana plebe spectante, & *Amen* respondente, non conferebatur ipsis ante 25. ætatis annum: ut constat ex Canone 26. Concilii 3. Carthaginensis, qui illud etiam Consecrationis Virginum tempus contrahendi, Episcopis dat facultatem. *Quicumque*, inquit, *Episcoporum, necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cùm vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si aliquo etiam mortis scrupulo periculoso compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velaverit Virginem, seu velavit intra viginti quinque annos ætatis; non ei obsit Concilium, quod de isto annorum numero constitutum est.* Velum Professionis, ut dixi, suscipere poterant puellæ in adolescentia, a decimo anno & deinceps. Quamvis autem consecratæ non essent ritu illo solemniori, nec ab Episcopo velatæ, nubere tamen deinceps absque crimine non poterant, quia in proposito virginali semper se permansuras promiserant, & sponsio earum a Domino tenebatur. Id docent Innocentius I. in Epistola ad Victricium Rothomagensem, cap. 12. & 13. & S. Leo in Epistola ad Rusticum Narbonensem cap. 12. & 13.

Velum quadruplex.

Ingens sacrarum Virginum numerus.

VII. Maximus Virginum numerus Christianæ gratiæ argumentum evidentissimum Patribus meritò visum est, illum cum exiguo numero Vestalium Romanarum comparantibus, quas ad servandam certo tempore pudicitiam præmia & immunitates maximæ invitabant; & tamen vix septem poterant inveniri, quæ hanc sibi legem imponerent. Comparationem istam eleganter urget S. Ambrosius Epistolâ 12. quæ est responsio ad Relationem Symmachi Præfecti Urbis, ubi refellens hæc ejus verba: *Habeant Vestales Virgines immunitatem suam*, ait: *Dicant hoc qui nesciunt credere quòd possit esse gratuita virginitas: provocent lucris, qui diffidunt virtutibus. Quot tamen illis Virgines præmia promissa fecerunt! Vix septem Vestales capiuntur puellæ. En totus numerus quem infulæ vittati capitis, purpuratarum vestium murices, pompa lecticæ ministrorum circumfusa comitata, privilegia maxima, lucra ingentia, præscripta denique pudicitiæ tempora coegerunt. Attollant mentis & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, Concilium Virginitatis. Non vittæ capiti decus, sed ignobile velamen, usu nobile castitatis: non exquisita, sed abdicata lenocinia pulchritudinis: non illa purpurarum insignia, non luxus deliciarum, sed usus jejuniorum: non privilegia, non lucra, &c. Suis castitas cumulatur dispendiis, &c. Prima castitatis victoria est, facultatum cupiditates vincere: quia lucri studium, tentamentum pudoris est.*

ARTICULUS XI.

De Ecclesiæ bonis.

I. CLericos ante Constantini tempora ex decimis & oblationibus vixisse, nemo nescit: quæ auctoritate Episcopi inter Clericos dividebantur. Hinc *Clericorum Sportulæ, & Fratrum Sportulantium* honos apud S. Cyprianum. Certum etiam est Ecclesiam domos, agros, hortos possedisse ante Constantinum, qui hæc omnia ipsi restitui jussit, ut lib. 2. de Vita Constantini testatur Eusebius, cap. 39. *Omnia ergo*, inquit, *quæ ad Ecclesias rectè visa fuerint pertinere, sive domus ac possessio sit, sive agri, sive horti, seu quæcumque alia, nullo jure, quod ad dominium pertinet, imminuto, sed salvis omnibus atque integris, restitui jubemus.* Ecclesiæ patrimonia multùm auxit regia Constantini liberalitas ac magnificentia. Frumentum etiam in singulos annos Ecclesiis suppeditari jussit, curavitque religiosissimus Imperator, Clericis, viduis, egenisque cæteris dividendum: cujus rei testis est S. Athanasius Apologiâ de fuga sua. *Frumentum*, inquit, *dabatur a Patre Imperatorum, in alimentum viduarum, partim Libycarum, partim Ægyptiarum, quod etiamnum accipiunt, &c.* Testis est & Theodoretus lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 2. *Quin etiam*, inquit, *literas ad Provinciarum Præfectos dedit, mandavitque ut certus frumenti numerus viduis, & his quæ perpetuam servant virginitatem, quin etiam illis qui divinis Ministeriis obeundis consecrati sunt, in singulis civitatibus quotannis suppeditaretur? eamque non tam egentium necessitate, quàm suâ ipsius magnificentiâ mensus est, &c.* Lege quoque latâ Constantinus licentiam omnibus dedit, ex bonis suis quicquid vellent, Ecclesiis testamento legandi. Hæc sunt verba Legis [Codice *De Sacros. Ecclesiis* lib. 1.] *Habeat unusquisque licentiam sanctissimo, Catholico, venerabilique Concilio, decedens, bonorum, quod optaverit, relinquere, & non sint cassa judicia ejus.*

Testamenta, & Donationes in favorem Ecclesiæ.

II. Multos, hâc favente lege, bona sua, vel eorum partem Ecclesiis obtulisse, antiqua monumenta testantur. Hujus rei fidem facit S. Gregorius Nazianzenus Epistolâ 80. *Cogitate*, inquit, *complures extitisse, qui totas etiam domos Ecclesiis*

addici passi sunt: non etiam defuisse, qui suapte sponte facultates suas omnes obtulerint, ac pulcherrimum quæstum fecerint, hoc est, propter futura vitæ opes inopiam amplexi sint.

Ipse S. Gregorius Nazianzenus omnia sua Ecclesiæ Nazianzenæ legavit, ad ministerium usumque pauperum, ut ex ipsius Testamento compertum est. Sanctus etiam Ambrosius, omne aurum atque argentum, quod penes se habebat, Ecclesiæ, vel pauperibus contulit: prædia verò sua, reservato usufructu, donavit Ecclesiæ, ut scribit Paulinus in ejus Vita.

Respuebat Ecclesia Donationes eorum, qui pauperibus parentibus illam anteferrent.

III. Verùm non suscipiebat Ecclesia Donationes eorum, qui ipsam pauperibus parentibus suis anteferrent, ut colligitur ex S. Ambrosio in Luc. cap. 18. *Sed dicis*, inquit, *quod eras parentibus collaturus, Ecclesiæ malle conferre. Non quærit donum Deus de fame parentum.... Multi ut prædicentur ab hominibus, Ecclesiæ conferunt, quæ suis auferunt: cùm misericordia a domestico progredi debeat pietatis officio. Da ergo priùs parenti, da etiam pauperi.*

Respuebat etiam legata & Donationes factas in fraudem filiorum vel nepotum.

Parentum etiam legata, & donationes, in filiorum, vel nepotum fraudem factas respuebat Ecclesia, tum 4. sæculo, cùm sequentibus. Plures hujusmodi S. Augustinum recusasse testis est Possidius in ejus Vitâ. Testis est S. ipse Augustinus Sermone 49. De diversis; cap. 5. *Quid*, inquit, *facturus sum eis qui dicunt, Ecce quare nemo donat Ecclesiæ Hipponensi aliquid, ecce quare non eam faciunt, qui moriuntur, hæredem, quia Episcopus Augustinus de bonitate suâ donat totum, non suscipit. Planè suscipio, profiteor me suscipere oblationes, oblationes sanctas. Si quis autem irascitur filio suo, & moriens exhæredat eum; si viveret, non eum placarem? Non ei filium suum reconciliare deberem? quomodò ergo cum filio suo volo ut habeat pacem, cujus appeto hæreditatem? Quid plura? Quicumque vult exhæredato filio hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum qui suscipiat, non Augustinum: imò Deo propitio neminem inveniat. Quàm laudabile factum sancti & venerandi Episcopi Aurelii Carthaginensis, quomodo implevit eos omnes, qui sciunt, laudibus Dei! Quidam enim cùm filios non haberet, neque speraret, res suas omnes, retento usufructu, donavit Ecclesiæ. Nati sunt ei filii, & reddidit ei Episcopus, nec opinanti, quæ ille donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli.*

De eodem S. Antistite ac Doctore narrat Possidius, quòd eùm quidam ex honoratis Hipponensium apud Carthaginem degens, possessionem Ecclesiæ Hipponensi donasset, ac donationis tabulas datis ad S. Augustinum Literis, filio suo reddi post aliquot annos postulasset, ac misisset solidos centum pauperibus erogandos, S. Augustinus re cognitâ ingemuit hominem vel finxisse donationem, vel eum de opere bono pœnituisse. *Et tabulas quas ille sponte miserat, nec desideratas, nec exactas, confestim reddidit, pecuniamque illam respuit, atque rescriptis eumdem, sicut oportuit, & arguit, & corripuit, admonens ut de suâ simulatione vel iniquitate, cum Pœnitentia humilitate, Deo satisfaceret, ne cum tam gravi delicto de sæculo exiret.*

Excommunicati qui pias Defunctorum oblationes retinerent.

IV. Ecclesia pias defunctorum oblationes & legata non modò suscipiebat, verùm etiam eos Anathemate feriebat, qui ea retinerent; ut constat ex Concilio Carthaginensi 4. Canone 95. & ex Concilio Vasensi, Canone 4. cujus hæc sunt verba: *Qui oblationes defunctorum Fidelium detinent, & Ecclesiis tradere demorantur, ut infideles sunt ab Ecclesia abjiciendi; quia usque ad exinanitionem Fidei pervenire certum est hanc divinæ pietatis exacerbationem; quia & Fideles de corpore recedentes, votorum suorum plenitudine, & pauperes collatu alimoniæ, & necessariâ sustentatione fraudantur.*

Valentiniani Lex explicatur.

V. Valentinianus Imperator Clericis quidem prohibuit ac Monachis, ne viduarum, aut devotarum quarumlibet fœminarum hæreditatem, aut legata colligere possent: Sed Ecclesiæ id non prohibuit: ut colligitur ex S. Hieronymo in Epistola ad Nepotianum. *Pudet dicere*, inquit, *Sacerdotes Idolorum, mimi, aurigæ, & scorta hæreditates capiunt, solis Clericis ac Monachis hoc lege prohibetur, & non prohibetur a persecutoribus, sed a Principibus Christianis. Nec de Lege conqueror, sed doleo cur meruerimus hanc Legem. Cauterium bonum est; sed quò mihi vulnus, ut indigeam cauterio? Sit hæres, sed mater filiorum, id est, Ecclesia, gregis sui, quæ illos genuit, nutrivit, pavit. Quid nos inserimus inter matrem & liberos?* Idem colligitur ex S. Ambrosio Epistolâ 12. *Quod Sacerdotibus fani*, inquit, *legaverit Christiana vidua, valet: quod Ministris Dei, non valet. Quod ego: non ut querar, sed ut sciant quod non queror, comprehendi.... sed referunt ea, quæ vel donata, vel relicta sunt Ecclesiæ, non esse temerata &c. Nihil Ecclesia sibi, nisi Fidem possidet. Hos reditus habet, hos fructus. Possessio Ecclesiæ sumptus est egenorum. Numerent quos redemerint templa captivos, quæ contulerint alimenta pauperibus.*

Bonorum Ecclesiæ administratio & usus.

VI. Sancti Episcopi redditùum Ecclesiasticorum procuratione se liberari peroptassent, imò & Ecclesiam nullos reditus, nullasque possessiones habere, si fervens fuisset charitas Fidelium, & Ecclesiæ necessaria obtulissent ad Ministrorum, Virginum, Viduarum, pauperum sustentationem. Legatur S. Chrysostomus Homiliâ 37. in Matthæum, & Homiliâ 21. in Epistolam ad Corinthios, in quâ hæc habet: *Ne hos præferamus prætextus, nec existimemus esse defensionem, quod Ecclesia multa possideat. Quando ejus facultatum videris magnitudinem, cogita etiam inscriptorum pauperum greges, ægrotantium multitudinem, &c. Sumus etiam parati vobis reddere rationem...... Ecclesia propter vestram parcitatem necesse habet habere, quæ nunc habet. Nam si omnia agerentur congruenter legibus Apostolicis, ejus proventum oporteret esse vestrum animum, quod quidem & tutum esset penarium, & thesaurus qui non posset consumi. Nunc autem cùm vos quidem thesaurizetis super terram, & omnia in vestris includatis penariis, ipsa autem necesse habet impendere Viduarum cœtibus, choris Virginum, hospitum adventibus, peregrè proficiscentium afflictionibus, eorum qui sunt in vinculis, calamitatibus, eorum qui sunt manci ac mutili necessitatibus, & aliis hujusmodi causis, quid facere oportet?*

De S. Augustino scribit Possidius in ejus Vita, cap. 23. *Dum fortè, ut assolet, de possessionibus ipsis invidia Clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus plebis Dei vivere, quàm illarum possessionum curam vel gubernationem pati, & paratum se esse illis cedere, ut eo modo omnes Dei servi & Ministri viverent, quo in veteri Testamento leguntur altari deservientes de eodem comparticipari. Sed nunquam id Laici suscipere voluerunt.*

Et ipse S. Augustinus Epistolâ 225. *Deus testis est*, inquit, *istam omnem rerum Ecclesiasticarum procurationem, quarum credimur habere dominatum, propter servitutem, quam debeo charitati fratrum, tolerare me, non amare: ita ut, si salvo Officio possem carere, desiderem.*

SCHOLION I.

In isto Articulo Religiosi Censores hanc Pro-
po-

positionem carpunt; *Ab Imperatoribus vetitum ne Viduarum ne devotarum feminarum Legata Clericis & Monachis haberent executionem.*

R. Quam suis verbis interpolaront Propositionem, sic meis expressi: *Valentinianus Imperator Clericis quidem prohibuit ac Monachis, ne Viduarum nat devotarum quarumlibet faminarum hereditatem, vel legata colligere possent, sed Ecclesia non prohibuit.* Res gesta est, cujus testes SS. *Hieronymus* & *Ambrosius*, quorum verba protuli. Sed & Lex ipsa *Valentiniani* 20. *De Episcopis & Clericis* lib.16. *Cod. Theodos.* Tit.2. ad S. Damasum Romanum Pontificem missa, & Romæ promulgata loquitur. *Ecclesiastici*, inquit, *aut ex Ecclesiasticis, vel qui continentium se volunt nomine nuncupari, Viduarum ac Pupillorum domos non adeant: sed publicis exterminentur judiciis, si posthac eos ad fines earum vel propinqui putaverint deferendos. Censemus etiam ut memorati nihil de ejus mulieris, cui se privatim sea pratextu Religionis adjunxerint, liberalitate quacumque vel extremo judicio possit adipisci: & omne in tantum inefficax sit quod alicui horum ab his fuerit derelictum, ut nec per subjectam personam valeant aliquid vel Donatione vel Testamento percipere. Quin etiam si fortè, post admonitionem Legis nostra, aliquid iisdem ex femina vel donatione, vel extremo judicio, putaverint relinquendum, id Fiscus usurpet.* Hæc ipsa Cardinalis *Baronius* in Annalibus retulit: ut mirum sit Religiosos Censores mihi propterea succensere quòd illa observaverim.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag.382. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Bona Ecclesia propter pauperes.*

S. Ambros. Epist. 8. Edit. Paris. novissimæ. S. Bernard. *Declamat. in illud Evang.* Ecce nos reliquimus omnia.

R. Totâ hâc paginâ 382. Editionis primæ nihil meum proprium est, sed ipsa *S. Joannis Chrysostomi*, *S. Augustini*, & *Possidii* verba. An verò Religiosorum Censorum judicio Patres & Concilia erraverunt: cùm Ecclesiæ bona *Patrimonia pauperum* vocaverunt? Erravit *S. Ambrosius* Imperatori *Valentiniano* scribens, *Possessio Ecclesie sumptus est egenorum?* Erravit *S. Bernardus*, cùm ait: *Patrimonia pauperum, facultates Ecclesiarum?*

Nota.

DE Valentiniani lege S. Hieronymus *ep. ad Nepotian.* hæc habet: *Pudet dicere. Sacerdotes, idolorum, Mimi, & Auriga, & Scorta hereditates accipiunt; solis clericis, & monachis hoc lege prohibetur; & non prohibetur a persecutoribus, sed a Principibus Christianis. Nec de lege conqueror, sed doleo cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum est, sed quod mihi vulnus ut indigeam cauterio? Sit hares, sed mater filiorum, id est Ecclesia, qua illos genuit, nutrivit, pavit. Quid nos inserimus inter matrem, & liberos?* S. Ambrosius de eadem expostulans lege ita ait: *Soli ex omnibus clerico jus commune clauditur, nulla legata vel etiam gravium viduarum, nulla donatio.... Quod sacerdotibus Phani legaveris christiana vidua valet: quod ministris Dei non valet. Quod ego, non ut querar, sed ut sciant quid non querar comprehendi &c.* Observat autem Thomassinus *p.3. l.1. cap.18.* quosdam ex clericis, monachisque dupliciter peccasse, nimia nempe arte viduas, orphanosque circumveniendo & alliciendo, ut testamento hæredes scriberentur; ac ad sua privata commoda convertendo, quod præcipuè pauperibus erat destinandum. Dicit deinde de hac lege PP. conquestos non esse, nec illius revocationem postulasse, quia eam ecclesia sibi proficuam agnoscebat: quamvis etenim ea lege etiam clerici, monachique innoxii comprehenderentur, nihilominus intolerabilis non videbatur, cùm potius eos omnes deceat penuriâ laborare, quàm terrenarum rerum copiâ superbire.

Idem Thomassinus *cap.23.* observat ecclesiam semper illas artes execrasse, quibus piæ quædam personæ in præjudicium propinquorum, & pauperum propria cænobiis, vel ecclesiis relinquere adiguntur. In Ecclesiasticos ita sæcularium opes ad se trahere satagentes, dicit animadvertisse concilium Cabilonense III. *can.6. & 7.* quibus sancitur oblationes debere esse omnino spontaneas; & ab ecclesia fideles non expoliandos, sed potiùs inopibus opitulandum. Contrarium facientes canonicæ subegit pœnitentiæ, utpote *turpis lucri sectatores;* præcepitque res ita acquisitas hæredibus restitui, cùm potius *rapta noscerentur.* Ibi etiam refert legem Ludovici pii, qua hæredibus restituendum voluit, quæ ob insidiosas blanditias, similemve aliam ob causam fideles ecclesiis legassent: ac ita decernendo servire putavit canonicis institutionibus, quamcumque fraudolentiam vetantibus.

Nota.

RES Ecclesiæ ex Conciliorum ac PP. perpetua traditione habendas esse tanquam pauperum patrimonium, quampluribus demonstrat Thomassinus *part.3. l.3. cap.26. &c.* Ex hoc autem solemne fuisse apud PP. adnotat, quoscumque ecclesię ministros, qui ecclesiasticis proventibus sustentantur, amorem paupertatis in mensa, veste, supellectili præseferre debere: quippe qui sint patrimonii pauperum dispensatores, & quibus ecclesiæ bonis utendum non est, nisi ut re pauperum. Ibidem per plura capita ostendit, quantùm semper execrata sit ecclesia beneficiorum fructus in ludis, voluptatibus, aliisque seculi pompis insumi; cùm ita, quæ pauperum sunt, ipsis ob inopiam tabescentibus subtrahantur.

ARTICULUS XII.

De Virorum Ecclesiasticorum immunitatibus.

CLericis immunitatem ab omnibus oneribus publicis Constantinus Magnus concessit (ut constat ex ejus lege, quæ habetur Codicis Theodosiani lib.2. tit.1. cap.1.) *Prater privatas res nostras, & Ecclesias Catholicas, nemo ex nostra jussione pracipuis emolumentis familiares juvetur substantia, &c. Omnes pensitare debebunt.* Idem in Epistola ad Africæ Præfectum Anulinum ita in gratiam Clericorum decrevit: *Clericos ab omnibus omnino publicis functionibus immunes volumus conservari, ne errore aliquo, aut casu sacrilego, à cultu summa Divinitati debito abstrahantur.* Eadem immunitas aliis ejusdem religiosissimi Imperatoris legibus confirmatur, quæ adscriptæ sunt lib.16. Codicis Theodosiani, tit. 2. l. 1. 2. 7. *Qui divino cultui ministeria religionis impendunt, id est hi qui Clerici appellantur, ab omnibus omnino muneribus excusentur, ne sacrilego livore quorumdam, à divinis obsequiis avocentur.... Minimè ad Curias devocentur, sed immunitate plenissima potiantur.* Ex his liquet duplicem immunitatem a Constantino Magno concessam: unam Clericorum personis, alteram Ecclesiarum possessionibus.

Clerici ab oneribus publicis immunes.

Constantius Clericos etiam minores à militum trans-

transeuntiom hospitio, a munerum sordidorum exactione, id est, a contributione pecuniæ, vel subministratione curruum, equorum, hominum, ad viarum publicarum, vel pontium refectionem, ad annonæ militaris sobvectionem &c. Nec non etiam a vectigalibus pendendis ratione tenuis mercimonii, quod quandoque vitæ suæ & suorum sustentandæ causâ exercebant, immunes fecit. Privata tamen Clericorum patrimonia immunitate ab omnibus tributis non donavit, sicut nec donaverat Constantinus, sed solùm a novis, & extraordinariis. Sic ejus leges habent, (Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. leg. 8. & 10.) *Juxta sanctionem, quam dudum meruisse perhibemini: & vos, & mancipia vestra nullus novis obligationibus obligabit: sed vacatione gaudebitis præterea, neque hospites suscipietis. Et si qui de vobis alimonia causâ negotiationem exercere volunt, immunitate potientur.* Lib. 10. *Ut Ecclesiarum cœtus concursu populorum ingentium frequentetur, Clericis ac juvenibus præbeatur immunitas. Repellatur ab his exactio munerum sordidorum; negotiatorum dispendiis minimè obligentur; cùm certum sit, quæstus quos ex tabernis atque ergasteriis colligunt, pauperibus profuturos. Ab hominibus etiam eorum qui mercimoniis student, cuncta dispendia esse,* (id est abesse) *sancimus. Parangariarum quoque parili modo cesset exactio. Quod & conjugibus, & liberis eorum, & ministeriis, maribus pariter & fœminis indulgemus: quos à censibus etiam jubemus perseverare immunes.*

Clericorum tamen avaritia, qui non solùm tenuibus mercimoniis, unde ipsi, vel eorum familiæ possent sustentari, vacabant, sed majorum negotiatorum matriculæ erant adscripti, antequam Clero, & lucra ex negotiatione quærebant amplissima, Constantium adduxit ut tantas immunitates restringeret, atque minueret. (Cod. Theodos. lib. 16. tit. 2. leg. 15.) *Clerici*, inquit, *ita à sordidis muneribus debent immunes, atque a conlatione præstari, si exiguis admodùm mercimoniis tenuem victum vestitumque conquirent. Reliqui autem, quorum nomina negotiatorum matricula comprehendit, eo tempore quo conlatio celebrata est, negotiatorum munia & pensitationes agnoscant; quippe postmodum Clericorum se cœtibus aggregarunt.*

Clericorum etiam privata patrimonia publicis oneribus tributisque ordinariis, eadem lege obnoxia esse decrevit. *De his sanè Clericis, qui prædia possident, sublimis auctoritas tua non solùm eos aliena juga, nequaquam statuit excusare, sed etiam his, quæ ipsi possident, eosdem ad pensitanda fiscalia perurgeri. Universos namquè Clericos, possessores dumtaxat, provinciales pensitationes fiscalium recognoscere jubemus.* Id ipsis Episcopis æquum visum fuisse, addit Imperator. *Maximè cùm Episcopi probaverint, id maximè justè convenire, ut præter ea juga & possessionem quæ ad Ecclesiam pertinet, ad universa munia sustinenda, translationesque faciendas, omnes Clerici debeant adtineri.*

Clericorum immunitas ab oneribus personalibus & extraordinariis.

Hanc legem paulò antè obitum temperavit Constantius, (Cod. Theodos. lib. 16. tit. 3. L. 16.) & Clericos omnibus oneribus personalibus & extraordinariis liberavit, hoc religioni tribuens, quæ imperii columen esset. *Scientes*, inquit, *magis religionibus, quàm Officiis & labore corporis, vel sudore nostram Rempublicam contineri.* Eam legem, quam impius Imperator Julianus Apostata cum cæteris a Constantino & Constantio in Clericorum & Ecclesiæ gratiam conditis abrogaverat, Valentinianus renovavit. [ibid. L. 18.] *Quam ultimo tempore divi Constantii sententiam fuisse claruerit, valeat; nec ea in adsimulatione aliqua convalescant, quæ tunc decreta vel facta sunt, cùm Paganorum animi contra sanctissimam legem quibusdam sunt depravationibus excitati.*

Eandem immunitatem firmavit Gratianus [ibid. L. 24.] *Omnes*, inquit, *Clericos, perindè ac qui primi sunt, personalium munerum expertes esse præcipimus.*

Theodosius hanc immunitatem ad Ecclesiarum & quorumvis locorum sacrorum custodes, etiam Laicos extendit. (ibid. L. 26.) *Custodes Ecclesiarum, vel sanctorum locorum. Quis enim capite censos patiatur esse devinctos, quos necessariò intelligit supra memorato obsequio mancipatos?*

Ecclesiæ agri & privatæ possessiones Clericorum tributa pendebant.

Cæterùm Ecclesiæ agros, & multò magis privatas Clericorum possessiones, quamvis ab extraordinariis oneribus immunes, ordinariis obnoxias fuisse tributis, colligitur ex S. Ambrosio in Concione de Basilicis non tradendis. *Si tributum petit Imperator*, inquit, *non negamus. Agri Ecclesiæ solvunt tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum; nemo nostrûm intervenit ..... Potest pauperibus collatio populi redundare. Non faciant de agris invidiam; tollant eos si libitum est. Imperatori non dono, sed non nego .... Solvimus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Tributum Cæsaris est, non negatur. Ecclesia Dei est, Cæsari utique non debet addici.* Et in Evangel. Lucæ, l. 9. *Et si tu vis non esse obnoxius Cæsari, noli habere quæ mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es Cæsari. Si vis Regi nihil debere terreno, relinque omnia, & sequere Christum.* Soli itaque Clerici, quibus nulla erat privata possessio, & qui se patrimonio, & omni hæreditate penitus abdicaverant, antequam Clericali militiæ nomen darent, a tributo erant immunes. *Non solvunt tributum* [inquit S. Ambrosius Epist. 1.) *quibus portio Deus est. Ego nihil debeo Cæsari, quia nihil hujusmodi habeo. Nihil debuit Petrus, nihil Apostoli mei, quia non sunt de hoc mundo*, &c. Ibidem: *Non tenebantur ad solutionem tributi, nihil enim eorum quæ sub Rege terreno erant, possidebant.* Eodem sensu S. Hilarius cap. 22. in Matthæum scribit: *Si enim nihil Cæsaris penes nos resederit, conditione reddendi ei quæ sua sunt, non tenebimur. Porrò autem si rebus illius incumbamus, si jure potestatis suæ utimur, & nos tamquam mercenarios alieni patrimonii procurationi subjicimus, extra querelam injuria est, Cæsari redhiberi, quod Cæsaris est.*

Curiales, & qui publicis muneribus erant devincti, ut Decurionum filii, ad Clerum admitti non poterant sine licentia Principis.

II. Eos quorum familiæ & possessiones publicis muneribus obnoxiæ erant, Decurionum scilicet, sive Curialium filios, ad Clerum admitti Constantinus Magnus lege lata prohibuit (Cod. Theodos. lib. 16. tit. 2. L. 2. & 3.] *Cùm*, inquit, *Constitutio emissa præcipiat nullum deinceps Decurionem vel ex Decurione progenitum, vel etiam instructum idoneis facultatibus, atque obeundis publicis muneribus opportunum, ad Clericorum nomen obsequiumque confugere: sed eos de cætero in defunctorum dumtaxat Clericorum loca subrogari, qui fortunâ tenues, neque muneribus civilibus teneantur obstricti.* Et l. 6. *Ne temerè & citra modum populi Clericis connectantur; sed cùm defunctus fuerit Clericus, ad vicem defuncti alius allegetur, cui nulla ex Municipibus prosapia fuerit, neque ea est opulentia facultatum, quæ publicas functiones facillimè queat tolerare ..... Opulentos enim sæculi subire necessitates oportet, pauperes Ecclesiarum divitiis sustentari.* His legibus, non divites quicumque, sed divites plebeii, qui & ratione originis, & ratione bonorum quæ in urbibus municipalibus possidebant, obnoxii erant muneribus & oneribus publicis, a quibus ut se liberarent, convolabant in Clerum, ab Ecclesiastico Ordine arcebantur: ut ex lege Valentiniani perspicuum est: *Plebejos divites*, inquit, *ab Ecclesia suscipi penitus arcemus.* Nobilitatis verò primariæ viri, majorum urbium

bium Senatores, Equites & eorum filii, poterant Clero adscribi, sicut adscripti sunt Nepotianus, Pammachius, Paulinus, Ambrosius, &c. Curiales verò, & qui rei alicujus publicæ administrationem susceperant, aut publico muneri erant devincti: absque licentia Principis ordinari non poterant, quia subtrahi non poterant Reipublicæ cui obligati erant, & necessarii, absque juris naturalis læsione, sicut nec servi Dominis, neque creditoribus debitores, sine juris ejusdem violatione subtrahi possunt, & in Clericorum aut Monachorum ordinem suscipi. Hic videtur esse sensus Canonis X. Concilii Sardicensis: *Si fortè dives, aut Scholasticus de foro, aut ex Administratore Episcopus fuerit postulatus, &c.* Hæc verba, *postulatus*, innuere videntur supplicationem factam Principi, ut cum hujusmodi viris de legibus dispensaret, ut ab Ecclesia possent ad Episcopatum promoveri, cùm ad illam dignitatem sustinendam, & ad Ecclesiæ administrationem idonei censebantur. Hanc Disciplinam adhuc Sæculo V. viguisse, constat ex Vita S. Germani Autissiodorensis a Constantio Presbytero conscripta, in quâ legitur, Simplicium Episcopum Autissiodorensem, cùm Germanum Clero adscribere voluit, licentiam petiisse a Julio Præfecto Galliarum, quia Germano Ducatus culmen, & regimeo Provinciarum collata fuerant; aliaque publicorum honorum insignia, ob splendorem natalium ac virtutum. Unde Reipublicæ obstrictus erat, eique necessarius. Ne igitur Ecclesia cum Imperio committeretur, & jus publicum videretur violare, licentiam a Præfecto Prætorio postulavit Simplicius Germani in Clerum adlegendi. *Posco*, inquit, *Celsitudinem tuam, ut licentiam tribuas mihi roganti, eumdem Germanum tonsurare.* Annuit Præfectus respondens: *Licèt necessarius sit atque utilis Reipublicæ nostræ, tamen quia Deus illum sibi elegit, contra Dei præceptum venire non possum.*

III. Denique Curialium filiis hæreditate paterna cedendum erat, omnibusque possessionibus, si ad Sacerdotium promoveri vellent, ut colligitur ex S. Ambrosio Epistolâ 12. quæ est responsio ad Relationem Simmachi P. V. *Si privilegium*, inquit, *quærat Sacerdos ut onus Curiale declinet, patriâ atque avitâ, & omnium facultatum possessione cedendum est. Quomodo hanc Gentiles, si haberent, ingravarent querelam, quòd Sacerdos ferias ministerii sui emat totius patrimonii sui damno, & privatus universa commoditatis dispendio, usum publici mercetur obsequii: prætendens communis salutis excubias, domestica inopia se mercede soletur, quia ministerium non vendidit, sed gratiam comparavit.*

SCHOLION.

Hoc in Articulo Religiosi Censores hanc Propositionem notant, ad pag. 387. Editionis primæ: *Divites Officiis publicis mancipati non poterant fieri Clerici.*

R. Eos quorum familiæ & possessiones publicis muneribus obnoxii erant, Decurionum scilicet sive Curialium filios, *Constantini Magni* Lege a Clero repulsos scripsi. Legum verba protuli, quibus Disciplinam suam accommodavit Ecclesia. His tamen non divites quoscumque, sed plebejos, qui ratione originis & bonorum obnoxii erant muneribus & oneribus publicis, ab Ordine Ecclesiastico prohibitos olim observavi. Historiæ & antiquæ Disciplinæ res est, momentis firmissimis probata.

CAPUT VI.

De Auctoribus, qui Ecclesiam Scriptis suis illustrarunt & defenderunt IV. nominis Christiani Sæculo.

Rem Christianam scriptis illustrarunt IV. Sæculo, S. Methodius, S. Victorinus, Arnobius, Lactantius, Juvencus, Constantinus Magnus, Eusebius Cesareensis, Julius Maternus Firmicus, S. Antonius, S. Serapion, Eusebius Emissenus, S. Athanasius, Lucifer Calaritanus, S. Eustathius, S. Hilarius, S. Phœbadius, Hilarius Sardus, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Dorotheus, Victorinus Afer, Titus Bostrensis, Optatus Milevitanus, S. Pacianus, S. Ephrem, Idatius Clarus, S. Philastrius, S. Damasus, S. Basilius, S. Gregorius Nyssenus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Amphilochius, Gregorius Bœticus, Dydimus, S. Pachumius, Gelasius Senior, S. Ambrosius, Paulini, Oresiesis, Marcus Eremita, Asterius, Diadochus, S. Epiphanius, S. Joannes Chrysostomus, S. Hieronymus, Joannes Hierosolymitanus, Theophilus Alexandrinus, Rufinus Aquileiensis, Gaudentius, Chromatius, Palladius, Severianus Gabalitanus, Tyrhonius, Commodianus. De quibus, Articulis sequentibus agemus.

ARTICULUS I.

De S. Methodio.

§. I.

Sanctus Methodius Episcopus Patarensis, ut Mss. antiquissima, necnon S. Joannes Damascenus Orat. 3. De Imaginibus, Leontius lib. de Sectis, Actione 3. Photius in Biblioth. & alii testantur, iisdem ipsis testibus, Olympi Lyciæ Episcopus fuit. Quæ minimè pugnant, cùm Patara Lyciæ civitas Olympus etiam vocaretur, utpote in monte huius nominis sita. Tyri etiam Episcopus postea fuit. De tempore Martyrii ipsius duæ sunt opiniones. Alii ad finem Diocletianeæ persecutionis; alii sub Decio & Valeriano in Chalcide Martyrio coronatum scribunt. Prior opinio verior est; Scripsit enim adversùs Porphyrium Christiani nominis infensissimum hostem Methodius. Non potoit aotem scriptis editis vesaniam Porphyrii redarguere temporibus Diocletiani, viventis scribentisque in Christianam religionem, si sub Decio & Valeriano Martyrium obiit. Porphyrius namque anno Galieni 10. qui Christi est 264. e Græcia Romam venit, Plotino Philosopho adhæsurus, annos natus 30. Si retro actos annos enumerans ad Decii imperium pervenias, tum Porphyrium annos natum novem & decem comperies, quâ ætate nec illis imbutus erat artibus, nec auctoritatem sibi tantam apud suos vindicaverat, ut calamum in Christianos vertere posset. Ideoque nulla tum illius scripta, non tantùm adversùs Christianos, sed nec alia, quæ mox moriturus, si sub Decio Martyrium subiit, Methodius refelleret.

Methodii cum laude meminerunt S. Gregorius Nyssenus in Quæstione seu Libro cui titulus est: *Quid sit ad imaginem Dei & similitudinem?* S. Epiphanius Hæresi 64. ubi prolixum & insigne Fragmentum ex ipsius libro *de Resurrectione contra Origenem*, exscribit; S. Hieronymus in Catalogo Scrip-

Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 83. Epistolâ 34. ad Magnum Oratorem Romanum, in Apologia ad Pammachium pro libris adversùs Jovinianum, & in Præfatione Commentar. in Danielem Prophetam. Photius in Bibliothecæ Cod. 234. 235. 236. & 237. ubi insignia ejus Excerpta refert, ex libris *de Resurrectione*, *de Creatis*, *de Libero arbitrio*, *de Sympositis*. S. Joannes Damascenus Oratione 3. *de Imaginibus*, Honorius Augustodunensis lib. 1. *de Luminaribus Ecclesiæ*, cap. 84. Andreas Cæsareensis Sermone 11. in Apocalypsim, Aretas ibidem, Martyrologium Romanum ad diem 18. Septembris, Canon, & Sinaxarium Ecclesię Gręcę.

Inter Opera Methodii celeberrimum est *Symposium*, seu *Convivium decem Virginum*, aut *Dialogus de castitate*, in quo loquentes introducuntur *Arete* seu *virtus*, *Eubulium*, *Gregorium*, Decem Virgines, *Marcella*, *Theopatra*, *Procilla*, *Domninu*, *Theophila*, *Thallusa*, *Thecla*, *Thalia*, *Agatha*, *Thasiana*. Hoc opus Veteres omnes Methodio tribuunt, quibus concinit Græcus Canon Ode 3. in eumdem, his verbis: *Virginitatis venerabile, & castimonia pulchritudinem cum experimento didicisse, o Gloriose! doctrinâ tuâ & sermonum venustate universam eorum pulchritudinem, divinâ mente prædite, & numquam finientem hilaritatem commonstrans .... firmiori cibo spiritualium conviviorum tuorum repleti, Sapientissime, veris inde lætitiis aluntur, quæ numquam deficiunt, sed semper novis fluxibus, simul cum participantibus enascuntur & augentur*. Contra nubem testium tam locupletum, opus illud Methodio abjudicat Rivetus, quia in eo Theologus citatur, quo nomine significatur Gregorius Nazianzenus, quem sæculo fermè uno Methodius anteivit. At nego, cum Leone Allatio, Excerpta illa in quibus Theologus laudatur, esse Methodii: alium enim parentem planè referunt. Quòd si in Excerptis Methodianis Theologus laudaretur, nec eo nomine alius intelligeretur a Gregorio Nazianzeno; cùm tot Patrum testimoniis constet Symposium Virginum, opus esse genuinum Methodii; dicerem, ex oscitantiâ Scriptoris, nomen Theologi in textum irrepsisse. Hoc sanctissimi Martyris Opus latinitate donarunt & Notis illustrarunt eruditi viri Leo Allatius, Petrus Possinus S. J. & Combefisius noster in Auctario postremo Bibliothecæ Patrum Græcorum.

Orationem *de Simone & Anna in die Occursûs, deque sancta Deipara*, quam Græcè & Latinè a se versam edidit Petrus Pantinus Tiletanus, Gretserus S. J. Professor, *de Cruce*, in duo Fragmenta Methodii, prisci illius Martyris esse negat; sed vel Methodii illius Patriarchæ Constantinopolitani esse asserit, qui sub Theophilo & successore ejus Michaelis, gloriâ confessionis floruit; vel ejus qui successit Germano, cujus sunt Homiliæ de S. Cruce: quia, inquit, tota phrasis & elocutio hyperbolica hujus Homiliæ, sapiunt recentiorum Græcorum genium & indolem. Sed Gretserum deceptum putant doctissimus Allatius, aliique viri eruditi, censentes Orationem illam esse Methodii, idque probare phrasim, elocutionem, & reliqua dicendi lumina, Symposii formulis similia: tum maximè quòd initio Homiliæ Symposii a se editi meminerit. Nec verò causæ Gretseri præsidium accedit ullum ex eo quòd scripsit Baronius in Notis ad Martyrologium, Festum *Occursûs Domini*, sive Purificationis B. Mariæ, celebrari cœptum sub Justiniano Imperatore: Patrumque Justiniano anteriorum neminem, Sermonem in Festo die *Occursûs Domini*, scriptum reliquisse. Sed deceptus est doctissimus Cardinalis: Extant enim verò Amphilochii, & Cyrilli, qui Justiniano multò antiquiores sunt, Sermones ea in Festivitate habiti: quam, multis ante Justinianum annis sub Marciano Imperatore celebratam; colligitur etiam ex Cyrillo Scythopolita in Vita S. Theodosii Cœnobiarchæ: Sub eo enim Theodosius alendus, & Christianâ Doctrinâ imbuendus traditur Iceliæ illustri & piæ viduæ, quæ Festum *Occursûs* cum cereis celebrari docuit.

S. Methodii Orationem *in Ramos Palmarum*, ex Codice Regio edidit Græcè & Latinè Combefisius noster, cum aliis ejusdem Methodii, & Amphilochii. Hanc sub Joannis Chrysostomi nomine ediderat Savilius. Ex ejusdem Martyris Operibus Fragmenta duo edidit Gretserus, *de Cruce*, Tom. 2. Græcè & Latinè, sibi suppeditata ex Bibliotheca Augustana. Tertium Fragmentum a Gretsero neglectum, Leo Allatius exscripsit in Dissertatione *de Methodiis*.

Methodium scripsisse Chronicon tradit Trithemius, illudque laudant Marianus Scotus, & Martinus Polonus: sed Veterum omnium silentium, non esse Methodii Patarensis arguit. Æquè suspectæ sunt Revelationes, sub ejus nomine editæ.

§. II.

Expenduntur quædam a S. Methodio duriùs dicta in Symposio Virginum, & alibi.

I. Reprehensioni videri possunt obnoxia hæc verba, quæ animarum præexistentiam in speciem asserunt: *Domum quidem illam inaspectabilem generationis nostræ naturam esse intelligas: aditum autem adjacentem montibus, descensum è cœlis animarum in corpora, & quòd in illa mittuntur*. At benignè exponenda sunt illa Methodii verba, quæ nullatenus Origeni favent, cujus acerrimus impugnator fuit. Nihil enim significant aliud, quàm animarum naturam esse a Deo, & cœlestem earum originem: id est, non ex materiæ gremio educi, ut aliorum animas viventium, sed a Deo suprà vim omnem actionis humanæ exire, qui singulas a se creatas, singulis corporibus, jure quasi naturæ, inquit, quam sibi ipse præfixit, lege infundat. Sic ferme ab Origenia errore Methodium vindicat Scholiastes, quem ex suo Codice adducit Allatius. Equidem censuit Methodius animas ante corpora creatas fuisse: sic enim Agatham loquentem introducit, secundùm Allatii versionem: *Inenarrabilem, o Virgines! pulchritudinem, & sapientiæ affinem & admodum propinquam, cùm in hunc mundum accedimus, possidemus. Namque exactè efficta sunt animæ, tam a Genitore & Creatore, cùm speciem, quæ secundùm similitudinem est, intaminatum, & imaginis illius notas præ se ferunt, quam respiciens Deus immortalem, nullique fini obnoxiam formam creabat, & quam ipsa postmodum possideatis, ita ut tum fuerunt, perseverant*. Sed hæc Methodii opinio longè distat ab errore Origenis, qui animas ante mundum corporeum cum Angelis creatas asseruit, sive reipsa Angelos fuisse, & propter peccata in priori illa vita admissa, animas evasisse, & in corpora velut in carceres fuisse detrusas. Cum Methodio de Animarum origine sensit S. Gregorius Nyssenus lib. *De Opificio hominis*, cap. 28. & e Latinis S. Hilarius in Psalmum 129. & Philastrius cap. 99. ubi Hæreticos damnat, qui negant animas ante corpora creatas fuisse. Quod quidem perperam ipse & sensit, & scripsit. Sed tamen eorum sententia Patrum, qui senserunt, non quidem ante mundum corporeum, sed solùm ante Adami corpus, tum ipsius Protoparentis, cùm cæterorum animas creatas fuisse; tolerabilior est sententiâ Origenis, & Priscillianistarum, quam damnavit S. Leo Epistolâ 93. sive 15. secundùm

po-

postremam editionem, ad Turribium Asturicensem data, cap. 10. cùm ait: *Catholicam fidem constanter prædicare atque veraciter, quòd anima hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporentur nisi ab opifice Deo*. Nempè asserebant Priscillianistæ, *Animas in cœlesti habitatione peccasse, atque ob hoc a sublimibus ad inferiora delapsas, in diversa qualitatis Principes incidisse, & per aërias ac sydereas potestates, alias duriores, alias mitiores, corporibus esse conclusas, sorte diversa & conditione dissimili*: ut ibidem legimus.

Similiter cùm corpora animarum indumenta vocat Methodius: *Ipsa siquidem*, inquit, *in occulto homines indumenta animis prætexens, effingit*: Non ad Origenis mentem, sed latè sumpto indumenti vocabulo intelligendus est. Cùm enim animus ipse non videatur, sed actiones ipsius per corpus expressæ, ideò corpore velut involucro contegi videtur. Rectè igitur & Catholicè, *Carneam animi vestem* corpus appellavit Methodius; & hominem *Christi indumentum*. Quo etiam modo intelligendus est Paulus Apostolus 2. ad Corinthios 5. Qui *domum Tabernaculi*, corpus, *exteriorem hominem*, ad differentiam interioris vocavit, & ad exponendam animi e corpore migrationem, & beatæ immortalitatis adeptionem, his vocabulis usus est *expoliari* & *supervestiri*.

II. Videri posset obnoxius reprehensioni Methodius, quòd visionem beatificam Sanctorum, ad generalem usque resurrectionem distulerit, his verbis, ex Allatiana versione: *Sed Judæi quidem umbram ab imagine, a veritate nempe tertiam denuntiarunt. Nos verò cœlestis dispositionis imaginem palam admirantes, divinis laudibus extollimus. Nam quod verum est, exactè post resurrectionem manifestabitur, cùm facie ad faciem Sanctum Tabernaculum, civitatem dumtaxat cœlestem, cujus opifex & conditor est Deus, non per speculum in ænigmate, neque ex parte, aspectu ipso percipiemus. Judæi namque nostra prædixerunt, nos cœlestia pronuntiamus: cùm Tabernaculum typus esset Ecclesiæ, Ecclesia verò cœlorum*. Sed hic locus facilè explicari potest de beatitudine consummata: prout explicat Allatius; quam homo demum totus post Resurrectionem possidebit, cùm antea pars tantùm hominis illâ frueretur, scilicet anima. Quod & his verbis apertissimè indicavit Methodius: *Tum non ex parte, sed aspectu ipso percipiemus*. Ante Resurrectionem itaque ex parte percipitur, id est, non ab homine integro, sed ab anima sola. Et aliunde Sanctos corpore solutos, Dei visione frui, Martyr sanctissimus palàm pronuntiat. *Et satis apertè*, inquit, *in sexto & trigesimo supra centesimum Psalmo cecinit, in quo pro gratiarum actione, hilariter animæ, quæ apprehensæ, detentæque nunc cum Christo cœlum circumeunt, quòd a materialis & corporis fluctibus abreptæ non sunt, laudem Deo transmittunt*. Quare cùm asserat Justorum animas jam in hilaritate constitutas hymnum Deo canere, & cum Christo cœlum circumire, decernit planè nunc in æterna beatitudine illos collocatos visione beatificâ frui. Nemo enim, quod anxiè expectat, si non possideat, hilaris est. Nemo gratias agit, qui non receperit beneficium: & quænam major excogitari beatitudo potest, quàm unà cum Christo esse, & cum eo cœlum circumire? Non aliam certaminum suorum coronam, non aliud præmium poscebat S. Paulus: *Cupio*, inquit, *dissolvi & esse cum Christo*. Sed luculentiora sunt quæ eodem in Symposio habet Methodius. *Hinc & ante alias, post vocationem & ex hac vita exitum, rectæ fidelesque Christo virginitatis conservatrices, ab eodem incorruptibilitatis floribus redimitæ, victoriæ præmia referunt. Simul enim atque mundum anima deseruerit, dicitur, Virginibus Angelos obviam factos, non sine laudum ingenti præconio in prædicta prata deducere, in quæ antea pervenire appetebant, procul illa imaginatione complexæ tum, cùm adhuc in corporibus degentes, res divinas sibi repræsentabant. Eo itaque ubi pervenerint, admirabilia quædam, & splendida, & beata decora, & quæ hominibus verbo exprimere perquam difficile est, intueri. Esse enim ibidem loci ipsam justitiam, & ipsam prudentiam, & ipsam dilectionem, & veritatem, & castitatem, & reliqua omnia; similiter præclarissimos sapientiæ flores & plantas, quorum nos hîc umbras tantummodo imaginatione confictas somniantes, ex humanis actionibus consistere arbitramur, quòd nullum sit eorum hîc simulacrum, sed figuræ solùm obscuræ & species, quas etiam sapiat sub obscurè nos effingentes, intelligimus*. Quibus luculentiora vix dici possunt de visione beatifica sanctarum animarum ante Resurrectionem.

III. Reprehensioni obnoxium videri posset in Methodio, quòd *Spiritum Sapientiæ intellectualem, Sanctam, & unigenitam dicit*. Sed nihil cogit, ut de ipsâ persona Spiritus Sancti hæc Methodii verba intelligantur: possunt enim accipi de dono, cujus Auctor Sapientia, quæ & ipsa suum donum dicatur, ut contigit in aliis attributis, in quibus Deus ex effectu cognoscitur & nominatur. Dicitur verò is Spiritus unigena, quasi unius rationis, sibique ipse similis & consentiens, non qualis mundi spiritus aut diaboli, spiritus dissensionis. Alludit ad verba Salomonis: *Est enim illa spiritus intelligentiæ sanctus, multiplex*, &c. vel si de persona ipsa Spiritus Sancti locutus est Methodius, generationis vocabulum secundùm latiorem significationem usurpavit, quemadmodum & alii antiqui Patres, ut indicaret nempè Spiritum Sanctum non esse *αὐτόθεον*: sed ab alio procedere. Latè sumpsisse Methodium generationis nomen, patet ex eo quòd subinde Spiritûs emanationem spirationis nomine explanat. *Et Unigenitus, qui ex paternis thesauris desuper placidè perflatur*, vel *spiratur*. Ut hanc autem spirationem, & hunc Spiritum unum esse significaret, unigeniti nomine usus est, quasi diceret, unispirati.

IV. Duriùs dictum videtur a S. Methodio, *Nullum antiquiorum*, id est, nullum eorum qui ante adventum Christi vixerunt, *Domino placuisse, sed in offensionem incurrisse*. Placuerunt enimverò multi, magnâque sanctitate claruerunt, ut & iis, qui sub gratia vivunt, exemplo esse possint, quos commendat S. Paulus ad Hebræos 11. Sed Martyri Sanctissimo hæc sententia crimini verti non debet. Neminem enim placuisse dixit, Scripturæ phrasi, quod pauci placuerint; qui & ipsi, non ex legis merito, sed ex Christi gratia jam tum ex fide operante, cui tantas sanctorum virtutes, ac præclara facinora S. Paulus loco laudato adscribit, placuerunt, qua fide in Christum venturum & charitate ad novum Testamentum jam spectabant. Idque innuit Methodius, cùm ait: *Cùm Lex non valdè potis fuisset ad liberandum humanum genus a corruptione*.

V. Arguunt aliqui in Methodio, quòd S. Paulum viduum senserit, non Virginem. Sed quamvis contraria opinio probabilior videatur, & SS. Chrysostomo & Hieronymo, necnon Theodoreto, & Theophilacto, & Oecumonio magis placuerit: nihilominus alia non est sugillanda ut erronea, cùm sit etiam probabilis, eamque verisimili ratione tueatur Methodius, quòd nimirum Apostolus de virginibus disserens numquam illas exemplo suo provocet, secus verò semel & iterùm cùm de viduis. In eadem sententia fuit Clemens Alexandrinus ab Eusebio laudatus lib. 3. Historiæ Eccle-

S. Paulum Virginem fuisse, non omninò certum est.

Ecclesiasticæ cap. 30. & Interpolator Epistolæ S. Ignatii Martyris ad Philadelphienses. Legatur Leonis Allatii Dissertatio *de Methodiis*.

VI. Nævus est in Methodio minimè dissimulandus, non quidem in ejus Symposio, sed in libro *de Resurrectione*, cujus Fragmentum describit S. Epiphanius, quòd scripsit, homines quosdam post resurrectionem & ultimum judicium, æternùm in terra habitaturos Angelorum more, sine ulla mutatione, in immortalitatis statu optima quæque facturos. *Cùm enim*, inquit, *post sæculi præsentis exitum adhuc terra perseveratura sit, habitatores in ea quosdam inesse necesse est, qui nec morituri sunt ampliùs, neque copulandi nuptiis, aut procreandæ soboli operam daturi, sed Angelorum more, sine ulla mutatione, in immortalitatis statu optima sint quæque facturi*. Denique nævus est Methodio cum aliis Veteribus communis, quòd Angelos mulierum amatores putavit, eoque amore lapsos esse.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 400. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Sanctum Paulum non fuisse Virginem, probabile est*.

R. Opinionem quæ Scripturæ Sacræ expressè non repugnat, neque Traditioni, & quæ a SS. *Methodio* & *Clemente Alexandrino* propugnata est, verisimili ratione ductis, probabilem non immeritò dixi: Sed dissimulare non debebant Auctores Indiculi Censorii, hanc opinionem mihi non probari. *Quamvis* (inquiebam) *contraria opinio probabilior videatur .... Nihilominus alia non est sugillanda ut erronea, cùm sit etiam probabilis, eamque verisimili ratione tueatur Methodius*. Varias Ecclesiasticorum Tractatorum de S. Pauli Cœlibatu fuisse sententias, testatur *Origenes* in cap. 1. Epistolæ ad Romanos: *Paulus*, inquit, *sicut quidam tradunt, cum uxore vocatus est. Ex consensu igitur liber effectus, servum se nominat Christi. Si verò, ut aliis videtur, sine uxore, nihilominus qui liber vocatus est, servus est Christi*. An igitur *S. Paulus* conjugatus fuerit, an Virgo quæstio est circa quam veteres dissenserunt. Probabilior sententia illorum est, qui Virginem permansisse senserunt, quam ego quidem sequor, sed nihilominus probabilis est illorum opinio, qui conjugatum fuisse putarint, nec erronea censenda est.

ARTICULUS II.

De S. Victorino & Arnobio.

SAnctus Victorinus, non Pictaviensis in Aquitania II. Episcopus, ut plerisque mediæ ætatis, recentiorisque memoriæ Scriptoribus persuasum fuit & ipsi Cardinali Baronio, sed Petabionensis, in superiore Pannonia fuit. S. Hieronymi Catalogum in omnibus ferme codicibus invasit vulgaris error, quo Pictaviensis vocatur: sed antiquiores & sinceriores codices, Petabionensem habuisse, non Pictaviensem, ex Græca versione Hieronymiani Catalogi a Sophronio adornata perspicuum est. Idem error in omnes fermè Conciliorum Editiones pervasit, quæ in Romana Gelasii I. Pontificis Maximi Synodo, Victorini Pictaviensis opera in classe apocryphorum, habent. Scripsit in Genesim, in Exodum, in Leviticum, in Ecclesiastem, in Cantica Canticorum, in Isaiam, in Ezechielem, in Matthæum, in Apocalypsim, *Opera grandia sensibus, sed compositione verborum viliora*. Cùm enim *Non æquè Latinè ac Græcè peritus esset; quæ intelligebat, eloqui non poterat*, ut ait S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 74. in Epistola ad Paulinum; & *Licèt libris ejus deesset eruditio, non tamen deerat eruditionis voluntas*: ut idem scribit ad Magnum Romanum Oratorem. Ideo autem a Gelasio Pontifice ejus Opera in apocryphorum classem rejecta sunt, quòd Millenariorum fabulas in iis obtruderet, præcipuè in Commentario in Apocalypsim. Quamobrem qui nunc extat in Patrum Bibliotheca Commentarius Victorino nostro adscriptus, ejus non est eruditorum judicio, cùm errori Millenariorum nedùm non faveat, sed in eum totis viribus pugnet quisquis est illius Expositionis Auctor. Martyrio coronatus est Victorinus Diocletiano & Maximiano Imperantibus, 4. Nonas Novembris anno 303.

II. Arnobius, Siccæ in Numidia Africæ provincia Rhetoricam professus, sub Diocletiano Imperatore floruit. Cùm adhuc Ethnicus ad fidem somniis divinitùs immissis compelleretur, nec ab Episcopis impetrare posset ut vel inter Catechumenos reciperetur, quòd Fidem Christianam impugnasset vehementiùs; septem libros adversùs Gentes conscripsit, quibus veluti quibusdam obsidibus, pietatis fœdus impetravit. Lactantii præceptor fuit. In eo quædam esse cavenda monet S. Hieronymus Epistolâ 76. ad Tranquillum. De ejus stylo ita censet Epistolâ 13. ad Paulinum: *Arnobius inæqualis & nimius est, & absque operis sui partitione confusus*. Legatur idem Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 79. & in Appendice ad Chronicon Eusebii, ad annum 2. Olympiadis 276.

ARTICULUS III.

De Lactantio.

LActantius Firmianus, sub Diocletiano Imperatore, Nicomediæ Rhetoricam docuit, ac discipulorum penuriâ, quòd Græca nimirum civitas esset, ad scribendum se contulit. In extrema senectute, Crispi Cæsaris filii Constantini Præceptor fuit. A pluribus *Cicero Christianus* ob eloquentiam meritò nominatus est. Inter ejus Opera potissima sunt *Divinarum Institutionum* libri septem, & eorumdem Epitome, *De ira Dei*, & *De opificio Dei*. In quibus judice S. Hieronymo, fœlicius aliena destruxit, quàm nostra adstruxerit; id est, Ethnicam superstitionem impugnavit, ac evertit funditus: at Catholica dogmata non adeò luculentis argumentis munivit. De eo lege S. Hieronymum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 80. Epistolâ 13. ad Paulinum, & 83. ad Magnum. Ejus Opera Gelasius Pontifex in apocryphorum classem rejecit in Romana Synodo, ob multos quos propugnat errores. Gravissimum notat S. Hieronymus Epistolâ 65. ad Pammachium & Oceanum, contra divinitatem Spiritus Sancti. *Lactantius*, inquit, *in libris suis, & maximè in Epistolis ad Demetrianum, Spiritus Sancti omninò negat substantiam: & errore Judaico, dicit eum vel ad Patrem referri, vel ad Filium, & sanctificationem utriusque personæ sub ejus nomine demonstrari. Quis mihi interdicere potest, ne legam Institutionum ejus libros, quibus contra Gentes scripsit fortissimè, quia superior sententia detestanda est?* At in his ipsis Divinarum Institutionum libris alios errores animadvertere licet. Lib. 2. cap. 15. docet Angelos ad hominum tutelam destinatos, cum humanum genus augeri cœpisset, eosdem a Diabolo terræ dominatore ad vitia pellectos, mulierum congres- *Lactantii errores & nævi.*

fibus,

sibus se inquinavisse. Tum in cœlum ob peccata, quibus se immerserant, non receptos, in terram cecidisse. Qui autem ex his sunt procreati, neque Angelos fuisse, neque homines, sed mediæ cujusdam naturæ, terrenos scilicet dæmones. Lib. 7. cap. 21. asserit omnes animas in una communi custodia detineri, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen. Tum, quorum fuerit probata justitia, eos præmium immortalitatis accepturos: quorum autem peccata & scelera detecta fuerint, non resurrecturos, sed cum impiis in easdem tenebras recondendos, ad certa supplicia destinatos. Cap. 24. & sequentibus, Christum ante ultimum judicium in terras venturum scribit, & eos, qui tum superstites futuri sunt, non morituros, sed per mille annos infinitam multitudinem generaturos, vitamque in civitate ornatissima acturos pacatam, omnibusque commodis uberrimè affluentem, sub Christi & Sanctorum quorumdam a mortuis suscitatorum regno.

Cap. 22. Mundi durationem sex mille annorum spatio concludit. Quam hypothesim sic exponit & probat. *Mundum Deus sex dierum spatio consummavit, diemque septimum quo ab operibus requievit, sanxit. Hic est autem dies Sabbati, qui in lingua Hebræorum a numero nomen accepit: unde septenarius numerus legitimus & plenus est . . . . . Ergo quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt; per sæcula, id est, sex millia manere in hoc statu mundum necesse est. Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur; sicut indicat Propheta dicens: Ante oculos tuos, Domine, mille annorum tanquam dies unus. Et sicut Deus sex illos dies in tantis rebus faciendis laboravit, ita & religio ejus & veritas in his sex millibus annorum laboret necesse est, malitiâ prævalente ac dominante. Et rursus quoniam perfectis operibus requievit die septimo, eumque benedixit, necesse est ut in fine sexti millesimi anni malitia omnis aboleatur è terra, & regnet per annos mille justitia, sitque tranquillitas & requies a laboribus quos mundus perfert. Verùm quatenus id eveniat, explicabo suo ordine. Sæpè diximus minora & exigua magnorum figuras & præmonstrationes esse: & hunc diem nostrum qui ortu solis & occasu finitur, diei magni speciem gerere, quem circuitus annorum mille determinat. Eodem modo etiam figuratio terreni hominis, cœlestis populi præferebat in posterum fictionem: nam sicut perfectis omnibus quæ in usum molitus est Deus, ipsum hominem sexto die ultimum fecit, eumque induxit in hunc mundum tanquam in domum jam diligenter instructam: Ita nunc sexto die magno verus homo verbo Dei fingitur: id est, sanctus Dei populus doctrinâ & præceptis Dei ad justitiam figuratur. Et sicut tunc mortalis atque imperfectus e terra fictus est, ut mille annis in hoc mundo viveret: ita nunc ex hoc terrestri sæculo fingitur homo perfectus, ut vivificatus a Deo in hoc eodem mundo per mille annos dominetur.* Cap. 25. ducentos duntaxat annos ex istâ sex mille annorum summâ superesse asserit, quibus elapsis finem mundi futurum commentus est. Mundum tamen priùs non destruendum affirmat, quàm Roma ceciderit.

Libro 4. cap. 18. ait Pilatum sententiam non protulisse adversùs Christum, sed tradidisse eum Judæis, ut ipsi de illo secundùm legem suam judicarent. Quod Evangelicæ Historiæ apertè repugnat Matth. 27. *Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.* Non ait Evangelista, tradidit eis ut judicaretur, sed ut suffigeretur cruci; quod idem est ac si scripsisset, Damnavit eum supplicio crucis. Et Lucæ 23. *At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur, & invalescebant voces eorum: & Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum:* & infrà: *Jesum verò tradidit voluntati eorum.*

Lib. 6. cap. 20. censet militiam, & accusationem in causâ capitali, esse illicitam Christiano. *Non enim*, inquit, *cùm occidere Deus vetat, latrocinari nos tantùm prohibet, quod ne per leges quidem publicas licet; sed ea quoque ne fiant, monet, quæ apud homines pro licitis habentur. Ita neque militare justo licebit, cujus militia est ipsa justitia: neque verò accusare quemquam crimine capitali; quia nihil distat utrumne ferro, an verbo potiùs occidas, quoniam occisio ipsa prohibetur.*

His fermè nævis exceptis, nihil est in libris *Divinarum Institutionum*, quod Fidei Catholicæ, & Legis Christianæ sanctitati adversetur: imò nihil quod eam non promoveat. De Religione præclara scribit Lactantius. Censet hanc esse propriam hominis differentiam, quod cùm suis Institutionibus innuat, luculentiùs asserit lib. de Ira Dei, cap. 6. ubi laudat Ciceronem dicentem, nullum esse animal præter hominem, quod habeat aliquam notitiam Dei. *Solus enim sapientiâ instructus est, ut religionem solus intelligat: & hæc est hominis atque mutorum vel præcipua, vel sola distantia. Nam cætera quæ videntur hominis esse propria, etsi non sint talia in mutis, tamen similia videri possunt. Proprius homini sermo est: tamen & in illis quædam similitudo sermonis. Nam & dignoscunt invicem se vocibus: & cum irascuntur, edunt sonum jurgio similem: & cùm se ex intervallo vident, gratulandi officium voce declarant. Nobis quidem voces eorum videntur inconditæ, sicut illis fortasse nostræ: sed ipsis, qui se intelligunt, verba sunt. Denique in omni affectu certas vocis notas exprimunt, quibus habitum mentis ostendunt. Risus quoque est homini proprius, & tamen videmus in aliis animalibus quædam signa lætitiæ, cùm ad lusum gestiunt, aures demulcent, rictum contrahunt, frontem serenant, oculos in lasciviam resolvunt. Quid tam proprium homini quàm ratio, & providentia futuri? Atqui sunt animalia, quæ latibulis suis diversos & plures exitus pandant, ut si quod periculum inciderit, fuga pateat obsessis, quod non facerent, nisi inesset illis intelligentia & cogitatio . . . . . Quod si horum omnium quæ adscribi homini solent, in mutis quoque deprehenditur similitudo, apparet solam esse Religionem, cujus in mutis nec vestigium aliquod, nec ulla suspicio inveniri potest. Religionis enim est propria justitia, quam nullum aliud animal attingit. Justitia autem Dei cultus adscribitur: quem qui non suscepit, hic a naturâ hominis alienus, vitam pecudum sub humana specie vivit.* Et lib. 3. Divinarum Institutionum, cap. 2. *Naturam*, inquit, *hominis hanc Deus esse voluit, ut duarum rerum cupidus & appetens esset, Religionis & sapientiæ. Sed homines ideò falluntur, quòd aut religionem suscipiunt omissâ sapientiâ, aut sapientiæ soli student omissâ religione, cùm alterum sine altero esse non possit verum.*

Religionem esse propriam hominis differentiam censet Lactantius.

Lib. 5. cap. 20. Nostram Religionem eò firmam esse & solidam statuit, *Quia justitiam docet, quia nobiscum semper est, quia tota in animo colentis est, quia mentem ipsam pro sacrificio habet. Nihil enim sancta & singularis illa Majestas*, id est Deus, *aliud ab homine desiderat, quàm solam innocentiam, quam si quis obtulerit, Deo satis piè religioséque litavit*: (inquit idem Lactantius, cap. 1. lib. 6.)

Solum lumen cœleste, ac Legem divinam humanarum actuum regulam esse docet Lactantius.

Viam veritatis, & sapientiæ, & virtutis, simplicem esse, & angustam, & arduam, in quâ dux solus sit Deus, regula solum lumen cœleste & divina lex, docet lib. 6. cap. 7. & 8. *Hæc autem via*, inquit, *quæ est veritatis, & sapientiæ, & virtutis, & justitiæ, quorum omnium fons unus est, una vis, una sedes; & simplex est, quod paribus animis, summâque concordiâ unum sequamur & colamus Deum: & angusta, quoniam paucioribus vir-*

tus data est; & ardua, quoniam ad bonum quod summum & sublime est, nisi cum summa difficultate & labore non potest perveniri. Errant ergo velut in mari magno, nec quò ferantur intelligunt, qui nec viam cernunt, nec ducem sequuntur ullum. Eâdem namque ratione hunc vitæ viam quæri oportet, quâ in alto iter navibus quæritur: quæ nisi aliquod cœli lumen observent, incertis cursibus vagantur. Quisquis autem rectum iter vitæ tenere nititur, non terram debet aspicere, sed cœlum; & ut apertiùs loquar, non hominem sequi debet, sed Deum.... Itaque si oculos in cœlum semper intendas, & solem quà oritur observes, eumque habeas vitæ, quasi navigii Ducem, suâ sponte in viam pedes dirigentur, & illud cœleste lumen quod sanis mentibus multò clarius sole est, quem in carne mortali videmus, sic reget, sic gubernabit, ut ad summum sapientiæ virtutisque portum, sine ullo errore perducat. Suscipienda igitur Dei lex est, quæ nos ad hoc iter dirigat, &c. Ex quibus colligitur, in via fidei & virtutis, non probabiles hominum opiniones, sed divinum lumen, & legem divinam velut regulam esse sequendam, quæ non alia est Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia postbac, sed apud omnes gentes, & omni tempore, una, sempiterna, & immutabilis; cujus unus inventor, disceptator, & lator Deus est: cujus non est quærendus explanator aut interpres alius, ut præclarè dixit Cicero a Lactantio nostro laudatus. Colligitur secundò, minùs probabilem opinionem, quæ libertati favet ac cupiditati, concurrente probabiliore, quæ legi & officio favet, non esse viam veritatis, sapientiæ, virtutis, & justitiæ, adeoque non esse tutam. Non enim illi conveniunt characteres, quibus hanc viam delineat Lactantius; cùm non sit *simplex*, *angusta*, *& ardua*.

Christiana vita officia Lactantius præclarè describit.

Toto penè libro sexto, Christianæ vitæ officia explicat Lactantius, in multisque arguit Ciceronem, quòd sæpè non intellexerit in quo vera virtus posita esset. Cap.21. *Tam nefarium esse* ait *exponere liberos* recèns natos, *quàm necare*. Quibus non est credendus indicare voluisse, quòd utrumque sit æquale crimen, & exponere, & necare; sed quòd utrumque sit crimen; quia etsi alatur infans ita expositus, *addicit* quantùm in se est crudelis mater *sanguinem suum vel ad servitutem, vel ad lupanar*. Quamobrem dat consilium Lactantius, *Ut si quis liberos ob paupertatem non poterit educare, se ab uxoris congressione potius contineat, quàm sceleratis manibus opera Dei corrumpat*. Quod tamen consilium rectum non esset, si suadere voluisset Lactantius illam ab usu conjugii continentiam pauperibus, etiam eo casu quo alter conjugum continere nollet, vel non posset.

Spectacula Christianis vetita esse docet Lactantius.

Spectacula omnia, in quibus tragicæ historiæ, vel comicæ oculis subjiciuntur, Christianis esse vetita docet Lactantius, cap.20. ejusdem libri. *In scenis quoque*, inquit, *nescio an sit corruptela vitiosior. Nam & comicæ fabulæ de stupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum, & quò magis sunt eloquentes qui flagitia illa finxerunt, eò magis sententiarum elegantiâ persuadent, & facilius inhærent audientium memoriæ versus numerosi & ornati. Item, Tragicæ Historiæ subjiciunt oculis parricidia, & incestu Regum malorum, & cothurnata scelera demonstrant. Histrionum quoque impudicissimi motus, quid aliud nisi libidines docent & instigant? Quorum enervata corpora, & in muliebrem incessum habitumque mollita, impudicas fœminas honestis gestibus mentiuntur. Quid de Mimis loquar, corruptelarum præferentibus disciplinam, qui docent adulteria dum fingunt, & simulatis erudiunt ad vera? Quid juvenes aut Virgines faciant; cùm & fieri sine pudore, & spectari libenter ab omnibus cernunt? Admonentur utique quid facere possint, & inflammantur libidine, quæ aspectu maximè concitatur; ac se quisque pro sexu in illis imaginibus præfigurat, probantque illa dum rident, & adhærentibus vitiis, corruptiores ad cubicula revertuntur. Nec pueri modò quos præmaturis vitiis imbui non oportet, sed etiam senes, quos peccare jam non decet, in talem vitiorum semitam dilabuntur.... Vitanda ergo spectacula omnia, non solùm ne quid vitiorum pectoribus insideat, quæ sedata & pacifica esse debent, sed ne cujus nos voluptatis consuetudo deliniat, & a Deo atque bonis operibus avertat.* Ne verò quis austeriorem illam putet Lactantii Moralem, consulat & alios Patres priores posterioresque. Lactantio, & ex iis discet hanc esse perpetuam Ecclesiæ doctrinam, quòd Comœdiæ & quæcumque spectacula sint prohibita Christianis.

Comœdiæ summo Patrum consensu damnatæ.

Lege Theophilum Antiochenum lib.3. *Ad Autolycum*, Tatianum in Tractatu, *adversùs Græcos*, Tertullianum Apologetici, cap.15. & 38. & toto libro *de Spectaculis*, præsertim verò, cap.10. 15. 25.26. 27. 28. & 29. Clementem Alexandrinum lib.3. Pædagogi, cap.11. Minutium Felicem *in Octavio*; S. Cyprianum in Epistola ad Donatum, & in Epistola ad Eucratium, S. Cyrillum Hierosolymitanum *Catechesi* 1. *Mystagogica*; S. Ambrosium in Tractatu *De fuga sæculi*, cap. 1. & in Psalmi 118. versum 37. S. Chrysostomum Homil.15. ad populum Antiochenum, Homil.3. *de Davide & Saule*, Homil. 6. & 38. in Matthæum, S. Augustinum lib.3. Confessionum, cap.2. Epistola 5. ad Marcellinum, lib.1. *de consensu Evangelistarum*, cap.33. lib.2. *de Civitate Dei*, cap.20. Enarratione in Psalm.32. v.1. & Concione in Psalm.30. S. Isidorum Pelusiotam Epistola 336. lib.2. Epist.186. l.5. & Epist.463. ejusdem libri, Salvianum Massiliensem lib.6. *de Providentia Dei*, S. Anastasium Sinaitam in Tractatu *de Sacra Synaxi*, S. Joannem Damascenum lib.3. Parallelorum cap.37. S. Bernardum in Tractatu *De conversione Morum*, cap.15. In eamdem prohibitionem conspirant sacra Concilia, Illiberritanum, Canone 62. & 67. Arelatense 1. Canone 5. Carthaginense 3. Canone 2. Carthaginense 4. Canone 88. Concilium Africanum Canone 28. vel 61. secundùm Codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ. Arelatense 2. Canone 20. Trullanum Canone 51. Cabilonense 2. Canone 9. Synodus Mediolanensis 3. sub S. Carolo Borromæo, cap. *De Officio Concionatoris in perpetuo reprehendendis, tollendisque variis consuetudinibus, unde peccandi seminaria extant*. Quæ indicasse satis sit, ad evincendum Comœdiarum exhibitionem & spectacula, Christianæ Disciplinæ repugnare, & secundùm Patrum Doctrinam ac sacros Canones, illicita esse Christianis, quia cupiditates excitant ac fovent; ad voluptates pelliciunt & ad vitia, eò periculosiùs, quò honestiores videntur; quia denique pompæ mundi sunt & diaboli: adeò ut Christianus, qui spectaculis hujusmodi interest, iisque delectatur, solenne fœdus quod pepigit cum Deo in Baptismo, renuntians diabolo & omnibus pompis ejus, irritum quodam modo faciat.

Dei notitiam humanis animis ingenitam censet Lactantius.

Sed ut ad Lactantium nostrum redeamus, censet ille cognitionem Dei esse hominum animis congenitam, adeò ut ignorari Deus ab homine non possit, nec aliâ demonstratione sit opus, quàm quæ ex ipsius animæ natura, absque ullo externo subsidio, absque ullo Philosophiæ adminiculo colligitur. *Cùm verò*, inquit, *ipsos Deorum cultores sæpè videamus Deum summum confiteri & prædicare, quam sibi veniam sperare possunt impietatis suæ, qui non agnoscunt cultum ejus, quem prorsus ignorari ab homine fas non est? Nam & cùm jurant, & cùm optant, & cùm gratias agunt, non Jovem, aut Deos multos, sed Deum nominant; adeò*

deò ipsa veritas, cogente naturâ, ab invitis etiam pectoribus erumpit. Quam Lactantii Doctrinam Scholastici, suis licèt principiis repugnaotem, explodere non debent, nisi ab iis qui Patrum Doctrinam & antiquitatis sensa quàm placita Philosophorum, in rebus Theologicis sequi malunt, explodi ipsi velint. Non enim unius Lactantii hæc Doctrina est, sed & Minutii Felicis *in Octavio* dicentis: *Eos autem meritò torqueri, qui Deum nesciunt, ut impios, ut injustos, nisi profanus nemo deliberat: cùm parentem omnium, & omnium Dominum non minoris sceleris sit ignorare, quàm lædere.*

Est & Tertulliani, Apologetici, cap. 17. *Et hæc est*, inquit, *summa delicti, nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.... Vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus, quæ licèt carcere corporis pressa, licèt institutionibus pravis circumscripta, licèt libidinibus & concupiscentiis evigorata, licèt falsis Diis exancillata; cùm tamen resipiscit ut ex somno, ut ex crapula, ut ex aliqua valetudine, & sanitatem suam potitur, Deum nominat hoc solùm nomine, quia proprio Dei veri. Deus magnus, Deus bonus, & quòd Deus dederit, omnium vox est. Judicem quoque contestatur illum: Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ! Denique hæc pronuntians, non ad Capitolium, sed ad cælum respicit: novit enim sedem Dei vivi; ab illo & inde descendit.*

Et lib. *De Testimonio Animæ*, cap. 5. *Hæc testimonia animæ*, inquit, *quantò vera, tantò simplicia: quantò simplicia, tantò vulgaria: quantò vulgaria, tantò communia; quantò communia, tantò naturalia: quantò naturalia, tantò divina. Non puto cuiquam frivolum & frigidum videri posse; si recogitet naturæ majestatem, ex quâ censetur auctoritas animæ. Quantùm dederis magistræ, tantùm adjudicabis discipulæ. Magistra natura, anima discipula. Quicquid aut illa edocuit, aut ista perdidicit, a Deo traditum est, magistro scilicet ipsius magistræ.*

Et lib. *De Pœnitentia*, cap. 5. *Cùm etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur a pœna [quia Deum in aperto constitutum, & vel ex ipsis cælestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet] quantò cognitum despici periculosum est?*

Idem libro *De Resurrectione carnis*, cap. 4. *Est quidem*, inquit, *& de communibus sensibus sapere in Dei rebus; sed in testimonium veri, non in adjutorium falsi: quòd sit secundùm divinam, non contra divinam dispositionem. Quædam enim naturâ nota sunt, ut immortalitas animæ penes plures; ut Deus noster penes omnes. Utar ergo & sententiâ Platonis alicujus pronuntiantis: Omnis anima immortalis. Utar & conscientiâ populi contestantis Deum Deorum. Utar & reliquis communibus sensibus, qui Deum judicem prædicant; Deus videt, & Deo commendo.* Denique ejusdem sententiæ est S. Gregorius Magnus lib. 2. in Ezechielem Homil. 17. *Sæpè volumus*, inquit, *omnipotentis Dei naturam invisibilem considerare, sed nequaquam valemus, atque ipsis difficultatibus fatigata anima ad semetipsam redit, sibique de seipsa gradus ascensionem facit: ut primùm semetipsam si valet consideret, & tunc illam naturam, quæ super ipsam est, in quantum potuerit, investiget. Sed mens nostra, si in carnalibus imaginibus fuerit sparsa, nequaquam vel se, vel animæ naturam considerare sufficit: quia per quot cogitationes ducitur, quasi per tot obstacula cæcatur. Primus ergo gradus est, ut se ad se colligat. Secundus, ut videat qualis est collecta: Tertius, ut super semetipsam surgat, ac se contemplationi Auctoris invisibilis intendendo subjiciat.* Ex quibus perspicuum est illam de notitia Dei humanis animis congenita, opioionem non esse Lactantii singularem & propriam, sed & aliorum Patrum; & non solùm reprehensioni non esse obnoxiam, sed esse non minùs consonam veritati, quàm vulgarem Scholasticorum. Præter libros memoratos, ediderat Lactaotius Epistolarum libros quatuor ad *Probum*, duos ad *Severum*, duos item ad *Demetrianum*. Scripserat *Symposium* adolescentulus. Librum *De persecutione*, sive *De Mortibus persecutorum* edidit senior. Opus insigne, quod hac usque latuerat, è tenebris eruit V. C. *Stephanus Baluzius*.

SCHOLION I.

In hoc Articulo Religiosi Censores hanc Propositionem notant, pag. 409. Editionis primæ: *Opinio quæ libertati favet, non est sequenda.*

R. Propositionem meam fœdè mutilarunt & interpolarunt Censorii Indiculi Auctores. Non dixi absolutè, opinionem quæ libertati favet, non esse sequendam; Sed, *Minùs probabilem opinionem quæ libertati favet ac cupiditati, concurrente probabiliore quæ legi & officio favet, non esse viam veritatis, sapientiæ, & justitiæ: adeoque non esse tutam. Non enim illi conveniunt characteres quibus hanc viam delineat Lactantius, cùm non sit* SIMPLEX, ANGUSTA, ARDUA. Si hæc Doctrina censuram mereatur, eadem censurâ configendi sunt libri *Julii Mercori* Mediolanensis Inquisitoris, *Prosperi Fagnani* Romæ Curiæ Prælati Doctissimi, *Vincentii Baronii*, ex Ordine Dominicano eximii Theologi, Abbatis *Gradi* Vaticanæ Bibliothecæ Præfecti, *Thyrsi Gonzales* Præpositi Generalis Societatis Jesu, & Cardinalis Doctissimi *De Aguirre* Præfationes in Tomos Conciliorum Hispaniæ, quibus eadem Doctrina defenditur. Damnandæ sunt Censuræ celeberrimarum Academiarum, Episcoporum, Summorum Pontificum *Alexandri VII.* & *Innocentii XI.* quibus effrenis probabilitatis usus coercetur. Innoxiæ erunt Propositiones ab illis confixæ, & hæc inter alias: *In iisdem Quæstionibus de bono vel malo, licito vel illicito, jure divino vel humano, potest quis sequi opinionem minùs probabilem, minùsque tutam, relicta probabiliore & magis tutâ, etiam sibi notâ ut tali.* Si verò propositionum illarum Censuræ suscipiendæ sunt, ut revera ab omnibus Fidelibus suscipi debent; si libri has Propositiones impugnantes etiam Romæ sunt approbati, Doctrina mea his consentanea laudem meretur, non reprehensionem.

SCHOLION II.

In eodem Articulo pag. 411. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Comœdiæ sunt illicitæ.*

R. Comœdias prohibitas esse Christianis, ut periculosas innocentiæ, probat perpetua Ecclesiæ Doctrina. Cæteros Patres de hoc Moralis Christianæ Capite *cum Lactantio* sentire verè dixi, singulorum loca indicavi, necnon Conciliorum Decreta. Integra nempe referre testimonia prolixioris operæ fuisset, & a meo instituto alienæ, cùm obiter dumtaxat id observem, agendo de Operibus *Lactantii*. Nemo doctus & pius non miratur quòd Religiosi Censores hanc Propositionem in Indiculo suo notaverint: quòd non magis *S. Carolo Borromæo*, quàm mihi pepercerint. Ille siquidem in Synodo Diœcesana Mediolanensi tertia, de Officio Concionatoris hæc statuit: *Publicorum peccatorum illecebras, quas homines depra-*

vata consuetudinis errore decepti pro nihilo putant, Concionator perpetuò reprehendet, atque in summum odium adducere contendet, ostendetque quàm graviter Deum offendant, quàmmulta atque adeo publica calamitatis inde existant.... Spectacula, ludos ludicrasque res id generis, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, Disciplinæque Christianæ adversantur, perpetuò detestabitur, execrabitur, demonstrabitque incommoda publicasque aerumnas inde in populum Christianum dimanare. In quam sententiam valde populum confirmabit argumentis, quæ gravissimi viri Tertullianus, Cyprianus Martyr, Chrysostomus, & Salvianus afferunt. In eoque argumenti genere nullum aliud omittet, quo tanta corruptela radicitus extirpetur. Comœdiam illicitam esse & innocentiæ Christianæ periculosam, Præsules & Doctores Gallicani, sanioris Moralis vindices propugnant. Prodiere nuper in lucem plures libri id probantes, editi a Doctoribus Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis. Idem eximio confirmavit Opusculo Illustrissimus & Doctissimus Meldensium Episcopus *Jacobus Benignus Bossuet*. Contrariam Doctrinam damnavit Illustrissimus ac Religiosissimus Archiepiscopus Parisiensis *Franciscus Harlaus*, P.F. Cassaro Italo, Clerico Regulari Ordinis Theatinorum, ex Officio Pastoralis vigilantiæ ad palinodiam compulso. Ejus Retractationem per modum Epistolæ editam ex parte hic describere non inutile erit, ut videant Religiosi Censores quid de Comœdia Gallicani Præsules Doctoresque censeant.

Illustrissimo Domino D. Archiepiscopo Parisiensi, Duci & Patri Franciæ, Regiorum Ordinum Commendatori, Sorbonæ Provisori, Regiæ Navarræ Superiori.

Libelli cujusdam Gallicè ad Comœdiæ defensionem compositi, & sic inscripti, Lettre d'un Theologien, &c. *meme vulgò Auctorem circumferri audire, simul & natam ex eo offensionem nosse non potui, Archipræsul Illustrissime, quin acri inde dolore percellerer, mihique tum ad Reipublicæ Christianæ utilitatem, tum ad sacri quo fungor Muneris honorem censui incumbere, publicè ut profiterer Epistolam hanc non esse meam, measque in ea partes esse nullas, eam, priùs quàm ederetur, meam ad notitiam non pervenisse, & planè omnem quæ in me conjiceretur de ea scripta suspicionem a me ipso jam repelli. Ab hac tamen demissa, ut par est, confessione, me nolim immunem, quæ ipse apertam quid causæ esse potuerit, cur ea mihi adscriberetur, pristinam meam de ipsius argumento sententiam detegam, & hodiernam quasi in prioris expiationem patefaciam. Facit hoc, Archipræsul Illustrissime, ut tuam ad Celsitudinem scribam, cùm te meum, ut & universi gregis tibi crediti, ex quo esse honori duco in Doctrina judicem jure divino natum, a Spiritu Sancto positum, & a Christo ipso constitutum habeam, meque eo nomine obstrictum sentiam, ut hance meæ mentis explicationem penes te deponam, quam ipse, si tibi expedire videbitur, publicam in lucem prodire jubeas.*

Ab annis decem aut duodecim Latinam mihi in Comœdiam scriptum excidit, in quo pravio non habito rei, de qua agerem, maturo examine, juvenilis animi levitate elatus, ab illius vindicanda partibus stabam, quo eam more Parisiis haberi mihi finxeram, cùm nulla unquam adfuissem, & ex aliorum relatione nonnumquam auditâ illius mihi in mentem effigiem induxissem puriorem. Et vero pudore suffusus non possum non fateri, quin Epistola me inconsulto edita capita & momenta illa ipsa sint, quæ & meo in privato scripto haberentur.... Gravis non fuit opera ut primorum meum de Comœdia sensum deponerem, & ejus loco alium caperem quem deinceps sequar. Repenitus excussâ mihi planè persuasum est, quicquid altera ex parte ad Comœdiam excusatam habendam affertur, leve esse prorsus ac frivolum; stabile verò & inconcussum quod e contrario tenet Ecclesia, cùm nimirum eis quos in morbo a Sacro Viatico arcendos decrevit, ni vita anteacta instituto penitus abdicato impactam eo populis offensionem eluant, Comœdos annumerat, nec ad Sanctos Ordines, si quando eos ipsi postulent, suscipiendos, vult admitti. Duo hæc sunt præ cæteris de illis hominibus in Parisiensi Rituum Volumine, aliisque permultis canonum consonis, sancita capita. Hancce Ecclesiæ Disciplinam, Doctrinamque quâ leges hujusmodi nituntur, toto animo, tota obtemperatione amplector, eaque omnia sine ulla exceptione subscriberem quæ tuo in Rituali habentur, tum quæ in Comœdos quomodocumque incidunt, sive eos rectà spectent, sive ad ipsos obliquè referantur, tam quæ aliud quid, quodcumque sit, attingunt. Id equidem, Archipræsul Illustrissime, omni asseveratione tuæ Celsitudini religiosè confirmo, ad exequendum paratus quidquid imperes, ut me sensaque mea Reipublicæ Christianæ probem, & ei fiat satis. Summa sum reverentiâ, Archipræsul Illustrissime, Tuæ Celsitudinis humillimus & obsequentissimus servus, F. CAFARO C. R. *Parisiis die Maji 11. 1694.*

SCHOLION III.

In eodem Articulo pag. 411. Editionis primę, Religiosi Censores, hanc Propositionem in Indiculo suo notant, *Non datur ignorantia Dei.*

R. Non ita scripsi, sed de *Lactantio* dixi: *Censet ille cognitionem Dei esse hominum animis congenitam, adeo ut ignorari Deus ab homine non possit, nec alia demonstratione sit opus, quàm quæ ex ipsius Animæ natura, absque ullo Philosophiæ adminiculo colligitur.* Hanc fuisse Lactantii, Minutii Felicis, Tertulliani, S. Gregorii Doctrinam, probant illorum testimonia a me prolata. Omni homini rationis compoti ingenitam esse existentiæ Dei cognitionem sacrum illud probat Oraculum Psalmi 13. *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine. Dixit* quidem *insipiens in corde suo, Non est Deus*, errore practico, non speculativo. Practicus error est, cùm non tam intellectus errat, quàm voluntatis impulsu ad eum sibi errorem suadendum inducitur. Ita porrò affecti sunt insipientes illi, qui & Athei dicuntur. Cùm enim se totos in libidinem effundant, omnem Dei conscientiam exuere conantur, exsulesque cordis sui facti, ad Animæ testimonium non attendunt. Unde subdit Propheta: *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis.* Et *S. Hilarius* in Psalmum 52. *Fit frequenter*, inquit, *ut nos cùm verè necessitas ad confessionem Dei cogat, delectatio tamen vitiorum Deum non esse persuadeat, & quod contra fidem credimus, id tamen de consilio cordis impii eloquamur.*

Nota.

P. Hieronymus Florentinius nostræ Congregationis non ignoti nominis theologus, an. 1675. typis Lugdunensibus edidit Opusculum, cui titulus: *Comedio-Crisis &c.* In eo communi PP. suffragio proscriptas comędias ostendit, nuncupatasque *sacrarium Veneris, impudicitiæ consistorium, Dæmonum inventum, pudoris publici lupanariam, obscœnitatis magisterium, scholam fœditatis, & lasciviæ, & fornicationis gymnasium, intemperantię, & inhonestatis exemplar.* Illi tamen animus non fuit illas comędias vituperare, quarum argumentum morale est, & honestum, & quæ nil morum innocentiæ adversum continent; sed illas, quibus verbis, vel factis adstantes ad lasci-

sciviam impelluntor. Iis illæ addendæ comœdiæ, in quibus mulieres dulciter modulantes, animique affectus molliter exprimentes, habitu etiam ad lasciviam composito ad expugnandam innocentiam quamplurimùm valent.

Nota.

COmmunis est Theologorum opinio ita Dei cognitionem omnibus obviam esse, ut unicuique ea ratione saltem innotescat, cui non possit prudenter dissentire. Aliqui putarunt dari peccata solùm philosophica, quæ nempe rationi, sed non Deo adversarentur; atque in hanc descenderunt sententiam, quia Deum inculpatè ignorari posse arbitrabantur. Ex hoc inferebant evenire posse, ut puer in Baptismo Dei gratiâ regeneratus, ac deinde apud barbaros educatus, quamvis innumeris inquinatus flagitiis, ab adepta in sacramento Dei amicitia non excideret. Istorum placita confixit Alexand. VIII. die 24. Augusti 1690. sequentem thesim proscribendo: *Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: theologicum verò, & morale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in eo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœnâ æternâ dignum.*

ARTICULUS IV.

De Juvenco, & Constantino.

CAjus Aquilinus Vestius Juvencus, nobilissimus in Hispania Presbyter, floruit circa annum Christi 329. Quatuor Evangelia Heroicis versibus penè ad verbum transtulit: quod Opus nuncupavit Constantino Magno. Ejus cum laude meminerunt, S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccles. cap. 84. in Epistola ad Magnum & in Commentar. ad caput 2. S. Matthæi, & Honorius Augustodunensis lib. 1. *De Luminaribus Ecclesiæ*, cap. 85.

II. Constantinus Magnus Imperator, inter Scriptores Ecclesiasticos etiam recenseri meruit, ob celebrem ejus Orationem *Ad Sanctorum cœtum*, quam suis de Vita Constantini libris adnexuit Eusebius. Quod vulgò circumfertur Constantinianæ Donationis Edictum, quo urbem Romam & Italiam Silvestro Romano Pontifici & ejus Successoribus dedisse fingitur, jam passim reiicitur ab eruditis, ut spurius religiosissimi Principis fœtus: de quo in singulari Dissertatione.

ARTICULUS V.

De Eusebio Cæsareensi.

EUsebius extremis Gallieni Imperatoris temporibus in Palæstina ortus est. Dorothei Eunuchi, Antiochensis Presbyteri in sacris literis fuit auditor, cujus honorificè meminit Ecclesiasticæ Historiæ lib. 7. Ab Agapio Cæsareensis Ecclesiæ Episcopo in Clerum adscitus, arctissimam iniit amicitiam cum Pamphilo, qui tum inter Cæsareensis Ecclesiæ Presbyteros eminebat, quique postea pro Christo martyrium subiit. Ab ipso Eusebius Pamphili cognominatus est. Mortuo Agapio Cæsareensium Episcopo, communi omnium consensu in ejus locum substitutus est. Vir fuit incredibilis eruditionis, ut ejus Opera testantur. Chronicon edidit, quod perduxit a nativitate Abrahami usque ad annum tertium Olympiadis 376. Æræ Christianæ 326. Hujus ipse meminit lib. 1. Histor. cap. 1. Illud S. Hieronymus Latinè reddidit, multisque auctum ad Romanam Historiam spectantibus, ab anno 326. ad annum usque 379. Olympiadis verò 289. tertium continuavit.

Librum prætereà scripsit Eusebius, adversùs *Hieroclem*, Nicomediensem, qui sub initium Diocletianeæ persecutionis, cùm Christianorum ubique templa destruerentur, vexatæ religioni quasi insultans, duos adversùs fidem Christi edidit Libros quos φιλαλήθεις inscripserat. In quibus inter cætera id asserebat, Apollonium Thyaneum multò plura & majora fecisse quàm Christum.

Librorum de Præparatione Evangelica argumentum.

Scripsit etiam *De Evangelica Præparatione* ad Theodotum Episcopum libros quindecim, & *De Evangelica Demonstratione* Libros viginti, e quibus XV. dumtaxat supersunt. Ante Nicænum Concilium scriptos fuisse constat, cùm in Historia Ecclesiastica, quæ ante illud Concilium ab Eusebio scripta est, nominatim laudentur. Tribus primis de Evangelica Præparatione libris, Deorum multitudinem, quam communis populorum omnium error invexerat, coarguit: & non eas tantum fabulas, quas ipsimet eorum Theologi ac Poetæ suis de Numinibus comico more docuerunt; verùm etiam honestiores illas, planèque reconditas, quæ ex naturâ ducuntur explicandæ multiplicis divinitatis, & superstitionis ethnicæ rationes diligenter excussit. Deinde quæ ad decantata ipsorum oracula pertinebant, vanamque illam Fati opinionem a plurimis celebratam, tribus sequentibus libris confutavit, non domesticis modò rationibus, sed etiam ipsis Græcorum Philosophorum testimoniis eum in finem usus. Ad Hebræorum deinde literas ac monimenta progressus, dogmaticam eorum Theologiam, & universam gentis Historiam, Græcorum etiam Scriptorum testimoniis locupletissimis confirmatam, tribus aliis libris complexus est. Post hæc, Græcos ab Hebræis hausisse quæcumque in suis libris vel ad unius summi Dei religionem, vel ad mores rectè informandos spectantia, tradiderunt; & universam Hebræorum Historiam, Græcorum Philosophorum ætate antiquiorem esse demonstrat toto libro x. Sequentibus tandem libris, Græcæ Philosophiæ Principes doctrinam cum Hebræorum Theologia summè consentientem tradidisse ostendit, ipsis eorum vocibus: quotquot verò apud Græcos Philosophi diversam ab Evangelica Doctrinâ opinionem secuti sunt, eos non a nobis tantùm, sed a suis etiam dissidere, ac discipulorum quoque suorum disputationibus refelli demonstrat. Aristotelem verò tam longè a Mosis quàm a Platonis doctrina aberrare, ostendit libro XV. In his Eusebii libris immensam ejus lectionem & in deflorandis veterum Philosophorum, Historicorum, & Christianorum etiam Patrum libris diligentiam incredibilem nemo non miratur: quorum Opera, imò & Operum nomina, maximam partem ignoraremus, nisi insignia ipsorum Fragmenta Eusebius ex literarum naufragio eripuisset, ac suis in libris ad posteros transmisisset.

Libri de Evangelica Demonstratione.

In libris de Evangelicâ Demonstratione, perspicuis & evidentibus argumentis ex Scriptura Sacra petitis, & maximè ex vaticiniis Prophetarum, Christum illum esse ostendit, quem divina illa oracula tantò antè prædixerunt. Tres postremos Evangelicæ Demonstrationis libros, 18. 19. & 20. ab Eusebio scriptos esse contrà Porphyrium, asseruit Scaliger *in Animadversionibus Eu-* *se-*

Emendatur Scaliger.

sebianis, in eo manifestè hallucinatus, ut doctissimus Valesius observat. Quamvis enim scripserit S. Hieronymus, Eusebium tribus voluminibus, hoc est 18. 19. & 20. respondisse Porphyrio, qui in libro 12. ac 13. eorum quos contra Christianos ædidit, librum Danielis Prophetæ convellere tentaverat; non tamen libros Eusebii de Demonstratione Evangelica intellexit S. Hieronymus, ut putavit Scaliger, sed libros ab eo contra Porphyrium elaboratos, qui inscribuntur, *Confutatio & Apologia*, ut colligitur ex Bibliotheca Photii, Cod. 13.

Historia Ecclesiastica Eusebii.

Inter omnes Eusebii Lucubrationes jure palmam fert Ecclesiastica Historia, cujus meritò parens dici potest, cùm nullus in hoc scriptionis genere præiverit Eusebio. Decem libros complectitur, qui a Christi adventu in mundum incipiunt, & in annum vigesimum Constantini, qui fuit Christi 325. desinunt. Nicenæ Synodi nulla ab ipso sit mentio, quamvis ipsis Constantini vicennalibus celebrata sit, sicut nec in Chronico, quod ad eamdem metam procedit: nam quod in Latino ejus Chronico, ad annum Constantini 15. hæc leguntur, *Alexandrinæ Ecclesiæ XIX. ordinatur Episcopus Alexander, a quo Arius Presbyter de Ecclesia ejectus, multos sua impietati sociat, ad quorum perfidiam coarguendam, Synodus 318. Episcoporum in Nicæam urbem Bithyniæ congregata, omnes Hæreticorum machinas Homousii oppositione delevit*; evidens est ista non ab Eusebio scripta, sed ab Hieronymo addita fuisse, qui Eusebiano Chronico multa de suo adjecit. Nam & Synodi Nicænæ commemoratio hic alieno loco ponitur, & Eusebium ita de Ario locutum, aut Homousii vocabulum Chronico suo intexuisse, a quo semper animo abhorruit: & trecentos & octodecim Episcopos Nicænæ Synodi commemorasse, cùm in lib. 3. de Vita Constantini disertissimè scribat, paulò plusquam ducentos & quinquaginta in eâ consedisse, verisimile non est. Nullum tamen dubium est quin Ecclesiastica Historia ab Eusebio absoluta sit aliquot annis post Nicænam Synodum: sed cùm Eusebius pace illâ quæ post persecutionem Diocletiani cælitus affulsit Ecclesiæ, Historiam suam claudere decrevisset, quemadmodum ipse testatur in exordio Operis sui, Nicænæ Synodi commemorationem de industriâ vitavit; ne seditiones ac tumultus Episcoporum inter se rixantium exponere cogeretur. Quippè Historiarum Scriptores id præcipuè curare ac providere debent, ut opus suum illustri & glorioso exitu concludant, sicut jam pridem monuit Dionysius Halicarnasseus *in Comparatione Herodoti, ac Thucididis*. Nullus autem eventus illustrior ab Eusebio potuit optari, quàm pax illa quæ post cruentissimam persecutionem a Constantino reddita fuerat Christianis; cùm extinctis ubique persecutoribus, ac postremo omnium Licinio sublato, nullus jam præteritorum malorum superesset metus. Hanc satis probabilem rationem affert Valesius, cur Nicæni Concilii commemoratione Historiam suam terminare Eusebius noluerit. Sed huic addenda est Eusebii in Arianam Hæresim propensio & studium, & Nicænæ odium Synodi ac Fidei. Eusebii liber *De Martyribus Palestinæ*, qui octavo Historiæ Ecclesiasticæ libro adnexus est, ejusdem libri 8. partem esse perperam existimavit Christophorsonus: melius, velut librum singularem, ipsum Valesius edidit ac interpretatus est.

Eusebii Historiam Gelasius in Romana Synodo partim approbat, partim improbat. Approbat ob rerum notitiam singularem: improbat, ob apocrypham Jesu ad Abgarum Epistolam ab eo relatam, ob nimias Origenis laudes, & ob Ariani dogmatis fuliginem, Arianorumque patrocinium. *Chronicon*, inquit, *Eusebii Cæsariensis, atque ejusdem Historiæ Ecclesiasticæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & postea in laudibus & excusatione Origenis unum composuerit librum: propter rerum tamen notitiam singularem, quæ ad notitiam pertinent, usquequaque non dicimus renuendos*. Et paulò post: *Historia Eusebii Pamphili Apocrypha*. Pelagius II. Pontifex Maximus Epistolâ 3. ad Eliam Aquilejensem & alios Episcopos Istriæ, Eusebii Historiam impensè commendat. *Quid namque*, inquit, *in Hæresiarchis Origene doctorius, & quid ex Historiographis inveniri Eusebio honorabilius potest? Et quis nostrûm nescit, in libris suis quantis Origenem præconiis Eusebius attollat? Sed quia sancta Ecclesia suorum Fidelium corda benigniùs, quàm verba districtiùs pensat, nec in Hæreticis sensum proprium testatio Eusebii absolvere potuit: nec rursum Eusebium laudati Origenis culpa damnavit*: Photius in Bibliotheca Cod. 196. de Eusebio æquissimè censet: *Eusebius*, inquit, *cujus gravis est in Historia, non item in dogmatibus fides*. Quatuor libros *de Vita & laudibus Imperatoris Constantini*, post Ecclesiasticam Historiam conscripsit, omnium librorum suorum postremos. Scripti sunt enim post mortem Imperatoris illius, cui non diù superstes Eusebius vixit. Mortuus quippe est sub exordio Principatus Constantii Augusti, paulò antè mortem Constantini Junioris, quæ contigit Acyndino & Proculo Consul. anno Christi 340. ut colligitur ex Socrate lib. 2.

Post Synodum Tyriam & Hierosolymitanam, quinque libros contra Marcellum Ancyranum scripsit Eusebius: quorum postremos tres *De Ecclesiastica Theologia*, Flaccillo Antiocheno Episcopo nuncupavit.

Libellus *de locis Hebraicis*, quem S. Hieronymus Latinitate donavit, summam Eusebii tum in Topographia sacra, cùm in lingua Hebraica peritiam probat.

Decem Canones *de consonantia 4. Evangeliorum* excogitavit, ediditque Eusebius, ut constat ex ejus Epistola ad Carpianum, in quâ rationem illorum Canonum, occasione Ammoniani Monotessari affert, & explicat. Istos Canones cum Epistola ex MS. Regio edidit Robertus Stephanus, & Græcæ, quam curavit, Novi Testamenti Editioni, anno 1550. præmisit.

Expositionem in Canticum Canticorum, quam sub Eusebii nomine edidit Joannes Meursius, non esse Eusebii genuinum opus, utpotè quæ ex scriptis Auctorum Eusebio juniorum, scilicet Gregorii Nysseni, Philonis Carpathii, Didymi, &c. deflorata sit, viri eruditi rectè observarunt.

Opuscula XIV. sub Eusebii nomine edita a Patre Sirmondo, ex duobos probatæ Fidei MSS. an sint Eusebii legitimi fœtus, non satis constat, cùm Latinè tantum extent.

De Fide & Orthodoxia Eusebii, non unum est eruditorum judicium: illis subscribimus, qui illum Ariano dogmati adhæsisse asserunt: quod singulari Dissertatione probabimus. De Eusebii scriptis videsis S. Hieronymum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in Proœmio libri *de locis Hebraicis*, & alibi: Photium in Bibliotheca Cod. 9. 10. 11. 12. 13. 27. 39. 118. 127.

ARTICULUS VI.

De Julio Firmico, S. Antonio, & Serapione.

Julius Firmicus Maternus, sub Constantini Magni filiis floruit, quibus nuncupavit conscriptum a se librum *de errore Profanarum Religionum*.

Idem

Idem antequam Christo nomen daret, octo *de Astronomia* libros ad Lollianum scripsit, quos Possevinus & alii, perperam tribuunt alteri Julio Firmico, quem juniorem vocant: cùm inter annum Christi 334. quo contigit Solis Eclipsis ab ipso memorata, Optato & Paulino Coss. & annum 337. quo Titianus & Nepotianus Consulatum gesserunt, libros illos compositos fuisse constet, ut demonstrat P. Labbæus S. J. in Dissertatione Historica de Scriptoribus Ecclesiasticis. Hujus Auctoris nec S. Hieronymus, nec ullus Veterum meminit.

II. S. Antonios, Ægyptius, Monachorum Pater, obiit anno Æræ Christianæ 356. die 17. Januarii, anno ætatis 105. Scripsit, teste S. Hieronymo, ad diversa Monasteria, Apostolici sensus sermonisque Epistolas septem, quarum præcipua directa est ad Arsenoitas. Extant in Bibliothecis veterum Patrum. Easdem esse, quarum S. meminit Hieronymus, Rivetus non credit: sed nec Riveto eredimus nullam suæ dubitationis afferenti rationem. Duos Sermonum libros, qui in iisdem Patrum Bibliothecis leguntur, eidem Antonio falsò tribuit Trithemius: cùm in iis laudentur S. Basilius, Joannes Chrysostomus, Nilus, Photius, & alii, multis annis, imò & sæculis posteriores S. Antonio.

III. Serapion, Thmuitanus, in Scetica Ægypti Provincia, Episcopus ex Anachoreta, ordinatus est a S. Athanasio, anno circiter 340. S. Antonio carissimus fuit: sub Constantio Imperatore confessionis gloriâ illustris: cujus memoria Romano Martyrologio die 21. Martii adscripta est. Ob ingenii elegantiam *Scholastici* cognomen promeritus est. Librum edidit adversùs Manichæos egregium, quem tomo 5. Antiquæ Lectionis edidit Henricus Canisius. Scripsit & librum *de Psalmorum titulis* & varias Epistolas, quæ perierunt posteriorum incuriâ, & injuriâ temporum. Lege S. Hieronymum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 99. & Epistolâ 88. ad Magnum Oratorem Romanum. Serapionem S. Athanasius commendavit in libro; quem ipsi nuncupavit, *de Spiritu Sancto*.

ARTICULUS VII.

De Eusebio Emisseno.

EUsebius Emissenus, in Syria, sive Phœnicia Episcopus, Arianæ signifer factionis, tempore Constantii Imperatoris vixit. Plurimas & breves quidem scripsit Homilias in Evangelia, teste S. Hieronymo, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 91. Quæ tamen sub illius nomine vulgatæ sunt, & ante sexcentos penè annos a Guitmundo Aversano, sub finem libri tertii adversus Berengarium, sæculo 11. & sub medium sæculi sequentis a Gratiano, Distinct. 2. laudatæ sunt, non sunt Eusebii Emisseni, sed Latini Auctoris. Quæ de Tempore ac Sanctis inscribuntur, in quibus laudatur S. Gregorius Magnus, & adversùs Pelagium disputatur, ex Casinensibus & Vaticanis indicibus, & ex fide Petri Diaconi Casinensis Bibliothecarii, Brunoni Astensi, Signino Episcopo vindicantur. Alias verò plusquam 50. quæ supersunt variis de argumentis, vel Eucherii Lugdunensis, vel Fausti Rejensis, vel Cæsarii Arelatensis esse censent viri eruditi, Baronius, Bellarminus, Possevinus, Casaubonus. Quin plurimæ ipsarum in Gallia pronuntiatæ sint, dubitari non potest; cùm de Martyribus Lugdunensibus nonnullæ, de S. Genesio Arelatensi, de Sancto Maximo Rejensi, de Litania triduana a S. Mamerto Viennensi illis temporibus instituta, aliæ inscribantur: & hic Auctor se Discipulum & Filium B. Maximi, secundi Abbatis Lirinensis, & Episcopi Rejensis asserat. Ut ut sit, Eusebii Emisseni, qui Græcè scripsit, esse non possunt, cùm stylus Latinum, non Græcum referat Auctorem. Perperam tamen & impudenter insultat Rivetus doctissimo Cardinali Petronio, qood in libro suo de Eucharistia aliquot illius Auctoris testimonia ad fidem Ecclesiæ Catholicæ confirmandam protulerit. Quamvis enim Eusebii non sint Emisseni, antiqui tamen eruditi sunt Scriptoris, sive ille sit Eucherius Lugdunensis, sive Hilarius Arelatensis, & traditionis sunt insigne monumentum. De *Eusebio Emisseno* ita scribit *S. Hieronymus* in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. *Eusebius Emisenus Episcopus elegantis & Rethorici ingenii; innumerabiles, & qui ad plausum populi pertinent, confecit libros: magisque Historiam secutus, ab iis qui declamare volunt studiosissimè legitur; e quibus vel præcipui sunt adversùs Judæos, & gentes & Novatianos, & ad Galatas libri decem, & in Evangelia Homilia breves, sed plurima. Floruit temporibus Constantii Imperatoris, sub quo & mortuus, & Antiochia sepultus est.*

ARTICULUS VIII.

De S. Athanasio.

MAgnus Athanasius, Nicænæ Synodo, Alexandrinæ Ecclesiæ adhuc Diaconus interfuit. Anno sequenti ad S. Marci thronum, id est ad Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopatum evectus est, non minùs pietatis, quàm principatûs successor. Variis pro Christi Ecclesia laboribus perfunctus, variis insidiis & falsis accusationibus ab Arianis appetitus, variis persecutionibus & exiliis vexatus, inter tot procellas usque ad tempora Valentis Imperatoris vixit, obiitque die 2. Maji anno Christi 373. Episcopatûs sui 46. Ejus laudes S. Gregorius Nazianaenus Oratione singulari, quæ est XXI. prosecutus est. Sic vixit ut & vita ipsius, morumque ratio Episcopatus norma esset, & ipsius dogmata pro fidei orthodoxæ lege haberentur, (inquit sanctissimus ipsius Encomjastes.)

S. Athanasius non tantùm verbi doctrinâ, quantùm passionibus, trinæ unitatis assertor, cujus tota vita martyrium fuit, germanum specimen & probabile Catholicæ doctrinæ, magister militiæ Christi, *a Facundo vocatur.*

I. Multa S. Athanasio perperam inscripta sunt Opera. Inter quæ primo loco memoranda est *Disputatio cum Ario habita in Concilio Nicæno.* Illam supposititiam esse multa probant. Primò quia nec Gelasius Ciaycenus qui disputationes alias scriptis mandavit, istius ullatenus meminit, nec alii rerum Ecclesiasticarum veteres Scriptores. Licèt enim Sozomenus scribat, Athanasium maximam partem Concilii sustinere visum esse, disputationem tamen illam non memorat.

Secundò, illa Disputatio nec in Nicæno Concilio, nec contra Arium habita est: sed contra Arianum quempiam, & in diversorio privato [ut ex ipsa præfatione patet) in qua ait Auctor, *Simul tandem stetimus in loco quò iter habebamus, & nacti genuines sincerosque homines, libenter quidem nos & cum gaudio ibi commorabamur, quòd digni habiti essemus qui Sanctos visitaremus: illi verò quòd fratres suos conspicerent. Nobis igitur hæc invicem communicantibus, quæ ad pietatem spectabant, multa cum modestia & frugalitate: derepentè ex radice Christo inimici Arii bellua sub humana specie ad nos insiluit, & aliquantisper audiens sermones pietatis, ac tandem eorum impatiens, in hæc verba prorupit: Docete me vestram doctrinam, aut ego docebo vos meam sententiam,*

Disputatio duplex S. Athanasii cum Ario; pseudepigrapha.

Tertiò, in ea Disputatione Spiritus Sancti divinitatem acerrimè impugnat Hæreticus, egregiè defendit Orthodoxus. At nulla de Spiritus Sancti divinitate quæstio mota est ab Ario. Illa igitur disputatio non est habita contrà Arium.

Probatur minor. Ea enim SS. Patrum sententia est, nihil disertis verbis de divinitate Spiritus Sancti, sicut de Filii consubstantialitate, in Nicæno Symbolo positum esse: quòd nulla eo de dogmate ab Ario quæstio mota esset. Certè S. Athanasius in Epistola ad Serapionem, eiusmodi blasphemias ab Arianis potiùs quàm ab Ario prodiisse innuit. S. Basilius Magnus Epistolâ 78. de Nicæno Symbolo agens, ait: *Sententia verò de Spiritu Sancto in transcursu, sine omni diligentia posita est, propterea quòd nondùm mota esset ista quæstio, sed adhuc credentium mentibus securus ac nullis objectus insidiis inesset de Spiritu Sancto intellectus.* S. Hieronymus Epistolâ 65. respondens cuidam objectioni in patrocinium Origenis adductæ, ait: *Quidam constantiùs ajunt: Quomodò damnabimus quos Nicæna Synodus non tetigit? Quæ enim damnavit Arium, damnasset utique Origenem; si illius dogmata reprobasset. Scilicet, uno medicamine omnes simul morbos debere curari: & idcircò Spiritus Sancti neganda majestas est, quia in Synodo super substantia ejus silentium fuit. De Ario tunc, non de Origene quæstio fuit. De Filio, non Spiritu Sancto. Confessi sunt quod negabatur, tacuerunt de quo nemo quærebat.*

Quartò, Hæreticus ille contra quem instituta est illa Disputatio, sic supposititium Athanasium alloquitur: *Ego igitur gratias ago S. Trinitati, adoroque Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Jam ergo, Dilecte, simul deprecemur; ego enim omnia indumenta erroris exuens, ea abjicio per misericordiam Dei.* At nusquam errorem abjecit Arius. Itaque disputatio illa non est habita contra Arium.

Quintò, Pseudo-Athanasius ita compellat Hæreticum: *Dignitatem Clericalis Ordinis tributam tibi ab Hæresi, non existimas partem erroris esse?* At istud Ario non convenit, qui non ab Hæreticis ordinatus fuit, sed a S. Petro Alexandrino Diaconus, ab Achilla ejus successore Sacerdos consecratus est. Itaque contra Arium a S. Athanasio habita non est illa disputatio.

II. Verùm neque S. Athanasii est alia Disputatio, quæ pariter fertur Constantii Imperatoris jussu Laodiceæ in Syria facta Athanasium inter & Arium. Supposititium enim opus esse multa evincunt. Primò quia in Epistola Constantii ad Probum illi disputationi insertâ Athanasius Diaconus nominatur, quem constat longe antè Constantii Imperium creatum esse Episcopum Alexandrinum. Secundò, in progressu disputationis Athanasius Arium arguit Photiniani dogmatis: at Photini dogma post turpem Arii obitum emersit. Tertiò, quia creaturæ nomen Filio non tribuebat ille, contra quem instituta est disputatio, & non factum, sed verè ex Patre genitum credebat. Unde fictus ille Athanasius ait: *Miravi me fateor, cùm creaturæ nomen in Filium refugias, & non factum, sed verè, sicuti est profitendum, ex Patre genitum credas, Photini te quodammodo impietatis fuisse dogmata imitatum.* At nusquam ita locutus est Arius, imò nec ullus germanè Arianus. Illa igitur disputatio commentitia est. Et certè non est verisimile, quòd Constantius disputationem illam coram Probo homine Gentili & Idolorum cultore haberi jussisset. Cui enim bono? Hæc disputatio Bellarmino Cardinali videtur esse Dialogus ille, quem, a se scriptum esse Vigilius, non quidem Episcopus Tridentinus, sed Africanus Diaconus, & postea Tapsensis Episcopus, lib. 5. contra Eutychetem testatur.

Libri De unita Deitate Trinitatis, *non sunt S. Athanasii.*

III. Liber *De unita Deitate Trinitatis*, & alii decem libri in Parisiensi Græco-Latina editione anni 1627. sequentes non sunt S. Athanasii; tum quia Latinè scriptos, non Græcè stylus probat; tum quia indicat nonnunquam quomodo Latina vocabula, vel Latinæ Phrases Græco idiomate reddantur, & afferantur: ut libro 6. De Beatitudine Filii Dei. *Maledictus*, inquit, *qui hanc Dei Nativitatem ex nullis extantibus phantasma esse confitetur, quod Græci ἐξ οὐκ ὄντων appellant.* Et lib. 7. De professione Regulæ Catholicæ: *Unita est Patris, Filii, ac Spiritus Sancti substantia, quam Græci dicunt ὁμοούσιον.* Præterea refellit hic Auctor Eunomianos, unde multò posteriorem esse S. Athanasio necesse est, cùm SS. Gregorius Nyssenus & Basilius primi contra Eunomium calamum acuerint. Sunt autem hi libri Vigilii Diaconi Africani, & Episcopi postea [ut viri eruditi sentiunt] Tapsensis in Byzacena Provincia Episcopi, qui vixit sexto Christi sæculo circa tempora Justiniani Imperatoris, & annum Christi DL. In Codice Floriacensi optimæ notæ & venerandæ antiquitatis, qui in Bibliotheca Collegii Claromontani Societatis Jesu Parisiis asservatur, libri illi undecim *De Trinitate* subjiciuntur Vigilii libris adversùs Nestorium & Eutychem: quapropter meritò hos libros Vigilio vindicarunt viri doctissimi, Sirmondus in Notis ad Theodulphum Aurelianensem *De Spiritu Sancto*, & Chiffletius in Opusculo 2. Vindiciarium Operum Vigilii Tapsensis. Quamquam ante octingentos annos hoc opus sub Athanasii nomine laudarunt Theodulphus Aurelianensis Episcopus, Æneas Parisiensis, & Hincmarus Remensis, *confessio*, seu *Libellus Fidei*, qui libri XI. exordio insertus est, non magis est Vigilii, quàm Athanasii, ut demonstrarunt viri eruditi, Chiffletius, & Quenellius dissertatione 14. ad S. Leonis Opera: ex eo maximè quòd ex isto Libello aliqua descripsit S. Augustinus Vigilii ætate longè superior, Epist. III. Insertus est Codici Canonum quo Romanam Ecclesiam S. Leonis tempore usum fuisse probat P. Quenellius, quo ex Codice illum excerpsisse Vigilium existimat.

Dialogi V. *De Trinitate*, & Sermo in modum Dialogi conscriptus, in quo Orthodoxus & Macedonianus colloquuntur, ut & alii Tractatus XIX. sequentes, usque ad *Quæstiones ad Antiochum*, non sunt S. Athanasii. Eos S. Maximo Abbati, Monothelitarum debellatori tribuunt Scultetus & Rivetus, ex fide membranæ veteris quâ Dialogi erant involuti; item ex styli & phraseos similitudine: ac denique ex indice Operum S. Maximi in Vaticana Bibliotheca extantium, quem retexit Baronius Tomo 8. ad annum 657. ubi inter alia meminit.

Disputationis Anomæi, sive Ariani cum Orthodoxo.

Disputationis alterius Anomæi & Orthodoxi.

Macedoniani & Hæretici Disputationis.

Disputationis S. Athanasii cum Apollinarista.

Quos libros eosdem esse cum illis de quibus agimus, ex ipsâ inscriptione probatum volunt. Verùm etsi Dialogi seu Disputationes illæ, S. Maximi videri possint, alios tamen Tractatos esse Theodoreti, constat ex Photio in Bibliotheca, Cod. XLVI. eos inter Theodoreti Opera recensente.

Quæstiones ad Antiochum, non sunt S. Athanasii Opus.

IV. *Quæstiones ad Antiochum*, non sunt genuinum S. Athanasii opus. Nam præterquam quod in quibusdam Codicibus feruntur Quæstiones 162. in aliis solùm 46. in tertia laudatur S. Epiphanius Archiepiscopus Cypri, in *Panario*: cum A-

tha,

thanasio multò posterior sit Epiphanius. Quæst. 115. fit mentio Hæreseos quæ Verbum divinum corpus incorruptibile assumpsisse ex Beata Virgine effutiebat: quæ Hæresis post Concilium Chalchedonense emersit. Præterea S. Athanasii temporibus non conveniunt quæ habentur Quæst. 44. *Quantumvis sæpe numero barbari Palæstinam occupaverint: non permisisse tamen Christum sua ipsius loca Hæreticis tradenda, sed licèt ad breve tempus ea aggressi sint, statim tamen iterum Catholica Ecclesia ut porcos eos expulit ex Christi Dei nostri sanctis mansionibus & locis.*

Ad hæc, quæ de veneratione crucis & imaginum habentur Quæst. 39. 40. & 41. octavum aut nonum sæculum sapiunt: siquidem Claudii Taurinensis adversùs Crucis cultum objectiones, tacito licèt ejus nomine, diluunt, & Iconomachorum calumnias; eorum etiam sententiam impugnat harum Quæstionum & Responsionum Auctor, qui imagines ob Sanctorum & rerum ab iis, præclarè gestarum dumtaxat memoriam esse conservandas asserebant, nullam verò ipsis venerationem exhibendam. *Monachus quidam erat Hierosolymis*, inquit, *cui frequenter adesse, ac molestiam creare solebat dæmon quidam malus: Quadam igitur die ita ipsi apparuit Spiritus, ut conspici posset, ac dixit: Si cupis ne te ampliùs oppugnem, imaginem hanc ne adorato, & ego absistam a te. Erat verò imago illa sancta Dei Genitricis. Quid ad hæc responderint illi, qui mandant ne effigies Sanctorum adorentur, quas non ob aliud aliquid quàm memoriæ causâ effingimus?* At hæc opinio, solius nimirum memoriæ causâ retinendas esse Sanctorum imagines, nostratium Gallorum fuit post Septimam Synodum, ut constat ex libris Carolinis & ex Synodo Parisiensi sub Ludovico Pio, ex Agobardo, & Jona Aureliaoensi. Nullæ hujusmodi quæstiones motæ sunt S. Athanasii temporibus. Quæstiones igitur illæ non sunt S. Athanasii.

Adde in illis Quæstionibus multa esse absurda, & erronea. Quæst. 13. quærit utrùm incantatio, & veneficium occidere valeant hominem & respondet: *Justum certè nequaquam: peccatorem autem nonnunquam, Deo permittente, cùm nec in porcos habent potestatem, sicut in Evangeliis audivimus.* Quasi verò in justos etiam, Deo permittente, potestatem diabolus non habeat, ut Historia Jobi fidem facit, qui & ipse a dæmone multis modis afflictus est, & filii ejus occisi, quos tamen peccatores fuisse non constat. Imò justos fuisse asserit harum Quæstioum Auctor Quæst. LXX. Quæst. XX. & XXI. Nedùm justos recepisse bona sua, nec peccatores pœnam, asserit, quamvis aliquo gaudio interim fruantur Sanctorum animæ, & tristitia quadam afficiantur damnati, donec veniat Judex. Neminem vel in regnum introivisse, vel in gehennam: & Dominum omnia quæ de Lazaro & Divite in Evangelio leguntur, parabolicè locutum esse, sicut & de decem Virginibus, & aliis parabolis: nec rem gestam esse Lazari exemplum.

V. *Dicta & interpretationes parabolarum Evangelii*, non sunt etiam S. Athanasii. Nonnullæ enim excerptæ sunt ex Patribus Athanasio posterioribus, Chrysostomo, Cyrillo Alexandrioo, & Gregorio Nysseno. Quæst. 86. nominatim laudatur S. Gregorius. Eidem suppositæ sunt *Quæstiones* aliæ *anonymæ*. In Responsione ad Quæst. IV. *Spiritus Sanctus* dicitur *ex solo Patre causatus & procedens.*

Spuria S. Athanasii ad Marcum Papam Epistola.

VI. *Exhortatio ad Monachos*, quæ & Latinum hominem spirat, & Latinè tantùm habetur, magno Athanasio perperam adscripta est.

VII. Epistola ad Marcum Papam spuria est, Baronio ipso judice; & ex Isidori Mercatoris officina prodiit cum aliis pseudepigraphis. Falsa temporum nota falsitatem prodit. Scripsisse Alexandriâ ad Marcum fingitur Athanasius, quo tempore exul agebat in Galliis. Grassatio Arianorom in Ægypto Constantino imperante, & librorum omnium Ecclesiasticorum incendium, contrà Historiæ fidem memoratur. Septuagiota Nicæni Concilii Canones, contra fidem germanorum exemplarium, quæ ex scriniis Ecclesiæ Alexandrinæ ad Africanos missa sunt, quo tempore ipsos appellationum causa cum Zosimo Pontifice commisit: & contra Veterum omnium testimonia, Epistola illa recenset. Ejusdem sunt surfuris Epistolæ duæ S. Athanasii, & Episcoporum Ægypti & Libyæ ad Romanos Pontifices Felicem & Liberium, quas doctissimi Cardinales Baronius & Bellarminus supposititias etiam agnoscunt. In ea quæ ad Felicem inscribitur, ita scribit Pseudo-Athanasius: *Significamus Deo placita Paternitati vestræ, die 17. Cal. Augusti, Indict. 4. nostram humilitatem, divinâ gratiâ suo munere præveniente; vestris sanctis ac Deo dignis precibus in sancta Romana Ecclesia, Pontificalis honoris accepisse consecrationem & stolam.* Hæc autem Historiæ Ecclesiasticæ apertè repugnant. Romam enim numquam viderat S. Athanasius, cùm ex Diaconorum ordine ad Episcopatum Alexandrinum assumptus est: & Felix nondum fuerat in Romanam sedem intrusus. Denique S. Athanasius intrusionem Felicis semper execratus est, eumque ceu monstrum in Petri sede semper aspexit, ut constat ex ipsius Epistola ad Solitarios. Unde verisimile nun est quòd ad ipsum seu ad Pontificem legitimum scripserit.

VIII. *Expositio Fidei*, quæ Tomo 1. legitur, dubius est S. Athanasii (judice Bellarmino) fœtus. *Tres* enim *hypostases seorsim distinctas* in Deo esse negat: cùm S. Athanasius & Orientales plerique omnes essentiam unam & tres hypostases piè dicerent, idem intelligentes trium hypostasum nomine, quod Latini, cùm tres personas profitebantur: ut constat ex S. Gregorio Nazianzeno Orat. 21. quæ est de laudibus S. Athanasii. Sed nulla est illa Bellarmini ratio. Nam & hypostasim pro *οὐσία* S. Athanasius usurpavit: & ut demus ibi hypostases significare personas, nihilomious rectè scriptum est in illa Fidei Expositione, tres hypostases non esse seorsim distinctas, id est, a se invicem divisas & separatas, tam naturis singulis, quàm proprietatibus, eo modo quo in corporea naturà hypostases plures seorsim consistunt: ita enim Deorum multitudo inveheretur. Eum esse sensum laudatæ Expositionis, verba ipsa ostendunt. *Neque*, inquit, *tres hypostases divisas, ac seorsim consistentes: ut corporum more fieri in hominibus intelligimus: ne uti Gentiles solent, Deorum multitudinem esse sentiamus.*

Quidam istam Expositionem Athanasii esse negant, quòd Christum *Dominicum hominem* appellaverit. At non conjiciont fœliciùs. Constat enim Veterum testimoniis S. Athanasium hoc genus locutionis usurpasse. Facundus Hermianensis lib. 2. *Pro defensione Trium Capitulorum*, locum ex ista *Fidei Expositione*, quam *Expositionem Symboli* ipse vocat, describit, in quo a S. Athanasio Christus *Dominicus homo* appellatur. Et Theodoretus Dialogo 3. pag. 161. laudat insigne S. Athanasii testimonium *Ex majori Sermone de fide*, in quo Christus *Dominicus homo* nuncupatur. Ruffinus in appendice Apologiæ pro Origene, quam nomine Pamphili Martyris edidit, in libello quodam S. Athanasii eamdem locutionem agnoscit, quem a S. Hieronymo interpolatum mentitur: & S. Hieronymus qui hanc a se calumniam depellit ac fabulam ridet, Apologiæ adversùs Ruffinum lib. 2. cap. 5. libellum in quo hæc locutio usurpa-

tur, esse S. Athanasii non negat. Nec movere nos debet ea vox, *Homo Dominicus*, quasi de Christo dici absque errore non potuerit, ac proinde eâ usus non fuerit verus Athanasius. Quamvis enim hanc loquendi formulam pravo sensu usurparint Apollinaristæ, ac propterea Patribus nonnullis displicuerit, præcipuè S. Gregorio Nazianzeno Epist.1. ad Cledonium: eâ tamen absque scrupulo usi sunt S. Epiphanios *in Ancorato* §.95. Anastasius Sinaita in *ὁδηγῷ*, S. Augustinus lib.83. Quæstionum, Quæstione 36. & Quæst.57. & lib.2. de Sermone Domini in Monte, cap.6. quam tamen emendavit lib.1. Retractationum, cap.19. quamvis censeat, *Nonnullâ posse ratione defendi*. Dominicum hominem Christum pariter vocat Cassianus lib.6. *De Incarnatione*, cap.22. Nec itaque abjudicanda est S. Athanasio Expositio Fidei supra laudata, quòd in ea usurpetur ista vox, *Homo Dominicus*; nec argui potest S. Athanasius, quòd ita locutus sit.

Symbolum, Quicumque, *non est S. Athanasii*.

IX. *Symbolum* quod vulgò dicitur S. Athanasii, & quod incipit: *Quicumque vult salvus esse*, Sancto Athanasio tribuit Augustodunensis in Gallia Synodus sub S. Leodegario Episcopo habita anno Domini DC. LXX. cujus hic Canon legitur: *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus Symbolum quod Sancto inspirante Spiritu Apostoli tradiderunt, & Fidem Sancti Athanasii Præsulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab Episcopo condemnetur.* Imò & jam ab anno 633. aliqua ex isto Symbolo videntur descripta in ea Confessione Fidei, quæ edita est a Concilio Toletano IV. habeturque, cap.1. ejusdem. Idem Symbolum sub S. *Athanasii* nomine laudarunt *Ratramnus* Corbiensis Monachus libro 11. *contra Græcos*, & *Æneas* Parisiensis Episcopus libro 1. cap. 19. *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis, & *Abyto* Basileensis Episcopus, qui in suis Capitularibus *Fidem* sive *Symbolum Sancti Athanasii* Clericis suis commendarunt. *Usserius* in Epistola ad *Gerardum Joannem Vossium* Psalteria duo Latina MSS. a se visa testatur, in quibus Apostolicum & Athanasianum Symbolum descripta sunt apicibus antiquissimis. Et in priori quidem, quod *Gregorii Magni* tempore non fuisse recentius, tum ex antiquo picturæ genere, tum ex literarum formâ grandiuscula colligitur, Athanasianum *Fidei Catholicæ*, alterum verò *Symboli Apostolorum* titulum præfert. In posteriore quod Anglorum Regis *Æthelstani* aliquando fuit, Apostolicum vice versâ *Symbolum* simpliciter, alterum autem *Fides Sancti Athanasii Alexandrini* inscribitur. Regnabat porro *Æthelstanus* Anglorum Rex anno trigesimo supra nongentesimum. Idem Symbolum sub *Sancti Athanasii* nomine laudavit Abbo Floriacensis Abbas, qui anno M. floruit, in Apologetico ad Reges Francorum Hugonem & Robertum; *Primitus*, inquit, *de fide dicendum credidi; quam alternantibus choris, & in Francia, & apud Anglorum Ecclesiam, variari audivi. Alii enim dicunt, ut arbitror, secundùm Athanasium: Spiritus Sanctus a Patre & Filio, non factus, non creatus, sed procedens. Qui dum id quod est, nec genitus, subtrahunt, nec Synodicum Domini Gregorii sequi se credunt: ubi ita est scriptum, Spiritus Sanctus nec ingenitus est, nec genitus, sed procedens.* Athanasio quoque illud Symbolum tribuunt Rudolphus & Aymu ex Minorum, & Hugo & Petrus ex Prædicatorum Ordine; qui anno 1233. ad Græcos Latinis conciliandos a Gregorio IX. Romano Pontifice Apocrisiarii Constantinopolim missi sunt. In eorum Definitione, apud Bzovium Tom.13. Annal. Eccles. hæc leguntur: *Propterea quicumque non crediderit Spiritum Sanctum a Filio procedere, in via perditionis est. Unde S. Athanasius, dum in partibus Occidentalibus exulabat, in Expositione Fidei, quam Latinis verbis reddidit, sic ait: Pater a nullo est factus.* Idem Symbolum Athanasio tribuit Manoel Caleca lib.2. contra Græcos, cap.20. idque ipsum ad Julium Pontificem Romanum misisse ait, cùm violatæ Fidei reus apud ipsum ageretur. Duplici autem ratione hanc Fidei Expositionem Athanasii esse probat laudatus Auctor. Primò, quia S. Gregorius Nazianzenus ejus meminit in Oratione *De laudibus S. Athanasii*. Secundò, quia per omnes Occidentis Ecclesias Dominicis diebus canitur, atque ita celebris est ejus Auctor, ut ne a pueris quidem ignoretur. Illud idem ut Athanasii genuinum opus laudant Guillelmus Mimatensis *In Rationali Divinorum Officiorum* lib.4. cap.24. Joannes Belethus Theologus Parisiensis, *In Explicatione Divinorum Officiorum*, cap.40. Eugenius IV. Pontifex Romanus, *In Decreto Instructionis Armenorum*, Gennadius Scholarius *In Defensione Concilii Florentini*, cap.8. His consentiunt Græci ipsi Schismatici, licèt per impudentiam summam Athanasium tunc ebrium fuisse effutiant, cùm Symbolum illud edidit, quos Gennadius eam ob causam exagitat. Nec levis hac in causa momenti est S. Thomæ auctoritas Secunda Secundæ Quæst.1. Artic.10. in responsione ad 3. argumentum, dicentis; *Athanasius non composuit manifestationem Fidei per modum Symboli, sed magis per modum cujusdam doctrinæ, sed quia integram Fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, auctoritate Summi Pontificis est recepta, ut quasi Fidei regula habeatur.* His tamen patronis repugnantibus, illud Symbolum a S. Athanasio scriptum atque editum esse negant viri eruditi, gravissimis adducti rationibus.

Prima est, quòd nullus Auctor Athanasio coævus aut suppar, ejus meminerit. Non S. Gregorius Nazianzenus in Oratione *De Laudibus S. Athanasii*, non ullus Historicorum Ecclesiasticorum, qui primis sæculis scripserunt, non Athanasius ipse in Apologiis. Equidem S. Gregorius Nazianzenus asserit S. Athanasium veritatem palàm apertisque verbis circa Spiritus Sancti divinitatem, primum & solum, aut cum admodum paucis promulgasse, & scripto confessum esse, & hanc Confessionem Joviano Imperatori obtulisse, donum verè regium, & magnificum. Sed hæc Confessio non est Symbolum istud, quod Athanasianum vocatur, ut quidam pertendunt. Quænam ergo? Epistola Synodica est ab Athanasio ad Jovianum scripta nomine omnium Episcoporum Ægypti, Thebaidos, ac Libyarum: quæ & Nicænum Symbolum complectitur, & quædam ad jugulandam Pneumatomachorum recentem Hæresim. Possevinus *In Apparatu sacro* asserit, S. Augustinum in Psalmum CXX. Athanasiani hujusce Symboli meminisse, hancque velut Augustinianam sententiam laudat super illud, *Per diem sol non uret te, neque Luna per noctem:* DE HOC *solo Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulchrè locutus est: Filius Dei a Patre solo est, non factus, nec creatus; sed genitus.* At hæc sententia nequaquam Augustiniana est, nec ulla fit apud S. Augustinum eò loci Athanasii mentio. En verba S. Augustini: *Ergo alium solem fecit Deus, qui oritur super bonos & malos; istum, quem vident boni & mali, alius est autem ille Sol, non factus, sed genitus; per quem facta sunt omnia.* Nec verius est quod alii dicunt, S. Hilarium *in Fragmentis*, hoc Symbolum tribuisse S. Athanasio. Licèt enim Pithœanus Codex moneat, in Codice quodam Dervernensi, post Symbolum Nicænum, & damnationem Arii in Concilio Ariminensi a Catholicis exaratam, sequi, *Fidem dictam a S. Athanasio*, sive Symbolum quod ejus no-

men

men præfert: non propterea certum est quod Symbolum istud S. Hilarius ipse descripserit: sed verisimilius est fuisse Fragmentis Hilarianis additum. Maximè cùm recentiori manu scriptus esset Codex Pithœanus, ex quo Fragmenta illa edita sunt, ut testatur Vir Clarissimus & Doctissimus Nicolaus Faber *In Præfatione*.

Secunda ratio est, quòd S. Athanasius in Epistola ad Antiochenses, procul se fuisse a condenda nova Fidei formula testetur, & Nicænæ Synodi Symbolum suis omnibus numeris absolutissimum esse contendat. Neque illis temporibus novum componere Symbolum conveniens fuisset. Hoc enim Ariani & Semiariani in Pseudosynodis agebant: quamobrem pessimè audiebant, apud Nicænæ Fidei professores ac defensores.

Tertia ratio petitur ex silentio S. Cyrilli Alexandrini, Ephesinæ Synodi, S. Leonis, & Concilii Calchedonensis, a quibus dubio procul contra Nestorianam & Eutychianam Hæresim laudatum fuisset istud Symbolum, si S. Athanasii fuisset. Certè S. Cyrillus Athanasii successorum unus, id non ignorasset; neque neglexisset illius auctoritatem ad refellendum Nestorium validissimam. His addendum silentium Latinorum contra Græcos, post Schisma Photianum, usque ad Gregorii IX. tempora, de Processione Spiritus Sancti disceptantium. Si enim tunc pro certo creditum esset id Symbolum esse S. Athanasii, hoc telo pugnassent contra Græcos Schismaticos Occidentales; quod non leve pondus habuisset ob summam S. Athanasii in utraque Ecclesia auctoritatem. At primi, quos hoc argumento usos esse legimus, sunt Apocrisiarii Gregorii IX. cùm hæc controversia durasset annis propè quingentis.

4. Ratio petitur ex stylo sermonisque contextu, qui nequaquam Græci hominis est, sed Latini. Nec excipere juvat, potuisse S. Athanasium Latinè discere biennio illo quo vixit Treviris; atque item dum profugus Mediolani, Aquileiæ, & Romæ egit. Nam parum verisimile est S. Athanasium in ætate tam provecta, & longè aliis ac melioribus curis distentum, hunc laborem edifcendæ peregrinæ linguæ subiisse, idque absque necessitate. Nam & Romæ, & in Galliis, copia virorum erat qui Græcè scirent: adeò ut Athanasio ad mutuos sermones lingua Latina non esset opus, cùm illis in regionibus versaretur. Et si Latinè scivisset, difficile creditu est, quod ità scivisset ut nullus in scriptione Latina ipsi excideret Græcismus.

5. Ratio ex eo sumitur, quod in antiquis & probatæ Fidei Codicibus MSS. penè omnibus Operum S. Athanasii hoc Symbolum desideretur.

6. Qui illud S. Athanasio tribuunt, non conveniunt inter se quando & qua occasione illud ediderit. Quidam Treviris illud scripsisse dicunt, illicque puteum ostendit, ubi latitans ob insidias Arianorum, illud composuerit. Sed istud commentum non operosè refellitur. Treviris enim honeste exceptus est S. Athanasius, nec ut exul, sed ut Confessor. Nec mirum, cùm Episcopus Trevirensis tum esset S. Maximinus Arianorum acerrimus hostis, & Nicænæ Fidei egregius defensor: & Athanasium illuc miserat Constantinus, ut eum Arianorum furori subduceret, ut constat ex literis Constantini Junioris ad Ecclesiam Alexandrinam, quas ipse refert Apologiâ 2. Denique omnes Scriptores Ecclesiastici, Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Simeon Metaphrastes, & Græcus alter Vitæ S. Athanasii Scriptor Anonymus, has ejus in puteo Trevirensi latebras, dum alto silentio premunt, insulsam esse fabulam disertè probant. Hæc autem de puteo Trevirensi fabula Vossio nata inde videtur, quòd scripsit Ruffinus lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 18. eum *sex annis continuis ita latuisse in lacu cisterna non habentis aquam, ut solem numquam videret*. Sed hoc in Ægypto factum narrat, non Treviris, nec tempore Constantini Magni, sed Constantino Juniore jam interempto; cùm Constans Occidentis, Constantius Orientis Imperium teneret, & latebras illas S. Athanasii ad incertam famam refert Ruffinus: *Latuisse fertur*, inquit, *in lacu cisterna*, &c.

Nec auspicatiùs alii conjecerunt hoc Symbolum a S. Athanasio editum Romæ, & Julio Pontifici Maximo oblatum, quòd necesse esset ipsum Catholicæ Fidei professionem palam edere, ut Romanæ Ecclesiæ communione frueretur: aliàs enim audiendum non fuisse qui reus advenerat, & multorum criminum ab Eusebianis accusatus.

Hæc [inquam] conjectura, unica hac observatione evertitur, quòd S. Athanasius de Doctrina non fuerit apud Julium Pontificem accusatus [Eusebiani enim ejus hostes, Nicænæ Fidei se assentiri simulabant] sed quòd a Synodo damnatus, nec ab ea restitutus, Sedem contra Canones recepisset. Quòd ejus Alexandriam reditus multarum cædium causa fuisset: quòd denique Ægypti ac Libyæ viduis triticum eripuisset Constantini munificentiâ præberi solitum. Cùm itaque non Hæreseos; sed aliorum criminum accusaretur S. Athanasius, & Julio, Catholicisque omnibus non solùm Fidei ejus integritas nota esset, non solum perspectum pro Nicæni Concilii defensione studium, sed exploratum planè ipsum in odium Fidei calumniis impetitum, & depositione ac exilio afflictum, incredibile est quòd ab illo Fidei Professionem Julius exegerit.

Symbolum istud, qui non esse S. Athanasii viderunt, quidam Eusebio Vercellensi tribuerunt, alii Anastasio Sinaitæ, alii ab Anonymo Theologo Gallo editum conjecerunt, Pipini, vel Caroli Magni temporibus, occasionem præbente controversia de Processione Spiritus Sancti; de qua in Gallicis tum Synodis actum est. Qua in sententia fuit P. Pithœus *lib. de processione Spiritus Sancti*, & in eam se propendere Vossius profitetur in Dissertatione *De tribus Symbolis*.

Sed si quid conjecturis dandum est, proclivior sum ut assentiar Doctissimo Quenellio * illud Vigilio Tapsensi in Africa Episcopo tribuenti, qui sub finem v. sæculi floruit. Huic enim Vigilio admodum familiare fuit, ut quæ scriberet Opuscula sæviente Wandalorum in Africa persecutione, ea non suo, sed sub antiquorum Patrum nomine emitteret. Sic Dialogum adversùs Arianos, Sabellianos, & Photinianos, sub nomine S. Athanasii contra Arium, Sabellium, & Photinum coram judice Probo disputantis composuit, ut ipse in Præfatione hujus Dialogi profitetur. *Utile hoc* inquit, *& valdè commodum apparuit, ut uniuscujusque Hæretici personam, cum sui dogmatis professionibus, quasi præsentes cum præsentibus agerent, introducerem. Sabellium ergo, Photinum, Arium, atque ad nostras partes Athanasium introduxi: ut veritas summo confligentium certamine aliquanto ad omnium notitiam perveniret*. Conjicit autem Vir Eruditus, hanc Fidei Professionem, quæ Symboli nomen obtinet, tunc a Vigilio fuisse conditam cùm Constantinopoli exularet. Audiens enim quantas strages Ariana Hæresis in Africa ageret, & quo in discrimine versaretur popularium suorum Fides; Pastoralis officii partes esse existimavit, periclitanti populo suo suppetias ferre, simplicioribusque Christianis eam Fidei professionem ob oculos ponere, quæ remotis omnibus subtilioris & implicatioris Theologiæ ambagibus, Catholicam Doctrinam purè, nitidè, breviterque exponeret. Qua expositione Ecclesiam suam, aliasque

* Quenellius *Dissertat.* 14. *in Opera S. Leonis.*

que Africanas non solùm adversùs Arianæ Sectæ perfidiam muniendas esse existimavit, sed etiam adversùs Nestorianam, & Eutychianam, quæ apud Orientales longè latèque grassabantur, & in Africanas regiones invehi facilè poterant. Ideo autem Fidem S. Athanasii (sic enim primitùs inscriptam fuisse hanc Fidei professionem constat ex Canone Augustodunensis Synodi suprà laudato, ex versionibus Græcis, & ex MS. Casinensis Monasterii Breviario sexcentorum fermè annorum.) Ideo, inquam, istam expositionem Fidei, hoc nomine Vigilius Tapsensis adornavit, quòd summam Athanasianæ Fidei verè contineret, & ne quisquam Africanorum Episcoporum de condita hujus Fidei Formula in suspicionem apud Hæreticos deveniret, ac propterea in certissimum Vitæ discrimen adduceretur. Hæ Doctissimi Viri minimè spernendæ conjecturæ. Sed eruditi pariter mihique amicissimi Viri *Josephi Anthelmi* laudandum studium, qui in nova *De Symbolo Athanasiano*, Disquisitione probare conatus est *Vincentium Lirinensem* Auctorem esse Symboli quod Athanasianum vocatur. Præcipuum ejus argumentum petitur ex convenientia sententiarum commonitorii Vincentiani cum sententiis Athanasiani Symboli. Verùm argumentum illud non convincit, cùm hujusmodi sententiarum collatio, in iis præsertim quæ Fidem spectant, inter varia diversorum planè Auctorum Opera fieri possit, & Symbolum ex Commonitorio derivatum ac expressum verisimiliùs dici possit ab Auctore *Vincentio Lirinensi* longè recentiore, quàm ab ipso *Vincentio* compositum. *Gennadii* certè silentium, qui *Vincentium Lirinensem* commendat, & Commonitorium quod absconso nomine suo sub titulo *Peregrini* adversùs Hæreticos vulgavit, Symbolum pariter celebraturus, si ab eo editum ac vulgatum esset, argumentum non leve contra conjecturam eruditi *Anthelmi* subministrat; in quem vereor ne refundatur quod ille de *Chiffletii* studio erga *Vigilium Tapsensem* ait, & de ipso potiori jure dicatur: Studium quo tenetur *Anthelmus* erga *Vincentium Lirinensem*, & ejus locupletandi patrimonii nimius ardor, fucum ipsi fecere. Expendant tamen Literati Disquisitionem & conjecturas Clarissimi Viri, quem ob eruditionem ac virtutem plurimi facio. Nam adversùs illas sententiâ mea præjudicari nolim, si lectorem moveant & convincant.

X. *Refutatio hypostiseos Meletii, Eusebii, & Pauli Samosatensis*, non est S. Athanasii fœtus. Alium hujus tractatûs parentem probant, 1. Styli dissimilitudo maxima. 2. Veri Athanasii in Meletium veneratio, quem in Epistola ad Ægypti & Libyæ Episcopos, sive Oratione 1. *Contra Arianos*, honorificè apellat *Magnum Meletium*, & inter Orthodoxos Antistites recenset. 3. Quia istius tractatûs Auctor contendit non esse satis ad Catholicæ Fidei integritatem asserere Filium Dei esse ὁμοιούσιον Patri. At verus Athanasius *in libro de Synodis*, illos qui Filium Patri ὁμοιούσιον profitebantur, & ὁμοούσιον certis de causis respuebant, ut verè Catholicos agnoscit, & ut Fratres amplectitur: ut in Dissertationibus ostendemus. Quidam Tractatum illum Paulino Antiocheno Meletii æmulo, vel alicui ejus partiario tribuendum censent.

Liber de Virginitate asseritur S. Athanasio.

XI. Liber *De Virginitate*, sive *De Meditatione*, est S. Athanasii genuina, eoque non indigna lucubratio. S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum hujus argumenti librum inter Athanasiana Opera recenset. Erasmus dubium, Scultetus & Rivetus spurium S. Athanasii fœtum perperam censent ob simplicitatem humilitatemque styli, Athanasiano in genuinis Operibus longè dissimilis: nec advertere voluerunt 1. Stylum simplicem & humilem constitutionibus & documentis ad Virginum sacrarum vitam componendam editis convenire. 2. Stylum Patrum non esse in omnibus Operibus eumdem, sed alium in Orationibus, alium in Operibus polemicis, alium in Epistolis. 3. Photium hanc ipsam styli inæqualitatem in S. Athanasii libris adnotasse: cùm de ejus in Ecclesiasten & Cantica Canticorum Commentariis ita censuit: *Dilucidè dicit, ut in omnibus suis scriptis. Ad earum tamen Epistolarum gratiam & venustatem, quibus secessum excusat suum, quæque ad exilium pertinent, exponit, atque hic liber, neque alius ejus (qui quidem in meas inciderit manus) attingit.*

Sculteti & Riveti Objectionibus respondetur.

At (inquit Rivetus) nemo paulò humanior credet, verum Athanasium, locum in tertio ordine Angelorum voluisse temerè polliceri iis qui leves præceptiunculas, & constitutiones humanas observarent. Quæ enim Scriptura de hominibus in istis Ordinibus constituendis umquam aliquid speciatim docuit, ut id Auctor ille tam audacter testificetur? [inquit Calvinista petulans.) At non est necesse ut Scriptura disertè asserat Virginitatem & jejunium homines ad Angelorum ordinem evehere, ut id ab Athanasio verè pièque dictum sit: satis est ut carnalibus cupiditatibus refrænatis homines *secundùm Spiritum* ambulare faciant, vel eum ut spiritalem vitam agat, Deoque uni addictam, juvent. Quamquam Sanctis omnibus in ordines Angelicos evectio, & quædam æqualitas a Christo promissa est, quam Virginibus non præmio beatitudinis, sed merito virtutis, dum adhuc in mortali carne versantur, Patres tribuunt. *Erunt* [inquit Christus Matth. 22.) *in cælis sicut Angeli Dei: neque nubent, neque nubentur.* Tertullianus *Virgines jam in terris non nubendo, de familia Angelica deputari* asserit. Sanctus Cyprianus lib. *De Disciplina & habitu Virginum*, sic ipsas alloquitur: *Quod futuri sumus, jam vos esse cœpistis, vos resurrectionis gloriam in isto sæculo jam tenetis: per sæculum sine sæculi contagione transitis. Cùm castæ perseveratis, & Virgines, Angelis Dei estis æquales.* S. Ambrosius lib. 1. de Virginibus. *Nemo*, inquit, *miretur, si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur.* S. Augustinus lib. *De sancta Virginitate*, cap. 13. *Virginalis integritas*, inquit, *Angelica portio est, & in carne corruptibili, incorruptionis perpetua meditatio.* Quod verò dixit Athanasius: *Jejunium Angelorum cibum esse, & qui eo utitur, Ordinis Angelici esse censendum*; Opus illud sanctissimo doctissimoque Patre indignum non probat: nisi Tertulliani ingenio & eruditione indignum dicere velit Rivetus librum *De Jejuniis*, quia cap. 6. scripsit: *Tanta est circumscripti victûs prærogativa, ut Deum præstet homini contubernalem, parem severa pari.* Et cap. 8. *A nullis magis intelligi Christum, quàm semel nuptis, & sæpe jejunis.* Et cap. ultimo: *Faciliùs si forte per angustam salutis januam introibit caro exilior, citiùs resuscitabitur caro levior, diutiùs in sepultura durabit caro aridior.* Porrò impudenter Scultetus & Rivetus Constitutiones a S. Athanasio Christianæ Virgini hoc in Tractatu traditas *puerilis præscriptiones*, & *humanas præceptiunculas* vocant. Nihil enim in iis est quod pietatem & sanctimoniam non spiret. An puerilium præscriptionum, & humanarum præceptiuncularum nomine deridenda est hæc adhortatio? *Si enim qui se mundo copulant, relinquunt suos patrem & matrem, mortalibus hominibus copulantur, quantò magis Virgo continens relinquere debet terrestria omnia, & Domino soli agglutinari? Hujus mei dicti testis est Paulus, ita loquens: Mulier innupta sollicita est eorum quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & spiritu*, &c. Hoc igitur di-

eo

eo, quòd omnis Virgo, aut Vidua continens, si cueam suam collocet in mundanis, ejus eri cura illi peo marito est, sive possessiones, sive alias substantias solicitudine suâ amplectatur. Ipsa enim solicitudo contaminat ejus animom. Ut enim pee virum corpus contaminatur: ita quoque babitus mundani, & animam & corpus continentie conspurcant, neque jam est sancta corpore & spieitu. Qua autem curat opus Domini, bujus sponsus est Christus. Ea enim qua coaptatur viro corruptibili, voluntatem viei sui facit. Nimirùm cùm ita sceiptum sit: Mulierem sui corporis potestatem non bobere, sed vieum. Hoc enim exemplo, si ita velimus, cœlestia intellexerimus. Quapropter quo conjungitur supercolesti Sponso, voluntatem sui sponsi facit. Ea autem est voluntas Cheisti; ut is qui sibi conglutinatus est, nibil secum omnino bujus saeuli ferat, aut terrestriu curet, sed solùm ut crucem ejus qui pro ipso ceucisixus est, bajulet, ejusque curam babeat, & de ea sollicitè cogitet, & die & noctu, & perpetuis bymnis & glorificationibus eum celebret. An pueriles inter præscriptiones & humanas præceptiunculas ponenda sunt, quæ de jejunio ibidem habet? *In bac vietute cultum corporis tui, ornamentaque quare, o Virgo, & placebis cœlesti Sponso. Nam qua cum mundo coalescunt, & conseruntur, & unguentis, aromatibus & fragrantiis, & amictu peetioso & auro venustant sua corpora, ut placennt bominibus, Deo placere non possunt. Cheistus autem nibil borum a te requieit, nisi solùm cor mundum, & os incontaminatum, jejunioque lividum. Quòd si accedant aliqui, & dicant tibi, Ne frequentee jejunee, ne imbecillioe fiat, nec illis credas, nec auscultes: istos enim diabolus subornavit.* Qui tam sanctas admonitiones audent pueriles præscriptiones, & humanas præceptiunculas vocare, satis produnt quo spiritu agantur, satisque se probant non solùm sanctæ Virginitatis hostes, sed Christianæ mortificationis & Crucis Christi inimicos. Pueriles forsan præscriptiones vocaverint Heterodoxi præscriptum Christianæ Virgini quotidianorum exercitiorum ac precum ordinem, his verbis: *Non abscedat ab ore tuo verbum Dei. Sit autem illud opus tuum omni tempore. Meditare in Sanctis Scriptueis: babe Psalterium, & Psalmos disce; Oriens sol videat librum in manibus. Post Tertiam Synaxes conficies, quoniam eâ borâ defixum est lignum ceucis. Sextâ borâ absolves deprecationes cum Psalmis, ploratu & supplicationibus: quoniam bôc borâ pependit Filius Dei in cruce. Nonâ borâ rursùm in bymnis & glorificationibus eris, cum lacrymis & confessione peccatorum tuorum Deo supplicabis, quoniam bâc borâ Dominus in cruce pendens reddidit spiritum suum: & post Synaxim Nona bora, comede panem tuum, Domino gratias agens in mensâ tuâ ad bunc modum: Benedictus Deus qui alis me a juventute meâ, qui das cibum omni carni, imple gaudio, & lotitiâ cor nostrum, ut in omnibus omnem sufficientiam babentes, abundemus in omne opus bonum in Cheisto Jesu Domino nostro, cum quo Tibi gloria, bonoe, impeeium, unà cum Sancto Spiritu in secula seculorum, Amen. Et ubi sedeeis ad mensam, & inceperis frangere panem, iterum consignans, bis verbis geatias age: Gratias agimus Tibi, Pater noster, de sanctâ tuâ Resurrectione per Jesum Filium tuum, per quem nobis notam eam eeddidisti; & quemadmodum bic panis olim multis seminibus dispersus, nunc autem collectus, unum quiddam redditus est; ita tu quoque congreges Ecclesiam tuam a finibus terro in regnum tuum; quoniam tua est potentia, & gloria in secula seculorum, Amen.... Cùm surrexeris a mensa, eursùm gratias agendo, tribus vicibus dicas: Miseratoe & Misericors Dominus, escam dedit timentibus se. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Rursumque post peractam glorificationem, preces tuas bis verbis absolves: Deus omnipotens, & Dominus noster Jesus Cheistus, nomen quod est super omne nomen, Geatias agimus tibi, & collaudamus te, quòd dignatus es nos tuorum bonorum participes fieri, coenalium scilicet bonorum. Rogamus te, & invocamus te Domine, ut cœlestes escas nobis dones, desque nobis tremere & timere venerabile & peetiosum nomen tuum, ut non obaudiamus * procrptis tuis. Nomen tuum & justificationes tuas constitue in cordibus nostris: sanctifica autem spiritum & animam nostram per dilectum Filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, cum quo tibi gloria, impeeium, & adoratio, in secula seculorum, Amen.* Certè qui preces tantam spirantes pietatem puerilium præscriptionum loco habuerit, impius est. Qui has Patruio curâ & S. Athanasii gravitate indignas existimaverit, probat se non legisse similes precationum formulas apud S. Chrysostomum Homiliâ 56. in Matthæum, quarum singulas penè voces explicare ad erudiendam plebem Antiochenam, non putavit a Christiani Concionatoris gravitate alienum.

*Obaudire, usurpat S. Athanasio interpere pro non audire, seu repugnare.

XII. *Sancto Syncletica Vieginis Alexandeino Vitam*, licèt S. Athanasio primus omnium disertè tribuerit Nicephorus lib.8. cap.40. ipsius tamen genuinum Opus esse Viri Eruditi arbitrantur, plurimis etiam Codicibus MSS. suffragantibus: quamvis in quibusdam Policarpo Asceta adscripta sit. Latinè tantùm prodiit in lucem. Extat nihilominus Græcè in Catholici Regis Bibliotheca, & in Belgio.

XIII. Testimonia ex Scriptura, *De natuuali communione Essentia intee Pateem & Filium, & Spiritum Sanctum*, an ab Athanasio, an ab alio quopiam collecta sint, dubium est. In iis quædam ad verbum transcripta sunt ex Quæstionibus ad Antiochum, quæ non sunt S. Athanasii, sed utrùm Collector testimoniorum illorum ex his quæstionibus; vel harum Auctor ex illo Collectore exscripserit incertum est.

XIV. Tractatus *De Definitionibus*, titulo ipso satis probat se spurium esse S. Athanasii fœtum. Sic enim inscribitur: *Vario definitiones juxta traditionem & Fidem Ecclesia Catbolica, collecto a Clemente, & aliis sanctis vieis ac beatis Pateibus.* Præterea, in definitione actûs laudatur S. Gregorius Nyssenus; qui ante S. Athanasii obitum nedum aliquid scripserat. Sub Theodosio namque scribere cœpit, ut colligit Bellarminus ex S. Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. S. autem Athanasius obiit sub Valente. 3. Cap. *de unitate*, ita distinctè loquitur de unione duarum naturarum in Christo secundùm hypostasim, ut dubium non sit, quin editus sit ille Tractatus post Concilii Calchedonensis tempora. Denique harum definitionum stylus ætatem Scholasticorum sapit.

XV. *Homilia in Passionem & Ceucem Domini*, Athanasiana non est. Jusjurandum enim penitus vetitum hominibus asserit, & omnem superare iniquitatem & audaciam, quòd Deus ab hominibus testis advocetur. At non eam fuisse S. Athanasii sententiam ex eo certum est, quòd ipse juramento se purgaverit apud Constantium Imperatorem a crimine conjurationis in ejus Majestatem, cujus accusatus fuerat, Deumque suæ innocentiæ testem invocaverit. *Tua enim Pietas* (inquit in Apologia ad Constantium) *magnâ & clarâ voce respondeo, manuque extensa, quod didici ab Apostolo, Deum in meam ipsius animam testoe, & (ut sceibitur in libris Regum) jusjurandum concipio: Testis sit Dominus, & testis sit Christus ejus, nunquam in malum tui mentionem feci apud Featrem tuum beata memoria Constantem piissimum Au-*

Homilia in Passionem & Crucem non est S. Athanasii.

gu-

gustum, neque illum adversùm te irritavi, ut calumniantur isti. Imò si quando eum convenerim, mentionem ipse faciebat de tua humanitate: quod etiam tum contigit cùm Tholassus veniebat Pitybionem, & nos commoraremur Aquileja: Deus conscius est quàm ego ibi tua Pietatis meminerim, & qua ego per id temporis locutus fuerim: Deus tua aliquando menti revelabit, ut cognoscant sycophantias meorum apud te calumniatorum. Præterea, scribit hujus homiliæ Auctor, Christum Dominum, cùm diabolum fugam adornantem conspiceret, metuentem ne fugâ elaberetur, *Voces humanas emisisse, & voces imbecillitatis simulavisse, dicendo, Deus meus, Deus meus cur me dereliquisti?* At S. Athanasius in tanti rebus momenti non ita impropriè loqui solet. Christum voces imbecillitatis simulasse, modus loquendi est planè ab eo alienus. Oratione enim 4. contra Arianos, voces illas esse proprias humanitatis disertè probat, illasque Filium Dei humanitùs protulisse, & ratione carnis assumptæ, ut innotesceret eum, cùm Deus esset impatibilis, carnem patibilem assumpsisse.

Libellus de Passione imaginis Christi, non est S. Athanasii.

XVI. *Libellus De Passione imaginis Domini nostri Jesu Christi in Berytho*, quamvis actione 4. Synodi 7. ut Athanasii laudatus sit, ejus non esse, Viri eruditi consentiunt. Sigebertus in Chronico hanc Historiam contigisse ait tempore Constantini Imperatoris, & Irenes uxoris ejus, anno 765. adeoque tempore Synodi VII. fuisse recentissimam. *Tempore*, inquit, *Constantini Imperatoris, & Irenes uxoris ejus, in Syria, civitate Beritho, qua subjacet Antiochia, Judai imaginem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi invenientes in domo cujusdam Judai, ibi relictam a quodam Christiano; eam injuriosè deposuerunt, & omnia opprobria, qua Judai Christo Jesu intulerunt, ejus imagini inferebant: illudentes ei, in faciem conspuentes, criminosè convitiantes, eamque perentientes, manus & pedes ejus clavis configentes, acetum & fel ei porrigentes. Tandem latere ejus aperto, exivit de eo sanguis & aqua. Quod illi suppositâ ampullâ excipientes, ad experimentum utrùm fuerint vera miracula, qua Jesum fecisse audierant, omnes infirmos in Synagoga sua collectos hoc sanguine aspergebant: & a quocumque languore detinebantur, omnes sanabantur. Unde tandem Judai compuncti, ad Adeodatum civitatis Episcopum omnes concurrerunt; eique re enarratâ, imaginem cum sanguine ei dederunt. Quibus baptizatis, Episcopus sanguinem per ampullas divisum longè latèque dirigens, pradicabat magnalia Dei, obtestatus omnes ut singulis annis quinto idus Novembris, celebretur Passio Dominica Imaginis.*

Prætereà cum Historiæ Ecclesiasticæ veritate, & ratione temporum pugnant, quæ in eâdem narratione habentur de Christiano quodam, qui in cellula Synagogæ proximâ, sanctam imaginem ex oblivione & incuriâ reliquerat. *Qui cùm a Metropolitano fuisset studiosissimè interrogatus, quomodo icona apud se devenisset, vel a quo tam mirabiliter posita esset, respondit dicens: Quòd Nicodemus, qui ad Jesum nocte venerat, propriis manibus eam composuisset, & moriens Gamalieli tradidisset. Gamaliel autem Doctoris gentium διδάσκαλος, cùm diem sibi cerneret adesse extremum, Jacobo eam reliquit, & Jacobus Simeoni, & Simeon Zachao, & sic per successiones temporum in Hierosolyma perduravit, usquequò subversio illius urbis patrata est quadragesimo & tertio anno post Ascensionem Domini Salvatoris ad cœlos.*

At si (ut Baronio Cardinali placet) a Christi Passione ad excidium Hierosolymitanum usque, anni dumtaxat 38. præterlapsi sunt, Jacobo autem præmortuo successit Simeon, qui anno Christi 109. Martyrium subiit, jamdiu eversis Hierosolymis, cui successit Justus, & Justo Zachæus, tota illa narratio cum veritate Historiæ conciliari non potest. Tertiò, in Historia MS. quam aliquibus in Ecclesiis legi solitam, & in Codice antiquo apud se haberi testatur Cardinalis Baronius in Martyrologio ad diem 9. Novembris hæc charactere Longobardo scripta leguntur: *Sermo Sancta memoria Patris nostri Athanasii de Imagine Jesu Christi veri Dei aterni, quòd factum est miraculum magnum in civitate Beryto. tempore Constantini Junioris & Irenes uxoris ejus. Sustollite oculos*, &c. Unde alicujus alterius potiùs Athanasii in Syria Episcopi, quàm Alexandrini, Tractatum illum esse colligit Baronius.

Quartò, silentium S. Joannis Damasceni, qui cùm tres *De sacris Imaginibus* Orationes selectissimas scripserit, in quibus tum ex S. Athanasii, cùm ex aliorum patrum scriptis testimonia laudat, Historiæ ejusmodi Imaginis Beryti crucifixę nullatenùs meminit: argumento est illam non contigisse antequam S. Joannes Damascenus adversùs Iconomachos scriberet. Quamobrem miror vehementer quòd libellum istum S. Athanasio vindicare tentaverit Combefisius noster in *Notis ad narrationem de miraculo Dominica Imaginis in puteo magna Ecclesia*. Tom. 1. Auctarii Bibliothecæ Patrum. Nititur maximè Vir Eruditus, auctoritate Synodi Septimę, cujus Patres in Critica sacra peritissimos fuisse nemo sibi persuaserit, qui illius Acta perlegerit attentiùs; cùm apocryphas quasdam historias etiam laudaverint, nec inquisierint in Auctores tractatuum, testimoniorum, & narrationum, quas in suis Codicibus descriptas habebant, sed simpliciter eas protulerint sub eorum nominibus, qui inscribebantur, de Traditione & Fide Ecclesiarum, quàm de quæstionibus ejusmodi criticis magis soliciti. Nititur secundò Vir doctissimus auctoritate Fragmenti Concilii Cæsareensis in Cappadocia, quod huic de imagine Christi Beryti crucifixâ historiæ, apud S. Athanasium, præfixum est: ex quo constat Petrum Episcopum Nicomediensem hunc libellum S. Athanasio Alexandrino in frequenti consessu Patrum vindicasse. Sed Fragmentum illud æquè apocryphum est, & omni retrò antiquitati ignota Cæsareensis illa Synodus, in quâ de sanguine lateris Domini nostri Jesu Christi quæstio mota sit.

Homiliam de Annuntiatione non est S. Athanasii. Riveti argumenta refelluntur.

XVII. *Homiliam de Sanctissima Deipara* seu de *Annuntiatione*, supposititiam esse, Rivetus asserit, quia in eâ S. Mariæ Virginis invocatio stabilitur, cùm verus Athanasius Epistola ad Epictetum, & Oratione 3. contra Arianos scripserit, *Mariam esse sororem nostram, eo quòd omnes liberi sumus ex Adamo procreati*; adeoque creaturam: *Porrò creaturam creatura non supplicare*. Sed hæc ratio nihil probat. Sanctus enim Athanasius creaturæ supplicandum esse non negat, nisi eo modo quo Deus supplicatur, ut scilicet adorando supplicetur; non autem inficiatur supplicandum esse hominibus, vel Angelis sanctis, ac præsertim Deiparæ Mariæ, ut eorum patrocinio Deum nobis conciliemus. Quamvis enim Maria soror nostra sit, quia ex hominum genere est, & ex Adami stirpe; quia tamen Filius Dei *ab ipsa mutuatus est corpus quod pro nobis offerret*, ut S. Athanasius ait in Epistola *ad Epictetum*, meritò ipsi supplicant Christiani, ut ejus intercessione & patrocinio Christum promereri possint. Nam & sorori, quam Patri gratissimam & apud ipsum potentissimam sciunt, fratres supplicant ut quâ pollet gratiâ & auctoritate apud Patrem, in ipsorum bonum uti velit, & vel Patris irati in ipsos animum mitigare, vel beneficia ipsis a paternâ pietate impetrare. Certè S. Irenæus non minùs agnovit Mariam sororem esse nostram,

quàm S. Athanasius, & nihilominùs ipsam hominum advocatam esse professus est, quæ patrocinio suo vincula, quibus adstrictum erat morti genus humanum, solveret; obedientiâ suâ capitalem Evæ inobedientiam discuteret; serpentis astum, id est, dæmonis artes & fallacias prudentiâ superaret. *Quemadmodum enim*, [inquit lib. 5. cap. 19.] *illa per Angeli sermonem seducta est ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus; ita & hæc per Angelicum Sermonem evangelizata est ut portaret Deum, obediens ejus verbo. Et sicut illa seducta est ut effugeret Deum; sic hæc suasa est obedire Deo, uti Virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata: ut quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per Virginem, solvatur per Virginem: æquâ lance disposita virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccato per correptionem Primogeniti emendationem accipiente; serpentis prudentiâ devictâ per simplicitatem columbæ, vinculis illis resoluti sumus, per quæ assignati eramus morti.* Rursus S. Gregorius Nazianzenus noverat Mariam esse sororem nostram; & tamen Oratione 18. in Sanctos Cyprianum & Justinam Martyres habitâ, refert Justinam Christianam Virginem, cùm maleficiis & incantationibus a Cypriano Mago ad obscœnam voluptatem impelleretur, Dei opem implorasse; & ad eam promerendam, B. Mariæ Patrocinium interposuisse. *Hæc atque his plura commemorans*, inquit, *& Mariam Virginem rogans, ut periclitanti Virgini opem ferret, jejunii, & chameuniæ medicamento tuetur.* Mariam sororem nostram esse noverat S. Basilius Seleuciensis: & tamen Oratione *in Annuntiatione* ad eam invocandam populum hortatur, ac precandi Formulam hujusmodi præscribit: *O sanctissima Virgo! de qua quisquis præclara omnia & illustria dicit, ut a veritate non aberrat, sic infra dignitatem prædicat: e cœlo propitia nos respiciens, nunc quidem pacificè nos perducito: postea verò ad judicialem thronum securos ac nullo confusos pudore sistens, stationis ad dextram participes effice.* Mariam sororem esse nostram semper agnovit Ecclesia Catholica, quæ ipsi nihilominus semper supplicavit, ejus apud Deum advocationem interponendo, ut ex Liturgiis omnibus antiquis, Græcis, Latinisque perspicuum est. Perperam itaque Rivetus Hagiomachus & Antidicomarianita negat Homiliam *De sanctissima Deipara* esse S. Athanasii, quòd eâ Mariæ invocatio stabiliatur, & PP. Jesuitis insolenter improperat, quòd ideò se ejus allegatione oblectent.

Nec tamen Homiliam illam *De Annuntiatione*, S. Athanasii esse contendimus, sed ipsi abjudicamus, melioribus rationibus ducti, quas doctissimi Cardinales Baronius & Bellarminus protulerunt. Harum prima est, quòd Nestorii dogma confutet illius Homiliæ Auctor, nec non & Eutychetis, easque loquendi formulas usurpet, quæ nonnisi post Conciliorum Ephesini & Calchedonensis tempora solemnes in Ecclesia esse cœperunt. Atque *Hinc est*, inquit, *quòd Christi Incarnatio ex Deo personam suam habeat, non humanitas ex homine. Siquidem juxtà divinum characterem, humana ejus forma statum suum accepit, unitione scilicet cum animâ, atque ita fit ut Christus duo pariter sit, & unum singulare, nunsque item sit, & non duo; & rursus duo, & nequaquam unum est, secundùm rationem duarum naturarum: & unus, non duo, secundùm unitatem subsistendi.... Sanctificata igitur superventu Spiritus Sancti Virgo & corroborata, & virtute altissimi gravida, eum gestabat, qui ex suâ propria essentiâ Dei erat filius, pro unica ejus divinitatis natura, & genuit eumdem incarnatum & hominem factum secundùm duarum naturarum proprietatem. Eumdemque duplicem, & unum ex duobus constantem, inconfusè, immutabiliter, atque divisim credi oportere statuimus.* Certè si tempore Ephesini & Calchedonensis Concilii edita fuisset illa Homilia, illam laudassent istarum Synodorum Patres; quâ nempe proferri nihil poterat luculentius ad Nestorii & Eutychetis Hæreses prosternendas. Accedit, quòd hujus Homiliæ Auctor Christum *Deiferum hominem* dicendum esse negat, & ejusmodi locutionem execratur: quam tamen Nicæni Patres, S. Basilius, & alii è Veteribus usurparunt. Quæ vox cùm suspecta & odiosa esse non cœperit, nisi ex quò eâ abusus est Nestorius, argumento est hanc Homiliam ante Nestorianæ Hæreseos tempora scriptam non fuisse. Auctor enim verò hanc locutionem innoxiam fuisse contendit Nicæni Concilii tempore, nec venenum in eâ latere, nisi ex abusu Hæreticorum, qui eam pravum in sensum detorquebant. *Cæterùm*, inquit, *neque hoc pro Hæreticorum more intelligentes Auctores Nicæni Concilii, sed ex operatione Spiritus & virtutis Altissimi, & impregnatione Virginis, Deiferum hominem eum, qui ex Virgine prodiit, credendum esse statuerunt.* Cùm itaque Hæretici qui Athanasianis temporibus grassabantur, scilicet Ariani, hac voce abusi non legantur: (nam si abusi eâ fuissent, cavisset ipsam Nicæna Synodus:) hanc Homiliam S. Athanasii non esse certissimum est.

Secundò, Monothelitarum Hæresim disertè perstringit Homiliæ istius Auctor his verbis: *Ideòque duas voluntates prædicamus, sed nequaquam duos volentes, aut duos operantes, sed unum volentem, secundùm unitatem personæ: contrà duas voluntates, & duas operationes, secundùm peculiarem utriusque naturæ rationem.* Edita itaque videtur hæc Homilia post ortum Hæreseos Monothelitarum, & post Synodum Sextam Oecumenicam, quæ testimonium istud proculdubiò laudasset inter alia Patrum oracula, quibus Catholicum de duabus in Christo voluntatibus & operationibus dogma asseruit, si S. Athanasii fuisset, vel alterius Patris, a quo ante hæc tempora Homilia illa edita fuisset.

Tertiò, hic Auctor leviter admodum & penè pueriliter etymologiam vocis υἱὸς derivat ἀπὸ τοῦ ἴσου id est, æqualis, vel ἀπὸ τῆς ἰσίας quæ vox æqualitatem significat. At vox ἰσία apud Græcos non reperitur: nec æqualitas Græcè dicitur ἰσία sed ἰσότης

Quartò impegit hic Auctor in explicanda τῆς ὑποστάσεως notione, quasi de illo solùm dicatur, qui sub alio stat: *Et quasi secundò ordine consistit.* Unde Filium esse hypostasim colligit *quia sub aliquo statum suum, id est, sub Patre habet.* Porrò falsa est hæc notio, cùm Pater qui sub nullo stat, cùm a nemine habeat originem, nihilominus sit hypostasis.

Quintò, Christi animam ex quo Verbo divino hypostaticè unita est, visione beatifica non frui censet hujus Homiliæ Auctor, quod verus Athanasius (ut quidem existimo) non sensisset. *Non enim suspicandum est*, inquit, *quòd secundùm simplicem naturæ suæ proprietatem, Virgo in se inhabitantem Deum videre potuerit, cùm nec ipsa animata, rationisque ac intellectûs facultate prædita caro Filii conspicere valuerit: sed quatenus fieri poterat, velut ipsâ Altissimi virtute præstante umbraculum, ac quasi umbras creante, quarum adminiculo videret, quantùm res patiebatur, Deum in se habitantem. Utque ipsi nos, qui in carne nostra inhabitantem animam habeamus, haudquaquam tamen quomodo qualisve ea sit, conspicere possumus, sed quasi umbram ejus ac lineamenta ex ejus virtutibus ac operationibus colligimus: tale quiddam*

tum Virgo tum ipsa ratione ac intellectu prædita. Christi animus contueri poterat, atque etiamnum potest ex potentiis & operationibus inde prodeuntibus.

Epistola ad Serapionem de Spiritu Sancto, vindicatur S. Athanasio.

XIII. *Epistolam ad Serapionem de Spiritu Sancto*, Erasmus, Scultetus & Rivetus S. Athanasio abjudicant, hominisque otiosi, & nullo ingenio præditi esse ajunt. At cùm nullam tam præposteræ opinionis rationem proferant, explodendi sunt Pseudocritici. Laudatur quidem hoc in Tractatu Michex locus, qui nusquam legitur, *Domus Jacob exacerbavit spiritum Domini*. At non ideo hæc Epistola spurius est S. Athanasii fœtus. Vel enim in codice aliquo, quem penes se Athanasius habebat, & quo utebatur, hæc verba extabant: sicut in pluribus Sacrorum Bibliorum codicibus quædam verba, vel sententiæ leguntur, quæ desunt in aliis, vel aliqua desiderantur, quæ in aliis legere est; ut Lucas Brugensis, & alii Viri Eruditi, qui variantes Sacræ Scripturæ lectiones adnotarunt, & collegerunt, passim observavere: Vel S. Athanasium in eremo scribentem memoria fefellit. Nihil autem refert quòd multa sit congeries locorum hoc in Tractatu, ut objicit Rivetus. Nam in Orationibus contra Arianos, quæ S. Athanasii germanæ sunt, pauciora non congeruntur divinarum literarum ad expugnandam Hæresim testimonia. Denique quòd eadem repetat interdum, non probat S. Athanasii non esse; sed tantùm Opus illud properantis ingenii fœtum esse, quem expolire & limare ipsi non licuit, in vitandâ Arianorum persecutione, ipsorumque declinandis insidiis satis occupato. Unde in hac lucubratione multa excusatione digna, nonnulla emendanda, tam verax, quàm humilis Athanasius agnovit. *Ego igitur*, inquit, *etsi in eremo agam, tamen ob improbitatem eorum qui alios avertunt a veritate, nihili faciens eorum de nostra dictionis tenuitate & humilitate subsannationes, paucis scripsi, & tua Religiositati misi, plurimum te adhortans, ut in istis legendis quadam emendes, & ubi imbecillior est dictio, veniam dones.* Porro quod ajunt Erasmus & Rivetus, Epistolam ad Serapionem esse Auctoris qui voluerit imitari S. Athanasii librum ad Serapionem, absque judicio dictum est. Quem enim alium librum intelligunt? Forsan Epistolam ad Serapionem, quæ extat Tomo 2. Operum S. Athanasii. At illa compendium est prioris istius Epistolæ, seu Tractatus *De Spiritu Sancto*, quod S. Athanasius Serapionis precibus concessit.

Historia de Melchisedecho, indigna S. Athanasio.

XIX. *Historia de Melchisedecho*, non est S. Athanasii. Nam Melchisedechi genealogiam describit, & parentes nominat, cùm in Scripturis Sacris, aut apud Patres cæteros nullibi nominentur, & dicatur a S. Paulo, *Sine patre, sine matre, sine genealogia*. 2. Dicitur in isto libello Melchisedech idololatra fuisse, & ex creaturarum contemplatione ad unius Dei cultum conversus, multaque de ejus conversione, de patre, de matre, de fratre ejus Melchi ad sacrificium idolorum celebrandum a patre electo, & terræ hiatu, cum totâ familiâ, orante Melchisedech, absorpto, fabulosa narrantur. Ad hæc, orasse dicitur Melchisedech in monte Thabor, ibique in densâ sylvâ mansisse septem annos nudum a ventre usque ad lombos, & dorsum ejus occalluisse ut testam limacis: cibum ejus fuisse sylvestria, & potum ejus rorem quem lingebat: illuc Abraham divinâ jussione se contulisse, tonsumque Melchisedechum vestibus induisse, & benedictionem ab eo accepisse. Quæ quàm fabulosa sint & inepta, nemo non videt. Denique 318. Abrahami vernaculos Nicænorum Patrum figuram fuisse ait, ac de Nicænis ipsis Patribus loquitur velut de hominibus præteritorum temporum. *Tot etiam Sancti Patres*, inquit, *inventi suo tempore in Nicænorum civitate, qui nobis rectam confirmarunt Fidem, quorum numerus adæquatus Patriarcha Abraham, fuit 318. Sanctorum Episcoporum in Synodo.* Cùm itaque coævi fuerint S. Athanasio Nicæni Patres, ipseque Nicæno Concilio interfuerit, & anno sequente fuerit ad Episcopatum Alexandrinum promotus; hujus historiolæ, vel potiùs fabulæ de Melchisedecho non est Auctor.

XX. Homilia in illud Evangelii, *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei*: S. Athanasio abjudicant illustrissimi doctissimique viri Cardinalis Perronius, & Coeftellus: judiciumque Erasini, & Centuriatorum Magdeburgensium, necnon Editiones Basileensem, & Parisiensem, Homiliam illam inter supposititia S. Athanasii Opera rejicientes, adversùs Heterodoxos proferunt. Contra, Albertinus Calvinista germanum esse contendit S. Athanasii Opus, tum ex styli similitudine; cùm ex Gobaro apud Photium in Bibliotheca Codice 232. testante Athanasium in multis libris Theognostum laudare: quod semel tantùm præstiterit, nisi hujus Homiliæ sit Auctor: tum denique ex Concilio Lateranensi sub Martino I. ubi sub Athanasii nomine tria hujus Homiliæ loca proferuntur. In his rationibus non invitus acquiesco. Nec est tamen cur S. Athanasium in sui circa Eucharistiam erroris patrocinium advocent Calvinistæ, iis abusi verbis quæ hoc in Tractatu leguntur. *Istiusmodi characterem etiam in Joannis Evangelio vidi, ubi de esu corporis disputans, ac propterea multos scandalizatos conspiciens, ita locutus est: Hoccine vos scandalizat? Quid si igitur Filium hominis spectaveritis ascendentem ubi priùs erat? Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus sunt & vita. Hic enim de utroque, carne & spiritu suo locutus est, & spiritum a carne discriminavit, ut non solùm id quod oculis apparebat, sed naturam quoque invisibilem credentes, disceremus ea qua loqueretur, non carnalia esse, sed spiritualia. Quot enim hominibus corpus ejus suffecisset ad cibum, ut universi mundi alimonia fieret? Sed propterea Ascensionis suæ in cœlum mentionem fecit, ut eos a corporali intellectu abstraheret; ac deinde carnem suam, de quâ locutus erat, cibum e supernis cælestem & spiritualem alimoniam, & ab ipso donandam intelligerent. Quæ enim locutus sum vobis*, inquit, *spiritus sunt & vita. Quod perinde est ac si diceret: Corpus meum quod ostenditur & datur pro mundo, in cibum dabitur, ut spiritualiter unicuique tribuatur, & fiat singulis tutamen præservatio quæ ad resurrectionem vitæ æternæ.* Hic (inquam) locus Calvinistarum causæ non patrocinatur, nec adversùs realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam militat. Non enim Corpus Christi a nobis in Sacramento manducari negat S. Athanasius, qui idipsum disertè ibidem asserit his verbis: *Quod proinde est ac si diceret: Corpus meum quod ostenditur, & datur pro mundo, in cibum dabitur*: Sed solùm negat manducari modo carnali, ita ut aliorum instar ciborum dividatur: vel corporeâ & carnali facultate nobis exhiberi ac distribui. Unde subjungit: *Quot enim hominibus corpus ejus suffecisset ad cibum, ut universi mundi alimonia fieret?* Quia nimirum corporeum agens, materiali & finitâ virtute carnem Christi distribuere innumeris hominibus non posset, nisi eam dividendo, & consumptibilem exhibendo. Quod itaque ait S. Athanasius, *Christum non carnalia, sed spiritualia esse locutum*, cùm de manducatione suæ carnis sermonem habuit, *ut non solùm in eo quod oculis apparebat, sed naturam quoque invisibilem crederemus*: Non significat spiritu duntaxat & Fide manducari a nobis carnem Christi;

Perron. lib. 1. de Euchar.

S. Athanasius Calvinistis non favet adversùs realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam.

fiiz Sed meri hominis carnem non esse, quæ nihil prodesset, sed carnem Verbo divino unitam, sive carnem ejus, qui non homo tantùm, sed Filius etiam Dei sit: adorandam autem illam carnem divinâ operatione sisti in Eucharistiæ Sacramento, & divinâ virtute multiplicari, ut absque suæ unitatis & integritatis detrimento Fidelibus universis distribuatur. Hunc esse istius loci sensum, ex S. Athanasii instituto colligitur. Totus enimverò illius hoc in Sermone scopus erat probare Christum nomine blasphemiæ contrà Filium hominis, blasphemiam contra suam humanitatem; nomine verò blasphemiæ contra Spiritum, blasphemiam contra suam divinitatem intellexisse. Id ut exequatur, loca Sacræ Scripturæ omnia congerit, in quibus nomen *Spiritus* ad divinitatem significandam usurpatur; & istum inter alia: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*: in quo ostendit Christum carnis nomine humanam naturam; nomine verò Spiritûs, divinam significasse. Eum sensum & Athanasiani sermonis series demonstrat. *Ita quoque*, inquit, *Propheta videns Verbum carnem esse factum, locutus est: Dominus Christus vultus nostri spiritus est. Ne quis ex eo quod in illo appareret, merum hominem Dominum esse intelligeret, sed dum eum spiritum esse audit, Deum eum agnosceret in corpore constitutum. Utrumque igitur jam liquet, eum qui Dominum videt de se loquentem, si corporalia ejus tantummodò in oculis habeat, & non credens dicat, Unde huic sapientia? peccare illum ipsum quidem, & ut in Filium hominis blasphemare: eumdemque verò, si videat opera ejus in Spiritu Sancto facta, & dicat, Talium operum auctorem nec Deum esse, nec Dei Filium, sed ea opera Belsebud adscribat, manifestò blasphemare, eò quòd inficiatur illius Deitatem.* Carnem itaque Christi, cibum esse spiritalem, Dei spiritu plenam, Deo in unitate personæ conjunctam, proindeque dotibus ex Dei spiritu derivatis ornatam, subtilitate nimirum, indivisibilitate, impassibilitate, vi sese infinitis hominibus, omnibusque locis & temporibus communicandi absqoe imminutione & consumptione, significavit S. Athanasius, illamque sic in Eucharistia manducari: quę tamen ibi reipsa est & verè, quamvis modo spiritali præsens. Hoc sensu non solus Athanasius, sed & alii Patres Corpus Christi spiritale vocavere. S. Epiphanius Heresi 64. *Dominus noster*, inquit, *a morte surrexit, non ut aliud revocaret ad vitam corpus, sed illud ipsum quod ei fuerat: sed ita tamen ut illud ipsum spiritus in proprium tenuitatem ac subtilitatem converteret, ac spiritale omninò constaret.* S. Ambrosius, lib. de Initiandis: *In illo*, inquit, *Sacramento Christus est, quia Corpus est Christi: non ergo corporalis esca, sed spiritalis est. Unde & Apostolus de typo ejus, ait: Quia Patres nostri escam spiritalem manducaverunt, & potum spiritalem biberunt. Corpus enim Dei Corpus est spiritale. Corpus Christi, Corpus est divini spiritûs, quia spiritus est Christus*, &c. S. Hieronymus in cap. 1. Epistolæ ad Ephesios: *Dupliciter verò*, inquit, *Sanguis Christi & Caro intelligitur: spiritualis illa atque divina, de qua dixit: Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* Et, *Nisi manducaveritis Carnem meam, & Sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam in vobis: Vel Caro & Sanguis, qua crucifixa est, & qui militis effusus est lanceâ. Juxta hanc divisionem & in Sanctis ejus diversitas Sanguinis & Carnis accipitur, ut alia sit Caro qua visura est salutare Dei; alia Caro & Sanguis qua regnum Dei non queant possidere.* S. Cyrillus lib. 4. *In Joannem*, in cap. 6. *Totum demùm suum Corpus*, inquit, *vivificâ virtute spiritus replet. Spiritum enim deinceps Carnem suam nominat; ita tamen ut non propterea Carnem esse neget: Sed quia perfectè ei est unita, & totum ejus vivificum vim induit, idcircò spiritum quoque ejus nominat. Nec est quòd mireris, aut eâ re offendaris. Si enim qui Domino adhæret, spiritus cum eo unus est: quomodò non potiùs proprium ejus Corpus unum cum ipso nominabitur?* Et infra: *Natura Carnis per se vivicare non potest: quid enim ampliùs esset in Deo secundùm naturam? Sed nec unica & seorsim in Christo quoque esse censenda est: habet enim Verbum unitum, quod secundùm naturam est vita. Cùm ergo Christus eum vivificam nominat, non æquè illi ac sibi sive suo spiritui vivificandi vim tribuit: propter ipsum enim, proprium ejus quoque Corpus vivificum est, quoniam illud in suam ipsius vim reformavit. Quonam autem pacto, nec mente capi potest, nec linguâ exprimi, sed silentio tantùm ac Fide mentem excedente debet honorari. Quòd autem Filius in divinis Scripturis Spiritus quoque Sancti nomine sæpè nuncupetur, ex iis quæ subjecta sunt, agnoscemus*, &c.

XXI. *Vita S. Antonii*, quæ S. Athanasio adscripta est, & inter illius Opera extat Tomo 2. est genuinus S. Athanasii fœtus: meminerunt enimverò S. Gregorius Nazianzenus, & S. Hieronymus Vitæ S. Antonii Monachorum Patris ab Athanasio conscriptæ, quam aliam fuisse ab ea quam nunc habemus ab Hoeschelio latinitate donatam, Scultetus & Rivetus levissimis rationibus moti contendunt. Ajunt scilicet primò, in ea non reperiri Vitæ Monasticæ leges, quas Nazianzenus scribit Athanasium sub narrationis prætextu voluisse promulgare. At oppidò falluntur: Sancti enim Antonii exempla & præcepta discipulis tradita cùm proposuit, litterisque mandavit S. Athanasius, Vitæ Monasticæ leges sub narrationis specie promulgasse non immeritò dici potest. Præterea, cùm in ea, quæ fertur sub S. Athanasii nomine, magni Antonii Vita legantur quæ ex ea laudant S. Chrysostomus Homilia 8. in Matthæum, Palladius Historiæ Lausiacæ cap. 8. Socrates lib. 1. cap. 17. & lib. 4. cap. 14. S. Ephrem, S. Joannes Damascenus, & Justinianus Imperator in Epistola ad Menoam Patriarcham Constantinopolitanum; Evagrius denique Antiochenus Episcopus, qui insigne illud Opus latinitate donavit paulò ante annum 370. emicant in ea characteres omnes, quos in Vita S. Antonii a S. Athanasio conscripta Veteres indicarunt.

Vita S. Antonii asseritur S. Athanasio.

Sculteti & Riveti Objectionibus respondetur.

Objiciunt secundò heterodoxi Critici, commentitium istius Vitæ, qua de agimus, Auctorem asserere, S. Antonium indoctum fuisse, & literarum imperitum: cùm alii narrent ipsum causidicum fuisse, & valdè doctum. Sancti quidem Augustini tempore jactatum fuisse, Antonium illum *sine ulla scientia literarum Scripturas divinas & memoriter audiendo tenuisse, & prudenter cogitando intellexisse:* Sed quantùm fidei Augustinus his narrationibus tribuerit, ex eo patere quod subjicit, *De Doctrina Christiana*, lib. 1. in prolog. *At si hæc quisque falsa arbitretur, non ago pugnaciter.* Quòd sanè non dixisset, si Athanasium ejus narrationis habuisset Auctorem. At S. Augustinum cum S. Athanasio consentientem, & in Præfatione librorum *De Doctrina Christiana* asserentem S. Antonium illiteratum & indoctum fuisse, Riveto & aliis ex Hæreticorum grege Pseudocriticis anteponimus. Falsò autem colligunt S. Augustinum fidem hujusmodi narrationibus non adhibuisse, ex eo quòd subjunxerit: *Si hæc quisque falsa arbitretur, non ago pugnaciter.* Solet enim S. Augustinus historias & narrationes quæ humanâ tantùm auctoritate nituntur, & quæ a pertinacibus hominibus in dubium revocari possent, quantumvis certæ sint, cujus-

que arbitrio credendas, vel non credendas permittere; ut inutilium contentionum argumenta resecet. Cujus rei ne aliud exemplum quæratur, observare sufficit hæc verba; *Si hæc quisque falsa arbitretur, non ago pugnaciter;* non solùm ad id quod de S. Antonio proximè dixerat, sed ad aliam etiam Historiam referri, de servo barbaro Christiano, *Qui literas nullo docente homine, in plenam notitiam, orando ut sibi revelarentur, accepit, triduanis precibus impetrans ut etiam codicem oblatum, stupentibus qui aderant, legendo percurreret.* Quam Historiam *a gravissimis fideque dignissimis viris* S. Augustinus *se nuper accepisse* testatur. Causidicum porro S. Antonium fuisse qui scripserunt, eum in errorem ex loco Suidæ malè intellecto sunt inducti. Loquitur enim apud Suidam Ethnicus quidam, deosque suos rogat ut Antonium illum in fortunatis insulis eum ipsis tunc degentem, ob præstita sibi beneficia remunerent. Adeoque hic locus de Antonio Causidico, S. Antonium Anachoretarum Patrem nullatenus spectat.

Objicit tertiò Rivetus, Narrationem de melote, aut pallio, Athanasio Episcopo ab Antonio in extremis agente, donato, non convenire cum eo quod scribit S. Hieronymus in Vita Pauli Eremitæ, qui ante aliquot annos petierat & obtinuerat ab Antonio illud pallium. Addit, de congressu Pauli cum Antonio nullum vestigium esse in Vita Pauli Athanasio adscripta, quem a vero Athanasio omissum fuisse non verisimile est. At futiles sunt hæ Riveti rationes: Duplex enim pallium quidni dedit Antonio S. Athanasius, quorum altero involutum sepeliverat Paulum, alterum verò ipsi Athanasio reddendum jam jam moriturus edixit? Non mirum autem quòd de S. Antonii cum Paulo Eremita congressu siluerit S. Athanasius, qui in Epistola ad Monachos, quorum precibus hanc Vitam conscripsit, profitetur se non omnia quæ ab Antonio gesta erant, memoriæ commendare potuisse, sed quædam selegisse, quæ nempe a Monachis audiverat in Eremo; unde hanc relationem aliorum studio compleri posse indicat. *Ergo*, inquit, *ut breviter dicam, ex omnibus quæ de eo referentium sermo jactavit, credite, & minima nos existimate dixisse de maximis; quia non ambigo nec eos omnia potuisse cognoscere, cùm & ego rogatus a vobis, quantacumque per Epistolam significavero, non æqualia sim ejus meritis narraturus. Sed & vos omnes hinc navigantes studiosè percuntamini, quò singulis quæ norunt referentibus, congruat, dignaque tanti nominis Relatio compleatur. Disponebam itaque post lectionem literarum vestrarum aliquos ad me Monachos invitare, & maximè eos qui crebrò ad eum ire consueverant, ut pleniùs aliquid addiscens, munera vobis majora transmitterem. Sed quoniam & navigationis tempora labebantur, & tabellarius vehementissimè festinabat, ideò ea quæ & ipse noveram (frequenter enim eum visitavi) & quæ ab eo didici, qui ad præbendam ei aquam non paululum temporis cum eo fecit, Dilectioni vestræ indicare properavi.* Denique S. Hieronymus hanc Pauli Eremitæ Historiam scribere ideo est aggressus, quòd nemo id ante ipsum præstitisset. *Pauca*, inquit, *de Pauli principio & fine scribere disposui, magis quia res omissa fuit, quàm fretus ingenio.*

Objicit quartò Rivetus, Nonnulla in hac, quam expendimus, S. Antonii Vita occurrere, quæ Fidem orthodoxam lædunt, ut quòd dæmones facit corporeos, quòd *Virtutem nobis inesse; & ex nobis ortum habere* asserit, *& rem non esse difficilem manere in eo statu in quo conditi sumus*: quòd gratiam Dei cassam reddit. Verùm propter illam sententiam quæ dæmonibus corpora tribuit, nemo nisi insulsè dixerit abjudicandum esse S. Athanasio illud Opus, in quo id asseruit: cùm Veteres plerique Patres vel antè, vel post S. Athanasium, corporeos Angelos senserint iis in Operibus quæ ipsis minimè sunt afficta, scilicet Justinus in Dialogo cum Tryphone, Athenagoras in Apologia, Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum, Methodius lib. de Resurrectione, apud Epiphanium Hæresi 64. Theognostus apud Photium, Codice 106. S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. 10. S. Macarius Homiliâ 4. Severianus Gabalitanus Homiliâ 1. *De Mundi opificio*, Cæsarius Gregorii Nazianzeni frater Dialogo 1. Interrogatione 58. Tertullianus lib. *De Carne Christi*, cap. 16. & lib. 2. contra Marcionem, cap. 8. S. Augustinus lib. 2. *De Trinitate*, cap. 7. Epistolâ 115. lib. 3. *De Genesi ad literam*, cap. 10. & ad ista verba Psalmi 85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*: Cassianus Collatione 7. cap. 13. Fulgentius lib. *De Trinitate*. Sed & falsum est Auctorem Vitæ S. Antonii dæmones facere corporeos, qui potiùs in corporibus extrinsecùs assumptis hominibus ipsos apparere passim indicat. Falsum etiam est asseruisse Auctorem illum, *Virtutem ex nobis ortum habere*: Nam affirmavit solùm liberi arbitrii facultatem, si Dei gratiâ præveniente adjuvetur, virtutum operationes elicere posse: & animam hominis a Deo rectam esse conditam, ejus proinde integritatem quodammodò omnium originem esse virtutum; non quòd ipsi a naturâ insitæ sint, sed quòd ipsarum sit capax, in easque propensione voluntatis feratur, si nulla fuerit extrinsecùs sorde polluta. *Nolite*, inquit, *virtutis tamquam impossibile nomen pavere, nec peregrinum vobis aut procul positum videatur hoc studium quod ex nostro, Dei gratiâ præcedente, pendet arbitrio. Hujus operis insertus homini natura est, & ejusmodi res est quæ nostram tantummodò expectat voluntatem. Græci studia transmarina sectentur, & in alieno orbe constitutos inanium literarum quærant Magistros: nobis verò transfretandi nulla necessitas imminet; in omni sede terrarum constituta sunt regna cælorum. Unde Dominus in Evangelio ait. Regnum Dei intra vos est: virtus, quæ in nobis est, mentem tantùm requirit humanam. Cui enim dubium est, quia naturalis animæ puritas, si nullâ fuerit extrinsecùs sorde polluta, fons sit & origo omnium virtutum?*

Objicit denique Rivetus, quæ de morte Balacii Ducis a vero Athanasio narrantur, non parùm differre ab iis quæ in Vita Antonii referuntur. Nam verus Athanasius in Epistola *Ad Solitarios* narrat, *Balacii femur proficiscentis ad primam mansionem, equum cui insidebat, cervicibus retortis ita momordisse, atque ex dorso excussum humi afflixisse, ut intra triduum proximum perierit.* Auctor verò Vitæ Antonii, equum quo Nestorius Ægypti Præses vehebatur, *morsu repentino Balacium decussisse in terram, ac sic in eum inhiantem, femora ejus lacerasse & corrosisse, ut statim relatus in civitatem, post triduum mortuus sit.* Quæ varietas verum Athanasium a fictitio evidenter distinguit. At non est tanta varietas, quantam fingit Rivetus. Balacii namque femur equus mordere potuit, quo tùm vehebatur Nestorius Ægypti Præfectus, cui tamen Balacius ipse insidebat, id est, insidere solitus erat. Ejus enim erant equi, & in ejus stabulo nutriebantur, ut habet S. Antonii Vita. Nulla igitur inter duo ista loca pugna est.

SCHOLION I.

Ad hunc Articulum Religiosi Censores hanc notam

tam apponunt: *Athanasium spoliat suis libris, maximè verò Symbolo* QUICUMQUE.

R. S. *Athanasium* suis Libris non spolio, sed critico lumine ac judicio veros a supposititiis discerno; nullùmque ipsi abjudico, quem non abjudicet universa penè eruditorum hominum natio: nullum ipsius esse nego sine firmis argumentis.

SCHOLION II.

R. Religiosi Censores in eodem Articulo hanc Propositionem notant, pag. 470. Editionis primæ: *Angeli corporei sunt ex Doctrina plurium Patrum.*

Angelos corporeos esse non dixi, nec sentio. absit: Sed plures Patres ita sensisse observavi, ostendens contra *Rivetum* Calvinianum Vitam S. Antonii non esse propterea S. *Athanasio* abjudicandam, quòd illius Auctor corpora dæmonibus tribuat.

Nota.

NOn pauci consentiunt Natali symbolum *Quicumque &c.* Vigilio Tapsensi tribuenti; nec sanè infirmæ sunt conjecturæ, quas ex Quesnello refert. Putandum tamen hunc auctorem *doctissimi* encomio non fuisse decoraturum, si dum scribebat, tot ipsius propositiones Sedes Apostolica proscripsisset, ut postea factum est.

Nota.

QUæ olim fuerint opiniones de Angelorum natura adnotavi post dissertationem septimam sæculi secundi.

ARTICULUS IX.

De Eustathio Antiocheno.

SAnctus Eustathius Syda urbe Pamphiliæ oriundus, Beroeæ in Syria primùm Episcopus deinde post Philogonii mortem communi consensu Episcoporum, Clericorum & plebis, ad Antiochenæ Ecclesiæ administrationem evectus est. Insignis Nicænæ Fidei defensor fuit, ejus in odium calumnias, depositionem, exilium, ab Arianis passus est. Multa scripsit adversùs Arianos. Item librum *De Anima & Engastrimytho*, id est, de Sermone ex ventre, seu pythonico, contra Origenem, in quo verum Samuelem non fuisse a Pythonissa evocatum, nec Sauli apparuisse, disertè probat. Hunc S. Eustathii Tractatum Græcè & Latinè edidit Vir Doctissimus Leo Allatius in Syntagmate *De Engastrimytho*. Scripsit etiam *Commentaria in Psalmos*, & Orationem in illa Sapientiæ verba: *Dominus possedit me initium viarum suarum*, ex quibus libris insignia Fragmenta ad duarum in Christo naturarum probandam veritatem Theodoretus profert in Dialogis. *Eustathii* Antiocheni Episcopi genuinum Opus non videtur Commentarius in *Hexaemeron*, sive *De Opere sex dierum*, sub ejus nomine a *Leone Allatio* editus, cùm illius Stylus Eustathiano planè dissimilis sit, nec illius meminerit S. *Hieronymus*, aut ullus Veterum; mera denique sit compilatio malè consutarum sententiarum Veteris Testamenti, Artapani, Josephi, Protoevangelii S. Jacobo affícti, Eusebii, S. Basilii, &c. Lege S. Hieronymum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. De Eustathii Operibus ita censet Sozomenus lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 19. *Eustathius vir tum in aliis rebus egregius, tum eloquentiæ causâ meritò admirandus quemadmodum ex libris ejus, qui adhuc extant, licet cognoscere, qui tum ob priscam genus elocutionis, & ob gravitatem sententiarum, tum ob verborum elegantiam, & in rebus explicandis venustatem magnoperè probantur.*

Quædam a S. Eustathio de Christi persona duriùs scripta refert Facundus Hermianensis lib. 11. Cap. 1. & quæ Nestorii errori favere nonnihil videantur. *Sed*, inquit, *pro his quæ, necdum exorto Nestorio, secura simplicitas loquebatur, ejus non est anathematizanda Doctrina.*

ARTICULUS X.

De S. Jacobo Nisibitano.

SAnctus Jacobus cognomento Sapiens, in Maximiani persecutione Confessionis gloria insignis, unus è Nicænis Patribus, cujus Vitam scripsit Theodoretus in *Historia Religiosa*, cap. 1. è solitudine ad Nisibis urbis in Perside celeberrimæ Episcopatum assumptus est. Ipsum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum S. Hieronymus non recensuit, quem eâ ratione Gennadius excusat, quòd linguam Syriacam nondum nosset, quo tempore Catalogum conscripsit: Jacobi autem Nisibitani Opera è Syriaca in Græcam linguam translata nondum essent. XXVI. Operum ipsius libros Gennadius commemorat. Obiit Constantii Imperatoris temporibus, intra muros Nisibenses, secundùm Constantini mandatum sepultus, ad tutelam civitatis.

ARTICULUS XI.

De Lucifero Calaritano.

LUcifer Calaritanæ Ecclesiæ Episcopus, Arianorum infensissimus hostis, confessionis gloriam facto in Ecclesia schismate fœdavit. Vivere desiit anno 370. ex S. Hieronymo. Plures edidit in veritatis & Ecclesiæ defensionem Tractatus, quos S. Athanasius & S. Hieronymus commendarunt, scilicet libros duos ad Constantium Imperatorem, alterum *De Regibus Apostatis*, unum *De non parcendo delinquentibus in Deum*, unum qui inscribitur, *Quòd moriendum sit pro Filio Dei*: unum denique *De non conveniendo cum Hæreticis*. Hæc Opera Lucifero nemo sive Catholicorum, sive Heterodoxorum abjudicat. Præparati ad Martyrium animi indices esse ejus libros ad Constantinum, S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, Cap. 95. testatur.

ARTICULUS XII.

De S. Cyrillo Hierosolymitano.

SAnctus Cyrillus post obitum S. Maximi Hierosolymitanus Episcopus, ab Acacii factione sæpè vexatus, & e sede sua detrusus, Semi-Arianis addictissimus fuit, ob eamque rationem ab aliquibus Scriptoribus Ecclesiasticis malè exceptus est, ut a S. Hieronymo in Chronico, & a Ruffino, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 23. qui ipsum violatæ Fidei insimulant. At Concilii secundi Oecumenici, cui anno ante obitum 5. interfuit, testimonium, Hieronymi, Ruffinique suffra-

fragio anteponendom est. Ita autem scripserunt de Cyrillo nostro Constantinopolitani Patres in Epistola Synodica, quæ legitur apud Theodoretum, lib.5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 9. *Hierosolymitana autem Ecclesia, qua mater est omniam Ecclesiarum, Reverendissimum ac Religiosissimum Cyrillam Episcopum esse indicamus, qui & canonicè ab Episcopis Provinciæ olim fuit ordinatus, & plurima variis in locis contra Arianos certamina subiit.* Octo annis inconcussum Episcopatum sub Theodosio Seniore tenoit, teste S. Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 112. Obiit die 18. Martii anni 386. Catecheses 18. quæ Extemporaneæ dicuntur *ad Illaminatos*, & 5. *Mystagogicas, ad recèns baptizatos*, adolescens composuit. Has ipsi eùm vindicent S. Hieronymus in Catalogo, Theodoretus Dialogo 2. ubi ex Cathechesi 4. nonnulla profert, S. Joannes Damascenus Oratione 3. *De Imaginibus*, ubi quædam laudat ex Catechesi 12. & Joannes Cyparissiotus, qui ex X. pauca describit: temerè illius quidam ex Heterodoxorum grege Pseudocritici esse negant.

Catecheses S. Cyrillo Hierosol. contra Rivetum vindicantur.

I. Ex illis, quas habemus Græcè & Latinè a Joanne Prevotio editas, nonnulla esse detracta, nonnulla iisdem assuta, Rivetus pari temeritate asserit, lib. 3. Critici sacri, cap. 8. Exempla profert fictitiorum hujusmodi assumentorum, 1. illam sententiam ex Cathechesi 12. *Si enim qui apud Jesum benè fungitur sacerdotio, abstinet a muliere, ipse Jesus quomodo ex viro & muliere proditurus esset?* Id esse alicujus insulsi Monachi, assumentum, ex eo satis constare ait Calvinista, quòd Cyrilli tempore vigebat Concilii Nicæni auctoritas inter Orthodoxos, quod a Paphnutio persuasom, eorum relinquit arbitrio, qui voluntà propriis conjugibus abstinere; ut ait Gelasius Cyzicenus, cap.33. At insulsum esse Riveti figmentum, suadet Eusebii Cæsareensis, S. Epiphanii, & S. Hieronymi auctoritas, qui continentiam ex Ecclesiæ disciplina suisse a sacris Ministris religiosè servatam sua ætate testantur, quamvis tunc vigerent Nicæni Concilii Canones. Neque huic Disciplinæ repugnat Historia Paphnutii, ut in Dissertatione *De Clericorum cœlibatu* ostendimus. Sicut ergo mox laudatorum Auctorum testimonia nemo tam insulsus est qui eorum Operibus a Monachis assuta dixerit; ita & hic Cyrilli locus a nemine cui fuerit integrum judicium, id est, ab alio quàm a Riveto, assutus asseretur.

II. In eàdem Catechesi verba illa non solùm ut inepta, sed ut blasphema sugillat Rivetus: *Itaque si Virgo in veneratione est propter novem mensium tempus, multò magis nos propter multorum annorum tempus.* Quis, inquit, Cyrillum adeò insulsum credet, ut castitatem multis annis colentes (illos enim alloquitur) multò magis veneratione dignos, quàm fuit Virgo sancta, crediderit, vel docuerit? Verùm qui hunc Cyrilli locum absque partium studio expenderit, fatebitur ipsum non coæquare Virgines omnes Deiparæ, aut æquum ipsis honorem deferendum asserere, quem Virgini Sanctissimæ deferimus; sed solùm ipsas venerationem promereri singularem, eò quòd Mariam Dei matrem imitentur, & Christum non tantùm novem mensium spatio, sed toto vitæ suę tempore glorificent, & in corpore suo portent merito castitatis. *Adoretur*, inquit, *qui de Virgine natus Christus, & agnoscant Virgines sui status, vel dignitatis coronam..... Virgines cum Maria Virgine habebant partem*, &c. Præterea etsi in his Catechesibus aliquæ essent comparationes minùs accuratæ, non propterea ipsi abjudicandæ essent: cùm præsertim eas in adolescentia, & ex tempore dixerit, & a scribis festinantibus exceptæ sint.

Denique huic Cyrilli loco nonne penè similis est ille S. Augustini lib. *De Sancta Virginitate*; cap.5. *Ille unus Sanctæ Virginis partus, omnium Sanctarum Virginum est decus; & ipsa cum Maria Matres Christi sunt, si Patris ejus faciunt voluntatem.*

III. Addititia esse illa verba ex Catechesi 13. Rivetus contendit. *Arguet me lignum crucis, quod per particulas ex hoc loco per universum orbem sparsum est.* Quod & Catechesi 10. & Catechesi 4. dixerat: *Lignum crucis testatur apud nos apparens usque ad hodiernum diem, & apud illos qui secundùm Fidem ex illo capientes, hinc universum orbem ferè jam repleruat.* Hæc omnia, (inquit Rivetus,) assuta esse non negabit, qui sine præjudicio, tempus quo Cyrillus dicitur Catecheses suas scripsisse, cum fabula de inventione & partitione crucis comparabit. Composuit Cyrillus Catecheses in adolescentia sua, ut ait Hieronymus: igitur antequam esset Episcopus. Constantii Imperatoris anno 17. (si fides habeatur Epistolę quam ad eum scripsisse fertur) Episcopus erat Hierosolymitanus, annis 28. tantùm post inventionem crucis, quam Baronius refert ad annum Constantini 21. ut meritò idem Baronius * fateatur, potuisse Cyrillum crucis inventioni interfuisse. Si potuit interesse, vel adolescens interfuit, vel paulò antè adolescentiam, qui post annos ad minus 20. factus est Episcopus. Quod si ita sit, quomodò hęc notatio temporis conveniet cum verbis Cyrilli Cathechesi 10. qui tanquam de re per longum tempus continuatâ ait: *Lignum usque hodiè apud nos apparens?* illud enim, *usque hodie*, non solet usurpari in rebus novis, sed quæ a multis annis longa & continuata temporum serie in eodem statu visæ sunt, aut eodem nomine appellatæ. Sic Genesis 22. *Appellavit nomen illius loci, Dominus videt. Unde usque hodie dicitur; In monte Dominus videbit.* Nempe a tempore Abraham ad tempus Mosis. Et verò qui fieri potuit ut tantillo temporis momento tot ligni frustula ubique terrarum fuerint comportata? Et si id factum sit, quomodo id Cyrillo innotescere potuit?

Particularum Crucis Christi per totum orbem Christianum dispersio.

Tomo 3. ad ann. Ch. 326.

Prætereà, Eusebius qui Cæsareæ in Palęstina vixit Constantini temporibus, & qui diligentissimus talium observator fuit, inventionem illam crucis postea decantatam non reticuisset in Historia sua, vel in lib. *De Vita Constantini*: qui autem sequuti sunt fabulæ Enarratores, ab aliis delusi, simplicitate quadam id scripserunt quod quisque audierat, sed ita ut variantibus sententiis, rem ex se incertam magis dubiam suis narrationibus efficiant. Qui non credet, adeat Ambrosium Oratione *in funere Theodosii*, Paulinum Epistolâ 11. & Ruffinum lib.2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.17. Theodoretum lib.1. cap.18. & Sozomenum lib.2. cap.1. qui postremus dum ait, *Maximam portionem Crucis Hierosolymis in theca argentea asservari: alteram verò ab Helena ad Constantinum delatam, in Constantini statua inclusam*, frustulis istis Cyrillo assutis, & in toto orbe distributis non videtor dare locum.

Inventionis Crucis Historia vindicatur.

Verùm ficulnea sunt hæc Riveti argumenta. Nam triginta propè anni effluxerant ab inventione salutiferæ crucis, cùm Cyrillus Catecheseon magister Hierosolymis erat. Quod temporis intervallum satis fuit ut ligni vivifici religio propagaretur, & Ecclesiæ plurimæ ipsius particulas ab Hierosolymitano Patriarcha postularent & obtinerent: quod Cyrillo Hierosolymis agenti notum fuit. Hæc autem Catecheseon Cyrilli epocha sic statuitur. Vixit harum Catecheseon Auctor anno circiter Christi 350. ait enim Catechesi 6. superesse etiamnum qui Manetem Hæresiarcham suis oculis conspexerint, atque effluxisse, ex quo ejus Hæresis exorta est, annos 70. ea verò cœpit Pro-

bo

bo Imperatore Paulinoque Consulibus, ut S. Leo testatur Sermone 2. *De Pentecoste*. Id fuerit anno 279. aut 277. ut ex Æra Dionysiana colligitur, liquet Catecheseon illarum Auctorem floruisse circa annum 350. Id verò optimè convenit cum eo quod S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum refert, Cyrillum Hierosolymitanum Catecheses habuisse in adolescentiâ, nam post tempus quod memoravimus, superstes fuit annis 36. ut quidem octennium sub Theodosio Principe transegisse referat idem S. Hieronymus; ac proinde obiit anno 386. Falsum porro est quòd hæc loquendi formula, *Usque in hodiernum diem*, usurpari non soleat in rebus novis, sed in iis quæ longâ temporum serie in eodem statu visæ sunt. Non enim res antiqua erat, sed recens, cùm S. Matthæus scribebat Evangelium, ut ager figuli in sepulturam peregrinorum ex denariis a Juda post Christi venditionem in templo projectis, *ager sanguinis* vocaretur: & tamen S. Evangelista scribit: *Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est ager sanguinis, usque in hodiernum diem*. Præterea, illa verba, *usque hodie*, non videntur mihi respicere inventionem crucis, sed crucifixionem Christi, quasi dicat: jam tria sunt sæcula ex quo crucifixus est Christus; & tamen hodieque lignum illud habemus: imò Fideles undique huc venientes gaudent particulas decerpere, idque tanto numero, ut jam (hyperbolicè loquitur) particulis istis propè omnes terras impleverint.

Nec Eusebii de crucis inventione silentium, probat hanc Historiam inter fabulas rejiciendam, ut Rivetus, aliique inimici crucis Christi rejiciunt; cùm S. Ambrosius qui eodem sæculo floruit, hanc ut certissimam Historiam referat in Oratione *De Obitu Theodosii*, eandemque narret S. Paulinus Epistolâ 11. *ad Severum*: quibus Socrates lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 3. Sozomenus, lib. 2. cap. 1. Theodoretus, lib. 1. cap. 3. & ante hos, Ruffinus, lib. 1. cap. 7. suffragantur. Quorum omnium auctoritas, & Ecclesiæ traditio, Eusebio silenti anteponenda est. Quæ autem in eorum narrationibus occurrit varietas, circumstantias quasdam spectat, quas alii referunt, alii omittunt, non Historiæ summam, ac (ut ita loquar) substantiam, de cujus veritate inter se consentiunt universi. Quod tandem scribit Sozomenus, maximam crucis portionem Hierosolymis in argentea theca asservari, alteram verò ab Helena delatam ad Constantinum, non impedit quin particulæ crucis per varias orbis terrarum partes dispersæ fuerint. Utrumque enim scriptis prodidit S. Paulinus, qui & innumeris excerptis particulis lignum Crucis dominicæ non imminui, perpetuo miraculo, testatur. *Crux*, inquit, *in materia insensata vim vivam tenens; ita ex illo tempore innumeris penè quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat*. Quod miraculum qui irrident, vel in dubium revocant Heterodoxi Critici, aut blasphemos, aut impudentes esse oportet: blasphemos si Deum non potuisse miraculum illud patrare dixerint; impudentes, si Paulinum celeberrimum Episcopum, sanctitate & doctrinâ insignem, a SS. Augustino & Hieronymo impensè laudatum fabulam orbi universo venditasse effutiant.

Sacrarum Reliquiarum virtus à Spiritu Sancto.

IV. Catechesi 18. dimidiam ferè paginam ab impostore quodam additam ait Rivetus, de virtute quæ mortuorum corporibus insit, absente etiam anima. *Inest*, inquit, *corporibus mortuorum virtus & potentia, & mortuum corpus Prophetæ perficit Opus animæ, & jacens præbuit vitam defuncto*. Addit, *Non id mirum cùm sudaria & semicinctia extra corpus existentia liberaverint ægrotos ab infirmitate*. Hæc qui credet Cyrilli esse, inquit Calvinista, neget eumdem esse auctorem Catecheseos 16. in quâ miracula omnia facta esse scribit *virtute Spiritus Sancti*. Et de sudariis Pauli loquens ibidem: *Quomodo*, inquit, *pro dignitate disseram quæ a Spiritu Sancto per Paulum factæ sunt Ephesi operationes?* Et paulò post: *Propter hoc enim dictum est, quòd per omnes civitates manifestabat Paulus, quòd ea quæ in unaquaque civitate fiebant miracula, Spiritus Sancti energiâ essent, & nutu Dei, & in Christi nomine qui per eum loquebatur*. Ergo non virtute & energiâ sudariorum, vel etiam animarum, aut corporum Elisei, vel Pauli, ut vult Cyrilli corruptor, (inquit Rivetus.)

Miseranda sanè est Heterodoxorum Criticorum cœcitas, qui temerè scribunt quicquid ipsis in mentem venerit, nescientes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant: & cùm suos in Veterum scriptis damnatos errores animadvertunt, continuò assuta clamant testimonia, sibique absque ullâ probatione credi volunt. Hujus cœcitatis & hebetudinis specimen præbuit Rivetus, cùm pugnare sibi persuasit hæc duo Sanctorum corporibus inesse virtutem ad patranda miracula, & eadem nihilominus fieri virtute Spiritus Sancti, nutu Dei, & in Christi nomine. Quasi verò virtutem illam quæ Sanctorum inest reliquiis, aliunde quàm a Spiritu Sancto, cujus organa fuerunt eorum corpora, proficisci dixerit aut senserit Cyrillus: aut aliud Ecclesia, & Catholicæ Romanæque Ecclesiæ alumni sentiant.

V. Quædam ex Catechesibus Illuminatorum profert Rivetus contra Fidem ac Doctrinam Romanæ Ecclesiæ, quorum maximam partem nequaquam favere Calvinistis jam ostendimus, quæcumque scilicet de Scripturæ sufficientia ex iis adducit. Legatur nostra de Traditionibus Dissertatio, Sæculo 2. Alia verò facilè solvi possunt: ut illud quod legitur Catechesi 14. de præsentia Christi in terris; *Qui sursum sedet, & hîc nobis adest, qui uniuscujusque videt ordinem & robur Fidei. Non enim quia nunc non adest in carne, ex eo putes quòd spiritu non sit in medio nostrûm, audiens quæ de illo dicuntur*. Non negat Cyrillus, Christi carnem in Sacramento absconditam & velatam in terris adesse ut Rivetus comminiscitur, sed solùm Christum non adesse in carne conspicuum, & modo sensibili, extra Sacramentum, propriâque in specie aspectabilem.

Nec majorem præ se fert difficultatem locus ille ex Catechesi 12. excerptus, de manducatione Christi. *Spiritalis ovis Corpus sumere digni effecti, caput simul cum pedibus sumamus; caput autem deitatem intelligentes, & pedes humanitatem accipientes, sanctorum Evangeliorum auditores, Joanni Theologo credamus*. Quamvis enim de spiritali Corporis Christi manducatione hic locus intelligatur, manducationem Corpoream non excludit, nec negat, quam Catechesi 4. & 5. Mystagogicis disertè adstruit, ut mox ostendemus.

Gravioris etiam non est momenti, quod ex Catechesi 17. objicit Rivetus, ut efficaciam Baptismi ab ipso tribui Spiritui Sancto, non actioni ministri, aut operi operato demonstret. *Si simulas, nihilominus homines quidem id quod videri potest ministrant, Spiritus autem Sanctus simul invisibilia magna efficit*. At sensus horum Cyrilli verborum non est, quòd nihil agat Minister in Baptismo, sed quòd propria virtute non agat, & ut causa princeps: cùm tota vis ac efficacia Baptismatis sit a Spiritu Sancto interiùs operante, & gratiam infundente; quam ideò non accipit, qui fictus suscipit Sacramentum. Hunc enim etsi homines baptizent, Spiritus Sanctus non baptizat. *Non ex hominibus*, inquit, *est ea gra-*

tia

tia. Tu quidem accede ad Baptismum: accede autem, non vultum tantùm istum visibilem baptizantium respiciens, sed memineris Spiritûs Sancti. Hic enim paratus adest obsignare animam tuam, &

Ephes. 1. *dare tibi signaculum quod homines tremant, cœleste quoddam & divinum, sicut scriptum est**: *In quo etiam credentes signati estis Spiritu Sancto promissionis. Proba ergo animam, ne projicias margaritas ante porcos. Sin autem simulas, nihilominus homines quidem te baptizant, Spiritus autem te non baptizat*, &c. Et rursus: *Aqua quidem exteriùs circumdat; Spiritus autem interiorem animam abluit incomprehensibiliter. Et quid miraris? Accipe exemplum corporeum, parvum quidem & facile, utile autem simplicioribus. Si ignis per ferri spissitudinem interiùs transiens, totum efficit ignem, & frigidum fit fervens, & nigrum fit lucidum: si ignis cùm sit corpus, in corpus ferri ingrediens sic absque ullo impedimento operatur; quid miraris si Spiritus Sanctus in animam interiora ingreditur?*

Non magis urgent, quæ laudat ex Catechesi 18. contra Fidem Purgatorii: *Pœnitentiæ & remissionis peccatorum in hac vita tantùm præscriptum habemus.* Neque enim Ecclesia Romana docet Pœnitentiæ, & remissioni peccatorum per Pœnitentiam in altera vita locum esse: neque id involvit Purgatorii fides, sed tantùm solvi pœnas temporarias peccatis debitas, illasque a divinâ justitiâ exigi; quia homo congruâ satisfactione, & Pœnitentiæ operibus illarum debitum non expunxit.

Quo sensu Fidem dogmatum à Fide Miraculorum distinguat S. Cyrillus Hierosolymitanus.

Denique non favet Heterodoxis locus ille quem ex Catechesi 5. Rivetus profert, quo videtur Cyrillus duplicem distinguere Fidem: unam dogmatum, alteram miraculorum. *Nomen*, inquit, *Fidei unum quidem est appellatione, dupliciter autem dividitur. Est enim unum genus Fidei, quod habet dogmaticam de aliquo animæ assensionem. Alterum autem genus Fidei est, quod ex parte gratia a Domino donatur.... Hæc igitur secundùm gratiam donata Fides ex Spiritu, non modò est dogmatica, verùm etiam super humanas vires effectiva. Qui enim habet hanc Fidem, dicet monti huic, Transi hinc illuc, & transit.* Hic, (inquam,) locus Hæreticis non favet. Duplicem namque Fidem, non essentiâ, sed operatione & effectu distinguit. Id est eandem Fidem esse censet, quæ & dogmatibus a Deo revelatis propter ejus auctoritatem assentitur, & quæ patrat miracula: Sed hanc miraculorum efficiendorum vim Fidei secundùm se & secundùm essentiam spectatæ non convenire ait, sed esse gratiam singularem, sicut prophetiam, donum linguarum, *&c.* Multùm autem hæc a Calvinistarum doctrinâ differunt. Nam ipsi Fidem, quæ justificationis principium est, vel fiduciam de misericordia Dei, quâ dimissa sibi per Christi Sanguinem peccata certissimè sibi persuadeant; vel notitiam solùm definiunt, non verò certissimum iis quæ a prima veritate revelantur assensum. At Cyrillus Fidem esse statuit *dogmaticam de aliquo animæ assensionem*. Hanc esse justificationis principium sensit, de quâ nempe Dominus dixerit: *Qui verba mea audit, & credit ei qui me misit, habet vitam æternam, & in judicium non veniet.* Et: *Qui credit non judicatur, sed translatus est a morte ad vitam.* Prætereà Calvinistæ & Lutherani fidem promissionum a fide dogmatum & miraculorum distinguunt. At Cyrillus eâdem fide, qua dogmata credimus, promissionum etiam retributionem credere nos docet, & miracula operari, si tanta fuerit, ut eam gratiâ miraculorum donet Deus. Ubi enim præmisit de hac fide suprà humanas vires effectiva intelligi hæc verba Christi: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*, &c. hæc subjungit: *Quemadmodum enim granum sinapis minusculum est magnitudine, ardentius tamen vigore, & in exiguo loco seminatum magnos continet ramos, tanquam quod & in alta augeri possit, & volucres cooperire: sic & fides in animâ celerrimo actu maxima perficit. De Deo enim speculatur, Deum intuetur, ita ut quæ meretur fide illuminari, & mundi terminos circuit, & ante mundi consummationem judicium jam videt, & promissionum retributionem.*

VI. Objicit Rivetus, Josiam Simlerum testari legi in Indice librorum, quos Augustana Respublica ab Antonio Eparcho Corcyreo emptos possidet: *Joannis Hierosolymitani Catecheses Illuminatorum 18. & Mystagogiæ 5.* ut videndum sit ne fortè Joannis sint, qui longè posterior fuit Cyrillo, quæ tamen alteri fortasse de industria adscriptæ sunt, ut plus auctoritatis haberent. At ex Librariorum oscitantia, vel inscitiâ, *Joannis Hierosolymitani* nomen irrepsisse perspicuum est. Certè. Marcus Welserus in Indice MS. librorum Reipublicæ Augustanæ, quem Apparatui suo Possevinus attexuit, non *Joanni*, sed indefinitè *Episcopo Hierosolymitano*, tribui indicat in Catalogo Augustano. *Catechetica*, inquit, *institutiones Episcopi Hierosolymitani, quem Cyrillum esse puto.* Præterea duplex fuit Joannes Episcopus Hierosolymitanus. Prior Cyrillo in Episcopatu successit anno 386. alter Episcopus factus est anno 513. sed cùm ex iis quæ Catecheseon istarum Auctor habet de Manete Hæresiarcha, certum sit ipsum floruisse anno 350. & hæc ætas meliùs Cyrillo conveniat quàm Joanni priori, posteriori verò Joanni minimè competere possit, Cyrillo meritò vindicantur. Tertiò, prior ille Joannes malè sensisse visus est de resurrectione corporum, teste S. Epiphanio apud S. Hieronymum Epistolâ 60. & ipso Hieronymo Epistolâ 61. *adversùs errores Joannis Hierosolymitani.* At illarum Catecheseon Auctor Fidem Catholicam in hujus articuli expositione propugnat. Denique Riveto ex ipso Heterodoxorum grege opponimus, Witkerum Ministrum Anglum Controv. 1. *de Scriptura perfectione contra Traditiones humanas*, de hisce Catechesibus scribentem: *Liber ipse paucis ab hinc annis Græcè prodiit, sed videtur dignus eo Cyrillo: habet enim egregiam scientiam, & pietatem, & prudentiam.* Opponimus ipsi & virum doctissimum Gerardum Joannem Vossium Dissert. 1. Opusculi de tribus Symbolis, §. 51. has Catecheses Cyrillo pariter asserentem.

VII. Catecheses Mystagogicas perperam ejusdem Auctoris esse negat ac Catecheses ad Illuminatos, Cyrilloque pariter abjudicat Rivetus. Ipsum enim convincit Cathechesis postrema Illuminatorum, in quâ & Mystagogicas Cathecheses pollicetur, & singularum argumenta proponit. *Post sanctam*, inquit, *& salutarem Paschatis diem, in reliquis Hebdomadæ diebus, post Synaxim ad sanctum Resurrectionis Salvatoris locum congregati, Deo volente, alias Catecheses audietis, in quibus rursus de unoquoque quæ fiunt, causas discetis, atque tam ex novo quàm ex veteri Testamento demonstrationes accipietis. Primùm quidem de his quæ ante Baptismum proximè fiunt. Deinde quomodò mundati estis a peccatis per Dominum lavacro aquæ in verbo, & quomodò sacerdotalis appellationis Christi participes facti estis, & quomodo signaculum vobis datum est Spiritus Sancti; & de iis, quæ fiunt in Altari, Sanctis novi Testamenti Mysteriis. Quæ hinc cœpient initium, quod divina Scriptura tradiderunt, quæ istorum virtus, & quomodò ad hæc accedendum, & quandò, & quomodò ea habere oporteat. Ultimum autem omnium, quomodo vos progressu temporis, & factis & dictis, dignè ad percipiendam gratiam converti oporteat.* Hunc locum isti Catechesi assutum, & integram paginam insertam esse, ab his

ver-

verbis, *Caterùm fratres dilecti*, usqoe ad illa, *Quod reliquum est, fratres*, ait Rivetus; sed cùm absque teste, absque ratione id asserat, nemo sapiens ipsi fidem adhibebit. Contractiurem esse Stylum Mystagogicarum Catecheseon non inficiur. Inde tamen perperam colligit Rivetus diversorum Auctorum partus esse: quia pro varietate personarum quas alloquimur, pro diversitate temporis & circumstantiarum cæterarum, nunc fusiùs, nunc strictiùs res propositas explicamus. Insulsum porrò argumentum est, quo probat Rivetus interpolatas esse istas Catecheses, quòd scilicet Catechesi V. post illa verba quæ sunt primæ personę de tertiâ, *Obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace*, &c. sequuntur multa primæ personę ad secundam: *Rogamus te nos omnes, & hoc sacrificium tibi offerimus*, &c. Quasi verò personæ mutatio in eâdem etiam oratione nova sit apud Auctores, & centum ejus rei exempla proferri non possint. Interpolatam S. Pauli ad Galatas Epistolam nemo dixerit, & tamen cap. 6. in una eâdemque sententia personæ mutationem videre est. *Fratres, & si praeccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.*

S. Cyrilli Hierosolym. Doctrina de Baptismo Joannis, Romana Ecclesia Fidei non est contraria.

VIII. Non pauca in his Catechesibus Mystagogicis esse ait Rivetus, quæ Doctrinæ Romanæ Ecclesiæ officiant. Illud in primis notat ex Catechesi 2. *Joannis Baptismus remissionem peccatorum præstabat.* At ista verba Doctrinæ Romanæ Ecclesiæ non magis adversantur quàm ista Scripturæ sacræ, Lucæ 3. *Venit* Joannes *in omnem regionem Jordanis prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Et Baptismum Joannis remisisse peccata Romanæ communionis Theologi non negant, quamvis id non præstitisse propriâ virtute contendant, sed ratione Pœnitentiæ, quâ præparabantur ad Baptismum Christi, qui Joannis initiabantur Baptismate; vel ratione Fidei in Christum quem Joannes prædicabat ac demonstrabat: uno verbo, id habuisse *ex opere operantis*, non *ex opere operato*. Nec Cyrillus solùm, sed & alii ex Patribus remissionem peccatorum tribuunt Baptismo Joannis, quamvis majorem esse vim Baptismi Christi agnoscant & profiteantur, quòd unum ad fidem hâc in Controversiâ pertinere sacra Synodus Tridentina Sessione VIII. Canone I. declaravit his verbis: *Si quis dixerit Baptismi Joannis eamdem esse vim ac Baptismi Christi, anathema sit.* Hac de re S. Basilius, lib. 1. de Baptismo, cap. 2. *Joannis verò Baptisma multis modis excelluit* (præ Mosaicæ legis Baptismatibus.) *Nullam enim prorsùs faciebat peccatorum differentiam. Nullam exigebat sacrificiorum discrimen. Purificationem studiosè non efflagitabat, nec dierum aut horarum habebat observantiam, nec ullâ prorsùs factâ dilatione, per gratiam Dei & Christi ipsius, simul atque accesserat quis & peccata sua, quantacumque & qualia fuissent, confessus fuerat, in Jordanis flumine baptizabatur, & confestim peccatorum remissionem accipiebat. Domini verò Baptisma omnem humanam rationem superat, & gloriam habet quodcumque humanum desiderium ac votum excellentem, ac majore gratia & virtutis supereminentiâ reliqua superat, quàm solis splendor cæteras stellas excellit.* Et Homiliâ 13. *Initiatorium erat Joannis Baptisma, istud verò perfectorium. A peccato illud avocabat: istud cum Deo conjungit, & familiarem reddit.* Eodem sensu locutus est S. Ambrosius, lib. 1. *De Spiritu Sancto*, cap. 3. *Et illi*, inquit, *qui negaverunt se scire Spiritum Sanctum, quamvis baptizatos se dicerent in Joannis Baptismo, baptizati sunt postea, quia Joannes in remissionem peccatorum, in advenientis Jesu, non in suo baptizavit nomine. Et ideò Spiritum nesciebant, quia nec Baptismum in Christi nomine, sicut Joannes baptizare solebat, acceperant. Joannes enim licèt non baptizaret in Spiritu, tamen & Christum prædicabat, & Spiritum. Denique cùm interrogaretur ne fortè ipse esset Christus, respondit: Ego vos aquâ baptizo, veniet autem fortior me, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit Spiritu Sancto & igni.* Denique S. Augustinus quæstionem minimè ad fidem pertinentem esse existimavit, utrùm Baptismus Joannis peccata remiserit, necne. Ita enim scribit, lib. 5. de Baptismo contra Donatistas, cap. 10. *Quapropter quamquam ita credam baptizasse Joannem in aqua Pœnitentiæ in remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, reipsâ verò in Domini Baptismo id fieret: sicut resurrectio, quæ expectatur in finem; spe in nobis facta est ..... Tamen ne quisquam contendat etiam in Baptismo Joannis dimissa esse peccata, sed aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos jussit Apostolus denuò baptizari, per Baptismum Christi esse collatam, non ago pugnaciter.* Horum Patrum Doctrina Cyrillo Hierosolymitano consona est, qui Baptismum quidem Joannis remisisse peccata docet, sed longè præstantiorem esse Baptismum Christi, qui non solùm peccata dimittat, verùm etiam donum Spiritûs Sancti, & adoptionem filiorum conciliet. *Nemo itaque existimet*, inquit, *Baptisma tantùm remissionis peccatorum, verùm etiam adoptionis filiorum se accipere, sicut Joannis Baptismus solam remissionem peccatorum præstabat. Nos verò de Christi Baptismo certi sumus, quòd ita ut est peccatorum absolutio, & donum Sancti Spiritûs conciliat; sic & Christi passionum imaginem gerit.*

S. Cyrillus Hierosolym. Fidei Romanæ Ecclesiæ circa Eucharistiam non adversatur.

IX. Objicit insuper Rivetus hæc Cyrilli verba ex Catechesi I. Mystagogica, contra fidem Transsubstantiationis. *Quemadmodum enim panis & vinum Eucharistiæ ante sacram invocationem adorandæ Trinitatis, panis erat & vinum merum: peractâ verò invocatione, panis quidem fit Corpus Christi; vinum autem Sanguis Christi: sic & cibi ejuscemodi pompæ Satanæ, suapte quidem naturâ puri sunt, invocatione tamen dæmonum impuri efficiuntur.* Duo in istis verbis Doctrinæ Romanæ Ecclesiæ refragari ait Calvinista procacissimus: I. Quòd consecrationem panis & vini, & eorundem mutationem *invocationi Trinitatis* Cyrillus tribuat, quam his verbis; *Hoc est Corpus meum*, Papistæ adscribunt. II. Quòd ad eumdem modum velit mutari cibos dæmoniis consecratos, quo mutantur panis & vinum, etsi contrariâ mutatione. At cibi idolis consecrati non mutantur substantiâ: ergo (inquit) nec panis & vinum.

Verùm si accuratiùs expendatur Cyrilli Hierosolymitani Doctrina, evidens erit ipsum comparare mutationem quam invocatio dæmonum efficit in cibis, cum eâ quam Trinitatis invocatio facit in pane & vino, quantùm ad aliqua, non quantùm ad omnia: hoc scilicet ciborum dæmoni consecratorum exemplum affert ob quamdam analogiam inter panis & vini Eucharistici mutationem in Corpus & Sanguinem Christi, & mutationem ciborum qui Satanæ pompis devoventur: non autem quòd ejusdem generis ambas illas mutationes esse existimaverit. Substantialem namque mutationem panis & vini in Corpus Christi & Sanguinem in Eucharistia ipsum agnovisse, professum fuisse, & recèns baptizatis ut Fidei dogma tradidisse, ex Catechesi IV. meridianâ luce clariùs probatur. *Cùm igitur*, inquit, *Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane, Hoc est Corpus meum; quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante & dicente, Hic est Sanguis meus; quis [inquam] dubitet, & dicat non esse illius sangui-*

nem? Aquam aliquandò mutavit in vinum, quod est Sanguini propinquum, in Cana Galilææ, solâ voluntate: & non erit dignus cui credamus, quòd vinum in Sanguinem transmutasset. Si enim ad nuptias corporeas invitatus stupendum miraculum operatus est, an non multò magis Corpus & Sanguinem suum filiis Sponsi dedisse illum confitebimur? Quare omni cum certitudine Corpus & Sanguinem Christi sumamus. Certè ineptus omninò & ab humano planè alienus esset hujus Auctoris sensus, si ad probandum panem & vinum moraliter mutari & fieri Corporis ac Sanguinis Christi figuras, omnipotentiæ divinæ aquam in vinum substantialiter transmutantis miraculum protulisset. Præterea Fideles contra dubium grave munit Cyrillus, quod ex illis Christi verbis oriri poterat, *Hoc est Corpus meum*, &, *Hic est Sanguis meus*. Quis verò dubitasset quin panis & vinum sacra fiant per mysticas preces, sicut cibi fiunt impuri Dæmonis super eos invocatione; Quis mutationem moralem panis & vini in typos Corporis & Sanguinis Christi ægrè credidisset? Quòd verò panis & vini consecrationem *invocationi Trinitatis* tribuat Cyrillus, Romanę Ecclesiæ Doctrinæ non adversatur. Nam ut vera sit ejus propositio, satis est quod in toto ritu, sive in precibus consecrationem antecedentibus, super proposita dona Trinitas invocetur. Quamquam & Christi verba, *Hoc est corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*, ab antiquis precum nomine significata fuisse, demonstrare operosum non esset.

Pergit objicere Rivetus ex Catechesi III. hæc verba contra Fidem Transubstantiationis. *Cæterum vide ne illud* (Chrisma scilicet) *esse putes unguentum merum. Quemadmodum enim panis Eucharistiæ post Sancti Spiritûs invocationem, non ampliùs est Panis communis, sed est Corpus Christi: sic & Sanctum hoc Unguentum, non ampliùs est unguentum, nudum neque commune, postquam jam consecratum est, sed est Chrisma Christi, per Spiritus Sancti præsentiam divinitatis illius effectivum: quo frons & alii sensus corporis tui symbolicè inunguntur: & corpus equidem isto visibili Unguento perungitur, animu verò Sancto vivificoque Spiritu sanctificatur.* Ex quibus duo colligit Rivetus. I. Qualis est mutatio in oleo, talis est in Eucharistia. At non est mutatio substantiæ, sed usus, & sanctificatio ex gratiâ: Ergo nulla alia est in pane & vino, cùm fiunt Corpus & Sanguis Christi. II. Ut corpus inungitur oleo symbolicè, anima verò Spiritu verè sanctificatur; sic etiam comedit & bibit os corporis symbolicè; anima verò intus Corpore & Sanguine Christi spiritualiter reficitur.

Sed o deplorandas Calviniani hominis ratiocinationes! Talem esse in oleo mutationem, qualis est in Eucharistia, dixitne Cyrillus? Nequaquam; sed mutationem fieri in unguento, ut non sit ampliùs unguentum commune postquam consecratum est: sicut mutatio fit in Pane Eucharistico, ut non sit ampliùs panis communis. Age verò, videamus quid hac mutatione consequatur unguentum ex Cyrilli sententiâ. Fit Chrisma Christi, & præsentiâ Spiritus Sancti, fit divinitatis illius operatorium. Quid verò consecratione consequitur Panis Eucharisticus? Ut sit Corpus Christi. Certè si talem mutationem in oleo Confirmationis, qualem in Pane Eucharistiæ Cyrillus agnovisset, sacrum oleum non dixisset esse Chrisma Spiritûs Sancti, & divinitatis illius effectivum, sed esse ipsum Spiritum Sanctum, sicut Panem Eucharisticum dixit esse Corpus Christi: & si majorem in Eucharistia quàm in Chrismate non fieri mutationem sensisset, non dixisset Panem Eucharisticum esse Corpus Christi, sed solùm esse Christi donum, vel figuram virtute Corporis Christi imprægnatam; sicut non dixit Chrisma esse Spiritum Sanctum, sed Chrisma præsentiæ Spiritûs Sancti effectivum. Illatio verò symbolicæ manducationis ex inunctione symbolica, non Cyrilli est, nec ex illius verbis potest extundi, sed Riveti insulsum est & sophisticum ratiocinium. Enim verò quod in membra nostra distribuitur, spiritaliter tantùm non manducatur: At Christi Corpus, ex Cyrillo, in membra nostra distribuitur: Ejus itaque manducatio spiritalis tantùm esse non credenda est. *Quare* (inquit Catechesi IV.) *omni cum certitudine Corpus & Sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi Corpus: & sub specie vini datur Sanguis, ut sumpto Corpore & Sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps Corporis & Sanguinis. Sic Christophori erimus, cùm ejus Corpus & Sanguinem in membra nostra receperimus.*

Urget Rivetus contra Ecclesiæ Fidem hæc verba ex Catechesi V. *Panis hic non in ventrem descendit, & in secessum emittitur, sed per totum ad corporis & animæ utilitatem distribuitur.* Panis autem Papisticus (inquit Calvinista blasphemus) quem Corpus Christi dicunt, in ventrem descendit non solùm hominum, sed etiam brutorum: ergo non idem est Panis cum eo quem celebrat Cyrillus.

Minorem Heterodoxi nego. Corpus namque Christi panis speciebus velatum, quod propterea panis nomen in Eucharistiâ retinet, communium ciborum sorti obnoxium non esse, Ecclesia Catholica profitetur, quæ ob contrarium errorem Stercoranistas jamdudum proscripsit.

Urget rursus Rivetus ex his verbis Catecheseos Mystagogicę IV. *Christus affirmat, & dicit de pane, Hoc est Corpus meum.* Papistæ contrà (inquit Calvinianus) *Hoc non demonstrat Panem*. Et propositio hæc, *Panis est Corpus Christi*, est Hæretica.

R. Quid pronomen *Hoc* demonstret, inter Catholicos Theologos, quos insolentissimus Hæreticus Papistas vocat, non convenit. Quidam asserunt illud demonstrare Panem; alii singularem substantiam, seu rem sub speciebus Eucharisticis præsentem confusè hoc nomine significari volunt, alii Corpus ipsum Christi. Sed omnes Calvinistarum & Lutheranorum errorem nihilominus confodiunt. Nam qui pronomen, *Hoc*, Panem demonstrare contendunt, spectant transitoriam dumtaxat significationem. At cùm profertur hoc pronomen, nondum completâ propositione, adhuc est Panis, qui absolutâ propositione jam non erit, adeòque tunc pronomen, *Hoc*, Panem in Christi Corpus proximè mutandum significare dici potest. Qui hoc pronomine demonstrari contendunt Corpus Christi, spectant significationem illius permanentem, quæ finitâ propositione, & prolatis omnibus Christi verbis ipsi convenit. Tunc enim prædicatum conjungitur cum subjecto. Corpus autem Christi alia de re quàm de se ipso prædicari non potest. Sed pronomen, *Hoc*, illud significat sub confusa quadam & generali notione rei præsentis: hæc autem verba, *Corpus meum*, illud distinctè significant. Quæ significationis diversa ratio in propositionibus quibusvis practicis, id est, rei quam significant operatoriis, demonstrativo pronomini conveniret, secundùm diversum rei statum. Ita si Moyses mutans virgam in serpentem, dixisset, *Hoc est serpens*; & si Christus aquam in vinum convertens, dixisset, *Hoc est vinum*: pronomen *Hoc*, secundùm significationem transitoriam, id est, spectando miraculum ut nondum factum, sed mox faciendum, virgam, & aquam demonstrasset; secundùm significationem permanentem & spectando miraculum ut jam perfectum, demonstrasset

set

ſet ſerpentem, & vinum. Tandem qui pronomen, *Hoc*, demonſtrare dicunt ſingularem ſubſtantiam, ſeu rem ſub ſpeciebus Euchariſticis præſentem, non dubitant quin ſignificet vel panem in priori inſtanti quo inchoatur propoſitio, vel Chriſti Corpus in poſteriori, quo abſolvitur, ſed ideam confuſam utriuſque iſto pronomine ingenerari volunt.

Objicit adhuc Rivetus hæc verba ex eâdem Catecheſi V. *Guſtantes enim, non panem aut vinum ut guſtent jabentur, ſed antitypum Corporis & Sanguinis Chriſti*, id eſt, figuram (inquit Calviniſta.)

Fateor Cyrillum vocaſſe Euchariſtiam *antitypum* Corporis & Sanguinis Chriſti, ſed contendo ipſum *antitypi* nomine meram, vacuam, & inanem figuram non intellexiſſe & ſignificaſſe, ſed figuram Corpus & Sanguinem Chriſti reipſa continentem. Unde *antitypi* nomen in Cyrilli Catecheſibus hoc ipſum ſignificat, quod apud nos nomen *Sacramenti*: & eodem ſenſu Corpus Chriſti Fidelibus *in antitypo* dari aſſerit, quo idem Corpus *in Sacramento* dari profitemur. Id patet evidentiùs ex Catecheſi IV. *Quare*, inquit, *omni cum certitudine Corpus & Sanguinem Chriſti ſumamus. Nam ſub typo panis datur tibi Corpus, & ſub typo vini datur Sanguis, ut ſumpto Corpore & Sanguine Chriſti, efficiaris ei comparticeps Corporis & Sanguinis. Sic Chriſtophori erimus, cùm ejus Corpus & Sanguinem in membra noſtra receperimus.* Si Corporis & Sanguinis Chriſti nomine tipycum dumtaxat Corpus Cyrillus intellexiſſet, ineptus planè eſſet, imò nullus propoſitionis ipſius ſenſus. Significarent enim ejus verba Corpus Chriſti typicum nobis dari in Corpore typico, figuram Corporis Chriſti dari nobis in Corporis ejuſdem ſacerrimi figura: quo quid abſurdius? Certè ſi Euchariſtiam Corporis & Sanguinis Chriſti abſentium typum & figuram eſſe S. Cyrillus ſenſiſſet, non dixiſſet illa in membris noſtris recipi, Chriſtum nos ferre, Corpus Chriſti & Sanguinem nobis dari. Sed quantùm abſuerit a Calvini dogmate Cyrilli & veteris Eccleſiæ de Euchariſtia Fides & Doctrina, demonſtrant luculentiùs quæ eâdem in Catecheſi leguntur. *Ne ergo conſideres tanquam Panem nudum & Vinum nudum. Corpus enim eſt & Sanguis Chriſti, ſecundùm ipſius Domini verba. Quamvis enim ſenſus hoc tibi ſuggerit, tamen Fides te confirmet; ne ex guſtu rem judices, quin potiùs habeas ex Fide pro certiſſimo, ita ut nulla ſubeat dubitatio, eſſe tibi donata Corpus & Sanguinem.* Et infra: *Hoc ſciens, & pro certiſſimo habens panem hunc qui videtur a nobis, non eſſe Panem, etiamſi guſtus Panem eſſe ſentiat, ſed eſſe Corpus Chriſti: & Vinum quod a nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtûs Vinum eſſe videatur; non tamen Vinum, ſed Sanguinem eſſe Chriſti.* Recèns baptizatorum mentes ſubire poterat dubium de reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia, in iſtarum vocum pugna & contradictione fundatum, *Panis, & Corpus Chriſti*. Hoc dubio ut ipſos liberet, hancque ab eorum animis caliginem diſpellat, quid ait Cyrillus? Ait-ne, quod reſpondere debuiſſet, ac reſpondiſſet proculdubio, ſi in ea fuiſſet ſententia quam Calviniani propugnant, Euchariſtiam eſſe Panem, & credendum omninò eſſe judicio ſenſuum, qui panem eſſe renuntiant, quamvis ſit Corporis Chriſti figura? Minimè: ſed aſſerit non eſſe Panem, & id certiſſimè credendum, quamvis oculi, & guſtus Panem eſſe teſtentur: ſed eſſe Corpus Chtiſti, ſecundùm ipſius Domini verba.

Tandem quæ ſequuntur verba a Riveto adducta ex V. Catecheſi, Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ de Euchariſtia dogmati apertè ſuffragantur, *Accedens autem ad Communionem*, inquit, *non expanſis manuum volis accede, neque disjunctis digitis, ſed ſiniſtram veluti ſedem quamdam ſubjicias dextra, quæ tantum Regem ſuſceptura eſt: & concavâ manu ſuſcipe Corpus Chriſti, dicens, Amen.* Nemo certè Calviniſtarum, Panem qui ipſis in illorum Cœna diſtribuitur, Chriſtum Cœlorum Regem appellaret: nemo dicenti, *Suſcipe Corpus Chriſti*, reſponderet *Amen*; id eſt, Verum eſt: ſicut reſpondebant Chriſtiani, ſuam his verbis tanto de Sacramento profeſſi Fidem cùm Euchariſtam ſuſcipiebant.

Objicit Rivetus hæc verba ex eâdem Catecheſi: *Sanctificentis ergo diligenter oculis, tam ſancti Corporis contactu communica*. At, inquit, Pontificii Corpus Chriſti non tangunt.

Erras, Rivete, Corpus Chriſti tangimus, non immediatè, ſed ratione ſpecierum panis & vini, quibus obvelatur. Niſi autem reipſa præſens eſſet in Euchariſtia Chriſti Corpus, illud tangere, qui ad Communionem accedunt, dici non poſſent: nemo enim dixerit ei, qui Regis imaginem & figuram tangit, Regium Corpus tangis: rectè autem id dixerit ei, qui veſtimenta tetigerit Regio aptata Corpoti, ſive quibus Rex actu indutus eſt. Unde cùm mulier hemorrhoiſſa Chriſti veſtem tetigit, ait Salvator: *Quis me tetigit?* Sed ad Rivetum refellendum ſufficit unus S. Joannis Chriſoſtomi locus Homiliâ LXVI. *Ad populum Antiochenum* dicentis: *Quot nunc dicunt: Vellem ipſius Chriſti formam aſpicere, figuram, veſtimenta, calceamenta? Ecce eum vides, ipſum tangis, ipſum manducas. Et tu quidem veſtimenta cupis videre, ipſe verò tibi concedit non tantùm videre, verùm & manducare, & tangere, & intra te ſumere.*

Denique objicit Rivetus hæc verba ex eadem Catecheſi: *Tum verò poſt Communionem Corporis Chriſti, accede ad Calicem Sanguinis illius.* Ibi inquit, jubetur Laicis Communio ſub utrâque ſpecie, quam Pontificii ſubtrahunt. Ibidem: *Cùm adhuc eſt humiditas in labiis tuis, manibus attingens, & oculos, & frontem, & reliqua ſenſuum organa conſecra.* Id non poteſt Laicus, qui non communicat ſub ſpecie vini [inquit Rivetus] & ſi communicaret, non liceret vinum in labris reliquum manibus contingere, & organa ſenſuum conſecrare.

At nihil aliud probant hæc loca Cyrilli, quàm ejus ætate Communionem ſub utrâque ſpecie fuiſſe ex Eccleſiæ Diſciplina frequentatam, quod non negamus: divinum verò eâ de re præceptum nullum innuunt. Porrò quæ Diſciplinam tantùm ſpectant, poſſunt variis temporibus, varias etiam ob cauſas, ab Eccleſia immutari. Et Eccleſia jure merito ſubtraxit Laicis Calicis uſum; quæ illum permitteret, ſi ad Schiſmatis vulnus curandum neceſſe eſſet, omniaque Fidei Catholicæ dogmata, & ipſam inprimis realem Corporis & Sanguinis Chriſti ſub utrâque ſpecie præſentiam profiterentur; ſicut illum Bohemis ea lege permiſit Baſileenſe Concilium. Quod ſpectat piam illam, non ſuperſtitioſam (ut vult Rivetus) veterum Chriſtianorum conſuetudinem, qui manum ad labra Chriſti Sanguine adhuc madida admoventes, inde oculos, & frontem, & cætera ſenſuum organa conſecrabant; poſſent idem præſtare, ſi Communio ſub utrâque ſpecie adhuc eſſet in uſu: quod autem id non faciant, nihil ipſis nocet. Non tamen eſt exiſtimandum, quòd pretioſiſſimi Sanguinis guttas oculis & naribus admoverent, ſed quod libato Calice, labia Corporis & Sanguinis Chriſti contactu ſanctificata reverenter admotâ manu contingerent, atque inde ad oculos & frontem & cætera ſenſuum organa piè admoverent, ut ſuo quodam modo conſecrarentur. Id autem quidni faciant Chriſtiani poſt Euchariſticam ſub uni-

unica ſpecie Communionem? Et ſi id præſtiterint, ſuperſtitionis argui non poterunt.

Epiſtola ad Conſtantium de Signo Crucis, &c. S. Cyrillo Hieroſol. vindicatur.

X. Epiſtola ad Conſtantium Imperatorem, *De ſigno Crucis in cœlo* ex lumine Hieroſolymis apparente, verus eſt ac genuinus Cyrilli Hieroſolymitani partus. Ipſam eſſe ab homine Ariano ſcriptam Rivetus, aliique inimici Crucis Chriſti immeritò contendunt, hâc inani ratione freti, quòd Conſtantium Arianum Principem laudibus efferat, ejuſque pietatem commendet. Sed ſi alicujus hæc ratio ponderis eſt, ſequitur nec S. Gregorium Nazianzenum auctorem eſſe Orationis 1. *Contra Julianum*, nec S. Ambroſium Epiſtolæ 3. *Ad Valentinianum*; nec S. Athanaſium Orationis 1. *Contra Arianos*, nec S. Hilarium librorum *Ad Conſtantium*; quia eumdem Imperatorem laudati Patres ab amore religionis, ab odio idololatriæ, a pietate, ab humanitate, ab ingenii ſolertia atque acumine, a prudentiâ, a fortitudine commeodarunt. Arianus erit S. Gregorius Nazianzenus, vel ſaltem Arianus Auctor Orationis laudatæ in Julianum, (quem alium a Gregorio Nazianzeno Rivetus aliquis dixerit) quia Conſtantium, nedum viventem (ut Cyrillus) quomodo Principes laudare ſolemne eſt omnibus qui ad ipſos ſcribunt, vel loquuntur, ut venerationem erga illos ſuam ſignificent, ſed mortuum, laudibus exornavit maximis, & Deo adjunctum eſſe, regnique cœleſtis hæreditatem accepiſſe ſcripſit. Certè Arianum hujus quâ de agimus Epiſtolæ Auctorem non fuiſſe perſpicuum eſt ex *Glorificatione conſubſtantialis Trinitatis, veri Dei noſtri*, quâ illam finit. Denique, ut Glycæ hanc Epiſtolam S. Cyrillo aſſerentis teſtimonium omittam, Sozomenus lib.4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ 5. cap. eadem refert de admirabili illa Crucis apparitione ac Cyrillus Hieroſolymitanus, ac Epiſtolam eâ de re ſcriptam a Cyrillo ad Conſtantium teſtatur. *Eodem tempore*, inquit, *cùm Cyrillus Hieroſolymorum Eccleſiam poſt Maximum adminiſtraret, Crucis ſignum in cœlo apparuit, ſplendidè refulgens, non ut cometes diffluentibus radiis; ſed plurimâ luce collectâ denſatum ac perſpicuum. Longitudine quidem a Calvaria loco ad Montem Olivarum, id eſt, circiter quindecim ſtadia, totum cœlum quod tractum illum ſupereminet, complectens. Latitudo verò reſpondebat longitudini. Porrò ob rem tam inſolitam, tamque inopinatam, admiratio ſimul ac metus omnes invaſit. Relictiſque ædibus & foro, & opere quod quiſque præ manibus habebat, univerſi cum uxoribus & liberis ad Eccleſiam confluxerant, uno conſenſu Chriſtum laudantes, Deumque alacri animo confitentes. Porrò ejus rei nuntius omnes orbis Romani provincias non mediocriter conturbavit..... Ipſe quoque Imperator ea de re certior factus eſt, tum ex multorum aliorum relatione, tum ex literis Cyrilli Epiſcopi ad ipſum datis. Hæc autem in ſacris libris olim prædicta fuiſſe per divinam quamdam Prophetiam viri iſtiuſmodi rerum gnari aſſerebant. Et hoc quidem ſignum plurimos Gentiles ac Judæos ad Chriſtianam Religionem pertraxit.* Quin ex Epiſtola Cyrilli ad Conſtantium hanc Hiſtoriam hauſerit Sozomenus, nullus dubito.

XI. Epiſtolam nomine Cyrilli Hieroſolymitani ad S. Auguſtinum *De Miraculis S. Hieronymi* ſcriptam, quæ inter Opera S. Hieronymi legitur, univerſa doctorum hominum natio tum ob horrendum anachroniſmum, (Cyrillus enim XXX. antè Hieronymum annis obiit) cùm ob inſulſitatem Cyrillo abjudicat.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag.500. Editionis primæ Religioſi Cenſores hanc mihi Propoſitionem tribuunt: *Baptiſmus Joannis gratiam conferebat.*

R. Id non ſcripſi, hanc Propoſitionem mihi gratis affingunt Indiculi Cenſorii Auctores, neque hìc, neque ullibi in Operibus meis legitur. Contrarium hìc disertè doceo Num.8.

SCHOLION II.

In Eodem Articulo Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem notant: *Communio Laicorum ſub utrâque ſpecie Cyrilli Hieroſolymitani ætate.*

R. Nemo veteris Diſciplinæ peritus id ignorat. *Semper & ubique ab Eccleſiæ primordiis uſque ad ſæculum duodecimum ſub ſpecie Panis & Vini communicarunt Fideles, cœpitque paulatim hujus ſæculi initio uſus Calicis obſoleſcere;* (inquit pius & eruditus Cardinalis *Bona*, lib.2. *Rerum Liturgicarum*, cap.18.)

ANIMADVERSIONES in Communionem laicorum ſub utrâque ſpecie.

QUandoquidem non ſolùm Cyrilli ætate, ſed etiam uſque ad ſæculum duodecimum videatur hìc Natalis ſentire cum Cardinali Bona *ſemper & ubique* fideles ſub ſpecie panis & vini communicaſſe, ideo in hac illius temporis diſciplina examinanda juvat hìc immorari.

§. I.

Etiam duodecim prioribus eccleſiæ ſæculis, quando ordinariè fidelibus utraque Eucharistiæ ſpecies diſpenſabatur, in ipſa publica Communione liberum fuit unam ſpeciem, ſive duas ſumere.

HUjus libertatis etiam ſub unica ſpecie Euchariſtiam percipiendi indicium manifeſtum eſt S. Leonis decretum adversùs Manichæos. Abſtinebant hi a vino velut a genimine Diaboli; & cùm etiam negarent Filium Dei in noſtræ redemptionis pretium ſanguinem ſuum fudiſſe, immo verum corpus & ſanguinem aſſumpſiſſe, ideò in ſacris myſteriis pretioſiſſimum Chriſti ſanguinem ſumere declinabant, & ſub vini ſpecie communicare. Hujuſmodi ergo indicio cognoſcendos dixit S. Leo, ſi nempe unam panis ſpeciem in publica communione acciperent: *Cùmque*, ait ſerm.4. de Quadr. *ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audeant intereſſe myſteriis, ita in ſacramentorum communione ſe temperant, ut interdum tutiùs lateant, ore indigno corpus Chriſti accipiant, ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinent. Quod ideo veſtram volumus ſcire ſanctitatem, ut vobis hujuſmodi homines & his manifeſtentur indiciis, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, a Sanctorum ſocietate ſacerdotali auctoritate pellantur.* Cùm igitur S. Leo ad Manichæos detegendos jubeat obſervari eos, qui ſanguinem haurire ſemper declinabant, ſignum eſt liberum fuiſſe Romæ ſub una, vel ſub utrâque ſpecie communionem ſumere: nam ſi ex illius eccleſiæ diſciplina ſemper utraque euchariſtiæ ſpecies fuiſſet diſpenſanda, non potuiſſent latere Manichæi, dum a ſanguine Domini bibendo abſtinuiſſent. Id confirmat decretum, quod poſtea ad tempus edidit ipſius ſucceſſor S. Gelaſius, quo ſancivit quoſcumque ad ſacram menſam accedentes utramque ſpeciem recipere debere, ut ita omnem fraudis & effugii viam Manichæis præcluderet. Ipſius decre-

tum

tum habetur *can. comperimus de consecr. dist. 2. c. 12.* quod ita se habet; *Comperimus quòd quidam sumptâ tantummodo corporis sacri portione a calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Hæc ratio ferit Manichæos, qui cùm sacrilega superstitione ducti a sanguine abstinerent, unam ab altera specie non sine grandi sacrilegio separabant. Porro quid necesse fuisset Gelasium utriusque speciei sumptionem præcipere, si semper & ubique ea viguisset in ecclesia disciplina, ut sub utrâque specie fideles communicarent?

Sed & in ecclesia Constantinopolitana in publica communione liberum nonnunquam fuisse unicam speciem recipere, suadent ea, quæ narrat Sozomenus *l. 8. hist. c. 5.* de quadam muliere e secta Macedonianorum. Cùm igitur ipsius Conjux audiendo Chrysostomum concionantem, quomodo de Divinitate sentiendum esset, fidem catholicam amplexus esset, suaderetque uxori ut sibi in fide consors esset, si vitæ consors esse vellet, de fallendo marito consilium suum cum ancilla aperuit, eique dedit panem communem, quem sibi in ecclesia porrigeret. Itaque cùm accepisset a S. Chrysostomo sacra faciente in manibus panem eucharisticum, quasi paulò post illum manducatura, clam dedit ancillæ, ab eaque panem communem acceptum cùm ori admovisset, illico in lapidem mutatus fuit. Ex hac narratione, quam etiam refert Nicephorus *l. 13. c. 7.* patet ea mente mulierem accessisse ad sacram synaxim, ut putaret facilè sibi esse virum suum fallere loco communionis fidelium panem communem subrogando. Hæc autem simulatio impossibilis sanè illi fuisset, si ex illius ecclesiæ disciplina semper unà cum pane calix sanguinis fuisset administratus; nam cùm hic Diaconi manu communicantium ori admoveretur, illius loco aliud sumere mulier non potuisset.

Sed & Missa præsanctificatorum invictè probat usum communionis sub unica specie. Græci igitur per totam Quadragesimam, si excipiantur dies sabbati, Dominicæ, & festi Annunciationis Beatæ Virginis, non consecrant, sed panem consecratum reservant, quem cùm offerant in Missa cæteris hebdomadæ diebus, ideo Missam præsanctificatorum appellant. Hic ritus, cujus si non meminit canon 49. concilii Laodiceni, certè tanquam de re jam recepta sermo est can. 52. concilii Trullani, deinde postea in ecclesia Græca perseveravit, ut testantur ipsius Euchologia, & legere est apud Arcudium *de Euchar. l. 3. cap. 56. &c.* & Goarium ad Euchologium Græcorum. De Missa præsanctificatorum eruditam dissertationem composuit Allatius, eamque legere est in fine Operis de perpetua consensione ecclesiæ Occidentalis. Cùm verò in hac Missa tam sacerdos, quàm populus ex pane præsanctificato communicent absque vini consecrati specie, clarum est in ecclesia Græca communionem unius tantùm speciei viguisse. Atque hic non prætereundum ritum illum, quo utuntur recentiores Græci, aliquas sanguinis guttas in modum crucis pani consecrato infundendi, recentem esse, cùm nullum ipsius vestigium in ipsorum Liturgiis, ac antiquis Auctoribus reperiatur. Immo Michael Cærularius primus Græcorum schismatis auctor, cùm scripserit librum in defensionem sanctificatorum, ibi testatur nullam *eis panibus reservatis infundi guttam sanguinis.* Sed & recentiores Græci quas sanguinis infundunt guttas statim exsiccant, panem igni superponendo; unde cùm ne minimum quidem speciei vini vestigium remaneat, falsò diceretur panem præsanctificatum sumentes utramque speciem recipere.

Quod Græci faciunt toto quadragesimali tempore, observant Latini feriâ sextâ majoris hebdomadæ, in qua sacerdos panem pridiè consecratum sumit absque Sanguine Domini. Ordo verò Romanus *Bibl. PP. tom. 13.* commemorat, quòd licèt Feriâ sextâ, & in Sabbato Sancto Missa non celebraretur, adhuc tamen clerus, populusque communionem recipiebat; unde necesse est dicere solam speciem præsanctificati panis recepisse.

Quòd si forte legas in eodem Ordine Romano vinum non consecratum sanctificari per commixtionem panis consecrati, videas ne id ita intelligas ut in Christi sanguinem convertatur; nam fides catholica docet hujusmodi conversionem per Christi verba fieri. Significatur proinde per admixtionem corporis Christi vinum quamdam exteriorem sanctificationem obtinere, ut optimè animadvertit Menardus *in Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii;* qua ratione etiam sanctificatur illa aqua fervens, quam Græci post consecrationem in calicem infundunt. Ita & sanctificabatur illud vinum contentum in majori calice, cui juxta eundem Ordinem parum vini consecrati ex minori calice miscebatur; quanquam quia reipsa in illo majori calice Christi sanguis cum vino admixtus continebatur, & participabatur a fidelibus, quibus major ille calix distribuebatur, totum illud vinum dicitur in eodem Ordine Romano sanguis Christi, per quem populus confirmaretur. Cæterùm iste ritus in die Parasceves non observabatur, sicut ex eodem Ordine Romano habemus, nam describendo quid faciendum esset in officio feriæ quintæ hebdomadæ sanctæ hæc habet: *Pontifex sumat oblatas integras ad servandum usque mane diei Parasceves, de quibus communicent absque sanguine Domini. Sanguis verò eâdem die penitus consumatur.*

§. II.

Communionem sub utrâque specie non semper & ubique *viguisse, suadent Communio abstemiorum, infantium, infirmorum, sicut & Communio domestica.*

QUoad abstemiorum communionem videas S. Hieronymum *epist. 22. ad Eustoch.* ubi refert quasdam virgines Romæ ita a vino abhorruisse, ut & in ipsis mysteriis a vini specie abstinerent. Hinc factum est quasdam lascivas mulieres per contemptum *miseras, & Manichæas* appellasse.

Quamvis deinde in dubium revocare non audeam infantibus sub utrâque specie communionem concessam fuisse, eam etiam sub una tantùm specie illis dispensatam quis neget? Celebris est historia, quam refert S. Cyprianus *lib. de Laps.* & ex eo S. Augustinus *ep. 98. aliàs 23. ad Bonifacium.* Cùm igitur quædam puellula, ducente nutrice, panem vino mixtum ex sacrificio idolis oblato comedisset, postea ad ecclesiam a Matre facti ignara ducta est: *Ubi verò solemnibus adimpletis,* ait S. Cyprianus, *calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ Majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licèt de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus: in corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit.* Animadvertas modò infantulæ huic non denegatam speciem panis quia præ infantia comedere non posset, antea etenim comederat panem vino idolis

oblato tinctum, unde cùm solius speciei vini eidem ministratæ meminit S. Cyprianus, dignoscitur sub hac tantùm specie infantibus Eucharistiam distributam. Et quidem cùm S. Cyprianus dicat vinum per vim infusum evomuisse, quia permanere non potuit in ore & corpore violato, idem de pane eucharistico dixisset, si sub hac etiam specie Eucharistiam percepisset. Hujus moris administrandi in ecclesia orientali parvulis Christi sanguinem sub vini specie, testis est etiam Jobius Monachus *l.3. de Incarn. cap.18.* apud Photium *in Bibliot. cod.222.* narrans enim quo ordine christiani divinis informarentur mysteriis ait: *Primò baptizamur, deinde unguento ungimur, inde pretioso sanguine dignamur.* Eumdem morem verò in ecclesia Græca perseverare tradunt non solùm Arcudius, sed & Allatius *in Annotat. de Commun. Orient. post Tract. de consens. utriusque ecclesiæ.* Id etiam viguisse in ecclesia latina undecimo, & duodecimo sæculo patebit consulenti decreta Paschalis II. cujus auctoritatem infra legas, Hugonem a S. Victore *lib.3. erudit. Theologic. 20.* & Guillelmum de Campellis apud Mabillonium *præfat.1. ad secul. 3. Benedict.* ubi ex eo hæc habet: *Sciendum quòd qui alteram speciem accipit, totum Christum accipit. Non enim accipitur Christus membratim, vel paulatim, sed totus vel in utrâque specie, vel in altera. Unde & infantulis mox baptizatis solus calix datur, quia pane uti non possunt, & in calice totum Christum accipiunt.*

In ecclesia Constantinopolitana pueris nondum usu rationis pollentibus administrabatur olim Communio sub sola specie panis, nam illis consumendas dabant reliquias Corporis Christi, ut testatur Evagrius *l.4. hist. c.36.* Eadem in ecclesia Gallicana disciplina servabatur, ut ex concilio Matisconensi II. celebrato an.585. can.6.

Loquendo modò de communione infirmorum inficias non ibo utramque speciem aliquando ipsis fuisse administratam, ut quando in infirmorum cubiculo Missa celebrabatur, quod factum fuisse in gratiam Ludovici cognomento Crassi, narrat Sugerius Abbas apud Duchesne *t.4. Script. Hist. Franc.* Idem fieri poterat quando immediatè pòst publica Sacra, Communio ad infirmos absentes erat deferenda; cùm etenim tunc vini species acescendi, corrumpendique periculo non exponeretur, poterat & sub hac specie Eucharistia infirmis ministrari. Ita legimus apud S. Hieronymum *ep.95. aliàs 4. ad Rustic. Monach.* S. Exuperium Tolosanum episcopum corpus Christi vimineo canistro, & sanguinem in vitro portasse. Verùm vulgò in aliis casibus communio sub una specie infirmis administrabatur; unde antiquitatis monumenta nunquam meminere calicis, in quo sanguis pro communicandis infirmis asservaretur, bene verò columbæ aureæ & argenteæ in altari suspensæ, in qua Corpus Christi claudebatur: Harum columbarum mentio fit *in vita* S. Basilii, *& in Testamento* Perpetui Turonensis Episcopi *tom.5. Spicileg.* sicut & in *Libello* supplici clericorum, & monachorum Antiochiæ ad Joannem Patriarcham, & ad Synodum Constantinopolitanam congregatam sub Mena contra Severum antesignanum Acephalorum, in quo conqueruntur eas substulisse. Hinc etiam solius corporis Christi meminere, qui eucharistiam pro infirmis servari consuetam fuisse testantur, ut patet *ex Decreto* Leonis IV. ex *epistola Synodica* Ratherii Veronensis ad presbyteros suæ diœcesis, & ex Concilio Aurelianensi sub Roberto Rege *tom.2. Spicil.*

Sed & diversa facta sub una tantùm specie non rarò Eucharistiam infirmis administratam demonstrant. Celebre est apud Eusebium *lib.6. hist. c. 44.* quod evenit cuidam Serapioni in extremis posito. Misit hic nocturno tempore puerum ad presbyterum, orans ut ad ipsum Eucharistiam deferret, (recens erat decretum, de concedenda pœnitentibus lapsis communione, ut apud ipsum Eusebium) presbyter verò cùm ægrotaret eidem puero *exiguam Eucharistiæ partem tradidit, jubens ut in aqua intinctam senis in os instillaret.* Ubi observandum apud Eusebium solius speciei panis fieri mentionem, nam dicitur: *Redit igitur puer buccellam afferens – Mox puer buccellam intinxit & in os senis infudit.* Idem probatur ex iis quæ scribit Paulinus in vita S. Ambrosii, ubi narrat S. Honoratum Vercellensem episcopum in superiore tabulato decumbentem ter cælesti voce fuisse vocatum, ut S. Ambrosio jam morituro Eucharistiam administraret: *Qui descendens obtulit Sancto Domini Corpus, quo accepto, ubi glutivit, emisit spiritum.* Mos etiam fuit quibusdam in locis aliquando infirmis dare Eucharistiam sub sola specie vini, atque hunc morem in Hispania viguisse colligitur ex can.2. Concilii XI. Toletani an.675. celebrati, ubi narratur quòd quidam infirmi *præter Dominici calicis haustum traditum sibi non possent Eucharistiam deglutire.* Et Paschalis II. in sua Constitutione apud Baronium tom 2. ad an.1118. n.4. mandat, *ut parvuli & infirmi, qui panem absorbere non possunt, in solo sanguine communicent.*

Ne autem dissimulare videar quod quidam ad præfata exempla respondent, non administratam nempe fuisse solam speciem panis, quia hæc vino consecrato intingebatur, operæ pretium est hunc morem ad examen revocare. Putat Arcudius *l.3. de Euchar. c.53.* disciplinam intingendi panem eucharisticum sacro vino ipsa Chrysostomi ætate incæpisse. Sed in hoc ab Arcudio recedendum, nullum etenim illius testem potuit proferre, sed solùm infirmam conjecturam; & aliunde ipse Chrysostomus non semel mentionem facit sanguinis Christi, quem Diaconi inter Missarum solemnia fidelibus porrigebant. Sed & cùm ex Concilio Quinisexto *can.101.* habeamus adhuc in Ecclesia Græca viguisse morem recipiendi in manibus Eucharistiam, necesse est credere non recepisse nuda manu panem sanguine Christi madefactum. Seriùs igitur in Ecclesia Græca ad præcavendum effusionis periculum sacras particulas vino consecrato intinctas Sacerdos distribuit, medio parvo cochleare, cujus oblongum manubrium in parvam desinit crucem. Alia verò est pro infirmis praxis, ut apud Arcudium *l.3. de Euchar. cap.55. & 56.* Goarium *in Not. ad Ritual. Græcor. & Card. Bona l.2. rer. Liturgic. c.18.* Feriâ igitur quintâ majoris hebdomadæ consecrant panem recentem solito majorem, cujus quartam partem assumit Sacerdos, tres reliquas in minutulas particulas dividendo, quas communiori voce *Margaritas* vocant. Verùm quidem est consecratum panem sanguine Christi leviter madefacere; at cùm postea sacro disco ignem subjiciant, cunctumque exprimant humorem, adeout panis omnino induratus a corruptione per totum annum præservetur, consequens est solam panis speciem pro infirmorum communione remanere. Cæterùm dum ægrotis porrigunt, communi vino panis speciem mollefaciunt, ut ab iisdem possit deglutiri.

In Ecclesia verò Latina prima communionis sacro vino intinctæ mentio fit in Concilio IV. Bracarensi an.675. can.1. quod tamen abusum esse PP. judicarunt. Nihilominus quibusdam in ecclesiis hanc praxim postea pro infirmis invaluisse cognoscimus ex Concilio Turonensi apud Burchardum *in collect. can. l.5. c.9.* & Ivonem Carnotensem *Decret. part.2. c.19.* Idem mos pro populo quibusdam in locis obtinuit, atque ad vitandum periculum effusionis sanguinis fuit introductus; cùmque

que

que in Anglia potissimùm esset propagatus, illum desendit Ernulphus Roffensis episcopus, cujus epistola ad Lambertum habetur *tom.2. Spicileg.* Observare demum est non semper speciem panis vino consecrato intinctam fuisse, sed maximè pro pueris & infirmis vino communi, aut aquâ intingebatur, ut ita panem siccum faciliùs deglutirent.

Hæc observasse juvabit, ut ita cognoscatur praxim communionis sacro sanguine intinctæ valde posteriorem fuisse ætati Serapionis, & S. Ambrosii; unde nil convincit contra communionem sub unica specie. Quibus addendum, difficile esse ostendere eam praxim in Ecclesiis Alexandrina, & Mediolanensi viguisse.

Nonnulla demum adnotando de domestica communione, hìc in quæstionem revocare nolim, an aliquando utramque speciem domum detulerint fideles, cùm satis sit ostendere unicam etiam panis speciem domi fuisse asservatam. Id primò suadet ratio, nam vinum diutiùs asservatum facillimè acetum evasisset. Deinde id apertè tradit Tertullianus *l.2. ad uxor. c.5.* ubi ipsam adhortans ne post obitum suum maritum duceret infidelem, inter alias hanc etiam habet rationem: *Non sciet Maritus quid secretò ante omnem cibum gustes; & si sciverit, panem non illum esse credet, qui dicitur, scilicet corpus Christi.* Meminit hìc Tertullianus solius panis eucharistici, quod & innuit *lib. de orat. c. ult.* Sed & legendi S. Basilius *ep. ad Cæsar. Patric.* S. Cyprianus *tract. de lapsis* S. Ambrosius *de obit. Satyri Fratris*, &c.

Afferri & hìc posset consuetudo Eucharistiam ad absentes mittendi in signum mutuæ fidei, & concordiæ; quod cùm non facile quis sibi suadeat de eucharistia sub vini specie, si in longinquas regiones fuisset deferenda, propter periculum acescendi, & effusionis, facillimè quis factum concipiet sub sola panis specie. Hujus consuetudinis inter alios testis est S. Irenæus apud Eusebium *l.5. c.24.* Alloquens igitur S. Victorem Papam, qui excommunicaverat Asiaticos lunâ 14. Pascha celebrantes, ait ipsius Prædecessores non id præstitisse, ac ita subdit: *Illi ipsi qui te præcesserunt, quamvis id minimè observarent, ecclesiarum presbyteris, qui id observabant, Eucharistiam transmiserunt.* Videatur ipse Natalis *in Theol. Dogmat. & Moral. de Sacram. Euchar. art.5. propos. 1.*

ARTICULUS XIII.

De SS. Hilario, & Phæbadio.

§. I.

I. SAnctus Hilarius e Galliis oriundus, patriæ suę Pictaviensis civitatis Episcopus anno circiter 355. creatus est. Arianæ Hæreseos acerrimus hostis, persecutionem Catholicę Fidei causâ passus est, e Synodo Biterrensi factione Saturnini Arelatensis Præsulis Ariani in Phrygiam amandatus exul, anno 356. obiit die 15. Januarii anni 367. vel 368. Scripsit adversùs Arianam Hæresim libros XII. *De Trinitate*, quibus XII. Quintiliani libros & stylo imitatus est & numero, ut ait S. Hieronymus in Epistola *Ad Magnum Oratorem urbis Romæ*: item librum *de Synodis* ad Galliarum Episcopos: *In Psalmos* plurimos *Commentarios*, & *In Matthæum*; librum adversùs Valentem & Ursacium; Historiam Ariminensis & Seleuciensis Synodi continentem; qui non est alius ab *Hilarii Fragmentis*, quæ primùm in lucem edidit Clarissimus atque Doctissimus vir Nicolaus Faber Ludovici XIII. Regis Christianissimi Præceptor. Hoc in opere nonnulla deesse, plurima esse perturbata, nemo non intelligit, qui illud legit. Hujus libri meminit S. Hieronymus lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap.100. Edidit etiam S. Hilarius librum *adversus Constantium*, qui & nunc extat inter ejus Opera. Hunc post mortem Constantii scriptum falsò asseruit Erasmus. Quod enim quinquennio antè egerat, cùm SS. Paulinus, & Eusebius Vercellensis, Lucifer Calaritanus, & S. Dionysius Mediolanensis, Ursacii & Valentis factione in exilium deportati sunt, commemorat; quod editum probat illud Opus anno 360. non verò post mortem Constantii. Siquidem laudati Episcopi exilio damnati fuerant anno Christi 355. post Mediolanense Concilium. Deinde inutilis prorsus fuisset ac inepta Constantii persecutionem in Ecclesiam & Catholicos Episcopos moventis, res verò Arianorum promoventis, tam acris reprehensio, si jam tum obiisset. Defunctum enim Principem nunquid ita fuisset allocutus Sanctus Hilarius? *At nunc pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum, qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat: non proscribit ad vitam, sed ditat in mortem: non tradit carcere ad libertatem, sed intra Palatium honorat ad servitutem: non latera vexat, sed cor occupat: non caput gladio desecat, sed animam auro occidit: non ignes publicè minatur, sed gehennam privatim accendit: non contendit ut vincatur, sed adulatur ut dominetur: Christum confitetur, ut neget: unitatem procurat, ne pax sit: Hæreses comprimit, ne Christiani sint: Sacerdotes honorat, ne Episcopi sint: Ecclesiæ tecta struit, ut fidem destruat. Te in verbis, te in ore circumfert, & omnia omninò agit, ne tu ut Deus, ita Pater esse crederis. Cesset itaque maledictorum opinio & mendacii suspicio: Veritatis enim ministros decet vera proferre*, &c. Et infrà: *Proclamo tibi, Constanti, quod Neroni locuturus fuissem, quod ex me Decius & Maximinus audirent: Contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sævis, Sanctos persequeris, prædicatores Christi odis, Religionem tollis, Tyrannus non jam humanorum, sed divinorum . . . . Christianum te mentiris, Christi novus hostis es. Antichristum prævenis, & arcanorum mysteria ejus operaris. Condis Fidem, contra vivens: Doctor profanorum es, indoctus priorum Episcopatus tuis donas, bonos malis demutas: Sacerdotes custodiæ mandas, exercitus tuos ad terrorem Ecclesiæ disponis: Synodos contrahis, & Occidentalium Fidem ad impietatem compellis: conclusos urbe unâ minis terres, fame debilitas, hyeme conficis, dissimulatione depravas. Scelestissime mortalium, omnia persecutionis mala ita temperas, ut excludas & in peccato veniam, & in confessione Martyrium. Sed hæc ille Pater tuus artifex humanarum mortium docuit, vincere sine contumacia, jugulare sine gladio, persequi sine infamia, odire sine suspicione, mentiri sine intelligentia, profiteri sine fide, blandiri sine bonitate, agere quod velis, nec manifestare quæ velis.* Nec movere nos debet quod S. Hieronymus in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum* dicat, Hilarium librum *adversùs Constantium* post ejus mortem scripsisse: nam vel de alio adversùs illum Imperatorem libro, qui exciderit, loquitur S. Hieronymus: vel Constantio adhuc vivente scriptus est, post ejus verò obitum promulgatus; quod S. Hieronymum fefellit. Cum *Auxentio* Mediolanensi Episcopo Ariano anno 364. congressus, *Gesta contra Auxentium* edito libello vulgavit.

Epistola ad Abram filiam, verè est Sancti Hilarii,

rii, cui a Fortunato tribuitur: nec enim verisimile est fuisse ab ipso Fortunato suppositam, ut existimavit Gillotius, qui Editionem Operum S. Hilarii curavit anno Christi 1570.

Quanto in pretio habuerit Ecclesia S. Hilarii libros, Patrum testimonia probant, qui doctrinam ejus commendarunt. S. Hieronymus eum *Latinæ eloquentiæ Rhodanum* appellat (Præfatione in 2. lib. Commentar. ad Galatas.) Ejus libros *inoffenso decurri pede*; & ex eorum esse numero *in quorum libris pietas Fidei non vacillet*; scribit Epistolâ 7. ad Lætam. *Ecclesiæ Catholicæ adversùs Hæreticos acerrimum defensorem* vocat Sanctus Augustinus, lib. 1. contra Julianum Pelagianum, cap. 3. Et *non mediocris auctoritatis in tractatione Scripturarum, & assertione Fidei virum*, (lib. 6. de Trinitate, cap. x.)

S. Hilarii Stylus.

Quòd stylum ejus spectat, ipsum elatum esse, & ob periodorum prolixitatem involutum, notat Sanctus Hieronymus Epistolâ 13. ad Paulinum. *Sanctus Hilarius*, inquit, *Gallicano cothurno attollitur, & cùm Græciæ floribus adornetur, longis interdum periodis involvitur, & a lectione simpliciorum fratrum procul est.* Nonnullos in Sancti Hilarii libris nævos Critici tùm Catholici, cùm Heterodoxi adnotarunt: Sed quorum nullus impediat quin pede inoffenso (ut Sanctus Hieronymus dixit) percurrantur: quia vel Fidei summam non spectant illa in quibus lapsus est: vel ab iis revera fuit alienus erroribus, quos ejus testimonia verbis tenus adstruere videntur.

S. Hilarius Christum doloris omnis sensûs expertem non sensit.

II. Adversùs ejus Doctrinam Dallæus, Rivetus, aliique Heterodoxi objiciunt, quòd Christum doloris omnis sensûs expertem, nullisque passionibus dolorem inferentibus affectum senserit, lib. 10. de Trinitate. *Homo itaque* (inquit) *Jesus Christus unigenitus Deus per Carnem & Verbum, ut Hominis Filius, ita & Dei Filius Hominem verum, secundùm similitudinem nostri hominis, non deficiens a se Deo sumsit: in quem quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descinderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret; afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent, ut telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aëra vulnerans, omnes quidem has passiones natura sua infert, ut perforet, ut compungat, ut vulneret: Sed naturam suam in hæc passio illata non retinet, dum in natura non est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aëra vulnerari, quamvis natura teli sit vulnerare & compungere, & forare. Passus quidem Dominus Jesus Christus, dum cæditur, dum suspenditur, dum configitur, dum moritur; sed in Corpus Domini irruens passio, nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exercuit, cùm & pœnali ministerio illa desæviit, & virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se sævientis excepit. Habuerit sanè illud Domini Corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturæ habet ut calcet undas, & super fluctus eat, & non degravetur ingressu, neque aquæ insistentis vestigiis cedant, penetret etiam solida, nec clausæ domus obstaculis arceatur. At verò si Dominici Corporis sola ista natura sit, ut sua virtute, suâ anima feratur in humida, & insistat in liquidis, & extructa transcurrat, quid per naturam humani corporis concepta ex Spiritu Sancto caro judicatur? Caro illa, id est, Panis ille de cœlis est: & Homo ille de Deo est; habens ad patiendum quidem corpus, & passus est; sed non habens naturam ad dolendum.*

Claudianus Mamertus lib. 2. *De Statu Animæ*, censet Sanctum Hilarium verè illa in opinione fuisse. *Sed quando* (inquit) *Sanctus Hilarius opinionis hujusce vitium virtute confessionis abolevit, sic sustinet reprehensionis stylum, quod non patitur detrimenta meritorum.* Guillelmus Parisiensis ait, Sanctum Hilarium sententiam suam de insensibilitate Corporis Christi retractasse, eamque a se visam retractationem. Idque ex Guillelmi Parisiensis ore se audivisse testatur Sanctus Bonaventura in 3. Distinctione 16. Art. 1. Quæstione 1.

Rectiùs Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus respondet, Sanctum Hilarium de divinitate intelligendum esse, quam doloris sensus non attigit. *Cùm itaque Sanctus Hilarius ait: Quòd homini assumpto a Filio Dei ictus & vulnera passionem afferrent, non tamen dolorem passionis inferrent, ut si telum aquam perforet*, &c. *idem est ac si diceret: Homo assumptus impetum passionis, & vim doloris sensit, Deus assumens non sensit. Et hoc paulò post declarat dicens: Virtus corporis, id est, divinitas assumens ipsum corpus, sine sensu pœnæ, quantùm ad ipsam attinet, vim pœnæ in se, id est, in carne assumpta desævientis excepit. Quod si virtus corporis magis robur ipsius corporis hoc in loco intelligenda est, eadem sententia in cæteris manet, ut sit sensus: Virtus corporis sine sensu pœnæ, quantùm ad assumentem divinitatem; vim pœnæ in se desævientis excepit, quantùm ad assumptam humanitatem. Et hoc locutionis genere revera, & salva Christiana Religionis fide, dici potest, quia Christus, sive Corpus Christi, in cruce patiebatur, & non patiebatur, dolebat, & non dolebat; moriebatur, & non moriebatur, & in hunc modum multa numeroque carentia. Alioqui si præfatus Doctor contra usitatissimam Ecclesiæ Fidem, contra omnium SS. Patrum definitionem, Carnem Christi insensibilem & doloris expertem intelligi voluisset, assumptam a Filio Dei hominem similem nobis in prædicta sententia minimè retulisset. Quæ enim similitudo sensibili & insensibili, dolenti & doloris experti?* Hæc Lanfrancus adversùs Berengarium, errorem de insensibilitate Corporis Christi Sancto Hilario objicientem scripsit, *Epistola ad Romoaldum Pictaviensem Abbatem*, relata a Baronio, Tom. 2. Annalium ad annum 1088. Hanc fuisse Sancti Hilarii mentem ostendit, tum argumentum quod tractabat; de Christi enim divinitate agebat adversùs Arianos, qui Deum verum & consubstantialem Patri non esse Christum contendebant, quòd passionibus corporis & dolori obnoxius fuisset. Ad hanc autem objectionem solvendam satis erat sensum doloris a divinitate removere. Hæc Sancti Hilarii sententia illustratur ex eodem Patre Capite 31. in Matthæum contra Arianos ita scribente: *Volunt enim ex infirmitate corporis animam spiritui adhærere, ac si virtutem illam incorrupta substantia, imbecillitatis suæ forte assumptio carnis infecerit, & æternitas naturam fragilitatis acceperit. Quæ si ad metum tristis est, si ad dolorem infirma, si ad mortem trepida: jam & corruptioni subdita erit, & incidet in eum totius infirmitatis affectio. Erit ergo quod non erat, de angore mœsta, de timore solicita, de dolore perterrita..... Et infra: Sed eorum omnis hic sensus est, ut opinentur metum mortis in Dei Filium incidisse, qui asserunt, non de æternitate esse prolatum, neque de infinitate paternæ substantiæ extitisse, sed ex nihilo, per eum, qui eum creavit, effectum, & ideò in eo doloris anxietas, ideo spiritus passio cum corporis passione. Ideò metus mortis, ut qui mortem timere potuit, & mori possit. Qui verò mori potuit, licèt in futurum erit, non tamen per eum qui se genuit ex præterito sit æternus.*

Sanè *Sanctum Hilarium* tum in cap. 31. *Sancti Matthæi*, tum libro 10. *De Trinitate*, ubi metum, dolorem, tristitiam aliasque humanæ infirmitatis affectiones a Christo removere videtur, contra Hæreticos, qui hæc ad ipsius Divinitatem referebant, confligere certissimum est. Nam priori quidem loco declarat, se in eos agere, quorum

Ea

Xx opinio est, quòd cadere propter se mœstitudo in Deum potuerit, sumque futura passionis metu fregerit, quia dixerit, Tristis est anima mea usque ad mortem, & qui volunt ex infirmitate sorporis ærumnam spiritui adhærere. Et lib.10. *De Trinitate*, eos sibi debellandos proponit qui volebant Christum *Non in natura impassibilis Dei fuisse; ut qui timuit & doluit, non fuerit in ea potestatis securitate qua non timet, vel in ea Spiritus incorruptione qua non dolet, sed inferioris a Deo Patre natura, & humana passionis trepidaverit metu, & ad corporalis pœna songemuerit atrocitatem.* Atqui Hæreticos hujusmodi oppugnare, quid aliud est quàm propugnare Christum secundùm humanam naturam passum fuisse? *Cùm enim duplex & ambigua sit opinio, divinitasne an humanitas passa sit; unius rejectio, alterius erit confirmatio;* (inquit Sanctus Gregorius Nyssenus Oratione 5. *contra Eunomium*, laudatus a Theodoreto Dialogo 3.) Nostras igitur infirmitates ab una Christi Divinitate Sanctus Hilarius removet. Unde cap.31. in Sanctum Matthæum ait: *Mori igitur nihil in Deo potuit, neque ex se metus Deo ullus est.* Cur addidit, *ex se*, nisi quia ex parte humanæ naturæ cui Deus in Christo hypostaticè conjunctus est, & mortem & metum Deo esse potuisse minimè dubitavit? Et lib.10. *De Trinitate*, Num.67. *Passus quidem est Unigenitus Deus quæ homines pati possunt.* Et Num. 47. asserit eum *Secundùm hominem pro nobis infirmum omnia pati, sed secundùm Deum in his omnibus triumphare.* Verbum passum esse non negat ratione carnis assumptæ, sed solùm docet passione demutatum non fuisse. Ita mentem suam explicat libro *De Synodis*, Num.40. dum ad Sirmiensis Concilii Canonem 12. subjicit: *Absolutè ostenditur, cur Verbum, licèt caro factum sit, non tamen translatum fuerit in carnem. Cùm enim has passionum genera infirmitatem carnis afficiant, Deus tamen Verbum caro factus non potuit in se demutabilis esse patiendo. Non enim idipsum est pati & demutari: quia omnem carnem passio cujusque generis demutet sensu, dolore, tolerantiâ. Verbum autem quòd Caro factum est, licèt se passioni subdiderit, non tamen demutatum est passibilitate patiendi. Nam pati potuit, & passibile esse non potuit: quia passibilitas naturæ infirmis significatio est; passio autem est eorum quæ sint illata perpessio: quæ quia indemutabilis Deus est, cùm tamen Verbum Caro factum sit, habuerunt in eo passionis materiam sine passibilitatis infirmitate. Manet itaque indemutabilis etiam in passione natura: quia Auctori suo indifferens ex impassibilis essentia nata substantia est.*

Aliâ ratione exponi potest Sancti Hilarii locus, dicendo, quòd res est, ipsum a Christo solùm excludere doloris necessitatem, non veritatem: vel, solam doloris causam, & meritum, scilicet peccatum: vel, turbationem ex dolore, quæ animum è suo statu dimoveret, ut exemplo Martyrum probat: vel, dolorem qui ex infirmitate procederet. Id ex totius loci serie perspicuum est. *Anne metuit*, inquit, *qui armatis ad corripiendum sese obvius prodiit? Et in corpore ejus infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata persequentium agmina consederunt? Quam igitur infirmitatem dominatam hujus Corporis credis, cujus tantam habuit natura virtutem?* Et paulò infra, loquens de aure Malcho restituta: *Producitur ergo*, inquit, *hac aurem manus clavum dolet? Et sentit sibi vulnus, qui alteri dolorem vulneris non reliquit? compungenda carnis metu tristis est, cujus attactui carnem licet donare post cædem. Quòd si hæc in Christi Corpore virtus fuit: qua rogo fide naturaliter infirmus fuisse defendetur, cui naturale fuit omnem humanarum infirmitatum inhibere naturam?* Et ibidem: *Collatis ergo dictorum atque gestorum virtutibus, demonstrari non ambiguum est, in natura ejus corporis infirmitatem naturæ corporeæ non fuisse, cui in virtute natura fuerit omnem infirmitatem corporum depellere, & passionem illam, illata licèt corpori sit, non tamen naturam dolendi corpori intulisse. Quia quamvis forma corporis nostri esset in Domino, non tamen vitiosæ infirmitatis nostræ forma esset in corpore, quod ex conceptu Spiritus Sancti Virgo progenuit: quod licèt sexus sui officio genuerit, non tamen terrenæ conceptionis suscepit elementis. Genuit etenim ex se Corpus, sed quod conceptum esset ex Spiritu, habens quidem in se sui Corporis veritatem, sed non habens naturæ infirmitatem: dum & Corpus illud Corporis veritas est, quod generatur ex Virgine: & extra corporis nostri infirmitatem est, quòd spiritalis conceptionis sumpsit exordium.*

Et infra. *Ipsa terrena corpora timere ac dolere interdum nesciunt, quod & dolere necesse est, & timeri. Quæro enim an pastas ad fomenta exæstuanda Babylonica fornacis Israëlita pueri timuerint, & utrùm in illud nostræ conceptionis Corpus metus tanti ignis incesserit. Quæro etiam an circumambiri se flammis doluerint. Sed fortè idcirco quia non altæ sunt, nihil doleant: & tum abfuisse ignibus naturam urendi existimabitur. Certè hæc natura corporis erat, ut & uri se timeret, & posset uri. Quòd si per Spiritum Fidei terrena corpora, id est, secundùm elementa causarum communium initiata, neque uri potuerunt, nec timere: quæ ergo Fidem Dei in hominem contra naturam sunt, ea in Deo homine secundùm virtutem Spiritus ad naturæ originem inchoata, non sunt naturaliter æstimanda.* Doloris itaque & passionum solam necessitatem, quæ ex infirmitate oritur, & ex peccato ortum habet, a Christi Carne Sanctus Hilarius excludit: itaque Sancti Hilarii mens est, quòd pœnæ Christi nullum ipsi doloris sensum intulerint ipsius voluntati contrarium; in quo a nobis differt, qui repugnante voluntate patimur. Ita explicat Philippus Abbas Bonæ-spei. Quæ expositio ut intelligatur, supponendum est, secundùm S. Augustini principia, dolorem, qui dicitur corporeus, non inesse corpori, sed animæ, illumque nihil esse præter quamdam animæ repugnantiam ortam ex eo quòd corpus aliqua patiatur sibi displicentia, sibique invisa: *Dolor carnis* [inquit S. Augustinus] *tantummodò offensio est animæ ex carne, & quædam ab ejus passione dissensio.* Quapropter cùm anima vulneribus corporis attendere non potest, ut in lethargicis accidit, tunc verissimum est Sancti Hilarii effatum, quod teli acies corpus nostrum confodere & transfigere potest, nullum doloris inferendo sensum, sicut si aquam perforaret. At eodem penè modo se res haberet, si animus attendens dolori, ei non repugnaret. Namque non in attentione sola, sed in repugnantia positus est doloris sensus: quæ repugnantia oritur dumtaxat ex reluctantia voluntatis. Adeoque quicquid Sanctus Hilarius loco suprà laudato scribit, eo sensu verum est, quòd voluntas Christi, cùm seipsa omnibus pœnis corpori illatis superior esset, hæ pœnæ atque tormenta nullam inferre poterant illius voluntati repugnantiam; si nullam repugnantiam, nullum itaque dolorem. Quod tamen non obest quin dolorem liberè pertulerit, prout agnoscit Sanctus ille Doctor in Psalmum 68. ad illa verba: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam*: quæ sic enarrat: *Introeuntibus enim aquis usque ad animam, subjectus morti Crucis fiebat: cùm passionum universarum impetus usque ad mortem animam perrumperet ..... Verùm ineuntium harum passionum non aliunde quàm ex assumptione carnis, & virtus*

est & potestas. Non enim incidere in Deum infirmitatum nostrarum terror valebat, aut exercere se nisi in carne corporis nostri, tanquam subjacente materiâ, poterant passiones. Et infra: *Omnis in eum terror desævientis in nos potestatis incubuit. Tunc & pati cœpit, & mori posse....* Et infrà: *Omnia ut homo & patitur, & loquitur.* Denique suam clarissimè sententiam exponit Enarratione in Psalmum 53. *Quòd autem*, inquit, *& in crucem actum unigenitum Dei Filium, & morte damnatum eum, qui nativitate, qua sibi ex æterno Patre est, naturalis & æternus sit, frequenter, imò semper prædicamus; non ex naturæ necessitate, potiùs quàm ex Sacramento humanæ salutis, passioni fuisse subditus intelligendus est, & voluisse se magis passioni subjici, quàm coactum. Et quamquam passio illa non fuerit conditionis & generis, quia indemutabilem Dei naturam nulla vis injuriosa perturbationis offenderet: tamen suscepta voluntariè est, officio quidem ipsa satisfactura pœnali, non tamen in pœna sensu læsura patientem. Non quòd illa lædendi non habuerit, pro ipsa passionis qualitate, naturam: sed quòd dolorem divinitatis natura non sentit. Passus ergo est Deus, quia se subjecit voluntarius passioni. Sed suscipiens naturales ingruentium in se passionum, quibus dolorem patientibus eas necesse est inferri, virtutes; ipse tamen a natura suæ virtute non excidit ut doleret, sequitur enim: Voluntariè sacrificabo tibi*, &c.

Itaque non omnem a Christi Corpore infirmitatem removet S. Hilarius, sed tantùm dominantem. Hinc lib. 10. *De Trinitate*, Num. 27. ait: *Quam igitur infirmitatem dominatam hujus corporis credis, cujus tantam habuit natura virtutem?* Eòdem spectat illud Num. 24. *Assumpta caro, id est totus homo, passionum est permissa naturis; nec tamen ita, ut passionum conficeretur injuriis*; Quasi diceret, Assumptus homo tum secundùm corpus, tum secundùm animam passionibus nostris permissus est, quatenus naturales sunt, non quatenus injuriosæ atque contumeliosæ. Porrò homini naturale est, ut cum patitur corpus, anima motu aliquo moveatur; at quòd motum illum, quoties vult, comprimere non valeat, injuriosum ei, utpote peccati pœna, atque contumeliosum est. Non alia mens ejus fuit, cùm dixit: *Et pro nobis dolet, & non doloris nostri dolet sensu.* Noster quippe dolor necessariò nos pungit, nobisque invitis & reluctantibus dominatur; ipsius verò voluntarius omnino fuit ac sponte assumptus.

S. Hilarius Matrimonii indissolubilitati minimè contrarius.

III. Sanctum Hilarium quidam arguunt, quòd matrimonium ob alterutrius conjugis fornicationem posse dissolvi senserit, c. 4. in Matthæum. *Æquitatem*, inquit, *in omnes concilians, manere eam maximè in conjugiorum pace præcepit: Legi addens plura, nihil demens, nec sanè profectus argui potest. Nam cùm Lex libertatem dandi repudii ex libelli auctoritate tribuisset, nunc marito Fides Evangelica non solùm voluntatem pacis indixit, verùm etiam coacta in adulterium uxoris imposuit, si alii ex discessionis necessitate nubenda sit, nullam aliam causam desinendi a conjugio præscribens, quàm quæ vitam prostitutæ uxoris societate pollueret.* Verùm respondetur, de separatione matrimonii quoad thorum, non solùm ad tempus, quæ ob alias etiam causas fieri potest, sed perpetuâ, quæ ob solam fornicationis causam licet, exponi posse Sanctum Hilarium. Prætequamquod quæstio de indissolubilitate matrimonii, quæ in Sacris Scripturis obscura satis est, tunc temporis nondum erat liquidò disceptata. *In diviniis enim sententiis ita obscurum est, utrùm & iste cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit; ut [quantùm existimo] venialiter ibi quisque fallatur*, (inquit Sanctus Augustinus, lib. 1. *De Nuptiis & concupiscentia*, cap. 10. & lib. 50. *Homiliar.* Homiliâ 49.)

S. Hilarius Animam rationalem corpoream esse non sensit.

IV. Animam rationalem corpoream existimasse videtur Sanctus Hilarius, cap. 5. in Matthæum, *Nihil est*, inquit, *quod non in substantiâ suâ & creatione corporeum sit: & omnium sive in cœlo, sive in terra, sive visibilium, sive invisibilium, elementa formata sunt. Nam & animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exulantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur: quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est.* Sed corporeæ naturæ nomen latiùs usurpasse videtur Sanctus Hilarius, pro eo omni quod finitum est, & compositum. Hoc enim sensu creaturæ omnes, etiam spiritales, ad Deum præsertim comparatæ quodammodò corporeæ dici possunt. Ipsum certè Animam incorpoream sensisse constat ex Tractatu in Psalmum 118. lib. 10. numer. 6. ubi asserit quòd *Homo internam & externam in se naturam dissonantem aliam ab alia contineat, & ex duobus generibus in unum sit animal rationis particeps constitutus.* Qua porrò ratione Homo ex duobus generibus constitutus, qui naturam dissonantem aliam ab alia contineat, si animam corpoream sortitus est? Et rursus ibi Genesis verba, quæ Hominis creationem narrant, accuratè expendens, triplicem distinguit Dei operationem; primam, qua Animam solo verbo, & post habitum quodam modo de ea condenda consilium creaverit; alteram, qua de accepto pulvere formaverit corpus; postremam, qua utrumque copulaverit. De Anima verò subdit: *Primum opus non habet in se assumptæ alterius naturæ originem; incorporale est quicquid tum de consilii sententiâ inchoatur; fit enim ad imaginem Dei.* Quibus verbis disertè significat, neque divinæ, neque alterius substantiæ Animam partem esse, deinde eam esse incorporalem; demum eam ideo incorporalem credendam esse, quia haud dubiè ad imaginem Dei facta sit. Et num. 7. *Divinam*, inquit, *in eo & incorporale condendum; quod secundùm imaginem Dei & similitudinem tum fiebat: Exemplum scilicet quoddam in nobis imaginis Dei est & similitudinis institutum. Est igitur in hac rationabili & incorporali Anima nostra substantia primum quod ad imaginem Dei factum sit*, &c.

Et in Psalmum 129. Num. 6. *Ergo ad imaginem Dei Homo interior effectus est rationabilis, nobilis, movens, incorporeus, subtilis, æternus. Quantùm in se est, speciem naturæ principalis imitatur, dum transcurrit, dum circumvolat, & dicto citiùs nunc ultra Oceanum est, nunc in cœlos evolat, nunc in abyssis est, nunc in Orientem Occidentemque perlustrat, dum numquam ut non sit aboletur (Natura quidem Dei in his omnibus est) neque ut alibi adsit, decedit aliunde. Sed Anima humana in hac sensus sui mobilitate ad imaginem Opificis sui facta est, dum naturam Dei mobilitas Animæ perennis imitatur, nihil in se habet corporale, nihil grave, nihil caducum.*

S. Hilarius Petri negationem benignus excusat.

V. Negationem S. Petri benignus excusat, majorique in Apostolum pietate, quàm veritate: quòd scilicet Deum non negaverit, sed hominem. *Sciebat* (inquit cap. 31. in Matthæum) *exterrendos, fugandos, negaturos* [Discipulos suos]: *sed quia Spiritûs blasphemia nec hic, nec in æternum remittitur, metuebat ne se Deum abnegarent, quem cæsum, & consputum, & crucifixum essent contemplaturi. Quæ ratio servata in Petro est, qui cùm negaturus esset, ita negavit: Non novi hominem.* Et Cap. 32. *Et verè propè jam piaculo hominem negabat, quem Dei Filium primus agnoverat.* Hanc sententiam Hilarii tacito nomine refellit Sanctus Hieronymus, lib. 4. Commentar. in Matthæum: *Scio*, inquit, *quosdam pii affectus erga Apostolum*

Pe-

Petrum, locum hunc ita interpretatos, ut dicerent, Petrum non Deum negasse, sed hominem; & esse confessum: Nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quàm frivolum sit, prudens lector intelliget, si defendunt Apostolum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim iste non negavit: ergo mentitus est Dominus, qui dixerat: Amen dico tibi, quia hâc nocte, antequam gallus cantet; ter me negabis. Certe quid dicat: Me negabis, non hominem.

Moysen nondum esse mortuum sensit.

VI. Moysem nondum esse mortuum asserit Sanctus Hilarius Cap.20. in Matthæum, eumque postremi adventûs Christi cum Elia fore præcursorem. Quod repugnat Scripturæ Sacræ Deuteronom. cap. ultimo: *Mortuus est*, inquit, *Moyses in terra Moab jubente Domino*.

VII. Non solùm animam, sed & divinitatem a Christi morientis corpore recessisse, innuere videtur, Cap.33. in Matthæum. *Clamor verò ad Deum, corporis vox est* [inquit,] *recedentis a se Verbi Dei contestata dissidium. Denique cur relinquatur, exclamat dicens: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Idem post S. Hilarium asseruerunt e Græcis Sanctus Epiphanius Hæresi 69. quæ est Arianorum, §. 62. e Latinis Sanctus Ambrosius, lib.10. in Lucam, Num.127. ubi illud S. Matthæi, *Clamans voce magna emisit spiritum*, interpretatur; & *Leporius* in Libello Emendationis, cui *Sanctus Augustinus*, & alii Episcopi Africani subscripserunt. Unde Hæreseos illam opinionem nemo leviter accuset, quamvis certa sit & inconcussa Theologorum sententia unanimis, qui nec triduò mortis Verbum a corpore Christi separatum fuisse propugnant, freti auctoritate S. Athanasii, lib. *De salutari Adventu Jesu Christi*; Sancti Gregorii Nysseni, lib.2. *contra Eunomium*, pag.55. & in Epistola *ad Eustathiam & Ambrosiam*. Sancti Augustini Tract.67. *in Joannem*, Epistolâ 57. *ad Dardanum*, & lib. contra *Felicianum Arianum*, cap. 24. S. Fulgentii lib.3. *ad Trasamundum*, cap.16. & *in Responsione ad Quæstionem I. Ferrandi*. Item ipsius Ferrandi *in Epistola ad Severum*. Sancti Joannis Damasceni, lib.3. *de Fide Orthodoxa*, cap.27. Sancti Bernardi, lib.5. *de Consideratione*, cap.9. ac denique Magistri Sententiarum, & S. Thomæ. Hinc celebre illud, quo Scholæ personant, effatum: *Quod semel Verbum assumsit, numquam dimisit*. Explicari tamen potest *Sancti Hilarii* sententia eo modo quo *Petrus Lombardus*, lib.3. sententiarum, Dist.40.§.2. *Sancti Ambrosii* verba explicat, dicendo hoc eum tantùm voluisse, Divinitatem se se a carne separasse subtrahendo protectionem, non solvendo unionem; seu *Separasse se foris ut non adesset ad defensionem, sed non defuisse intus ad unionem: Si enim non ibi cohibuisset potentiam, sed exercuisset, non moreretur Christus*. Quòd autem eam Christi derelictionem intellexisse videatur *Sanctus Hilarius*, quæ necessaria erat ut mori posset, declarat ibidem in hunc modum: *Denique cur relinquatur, exclamat dicens, Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? sed relinquitur, quia erat etiam morte peragendus*. Quòd autem hoc illæsa Verbi & Carnis substantiali unitione dixisse videatur, illustratur ex eodem Commentar. cap.3. Num.2. ubi ait: *Cùm esuriit Dominus, non inedia subrepsit operatio; sed virtus illa quadraginta dierum non motu jejunio natura sua hominem dereliquit*. Nemo certè suspicetur, Sanctum Hilarium hanc derelictionem, quâ hominem, ut esurire posset, naturæ suæ a Verbo derelictum esse docuit, substantiali separatione factam existimasse; Quidni eâdem ratione censeatur, ejusdem hominis derelictionem, ut mori posset, salva & incolumi substantiali conjunctione prædicare? Accedit ad hujus responsionis confirmationem, quòd cùm Spiritus nomine divinam naturam propè ubique intelligat *S. Hilarius*, libro tamen X. *De Trinitate*, Num.61. contendat eam his verbis, *Tradidit spiritum*, nullo pacto intelligi posse. *Nam spiritu*, inquit, *frequenter significari animam non ambiguum est, vel ex hoc ipso, quòd Jesus moriturus tradidit spiritum*. Quare *vel ex hoc ipso* non ambiguum est, nisi quia certum est solam Animam, non etiam Divinitatis substantiam seu personam Verbi a Christi morientis Corpore recessisse? Denique Christum numquam divisum esse, acerrimè propugnat, libro 10. *De Trinitate*, a Num.51. ad 65. explicans illa verba Christi, *Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Hæreticos qui his abutebantur, appellat *Christum tripertienter in Verbum, & Animam, & Corpus*. Fidei Ecclesiæ se adhærere profitetur, quæ Apostolicis imbuta Doctrinis, *Novit in Christo nativitatem, sed ignorat exordium; scit dispensationem, sed nescit divisionem, nec tripertita Christum Fidei scindit, cujus desuper texta vestis inscissa est, ut Jesum Christum & in Verbum, & in Animam, & in Corpus incidat*. Unum esse Jesum Christum & Dei Filium, & Hominis Filium, & passum, & mortuum, & sepultum, & resurgentem, & in cælos receptum: Spoliatam carnem Christum esse mortuum, & Christum a mortuis se excitantem eumdem esse Christum carne se spoliantem: Unum Christum Jesum esse, qui utrumque est. Quomodo verò unus est mortuus & a morte redivivus, si persona Verbi in morte a corpore abscessit?

Divinitatem à Christi morientis Corpore recessisse, quo sensu dixerit S. Hilarius.

VIII. Omnes postremo die per ignem purgandos & ipsam Deiparam Virgineos judicii severitatem experturam, asseruit Sanctus Hilarius Enarratione in Psalmum 118. ad illa verba: *Concupivit anima mea ut desiderem justitiam tuam in omni tempore*. Sic enim ait: *An cùm ex omni otioso verbo rationem simus præstituri, diem judicii concupiscemus, in quo nobis est indefessus ignis obeundus; in quo subeunda sunt gravia illa expiandæ a peccatis animæ supplicia? B. Mariæ animam gladius pertransivit, ut revelentur multorum cordium cogitationes: Si in judicii severitatem capax illa Dei Virgo ventura est, desiderare quis audebit a Deo judicari?*

IX. Primi hominis animam ante corpus a Deo conditam opinatus est Sanctus Hilarius Enarratione in Psalmum 129. *Deus*, inquit, *cùm pulcherrimum Opus perfecto jam mundo inchoaret, & hominem scilicet ad imaginem sui faciens, eum ex humili natura cœlestique composuit, animâ videlicet atque corpore. Et prius quidem animam divino illo & incomprehensibili nobis virtutis suæ opere constituit. Non enim cùm ad imaginem Dei Hominem fecit, tunc & corpus effecit. Genesis docet longè posteà quàm ad imaginem Dei Homo erat factus, pulverem sumptum, formatumque corpus, &c.*

X. Angelos ante mundum corporeum creatos fuisse sensit, quod etiam plerisque Veterum visum est. *Quid enim* (inquit lib.12. de Trinitate) *quid enim magnum est, ut ante terram Deus Dominum Christum genuerit, cùm Angelorum origo terræ creatione reperiatur antiquior?*

XI. In Hebraicorum nominum interpretatione interdum lapsus est Sanctus Hilarius ob Hebræi sermonis ignorantiam. Qui nec Græcis literis satis imbutus erat, ut Græcorum Commentarios per se intelligere posset, ut testatur Sanctus Hieronymus Epistolâ 141. ad Marcellam, ubi de explicatione Psalmi 126. differens, & quærens qui sint *filii excussorum*, Sancti Hilarii Commentarium improbat, qui excussorum filios credentium populos interpretatus est, & excussores Apostolos intellexit, quibus in Evangelio sit præceptum, in

in quamcumque civitatem introierint, & non fuerint recepti, excutere pulverem pedum suorum in testimonium non credentium: ubi autem Marcellam argutè notasse dixit Sanctus Hieronymus, quòd Apostoli potiùs excutientes quàm excussi appellari debuissent, sic suam ab Hilario discessionem excusat. *Tantum Virum, & temporibus suis disertissimum reprehendere non audeo: qui & confessionis suæ merito, & vitæ industriâ, & eloquentiæ claritate, ubicumque Romanum nomen est, prædicatur: nisi quòd non ejus culpæ adscribendum est, qui Hebræi sermonis ignarus fuit, Græcarum quoque litterarum quamdam auram ceperat: sed ab Heliodoro Presbytero quo ille familiariter usus est, ea quæ intelligere non poterat, quomodo ab Origene essent dicta, quærebat. Qui quia in hoc Psalmo Commentarium Origenis invenire non potuit, opinionem magis insinuare suam quàm inscitiam voluit confiteri, quam ille sumptam claro sermone disseruit, & alienum errorem disertiùs executus est.*

§. II.

De Sancto Phœbadio.

SANCTUS PHOEBADIUS, sive SOEBADIUS, vel FEGADIUS, (ita enim a quibusdam Auctoribus interpolatum ejus nomen) Agennensis in Aquitania 11. Episcopus anno Christi circiter 360. florebat. Eratque adhuc superstes anno Theodosii Senioris Imperatoris 13. Christi 392. quo S. Hieronymus scribebat Auctorum Ecclesiasticorum Catalogum, ut constat ex cap. 119. quo ejus meminit, librumque ab ipso contra Arianos editum testatur, ut & alia, quæ needum legerat, Opuscula.

SCHOLION I.

IN isto Articulo Num. 3. hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Indissolubilitas Matrimonii quarto Sæculo non erat omnino clara.*

R. Non dixi simpliciter indissolubilitatem Matrimonii quarto Sæculo non fuisse omnino claram, ut mihi affingitur, sed quæstionem de indissolubilitate Matrimonii, *in casu adulterii*, de qua *Sanctus Hilarius*, nondum fuisse liquidò disceptatam. *Sanctum Augustinum* testem appellavi, ejusque verba protuli.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, Num. 7. pag. 526. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Non est Hæresis dicere, Divinitatem in triduo Christi Corpus deseruisse.*

R. Sententiam a S. Epiphanio, a S. Ambrosio, ab Auctore Tractatûs *De Symbolo Apostolorum*, inter Opera S. Ambrosii, *a Leporio* in libello Emendationis, quem S. Augustinus & Africana Ecclesia approbavit, assertam, cui & S. Hilarius favere aliquando visus est, Hæresim dicere non debui, quamvis probabilior sit, imò certa & inconcussa Theologorum sententia unanimis, qui nec triduo mortis Verbum a Christi Corpore separatum fuisse propugnant, aliorum Patrum longè plurium auctoritate freti. Prior igitur illa sententia dicatur improbabilis, Theologicis rationibus profligata, falsa, non sequenda; non tamen Hæretica, propter Patrum reverentiam, cùm illam Ecclesia ut Hæreticam non damnaverit. Ita sentiunt & Benedictini Monachi Congregationis S. Mauri in erudita Præfatione Operibus S. Hilarii Editionis novissimæ præfixa, §. 4. *Denique*, inquiunt, *cùm consequens sit, ut Verbum animâ dissolutâ a corpore disjunctum fuerit, si animâ tantùm mediante cum corpore fuerit conjunctum; quotquot huic opinioni favent, illi meritò existimentur suffragari. Unde illud etiam consectarium est, ut si Verbum animâ tantum mediante cum carne conjunctum absque ulla Hæreseos nota docere licuerit, dicere pariter licuerit, Verbum animâ recedente a corpore secessisse. Itaque hæc Christi in Cruce morientis verba*, Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? *Quamvis nonnullos Patres pariter cum Hæreticis de Verbi a carne discessione interpretatos esse quis largiatur; non statim tamen ei concedendum est, unius ejusdemque interpretationis eamdem in utrisque fuisse rationem. Quippe hæretici Verbi Divinitatem, quasi infirmam & trepidam ne sibi mors & passio sustinenda essent, a Christo passuro discessisse somniabant: Patres verò qui cum illis consentire videntur, hanc innuunt opinionis suæ rationem, quòd tantam arbitrarentur Divinitatis virtutem, ut mortem quam Christus ad implendum Patris voluntatem subire decreverat, corpori cum ea conjuncto contingere nullo pacto posse existimarent.* „ Nam „ cùm divinitas mortis libera sit, utique mors „ esse non poterat nisi Vita discederet; quia „ Vita Divinitas est (inquit *S. Ambrosius, lib. 10. in Lucam*) *In hoc præterea dissentiunt, quòd Hæretici ante Christi mortem, immo etiam ante passionem, Catholici verò in ipsa dumtaxat morte Verbum a corpore separatum prædicarint. Unde libellus Leporii monet in verbis*, Quare me dereliquisti? „ *positum esse* præteritum pro futuro: *Et S. Epi-* „ *phanius observat, hanc carnis vocem non ad se-* „ *paratam, sed* ad conjunctam Divinitatem *esse*, & cùm jam in procinctu quodam esset, ut san- „ ctum corpus desereret. *Postremò S. Epiphanius, Leporius, aliique Catholici asserunt, Verbi cum anima Christi, etiam morte intercedente, conjunctionem illæsam permansisse. At Hæretici totum Hominem Christum a Divinitate desertum ac separatum esse contenderunt.*

Nota.

RE vera quæstio de indissolubilitate matrimonii in casu adulterii, non levem peperit quandoque difficultatem, tum quia aliqui PP. ob hujusmodi crimen dissolvi judicarunt, alii verò obscuri incertique videntur. Inter primos adnumeratur Asterius Amasenus episcopus, & Theodoretus; quibus concordes postea fuere quædam Imperatorum leges. Unde talem extitisse legem etiam S. Chrysostomi ætate, nempe sæculo quarto, ipse testatur hom. in illud Apost. 1. ad Cor. 7. *Mulier alligata est legi &c.* quanquam ibidem legem ecclesiasticam repugnasse apertè profiteatur. Hujusmodi Imperatorum leges habentur in Codice *l. Consensu, & l. Constante de Repud.* Sed *aliæ sunt leges Cæsarum*, ait S. Hieronymus ep. 30. *aliæ Christi. Aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit.* Ex istis nihilominus civilibus legibus non parum roboris additum corruptæ Græcorum praxi matrimonium ratione adulterii dissolventium, quidam opinantur; atque episcopos suo silentio abusum hunc tolerasse, ne viderentur Principum leges improbare. Etiam sæculo decimo sexto quibusdam non satis patere visum est in casu adulterii matrimonii vinculum non posse dissolvi, unde Caietanus *Comment. in capit. 19. Matth.* in id propendet, quòd possit propter adulterium dissolvi, & Catharinus *Opuscul. de Matrim. q. ult. & lib. 5. Annot. cont. Cajet. in 1a.*

sen-

sententiam de dissolubilitate Matrimonii propter adulterium iu utramque partem agitat.

Nonnulli quidem PP. ut Asterius Amasenus Episcopus, & Theodoretus, sicut dixi, pro dissolubilitate matrimonii steterunt, aliorum verò mens apparet ambigua. Ita nobis exhibetur obscura Origenis sententia *Commentario in Matthæum*, nam quamquam contra legem Scripturæ esse dicat, si mulier vivente viro alteri nubat, postea videtur adulterii causâ connubii dissolutionem admittere; ac ancipitem se ostendit, an propter alias gravissimas causas, v. g. propter veneficium, viro fas sit uxorem dimittere. Videtur etiam subobscurè in hac quæstione loqui S. Chrysostomus *hom. 19. in cap. 7. prioris ad Corinthios*; ni benigne ipsum interpretari velimus de separatione quoad thorum, & cohabitationem, quando ibi dixit *per fornicationem nuptias esse dissolutas*: ac ita interpretandum suadent quæ diversis aliis in locis idem S. Doctor de matrimonialis vinculi indissolubilitate pronunciat. Vix etiam quisque definiat quæ fuerit S. Basilii sententia, quanquam enim *hom. 7. in Hexaemeron*, *lib. de Virginit. circa med. & can. 48. Ep. ad Amphilochium* catholicam doctrinam tradere videatur, nihilominus *can. 9.* ejusdem epistolæ incerta redditur ipsius mens; nam eam fatetur invaluisse consuetudinem, ut viris liceret dimittere uxores adulteras, non verò uxoribus. Quærens deinde an si uxor contra receptam consuetudinem virum dimitteret, postea cum eo cohabitando foret adultera, & an vir dimissus ad aliam accedens esset adulter, de muliere respondet: *nescio an possit adultera appellari*; & de viro dicit eum *sic relictum, esse veniâ dignum, & eam qua cum ipso cohabitat, non ideo condemnari*. Porro si certò credidisset S. Basilius propter adulterium vinculum matrimonii dissolutum non remanere, timide non respondisset se nescire an mulier rediens ad virum dimissum sit adultera; sicut neque veniâ dignum credidisset virum aliam ducentem, & mulierem cum eo cohabitantem.

Ni etiam velimus dicere cum Petavio *in Not. ad hæres. 59. n. 6.* S. Epiphanii textum fuisse depravatum, nam *n. 6.* ubi catholicè omnino loquitur, obscura omnino ibi est ejusdem sententia; cùm non modò post conjugis mortem, sed eo quoque superstite, si causa legitima intercesserit, alias inire nuptias concedere videatur. Visa etiam est S. Augustino hæc quæstio tam implicata quamvis semper matrimonii docuerit indissolubilitatem, ut *l. de Fid. & Oper. c. 19.* ipsi veniâ dignus visus sit, qui falleretur io judicando, an adulter sit, qui dimissâ adulterâ aliam duxisset. *Et l. 2. retr. c. 57.* hæc habet: *Scripsi duos libros de adulterinis conjugiis, quantùm potui secundùm Scripturas, cupiens dissolvere difficillimam quæstionem. Quod utrùm enodatissimè fecerim, nescio, imo verò me non pervenisse ad hujus rei perfectionem sentio, quamvis multos sinus ejus aperuerim, quod judicare poterit quisquis intelligenter legit.*

Cæterùm, cùm Christus *Marc. 10. 11. & Luc. 6. 18.* absque ulla exceptione adulterii reos conjuges dicat, quoties altero superstite novum ineunt connubium, & S. Paulus *1. ad Cor. 7. 10. & 39.* absolutè pronunciet sola morte conjugale vinculum dissolvi, dum *Matth. 5. 32. & 19. 9.* non vult dimittendam uxorem *exceptâ fornicationis causa*, communiter hanc exceptionem PP. interpretantur de dimissione quoad thorum, & cohabitationem tantùm, ita ut voluerit significare Christus non posse dimitti uxorem ex quacumque levi causa, ut mos erat Judæorum, sed ex sola gravi causa fornicationis. Et re vera, cùm Christus ibi addat: *qui dimissam duxerit, adulterat*, apertè significat ratione fornicationis matrimonii vinculum non dissolvi, eo etenim dissoluto non adulteraret qui duceret dimissam. Irrationabile autem esset ea verba intelligere dumtaxat de ea, quæ innocenter dimitteretur, tunc etenim uxor fornicaria potioris esset conditionis, quàm casta, quia posset ad alias nuptias convolare. Quàm verò communiter PP. catholicam tradant doctrinam passim ostendunt Theologi polemici; atque Arcudius *de Matrimonio cap. 21. &c.* conatur illos PP. Græcos, qui in hac quæstione tunc non definita non satis clarè loquuti sunt, benigne interpretari, quamvis non satis excusabiles omnes ostendisse quidam observaverint.

Quantùm nihilominus Arcudii conatus est laudandus, tantùm imo multò magis criminandus Launoius, qui in Tractatu *de reg. in matr. potest.* perpetuâ usque ad Tridentinum traditione ostendere nititur propter adulterium dari potestatem alias nuptias ineundi. Interim non defuerunt, qui detegentes ipsius pessimam fidem, observatunt Veterum testimonia, quæ clara sunt, & decretoria pro catholica veritate vel omittere, vel turpiter adulterare, aliaque in sensum ab Auctorum mente plane alienum detorquere. Unicum exemplum proferam. Loquendo de Joanne VIII. hæc habet: *Joannes VIII. qui ab anno 873. usque ad 882. romanam gubernavit ecclesiam, in epistola 65. ad Ederedam gentis Anglorum Archiepiscopum sic loquitur: His autem, quos asseris uxores proprias contra præceptum Domini relinquere, præcipimus neque virum ab uxore, neque uxorem a viro nisi causâ fornicationis discedere; quòd si ob aliud discesserit, maneat innuptum, vel innuptam, aut sibi mutuò reconciliari; quoniam dicente Domino, quod Deus conjunxit, homo non separet. Et ideo cùm priorem legitimo sibi matrimonio junctam quisquam deserere nequeat, illi conceditur aliam vivente priore conducere.* His allatis, exclamat Launoius: *Quid clarius, & expressius?* Verùm verba Joannis ea in Epistola ita se habent: *Et ideo cùm priorem legitimo sibi matrimonio conjunctam quisquam deserere nequeat, nulla ratione prorsus illi conceditur aliam vivente priore conducere.* Quid clarius, & expressius pro omnimoda matrimonii indissolubilitate? Quid clariùs & expressiùs ad malam Launoji fidem detegendam?

Illud etiam hìc prætereundum non duxi quòd cùm videret Launojus aliud statuisse Tridentinum ab ea, quam ipse exhibere intendit traditione, ne videatur affingere Tridentino dogma, quod cùm traditione pugnaret, dicit hoc caput meram spectare disciplinam, ac proinde jure suo potuisse Tridentinum eamdem immutare. Verùm hujusmodi figmentum statim innotescit legenti non solùm quæ habet *sess. 24. cap. unic. de matr.* ubi indissolubilem ipsius nexum ex S. Scriptura commendat, sed multò magis canonem 7. qui ita se habet: *Si quis dixerit ecclesiam errare, cùm docuit & docet juxta evangelicam, & apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, anathema sit.* Spectat ne ad disciplinam, vel ad dogma, quod ecclesia docet *juxta evangelicam, & apostolicam doctrinam?* Nonne deinde canon ille editus fuit ad Lutheranos & Calvinistas profligandos? At isti non contra disciplinam, sed contra veram matrimonii doctrinam peccabant. Sed & addendum quòd licèt PP. Tridentini, ita referente Pallavicino *lib. 22. c. 4. num. 27.* canonem primò conceptum immutatum voluerint, ut eo non viderentur Græci aperte damnari, sed lato anathemate Lutherani dumtaxat percelli, qui affirmabant ecclesiam romanam errare, dum docebat propter adulterium matrimonii vinculum non dissolvi; nihilomi-

mi-

minus fidei doctrinam, etsi non explicitè, proposuere. Siquidem in eo canone affirmatur doctrinam de matrimonii indissolubilitate, etiam adulterio interveniente, evangelicæ atque apostolicæ esse conformem: at doctrina evangelica, & apostolica, nonne caput est nostræ fidei? Definitur deinde non errare ecclesiam docentem juxta evangelicam & apostolicam doctrinam matrimonium propter adulterium non posse dissolvi, ex quo necessariò consequitur contra evangelicam & apostolicam doctrinam ipsius dissolubilitatem affirmantes errare. Si propiùs ergo doctrina a Synodo exposita inspiciatur, verè doctrinam fidei esse apparebit, quanquam œconomiæ causâ ab illa expressè tradenda abstinuerit. Et quidem etiam in Synodo Florentina inter quæstiones undecim, quas Latini *sess.* 25. Græcis proposuerunt, una, quam legitimè non dissolverunt, ea fuit, quòd matrimonia intercedente adulterio dirimerent.

Nota.

ALiquos nævos apud SS. PP. occurrere non semel accidit; quapropter non mirandum S. Hilarium, & quosdam alios pro separatione Divinitatis in triduo mortis a carne stetisse; quamvis communiter PP. Verbum nunquam vel carnem, vel animam dimisisse disertissimè affirment, ut apud Petavium *de Incarnat. l.* 12. *cap.* 19. An autem hæc veritas ad fidem pertineat, vel proximè ad fidem accedat, meum non est judicare; at sequentia adnotare non desinam. Primum est SS. PP. ut Arianos, & Apollinaristas erroris convincerent, dum animam Christo detrahebant, ac Verbum pro anima carni Christi fuisse affirmabant, illo usos esse argumento, quòd cùm mors necessariò animæ separationem inducat, si Verbum loco animæ fuisset, carnem deserere oportebat; quod tamen nunquam evenisse, etiam apud ipsos hæreticos nutum esse supponebant. Hoc utitur argumento S. Athanasius adversùs Apollinaristas *lib. de Salut. adv. Jes. Ch.* & S. Gregorius Nyssenus *advers. Eunom. Arian.* Deinde cùm Fides doceat Christum, nempe Dei Filium in sepulcro jacuisse, unde in Symbolo illum mortuum, & sepultum confitemur, huic dogmati aliud de nunquam interrupta unione Divinitatis cum carne, & anima inseparabiliter annexum PP. judicarunt: neque enim sola caro absque Verbi persona Christus dici potuisset, neque verum esset Christum ad Inferos descendisse, si eò sola anima absque Divina Persona commigrasset. Ita ratiocinantur PP. apud Petavium; unde Paulinus Aquilejensis *lib.* 1. *contr. Felic. Urgelitan.* hæc habet: *Quoniam propria Verbi caro erat, qua passa est, ille ubique passus, mortuusque dicitur, cujus propria caro passa, & mortua esse perhibetur; ei qua nunquam post assumptionis Sacramentum impassibilis, & indemutabilis separata Divinitas prædicatur. Ac per hoc Christus Jesus & passus, & mortuus, & sepultus, & resurrexisse secundùm Scripturas Dei Filius veraciter declaratur.*

ARTICULUS XIV.

De Hilario Sardo, Romanæ Ecclesiæ Diacono.

HIlarios e Sardinia oriundus, Romanæ Diaconus Ecclesiæ, cum Sancto Eusebio Vercellensi, aliisque ejectus in exilium, Luciferianorum, cui adhæsit, schismate, & Rebaptizantium errore, confessionis gloriam maculavit; quem propterea Sanctus Hieronymus *Deucalionem orbis* appellavit Dialogo adversùs Luciferianos. Hunc Hilarium Auctorem esse Commentariorum in Epistolas Sancti Pauli, jam olim Sancto Ambrosio adscriptorum, quos Remigio Lugdunensi, qui anno 870. florebat, perperam alii tribuerunt, ex Sancto Augustino colligitur. *Sic Sanctus* (inquit) *Hilarius intellexit quod scriptum est. In quo omnes peccaverunt. Ait enim: In quo id est, in Adam; omnes peccaverunt. Deinde addit: Manifestum in Adam omnes peccasse, quasi in massa. Ipse enim per peccatum corruptus est, & omnes quos genuit, nati sunt sub peccato. Hæc scribens Hilarius*, &c. Quę totidem verbis leguntur in Commentariis, cap. 5. Epistolæ ad Romanos. Scripsit verò Hilarius ille, quem Augustinus laudat, sedente Damaso, ut ipsemet disertis verbis testatur in cap. 3. Epistolæ 1. ad Timotheum: *Cùm*, inquit, *totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicitur, cujus hodie Rector est Damasus.* Obiit autem Damasus anno Christi 384.

Hilarius Sardus Auctor Commentar. in Epistolas S. Pauli.

Hujus Operis Auctorem *Sancti Damasi* temporibus proximum fuisse, alia probant argumenta. Patricianos, quorum *Philastrius & Sanctus Augustinus* ut etiamnum superstitum meminerunt, non prætermittit, cùm ultra Sæculum 5. non pervenerint. Cæterorum Hæreticorum, quos impugnat occasione datâ, nullus recentior est. Cùmque in Novatianis, Donatistis, Arianis & Photinianis refellendis frequentiùs ac studiosiùs versetur; Nestorianos verò, Eutychianos, & reliquos sequentium temporum non commemoret, indicio est illum his Hæresibus nondum natis scripsisse. Præterea textum Apostoli subinde citat ex alia Versione ab ea quâ nunc utimur, & Veteris Testamenti testimonia ex Versione 70. Interpretum profert. Ex Auctoribus denique Ecclesiasticis nonnisi *Tertulliani*, *Sancti Cypriani*, *& Victorini* locos adhibet, quorum ultimus *Damasum* æquavit antiquitate.

Ex his facilè ostenditur Commentariorum illorum Auctorem esse Hilarium Sardum Romanæ Ecclesiæ Diaconum. Enim verò non Syracusanus ille Monachus, qui Sanctum Augustinum de quęstionibus Pelagianorum consuluit anno 413. neque ejusdem nominis Episcopus, ad quem literas dedit Augustinus anno 416. post damnatam a Conciliis duobus in Africa Hæresim Pelagianam: neque vel Arelatensis Episcopus, vel Laicus Scriptor Epistolæ ad Sanctum Augustinum *De reliquiis Pelagii*. Omnes enim illi longè post Damasum vixerunt. Sed neque fuit Sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus, ut styli, Versionis Scripturæ, ac doctrinæ diversitas demonstrant: necnon etiam magni illius Hilarii ætas, qui sub Damaso extremam agebat senectutem, tam prolixo elucubrando Operi prorsus imparem. Videtur itaque hujusmodi Commentariorum Auctor non alius fuisse ab Hilarin Sardo Romanæ Ecclesiæ Diacono.

Hos tamen ipsi abjudicat Doctissimus Petavius lib. 1. de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 12. duabus rationibus fretus: Primò quia Auctor ille honorificè de Damaso locutus est, eique communione junctus fuit: quod minimè convenit Hilario Schismatico Luciferiano. Secundò, quia contra Rebaptizantes Schismaticos luculentam dicit sententiam iste Scriptor, in cap. 1. Epistolæ 1. ad Corinthios, ad illa verba: *Gratias ago Deo, quòd neminem vestrûm baptizavi, &c.* *Per hoc*, inquit ille, *arguens & baptizantes, & baptizatos, qui ad injuriam Salvatoris baptismatis ejus gratiam hominibus deputabant, illis dissimulantibus gratia causâ. Sic enim erant, sicut nunc Novatiani, & Donatiani, qui baptismum sibi vendicant, a nostris baptizatos reprobantes, & baptizati ab his gloriantur*

Expenduntur P. Petavii conjecturæ.

tur in personis eorum. Denique Christi nomine abdicato, Novatianos & Donatianos vocari se gloriantur. Quæ verba Catholicæ communionis ac Romanæ cupidum, & retinentem cùm primis arguunt, & ab suspicione schismatis alienum. Non est igitur Commentariorum Auctor habendus illorum Hilarius Luciferianæ partis antesignanus, quem Sanctus Hieronymus *Deucalionem orbis* appellavit.

Hæc equidem viri doctissimi argumenta convincerent Opus illud Hilario Sardo esse abjudicandum, nisi credibilius esset ipsum a Rebaptizantium Hæresi, & Luciferiano Schismate resipuisse, & Sedi Apostolicæ fuisse reconciliatum, ac tandem in pace & unitate Ecclesiæ obiisse. Unde ipsum Augustinus *Sanctum* appellavit. Non mirum itaque quòd ad unitatem Ecclesiæ reversus, honorificè de Damaso locutus fuerit, & sententiam dixerit in Rebaptizantes, quorum errorem ejuraverat.

Non est idem Auctor Commentarii in Epistolam ad Hebræos, ac in reliquas Epistolas.

Commentarius in Epistolam ad Hebræos, non est ejusdem Auctoris ac Commentarius in reliquas Epistolas. In Codice MS. Corbejensis Abbatiæ non habetur. Sed & ab aliis Codicibus MSs. & editis discrepat Codex Corbejensis in cæteras Epistolas, præterquàm in tres priores. *Rabanus Maurus* in Commentario suo ex Patribus collecto ea omnia *Sancto Ambrosio* tribuit, quæ ex Ambrosiastri Commentariis in quinque priores Epistolas petita citat: Sed & in reliquas quicquid inserit sub nomine ejusdem Sancti Doctoris, ea in solo Corbejensi Codice leguntur, ut testantur Editores Doctissimi Ambrosianorum Operum e Congregatione Sancti Mauri O. B. Citantur quoque ab *Ivone Carnotensi* p. 16. Decreti, cap. 84. verba nonnulla ex Prologo Expositionis Epistolæ ad *Philemonem*, quæ nonnisi apud Rabanum, & in Codice Corbejensi leguntur, ut iidem monent. Multa etiam in hoc Auctore desiderantur, quæ a *Lanfranco* tamquam ex Ambrosianis Commentariis in Apostolum proferuntur. Ex quibus colligitur; 1. Opus illud ab Antiquariis interpolatum fuisse. 2. Incertum esse an sit unius vel plurium Auctorum. 3. Variis Paulinarum Epistolarum Commentariis *Sancti Ambrosii* nomen falsò inditum.

II. Istorum Commentariorum Auctorem Pelagianis erroribus esse refertissimum, Jansenius Iprensis lib. 7. *De Hæresi Pelagiana*, cap. 4. & Possevinus *in Apparatu*, perperam asserunt. Equidem aliqua in iis esse non inficior dicta paulò duriùs, & quæ si per se sola spectentur, hanc ingenerare suspicionem possint. Quòd nimirum in cap. 5. ad Romanos, cap. 2. scripserit *Mortem secundam, quæ gehenna est, non redundare in posteros ex Adami peccato; sed solam mortem primam, quæ est animi solutio a corpore.... Gentes in Christum duce natura credidisse, vidisseque sua esse natura quòd crediderint.... Bonos conatus adjuvare Deum, ut nostrum sit velle, Dei perficere.* (In cap. 2. ad Philipp.) *Deum per justitiam unum e duobus pariter accipere, alterum respuere.* (In cap. 9. ad Rom.) *Prædestinationem pendere ex Fidei præscientia.* (Ibidem.) Denique *Deum velle omnes homines salvos fieri, si & ipsi velint.* [In 1. ad Timotheum cap. 2.]

Verum cùm hæc omnia a Patribus Græcis, qui ante Pelagianam Hæresim scripserunt, & præsertim a S. Joanne Chrysostomo, iisdem penè verbis, & ad eosdem locos Apostoli fuerint prolata, quia nondum litigantibus Hæreticis securiùs loquebantur (ut ait Sanctus Augustinus) benigna interpretatione in Hilarii, & in aliorum Patrum Commentariis molliri possunt. Et certè cùm negat mortem secundam, quæ est in gehenna, a primo parente in posteros traduci, nihil vult aliud, quàm non rependi a Deo pœnam sensus originali peccato. Cæterùm ipsum de peccato originali Catholicè sensisse, ex Sancto Augustino constat lib. 4. ad Bonifacium *contra duas Epistolas Pelagianorum*, cap. 14. & ex ista ejusdem Hilarii sententia in cap. 7. ad Romanos: *Diabolus hominem tam propter Adæ, quàm propter ipsius peccatum, in conditione se habere gratulatur.* Gentes autem ait duce natura in Christum credidisse, naturam adjutorio divinæ gratiæ non opponens, neque illud excludens, sed legi solùm Mosaicæ. Quo sensu dixit Apostolus: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Cùm docet conatus bonos a Deo adjuvari, non negat quin ab eodem per gratiam & fidem excitentur. Nec gratiam excludit, cùm velle dicit esse nostrum; sed necessitatem removet. Prædestinationem ex præscientia Fidei pendere, id est prædestinationis effectum ultimum, nempe gloriæ consecutionem, pendere ex proposito Dei vocantis per Fidem Christi. Deum velle omnes homines salvos fieri asserit, si velint; sed non negat voluntatem a Domino præparari, cujus bona voluntas munus est, & tantùm adjuvari ut possint. Gratuitas non esse hujusmodi interpretationes, sed Commentatoris menti consentaneas demonstrant insignes duo ejus loci. Unus ex Commentario in 1. ad Timotheum, cap. 2. *Fides est*, inquit, *quæ dat salutem, quam nisi mens tota susceperit voluntate, non solùm nihil proderit, sed & oberit. Fidei etenim gratia hanc habet potestatem, ut devotis sibi divinam infundat medelam; indevotis verò conferat morbum, per quem totus homo intereat.* Alter locus est ex 2. ad Timotheum, cap. 1. ubi ait: *Neque meritô suô, qui salvantur, neque horum per quos vocantur, sed Dei gratiâ illud donum præstari per fidem Christi.*

Hilarius Sardus Auctor Quæstionum Veteris & novi Testamenti.

III. Hilarius Diaconus Auctor est Operis *Quæstionum Veteris & Novi Testamenti*, quod Tom. 4. Operum Sancti Augustini legitur. Unum esse enimverò Commentariorum in Epistolas Sancti Pauli, de quibus diximus, & Quæstionum harumce Auctorem, demonstrat & ratio temporis, & sententiarum communitas. Quod primum spectat, scribit se elucubrare illud Opus trecentis circiter annis post excidium Hierosolymorum a Vespasiano. Cùm ergo Vespasianus anno Christi LXX. Hierosolyma expugnaverit, colligitur hunc Auctorem edidisse Opus suum anno circiter 370. Scripsit itaque sedente Damaso, sicut Auctor Commentariorum. Nam Damasus sedere cœpit anno Christi 367. obiit verò anno 384. Prætereа refellit argumenta Photini, quem adhuc tanquam viventem alloquitur. Obiit verò Photinus exul in Galatia anno 376. cùm priùs damnatus fuisset Sirmii anno 350. Disputat etiam adversùs Apollinarem, cujus Hæresis Romæ damnata est a Damaso anno 373. Deinde meminit vastatæ Pannoniæ, tanquam recentis cladis. Contigit verò hæc vastatio anno 351. Meminit insuper insignis cujusdam calamitatis non ita pridem toleratæ. *Ecce scimus*, inquit, *laborasse fame Italiam & Africam, Siciliam & Sardiniam.* Fames illa sæviit anno 363. meminit porrò Sardiniæ tanquam patriæ. Sardus igitur credi potest.

Quod spectat secundum, multa continere Quæstiones & Commentarios in eamdem sententiam, evidenter innotescet, si utrumque Opus inter se conferatur: Præsertim verò Quæstio vigesima quarta cum Commentario Capitis XI. primæ ad Corinthios & Quæstio centesima secunda cum Commentario Capitis II. secundæ ad Timotheum. Denique utriusque Operis Auctori eadem verba familiaria sunt. Uterque *diffidentiam* usurpat pro incredulitate, verbum *prævaricandi* activa significatione uterque ponit, verbum etiam *melioriandi*

&

& alia barbarè adhibet. Cùm itaque Commentarios in Epistolas Paulinas Hilario Diacono vindicaverimus; eidem quęstiones in vetus & novum Testamentum sunt adjudicandæ: præter partem quartam, quæ alterius est Auctoris. Habet enim istud opus partes quatuor: quarum prima complectitur 47. Quæstiones ex veteri Testamento: Secunda, quinquaginta ex Novo: Tertia triginta ex utroque mixtim. Quarta ex utroque pariter sexaginta quinque. Tres priores partes unius & ejusdem sunt Auctoris, scilicet Hilarii Diaconi. Quarta nihil aliud est quàm primæ & & secundæ interpolata repetitio, quæ a Jacobo Hemeræo, ex veteri Codice Bibliothecæ Victorinæ Parisiensis, cæteris adjecta est.

Dices. Auctor tertiæ partis Quæstionum scribere se ait, anno mundi sexto millesimo, qui Christi 459. secundùm Græcos: distat igitur annis octoginta & ampliùs ab ætate Auctoris Commentariorum, vivente Damaso scribentis. Præterea, Quæstione 109. Melchisedech dicitur non esse homo; contrarium verò asseritur in Commentariis ad cap. 11. Epistolæ ad Hebræos.

Respondeo eum Patre Garnerio Societatis Jesu Theologo in appendice posteriori ad primam partem Operum Marii Mercatoris Dissertatione 1. cap. 9. transpositis numerorum notis errorem irrepsisse, & pro VI. millesimo legendum IV. millesimo, seu millenario. Quo pacto omnia facilè conciliantur. Quarto enim mundi millenario secundùm Latinos, Quæstiones illæ in vetus & novum Testamentum scribebantur. Nec verisimile est hominem Latinum annos mundi Græcorum more numerasse. Quod spectat diversam de Melchisedecho sententiam, respondeo Commentaria Epistolæ ad Hebræos non esse Hilarii, sed Auctoris alterius Hilario posterioris, qui Commentaria supplevit, quibus decem priora istius Epistolæ capita exponuntur, partim ex Sancto Chrysostomo, partim ex Sancto Hieronymo. Quamobrem mirum videri debet nemini, si de Melchisedecho repugnantia legantur hoc in Opere Quæstionibus in vetus & novum Testamentum.

Pelagiani errores labes ab Auctore Quæstionum in Vetus & Novum Testamentum abstergitur.

IV. Auctor Quæstionum in vetus & novum Testamentum, Pelagianæ in crimen Hæreseos immeritò vocatur a Lovaniensibus, Bellarmino, & Jansenio Iprensi. Objecit huic Auctori Bellarminus, quòd dixerit Quæstione 13. parvulos Sodomitarum a gehenna fuisse liberos, ex quo sequitur ipsos originale peccatum non contraxisse: *Ut*, inquit, *nimis impium facinus Sodomitarum posset adverti, peccatum eorum pervenit usque ad necem filiorum ipsorum, ne de origine illorum signum aliquod remaneret. Nonne provisum est illis, ne diu viventes exempla sequerentur patrum? A gehenna enim liberi sunt, in ulciscentes causa occisi.*

Respondetur, Sodomitarum filios, quamvis gehennæ cum parentibus suis non sint addicti, peccatum originale contraxisse, ex illius Auctoris sententia; sed ab eo plerosque omnes fuisse purgatos Sacramento legis naturæ: quandoquidem Pentapoleos indigenæ verum Deum colebant, licèt in omnem libidinem essent effusi. Quòd si de parvulis quibuscumque etiam legis antiquissimæ Sacramento nondum initiatis, hunc locutum esse Auctorem quispiam pertinaciùs contendat, ab eo solùm gehennæ cruciatu liberos asseruisse dicendum est Sodomitarum filios, qui parentum execrandis sceleribus debebatur: non verò ab alia pœna mitiori, quæ ob culpam primi hominis ipsis inflicta est.

Objiciunt secundò Lovanienses, Bellarminus, & Jansenius, hæc verba ex Quæstione 80. *Neque filii Dei sunt, qui nascuntur, neque filii diaboli.* Sed facilè diluitur hæc objectio. Negat enim solùm homines nasci filios diaboli, eo, quo Manichæi affirmabant sensu, quòd scilicet hominum natura mala esset, & a malo principio exorta. Quare non impugnat Catholicum dogma, quòd *simus naturâ filii iræ*, sed Manichæum solùm, quòd *hominis natura eò usque mala sit, ut neque virtutem capere possit.*

Cæterùm quod de originali peccato, & de ejus in omnes Adami posteros transfusione Catholicè senserit illarum, de quibus disserimus, Quæstionum Auctor, constat ex Quæstione 47. *Promiscuè Propheta locutus est*, inquit, *ut dono Dei indigere significaret; ut sive peccatores, sive justi, Dei misericordiam expectasse noscerentur: peccatores propter delicta propria, ut de funibus mortis eriperentur: justi verò paterno absoluti peccato, delatâ sententiâ datâ in Adam, per quam cuncti tenebantur.* Et Quæstione CXII. expendens illud Davidis oraculum: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, hæc habet: *Nunc hoc adjecto, causam infirmitatis humani generis memorat, quia facile est homini peccare, ut examen circa se Judicis mitiget. Prima enim culpæ facit mentionem, ex qua prævaricando Adam genus humanum obnoxium fecit peccato. Suasu enim & fallaciâ inimici iniquitatem concipiendo, omne semen suum iniquitati subjecit, ut ex eo omnes per traducem geniti, peccato essent obnoxii. Propterea adjecit: Et in delictis concepit me mater mea: ut ab Adam derivatio facta peccati, conceptis & natis impedimento esset ad bonam vitam agendam.*

Objiciunt insuper ex Quæstione 115. hunc Auctorem de gratiæ divinæ auxilio malè sensisse, quia hominem habere in naturâ suâ semen Fidei asserit. Sed catholicam esse hanc sententiam secundùm sensum Auctoris, perspicuum est; cùm Fidei virtutumque semina, ad ejus mentem, nihil aliud sint, quàm potentia ad suscipiendam fidem & virtutes a Deo infundendas. Hanc porrò fidem non accipi a Deo docet, nisi petatur, nec peti, nisi voluntas incitetur ut petat. *Si autem potestatis nostra non essemus* (inquit) *quomodo diceret Dominus; Petite & dabitur vobis: omnis enim qui petit accipit? Si ergo qui vult petere, accipiet, jam non est illud quod solet dici: Non quæ volumus, sed quæ data sunt, habemus; quia voluntas a Salvatore incitatur ut petat & accipiat quod petierit. Fati autem hoc esse dicunt, ut sive petat, sive non petat; fato tamen quod aut malum, aut bonum est, consequatur. Dominus autem hoc excludens, ait: Filia, fides tua salvam te fecit. Non jam fati sit, quando fides percipit beneficium. Et iterum: Si credis, ait, omnia possibilia sunt credenti: in voluntate utique posuit meritum, quia Fidei bonum est, non naturæ. Fides autem rei accedens est, quæ excitat ad exercitium voluntatem, ut quia in natura non est voluntas, quæ in naturâ est, suscepta fide, meritum ei collocet apud Deum. Ita enim est natura hominum sicut lapis, qui cùm ignem non habet in substantia, habet tamen in potentia ..... ita & homo fidem non habet in natura, sed semen Fidei habet, quod nisi fuerit provocatum & excitatum, fructum non dabit, idest, fidem non habebit.* Non alia igitur istius Auctoris mens fuit, quàm Sancti Chrysostomi in cap. 2. Epistolæ ad Ephesios scribentis; *Vides quòd ad virtutem semina habeamus a natura, & unusquisque nostrûm in natura sua habent insitam scientiam virtutis:* quàm Sancti Hieronymi in cap. 2. ad Galatas asserentis, *Neminem non habere semina in se sapientiæ & justitiæ, reliquarumque virtutum:* quàm Sancti Augustini dicentis: *Posse habere fidem, esse naturæ hominum: habere autem, gratiæ esse Fidelium.*

Objiciunt denique huic Auctori, quòd Quæstione 123. dixerit, Adamum conditum fuisse terrenum, sine Spiritu Sancto, sine adoptione in fi-

lium

lium Dei, sine justitiâ, adeoque (ut nonnulli colligunt) sine gratiâ habituali. Verùm non negat Auctor ille Spiritum Sanctum adfuisse Adamo, ipsique concessam fuisse gratiam & justitiam, sed non adfuisse ipsi asserit, sicut Fidelibus adest post Christum glorificatum. Contra eos enim disputat, qui gratiam uberiorem collatam hominibus non fuisse dicebant adventu Christi, quam majoribus olim, & ipsi præ cæteris Adamo. Id patet ex verbis ipsis Quæstionis, quam sic proponit: *Utrùm Adam factus acceperit Spiritum Sanctum, quem peccans amisit, sicut nunc datur credentibus.* Idem patet etiam ex Quæstionis conclusione. *Qui accepit Spiritum Sanctum,* [inquit] *& manet in ejus dilectione, translatus hac vita pergit ad cœlos ad eum, cujus Spiritum habet. Incongruum est enim ut qui hinc exit habens Spiritum Sanctum, apud inferos teneatur. Signum est enim in homine victoria Christi, quâ vicit mortem, Spiritus ejus, ut in quo fuerit Spiritus ejus, ab inferis teneri non possit. Ac per hoc in veteribus Sanctis non ita fuit Spiritus Sanctus, sicut nunc est in Fidelibus, quia exeuntes de sæculo, apud inferos erant ..... Cum Prophetis ergo & justis viris Sanctum fuisse Spiritum non est ambiguum: cum Prophetis propter dispensationem; cum justis verò causâ sanctitatis. Sicut legitur de Sancto Simeone: Quia Spiritus Sanctus,* inquit, *erat cum eo: non ut signum esset adoptionis, sed meritorum ejus gratiâ. Nam filii Dei credentes tunc esse cœperunt, quando manifestatus est Filius Dei, victa morte cunctâ creaturâ. Si autem in Adam, vel in cæteris sic dicatur fuisse Spiritus Sanctus, sicut nunc est in Fidelibus, quare tantum donum dedit Deus, cùm regnum Filii sui dedicavit in nobis?*

Quamvis autem Pelagiani erroris purus sit illarum Quæstionum Auctor Hilarius Diaconus, pluribus tamen infuscatur nævis illud Opus. Melchisedechum Spiritum esse Sanctum asserit, aliaque habet a veritate aliena, dura, & barbara. Lege Censuram Doctorum Lovaniensium illi Operi præfixam, Augustinianorum Operum Tomo IV.

ARTICULUS XV.

De S. Dorotheo Martyre, Victorino Afro, & Tito Bostrensi.

SAnctus Dorotheus Tyri in Phœnicia Presbyter, Martyr objit anno Christi 362. die 5. Junii, anno ætatis 107. Non idem ille est cum Dorotheo Antiochiæ Presbytero, ut existimavit Baronius in Notis ad Martyrologium. Sed nec Antiochensis Presbyter, cujus cum laude meminit Eusebius lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 32. idem est cum Dorotheo Cubiculario Imperatoris Diocletiani, cujus Martyrium describitur ab eodem Eusebio lib. 8. quod contra Blondellum, qui utrumque incautè confudit, luculentissimè probat doctissimus Valesius in Notis ad Eusebium. Primò quia Presbyter ille Antiochensis Martyr non fuit, ut colligitur ex Eusebii silentio, qui id de illo non dicit neque in hoc loco, neque in lib. 8. cap. 13. ubi Ecclesiasticos viros recenset, qui illâ persecutione Martyrium subierunt. Et tamen Lucianum Antiochensem Presbyterum illic nominat: non omissurus utique Dorotheum Magistrum suum, si is Martyrium pertulisset. Deinde Presbyter Antiochenus Dorotheus, vir fuit nobilis, & Magistratum gessit, antequam Presbyter fieret: Alter verò Dorotheus servilis fuit conditionis, utpotè Cubicularius, Eunuchus. Denique prior ille Dorotheus Presbyter fuit temporibus Cyrilli Episcopi Antiocheni, Cyrillus autem sedere cœpit ab anno 4. Imperatoris Probi, mansitque ad annum usque 17. Diocletiani. Fuerit igitur Dorotheus Presbyter circa exordia Episcopatus Cyrilli, id est, sub Probo, aut sub Caro, fieri non potest, ut idem postea fuerit Cubicularius Diocletiani. Neque enim ex Presbyteris Cubicularii fiunt; cum nec Ecclesiastica regula, nec ratio ipsa id ferat. Quippe Presbyteri fiebant maturâ jam ætate. Ad Cubiculum autem Principum pueri aut adolescentes formosi eligebantur. Quòd si dixerit quispiam Dorotheum Principatu Diocletiani factum esse Presbyterum, eadem manet difficultas, quomodò ex Presbytero factus sit Cubicularius. Ex Eusebio enim constat, Dorotheum, dum esset Cubicularius, & in aula Principum versaretur, subiisse Martyrium.

Synopsis de vita & morte Apostolorum, Prophetarum, ac Discipulorum Christi, quæ sub Sancti Dorothei Tyrii Presbyteri nomine excusa fuit in Bibliothecis Patrum, jampridem ab eruditis omnibus obelo transfixa est, quia fabulis & mendaciis scatet. Quorum ecce specimen. Inter Discipulos LXXII. numerat Eunuchum Reginæ Æthiopum a Philippo conversum: Juniam fœminam Episcopum facit: Cæsarem cujus meminit Sanctus Paulus ad Philippenses, scribens Discipulum Christi, & Episcopum appellat, quem non alium fuisse a Nerone certum est.

II. Marius Victorinus natione Afer, qui Rhetoricam Romæ per multos annos professus, tempore Constantii Imperatoris statuam in foro Trajani meruerat, & acceperat, multosque Platonis libros Latinitate donaverat; senex Christi fidem amplexus est, teste Sancto Augustino lib. 8. Confessionum, cap. 2. Inter ejus Opera eminent libri 4. adversùs Arianos *De Sanctissima Trinitate*, scripti more dialectico & valde obscuro, & qui ab eruditis tantùm intelligitur, ut ait Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 112.

III. Titus Bostrorum in Arabia Petræa Episcopus, sub Juliano & Joviano Imperatoribus floruit. Bostrenos hortatus est Julianus ut Titum civitate sub elogio præconis ejicerent. Nam cùm minatus esset culpam se omnem conjecturum in illum & in Clericos ejus si plebs seditionem moveret: Titus libellum ad Principem misit; testatusque est Christianos plebem Gentilium numero adæquare; quiescere tamen illos, & cohortationibus suis obtemperantes, nihil seditiosum moliri. Ex quibus verbis Titum plebi invisum reddere cupiens Imperator, in Epistola quam scripsit Bostrenis, eum insimulavit tanquam calumniatorem civitatis, quòd dixerat illos non sua sponte, sed ipsius hortatu a seditionibus abstinere. Plebemque incitavit ut illum, tamquam hostem publicum e civitate sua expelleret. Hæc refert Sozomenus lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 15. Scripsit Titus Bostrensis tres *adversùs Manichæos* libros, quos Tomo V. Antiquæ Lectionis Henrici Canisii, & in Bibliothecis Patrum legere est. Obiit sub Valente, saltem ante annum 378. (ex Sancto Hieronymo in Catalogo) adeòque non est Auctor Commentariorum in Evangelium S. Lucæ, quæ ipsi tribuuntur, & ex quibus multa laudantur in Catena Patrum Græcorum in eumdem Evangelistam, cùm in iis Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, & Isidorus Pelosiota, qui post Titum floruerunt, nominentur.

Titus Bostrensis non est Auctor Commentarii in Evangelium S. Lucæ.

ARTICULUS XVI.

De Optato Milevitano, & S. Paciano Barcinonensi.

Liber septimus contra Parmenianum Optato Milevit. falsò adscriptus.

I. SAnctus Optatus Milevi in Numidia Episcopus, sub Valentiniano & Valente Imperatoribus floruit circa annum Christi 370. Sex de Schismate Donatistarum libros *adversùs Parmenianum* edidit. Septimus addititius videtur. Nam & sex tantùm Sanctus Hieronymus agnoscit, & sex dumtaxat librorum Optatus ipse proponit argumenta lib. 1. Baronius Cardinalis ad annum Christi 368. pluribus conjecturis tum ex SS. Hieronymo in Catalogo, & Augustino in lib. adversùs Parmenianum, & lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 40. tum ex ipso Opere depromptis, Opus illud Damaso Pontificatum ineunte scriptum fuisse ostendit. Quod si ita est, verba illa (*Damaso Siricius*) a Librario qui Siricii tempore librum secundum descripserit, in Romanorum Episcoporum Catalogo addita esse oportet.

Hujus libri Auctor Catholico Dogmati de peccato originali minimè contrarius.

Auctor libri septimi videri prima fronte potest peccati originalis transfusionem in Adami posteros negasse, his verbis: *Quamvis ab ipsis ad vos videatur hæreditaria macula esse transmissa; tamen in hoc titulo non potestis esse rei cum patribus vestris, secundùm judicium Dei, qui locutus est per Ezechielem Prophetam dicens: Anima Patris mea est, & anima Filii mea est. Anima quæ peccat, sola punietur. Quæ res jam & antiquis sæculis in ipsis natalibus mundi comprobata est: Nam non pertinuit ad Seth filium Adæ patris admissum.* Sed loqui hunc Auctorem de solo peccato actuali constat ex adjunctis. Probandum enim sibi sumit Traditorum crimen in eorum filios non refundi, *Quia Patrum & filiorum & personæ discernuntur, & nomina, inter quas personas si non sit communis culpa, non potest una esse sententia.* Id verò confirmat Ezechielis oraculo. Addit exemplum Adami, cujus peccato Seth non est actu peccator constitutus, sed solùm origine: cùm vir justus fuerit. Hanc autem esse hujus Auctoris mentem, certissimum iis esse debet, qui librum etiam istum septimum Optato adscribunt: siquidem ipse lib. 4. Doctrinam Catholicam de peccati originalis in posteros Adami transfusione egregiè adstruit his verbis: *Nam neminem fugit, quòd omnis homo qui nascitur, quamvis de parentibus Christianis nascatur, sine spiritu mundi esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum ab homine excludi, & separari. Hoc Exorcismus operatur, per quem Spiritus immundus depellitur, & in loca deserta fugatur. Fit domus vacua in pectore credentis, fit domus munda: intrat Deus, & habitat, Apostolo dicente, Vos estis templum Dei, & in vobis Deus habitat.* Denique Ecclesiæ Africanæ communis hæc doctrina fuit, ut constat ex Sancto Augustino, & ex Africanis Conciliis contra Pelagianos. Igitur ille Auctor, si is verè est Optatus, exponendus est secundùm suæ Ecclesiæ Doctrinam, cùm ejus verba benignam interpretationem pati possint.

II. Sanctus Pacianus Barcinonensis in Pyrenæi jugis Episcopus, obiit provectâ senectute, die 9. Martii, Imperante Theodosio Seniore, circa annum Christi 380. Ejus filius erat Flavius Lucius Dexter Præfectus Prætorio, cui suum Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogum S. Hieronymus nuncupavit. Cujus cap. 106. Paciani meminit. Ejus tres Epistolæ contra Novatianos *Ad Sympronianum Novatianum, Paranesis ad Pœnitentiam, & Sermo de Baptismo ad Catechumenos*, leguntur in Bibliothecis Patrum.

ARTICULUS XVII.

De S. Ephrem.

SAnctus Ephrem Edessenæ Ecclesiæ Diaconus, *Orbis Magister* appellatus, vir admirabilis, & præstantissimus Scriptor, cujus virtutes celebrarunt SS. Gregorius Nyssenus in Oratione de ejus Vita, Sanctus Amphilochius, vel alius Auctor sub ejus nomine, in comparatione SS. Basilii & Ephremi, & Sanctus Chrysostomus in Sermone de falsis Prophetis; ad tantam venit claritudinem, ut post lectionem Scripturarum publicè in quibusdam Ecclesiis ejus scripta legerentur. Linguâ Syriacâ scripsit: & cùm Græcas literas non attigisset, multifidos tamen Græcorum errores confutavit, omnesque Hæreticorum fraudes infirmas esse ostendit, (inquit Theodoretus lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 29.) Ejus de Spiritu Sancto volumen Græcâ linguâ donatum se legisse, & acumen sublimis ingenii etiam in translatione se agnovisse, Sanctus Hieronymus testatur in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 115. Ejus homilias 49. recenset Photius in Bibliotheca, Cod. 196. Sermonem *De Humilitate* in centum capita distributum, Orationem *De virtutibus & vitiis ad Ægyptios Monachos*: & supra mille Orationes ab eo editas, Syrorum testimonio confirmat. *In his admonitiis Sancti viri Sermonibus*, inquit Photius, *jure quis admiretur quàm altè penetret persuadendi vis, quantùmque ab his fluat jucunditatis, quàm denique affectuum copiâ referti sint. Oratio tamen ejus ac figura nihil miram, si ad consuetum homiliarum usum, & inelaboratum dicendi genus vergant. Non enim in Auctorem sensuum, sed in horum interpretem ea conferenda culpa. Syriaca enim linguæ periti verbis adeò ac tropis excellere norunt, ut ambiguum sit, ab hisne, an a sensu recondito, tanta ejus dicendi vis atque elegantia proficiscatur. Quamobrem non tam dictionis humilitas admiranda, quàm illud suspiciendum, quomodò per tantam verborum vilitatem tanta salus atque utilitas in legentes effundatur.* Obiit die 1. Februarii anno Christi 378. sub Valente Imperatore.

Stylus S. Ephrem.

S. Ephrem defenditur ab insultibus Riveti.

Sancti Ephremi lucubrationes a Catholicis Auctoribus in lucem editas venenato dente Rivetus arrodit, ipsum arguens quòd contra Scripturas asseruerit damnatos in inferno exclamaturos: *Subvenite omnes Sancti, subvenite Apostoli, Prophetæ, ac Martyres*, &c. Quasi qui in inferis sunt, laudaturi sint Dominum in Sanctis ejus. Sic tamen, inquit, Ephremum insulsè concionantem fingunt in Libello *De variis tormentis inferni*. At pessima fide criticus Calvinista id Ephremo tribuit, cùm Sanctissimus Pater sic loquentes damnatos non inducat, sed potiùs æternum vale dicentes Cœlitibus, suamque dolentes a beata ipsorum societate perpetuam separationem. *Nulla*, inquiunt, *ampliùs nobis miserabilibus reliqua est redemptio. Non jam ampliùs Sanctorum adspiciemus ordines. Non ampliùs lucem illam verum contuebimur. Dicendum quid restabit? Valete justi universi, &c. Postea verò abiturus est unusquisque in præparatum sibi ob prava sua opera tormentorum locum, ubi vermis eorum non moritur, neque ignis extinguitur.*

Ephremi *Testamentum* in dubium revocat Rivetus ob hæc verba: *Nullo modo in tota vita mea adversùs Dominum contumeliosus extiti, nec sermo stultus e labiis meis egressus est; neminem in tota vita mea maledictis oneravi; nec cum ullo planè Christiano homine contentiosum me præbui.* Quæ verba

ba pugnare ait cum Istis ex *Narratione ad Monachos de sua conversione*, quibus fatetur se occidisse juvencam pauperis ferentem uterum, & pauperem illum per summam injuriam contumeliis onerasse; & illis ex Confessione, & sui ipsius reprehensione; *Cùm adhuc juvenis essem*, inquit, *me Christianum professus sum. Verùm paucis, illis annis contumeliosus fui, & percussor, atque seditiosus, & cum vicinis contentiosus, ac invidus in advenas, in peregrinos inhumanus, in amicos durus, in pauperes acerbus; ob res viles ac leves pugnax & immodestus*, &c. quæ cum verbis Testamenti non conveniunt: adeò ut vel illas lucubrationes, vel Testamentum ipsum Ephræmo abjudicare necesse sit. Verùm Testamentum Sanctissimi Patris, quod totum sanctimoniam spirat, & Auctoris humilitatem, ab Heterodoxis Criticis nobis eripi non patiemur, qui propterea illud nobis invident, quòd preces pro Fidelibus defunctis asserat: præsertim cùm laudata ex Testamento Ephræmi verba, aliaque ex eodem Sanctus Gregorius Nyssenus referat & commendet in Oratione de ipsius Vita. Sed facilè adducor ut credam Narrationem ad Monachos de sua conversione, Ephræmi non esse. Id namque demonstrat ipsius exordium: *Sanctus Abbas Ephram accedentibus ad ipsum Fratribus, de seipso utilitatis causâ enarravit dicens*, &c. An ita de seipso locutus fuisset Ephræm? *Confessionem & reprehensionem sui ipsius*, agnosco ut genuinum ejus fœtum, frustra reclamante Riveto, Photio verò asserente, qui Sermones ipsius recensens, ait: *Primus deplorantem ipsum inducit quæ admiserat in vita*. Quibus verbis hunc ipsum libellum designasse perspicuum est. Nequaquam verò pugnant verba ex ea Confessione a Riveto laudata cum Testamento ejusdem Patris: quia potuit esse a contentionibus alienus ex quo perfectioris vitæ institutum amplexus erat, & fuisse nihilominus in contentiones pronus, cùm juventutem ageret. Sicut non pugnant quòd antè conversionem suam supra modum iracundus esset, a nemine verò umquam visus sit iratus ex quo Monasticam Disciplinam excolere cœpit. Plura de S. Ephræm virtutibus, eruditione, & scriptis, lege apud Auctores Ecclesiasticos superiùs laudatos, necnon apud Sozomenum, qui multis de ipso agit lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 16. Valesianæ Versionis.

ARTICULUS XVIII.

De Idatio Claro, Philastrio, & Damaso.

I. IDatius Clarus Hispanus, qui nonnullis idem videtur cum Idacio Sossubensi, seu Osnobonensi, in Hispania Episcopo, qui contra Priscillianum actor fuit ad tribunal Maximi Tyranni, quam ob causam communione privatus est; Librum edidisse adversùs Varimadum dicitur seu Marivadum Arianæ Sectæ, Diaconum, qui Tomo 4. Bibliothecæ Patrum Parisiensis legitur. Sed Opus istud ipsi abjudicant & Vigilio Tapsensi tribuunt Viri Eruditi.

II. Philastrius Brixiensis in Italia Episcopus, quem Sanctus Augustinus initio libri *De Hæresibus*, se vidisse Mediolani testatur, obiit 18. Julii anni 387. Scripsit librum *De Hæresibus*, sive quæ in populo Judæorum fuerunt ante incarnationem Christi, quas 28. numerat, sive quæ post Christi adventum exortæ sunt, quas 128. recenset. Hæresi 63. numerat inde a Christi Natali usque ad sua tempora annos 330. Sed excidisse quinquagenarii notam, & legendum 380. ex Chronologia compertum est.

III. Sanctus Damasus Romanus Pontifex, obiit Theodosio imperante, anno Christi 384. prope octogenarius, cujus elegans in componendis versibus ingenium celebrat Sanctus Hieronymus, & multa quidem, sed brevia Opuscula Heroico metro edidisse testatur in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 103. Plures ipsi Epistolæ suppositæ sunt ab Isidoro Mercatore. Quæ genuinæ sint indicavimus in Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi 1. Dissertatione de veterum Pontificum Romanorum ad Siricium usque Decretalibus Epistolis. Ejus non esse librum de Romanis Pontificibus & Sancti Hieronymi silentium, & squallida barbaraque scribendi ratio satis evincunt.

ARTICULUS XIX.

De S. Basilio Magno.

§. I.

SAnctus Basilius Sancti Gregorii Nazianzeni Athenis & in eremo comes individuus, & amicissimus, Cæsareæ in Cappodocia Episcopus creatus est 14. Junii, anni 369. Arianis, ipsique Valenti Imperatori Fidem Catholicam & Ecclesiam opprimenti fortiter obstitit. Multis libris ad illustrandam propugnandamque veritatem, ad disciplinam firmandam, ad componendos Clericorum, Monachorum, Virginum, totiusque Christianæ plebis mores editis, ad cælum migravit Kalendis Januariis anni 378. Ejus laudes celebravit Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione *De ejus laudibus*, & Theodoretus lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 19. ubi ejus cum Valente congressum describit. Ejus Opera Sanctus Hieronymus recenset in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 116. Ejusdem auctoritate pugnat Sanctus Augustinus contra Julianum Pelagianum. Gaudentius Brixiensis, & Vincentius Lirinensis eumdem laudant, aliique e Veteribus. Photius in Bibliotheca Codice 141. & 191. ejus scripta expendit & commendat.

Liber de Spiritu Sancto, S. Basilio totus vindicatur contra Erasmum.

I. Erasmus partem libri *De Spiritu Sancto* temerè Basilio abjudicavit, levissimis quidem rationibus. Prima est, quòd ejus oratio interdum ad tragicum cothurnum intumescat, nunc rursus ad vulgarem sermonem subsidat. Quasi verò non omnibus Auctoribus hoc familiare sit, ut cùm materia hoc poscit, altiùs Stylum attollant, grandiorique genere dicendi utantur. Nam ut ait ipsè Basilius lib. *De vera ac pia fide*, pag. 251. *Quemadmodum non eadem instrumenta in manus sumat & qui prælium est initurus, & qui colere agrum velit: Similiter nequaquam eodem dicendi genere utatur, & qui in sana doctrina cohortetur, & qui in disputatione sibi repugnantes redarguat. Siquidem aliud est genus dicendi quo utimur in refellendo; aliud, quo in cohortando. Itemque alia eorum simplicitas qui in pace verum pietatem prædicant & confitentur: alii illorum sudores qui adversùs oppositiones falsi nominis scientiæ fortiter dimicant. Quamobrem nos quoque sic disponentes sermones nostros in judicio, ubique sive defendenda sive tradenda simpliciter fides fuerit operam dabimus ut ad subjectam materiam stylum accommodemus: modò videlicet iis qui diabolico astu illam conantur evertere majore cum acrimonia, & contentione refutandis; modò iis qui in ea adsistere voluerint, simpliciùs & ad illorum intelligentiam accommodatiùs ipsam fidem exponendo.*

Secunda ratio Erasmi est, quòd inane quid-

dam habere videatur Auctor posterioris partis libri *De Spiritu Sancto*, velutque ostentet se didicisse quæ Aristoteles *in Prædicamentis*, & Porphyrius in libello *De Quinque vocibus* tradiderunt: idcirco indignum Sancto Basilio censet librum. Quasi verò cùm totius disputationis cardo in exiguarum præpositionum explicatione verteretur, fideique hostes externæ disciplinæ abuterentur præsidiis, non decuerit eruditissimum Patrem, quo gladio illi per ipsius latus Ecclesiam petebant, eodem illos confodere. Sed Erasmus & Theodoreti tum in Dialogo 2. tum in Anathematum Cyrilli refutatione, cùm etiam Euthymii judicio convincitur, qui in sua Panoplia sæpe librum illum *triginta capitum* nominat, ut & S. Joannes Damascenus: quorum testimoniorum pondere Casaubonus Exercitatione 16. contra Baronium adductus est, ut ab Erasmo dissentiret.

Ascetica S. Basilio vindicantur.

II. *Ascetica*, quæ *Regulas breviores & fusius disputatas* complectuntur, nonnulli Eustathio Sebasteno olim tribuerunt, teste Sozomeno lib. 3. cap. 14. perperam quidem: nam a sanctimonia, quæ his in regulis elucet longè alienum fuisse Eustathium, ex Basilii ipsius Epistolis 74. & 82. facilè cognosci potest. Et illud Opus Sancto Basilio asserunt Gregorius Nazianzenus Hieronymus, Rufinus, Cassianus, Justinianus in Edicto, & Photius tum Cod. 141. cùm 191. ubi *Regulas asceticas interrogando ac respondendo propositas numero* 55. & iterum *breviores alias* 313. ut verum & legitimum Basilii fœtum agnoscit, sicque de toto Opere censet: *Legimus B. Basilii Episcopi Cæsareæ Cappadociæ, qui vocantur Asceticorum, libros duos. Utile sanè hoc Opus, si quod aliud, pietatis studiosis, quique æterna illa bona consectantur: maximè verò iis qui in Monasteriis ad pietatem veram exercentur. Continet autem cùm e Sanctis Scripturæ variarum quæstionum, quæ ad mores componendos faciant, breviarium: tum his solutiones additas, atque explanationes. Eminet porrò ejus in libris egregiè, non ille modò solemnis adeò ipsi affectus lenior, sed pura etiam perspicuitas. Nisi quòd in quæstionibus quibusdam emphaseos aliquid ab eo aspersum appareat: non id adeò vocabulis minùs usitatis juveniliter adhibitis, neque compositione per circumductiones obscurata*, &c.

Satisfit Bellarmini Cardinalis Objectionibus.

Quod negotium facessit Bellarmino, ipsique suspectas reddit Regulas Breviores, quòd Quæst. 1. & 94. Traditiones damnare videatur illarum Auctor, explicuimus in Historiam Ecclesiasticam secundi Sæculi Dissertatione 16. Paulò majorem difficultatem creant quæ ex Quæstione 293. idem Cardinalis objicit: ubi mortalis venialisque peccati discrimen e medio tolli videtur, quod certè Basilio tribui non potest. *Primò*, inquit, *scire illud convenit, differentiam hanc majorum & minorum peccatorum, nusquam in novo Testamento reperiri*. Sed non adeò gravis est difficultas, ut propter illam abjudicari magno Basilio istud Opus debeat, tota antiquitate reclamante. Sensus enim hujus loci est, non reperiri majorum & minorum peccatorum differentiam in eo positam quòd minora contemni, vel negligi debeant, seu indifferenter admitti, sola autem majora sollicitè caveri: non autem quòd nullum penitus inter ipsa constituendum sit discrimen. Porrò hunc esse Basilii sensum constat ex Interrogatione cui respondet, quæ his verbis concepta erat: *Quomodo agi par est cum iis, qui cùm majora peccata declinent, minora perinde ac si nihil referret, committunt?* Quo sensu ad Interrogationem 4. dixerat, *Nihil omnino tanquam minutum contemni debere*: & ad Interrogationem 267. *Si Deus justus est, non bonis solùm, sed improbis, reddens unicuique secundùm opera sua, fieri posse ut alius dignus sit igne vel leviùs, vel acriùs urente, alius verò verme vel mitiùs cruciante, vel severiùs pro meritis uniuscujusque*. Et in Psalm. 61. *Dum exigui sunt momenti, & eadem in pauco numero quæ admittimus peccata, leviter ac sensim aliquousque movemur. Mox ubi plura accesserint graviorаque peccata, juxta proportionem coalescentis peccati, intendi solet animæ agitatio*.

S. Basilii Liturgia.

III. Liturgiam composuisse Sanctum Basilium certum est, quam laudant Proclus in Opusculo *De Traditione Missæ*, Trullana Synodus Canone 32. Leontius lib. 3. *adversùs Nestorium*, & alii Patres Græci quamplurimi. Duplex extat Basilii Liturgia: una e Græco translata, quæ incipit: *Dominus Deus noster, qui cælestem panem, universi mundi nutrimentum, Dominum nostrum & Deum Jesum Christum Salvatorem & Redemptorem, & benefactorem nos benedicentem & sanctificantem misisti, ipse benedic hanc propositionem, & eam suscipe in supercælesti tuo altari*. Altera ex Syriaco sermone ab Andræa Masio Latinè reddita, quæ ἀναφορὰ *Anaphora* inscribitur, & sic incipit: *Æterne Deus, qui in principio hominem creasti ad immortalitatem*: & hæc a Græca in multis diversa est, & multo brevior. His accedit tertia a prædictis etiam differens, quam Victorius Scialach Maronita ex vetusto Codice linguâ Ægyptiacâ cum Arabica interpretatione scripto in Latinam linguam transtulit, quæ Bibliothecæ Patrum inserta est, & ab hac Oratione exorditur; *Domine qui nosti corda omnium*. Ipsa quoque Græca exemplaria dissimilia esse asserit Goartius noster in Notis ad Euchologium: adeò ut difficile sit agnoscere sinceram & incorruptam Basilii Liturgiam. Petrus Diaconus ex ea celebrem Orationem laudat, quæ nunc in ea, quam habemus, non legitur. Quod argumento est ipsam excidisse, vel a Græcis posterioribus fuisse interpolatam. Ex his Liturgiis manifestum esse ait Criticorum Heterodoxorum maledicentissimus Rivetus, ignotam fuisse apud eos qui illis utuntur privatam Missam, Communionem sub una specie, & similes corruptelas posteriorum temporum. At Missas privatas velut a priorum sæculorum & ipsius Basilianæ ætatis usu alienas, utque corruptelas posteriorum temporum perperam sugillat Rivetus. Constat enim ex Sancto Gregorio Nazianzeno, Oratione 19. *in laudem Patris*, eum in cubiculo suo Sacrum egisse; & in Encomio sororis suæ Gorgoniæ, domesticum ei altare fuisse testatur. Et de Sancto Ambrosio, qui Gregorio Nazianzeno & Basilio suppar fuit, refert Paulinus in ejus Vita, ipsum cùm apud mulierem quamdam clarissimam invitaretur ut Sacrificium in domo offerret, balneatricem quandam, quæ Paralytica in lecto jacebat, sellulâ ad eam domum portatam, & Sancti Viri osculatam vestimenta, sanatam esse. Sanctus item Chrysostomus Homiliâ 3. in Epistolam ad Ephesios, & 17. ad Hebræos, *quotidianam Oblationem* suo tempore fieri solitam affirmat, idemque asserit Hieronymus in cap. 1. Epistolæ ad Titum: & Sanctus Augustinus, lib. 22. *De Civitate Dei*, cap. 8. missum fuisse ait unum ex suis Presbyteris in domum cujusdam Hesperii a malignis spiritibus vexatam, qui obtulit ibi Sacrificium Corporis Christi, & cessavit vexatio. Sæculo itaque 4. quo florebat Sanctus Basilius, & sæculo sequenti Missæ privatæ in usu erant, cùm in Græca, tum in Latina Ecclesia. Quòd si Missa privata dicatur, in quâ solus Sacerdos communicat, tempore S. Chrysostomi, qui Basilio suppar fuit, hujusmodi Missæ frequentes erant, ut ex Sancto Chrysostomo Homiliâ 3. in Epistolam ad Ephesios. Homiliâ 5. in Epistolam 1. ad Timotheum, & Homil. 61. ad populum

Rivetus refellitur.

lum Antiochenum, colligitur. Communionem verò sub unica specie, Basilii etiam temporibus fuisse interdum usurpatam, colligitur ex Epistola ipsius 289. ad Cæsariam Patritiam, ubi testatur ex antiquo Ecclesiæ more Fideles Eucharistiam domi habuisse, & absentibus Sacerdotibus illam propria manu accepisse; idque non solùm Monachis in eremo degentibus, verùm etiam Christianæ plebi Alexandriæ & per Ægyptum universam solemne fuisse. In domos porro sanguinem sub propria specie non ferebant, quæ conservari diu non potuisset. Suam itaque inscitiam & petulantiam prodidit Rivetus, cùm scripsit communionem sub una specie, & similes (ut impiè loquitur) posteriorum temporum corruptelas, Basilii ætate in usu non fuisse.

§. II.

Discutitur quo sensu S. Basilius in Liturgia sua Eucharistiam vocaverit τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ.

I. AN ἀντίτυπον, spectatâ nominis etymologiâ, significat id quod vice typi & figuræ substituitur, quasi ἀντὶ τοῦ τύπου: & hac ratione verum Christi Corpus mille figuris adumbratum, illisque seu lux umbris succedens ἀντίτυπον illarum non immeritò a Sancto Basilio & aliis Patribus potuit nuncupari. Hoc sensu Sanctus Epiphanius Homiliâ *De Resurrectione* vocat mysteria Paschatis *Novi pro veteri Paschate antitypa*.

II. Præterea Corpus Christi in Eucharistia est ἀντίτυπον, figura, & typus æterni convivii in cœlis degustandi, qui dum animam in sacramento reficit, satietatem uberiorem in cœlis percipiendam pollicetur. Hoc sensu S. Damascenus lib.4. *De Fide Orthodoxa*, cap.14. ait: *Antitypa verò futurorum dicimus, non quòd non sint verè Corpus & Sanguis, sed quia per ipsa divinitatis Christi nunc sumus consortes; tunc autem intellectuali ratione per solam visionem percipiemus.*

III. Cùm duplex sit figura, una quæ umbram tantùm & speciem refert: alia quæ veritatem ipsam ita adumbrat, ut etiam contineat: illa quę extranea est & diversæ penitus naturæ a re per ipsam repræsentata, sicut pictura ab homine: hęc quæ nullam in substantia diversitatem agnoscit, licèt modum & statum immutatum ostendat: Sicut si Cæsar Cæsaris larvâ vultum obduceret, ac in theatro Cæsaris personam ageret: Hâc iterum ratione Christus in Eucharistia ἀντίτυπον est, quia mortis quondam pro nobis oppetitæ memoriam renovat, & seipsum in Cruce passum per seipsum in Sacramento obvelatum repræsentat. Unde sicut excerpta & transsumpta librorum, vel Epistolarum dicuntur etiam a Græcis ἀντίτυπα, quę Autographorum vice substituuntur, cùm nihilominus complectantur singula quæ sunt in Autographis, unde & eadem illis adhibetur fides, ita Christi Corpus in Eucharistia, dicitur ἀντίτυπον, quia sui ipsius in Cruce oblati exemplar est: & Sacramentum Altaris dicitur ἀντίτυπον, quia continet ejusdem corporis pro nobis in cruce immolati substantiam. Hoc sensu Sanctus Chrysostomus Homiliâ 17. in Epistolam ad Hebræos ait: *Hoc sacrificium typus illius est: eamdem enim semper offerimus: non modò quidem alium: modò verò alium, sed semper eumdem.*

IV. Species ipse Eucharisticæ post consecrationem ἀντίτυπα sunt Corporis Christi, quia cùm panis secundùm substantiam suam spectatus, & antè consecrationem oblatus Deo, nuda sit Corporis Christi figura, & ejus typus; species quæ panis vice post consecrationem supersunt, Corporis Christi in Eucharistia præsentis sunt ἀντίτυπα. Enim verò cùm panis in primo Liturgiæ Offertorio ut Christi figura fuerit in Prothesi immolatus, lanceâ perforatus, & oblatus Deo; eædem verò species post consecrationem maneant, ipsæ ut panis loco superstites, affectiones & denominationes universas, quæ pani poterant convenire, in se vel recipiunt, vel conservant: ideoque non minùs tunc ἀντίτυπα Corporis Christi nuncupari possunt, quàm priùs ipse panis denominationem hanc subiret. Denique cùm non nudè, sed sub speciebus Christus offeratur, & immoletur, immolari & offerri dicitur in antitypis. Hoc sensu Andreas Cretensis Oratione in Ramis Palmarum: *Immolatur* [inquit] *& sacrificatur in antitypis Symbolis*. Quod idem est quod *sub Sacramento*.

V. Ἀντίτυπον sigilli alicujus aut characteris impressionem, consignationem, vel exarationem significat, sigillum namque ipsum, vel character imprimens figuram suam, dicitur, *typus*; figura verò a Sigillo vel charactere impressa, dicitur *antitypus*: & hoc sensu Sanctus Basilius, aliique Patres Græci Eucharistiæ Sacramentum ἀντίτυπα vocarunt: quia sicut sigillum vel character essentiam omnem suam characteri vel figuræ impressæ communicant: ita Corpus Christi essentiam omnem suam communicat & veluti imprimit Sacramento. Sicut ergo antiqui Patres, ut explicarent quâ ratione Pater æternus essentiam suam cum Filio absque ullâ divisione communicat, illum nuncuparunt paternæ substantiæ characterem (post Apostolum) ita ut ostenderent Corpus Christi cum speciebus Eucharisticis communicari, non divisione, sed impressionis in modum, & absque substantię suæ imminutione, quemadmodum sigillum figuram suam communicat cum imaginibus ex eodem ductis; & quemadmodum vox una & indivisibilis in se diversorum auditorum aures permeat: ut, inquam, Corporis Christi commutationem cum speciebus hoc modo factam exprimerent Græci Patres, Eucharistiæ Sacramentum, Corporis Christi ἀντίτυπον appellarunt. Ita hanc vocem usurpat & exponit Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, apud Nicetam Choniatem in *Alexio*, lib.3.

VI. Sanctus Basilius, & alii Patres vocant Eucharistiam ἀντίτυπον Corporis Christi, spectando tempus consecrationem præcedens, & illa verba referendo ad statum donorum in Prothesi. Ita enim habet Sanctus Basilius: *Confidentes sancto altari tuo appropinquamus, & propositis sancti Corporis & Sanguinis Christi tui antitypis, te rogamus*, &c. Hæc expositio est Sancti Joannis Damasceni, lib.4. Orthodoxæ Fidei, cap.14. *Quòd si nonnulli* (inquit) *panem ac vinum Corporis ac Sanguinis Domini figuram esse dixerunt, quemadmodum ille divinitus afflatus Basilius, non hoc post consecrationem dixerunt, sed antequam oblatio ea consecraretur, hoc vocabulum usurparunt.* Ita etiam Sanctum Basilium exponit Epiphanius in 7. Synodo, Actione 6. *Attamen*, inquit, *ante sanctificationis consecrationem quibusdam Patribus piè visum est, ἀντίτυπα, hoc est, exemplar similis formæ nominare; quorum de numero Eustathius constans propugnator orthodoxæ Fidei, & Arianicæ insaniæ expugnator clarus; item Basilius ejusdem superstitionis averruncator.... Hic quidem exponens dictum illud in Proverbiis Salomonis, Edite meum panem, & bibite vinum quod miscui vobis: Hæc*, inquit, *per panem & vinum ἀντίτυπα membrorum corporalium Christi prædicat. Ille verò in precatione divinæ Anaphoræ: Confidentes tuo sacro altari appropinquamus, & proponentes antitypa sancti Corporis*

&

& Sanguinis Christi tui, te precamur & invocamus, & quæ deinceps sequuntur, *sententiam Patris ampliùs confirmant, quòd ante sanctificationem antitypa vocaverint, post consecrationem autem Corpus Domini, & Sanguinem Christi, atque ita esse creduntur.*

Tandem quòd Sanctus Basilius Corpus Christi in Eucharistia sub antitypis verè & realiter præsens esse existimaverit, constat ex ipsius verbis Homil. 2. *De Baptismo*, Quæstione 2. *Si tales mina adversùm eos posita sunt, qui temerè ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur: quid dicendum est de eo, qui in tantum ac tale Mysterium temerarius est? Quantò enim majus aliquid hic est templo, secundùm Domini vocem, tantò gravius & terribilius est in anima impuritate constitutum, Corpus Christi temerè contingere, quàm sit accedere ad arietes, vel tauros, dicente Apostolo: Itaque qui edit panem, aut bibit poculum Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini...... Quòd si in immunditia tantùm constitutus, tam terribile judicium habet, quantò magis, qui eùm in peccato sit, Corpus Domini contingere audet, gravius sibi accersit judicium?*

§. III.

Expenduntur alii libri S. Basilio inscripti.

Libellus *De Grammatica Exercitatione* non est Sancti Basilii, sed compendium Grammaticę Moschopuli. Non est etiam Basilii liber de *Laudibus Eremi*, sed caput ultimum Opusculi B. Petri Damiani, quod inscribitur; *Dominus vobiscum*. Tractatus sive Epistola de *Consolatione in adversis*, & *Admonitio ad filium spiritualem*, dubias inter Basilii lucubrationes sunt rejiciendæ. Eidem sunt abjudicandæ *Pœnæ præscriptæ in Monachos delinquentes*, quæ ad finem Asceticorum leguntur.

Liber *de Virginitate*, quamvis a Suida ut Basilii Opus laudetur, & præcepta complectatur sanctissima, multa tamen habet, cùm initio, tum ad finem, quæ pudor & modestia Basilii aut omninò præteriissent, aut leviùs attigissent. Hujus libri stylus ad fastidium usque diffusus, & in rebus inutilibus luxurians, a Basilianæ eloquentiæ charactere plurimùm abest. Præterea liber ille scriptus est ad Letoium Mitylenensem Episcopum, & ab Episcopo editus est, si quidem cum Letoio seu cum collega agit. At quamdiu Episcopus fuit Sanctus Basilius, imò antequam inauguratus esset, Otrejus Letoji Decessor Mitylenensem rexit Ecclesiam.

Commentarium in sexdecim capita Isaiæ Basilio magno perperam abjudicarunt Erasmus & Rivetus: quem sub ejus nomine Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, Oecumenius, Joannes Damascenus, Antonius Melissa, Simeon Metaphrastes, & ante hos Sanctus Maximus, laudarunt. Lege Godefridi Tilmani Carthusiani Parisiensis Præfationem his Commentariis præfixam, & Frotonis Ducæi Notas.

Objicit Rivetus repugnare Commentarium illum in quibusdam, legitimis Basilii Operibus. Is enim Epistolâ 80. ad Eustathium Medicum, scribit, *Pythonissam suis incantationibus evocasse ab inferis animas quæ requirebantur, in primis animam Samuelis*. In Commentariis verò, cap. 8. Isaiæ ait Auctor, *Pythonicum illum spiritum, quem consuluit Saul, stragem annuntiasse ministerio dæmonum, & spiritus illos fuisse dæmones, qui stridentes seipsos transformarunt in habitum & personam Samuelis*. Aut igitur Basilius sibi ipsi contradicit, quod est levissimi hominis; aut hæc Paraphrasis in Isaiam non est Basilii, quod existimat Erasmus. Verùm nullam ex his duobus locis Basilio contradictionem Pseudocriticus affinxisset, neque propterea Commentarios in Isaiam ipsi sensisset abjudicandos, si animadvertisset Epistolam 70. non esse Sancti Basilii, sed Sancti Gregorii Nysseni Tractatum ad Eustathium Medicum.

§. IV.

Canonica Epistola S. Basilii ad Amphilochium expenduntur.

Tres ad Amphilochium Sancti Basilii Epistolæ, Ecclesiasticæ Disciplinæ, quæ in Ecclesiis Ponti invaluerat, regulas complectuntur. Canon primus prioris Epistolæ Baptisma Hæreticorum rejicit: Schismaticorum verò Baptisma cujusdam œconomiæ gratiâ censet admittendum, quòd ita visum sit Asiaticis nonnullis. Hujus Canonis sensum exposuimus in Dissertatione adversùs Rebaptizantes, in Historia Ecclesiastica 11. Sæculi. Canon secundus homicidarum pœnis subjicit mulieres quæ fœtum de industria extinxerint, & abegerint; nec ad formati, vel informis fœtus distinctionem attendendum esse decernit; sed hujus reas facinoris decem annorum addicit Pœnitentiæ. Canon tertius Diaconos in fornicationem prolapsos depositione solâ plecti, non verò a Communione arceri jubet, secundùm antiquas Ecclesiæ leges Sacræ Scripturæ consentaneas, dicenti: *Non vindicabis bis in idipsum*. Sciendum autem ait, *quæ sunt summi juris, & quæ sunt consuetudinis: & in iis quæ summum jus non admittunt, formam traditam esse sequendam*. Canon quartus de digamorum, & trigamorum Pœnitentia decernit; & digamorum, quidem Pœnitentiam uno aut altero anno; trigamorum verò quinquennio definit. Canon V. Hæreticos morti proximos, & veram Pœnitentiam agentes, in Ecclesiam recipi jubet. Canon VI. Fornicationem eorum qui sub Regula vivunt, matrimonii nomine & loco non censendam præcepit, sed eorum conjunctionem omninò divellendam. Canon VII. Sodomitici, graviorisque criminis reos, homicidas, veneficos, idololatras eadem pœnâ damnat. Hujusmodi tamen obscœnitatum reos post triginta annos actæ Pœnitentiæ recipi statuit, si ipsorum crimen ignorantia excuset, ipsisque lacrymæ, & vitæ emendatio ad impetrandam misericordiam suffragentur. Canon VIII. Voluntarias involuntariasque cædes distinguit. IX. De Matrimonii indissolubilitate agit: & solâ fornicationis causâ separationem conjugum quoad thorum licitam esse decernit; secundùm sententiæ dominicæ consequentiam, virorumque & mulierum par esse jus hac in causa, si Lege Evangelica judicetur. At Ecclesiæ Disciplinam & consuetudinem viros mulieribus hac etiam in parte superiores fecisse, quia viri mulieres adulteras, mulieres verò viros Matrimonii fidem fallentes dimittere non possunt. Quamobrem relictam a viro uxorem adulterii damnat, si ad alium virum accesserit: non verò damnat virum a muliere dimissum, si nupserit alteri; neque mulieri, quam ducit, crimini vertendum esse ait initum cum eo connubium. Quòd autem hanc sententiam amplexus (ut mihi quidem videtur) fuerit Sanctus Basilius, eò excusatione dignior est quòd loquebatur in obscurissima Quæstione, quæ tunc temporis ut suprà etiam diximus, nondum erat liquidò disceptata. *In divinis sententiis*, inquit Sanctus Augustinus, lib. *De fide & operibus*, cap. 19. *ita obscurum est, utrùm & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet* dimit-

Epistolarum summa.

In fide non erravit S. Basilius, cùm Matrimonium fornicationis causâ dirimi posse scripsit.

dimittere, adulter tamen habeatur si alteram duxerit; ut quantùm existimo, venialiter ibi quisque fallatur. Idem cum Sancto Basilio sentit Hilarius Diaconus in cap. 7. 1. ad Corinthios inter Ambrosiana Opera. Verior quidem SS. Gregorii Nazianzeni, Oratione 31. Hieronymi in Epitaphio Fabiolæ, & Augustini lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 10. sententia, negantium viris hac in causâ licere, quod fœminis non licet: Et Scripturæ Sacræ magis consona, scilicet Matt. 5. & 19. *Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Idem repetitur adhuc expressiùs Marci 10. Lucæ 15. 1. ad Corinthios 7. Videntur mihi favere contrariæ sententiæ Lactantius, lib. 6. cap. 23. Sanctus Asterius Homiliâ *De Repudio*, Concilium Veneticum Canone 2. Synodus Sancti Patritii, Canone 26. Concilii Bituricensis in Sessione 2. Synodi Lemovicensis 11. recensiti, Canon 15. Leonis IV. Decretum in Synodo Romana, Canone 36. apud Anctorem libri *De Vitis Romanorum Pontificum*, vulgò Luitprando adscripti, Theodorus Cantuariensis in Pœnitentiali, cap. 2. *De Quæstionibus conjugiorum*; quamvis quibusdam videantur posse exponi; sicut & supra pag. 64. exposuimus antiquissimi Concilii Arelatensis I. Canonem decimum, cùm eos qui uxores suas in adulterio deprehendunt, ab aliis ducendis quamdiu sunt ipsæ superstites, deterret his verbis: *De his, qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, & iidem sunt adolescentes Fideles, & prohibentur nubere, placuit, ut quantùm possit, consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licèt adulteris, alias accipiant.* Nec aliam videtur habere difficultatem Concilium Illiberitanum Canone 9. sicut nec Regum nostrorum Capitularia, alia Concilia, Pontifices, Christianorum Imperatorum Leges: quæ hoc in negotio objici solent. Verùm de istis aliàs opportunius. Sanè ut interim illud dicam, Ritus Græcorum, matrimonia fornicationis causâ dissolventium, reprehensione dignus, & correctione indigere visus est Eugenio IV. & Latinis in Concilio Florentino. Ubi enim Definitio Fidei edita est, & omnium utriusque Ecclesiæ Episcoporum subscriptionibus munita, Eugenius IV. Pontifex Maximus ita Græcos alloquutus est: *Nos, fratres, Dei beneficio sumus fide conjuncti. Quoniam ergo arcanis Dei judiciis, ego sum inter vos membra Caput, debeoque qualitercumque admonere, & consiliis instruere ad ea quæ videntur pietatem & Ecclesiam nostram constabilire, propono vobis aliqua, ut fratribus, ut Ecclesiarum doctoribus. Et primò dico, omnes conqueri de separatione matrimoniorum, idque correctione indiget*, &c. Præsules responderunt ad hoc caput: *Matrimonia dirimimus, non sine justis causis.* Cæterùm in variis aliis Quæstionibus satisfecerunt Græci præterquam in duabus, quarum altera erat ille eorum ritus neutiquam ab Ecclesia probatus, quo matrimonia in casu adulterii dirimere consueverunt.

Nec etiam prætermitti hìc debet quod in Concilio Tridentino contigisse ex illius Historia notissimum est. Unde etiam nullatenus colligi potest morem hunc Græcorum ab Ecclesia fuisse approbatum. Cùm enim Sessione 24. Patres jam Canonem septimum meditati essent, atque edidissent, quo Anathemate confodiebantur, qui dicerent, matrimonium propter adulterium alterius conjugum, posse dissolvi, & legeretur ille Canon totius Concilii ultimo examini subjiciendus, antequam ritu solemni constitueretur, & promulgaretur, Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Oratores hujus promulgationi Canonis intercesserunt, exposueruntque sacræ Synodo, Græcos in ditione Venetorum degentes, matrimonia propter adulterium dissolvere; qui si Anathemate ob eam Ecclesiæ suæ Disciplinam ferirentur, maximum in detrimentum Ecclesiasticæ unitatis ea Definitio cederet. Hujus intercessionis & supplicationis habita ratione, Tridentini Patres Canonem emendarunt & emollierunt hac ratione, ut Anathema non feriret recentiores Græcos asserentes matrimonii vinculum, propter adulterium alterius conjugum, posse dissolvi, & utrumque, vel saltem innocentem, qui causam adulterio non dedit, posse altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere: sed eos tantùm configeret, qui *Ecclesiam errare dicerent, cùm docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam Doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi.* Sicque Canon laudatus promulgatus est, & legitur Sessione XXIV. *De Sacramento Matrimonii.* Id refert Cardinalis Palavicinus in Historia Concilii Tridentini. Evidentissimum igitur est, necdum Fidei dogma esse, quòd Matrimonium, etiam propter adulterium alterius conjugis, dissolvi non possit; Adeoque Sanctum Basilium erroris argui non posse, quòd in Epistola Canonica secus senserit ac decreverit.

Verùm ut ad institutum revertamur, & istius Epistolæ Canones exponere pergamus, Canone X. statuit non esse ad Clerum promovendos, qui se non suscepturos Ordinationem sacram jurarunt, ne ad perjurium cogantur. Expendi autem jubet quæ fuerint verba & formula jurisjurandi, affectio rei pro qua jurarunt meritum, seu ratio quæ ad jurandum eos impulit. Canon XI. cædis involuntariæ Pœnitentiam undecim annorum definit intervallo. XII. Digamos ab Altaris ministerio excludit. XIII. Cædibus in bello patratis homicidii notam non esse inurendam statuit: Quarum tamen Auctoribus consulit ut triennio a Communione abstineant. XIV. Fœneratoribus aditum ad Sacerdotium non præcludit, si malè partas pecunias in pauperes erogaverint, & avaritiæ laqueis fuerint extricati.

Epistola secunda Canonica ad eumdem Amphilochium Iconii Episcopum, Quæstiones alias solvit maximi etiam momenti ad Ecclesiasticam Disciplinam. Canone II. Docet Virgines quæ post votum nupserant, Digamorum dumtaxat pœnis, id est unius anni Pœnitentiæ fuisse hucusque ex Patrum indulgentia subditas: nec earum fuisse dirempta Matrimonia. In posterum autem adulterarum judicio subjiciendas, & a stupratoribus separandas. Tempus autem designat quo sacrarum Virginum professiones sint valituræ, sexdecim scilicet, vel septemdecim annorum ætatem, easque solas in Virginum catalogum referri jubet, quæ diu examinatæ probatæque perseveraverint, & ut admittantur, precibus contenderint. Quo Canone refelluntur quidam qui ad annum usque vigesimum quintum Sanctimonialium professiones differendas esse propugnant.

Canon III. De professionibus virorum statuit, quas extra Monachorum ordinem nullas agnoscit, qui tacitè cœlibatum vovebant. Decernit porrò ut examine prævio, professionem expressam & solemnem deinceps emittant: quæ ante Sanctum Basilium in usu non erat. Canon 4. excipit a lege in Virgines prævaricatrices lata, mulieres quæ, cùm Hæreticæ essent, Virginitatem sunt professæ, & Catechumenas. Ratio exceptionis hæc est: *Quæcumque dicit lex, iis dicit qui sunt sub lege. Quæcumque autem jugum Christi nondum subierunt, eæ nec Domini leges norunt.* Canon V. & VI. Fornicatores & raptores percellunt: nec priùs cum rapta iniri validè Matrimonium docent, quàm

pa-

parentibus vel tutoribus restituta, ex eorum sententia & voluntate uxor accipiatur. Fornicatoribus verò IV. annorum publicam Pœnitentiam imponunt, omnibus gradibus percurrendam. Canon VII. irrita declarat eorum qui duas sorores, vel earum quæ duos fratres duxerint, matrimonia. Quâ de re lege ejusdem Epistolam ad Diodorum Tarsensem, quam ista ad Amphilochium laudat in eodem Canone. Canon VIII. viduam cui victus ab Ecclesia ministratur, despiciendam esse, si nupserit, ex Apostolo docet: atque a Communione removendam, si post annos 60. cum viro habitare voluerit. Canon VIII. & IX. suadent ut separentur, qui fornicatione sunt conjuncti, si autem noluerint, a mutuâ societate non divellendos statuit, ut gravius malum vitetur, sed fornicationis pœnæ subjiciendos. Quod quidem non ita intelligendum est, quasi fornicatores in peccato, vel in proxima peccati occasione manentes ad pœnitentiam recipiendos Basilius censuerit: sed quòd mutato jam rerum personarumque statu, & inito matrimonio cum concubinis, non sint ab earum consortio separandi, propter incontinentiæ periculum, tempore etiam Pœnitentiæ, nisi separationi consentiant, & matrimonium post Pœnitentiam differant; quod quidem ipsis, ut melius, suadendum est. Canon X. Presbyteris qui per ignorantiam nupserint, sacris ministeriis interdicit. XI. Vota inepta rejicienda esse docet, quale erat eorum qui abstinentiam a carnibus suillis vovebant. XII. Juramenta de malo faciendo, vel alteri inferendo emissa, & generatim quæ contra virtutem pugnant, servanda non esse. XIII. raptores & eorum socios triennii Pœnitentiæ addicit. XIV. mulieres quæ viris peregrè profectis, vel inter milites conscriptis, & post diuturnam absentiam non redeuntibus, aliis nupserint, adulterii pœnâ damnat, ut & Canon XIX. Canon XV. Clericos gravioris criminis reos ad Laicam Communionem detrudit. XVI. Mulieres quæ in via pepererunt, & sui fœtûs curam non gesserunt, cædis reas declarat. Canon XVII. adulteras mulieres & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicæ Pœnitentiæ subjici vetat, ne in vitæ discrimen adducantur. A Communione autem eas arceri, & in Consistentiæ gradu peccatum eluere decernit.

Canon 23. & 25. Servorum invitis dominis, & filiorum invitis parentibus conjugia damnant, & irrita esse statuunt. *Eorum enim qui sunt in alterius potestate, pacta conventa firmi nihil habent.*

Canon XXX. Encratitas, Saccophoros, Apotactitas, Sectæ Marcioniticæ germina, rebaptizandos statuit. XXXI. uxorem a marito dimissam ab alterius spe conjugii excludit, ipso superstite. Canon ultimus tertias nuptias improbat, ut Ecclesiæ inquinamenta, sed publicâ non damnat Pœnitentiâ, ut quæ sint præ fornicatione expetendæ.

Epistola III. Canonica ad Amphilochium Pœnitentiæ publicæ tempus per gradus singulos graviorum peccatorum reis definit. Homicidio voluntario XX. annos: involuntario XI. adulterio XV. totidem sacrarum Virginum & Monachorum fornicationi: septennium sæcularium fornicationibus imponit. Furem seipsum accusantem, unius tantùm anni spatio arcet a Sacramentorum Communione: convictum biennii Pœnitentiæ addicit, quorum primum in Substratione, alterum in Consistentiâ explebit. Sodomitici & gravioris peccati reis, diuturniorem quàm adulteris non imponit Pœnitentiam. Perjuris, & sepulcrorum effossoribus, undecim annorum. Præstigiatoribus, veneficis, libidinem cum sorore explentibus XX. annorum, sicut homicidis. Ineuntibus matrimonium in gradu cognationis prohibito, XV. annorum, sicut adulteris. Iis qui vates & ariolos consuluerint, sive potiùs qui se ipsis tradiderint, id est, eorum se addixerint obsequio, annos totidem quot homicidis, in Pœnitentia statuit transigendos. Pollutionem cum sorore, duodecim annorum Pœnitentiâ castigat, & incestam quoque cum nuru conjunctionem. Viros qui uxores injustè dimittunt, & eos qui duabus, etiam successivè, nubunt sororibus, septennii Pœnitentiâ damnat: Polygamos, quadriennii; Diaconos, vel Presbyteros, qui in labris polluti fuerint, a sacro ministerio, non verò a Communione Clericali removet. Quid sit autem in labris pollui, eruditè exponit Balsamon, docetque sola oscula his verbis non esse intelligenda, sed fœdam commixtionem, cui deest aliquid ut sit consummata fornicatio. Quod enucleatiùs exponere pudor vetat. Christum negantium Pœnitentiam, totius vitæ tempore definit, eisque Communionem in vitæ solùm exitu concedendam.

ARTICULUS XX.

De S. Gregorio Nysseno.

I. SAnctus Gregorius Nyssenus in prima Cappadocia Episcopus, Sancti Basilii frater, Concilio Constantinopolitano I. Oecumenico II. anno 381. interfuit, vivebatque adhuc anno 392. Theodosii Imperatoris 14. Ipsum commendant Sanctus Basilius ejus frater Epist. 43. Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 6. & Epist. 37. Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 129. Socrates lib. 4. cap. 26. & lib. 5. cap. 8. ubi eum cum Helladio Cæsareensi centrum Communionis in Cappadocia a Patribus Constantinopolitanis constitutum memorat: quod & Sozomenus lib. 7. cap. 9. repetit. Theodoretus lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 30. & Dialogo 1. ac 2. Vincentius Lirinensis in Commonitorio, Epiphanius Diaconus in VII. Synodo Oecumenica, Actione VI. ubi eum vocat *Patrem Patrum*, Photius in Bibliotheca, Cod. VI. & VII. Euthymius Zigabenus in *Panoplia*, Suidas, Nicephorus Callistus lib. 11. cap. 19. & lib. 12. cap. 13. Honorius Augustodunensis & alii.

II. Gregorii Nysseni Oratio in ea Scripturæ Sacræ verba, *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. & altera *In procreationem hominis*, Tomo I. Editionis Morellianæ, vulgò ab eruditis rejiciuntur ut spurium Opus.

Epistola Canonica ad Letojum vindicatur S. Gregorio Nysseno.

III. Epistolam Canonicam ad S. Letonium Mitylenensem Episcopum Gregorio Nysseno esse certò suppositam affirmat Sulietus in *Medulla Patrum*. Ejus sententiam confirmat Rivetus lib. 3. Critici Sacri, cap. 24. ex styli diversitate, ex Pœnitentiæ forma, quam fuisse Gregorii tempore severam constat, sed non ita distinctam, ut non longiori abstentione plecteretur Sodomita, & qui cum bestiis concubuerat, quàm adulter [ut vult fictus ille Gregorius] qui dum sæpe veterum Patrum meminit, qui ita statuerant, satis arguit se Græculum recentiorem, nomen Nysseni ementitum. Ex Veterum denique silentio, qui antiquitùs Scripta Nysseni recensuerunt, nec istius Epistolæ meminere. Verùm hæ rationes non cogunt ut hæc lucubratio Sancto Gregorio Nysseno abjudicetur. Non styli diversitas, quem in Epistolis, & in libris Polemicis, ac Orationibus alium esse nemo non novit. Quamquam & venu-

Sculteti & Riveti Objectionibus respondetur.

S. Gregorii Nysseni stylus.

stas Orationis, & splendor jucunditate mixtus, qui styli ipsius, secundùm Photium, character est, in hac etiam Epistolâ elucent. Ejusdem Pœnitentiæ impositio adulteris, & criminum pessimorum contra naturam reis, congruit Disciplinæ quæ Gregorii Nysseni ætate in Ecclesiis Ponti vigebat, ut constat ex Epistolis Canonicis Sancti Basilii ad Amphilochium. Veterum Patrum mentio & apud Basilium, in iisdem Epistolis, & in Canonibus Nicænis æquivalenter occurrit, cùm leges & regulas antiquas laudant: & quatuor penè sæculorum spatio qui floruerant Episcopi & Doctores, Patrum nomine poterant a Sancto Gregorio Nysseno appellari. Veterum denique nemo singula ipsius Opera recensenda sibi proposuit. Unde mirum esse non debet, quòd istius Epistolæ non meminerint. At Heterodoxis Pseudocriticis opponimus Græcam Ecclesiam in Trullana Synodo congregatam, quæ Gregorii Nysseni Canones approbavit, Balsamonem & Zonaram, qui hanc Epistolam Commentariis suis illustrarunt, & omnem jam Eruditorum cœtum.

IV. Inter Sancti Gregorii Nysseni Opera primatum tenent Orationes ejus XII. contra Eunomium, ex quibus validissima contra Eutychianos Hæreticos testimonia Theodoretus in Dialogis protulit. Duplex ipsius Opus contra Eunomium recenset Photius. Unum quod vocat *Librum pro Basilio* adversùs illum Hæresiarcham, in quo *nec ipse quidem ordine Eunomii scriptum reprehendit*. Aliud, *in quo rationibus validioribus cum Eunomio manus conserens, eum vi expugnat, omnia impietatis firmamenta labefactans*. Primum excidit: sed quod erat in eo luculentius, secundo insertum est, quod cum aliis ejus Operibus ad nos usque transmissum & servatum fuit.

V. Liber *De differentia essentiæ & hypostaseos*, non est quid diversum ab Epistolâ 43. Sancti Basilii ad Gregorium ipsum Nyssenum fratrem suum data.

Oratio magna Catechetica vindicatur S. Gregorio Nysseno.

VI. *Oratio magna Catechetica* legitimus est Gregorii Nysseni fœtus a Theodoreto laudatus in Dialogis. Huic Operi quiddam Origeniani dogmatis ab Origenistis insertum est contra pœnarum inferni in damnatos omnes æternitatem. Iidem nævi in Dialogo *De Anima & Resurrectione* occurrunt. Violatos autem fuisse ab Origenistis hos Sancti Gregorii libros, Sanctus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus testatur apud Photium in Bibliotheca, Cod. 233. Definit Oratio Catechetica in his verbis: *Deo autem fiat gratia ob donum ejus ineffabile*. Quæ autem sequuntur deinceps ab his verbis: *Quoniam autem Severus*, &c., nescio quis ineptè & imperitè addidit. Nam Severum hunc Hæreticum Sanctus Gregorius Nyssenus annis plusquam centum antecessit, cùm ipse quidem quinque circiter annis ante annum quadringentesimum obierit, Severi autem Hæresis emerserit post quingentesimum. Hæc autem appendix ex libro Theodori Raithuensis hìc adjecta est, qui Tomo I. Bibliothecæ Græcorum Patrum pag. 319. Editionis Parisiensis anni 1624. habetur, ubi pagin. 329. his ipsis verbis ne syllabâ quidem immutatâ suum de Dominica Incarnatione librum concludit.

VII. Liber *De Virginitate*, Sculteto *in Medulla Patrum* dubius est, quòd Auctor, cap. 3. scripserit se uxoratum esse. At cùm revera conjugem duxerit ante Sacerdotium Gregorius Theosebiam nomine, de cujus obitu Sanctus Gregorius Nazianzenus Epistolam 95. ad ipsum scripsit; nullius ista ratio momenti est.

Scultetus refellitur.

VIII. *Vitam Sancti Gregorii Taumaturgii Neocæsariensis Episcopi* a Sancto Gregorio Nysseno conscriptam Scultetus temerè & imprudenter vocat *somnium somniorum*, propter miraculum translationis saxi, & revelatam a Sanctissima Virgine Deipara & a S. Joanne Evangelista Fidei Confessionem. Quasi verò huic revelationi & miraculis propter Gregorii Nysseni ea referentis auctoritatem fides non sit potius adhibenda, quàm abjudicandum Opus Patri sanctissimo propter miracula & revelationes, quæ nihil absurdum, vel Fidei, aut Christianæ pietati adversum continent. Jocularis porrò est ratio ob quam de miraculo ejusmodi Scultetus dubitat: quòd scilicet Christus & Apostoli nihil simile patraverint. Quasi verò omnia Christi & Apostolorum miracula scriptis fuerint prodita. Quasi non dixerit Christus, eum *Qui habuerit fidem sicut granum sinapis, dicturum monti, * Transi hinc illuc, & transiturum, & nihil impossibile fore* Fidelibus & Sanctis. Quasi non dixerit idem Servator: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*. At, (inquit Scultetus) miracula omnia Dei gloriam & hominum salutem spectant, neutram saxi translatio. Scilicet, conversio Antistitis Idolorum, quem tanto miraculo ad Christianam fidem adduxit Gregorius Taumaturgus, gloriam Dei, & hominis salutem non involvit!

Matth. 17.

Critici Heterodoxi phrases Eutychianas in S. Gregorio Nyss. arguunt.

IX. Non est dissimulandum Heterodoxos Criticos in Oratione magna Catechetica Gregorii Nysseni phrases Eutychianas arguere, ut ejus auctoritatem elevent, v. g. cùm vocat unionem naturarum in Christo, *Mixtionem & contemperationem*, dicitque naturam humanam fuisse *mutatam in divinam dignitatem*, imò & *deificatam*. Ideò Orationem illam quidam ex Pseudocriticis Novatoribus in dubium revocant, immeritò sanè. Veteres namque Patres Græci & Latini iisdem vocibus usi sunt; imò & ipse Gregorius Nyssenus in Operibus quæ ipsius esse nemo dubitavit usquam, scilicet in libris adversùs Eunomium, & in Epistola adversùs Apollinarem ad Theophilum Alexandrinum. Hic autem loquendi modus, quamvis Eutychianis specie tenus favere videatur, Catholico tamen sensu a Patribus usurpatus est, ut observarunt Sanctus Cyrillus Alexandrinus, lib. 1. contra Nestorium, Rusticus Diaconus, lib. 5. contra Acephalos, & Photius in Bibliotheca.

Ab illorum insultibus defenditur.

Oratio in Theodorum Martyrem genuinus est S. Gregorii Nysseni fœtus.

X. Oratio *In Theodorum Martyrem*, quam Hæretici hagiomachi Sancto Gregorio Nysseno abjudicant: genuinus ipsius fœtus est. Inanes autem esse ipsorum rationes, ex earum solutione constabit. Prima ipsorum ratio hæc est: Illius Orationis Auctor Martyrem orat ut patriam suam a Scytharum irruptionibus tueatur: At tempore Sancti Gregorii Nysseni Scythæ nondum in regiones exteras irruperant. Anno Christi DXX. primi visi sunt Scytharum, vel Hunnorum, & Tartarorum in Galatiam, Cappadociam, & Armeniam incursus, Anastasio scilicet imperante [ut Cedrenus testatur] id est annis CXX. & ampliùs post obitum Gregorii Nysseni.

Secunda ratio. Orationis istius Auctor ait Theodorum contribulem fuisse Jobo, sive ejusdem gentis, id est Arabem. At istud esse falsum compertum est, quia Theodori nomen non est Arabicum, sed Græcum.

Tertia ratio. Secum pugnat Auctor ille: cùm enim Theodorum Arabem fecisset, subdit, Amasεam Cappadociæ urbem esse ejus patriam.

Quarta ratio. Theodorum legionum Romanarum militem fuisse scribit hujus Orationis Auctor: At Arabes in Romanorum castris non merebantur, quo tempore passus est Theodorus, nempe Diocletiano & Maximiano Imperatoribus.

Verùm has ratiunculas solvere est facillimum. Ad primam respondeo, nusquam Cedrenum scri-

psisse quòd irruptio Scytharum, quæ imperante Anastasio contigit, prima fuerit quà per Romanum Imperium grassati sunt. Imò testatur ipsos Thraciam invasisse, cùm Valens Imperator in Syria degeret. Quin & inter Theodosii Magni tropæa columnam, sive statuam Tauri recenset, in qua insculptæ erant, quas de Scythis reportaverat, victoriæ. Id confirmat Sanctus Hieronymus Epistolâ 30. ad Oceanum, quæ est Epitaphium Fabiolæ. *Ecce subitò*, inquit, *discurrentibus nunciis, Oriens totus intremuit ab ultima Mæotide inter glacialem Tanain, & Massagetarum immanes populos, ubi Caucasi rupibus feras gentes Alexandri claustra cohibent, erupisse Hunnorum examina, quæ pernicibus equis huc illucque volitantia, cædis pariter ac terroris cuncta complerent.* Porrò Scythas Hunnorum etiam nomine intelligi certum est. Jam igitur in Romanum irruperant Imperium tempore Gregorii Nysseni, cui ferè coævus fuit Hieronymus.

Respondeo ad secundam rationem, Non haberi in Scriptura quòd Job fuerit ex Arabia oriundus, sed ex terra Hus, quæ etsi Arabiæ finitima fuerit, Arabiæ tamen regio non fuit. Certè Jeremias cap. 25. Prophetiæ suæ, Reges Ausitidis, id est, terræ Hus, ut vertunt Septuaginta, distinguit a Regibus Arabiæ: & Sanctus Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis super Genesim, *Hus Trachonitidis & Damasci conditor, inter Palæstinam & Cœlen-Syriam tenuit principatum; a quo 70. Interpretes in libro Job, ubi in Hebræo scribitur, Terra Hus, regionem Ausitidem, quasi Husitidem transtulerunt.* Præterea, Sanctus Gregorius Nyssenus Jobum & Martyrem Theodorum patriâ fuisse affines non scribit, quòd uterque Arabs esset (de Arabia enim ne verbum quidem habet) sed quòd uterque e Regionibus Orientalibus esset oriundus. Job enim *Vir erat magnus inter omnes Orientales* (inquit Scriptura) Audire præstat Sanctum Gregorium: *Patria igitur præclaro ac strenuo huic viro est ea regio quæ ad Solem spectat Orientem. Nam etiam hic, sicuti Job, ex partibus Orientalibus nobilis est, eùmque patriam cum illa communem haberet, ejusdem imitatio morum ingeniique ei non defuit.*

Quoad nomen Theodori respondeo, Quòd lingua Græca per Orientem diffusa, nullum incommodum est ut nomen Græcum *Theodorus* fuerit Orientalibus nonnullis impositum. Præterea nomen istud quovis idiomate, voce æquivalenti exprimi potest: quem enim Latini *Adeodatum*, Hebræi *Elnathan*, & *Nathanaël*, Arabes & Syri *Ilnathan*, vel *Nathanael*, Græci, *Theodorum* vocant: unde non mirum quòd Sanctus Gregorius Nyssenus Græcè scribens, *Theodorum* nuncupaverit.

Ad tertiam rationem respondeo, Gregorium Nyssenum nusquam dixisse, Theodorum esse ex Amasea oriundum, sed solùm insinuasse, Amaseam illius patriam dici posse, in qua licèt mundo non esset natus, cœlo tamen Passione suâ & Martyrio renatus esset. *Intercede* (inquit) *ac deprecare pro patria apud communem Regem & Dominum, nam patria Martyris est etiam locus passionis, cives autem & fratres, & cognati, qui habent eum, & tuentur, & ornant atque honorant.*

Ad quartam denique respondeo, falsam esse minorem. Nam Arabes jam inde a Trajani Imperatoris temporibus in Romani Imperii clientelam & confœderationem se contulerant, ut testatur Eusebius in Chronico, ac proinde poterant in Romanorum castris militare.

XI. Oratio, sive Epistola, *De iis qui adeunt Hierosolyma*, quamvis Bellarmino & aliis nonnullis dubia sit, a Baronio Cardinali, aliisque viris eruditis, verus agnoscitur Gregorii Nysseni fœtus: ex styli similitudine, ex fide MS. Codicis Regiæ Bibliothecæ, aliorumque optimæ notæ Manuscriptorum, ex convenientia eorum quæ hac in Epistola scribuntur, cùm Historia Sancti Gregorii Nysseni, quem ex Concilio Antiocheno anno 379. Hierusolymam Legatum destinatum esse constat, ad quosdam Ecclesiæ Hierosolymitanæ sedandos tumultus, illucque profectum fuisse anno 380. cujus profectionis suæ ipse etiam meminit in Epistola ad Olympium *super Macrinæ sororis obitu* scripta.

Sacrarum peregrinationum Religionem S. Gregorius Nyssenus non improbat.

Perperam verò hac Epistolâ Sancti Gregorii ad sacrarum peregrinationum religionem impugnandam Hæretici abutuntur. Non enim damnat ibi sanctissimus Antistes peregrinationes quascumque ad loca sacra, sed eas quæ ex superstitione quadam potiùs quàm ex sobria & solida pietate tunc temporis a plerisque Christianis suscipiebantur, qui nimirum summam pietatis in peregrinatione Hierosolymitana positam existimabant. Rogatus itaque ab Abbate, aut Monachis, qui Hierosolymitanam illam peregrinationem meditabantur, suam ut ipsis ea de re sententiam aperiret, consiliumque daret, ipsos adhortatur *Ut a corpore peregrinentur ad Dominum, non è Cappadocia in Palæstinam.* Hancque suam sententiam rationibus firmat, quarum aliæ omnis generis homines Christianos spectant; aliæ viros Religiosos vitam in Monasteriis agentes. Quoad primum caput, ostendit peregrinationes nec esse secundùm se necessarias, nec adeo utiles, quin sint multorum innocentiæ noxiæ, & saluti forsan exitiosæ, præcipuè Christianarum mulierum, quarum honestas & castitas in discrimen adducitur tam prolixis itineribus. *Ubi*, inquit, *ad regni cœlorum hæreditatem consequendam vocat Dominus benedictos, profectionem Hierosolyma inter rectè facta, quæ eò dirigunt, non enumeravit. Ubi beatitudinem annuntiat, tale studium, talemque operam non est complexus. Quod autem neque beatum efficit, neque ad regnum conducibile est, quare in eo studium & operam poni oporteat, qui mentem habet, consideret. Atqui licèt id opus utilitatis quid haberet, ne sic quidem honestè a perfectis studio dignum videri deberet. Quoniam autem id factum diligenter examinatum, animo detrimentum conciliat, iis qui accuratè vita degenda incumbunt, longo studio indignum est, imò maximè cavendum, ut nihil ab eo lædatur is, qui secundùm Deum vitam instituit agendam. Quid igitur est in his quod lædat? Sancta & gravis vitæ institutio eadem omnibus & viris, & fœminis propositum est. Peculiaris est Vitæ Philosophicæ honestas & castitas: quæ in Vita non mixta, sed seorsim acta consummatur, ita ut impermixta sit, & minimè confusa natura: neque fœminis in consortium virorum, neque viris in mulierum, ad tuenda castitatis & honestatis officia contendentibus. At verò itineris conficiendi necessitas semper indiligentiam & indifferentiam in his observandis inducit*, &c.

Quoad secundum caput, sic Monachos alloquitur ut eos a peregrinationibus deterreat, quæ viros religiosos, quibus chara solitudo esse debet, minimè decent. *Unde vos qui timetis Dominum, in quibus locis estis, eum laudate. Localis enim mutatio ut Deus propior sit, non efficit: sed ubi fueris, Deus ad te veniet, siquidem anima tua diversorium tale inveniatur, ut in te Dominus inhabitet inambuletque. Sin hominem interiorem perversis cogitationibus plenum habeas, etiamsi in Golgotha fueris, etiamsi in Monte Olivarum, etiamsi sub Monumento resurrectionis, tantùm a Christi in animum tuum receptione abes, quantùm qui ne ab initio quidem fidem professi sunt. Consule ergo, dilecte, Fratribus, ut a corpore peregrinentur ad Domi-*

mi-

minam, non è Cappadocia in Palæstinam. Verùm ex his omnibus immeritò colligitur Sanctum Gregorium Nyssenum, Hierosolymitanam, aut alias ad sacra loca peregrinationes damnare ut secundùm se noxias, easque superstitioni vertere. Nam similem sententiam Sancto Hieronymo nullus affinget, qui ad sacra loca invisenda, & piè lustranda Desiderium amicum suum etiam invitat, & *Partem Fidei esse*, ait, *adorasse ubi steterant pedes Domini, & quasi recentia Nativitatis, & Crucis, ac Passionis vidisse vestigia*. Et nihilominus Sanctum Paulinum postea Nolanum Episcopum ab ea peregrinatione deterret Epistolâ 13. iisdem rationibus, quibus Sanctus Gregorius Nyssenus in Epistola mox laudata utitur. *Nequidquam*, inquit, *Fidei tuæ deesse putes, quia Hierosolymam non vidisti; nec nos idcircò meliores existimes, quòd hujus loci habitaculo fruimur; sed sive hìc, sive alibi, æqualem te pro operibus tuis apud Dominum habere mercedem. Revera ut simpliciter motus mentis mea fatear, considerans & propositum tuum, & ardorem, quo sæculo renuntiasti; differentias in locis arbitror, si urbibus & frequentiâ urbium derelictâ, in agello habitas, & Christum quæras in solitudine, sanctorumque tantùm locorum vicinitatibus perfruaris, id est, ut & urbe careas, & propositum Monachi non amittas... Si Crucis & Resurrectionis loca non essent in Urbe celeberrima, in qua curia, in qua aula militum, in qua scorta, mimi, scurræ & omnia sunt, quæ solent esse in cæteris urbibus; vel si Monachorum turbis solummodo frequentaretur; expetendum revera hujuscemodi cunctis Monachis esset habitaculum. Nunc verò summæ stultitiæ est renuntiare sæculo, dimittere patriam, urbes deserere, Monachum profiteri, & inter majores populos periculosiùs vivere, quàm eras victurus in patria...... Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis benè vixisse, laudandum est. Illa expetenda est civitas, non quæ occidit Prophetas, & Christi sanguinem fudit, sed quam fluminis impetus lætificat: quæ in monte sita, celari non potest: quam matrem Sanctorum Apostolus clamitat: in qua se municipatum cum justis lætatur habere .... Et Crucis igitur, & Resurrectionis loca prosunt his qui portant Crucem suam, & cum Christo resurgunt quotidie, qui dignos se tanto exhibent habitaculo. Cæterùm qui dicunt: Templum Domini, Templum Domini: audiant ab Apostolo: Vos estis Templum Domini, & Spiritus Sanctus habitat in vobis. Et de Hierosolymis, & de Britannia æqualiter patet aula cœlestis: Regnum Dei intra vos est. Antonius, & cuncta Ægypti, & Mesopotamia, Ponti, Cappadocia, & Armenia examina Monachorum, non videre Hierosolymam: & patet illis absque hac urbe paradisi janua. Beatus Hilarion, cùm Palæstinus esset, & in Palæstina viveret, uno tantùm die vidit Hierosolymam, ut nec contemnere loca sancta propter viciniam, nec rursus Deum loco claudere videretur.*

XII. Sanctus Gregorius Nyssenus Oratione 1. *In Christi Resurrectionem*, singularem opinionem amplexus est circa triduum mortis & sepulturæ Christi, quod ab ejus immolatione mystica in Sacramento Eucharistiæ in Cœna auspicatur. Quam exponendi rationem ut Literæ minùs consonam, quamvis alii Patres non sequantur, non elevat insignis vim loci & auctoritatem de Altaris sacrificio, sive de mystica Dominici Corporis in Eucharistia immolatione.

ARTICULUS XXI.

De SS. Amphilochio & Cæsario.

I. SAnctus Amphilochius Iconii in Licaonia Episcopus, ad quem Sanctus Basilius scripsit librum *De Spiritu Sancto*, *Ascetica*, & plures Epistolas, vivebat adhuc anno Christi 392. quo Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum Sanctus Hieronymus adornabat, in quo ipsius meminit cap. 133. Eumdem laudat in Epistola ad Magnum. Adfuit Concilio Oecumenico 2. Messalianos a sua Provincia abegit; Fidem Catholicam strenuò propugnavit contra Valentem. Edictum impetravit a Theodosio Imperatore, quo Arianorum conventicula vetabantur. Insigne ejus factum dictumque hac occasione Theodoretus refert, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 16. Valesianæ versionis. *Post hæc*, inquit, *cùm in Orientem reversus esset Theodosius, accessit ad eum admirandus ille Amphilochius, poscens ut Arianorum conventicula ex urbibus pellerentur. Verùm Imperator hanc petitionem duriorem esse ratus, nequaquam admisit. Tunc sapientissimus Amphilochius illicò rem tacitus excogitavit memoratu dignissimam. Ingressus enim denuò in Palatium, cùm Arcadium filium Imperatori adstantem vidisset, quem ille paulò ante Augustum renuntiaverat, ipsum quidem Imperatorem solito more salutavit; Filium verò honoris expertem dimisit. Imperator verò id ab Amphilochio per oblivionem existimans factum, accedere eum jussit, & filium osculari. Verùm Amphilochius sufficere honorem dixit, quem ipsi exhibuisset. Quod indignè ferens Imperator, contemptam filii suam esse ajebat injuriam. Tum verò sapientissimus Amphilochius facti sui causam aperuit, & contenta voce dixit: Vides Imperator, te filii tui contumeliam ferre non posse, sed succensere iis qui illi contumeliam faciunt. Crede igitur, Deum quoque hujus Universi eos aversari, qui Filium ipsius unigenitum blasphemant; eosque tanquam ingratos erga Servatorem ac benè de se meritum odio habere. Re hoc modo intellecta, Imperator, tum factum, tum dictum Amphilochii admodum miratus, Legem extemplò dedit, quâ Hæreticorum conventicula vetabantur.*

II. Doctrinâ & eloquentiâ SS. Basilio & Gregorio Nazianzeno inferior non fuit Amphilochius, cujus æquè ac illorum libros Philosophorum sententiis in tantum refertos dixit Sanctus Hieronymus in Epistola ad Magnum, *Ut nescias quid in illis primùm admirari debeas, eruditionem sæculi, an Scientiam Scripturarum*. Librum edidit *de Spiritu Sancto*, quo ipsum Deum esse adorandum & omnipotentem contra Macedonianos probabat. Varias ejus Homilias Græcè & Latinè edidit Combefisius noster, necnon Vitam Sancti Basilii, quam unus ipse Amphilochio vindicat: illi autem esse suppositam Glicas 4. parte Annalium, Baronius tum in Annalibus Eccles. ad annum 363. tum in Notis ad Martyrologium; Possevinus, Bellarminus, Godefridus Hermantius in Notis ad Vitam SS. Basilii & Gregorii Nazianzeni, & alii omnes viri docti arbitrantur. Et certè multiplex ratio hoc Opus Amphilochio esse abjudicandum probat. Basilius enim nondum inauguratus erat Episcopus cùm sagittâ Julianus Apostata transfixus est. Siquidem id contigit anno Christi 363. Junii 26. Sanctus verò Basilius Episcopus creatus est anno Christi 370. Falsum est igitur quod Vitæ istius Auctor scribit, Julianum Apostatam Basilii Episcopi precibus fuisse interemptum: nec id Amphilochius scripsisset. Falsum est etiam quòd Libanius tunc

esset in castris Juliani, cujus Epistolæ ipsum Antiochiæ substitisse probant, cùm Julianus Deo vindice periit. Falsuro etiam est quòd a Sancto Basilio baptizatus fuerit Libanius Sophista: ut multa alia sileam mendacia quæ in hac Vita habentur: quæ proinde a Sancto Amphilochio Sancti Basilii coævo & amico scripta non est.

III. Sancti Cæsarii Gregorii Nazianzeni fratris, quem ipse Oratione funeori prosecutus est, quæ est inter editas X. nulla Opera, vel ille, vel S. Hierooymus memorant. Et certè virum qui Catechumenus ad vitæ finem manserat, eamque transegerat in Aula, quatuor Dialogos divinis de rebus conscripsisse parum verisimile est. Quo fit ut ab eruditis ipsi abjudicentur illi, qui sub ipsius nomine editi sunt in Bibliothecis Patrum. Ipsi tamen jam ante Photii tempora adscripti erant, cùm eos ipsi tribuat in Bibliotheca Cod. CCX. Laudatus illis in Dialogis Maximus, posteriorem eorum Auctorem Cæsario Sancti Gregorii Nazianzeni fratre fuisse demonstrat. Nicephorus quoque in hoc eodem Cæsario lapsus est, ut qui lib. 11. cap. 44. eum Magistri potestatem in Imperiali Aula Theodosii obtinuisse scribit, cùm tamen longè antè diem extremum obiisset, hoc est, sub initium Valentis. Lege viri doctissimi Jacobi Billii observationem in argumentum Orationis X. Sancti Gregorii Nazianzeni, ubi Dialogos illos Cæsario Gregorii fratri perperam adscriptos luculentissimè probat.

ARTICULUS XXII.

De S. Gregorio Nazianzeno; & Gregorio Batico.

I. SAnctus Gregorius Nazianzenus cogoomento *Theologus* Nazianzi in Cappadocia natus anno 328. Athenis sub Libanio, aliisque Sophistis, humanioribus literis operam dedit cum Sancto Basilio, quocum Christianam iniit amicitiam, in virtutum communione, non minùs quàm in studiorum societate fundatam. Sazimorum Episcopus a Sancto Basilio creatus est anno 371. quibus relictis Nazianzenam vivo adhuc Patre administravit Ecclesiam. Unde Nazianzeni cognomen servavit. Mortuo Valente Constantinopolim profectus, ibique prædicationibus suis ac exemplis suscitata fide, expugnatis Arianis qui Ecclesiam illam ab exilio Sancti Pauli infestabant, auditorem ibi in sacrarum literarum studio Sanctum Hieronymum habuit. In Concilio Oecumenico ann. 381. ejusdem Ecclesiæ Episcopus renuntiatus est. Qua se dignitate studio pacis abdicavit; ac Nazianzum reversus: plerumque ruri vixit, ad aonum usque 389. quo ad vitam migravit immortalem. Ejus Opera Sanctus Hieronymus in Catalogo, cap. 117. recensuit ex parte. Vitam ipse suam carmine compusuit. Eamdem a Gregorio Presbytero scriptam Latinitate donavit, & ipsius Operibus præfixit eruditus Gregorii Nazianzeni interpres Jacobus Billius. Plura de ipso habet Rufinus lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 9. Ejus testimoniis Pelagianos Sanctus Augustinus * Synodus Ephesina Nestorianos, Sanctus Leo * & Gelasius * 1. Eutychianos impugnarunt, & profligarunt. Sanctus Basilius Gregorium Nazianzenum *Vas electionis, puteum profundum, os Christi* nuncupavit. Ruffinus ait ipsum *Id apud Deum & Ecclesias obtinuisse meriti, ut quicumque ausus fuerit doctrinæ ejus in aliquo refragari, ex hoc ipso quia ipse magis sit Hæreticus arguatur. Manifestum namque indicium est, non esse recta Fidei omnem qui in fide Gregorio non concordat.* S. Thomas ait, *Neminem unquam ejus dictis ausam esse inferre calumniam.*

August. lib. 1. cont. Julian. & Leo Epist. 95. ad Leonem August. Gelasius Lib. de duabus in Christo naturis.

II. Gregorio Nazianzeno falsò adscripta est *Metaphrasis, seu translatio in Ecclesiasten*, quam esse Sancti Gregorii Taumaturgi, constat ex Sancto Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum & in capit. 4. Ecclesiastis, & ex Ruffino lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 24. *Significatio in Ezechielem*, Billio aliisque viris eruditis genuinum ac certum Opus Gregorii Nazianzeni non videtur. *Tractatus de Fide*, Latinè tantùm extat ex versione Ruffini, nec Gregorii Nazianzeni esse Morello videtur, cùm Scripturam Sacram, maximè Isaiam, laudet verbis antiquæ Versionis Latinæ Vulgatæ, quæ Itala dicebatur, ex Græco 70. Interpretum expressæ. Unde augurati licet hujus Operis Auctorem fuisse Latinum: sed illud Græco idiomate donatum, & adscriptum Gregorio Nazianzeno, Ruffinum interpretem habuisse. Idem probat Quenellius Operum Sancti Leonis postremus Editor ac illustrator, Dissertatione 14. *De Libellis in Codice veteri Ecclesia Romana contentis*, ex his verbis Auctoris: *Ratio quadam qua apud Græcos nuncupatur λόγος* &c. & ex his, quæ post medium leguntur: *Et hoc est quod Græci Homousi a appellant, id est, alium ipsum, ut audientia nominum persona fiorent, non ut substantiam vocabula separarint.* Sanctus Augustinus Epistolâ 3. ex eo Opusculo nonnulla refert sub nomine Gregorii Orientalis Episcopi: *Gregorius etiam Sanctus Episcopus Orientalis apertissimè dicit, Deum natura invisibilem, quando Patribus visus est sicut Moysi, cum quo facie ad faciem loquebatur, alicujus conspicabilis materiæ dispositione assumptâ, salvâ sua invisibilitate videri potuisse.* Sed unum pro altero Gregorium a Sancto Augustino laudatum probabiliter censet Quenellius, Orientalem pro Betico, & Illiberitano. Quod nemini mirum videri debet, cùm Augustinus ipse lib. 1. contra Julianum, cap. 5. eumdem Nazianzenum a Nysseno non discernat. Gregorii itaque Bætici Illiberitani Episcopi Opusculum illud esse censet Vir Clarissimus: 1. quia Sanctus Hieronymus eidem æqualis testatur ipsum scripsisse *De Fide elegantem libellum*, neque hoc Opusculum isto elogio indignum est. Secundò, quia cum Gregorii Bætici ætate convenit libelli materies, & controversia de tribus substantiis, quæ per illam ætatem agitabatur in Ecclesia. Convenit cum Arianorum, quibuscum res erat Gregorio, moribus & consuetudine, quâ Catholicos velut Sabellii Sectatores passim infamabant. Convenit cum iis quæ de Episcopo illo Illiberitano memorantur: constat enim ex Marcellini & Faustini libello, adversùs Gregorium concitatum esse Imperatorum animum; quod & de se testatur Auctor hujus Opusculi his verbis: *Cùm idem ipse sis qui etiam nunc me ambitione & potentiâ Regum exagites, ac turpes omnia.* Denique hoc erat Luciferianorum, e quibus erat Gregorius, proprium, ut trium Hypostaseon defensoribus, infensi essent. At talem se prodit Auctor Opusculi quo de agimus, cùm asserit *Non tres Deos Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum*: Nam [ut ex Faustini libello habemus] *consequens* putabant Luciferiani, *Ut tres Deos confiteantur, qui tres substantias confitentur.* Perperam itaque Tractatus ille, Orationis 40. locum inter opera S. Gregorii Nazianzeni obtinuit. Perperam & ab Editoribus Ambrosianorum Operum Sancto Ambrosio olim inscriptus est Tomo 4. sub hoc titulo: *De Filii divinitate, & consubstantialitate contra Arianos.* Perperam denique Vigilio Tapsensi a P. Chiffletio in Vigilianis Vindiciis asseritur.

Duplex de Fide Tractatus S. Gregorio Nazianz. adscriptus, vindicatur Gregorio Batico.

Ejusdem Gregorii Bætici est Tractatus *De Fide Nicæna*, qui Orationis L. locum tenet inter Opera

ra Sancti Gregorii Nazianzeni. Firmissimis probat conjecturis Quenellius loco supra laudato, eumdem esse hujus & prioris alterius Auctorem. Nempè quòd uterque in styli similitudine conveniat; quòd uterque Nicænæ Fidei Symbolom explicet; sed compendiosè unus, alter fusiori & dogmaticâ tractatione. Addit, unum alterius explicationem & apologeticum esse, priorem posterioris. Id probat ex prioris Tractatûs initio, ubi profitetur Auctor, quod *Amore Catholicæ Fidei ductus, jam pridem adversùs Arianos libellum ediderat: sed*, inquit, *non defuit qui pro studio doctrinæ, vel pro charitatis officio, ea quæ a nobis dicta sunt, scrupulosiùs retractaret, & quædam ille vel superflua, vel ambigua diceret, quæ aliter possint a quibusdam, quàm a me dicta sunt accipi. Proinde rursus ea ipsa pleniori sermone in hoc libello digessi, ut & simplicitatem sensûs mei ostenderem, & scrupulum legentibus amputarem.*

Libellum autem hunc, quem defendit, eumdem esse posteriorem illum *De Fide Nycana* Tractatum, pluribus evincit Quenellius. Primò enim sibi vitio datum asserit prioris Tractatûs Auctor quòd jejunè admodum de Verbo divino locutus fuisset, suspicionemque contra se ortam esse, quòd Verbum increatum & coæternum Patri non intellexisset, sed prolatitium & quale Grammatici tradunt. Secundò ait se reprehensum quòd personæ voce usus non esset, adeoque in suspicionem venisse negatæ divinarom personarum distinctionis. Hæc autem duo breviori illi de Nicæna Fide Tractatui conveniunt, in quo semel tantùm nomen Verbi absque explicatione, Personæ verò nomen ne semel quidem usurpatur.

Secundò, in posteriori Tractatu legimus, quod scriptum a se dicit Auctor in priori, *Verum Filium de vero Patre natum, totum de toto, integrum de integro, perfectum de perfecto.*

Tertiò, ait Auctor sibi exprobratum fuisse Sabellianismum, eo quòd unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum dixisset: *Sed quia*, inquit, *unius Dei vocabulum diximus, personas negasse putamur*. Ita revera posterior Tractatus: *Non Tres Deos, sed Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum unum Deum esse confitemur*. Cui accusationi ita satisfacit in priori Tractatu: *Quomodò potui ipsum Patrem ipsum sibi Filium ponere, & hoc modo unam personam duobus nominibus appellare; quippe cùm & hanc sectam, id est Sabellianam, in eodem libello damnaverim?* Res ita se habet: sic enim exposuerat quo sensu Deum unum diceret: *Non sic unum Deum quasi solitarium, nec eumdem qui ipse sibi Pater sit, ipse & Filius, sed Patrem verum, qui genuit Filium verum*. Unius igitur ejusdemque Auctoris est uterque iste Tractatus; sed brevior qui inscribitur *De Fide Nicæna*, priorem locum obtinere debet; prolixior, qui inscribitur simpliciter *De Fide*, posteriori loco reponi; neuter verò Sancto Gregorio Nazianzeno, sed Gregorio Bætico uterque adscribendus est.

Testamentum S. Gregorii Nazianzeni illi asseritur.

III. Gregorii Nazianzeni *Testamentum*, quod a Patre Sirmondo acceptum suis Annalibus inseruit Baronius ad annum Christi 389. a Riveto in dubium immeritò vocatur. Legitimum esse Gregorii monumentum probat Annalium Ecclesiasticorum Parens, & levissima esse quæ contra ejus veritatem objici possunt ostendit. Quod namque primum objici poterat, Gregorium filias & generum non habuisse, qui tamen in Testamento nominantur, cùm Virginitatem perpetuam coluerit: Baronius solvit: dicendo neptes ab eo filias nominatas fuisse: & certè Alypianam quam filiam vocat, & præ cæteris laudat, ejus ex Gorgonia sorore neptem fuisse, constat ex ipsius Gregorii Nazianzeni Epistolis. Meletius verò, quem generum appellat, Maritus fuit Eugeniæ, vel Nonnæ, filiarum Gorgoniæ, quæ Gregorii soror fuit.

Objici poterat secundò, Theodulum Episcopum Apameæ, qui Testamento subscripsit, fictitium esse Antistitem; siquidem eo anno quo dicitur conditum Testamentum, non Theodulus, sed Joannes Apameæ Episcopus Synodo œcumenicæ Constantinopoli celebratæ subscripsit. Respondet Baronius, præter Apameam, quæ in Syria est, cujus Joannes Episcopus erat, fuisse tres alias ejusdem nominis civitates; unam in Bithynia; in Phrygia alteram; tertiam apud Parthos. Alicujus ex illis urbibus Episcopum fuisse Theodulum.

Quod denique tertio loco objici poterat contra mensem & diem quibus consignatum est Testamentum, neque Gregorium, neque Episcopos qui subscripserunt, tamdiu post absolutam ante quinque vel sex menses Synodum esse commoratos Constantinopoli, neque post abdicationem ejus Episcopatûs vocatum ampliùs fuisse Gregorium Constantinopolitanum Episcopum, ut in Testamento scriptum est: solvit Baronius dicendo vel mendum irrepsisse in mensem, quod ex duobus Codicib. MSS. probat, in quibus nomen mensis non erat adscriptum: & paulò ante Concilii celebrationem conditum fuisse: vel Joannem Lectorem & Notarium Ecclesiæ Nazianzenæ, qui illud ex ejusdem Ecclesiæ scriniis descripsit, cùm Gregorium simpliciter nominatum Episcopum legeret, honoris causâ Constantinopolitanum addidisse.

Mirum forsan alicui videbitur quòd Gregorios neptes suas Eugeniam & Nonnam publicis Tabulis despiciat, eisque dedecoris notam inurat, scribendo ipsarum vitam reprehensione non vacare. Id contrarium charitati, quâ succensum erat Gregorii pectus continuò prædicabitur: adeoque hoc Testamentum non esse Gregorii legitimum. Sed facilis est responsio. In neptium suarum emendationem, & in Dei gloriam cessuram reprehensionem illam existimavit Sanctus Gregorius: & aliunde illarum mores sæculi vanitate, aut aliis vitiis depravatos scandalum peperisse verisimile est, quos hoc remedio sanare, charitas avunculo Sanctissimo suadebat. Certè si Sanctus Gregorius Magnus Gordianæ Virginis amitæ suæ lapsum in concione ad populum propalavit, ut constat ex ejus Homil. 28. in Evangelia; nemini mirum videri debet, quòd Sanctus Gregorius Nazianzenus neptes suas reprehensione dignas in suo Testamento scripserit.

IV. *Epistolam ad Evagrium Monachum de Divinitate*, quæ obtinuit locum Orationis 45. Petavius Tom. 1. Theologicorum Dogmatum lib. 2. cap. 6. Num. 3. Gregorio Nazianzeno abjudicat, tum ob styli dissimilitudinem: tum quòd pedestris illius ac plebejus sermo minimè Nazianzeni elegantiam & granditatem redoleat. Sed viro doctissimo non assentior. Stylus enim Epistolarum simplicior est quàm Orationum. Unde cùm hic Tractatus non sit Oratio publicè habita, sed Epistola privatim ad Monachum scripta, nullum ex dissimilitudine styli ab aliis Orationibus argumentum contra illius germanitatem duci potest.

V. Oratio 48. *In Sanctos Martyres & contra Arianos*, Nicolao Fabro Viro clarissimo & doctissimo visa est alicujus Orationis Sancti Joannis Chrysostomi fragmentum, quod confirmare videtur familiaris illa Jesabelis & Nabothi mentio, cùm in Eudoxiam Imperatricem Theodosii uxorem inveheretur.

VI. *Orationis 23. in laudem Heronis Philosophi* titulus corrigendus est, & inscribenda, *In laudem Maximi Philosophi* (ex Sancto Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum.)

VII. Tragicomedia, *Christus Patiens*, ab Eruditis Criticis Gregorio Nazianzeno eripitur, & Apollinari Laodiceno ceu legitimo Auctori tribuitur.

VIII. Memoriæ lapsus maximis interdum & doctissimis viris contingit. In Sancto Gregorio Nazianzeno hujus exemplum habemus Carmine 51. Tomo 2. pag. 126. & Jamb. 21. adversùs iram, pag. 232. ubi scribit, Davidem in eum animadvertisse, qui Absalomi mortem illi nuntiavit: nempe quod in Scriptura Sacra de ejus supplicio legerat, qui Saulem a se interfectum nuntiaverat Davidi, id ad Absalomi interfectorem ex memoriæ lapsu transtulit.

ARTICULUS XXIII.

De Didymo, Gelasio Seniore, & Pachomio.

I. Didymus Alexandrinus, a prima ætate captus oculis, & ob id elementorum quoque ignarus tantum miraculum sui omnibus præbuit, ut Dialecticam quoque & Geometriam, quæ vel maximè visu indiget, perfectè didicerit. Hoc de eo legitur elogium apud Sanctum Hieronymum, qui eo præceptore gloriatur in Epistola ad Paulinum: *Didymus meus oculos habens Sponsæ de cantico Canticorum, & illa lumina, quæ in candentes segetes sublimare præcepit Jesus, procul altiùs intuetur & antiquum nobis morem reddit, ut & Videns vocetur Propheta. Certè qui hunc legerit, Latinorum furta cognoscet, & contemnet rivulos, cùm cœperit haurire de fontibus. Imperitus sermone est, sed non scientiâ, Apostolicum virum ex ipso stylo exprimens tam sensûs lumine, quàm simplicitate verborum.* Ejus opera idem Sanctus Hieronymus recenset in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 109. e quibus ipse librum *De Spiritu Sancto* Latinè interpretatus est. Origenis defensor & sectator fuit. Superstes adhuc erat anno Christi 392. annum agens ætatis supra octogesimum tertium.

II. Gelasius Senior, Cæsareæ in Palæstina post Euzoium Episcopus, & Sancti Cyrilli Hierosolymitani ex sorore nepos, qui Concilio Constantinopolitano interfuit anno 398. cujus meminit Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 141. Ruffini libros duos Ecclesiasticæ Historiæ Eusebii adjectos in Græcum sermonem vertit, ut testatur Photius in Bibliotheca, Codice 89. Ejus Sermonem de Epiphania laudat Theodoretus Dialogo 1. Hic alius est a Gelasio Cyziceno, qui tribus libris res in Synodo Nicæna gestas descripsit, cujus meminit idem Photius Codice 88. Diversus item uterque ab alio Gelasio Cæsareæ Palæstinæ pariter Episcopo, qui librum adversùs Anomæos scripsit: ut ibidem Photius observat.

III. Sanctus Pachomius Tabennensis in Ægypto Abbas obiit die 14. Maji anno circiter 350. vel 360. Regulam Monachorum conscripsit, quam fertur ab Angelo dictante accepisse. Extat in Bibliotheca Patrum & in Codice Regularum Doctissimi Holstenii. Plura ejus capita refert Sozomenus, lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 14.

ARTICULUS XXIV.

De Ausonio Poëta Christiano.

Ausonius patriâ Burdegalensis Gratiani Imperatoris Præceptor, cum Olybrio Consulatum gessit anno Christi 379. Hunc Burdegalensem Episcopum falsò fecit Trithemius. Elegantissimas Poëses scripsit, quas Elias Venetus & Josephus Scaliger ediderunt, & Commentariis illustrarunt. Fastorum etiam libros absolvit. Opus certè maximi laboris ac multarum vigiliarum; a principio enim Urbis conditæ auspicatus est, eosque ad suum Consulatum perduxit. Quo de Opere ita scripsit ad Proculum.

Urbis ab æterna deductam Rege Quirino
Annorum seriem cum Procule accipies,
Mille annos, centumque & bis fluxisse novenos
Consulis Ausonii nomen adùsque leges.
Fors erit ut lustrum cùm se cumulaverit istis,
Confectam Proculus signet Olympiadem.

ARTICULUS XXV.

De Orsiesi, Marco Eremita, Asterio, & Diadocho.

Orsiesis Abbas Ægyptius, Theodori & Pachomii Abbatum æqualis, Regulam *De Institutione Monachorum*, vice Testamenti prope diem obitûs suis Fratribus obtulit. Nonnulli ipsi tribuunt & libellum *De Sex cogitationibus Sanctorum*, qui extat editus Tom. V. Antiquæ Lectionis, Henrici Canisii.

II. Marcus Eremita cadente IV. Sæculo floruit *Octo libros Asceticos* composuit, quorum argumenta recenset Photius in Bibliotheca Cod. CC. Librum etiam scripsit *Contra Melchisedechianos*, in quo in ipsum parentem suum hujus Hæreseos labe infectum vehementer invehebatur. Extant hi libri Ascetici in Bibliothecis Veterum Patrum. Posterior ille contra Melchisedecitas excidit. Marci Eremitæ meminit Sozomenus lib. 6. cap. 29. quem Sacræ Scripturæ libros memoriâ tenuisse asserit, Deo verò ita charum fuisse, ut Macarius Cellarum Presbyter sæpe affirmaverit, illum nunquam a se accepisse Eucharistiam, sed ab Angelo, cujus manum ad juncturam usque dumtaxat se vidisse dicebat. Eum jam centenarium Palladius invisit, ut ipse testatur in Historia Lausiaca. Meminit etiam ipsius Nicephorus lib. 14. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 54. qui & illum Sancti Chrysostomi discipulum facit. Errant itaque qui ipsum Leonis Philosophi Imperatoris temporibus, id est anno circiter 900. floruisse scribunt, ipsum cum alio cognomine, qui Principem illum sanavit Cedreno & Zonara testibus, imprudenter confundentes.

III. Asterius Amaseæ in Ponto Episcopus, Joliani Apostatæ temporibus florebat, ut colligitur ex Orationibus *De Kalendis*, & *adversùs Avaritiam*, ubi loquens de iis quos perfidus Imperator ad fidem negandam induxerat: *Sunt*, inquit, *etiamnum recentia, & nostræ ætatis*. In VII. Synodo Actionibus 4. & 6. ejus testimonia laudata sunt, necnon ab Hadriano I. Pontifice Maximo *lib. de Imaginibus*. Insignia ejus homiliarum fragmenta exscripsit Photius in Bibliotheca, Cod. 271. Nonnullas exhibent integras Bibliothecæ Veterum Patrum, quibus alias a se Latinitate donatas addidit Combefisius noster in Auctario, Tom. I. Diver-

versus est Asterius iste ab alio ejusdem nominis Arianæ factionis Philosopho, quem constat ex Sancto Hieronymo Catalogi cap.94. sub Constantino Imperatore scripsisse in Psalmos, Evangelia, & Epistolam ad Romanos. Alius item est ab Asterio Petræ in Arabia Episcopo, qui Sancto Juliano Sabæ familiaris fuit, & a Constantio Imperatore propter fidem in Africam relegatus, ibidem confessor occubuit: cujus meminit Theodoretus, Religiosæ Historiæ cap.2.

IV. Diadochus, Photices in Veteri Epiro, sive Illyrico Episcopus, exeunte Sæculo 4. floruisse dicitur. Librum Asceticum decem Definitionibus, & centum Capitibus constantem composuit; de quo Photius in Bibliotheca, Cod. 201.

ARTICULUS XXVI.

De Paulino Episcopo Nolano, & altero Paulino S. Ambrosii Clerico.

PONtios Anitius Paulinus ex Aquitania II. oriundus, e civitate Burdigalensi, aut e vicino loco, circa annum Christi 353. a Sancto Delfino urbis illius Episcopo baptizatus, cum Therasia sanctissima conjuge in deserta Pyrenæorum montium & Barcinonenses campos, ut Deo magis vacaret, secessit. A Lampio Barcinonensi Antistite Presbyter ordinatus est, eâ tamen lege ut nulli manciparetur Ecclesiæ. Hispaniâ relictâ Italiam petiit. Mediolanum, Romamque adiit: Illic a Sancto Ambrosio, hic a Siricio amicissimè exceptus: Nolam denique se contulit; cujus urbis postea creatus est Episcopus. Ad annum usque Christi 431. superstes fuit. SS. Ambrosii, Augustini, Hieronymi laudibus celebratus est, & amicitiâ dignatus. Ipsius etiam honorificè meminerunt Severus Sulpitius, Eucherius, Prosper, & Cassiodorus, & Gennadius in Catalogo Virorum illustrium, cap.48. Varias Epistolas, & Poëmata sacra composuit. Sex libri *De Vita Sancti Martini* carmine Heroico scripti ad Perpetuum Turonensem Episcopum, qui in Veterum Patrum Bibliotheca habentur, non sunt Paulini Nolani, sed alterius cognominis, patriâ Petrocoriensis, qui 30. aut 40. circiter annis ab obitu Sancti Paulini Episcopi Nolani Opus illud suum Perpetuo Turonensi Archiepiscopo nuncupavit. Id observarunt Sirmondus *In Notis ad Sidonium Apollinarem*, & Bellarminus in lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*.

De Sancto Paulino lege Epistolam Uranii Presbyteri *ad Pacatum*, Ausonium Epist.20. & 21. Sulpitium Severum *in Vita Sancti Martini*, cap.21. Sanctum Ambrosium Epistolâ 30. *ad Sabinum*, Sanctum Hieronymum Epistolâ 13. *ad Paulinum*, & Epistolâ 34. *ad Julianum*, Sanctum Augustinum Epistolâ 34. *ad Paulinum & Therasiam*, lib. *de Cura pro mortuis*, cap.1. & Epistolâ 106. *ad Paulinum*, & lib.1. *de Civitate Dei*, cap.10. Julianum Pomerium, lib.2. *de Vita Contemplativa*, cap.9. Gregorium Turonensem, lib. *de Gloria Confessorum*, cap.107. Gregorium Magnum, lib.3. Dialog. cap.1. Cassiodorum, lib.1. *Divinarum Institutionum*, cap.21. Hi patres in Sancto Paulino præcipuè laudant divinam charitatem, quâ suas, uxorisque nobilissimæ facultates amplissimas in pauperes erogavit: & seipsum, jam Episcopus, Regi Wandalorum loco filii cujusdam Viduæ, quem, ad pauperum sustentationem & redemptionem captivorum, erogatâ omni pecuniâ, liberare non poterat, in servitutem addixit.

Epistola ad Faustam Rejensem, quæ Tomo 3. Bibliothecæ Patrum Parisiensis Sancti Paulini Episcopi Nolani nomine edita est, ipsi perperam adscribitur, pugnante ratione temporum. Ejus forsan Paulini est, quem inter Salvianum Presbyterum Massiliensem, & Hilarium Arelatensem inseruit Gennadius, cap.68. Catalogi. De Paulino, ejusque Vitâ, & Operibus, lege S. Chifletium in Paulino illustrato.

Alter a Nolano Episcopo Paulinus est, qui Vitam Sancti Ambrosii scripsit ad Sanctum Augustinum. Is nimirum Clericus fuit Ecclesiæ Mediolanensis, inferioris ordinis, Casti Diaconi subditus disciplinæ, & Sancti Ambrosii in Sacris Scriptionibus amanuensis, quo munere ad sanctissimi usque Præsulis obitum functus est. At Paulinus Nolanus vivente Ambrosio jam Presbyter ordinatus erat, ut testatur ipse ad Alypium scribens: *Ambrosii semper & dilectione ad fidem nutritus sum* [inquit] *& nunc in Sacerdotii ordine confoveor: denique suo me Clero vindicare voluit, ut etsi in diversis locis degam, ipsius Presbyter censear.* Sacerdotii tamen dignitate Paulinus ille Sancti Ambrosii Clericus, & illius Vitæ scriptor, postea auctus est, si Isidoro Hispalensi credamus, ipsum in lib. de Viris Illustribus cap.4. Presbyterum vocanti. Imò & vivente Sancto Ambrosio in Diaconorum Ordinem adlectus est. Hic ipse est qui adversùs Cœlestium Pelagianum Aurelio, deinde Zozimo libellum accusatorium obtulit, cùm jam Carthaginensi Clero adscriptus esset. Missus nempe fuerat a Venerio Mediolanensi Episcopo ad Aurelium, qui ex Concilio Carthaginensi II. petierat ab Anastasio Romano, & ipso Venerio Mediolanensi, ex Italia submitti Clericos ad supplendam Africanorum inopiam. Istud constat ex Commonitorio Marii Mercatoris Imperatori oblato super nomine Cœlestii, cap.1. *Cœlestius*, inquit, *apud Aurelium Episcopum memoratæ urbis, per libellum a quodam Paulino Diacono Sanctæ memoriæ Ambrosii Mediolanensis Episcopi est accusatus*. Idem constat ex Auctore Prædestinati, lib.1. Hæresi 88. ubi de Cœlestio scribit: *Restitit ei quidam Paulinus Diaconus, defensor & procurator Ecclesiæ Mediolanensis.*

Alter vixit eodem Sæculo Paulinus Discipulus S. Ephræm, cujus post obitum, amore primatûs & nominis se ab Ecclesia separans, multa scripsit Fidei contraria: de quo Gennadius in Cathalogo Virorum Illustrium.

ARTICULUS XXVII.

De S. Ambrosio.

I. AMbrosius Mediolanensis Episcopus, unus e quatuor Ecclesiæ Latinæ Doctoribus, qui Sanctum Augustinum Jesu Cristo peperit, vir intrepidi in munere Pastorali animi, & invictæ fortitudinis, tum in propugnanda Fide, cùm in tuenda Disciplina: Fide adversùs Arianos, & Justinam Imperatricem ipsis faventem: Disciplina, in causa Maximi Tyranni, quem ob illatam Gratiano Imperatori necem a communionis consortio segregavit; & in causa Theodosii Imperatoris, quem ob cædem Thessalonicensem publicæ addixit Pœnitentiæ: gloriosis pro Ecclesia Catholica perfunctus laboribus, præclarisque libris conscriptis, obiit die IV. Aprilis anno Christi 397. ætatis 64. Episcopatûs 22. Ipsius Doctrinam & scripta Veteres laudarunt, & maximè S. Augustinus, qui ejus auctoritate contra Pelagianos pugnat lib. 1. contra Julianum, cap.3. *Adhuc audi*, inquit, *aliam excellentem dispensatorem, quem veneror ut Patrem: in Christo enim Jesu per Evangelium ipse me genuit, & eo Christi ministro lavacrum regenerationis accepi. Beatum loquor Ambrosium, cujus*

pro

pro Catholica fide gratiam, constantiam, labores, pericula, sive Sermonibus, sive Operibus, & ipse sum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus. Plurima e Græcorum Patrum, & præsertim ex Sancti Basilii scriptis Ambrosius defloravit, & propria sibi fecit; quæ causa Baronio Cardinali visa est, cur Sanctus Hieronymus suum de Ambrosii scriptis suspenderit judicium, *ne in alterutram partem aut adulatio in ipso reprehenderetur, aut veritas*, adhuc superstite Ambrosio (ut ipse scribit in Catalogo.)

Pelagius apud S. August. lib. de Gratia Christi, cap. 43.

Pelagius ipse * Hæresiarcha magnis laudibus prædicavit Sanctum Ambrosium. *Ambrosius Episcopus*, inquit, *in cujus præcipuè libris Romana elucet fides, qui Scriptorum inter Latinos flos quidam speciosus enituit; cujus fidem, & purissimum in Scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere.*

§. I.

De Operibus S. Ambrosii legitimis.

Opera S. Ambrosio Supposita.

COmmentaria in *Apocalypsim*, non sunt S. Ambrosii, sed Berengaudi cujusdam, cui illa tribuit MS. Codex Bibliothecæ Corporis Christi in Academia Oxoniensi. Dissimilitudo styli, assutæ identidem Sancti Gregorii Papæ sententiæ, Romani Imperii a Longobardis occupati, & potestatis eorum quasi jam deletæ facta mentio cap. 17. alium ab Ambrosio, & quidem longè recentiorem Auctorem produnt.

II. Liber *De Vitiorum, virtutumque conflictu ad Simplicianum*, Sancti Ambrosii non est, sicut nec Sancti Augustini cujus inter Opera habebatur Tomo nono: Sed *Ambrosii Autperti*, cujus nomine inscriptus est in Codice MS Abbatiæ *Sancti Ebrulfi*.

III. Libellus *De Fidei Expositione*, sive Nicæni Symboli explicatio *contra Arium & Photinum*, nihil aliud est quâm Epitome ex lib. 1 de fide ad Gratianum concinnata.

IV. Libellus *De Spiritu Sancto*, qui in Sandionysianæ prope Parisios Abbatiæ Bibliotheca repertus, tribus deinceps Ambrosii libris de Spiritu Sancto adjunctus est a Typographis, non est Ambrosii: quod præter immanem styli & dictionis varietatem, satis probat id quod eo in libello legitur. *Unde tractum est per omnes fere Orientales Ecclesias, & nonnullas Occidentales, ut in oblationibus sacrificiorum, quæ Deo Patri offeruntur, unà cum Sacerdotis voce populus utatur, id est Sanctus, Sanctus, Sanctus, quod Christi institutum esse dicunt Historici.*

V. Tractatus *De Concordia Matthæi & Lucæ in Genealogia Christi describenda*, cùm in duobus pervetustis exemplaribus, altero San-dionysianæ, altero Victorinæ Bibliothecæ inventus fuisset, adjectus olim fuit a Gillotio Parisiensi editioni 1569. ac quidem putabat ille non abhorrere cùm materiâ, tum stylo, ab Ambrosio; sed secùs aliis visum est, inquit Possevinus in *Apparatu sacro*: & meritò.

VI. Tractatus *De origine & moribus Brachmanorum*, ab omnibus agnoscitur ut supposititius Ambrosii fœtus.

Liber unicus De Pœnitentia, non est S. Ambrosii, sed Victoris Turonensis.

VII. *Expositio in Cántica Canticorum*, ex variis Operum Sancti Ambrosii locis ab Antonio Domochare Parisiensi Theologo excepta est.

VIII. Liber unicus *De Pœnitentia*, cum exhortatione ad peragendam Pœnitentiam, & Epistola, *Cur Deus permiserit Monachum quemdam a Dæmone vexari*; non sunt Sancti Ambrosii, qui duos tantùm de Pœnitentia libros ipse se scripsisse testatur in Psalm. 37. Styli quoque licèt elaborati quædam asperitas Africanum Auctorem prodit: quod & confirmant hæc verba Auctoris in extremo libro posita: *Nulla capiatis oblivione Victoris* Victori Cartennæ in Mauritania Episcopo tribuit Possevinus, Gennadii fretus testimonio, qui isti Victorii librum de Pœnitentia tribuit. Sed Gennadius librum Victoris Cartennæ *De Pœnitentia publicani* inscriptum fuisse docet, vivendique regulas Pœnitentibus tradidisse, quod huicce libro non convenit. Quamobrem Victori Tunonensi potiùs adscribendum censeo, cum Philippo Labbæo in Dissertatione Historica de Scriptoribus Ecclesiasticis, cui in Codice MSS. Mariæ Remensis & in altero Herivallensis Monasterii inscriptus est.

Commentarii in Epistolas S. Pauli non sunt S. Ambrosii.

IX. *Commentarios in Epistolas Sancti Pauli* Ambrosio ab eruditis omnibus abjudicatos, Hilario Sardo Romanæ Ecclesiæ Diacono jam vindicavimus. Non esse Sancti Ambrosii, jam omnibus certum, & exploratum est; quamvis jam inde a nono Sæculo *Hincmarus* in Tractatu *De Divortio Lotharii*, Ecclesia Lugdunensis, Concilium Aquisgranense 3. cap. 8. *Amalarius, Prudentius, Haymo*, & plures alii ejusdem temporis Auctores, multa ex his ipsis Commentariis sub *Sancti Ambrosii* nomine protulerint, quod & *Rabanus* Hincmaro coævus, *Sedulius, Lanfrancus, Gratianus, Ivo Carnotensis, Petrus Lombardus*, & *S. Thomas* præstiterunt. Sed re diligentiùs discussâ; eruditi quique viri istos [ut dixi] Commentarios *Sancto Ambrosio* abjudicaverunt, quod ut facerent, ipsis persuasit 1. Styli doctrinæque hujus Auctoris a Stylo & Doctrina *Sancti Ambrosii* diversitas; maximè quod in asserendis Dogmatibus Catholicis inter utrumque non satis conveniat; & iis refellendis quæ Ariani objicere solebant, ea responsa adhibeat, quibus neglectis, omnino diversa Sanctus Ambrosius adhibet. Secundò, quòd Græcè peritus fuerit Sanctus Ambrosius; hic Auctor in lingua Græca peregrinus fuerit. Tertiò, quòd perspicuum ac exploratum non sit Sanctum Ambrosium Commentarios in Sanctum Paulum scripsisse. Ferebatur quidem *Cassiodori* temporibus, *Sanctum Ambrosium* omnes *Sancti Pauli* Epistolas exposuisse; sed hujusmodi Expositionem Doctissimi ac religiosissimi Senatoris ætate periisse verisimile est, [si quæ tamen unquam fuit] ut ipse testatur lib. *De institutione Divinarum Literarum*, cap. 8. *Dicitur etiam*, inquit, *Sanctum Ambrosium sub notatum Codicem Epistolarum omnium Sancti Pauli reliquisse, suavissima expositione completum, quem tamen adhuc invenire non potui*, &c.

Epistolæ ex Ambrosianarum numero segregandæ.

X. Inter Epistolas, quæ olim erat 84. ad Demetriadem scripta, non est Sancti Ambrosii, cùm in ea Pelagianorum, qui Ambrosio noti non fuerunt, mentio fiat. Ex Ambrosianarum numero pariter segregandæ sunt, illa quæ inscribitur *Ad Virgines sacras*, item *De Inventione SS. Gervasii & Protasii*, & *De Inventione SS. Vitalis & Agricolæ*, & Epistola *Ad Florianum*: Ab Ambrosii siquidem stylo & ingenio abhorrent. Auctor illius quæ Virginibus sacris scripta est, ignarus erat Morum Romanorum tempore *Sancti Ambrosii*. Alioqui nunquam scripsisset, *Perseveravit constantia in Virginitate, per quam multæ Virgines & mediocres & nobiles & illustres sacra velamina susceperunt*. Id enim Ambrosianis temporibus non convenire constat ex *Sancto Hieronymo in* Epistola *De Laudibus Marcellæ*, scribente: *Nulla eo tempore nobilium fœminarum noverat Roma propositum Monachorum, nec audebat propter rei novitatem ignominiosum, ut tunc putabatur, & vile in populis nomen assumere*. Quæ de Sanctorum Gervasii & Protasii Inventione inscribitur, Ambrosiana videbitur nemini, qui illam contulerit cum iis, quæ de hac ipsa Inventione *Sanctus Ambrosius* memorat. Legitur quidem locus ex hac Epistolâ in fragmento Orationis Sancti Joannis Damasceni *De Ima-*

gini-

ginibus; sed nihil aliud inde probatur, nisi jam inde ab ejusdem Sancti Patris ætate [si tamen ejus verè sit illud Fragmentum) illam Epistolam sub *Sancti Ambrosii* nomine circumferri solitam. Epistola de Inventione SS. Vitalis & Agricolæ consarcinata & interpolata est ex *Sancti Ambrosii* narratione, qua eorumdem Sanctorum Martyrum Inventionem in *Exhortatione Virginitatis* descriptam reliquit. Accedit *Gregorii Turonensis* testimonium, lib. 1. *De Gloria Martyrum*, cap. 44. & 47. disertè affirmantis, ætate sua Martyrum quidem Gervasii & Protasii Acta extitisse, non verò SS. Vitalis & Agricolæ. Epistola denique ad *Florianum* ab Ambrosiano stylo maximè distat.

XI. Sermones 9. 37. & 72. inter Sancti Augustini Sermones etiam reperiuntur. Plures alii a Bellarmino notati leguntur inter Sermones Sancti Maximini Taurinensis. Cui vindicandi sint, incertum est. Sermo nonagesimus, in quo describitur Passio B. Agnetis, in dubium non immeritò vocatur, ex eo quòd narret guttur Sanctæ Virginis gladio fuisse perfossum, cùm Ambrosius lib. 1. *De Virginibus*, caput ipsi gladio amputatum asserat: *Stetit, oravit, cervicem inflexit* [inquit ille.] At nonagesimus secundus *De Baptismo Augustini*, spurius est. Non est verisimile quod eo in Sermone dicitur, Ambrosium sæpe Deum orasse, ut eum a captionibus Augustini liberaret. Id enim repugnat ipsius Augustini testimonio *in Confessionibus*, ubi vix se privatim alloqui potuisse Sanctum Ambrosium, & eum eo familiariter congredi, qui negotiis innumeris continuò implicitus erat in Ecclesiæ suæ regimine, asserit: ejusque se concionibus ad fidem conversum fuisse testatur: disputationum verò cum ipso initarum non meminit. Præterea Augustinum e Baptismo recentem cucullâ nigrâ indutum ab Ambrosio, falsò ait illius Sermonis Auctor. Albis enim induebantur recens baptizati, secundùm antiquos Ecclesiæ mores; non pullis vestibus, & cucullâ Monastica. Denique Sermones omnes hactenus sub *Sancti Ambrosii* nomine vulgatos, exceptis Concionibus quatuor, scilicet *In funere Valentiniani*, *in Funere Theodosii*, *De Basilicis non tradendis*, & *De Reliquiis SS. Gervasii & Protasii*, eruditi Ascetę Benedictini Congregationis Sancti Mauri, qui Sancti Ambrosii Opera novissimè Parisiis ediderunt, in Appendicem rejecerunt, cùm nullum deprehenderint qui cùm aliqua veri specie *Sancto Ambrosio* tribui possit.

Sermones pene omnes inter Opera S. Ambrosii editi, sunt alterius Auctoris.

XII. Canticum *Te Deum laudamus*, non est a SS. Ambrosio & Augustino compositum; sed a quodam Monacho Ordinis Benedictini, Sisebuto nomine, ut constat ex antiquo Breviario Chori Monasterii Cassinensis descripto paulò post annum 1086. in quo hocce Canticum inscribitur: *Hymnus Sisebuti Monachi*. Cui & in altero Cod. MS. Vaticanæ Bibliothecæ laudato a Doctissimo Cardinali Bona in lib. *De Divina Psalmodia*, tribuitur. Tandem ante Regulas Sanctorum *Benedicti & Cæsarii* mentionem hujus Cantici nullam invenimus. Vulgi opinio illum *SS. Ambrosio & Augustino* tribuentis, solo nititur Pseudodacii Chronicon lib. 1. cap. 10. Hymnum Ambrosianum vocat *Smaragdus* in Regulam *Sancti Benedicti*, cap. 31. *Abbo Floriacensis* Epistolâ in MS. Pithoeano relictâ, in qua nonnullas explicat Grammaticæ regulas, illum tribuit *Sancto Hilario*: ita enim habet: *In Dei Palinodia quam composuit Hilarius Pictaviensis, Episcopus, non juxta Imperitorum quorumdam errorem*, Suscepisti, *sed potiùs* Suscepturus, *legendum*, Tu *ad liberandum suscepturus hominem*, &c. Librum Hymnorum Sanctum Hilarium edidisse, testantur *Sanctus Hieronymus*, Concilium Toletanum 4. Can. 13. & *Sanctus Isidorus*

Canticum Te Deum laudamus, non est S. Ambrosii.

Hispalensis lib. 1. *De Officiis Eccles.* cap. 6. Sed cùm liber ille Sancti Hilarii perierit, ut & *Liber Mysteriorum* ab ipso editus, & Liber *Ad Præfectum Salustium contra Dioscorum Medicum*, & Tractatus *in Job* a Sancto Hieronymo in serie Operum ipsius memorati, certò scire non possumus an Hymnus seu Canticum *Te Deum laudamus*, sit *Sancti Hilarii*, cui præter Abbonem Floriacensem, nemo illud tribuit.

XIII. Libri *De Vocatione omnium Gentium*, non sunt Sancti Ambrosii. Alterius esse phraseos dissimilitudo; mentio Pelagianorum, quos Ambrosio jam inter cœlites recepto natos esse constat; & Semi-Pelagianorum impugnatio, de quibus nonnisi post viginti ab Ambrosii obitu annos in Ecclesia auditum est, evidenter probant. Cujus sit insigne illud Opus, an Prosperi Aquitani, an Hilarii Prosperi socii, & Sancti Augustini discipuli; an Eucherii Lugdunensis, an Sancti Leonis, quibus Viri Eruditi variis conjecturis freti illos tribuunt, pro suo quisque studio, aliàs expendemus, cùm agemus de scriptis Sancti Prosperi, Sæculo V.

XIV. *Posterior Apologia Davidis*, Ambrosii esse non videtur, quòd adulterium Davidis allegoricè exponat, & ita explicet, quasi veri adulterii reus non fuisset. Stylus præterea ab Ambrosiano diversus. Plura quæ in priore Apologia dicta fuerant, in posteriore leguntur, quâ repetitione usus fuisse non videtur *Sanctus Ambrosius*. Accedit quòd *Sanctus Augustinus* laudans *Apologiam David a Sancto Ambrosio* editam libro 1. *contra Julianum*, cap. 3. libro 2. cap. 5. & lib. 4. *Contra duas Epistolas Pelagianorum*, cap. 11. nusquam primam appellat, appellaturus procul dubio si duas agnovisset. Ista tamen Apologia secunda in pluribus Codicibus MSS. nomen *S. Ambrosii* præfert. *Guillelmus a Sancto Theodorico* in Expositione Cantici Canticorum ex Ambrosianis sententiis collectâ, *Davidis Apologiam secundam* sub *Sancti Ambrosii* nomine citat; sed ævi non admodum antiqui est Auctor ille, qui vix ante annum millesimum centesimum quadragesimumquintum diem obiit. Alia insuper argumenta Codicum illorum MSS. fidem dubiam faciunt, scilicet quòd in hoc Opere nonnulli Scripturæ loci paulò aliter citentur quàm in genuinis Sancti Ambrosii Operibus, Auctorque Vulgatâ Versione usus videatur cap. ultimo, num. 68. Conjici etiam potest ex iis quæ de duabus Christi voluntatibus & operationibus traduntur, cap. 7. num. 38. & cap. 12. num. 62. Auctorem post exortam Monothelitarum Hæresim scripsisse.

Posterior Davidis Apologia non est S. Ambrosii.

XV. Tractatum *Ad Virginem lapsam*, Bellarminus, Possevinus, & alii plerique tum Catholici cùm Heterodoxi Critici *Sancto Ambrosio* abjudicant, propter ista maximè verba, quæ cap. 8. leguntur: *Inhære Pœnitentiæ usque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humano die posse veniam dari: quia decipit te qui hoc tibi polliceri voluerit. Qui enim propriè contra Dominum peccasti, ab illo solo te convenit in die judicii expectare remedium*: Novatiano errori favere hanc sententiam putant, quam duplici *De Pœnitentia* libro vehementer impugnavit *Sanctus Ambrosius*. Verùm hunc locum diligentiùs consideranti nullatenus favere Novatianis videtur, cùm infelici illi puellæ absolutionem & remissionem criminis ab Ecclesia concedi posse non neget, sed non impertiendam facilè, & nisi peractâ diuturnâ & usque ad extremum vitæ protractâ Pœnitentiâ doceat. Quæ disciplinæ severitas primis Ecclesiæ sæculis in gravissimorum criminum reos observata est, etiam post ortum Novatianæ Hæreseos. Gravissimum autem erat hujus puellæ crimen, quæ sponte sua, non

Tractatus ad Virginem lapsam S. Ambrosio vindicatur. Non favet Novatianis.

parentum persuasione aut consilio, Statum Virginitatis elegerat; quæ die Sancto Dominicæ Resurrectionis Velum ad Altare solemni ritu susceperat, populo *Amen* respondente; quæ ex paterna domo egressa, in Monasterium Virginum secesserat, ubi tutior esset ejus Virginitas. Media nihilominus in civitate a juvene continentiæ pietatisque professionem simulante constuprata, ejusque libidini non semel aut iterum, sed sæpius obsecuta fuerat; imò ex eo peperisse, & fœtum clam extinxisse credebatur. Denique crimen confessa non fuerat, sed proditum conata fuerat excusare mendacio, vim sibi illatam esse dicens. Tam horrendum sacrilegium, tam grave scandalum Ethnicis, Judæis, & Fidelibus creatum, diuturnâ Pœnitentiâ & ad mortem usque protractâ expiandum qui judicavit, non propterea Novatiano errori favisse censendus est. Non dissimulandum tamen quod de *Niceta* Daciarum Episcopo testatur *Gennadius*, lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap.20. illum *Edidisse & ad lapsam Virginem libellum, pene omnibus labentibus emendationis incentivum*. Secunda Synodus Duziacensis hunc Tractatum citat sub nominibus *SS. Ambrosii & Hieronymi*.

Duplicem de Pœnitentia librum S. Ambrosio falsò abjudicat Petrus Soto.

XVI. Duplicem de Pœnitentia librum Petrus Soto *In Institutione Sacerdotum*, titulo *De necessitate Confessionis*, Lectione II. perperam Sancto Ambrosio abjudicat, quorum ipse se Auctorem asserit Commentar. in Psalm.37. & satis se prodit his verbis lib. 2. cap. 8. *Serva, Domine, munus tuum, custodi donum quod contulisti etiam refugienti. Ego sciebam quòd non eram dignus vocari Episcopus, quoniam dederam me sæculo huic: sed gratiâ tuâ sum quod sum, & sum quidem minimus omnium Episcoporum, & infimus merito: Tamen quia & ego laborem aliquem pro Sancta Ecclesia tua suscepi, hunc fructum tuere, ne quem perditum vocasti ad Sacerdotium, eum Sacerdotem perire patiaris. Ac primùm ut condolere norim peccantibus affectu intimo.* Denique Sanctus Augustinus lib. 1. *Operis imperfecti contra Julianum*, hæc testimonia sub Sancti Ambrosii nomine laudat, quæ lib. 1. de Pœnitentia cap.3. iisdem omnino verbis leguntur: *Nam omnes homines sub peccato nascuntur, quorum ipse ortus in vitio est..... & ideo Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait: Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Eumdem etiam librum laudat lib. 2. Operis prioris contra Julianum, cap. 5. Ex quibus Rivetus refellitur, qui Soto subscribit lib. 3. Critici sacri, cap. 16.

Librum de Viduis, Sancti Ambrosii perperam esse negant Critici Heterodoxi.

XVII. Librum *De Viduis* Sancto Ambrosio falsò abjudicant Centuriatores Magdeburgenses, Centuria 4. Perkinsius, & alii Critici Heterodoxi. Nam Sanctus Ambrosius librum illum ut suum non semel allegat. Libro siquidem 2. in Lucam cap.2. de Anna Prophetissa loquens, hæc habet; *Cujus merito cùm alibi descripserimus, cùm Viduas hortaremur, hoc loco, quoniam ad alia properamus, non putamus iteranda.* Annam autem commendaverat in lib. de Viduis. Et lib.4. in Lucam, cap.4. *Sed de hoc pleniùs diximus, cùm de Viduis scriberemus.* Et rursus: *Diximus enim in libro alio, in Vidua illa, ad quam Elias directus est, typum Ecclesiæ missum.* Et Sanctus Hieronymus Epistolâ 50. librum illum sub nomine Ambrosii laudat. *Quòd si cui asperum & reprehensione dignum videtur*, (inquit) *tantam nos inter virginitatem & nuptias fecisse distantiam, quanta inter frumentum & hordeum est; legat Sancti Ambrosii de Viduis librum, & inveniet illum inter cætera quæ de virginitate & nuptiis disputavit, etiam hoc dixisse:* & profert multa ex isto libro testimonia. Tandem Erasmus, qui ut librorum censor gravissimus & accuratissimus apud Heterodoxos audit, *In Vidua Christiana*, hunc librum laudat ut germanum Opus Sancti Ambrosii.

Tractatus in Symbolum Apostolorum, non est S. Ambrosii.

XVIII. *Tractatus in Symbolum Apostolorum*, sive *De Trinitate*, non est *Sancti Ambrosii*, Ingenio styloque Ambrosiano planè destitutus est. Auctor Operis hoc ipsum a se ex Patrum sententiis collectum esse testatur. Et certè locos non paucos observare licet, aut pro ingenio Auctoris nonnihil immutatos, aut sæpe etiam iisdem verbis mutuo sumptos, qui ex SS. Hilario, Ambrosio, vel Augustino petiti sint. Quibus accedunt magna fragmenta e libris Tertulliani, & Commentariis Sancti Hieronymi in Isaiam; quod ultimum Opus cùm post Sancti Ambrosii mortem lucubratum sit, patet hunc Tractatum venerando illius nomini suppositum esse. Propterea in Appendicem rejectus est ab eruditis Monachis Benedictinis Congregationis Sancti Mauri in Editione novissima Parisiensi.

XIX. *Tractatus ad Virginem Devotam*, a Sancti Ambrosii eloquentia & eruditione procul abest. In nullis *Sancti Ambrosii* Operum MSS. reperitur.

S. Ambrosio suppositus Liber de Dignitate Sacerdotali.

XX. Liber *De Dignitate Sacerdotali*, Sancti Ambrosii temporibus non convenit. *Sancti Hieronymi* Versionem habet. Stylus Ambrosiano planè dissimilis est. Vox *Archiepiscopus*, quam Auctor hujus Tractatûs usurpat, Sancti Ambrosii recentior ætate est. Vehemens denique in Episcopos & Presbyteros Simoniacos invectiva posteriora tempora sapit, quibus hæc lues in Ecclesia grassata est. Variæ sunt istius libelli in Codicibus MSS, inscriptiones. Alibi quippe titulus illi præfigitur, *Liber Pastoralis*, sive, *De Cura Pastorali*; alibi *De observantia Episcoporum & Simoniaca Hæresi*; modo, *Sermo de Episcopis & Sacerdotibus, de Apostolo, in loco ubi ait, Fidelis sermo*, &c. Nonnumquam *Sermo de Pastoribus*; aliàs *Sermo de Mysteriis*, Alicubi etiam *Sermo de Ordinatione Episcopi per Simoniam*. In Codice Ecclesiæ *Sancti Martialis* apud Lemovices inscribitur *Sermo Gilberti Philosophi, Papæ Urbis Romæ, qui cognominatus est Silvester, de informatione Episcoporum*. Hunc libellum ex eodem Codice exscriptum edidit *Dom. Mabillonius* p.2. *Veterum Analectorum*. Omnia profectò & personæ & tempori satis congruunt. Episcopus enim Ordinis sui viros ibi alloquitur, idemque sæculum labe Simoniaca maximè laboravit. At nihilominus cùm istud Manuscriptum ab aliis omnibus non in sensu quidem, sed tamen in elocutione perpetuò dissideat, revocari potest in dubium utrùm verus eius Auctor censeri debeat idem *Gerbertus* sive Silvester II. an aliquis interpolator, ut observant eruditi novissimæ Editionis Parisiensis Procuratores.

§. II.

Expenduntur sex Libri de Sacramentis.

Libros sex *De Sacramentis*, Albertinus, Rivetus aliique Heterodoxi Critici falsò tribui Sancto Ambrosio contendunt, his rationibus freti. 1. Quia stylus diversus est a stylo Sancti Ambrosii: est enim submissus, rudis, ac barbarus. 2. Plures in istis libris observationes leguntur leves, ridiculæ, & indignæ Sancto Ambrosio, ut lib.1. cap.1. quòd *Baptizati Fideles Romæ dicebantur*: quasi verò non ita per orbem cognominarentur universum. Cap.5. expendens hæc verba Christi, Matth.3. *Decet nos implere omnem justitiam*, ait: *Vide quia omnis justitia in Baptismate constituta est.* Lib. 6. cap.3. ad hæc verba: *Clauso ostio ora Patrem tuum*, hæc habet: *Audi quod ostium habeas,*

quod

quod debeas claudere cùm oras. Utinam mulieres audirent. Nonnulla etiam falsa his in libris Heterodoxi notant, v.g. quòd lib. 3. cap. 1. se in omnibus Romanam Ecclesiam sequi profitetur, a cujus tamen Ritibus & moribus Ecclesia Mediolanensis discrepabat. Denique lib. 5. cap. 4. exponens Orationem Dominicam, ait Christum non dixisse: *Non inducas nos in tentationem*; sed, *Ne patiaris nos induci in tentationem.* Et tamen constat ex Evangelio Christum dixisse, *Ne nos inducas in tentationem.*

III. Auctor librorum de Sacramentis aliâ utitur Versione ab eâ quâ Sanctus Ambrosius usus est.

IV. Ludit allegoriis frequentibus.

V. Librorum de Sacramentis idem est argumentum ac librorum *De Initiandis.*

VI. Liber *De Sacramentis*, quem Sanctus Ambrosius composuit, inscribebatur, *De Sacramentis & de Philosophia*, & unicus erat, non sextuplex, ex Sancto Augustino, lib. 2. Retractationum, cap. 4.

Verùm hos libros Sancto Ambrosio vindicant Codices omnes MSS. summus omnium editionum consensus: Paschasii, Bertrami, Deoduini Leodiensis, Lantfranci, Berengarii apud Lantfrancum, Algeri, Guitmundi, Durandi Troarnensis Abbatis, Hugonis Lingonensis, Ivonis Carnotensis, Gratiani, & Magistri Sententiarum, qui sub Sancti Ambrosii nomine eos laudarunt, auctoritas.

Objiciunt Albertinus, & Rivetus Bertramum satis innuere magnam in iis libris factam esse mutationem, cùm e primo libro varia proferat loca, quæ in eo nullo modo reperiuntur, sed capitibus 8. & 9. Libri *De his qui Mysteriis initiantur.* Quamvis duo ex libro 5. adducat; quæ in eo ipso libro, unde ipsa laudat, inveniantur. Sed memoriâ lapsum Bertramum verisimilius est, vel laudasse librum *De iis qui Mysteriis initiantur*, sub titulo libri *De Sacramentis*, quòd eodem agant de argumento. Sed etsi Paschasii judicio, Bertrami, & aliorum Auctorum mox laudatorum interpolati essent hi Libri in iis quæ ad controversias de Eucharistia minimè pertineont, non sequeretur iis quæ ab octingentis aut mille annis in ore omniom versantur, & a doctrina libri *De his qui Mysteriis initiantur*, quem nemo abjudicat Sancto Ambrosio, non discrepant, fidem esse detrahendam. Nihil ergo adversùs nos promovebunt Novatores, etiamsi leviter in aliquibus mutatum verborum contextum, aliquidve assutum, aut imminutum his in libris ostenderint, cùm Ambrosianam de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia, & de Traossubstantiatione esse sententiam, evidens exploratumque sit. Sed proh Deus, quam leves sont futilesque Criticorum Heterodoxorum rationes!

Prima quidem petita ex varia scribendi ratione, sive ex styli diversitate, nullius est ponderis, quia Patres diverso dicendi genere, pro argumentorum diversitate utuntur, ut observat Sanctus Augustinus, lib. 4. *De Doctrina Christiana*, cap. 19. *Et tamen*, inquit, *cùm Doctor debeat rerum dictor esse magnarum, non semper eas debet granditer dicere, sed submissè cùm aliquid docetur; temperatè cùm aliquid vituperatur, sive laudatur: cùm verò aliquid agendum est, & ad eos loquitur qui hoc agere debeat, nec tamen volunt, tunc ea quæ magna sunt, dicenda sunt granditer, & ad flectendos animos congruenter. Et aliquandò de una eademque re magna, & submissè dicitur, si docetur: & temperatè, si prædicatur: & granditer, si aversus inde animus ut convertatur impellitur.* Istud eloquentiæ Christianæ præceptum Sanctus Ambrosius secutus est, qui submissum dicendi genus adhibebat, quoties res etiam magnas & religionis mysteria docebat, teste Sancto Augustino, cap. 25. ejusdem libri. *Sanctus quoque Ambrosius*, inquit, *cùm agat rem magnam de Spiritu Sancto, ut eum Patri & Filio demonstret æqualem, submisso tamen dicendi genere utitur, quoniam res suscepta non ornamenta verborum, aut ad flectendos animos commotionis affectum, sed rerum documenta desiderat.* Cùm igitur in libro de Sacramentis documenta Fidei traderet, non mirum quòd stylum nonnihil demiserit.

Præterea libri illi nihil aliud sunt quàm Conciones ad populum habitæ, ut constat ex cap. 6. lib. 1. *Sed interim*, inquit, *secundùm fragilitatem vocis nostræ, & secundùm temporis rationem satis sit hodie tanta de sacro fonte libasse Mysteria. Crastina die, si Dominus dederit loquendi potestatem vel copiam, pleniùs intimabo. Opus est ut Sanctitas vestra aures paratas habeat, promptiorem animum, ut ea quæ nos colligere possumus de serie Scripturarum, & vobis intimaverimus, tenere possitis, ut habeatis gratiam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Idem ex aliis libris patet, nimirum esse Tractatus sive Conciones ad plebem Christianam habitas in modum Catecheseon, ad divina de Sacramentis dogmata exponenda; quibus in Tractatibus submissum & neglectum dicendi genus a viris etiam disertissimis usurpatur: *Non curantibus quantâ eloquentiâ doceant, sed quantâ evidentiâ. Cujus evidentiæ diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid benè sonet, sed quid benè indicet atque intimet quod ostendere intendit. Unde ait quidam, cùm de tali genere locutionis ageret, esse in ea quamdam diligentem negligentiam. Hæc tamen sic detrahit ornatum, ut sordes non contrahat. Quamvis in bonis Doctoribus tanta docendi cura sit, vel esse debeat, ut verbum quòd nisi obscurum sit vel ambiguum, Latinum esse non potest; vulgi autem more sic dicitur ut ambiguitas obscuritasque vitetur, non sic dicatur, ut a doctis, sed potiùs ut ab indoctis dici solet. Si enim non piguit dicere interpretes nostros, Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, quoniam senserunt ad rem pertinere ut eo loco pluraliter enuntiaretur hoc nomen, quod in Latina linguâ tantummodo singulariter dicitur: cur pietatis Doctorem pigeat imperitis loquentem ossum potiùs quàm os dicere, ne ista syllaba non ab eo quòd sunt ossa, sed ab eo quòd sunt ora, intelligatur..... Qui ergo docet, vitabit omnia verba quæ non doceat. Et si pro eis alia integra quæ intelliguntur potest dicere, id magis eliget. Si autem non potest, sive quia non sunt, sive quia in præsentia non occurrunt, utetur etiam verbis minùs integris, dum tamen res ipsa doceatur atque discatur integrè. Et hoc quidem non solùm in collocutionibus, sive fiant cum aliquo uno, sive cum pluribus; verùm etiam multò magis in populis quando sermo promitur, ut intelligatur instandum est: quia & in collocutionibus est cuique interrogandi potestas. Ubi autem omnes tacent ut audiatur unus, & in eum intenta ora convertunt, ibi ut requirat quisque quod non intellexerit, nec moris est, nec decoris, ac per hoc debet maximè tacenti subvenire cura dicentis. Solet autem motu suo significare avida multitudo cognoscendi, utrùm intellexerit. Quod donec significet, versandum est; quod agitur multimoda varietate dicendi; quod in potestate non habent, qui præparata, & ad verbum memoriter retenta pronuntiant.* Istud Christianæ tradit eloquentiæ præceptum Sanctus Augustinus, cap. 9. lib. *De Doctrina Christiana.* Illud Sanctus Ambrosius & noverat, & exequebatur. Non mirum itaque quòd Catholicam de Sacramentis Doctrinam in Concionibus exponens populo Mediolanensi, non solùm submisso dicendi genere usus sit, sed voces interim mi-

minùs elegantes & penè barbaras usurpaverit: quas tamen & in aliis ejus Operibus interdum inveniri facilè ostenderem, si in collatione tam otiosa tempus terere vellem.

Secundam Heterodoxorum Criticorum rationem solvere non est magis operosum. Dico enim ad 1. caput objectionis, nec in Codicibus MSS. melioris notæ, nec in editionibus accuratioribus, scilicet in Parisiensi anni 1614. & in Coloniensi anni 1616. haberi quòd *Romæ Fideles dicantur* qui baptizati sunt. Habetur quidem, *Romæ*, in Codice MS. Bibliothecæ S. Michaelis in periculo maris: sed facilè oculis ipsis deprehenditur vocem istam loco alterius fuisse suppositam. Ex Codicibus MSS. & excusis qui habent *Romæ*, alii præmittunt particulam copulativam, & alii omittunt. Credibile est in quibusdam adscriptam fuisse hanc syllabam *Re*, unde factum est ut aliqui legerint *Romæ*, cùm legere debuissent, *rectè*. Nec obstat quòd per *æ* scribatur: in veteribus namque MSS. harum literarum promiscuus est usus. Sanè in tribus Codicibus, nimirum Vaticano, Regio, ac Thuaneo, loco *Romæ*, legitur *recto nomine*, pro quo in Romana Editione substitutum est, *rectè*. Denique si legatur, *& Romæ*, ut plures Codices habent, sensus erit minimè absurdus, scilicet, non solùm in hac aut in alia qualibet Ecclesia, verùm etiam in omnium nobilissima, nempe Romana, baptizatos *Fideles* appellari.

Alterum caput objectionis difficultatem habet nullam. Verissimum enim est omnem justitiam in Baptismo constitutam esse: neque illa propositio indigna est Sancto Ambrosio, si catholicè & piè, ut par est, intelligatur. Tertio capite Sanctus Ambrosius secundùm Evangelium rectè docet intrandum esse cubiculum, id est, secretò orandum esse, ut vana gloria & ostentatio fugiatur, & corde magis quàm ore esse orandum, ne in nobis compleatur illud: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est a me.*

Nihil etiam falsi subest ei quod ait Ambrosius, se *in omnibus typum & formam Romanæ Ecclesiæ sequi*, quamvis Mediolanensis tunc ab illa in pluribus discreparet. Illa enim convenientia vel intelligenda est moraliter, hoc est in pluribus, & præcipuè in Ritibus Baptismi, de quibus agebatur: vel in iis quæ spectant ad fidem. Audiatur Sanctus Ambrosius, lib. 1. Epistolâ 4. *Totius*, inquit, *orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacro-sanctam Apostolorum fidem ne turbari sineret, obsecranda foret Clementia vestra. Inde enim in omnes veneranda Communionis jura dimanant.* Item Epistolâ 7. *Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratam semper custodit & servat.* Et Epistolâ 9. quæ est ad Theophilum Alexandrinum, cui judicium contentionis de Antiocheno Episcopatu Flavianum inter & Evagrium a Capuana Synodo commissum erat, Theophilo quærenti quid esset agendum, respondet: *Referendum arbitramur ad fratrem nostrum Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem: ut nos quoque acceptâ vestrorum serie statutorum, cùm id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobaverit, læti fructum hujus examinis adipiscamur.* En quâ ratione Sanctus Ambrosius typum & formam Romanæ Ecclesiæ in omnibus sequebatur. Cum quibus tamen non pugnat, quòd in jejunio Sabbati, vel in aliis privatis Ritibus Ecclesia Mediolanensis a Romana discreparet.

Denique falsi reprehendi non potest Ambrosios, propterea quòd scripserit Christum non dixisse, *Ne nos inducas*, sed *Ne patiaris nos induci in tentationem*. Ita enim in Codicibus nonnullis scriptum fuisse Sanctus Augustinus testatur: ita lectam a Sancto Cypriano hanc Orationis Dominicæ sententiam; eaque magis exprimi fidelis animæ petitionem, quâ Deo supplicat ne in tentationem noxiam quam ipse non infert, sed permittit duntaxat, ipsam induci patiatur. Ita S. Augustinus, lib. *De Dono perseverantiæ*, cap. 6. *Deus autem*, inquit, *neminem tentat, tentatione scilicet noxia: Nam est & utilis, quâ non decipimur, vel opprimimur, sed probamur, secundùm quod dictum est: * Proba me Domine, & tenta me. Illâ ergo* Psalm. 25.
*noxiâ tentatione, quam significat Apostolus, dicens: * Ne fortè tentaverit vos is qui tentat, &* 1. Thess.
inanis sit labor noster, Deus, ut dixi, neminem 3.
tentat, hoc est, neminem infert, vel inducit in tentationem. Nam tentari, & in tentationem non inferri, non est malum, imò etiam bonum est; hoc est enim probari. Quod itaque dicimus Deo, Ne nos inferas in tentationem; quid dicimus, nisi, Ne nos inferri sinas? Unde sic orant nonnulli; & legitur in Codicibus pluribus, & hoc sic posuit B. Cyprianus; Ne patiaris nos induci in tentationem. In Evangelio tamen Græco nusquam inveni, nisi, Ne nos inferas in tentationem.

Tertium momentum Heterodoxorum Criticorum petitum ex Versionum varietate, non magis urget. Nam ex Operum Sancti Ambrosii lectione constat ipsum non iisdem semper verbis eosdem Scripturæ Sacræ locos laudasse.

Quartum non est validius, quia Sanctum Ambrosium Origenem in allegoriis frequentiùs imitari & sequi certum est.

Leve est etiam quod quinto loco adducitur, quia non rarò SS. Patres eodem de argumento tùm diverso tempore, cùm diversis libris scripserunt: & libri *De Sacramentis* longè fusiores sunt pluraque complectuntur, quàm libri, *De his qui Mysteriis initiantur*.

Ad ultimum respondeo, *De Sacramento regenerationis & de Philosophia*, adversùs Platonem & Platonicos, ex quo S. Augustinus lib. 2. contra Julianum, cap. 5. & 6. loca luculentissima de peccato originali profert, alium fuisse ab his sex libris *De Sacramentis*, de quibus agimus.

§. III.

Quæ S. Ambrosii Opera exciderint?

I. COmmentaria in *Isaiam* Prophetam scripsit Sanctus Ambrosius, e quibus non solùm plurimos locos Sanctus Augustinus adversùs Pelagianos protulit, sed etiam eorumdem meminit ipsemet Ambrosius, lib. 2. Expositionis in Evangelium *S. Lucæ*. Hæc verò Commentaria perierunt.

Ex deperditis illis in Isaiam Commentariis hunc Sancti Ambrosii locum citat Sanctus Augustinus lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 11. ubi de Apostolo Petro scripserat: *Ipse se obtulit quod ante putabat esse peccatum, lavari sibi non solùm pedes & caput poscens; quòd illicò intellexisset lavacro pedum, qui in primo lapsi sunt homine, sordem obnoxiæ successionis aboleri.* Heterodoxis quibusdam Criticis videtur Sanctus Ambrosius existimasse lotione pedum peccatum originale dimitti: Maximè cùm & libro *De Mysteriis*, sive *De iis qui Mysteriis initiantur*, cap. 6. idem significet. *Mundus erat Petrus* [inquit] *sed plantam lavare debebat: habebat enim primi hominis de successione peccatum: quando eum supplantavit serpens, & persuasit errorem. Ideo planta ejus abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur, nostra enim propria per Baptismum relaxantur.* Habetur affinis locus in Expositione Psalmi 48. Vers. 6. N. 8. *Alia est*, inquit, *iniquitas nostra, alia*

lia calcanei nostri, in quo Adam dente Serpentis est vulneratus, & obnoxium hereditatem successionis humana suo vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus. Unde Dominus discipulis pedes lavit, ut lavaret venena Serpentis: & Petrus reprehenditur, quòd excusabat, ne sibi Dominus pedes lavaret... Cui Dominus respondit. Qui lotus est, non habet necesse ut lavet nisi pedes, sed est mundus totus. Verùm non est existimandum Sanctum Ambrosium, qui ubique Baptismo perfectam justitiam regenerationemque attribuit, & agnoscit Petrum fuisse mundum, cùm ei pedes a Christo loti sunt, in ea sententia esse potuisse, ut originis maculam pedum lotione, quam multis in Ecclesiis omitti non ignorabat, deleri contenderet. Nec verisimile est Sanctum Augustinum Pelagianis objecisse testimonia, quę Baptismi necessitatem quodammodo convellerent, aut virtutem elevarent. Denique mentem suam satis aperit Sanctus Ambrosius in citata Expositione Psalmi 48. N.9. *Unde reor*, inquit, *iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quàm reatum aliquem nostri esse delicti. Meritòque Dominus.... Lavemus* (inquit) *& pedes, ut calcanei lubricum possimus auferre quo fida statio possit esse virtutum, & ne paterno quis errore labatur qui suo paratus est stare proposito: & non metuat lubricum hereditatis, qui capit vestigium tenere virtutis.* Quid clariùs quàm per *lubricum delinquendi, lubricum calcanei, lubricum hereditatis*, nihil aliud indicari quàm concupiscentiam: quæ tametsi verè ac propriè peccatum non sit in regeneratis per Baptismum, tamen quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat ab Apostolo peccatum dicitur. Ut igitur hæreditaria illa peccata, sive illud quod Petrus habebat de primi hominis successione peccatum tolleretur, seu leviora delicta delerentur, quæ ex concupiscentia post Baptismum superstite justis etiam obrepunt, in pedum lotione peculiarem gratiam conferri existimavit Sanctus Ambrosius, ex merito operantis; ex humilitate Christiana, ex Dominici exempli imitatione. Hoc est quod *Majus subsidium sanctificationis* vocat, lib.3. *De Sacramentis*, cap.1.

II. Excidit Opus Sancti Ambrosii inscriptum, *De Sacramentis & Philosophia*, de quo scribit ad *Paulinum Nolanum* Sanctus Augustinus Epist. XXXI. postremæ Editionis: *Libros Beatissimi Papa Ambrosii credo habere Sanctitatem tuam. Eos autem desidero, quos adversùs nonnullos imperitissimos & superbissimos, qui de Platonis libris Dominum profecisse contendunt, diligentissimè & copiosissimè scripsit.*

III. Periit & ille Tractatus, quem *Pansophi* pueri a mortuis suscitati causâ scripserat, ut narrat Paulinus Diaconus in ejus vita. Evanuit etiam Epistola in modum Catechismi ad *Fritigil.* Marcomannorum Reginam a Sancto Ambrosio scripta cujus meminit idem Paulinus.

IV. Sermonem *De Judicio Salomonis* Sancto Ambrosio tribuit Cassiodorus lib. *De Institutione Divinarum Literarum*: Sed vel non habetur, vel exordium est libri *De Virginitate*, cujus prima illa verba sunt: *Nobile apud Veteres Salomonis illud fertur fuisse judicium*, &c. Idem Senator, cap.5. laudat Homilias Sancti Ambrosii *De Libro Sapientia*, quæ ad nos non pervenerunt. Sermones etiam habuisse *De Proverbiis*, colligitur ex illius verbis; lib. de Mysteriis: *De Moralibus quotidianam sermonem habuimus, cùm vel Patriarcharum gesta, vel Proverbiorum legerentur pracepta.* Sed illi pariter desiderantur.

§. IV.

Leviores sunt Sancti Ambrosii nævi, quàm ut ipsius auctoritatem elevare possint in controversiis Fidei.

ID ut omnibus persuasum sit, ipsos nævos exponam quos Dallæus, lib.2. *De vero Patrum usu*, in Ambrosio observavit, quos levissimos esse compertum est, cùm vel locorum Scripturæ obscurissimorum interpretationem spectent, nullatenus Fidei dogmata; vel in falsa nominum Hebraicorum expositione sint positi; vel tandem ex memoriæ lapsu orti sint unum pro alio viris etiam doctissimis interdum suggerentis. Sic lib.2. *De Fide ad Gratianum*, per Gog & Magog apud Ezechiel, Gothos qui tum temporis orbem Christianum inundaverant intelligit: quam opinionem neque reprehendit Sanctus Hieronymus: sed nihil istud ad fidem: nec adeò certum est qui per Gog & Magog intelligendi sint: adeo obscurus est iste locus. Zachariam Joannis Baptistæ Patrem summum Sacerdotem fuisse, esto asseruerit Ambrosius: esto hanc opinionem improbabilem esse Baronius in *Apparatu* demonstret; eam tamen Sanctus Chrysostomus & Sanctus Augustinus amplexi sunt [ut Dallæus ipse fatetur] nec fidem spectat ista Quęstio. Docuerit Ambrosius Solem ad sui temperiem alimentum aquarum sibi sumere, indeque fieri ut eum aliquando madidum atque rorantem videamus, error erit in Philosophia, non in Theologia. Sed nec aquas Soli in seipso & ad sui conservationem, quemadmodum animali potus, esse necessarias Sanctus Ambrosius existimavit, sed ad corporum inferiorum tutelam quia suo ardore consumeret omnia, nisi illum aquæ interpositæ temperarent. (lib.2. in Hexaemer. cap.2.) Non rectè interpretatus sit Ambrosius nomina Hebraica *Chorat & Oreb*, quorum illud *intellectum* hoc verò *omne cor*, aut quasi *cor* asserit significare (in Psalm.118.) & vocem *Pascha*, quæ *transitum*, propriè sonat, a verbo Græco πάσχειν, quòd est *pati*, derivaverit, hæc solùm probant Hebraicè nescivisse Ambrosium, ipsique ubi de vocum Hebræarum origine & potestate agitur, fidem non esse adhibendam; sed ejus auctoritatem non imminuunt in Fidei dogmatibus tradendis, asserendis & exponendis. Aquilæ tribuerit Ambrosius, quod de Phœnice narratur, ipsam cùm fuerit mortua ex suis reliquiis renasci (lib. 2. de Pœnitentia, cap.2.) memoriæ lapsus est non error Doctrinæ. Id tamen disertè tribuit Phœnici, eoque utitur exemplo ad Resurrectionis possibilitatem persuadendam lib.5. in Hexaemeron, cap.23. Falsò autem scripsit Dallæus Ambrosium vulgatam illam de Phœnice fabulam ot certam Scripturarum auctoritate asserere, & imputare Scripturis quæ apud Auctores vel Ethnicos, vel certè Ecclesiasticos de Phœnice legerat. Nam Scripturæ Sacræ auctoritatem non allegat Ambrosius, sed Scriptorum, id est, Auctorum sive Profanorum, sive Ecclesiasticorum narrationem. *Atqui*, inquit, *hoc relatione crebrâ & Scriptorum auctoritate cognovimus, memoratam avem quingentorum annorum spatia vitali usui habere prascripta*, &c. Alios memoriæ lapsus Sancto Ambrosio perperam affingit Dallæus, quòd scilicèt Judæis tribuat, quod de Jesu Christi Discipulis narrat S. Joannes, cap.9. ipsos petiisse a Domino: *Magister, hic peccavit an parentes ejus, ut hic cacus nasceretur?* At discipulis hanc interrogationem disertè tribuit Ambrosius Epist.45. lib.6. Editionis Parisiensis, ann.1614. *Quàm sto-*

lidè

lilò, inquit, *Discipuli interrogant; Hic peccavit an parentes ejus?* Falsò eidem tribuit quòd hæc verba Dei ad Pharaonem (Exod.9.) *In hoc ipso suscitavi te ut ostendam in te virtutem meam*, ad Moysem dicta fuisse doceat. Pag. enim 1044. ejusdem Editionis hanc sententiam ad Pharaonem refert. *Pharao*, inquit, *cum populo suo fluctibus mersus, mundana conversationis exemplum est, ne quis Dei populum persequatur. Denique potuit eum Deus voluntati suæ facere obedientem, sed ejus pœnâ omnes voluit emendari. Ideòque dicit ad eum Dominus: Quia ad hoc ipsum te excitavi ut ostendam in te virtutem meam*, &c. Et post hæc tam sublestæ Fidei Criticis Heterodoxis quis credet?

Graviorem Sancto Ambrosio objicit errorem Dallæus, nimirum, quòd adulterium ante Legem Moysi non fuisse illicitum docuerit (lib. 1. *De Abraham*, cap. 4.) sed longè fuit ab eo errore alienus S. Doctor. Asseruit tantùm pœnam statutam adulterio non fuisse lege aliqua positivâ ante legem Moysi datam, imò nec lege ullâ externâ & positivâ fuisse tunc vetitum adulterium adeòque faciliùs veniam impetrasse adulteros, quàm post datam legem. Quamobrem Abrahami ad ancillam consentiente uxore accedentis crimen minus esse ait, tum ob hanc rationem, tum ob alias quas adjungit ibidem, quòd scilicet *Non ardore aliquo vaga succensus libidinis, non petulantis formæ captus decore, ancillæ contubernio conjugalem posthabuit torum, sed studio quærendæ posteritatis, & propagandæ sobolis*. En verba Sancti Ambrosii Abrahamum excusantis, quem ancillæ nupsisse non putat, sed humana fragilitate in ejus amplexus ruisse & commisisse adulterium. *Sed consideremus primùm*, inquit, *quia Abraham ante legem Moysi, & ante Evangelium fuit: nondum interdictum adulterium videbatur. Pœna criminis ex tempore legis est, quæ crimen inhibuit: nec ante legem ulla rei damnatio est sed ex lege. Non ergo in legem commisit Abraham, sed legem prævenit. Deus in Paradiso, licèt conjugium laudaverit, non adulterium damnaverat. Non vult enim mortem peccatoris, & ideo quod præmii est, pollicetur, quod pœnæ non exigit. Mavult enim mitibus provocare, quàm severioribus terrere.* Cæterùm Legem naturalem omnium cordibus insitam, quâ redarguitur omnis improbitas, adeòque & adulterium, Sanctus Ambrosius agnovit & prædicavit Epistolâ 41. ad Irenæum data *Esse autem*, inquit, *naturalem legem in cordibus nostris, etiam Apostolus docet, qui scribit, Quia plerumque & gentes naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, & cùm legem non legerint, opus tamen legis scriptum habent in cordibus suis. Ea igitur lex non scribitur, sed innascitur, nec aliquâ percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur. Quam debuimus vel futuri judicii metu servare, cujus testis conscientia nostra tacitis cogitationibus apud Deum ipsa se prodit; quibus vel redarguitur improbitas, vel defenditur innocentia.... sancta sine versutia, sine fraude, consors justitia, expers iniquitatis.* Sed & in hoc ipso libro ex quo Dallæi criminatio petita est, adulterium lege naturali, quæ a nemine homine invincibiliter ignoretur, prohibitum disertè asserit. Etenim ubi narrat quemadmodum Pharao Saram, quam in Palatium abductam uxorem ducere cogitabat, postquam conjugatam esse cognovit, Abrahamo restituit, ita loquitur: *Esse natura serus ac barbarus, tamen significat & adulterii crimen sibi esse cavendum. Qui prætendit ignorantiam, condemnat intemperantiam. Nec mirum si Barbarus jus novit naturæ. Ita major lex natura, quàm legum præscriptio est.* Neque verò putandum est hæc de solo adulterio, quo uxor aliena polluitur, esse intelligenda. Nam præterquàm quòd generalia verba sunt, proindeque ad unam adulterii speciem non restringenda, Sanctus Ambrosius hoc ipso in capite asserit, *Quod mulieri non licet, viro non licere*. Et cap. 7. *Omnes viri mulierisque concubitus nullo legitimo Matrimonii sorte celebratos habere suam culpam.* Addi potest, Sanctum Ambrosium adulterii nomine nihil aliud hìc intellexisse quàm Polygamiam, eaque usum verbi duritie, ut Catechumenos a peccatu efficaciùs absterreret.

SCHOLION.

Ad hunc Articulum Religiosi Censores hanc notam apponunt: pag. 603. *Spoliat Sanctum Ambrosium suis Operibus, præcipuè Cantico* TE DEUM *laudamus*.

R. Nullis Operibus suis *Sanctum Ambrosium* spolio, sed ea dumtaxat ipsi abjudico, quæ firmissimis argumentis ipsius non esse probantur Eruditorum omnium judicio. Canticum TE DEUM LAUDAMUS, Sancti Ambrosii non esse ante me asseruit & pius & doctus Cardinalis *Bona*, libro *De Divina Psalmodia*. De eodem eruditi Ascetæ Benedictini, qui Postremam Ambrosianorum Operum Editionem Parisiis curarunt in Admonitione ejus Hymnis præfixa hæc habent: *De Cantico Eucharistico* Te Deum laudamus, *pigeret hìc anxiè dicere; nemo quippe est hac nostra ætate non planè rudis, qui fabulam esse inficietur, quòd eundem Hymnum post baptizatum ab Ambrosio Magnum Augustinum ab utroque alternis viribus decantatum olim jactabant.*

ARTICULUS XXVIII.

De S. Epiphanio.

SAnctus Epiphanius Constantiæ Salaminis in Cypro insula Episcopus, πεντάγλωττος ob quinque linguarum peritiam meritò appellatus, Græcam enim, Hebræam, Syram & Ægyptiacam linguam ex parte & Latinam noverat, teste Sancto Hieronymo Apologiâ 2. contra Ruffinum. Floruit ab anno 361. ad 403. A SS. Patribus sæpe multùmque commendatus est, nimirum a S. Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 114. Apologiâ 2. contra Ruffinum Epistolâ 61. contra Joannem Hierosolymitanum in Epitaphio Paulæ, in Vita Hilarionis, & aliis in locis: a Sancto Augustino, lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum, ubi ipsum *inter magnos habitum & a multis in Catholica Fidei sanitate laudatum*, ait a Socrate & Sozomeno, ab illo quidem, lib. 6. cap. 10. & 11. in Historia S. Joannis Chrysostomi: ab isto verò, lib. 7. cap. 26. & lib. 8. cap. 14. Sed cavendos esse illos Scriptores Baronius & Petavius monent, dum Epiphanium referunt Anthropomorphitarum dogmati initio inhærentem, & a Theophilo errorem dedoctum, eidem propterea favisse, atque Origenem damnasse. Fallunt enim, aut falluntur Historici illi Origeni plus æquo dediti, & eam Viro Sanctissimo calumniam aspergunt, quam Catholicis imponere vulgò Origenistæ consueverant, ut nimirum Deum ab illis corporeum fingi assererent. Nam ab omni hac invidia Epiphanium sublevat Sanctus Hieronymus Epistolâ 61. ad Pammachium contra Joannem Hierosolymitanum. Ejusdem cum laude meminere Theophilus Alexandrinus Epistolâ 67. in-

inter Hieronymianas, Facundus Hermianensis, lib. 4. cap. 2. Septima Synodus Oecumenica, S. Joannes Damasceous Oratione 1, de Imaginibus, Photius in Bibliotheca Cod. 122. 123. & 124. & Menologlum Græcorum ad diem 12. Maji.

S. Epiphanis Panarium.

I. Celeberrimum Sancti Epiphanii Opus est Πανάριον idest, *Arca medica*, sive *capsula*, ac *theca*, *adversùs Hæreses*: Quod Opus ita inscripsit, ut in eo sciremus adversùs omnes Hæresium morbos saluberrima remedia contineri. Tres in libros Panarium omne dividitur. Primus tomos continet tres: quorum in priore viginti illæ sunt Christo antiquiores Hæreses. Alter, earum quæ post Christum exortæ sunt, tredecim colligit. Totidem postremus. In hoc auteui Opere non solùm Hæreseon indicem conscripsit, sed quibus armis expugnari possent, ostendit, adversùs earum errores disputans. Quod notum Sancto Augustino non fuit libro de Hæresibus ad Quodvultdeum ita scribenti, in ipsius libri Præfatione: *Noster verò Epiphanius Cyprius Episcopus ab hinc non longè humanis rebus exemptus, de octoginta Hæresibus loquens, sex libros etiam conscripsit, historicâ narratione commemorans omnia, nulla disputatione adversùs falsitatem pro veritate decertans. Breves sanè sunt hi libelli: & si in unum libellum redigantur, nec ipse erit nostris, vel aliorum quibusdam libris longitudine comparandus. Hujus brevitatem si fuero in commemorandis Hæresibus imitatus, quid a me breviùs postulare, vel expectare debeas non habebis.* Igitur Anacephalæosim tantùm, sive Breviarium ex singulorum tomorum & Hæreseon argomentis & capitibus collectum legerat Sanctus Augnstinus: Panarium verò integrum non viderat. Definit hoc Opus io Hæresi Messalianorum. De illius stylo ita censet Photius in Bibliotbeca: *Dictio ejus humilis, ac planè talis, qualem ejus esse oportuit, qui Attica elegantia rationem nullam duceret. Infirmus verò ut plurimùm est in conflictibus adversùs impias Hæreses susceptis. Est tamen ubi fortiter aggreditur atque irruit, quamvis neque verborum ipsius, neque constructionis proprietas ulla ex parte præstantior efficiatur.*

Ancoratus.

II. *Ancoratus* Epiphanii, comprehensio quædam brevior est Panariorum. Sic verò inscribitur, quòd animum instar anchoræ in doctrina Fidei moderetur ac firmet. *Physiologum*, & librum *De Lapidibus*, Sancto Epiphanio Petavius, allique Viri Eruditi asserunt. Et posteriorem quidem Epiphanii genoinum esse, fidem facit Sanctus Hieronymus; qui Epistolâ 18. ad Fablolam, *De Habitu Sacerdotali* scribens, de lapidibus & earum significatione nihil ideo se tradidisse demonstrat, quòd idem argumentum singulari libro jam Epiphanius occupasset. *Sufficiat*, inquit, *quòd & S. Papa Epiphanius egregium super hoc volumen edidit: quòd si legere volueris, plenissimam scientiam consequere.* Librum *De Mensuris & Ponderibus* Sancto Epiphanio Photius tribuit, & nullus germanum ipsius Opus esse negat.

Liber de Vita Prophetarum, non est S. Epiphanii.

III. Librum *De Vita Prophetarum* ψευδεπίγραφον esse, sexcentæ mendaciorum nugæ persuadent, quibus ille refertus est, (inquit Petavius.) Ait inter alia in Vita Jeremiæ, ipsum ante excidium Templi, Arcam, quæqoe in ea continebantur, eripuisse, atque in Saxum absorpta condidisse. In Resurrectione porrò primam omnium resorrecturam Arcam, & ex illo saxo erupturam, atque in monte Sina collocandam esse, ut ad eam Sancti omnes confluant, ejusque præsidio ab interitu serventur. Ait autem saxum illud in quo sepulta est Arca, inter montes illos esse positum, in quibus Aaron ac Moyses jacent. At non in monte sepultus est Moyses, sed in valle terræ Moab contra Phogor (ex cap. ultimo Deuteronomii.)

Orationes seu Homiliæ octo alteri Epiphanio tribuenda.

IV. *Orationes* sive *Homiliæ octo, in festum Palmarum*, duæ; *In Christi sepulturam*, *In Christi Resurrectionem* etiam duæ; *De ejusdem Assumptione*, *de laudibus B. Mariæ Virginis*, *de numerorum Mysteriis*, quæ Sancto Epiphanio inscribuntur, satis tum stylo ipso, tum aliis quibusdam indiciis, alterius Epiphanii, se esse declarant. Epiphanii enim fuere complures, Cypri etiam Episcopi; hoc est præter Sanctum illum Patrem cujus Scripta expendimus impræsentiarum, duo. Alter Cypri Archiepiscopus fuit, cujus nomine in VI. Synodo subscripsit Theudorus Episcopus Trimethuntorum, ut in Actione 18. legitur. Alter Archiepiscopus perinde Cypri, cujus extat Epistola ad Ignatium Patriarcham edita cum Synodo VIII, Hanc P. Petavio observationem debemus.

Epistola ad Joannem Hierosolym. S. Epiphanio vindicatur.

V. *Epistola ad Joannem Hierosolymitanum*, supposititia perperam visa est Alano Copo; interpolata verò Cardinalibus Baronio & Bellarmino, qui narrationem de velo in Ecclesia Anablatæ pendente, & ab Epiphanio discisso, in quo depicta erat imago quasi Christi aut alicujus Sancti, assutam ab Iconomachis contendunt. At illos refellunt omnes Codices MSS. & excusi Operum S. Hieronymi, inter quæ reperitur; & ipsius Hieronymi illam laudantis testimonium in Epistola ad Pammachium adversùs errores Joannis Hierosnlymitani.

Ejusdem Epistolæ postremam istam partem laodant librorum Carolinorum Auctor, & Synodus Parisiensis, adversùs imagines. Præterea si Iconomachi appendicem illam de velo Anablatæ Sancti Epiphanii Epistolæ addidissent, illud fecissent causæ suæ, errorisque tanta auctoritate protegendi studio: adeòque hanc Epistolam contra cultores imaginum allegassent: at nusquam ipsam laudarunt. Argumento est itaque ipsam non fuisse ab Iconomachis confictam aut interpolatam. Age verò Bellarmini rationes expendamus, quibus postremam Epistolæ istius partem supposititiam esse probat, lib. 2. *De Imaginibus*, cap. 9. Prima est, quia post finem Epistolæ ista addita sunt, & Epistola planè finita erat. Secunda, quia Iconomachi non objecerunt hunc locum Catholicis. Tertia, quia Epiphanius Diaconus in VII. Synodo Actione 7. convicit duo alia similia loca Epiphanii Scriptis ab Hæreticis inserta fuisse. Quarta, quia ibidem dicitur quòd Discipuli Epiphanii in templo ipsi erecto imaginem ejus collocarunt, quod non fecissent, si eorum Præceptor istum usum velut Scripturæ & Ecclesiæ auctoritati contrarium damnasset. Quinta, quia SS. Basilius, Gregorius Nyssenus, & alii Patres Epiphanii coævi, usum imaginum in templis approbabant. Sexta, quia quod in hac Epistola dicitur, esse contra Scripturæ auctoritatem ut imago hominis in templo suspendatur, indignum est Sancto Epiphanio, cùm sit ineptissimum. Nusquam enim id legitur prohibitum; imò contrarium legitur, ut patet de Cherubinis. Septima ratio, quia Sanctus Gregorius, lib. 9. Epistolâ 9. scribit, nullum umquam Episcoporum ante Serenum Massiliensem fregisse imaginem Christi, vel Sanctorum. Octava ratio, quia Sanctus Hieronymus Epistolâ ad Pammachium contra Joannem Hierosolymitanum, totam fere hanc Epistolam Epiphanii, latinam a se factam recitat, nec tamen meminit ejus veli. Ultima denique ratio, quia non convenit stylus cum reliqua Epistola.

Bellarmini rationes expenduntur.

Verùm levissimæ sunt illæ Bellarmini rationes, nec cogunt ut illa Epistola, vel postrema ejus pars quæ imagines spectat, Epiphanio abjudicetur. Quod enim ad primam attinet, nego narrationem illam de velo Anablatæ, post Epistolæ finem esse additam. Hanc enim sequitur admonitio ut caveat a Palladio Galata, Origenis sectatore: ac tandem clauditur Epistola his verbis: *Opto ut valea-*

lestis in Domino. Quod autem antè hahc Historiam hoc votum subjiciat: *Deus autem pacis præstet nobis hanc clementiam ut conteratur Satanas sub pedibus Christianorum, & abjiciatur omnis perversa occasio, ne scindatur unitas caritatis & pacis & rectæ Fidei prædicatio*, non probat hanc esse totius Epistolæ conclusionem, ut viri alioqui eruditi finxerunt. Ineptum enim est assuta dicere Epistolis vel Apostolorum, vel Patrum quæcumque post vota aliqua, vel precationes intertextas in iis leguntur. Asserendum enim esset secundùm præclaram hanc regulam, assuta esse Epistolæ Sancti Pauli ad Romanos, quæ post versum 13. cap. 15. leguntur, quo ita precatur Apostolus: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in spe, & virtute Spiritûs Sancti*. Vel saltem post illa verba: *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis, Amen*. Atque ita totum caput ultimum istius Epistolæ expungendum esset.

Altera Bellarmini ratio gravioris non est ponderis. Quis enim vadem se præstabit quòd Iconomachi allegarint omnia monumenta quæ ipsorum causam juvare videbantur; aut nullum ipsos fugisse? Certè si hæc legitima sit concludendi ratio, sequitur afficta esse Patribus, & eorum libris assuta loca omnia quæ recentiores Iconomachi, (Calvinistas & Lutheranos dico) contra Imaginum usum & venerationem laudant, quia plurima sunt, quæ non allegarunt Iconomachi veteres. Nec verò omnia loca Patrum protulerunt Iconomachi, quæ suæ causæ favere existimabant: sed longè plura se omittere significarunt, ut constat ex eorum Pseudosynodo, quam refellit Epiphanius Diaconus Actione 6. Synodi VII. Oecumenicæ. *Hæc ergo*, inquiunt, *scripturalia & paterna testimonia in præsenti definitione nostra ex multis pauca posuimus, ne in longum extenderetur: cùm sint etiam & alia plurima quæ sponte deseruimus propter infinitam multitudinem*. Imò nec omnia Sancti Epiphanii loca quæ Iconomachis favere videbantur, se protulisse asserunt. Quodam enim ejus testimonio recitato addunt: *Qui & alios Sermones exposuit in subversionem affictendarum imaginum, quos qui amorem discendi habent quærentes invenient*.

Tertia ratio Bellarmini non est validior. Dixit quidem Epiphanius Diaconus Sancti Epiphanii testimonia ab Iconomachis prolata, supposititia esse, at id non probavit. Et ut probasset, non sequitur suppositam esse Epistolam, vel totam, vel ex parte, quam ipsi non allegarunt, laudarunt verò librorum Carolinorum Auctor & Synodus Parisiensis contra Imagines.

Quarta ratio magis non urget. Etsi enim demus verum esse quòd Epiphanius Diaconus absque alio Auctore, post annos a Sancti Epiphanii obitu quadringentos asserit, ejus discipulos imaginem ipsius in templo illi erecto collocasse, non sequitur Sanctissimum illum Cypriorum Antistitem velum non scidisse, in quo depicta imago erat, præ foribus Anablatensis Ecclesiæ pendens. Factum enim Discipulorum Epiphanii longè post ejus obitum contingere potuit. Quo enim tempore illi templum in Magistri sui memoriam erexerint non ait Epiphanius Diaconus, nec an fuerint ab ipso immediatè instituti qui hoc nomine gloriabantur. Facillimum autem fuit ut imaginum usus qui Sancti Epiphanii tempore in Ecclesia Cypri nullus erat, aliarum exemplo Ecclesiarum in quibus jam vigebat, quamvis admodum infrequens esset, in illam inductus sit non diu ab ejus obitu.

Quinta ratio æquè facilè difflatur. Quamvis enim Patres Sancto Epiphanio coævi usum imaginum in Ecclesiis approbaverint, non est consequens ut cum Epiphanius approbaverit. Nemo nescit variam esse eodem tempore diversarum Ecclesiarum Disciplinam, variosque mores. Porrò imaginum usus in templis, meræ disciplinæ res est, quamvis usu semel constituto, honoraria ipsarum veneratio res sit Fidei. Non mirum igitur quòd in Ecclesia Cypri usum imaginum Epiphanius non ferret, quem ejus Decessores non admiserant, ne falsorum numinum cultum Christiani mutasse dumtaxat, non omnino deseruisse viderentur: & cum nihilominus SS. Basilius, Gregorius Nyssenus, & Joannes Chrysostomus, Cæsareæ in Ponto, Nyssæ, Constantinopoli permitterent & laudarent: quia suis plebibus jam prodesse posse, non obesse cultum hujusmodi persuasum habebant. Prodesse (inquam) ut ad Sanctorum virtutes in se exprimendas, eorum gestis ex imaginum intuitu in memoriam revocatis excitarentur. Ne tamen causam ideò se vicisse putent Heterodoxi, quòd Epiphanius usum imaginum in Ecclesia suâ non tulerit; cùm enim communione junctus fuerit iis qui usum illum approbabant, argumento est ipsum non existimasse usum imaginum illicitum esse; vel earum honorariam venerationem in eo positam, ut honorificè tractarentur, & in Ecclesiis decenter collocarentur, impiam esse & sacrilegam, siquidem hanc venerationem non damnavit, sed cum iis communicavit qui illam adstruerent.

Sexta ratio non magis me movet. Quamvis enim demus falsum esse quod in ea, quam expendimus, Epistola legitur, contra Scripturarum auctoritatem pugnare, ut imago hominis in Ecclesia suspensa sit, non sequitur id a Sancto Epiphanio non esse scriptum, cujus in Operibus multi alii nævi notantur. Deinde, aliquid contra auctoritatem Scripturarum bifariam dici potest: vel quia discertè adversetur Scripturæ, ab eaque damnetur; vel quia id faciendum Scriptura non doceat. Priori sensu contrariam non esse Scripturæ imaginis Christi, vel Sancti alicujus in velo adumbratæ ac pictæ suspensionem præ foribus Ecclesiæ, existimasse Sanctum Epiphanium, verisimile non est: Sed posteriori sensu, quia id Scriptura non docet. Vel contra Scripturam & Religionem nostram id esse scripsit Epiphanius, quia superstitionis aliquid in illius imaginis expositionem aut cultum irrepserat, a qua, ut averteret plebem illam, velum scidit, aliudque nullâ exornatum imagine ad illius loci Clericos misit. Duplex itaque ratio movere potuit Sanctum Epiphanium ut velum laceraret. Primò, quia præter Ecclesiæ suæ mores imaginem in eo depictam quasi Christi, aut alicujus Sancti, (non enim meminerat, neque scrupulosiùs inquisierat, cujus esset, cùm scriberet Epistolam) animadverterat. Secundò, quia velum illud superstitioni locum dare, vel dare posse videbat, apud illam plebem: unde satius esse ducebat ut auferretur, & ad mortui alicujus sepulturam impenderetur.

Septima ratio vim majorem non habet. Sanctus enim Gregorius istud Sancti Epiphanii factum ignorare potuit, qui nescivit alia nonnulla Ecclesiasticam ad Historiam spectantia, v. g. Eudoxium aliquem Hæreticum fuisse (quod ab Eulogio didicit, & hæc Epiphanii Epistola illi fuit ignota: vel nullum Episcoporum fregisse imagines Christi aut Sanctorum ait Sanctus Gregorius ad Serenum scribens, quia nemo ipsa fregerat, ex quo frequens esse cœperat in Ecclesia earum usus, immutatâ omninò trium priorum sæculorum Disciplinâ, quibus vel nullæ, vel infrequentes admodum erant Sanctorum imagines.

Octava ratio Bellarmini cæteris adhuc est infirmior. Necesse enim non erat ut Sanctus Hieronymus integram illam Epistolam insereret illi, quam adversùs errores Joannis Hierosolymitani

scri-

scripsit, sed ea solùm quæ Antistitis illius causam spectabaot.

S. Epiphanii stylus. Nona denique ratio ex styli dissimilitudine petita, falsa est, quia tota præter Bellarminum & ejus pedissequos eruditorum hominum natio illam scribendi rationem in tota illa Epistola agnoscit, quam Saoctus Hieronymus & Photius in ejus scriptis notarunt, *dictionem* scilicet *humilem*, & *simplitiorum ingeniis accommodatam*.

Nævi leviores S. Epiphanii. VI. His de Sancti Epiphanii Operibus observatis, de levioribus nævis qui in illis occurunt, aliquid est annotandum. In Historia & Chronologia sæpissime lapsus est. In Ancorato num. 112. scripsit Moysem anno ætatis trigesimo ex Ægypto profectum, cum Israelitis Mare Rubrum pedibus ingressum, contra Scripturam Sacram, quæ Moysem octogiota annorum fuisse testatur Exodi 7. cap. Idem refert Hierosolymorum subversionem ad annum 65. a Christi Passione, contra Historiæ fidem. Idem tribus aut quatuor locis docet Peripateticorum & Pythagoræorum eamdem fuisse in Gentilium Philosophia Sectam [in Panario Hæresi 5. & in Anacephalæosi p. 129. & 132.) Præter totius veteris Historiæ fidem scribit, ex Mysteriis ab Orpheo Athenas invectis derivatas esse varias Sectas sententiasque Philosophorum. (lib. 1. adversùs Hæreses num. 21. pag. 11.] Stoicos immortalitatem animorum, & Metempsychosim eredidisse asserit, quod utrumque falsum est. [Hæresi 5. num. 1.] Nabuchodonosorem captia Hierosolymis coloniam in regionem Samaritanorum deduxisse scribit, cùm longè antea Salmanasaris temporibus ea deportatio facta fuisset. [Hæresi VIII. num. 8. Arium mortuum facit aote Concilium Nicænum, Historiamque Meletii, & Schismatis Meletiani referens, ab Historiæ veritate toto cœlo aberrat [ut in Dissertationibus ostendemus.] Lege Hæresim LXIX. num. 10. & 11. Ex Historia Evangelica refert Christum dixisse Matri suæ. *Noli me tangere*, ὅπως τῇ μητρὶ αὐτοῦ μή μου ἅπτου cùm tamen non legamus iis verbis usum nisi ad Mariam Magdalenam. Deum vitam corporis instaurare sine anima posse asserit, *In Ancorato*, Num. 90. Diabolum ante Christi adventum misericordiæ nonnihil se consecuturum sperasse ait, ideoque contumeliosam in Dominum suum jactare vocem, vel rebellare non fuisse aosum: verùm ubi suam ad obtinendam salutem conversionem a Christo repudiari infelix animadvertit, illicò os contra Dominum aperuisse, ac maledicentiam omnem evomuisse, (*Hæresi* 39. Num. 8.)

SCHOLION.

Religiosi Censores in Indiculo suo ad hunc Articulum, pag. 628. Editionis primæ hanc notam apponunt. *De Imaginibus quæ pertineant ad meram Disciplinam, quæ verò ad Dogma malè explicat.*

R. Id optimè explico his verbia: *Imaginum usus in Templis, mera Disciplina res est, quamvis usu semel constituto, honoraria ipsarum veneratio res sit Fidei.* Theologi nomen non meretur, qui distinguere nescit id quod Disciplinam dumtaxat, ab eo qood Fidem spectat. Optimè distinxit Doctissimus *Thomassinus* idem argumentum tractans, lib. 12. Theologicorum Dogmatum *De Incarnatione Verbi*, cap. 12. Cùm Imagines, inquit, *sint ex genere τῶν ἀδιαφόρων, & quamquam in usu atque honore fuerint ab ipsis jam inde omnis Ecclesia, non tamen ad substantiam Religionis necessariò pertineant, potuit earum usus cultusque aliis & aliis finibus ab aliis & aliis Ecclesiis circumscribi, & ab aliis parciùs, ab aliis liberaliùs adhiberi, salvo illibatoque Fidei Dogmate, dum sospes & illibata servaretur charitas, nec invicem morderent qui varios ritus sectarentur, aut Disciplinæ causam cum Fide commiscerent.*

Nota.

DE Imaginum usu quædam notatu digna explicavi *post. differt.* 21. *sæculi* 3. Sed & legatur Petavius *lib.* 15. *de Incar. cap.* 13. ubi explicat necessarium non esse ad salutem usum S. Imaginum. Eas igitur colendas Fides nos edocet, cùm earumdem cultus ad Prototypum referatur; quoad illarum verò usum, cùm ad ritum pertineret, non eadem semper viguit in ecclesia disciplina.

ARTICULUS XXIX.

De S. Joanne Chrysostomo.

SAnctus Joannes Chrysostomus ob aureum eloquentiæ flumen nuncupatus, Antiochiæ, Christianis parentibus Secundo, & Anthusa natus, anno circiter 347. Rhetoricam sub Libanio Sophista celeberrimo audivir. In Vita Ascetica, & in Sacrarum Scripturarum studio a Carterio, & Diodoro, qui Tarsensis postea Episcopus fuit, institutus est. A S. Meletio, qui ipsum Christo per Baptismum pepererat, Diaconus ordioatus a Flaviano Sacerdos consecratus est anno 385. ætatis suæ 38. inde ejusdem Patriarchæ mandato Antiochiæ conciones habuit, eloquentiâ & zelo incredibili. Ibi *Homilias in Genesim, in Psalmos, in Matthæum, in Joannem, in Epistolas S. Pauli, ad Romanos, utramque ad Corinthios, utramque ad Thimotheum*, plurimasque alias variis de argumentis, composuit & dixit. Libros *De Sacerdotio* lucubravit, cùm necdùm inter Diaconos esset conscriptus. Illos legerat Sanctus Hieronymus, ut constat ex Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Idem Opus impensè commendat Sanctus Isidorus Pelusiota, lib. 1. Epistolâ 156. Ejus cum laude meminit & Suidas, Tres etiam libros conscripsit *Adversùs vituperatores Vitæ Monasticæ*, cùm adhuc Asceticam Vitam ageret. Archiepiscopus Constantinopolitanus inauguratus anno 398. in reformatiooem Cleri Regiæ Urbis incubuit diligenter, illum in primis coercuit abusum, quo Clerici devotis mulieribus, seu sororibus adoptivis cohabitabant: duosque eo de argumento libros conscripsit. In Sacerdotum etiam avaritiam acerrimè invoctus est Homiliis in Epistolam Saocti Pauli *Ad Ephesios* Constantinopoli habitis: in quibua etiam, necnon in morum corruptelam luculentissimè declamavit. Theophili, & conjuratorum Episcoporum malis artibus, Joannis Archidiaconi sui, & Isaaci cujusdam Monachi vagi calumniis, Eudoxiæ superbæ Imperatricis, ob suam in ludos circa ejus statuam, divinorum Officiorum temporibus fieri solitos, ferventissimam declamationem, irâ muliebri, & potentiâ oppressus, in Synodo ad Quercum, qui locus Calchedonis suburbium est, depositus fuit, & in exilium missus; ex quo popularis metu seditionis revocatus; urgentibus iniquissimæ sententiæ executionem Severiano Gabalorum, Antiochio Ptolemaidis, Acacio Beroeensi, aliisque Episcopis conjuratis, & professis ejus hostibus, ab Arcadio Imperatore in exilium amandatus est, & Cucusum deportatus: cùm remotiorem asperioremque in locum exul traheretur, Comanæ, in regiooe Pontica obiit, die 14. Septembris

bris, anno Christi 407. ætatis suæ circiter 60. Quæ ad ejus Vitam, & persecutiones spectant, lege apud Palladium in Dialogo de Vita Joannis Chrysostomi, necnon apud Socratem, lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 2. 3. 4. 15. 16. 18. 21. & 22. quo in capite Novatianus Auctor in Sanctissimum Episcopum iniquiorem se præbet. Legendus item Sozomenus toto fermè lib. 8. Historiæ Ecclesiasticæ & Theodoretus, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ a capite 27. ad 35. ubi Sanctum Chrysostomum *Doctorem orbis terrarum*, vocat. Ejus auctoritate, Sanctus Augustinus in lib. adversùs Pelagianos Theodoretus in Dialogis, aliique Auctores Ecclesiastici, non sine honorifica præfatione usi sunt.

S. Chrysostomi stylus.

I. De ejus Scriptis Photius in Bibliotheca non semel agit. Cod. 86. ejus Epistolas in exilio scriptas recenset, quarum stylum *Clarum atque perspicuum, & persuadendi vi cum jucunditate floridum* esse notat, Cod. 172. Homilias in Genesim, & in Acta expendit. In illis *Dictionem ipsius de more perspicuam & puram, splendidam insuper ac fluentem* commendat, *qua multam interim cùm sensuum varietatem, tum gratissimorum exemplorum copiam exhibeat. In humile tamen dicendi genusproniorem dictionem, & tantò inferiorem eâ, quâ in Homiliis in Acta Apostolorum utitur*, esse observat, *quantò hæc a Commentariis in Apostolum ac Psalmos superatur. Cùm enim ubique orationem puram, illustrem, ac benè dispositam, non sine voluptate artificiosè contexat; in his maximè Scriptis, virtutibus illis, exemplorumque ubertate, atque enthymematum copiâ, & cùm ita opus est, etiam gravitate excellit*. Mirum autem videri debere nemini ait Photius, quòd sicubi sententiarum aliquæ, seu interpretationis, seu profundioris indagationis indigebant, non tamen diligenter satis eas explanaverit. Cùm enim perpetuò in omnibus suis Scriptis auditorum utilitatem tamquam scopum præfixisse sibi videatur, cætera vel omnino neglexit, vel levissimè attigit: & illud penitus pro auditorum utilitate contempsit, quod alicui vel sensus aliquos ignorasse, vel ad profundiora quædam penetrare refugisse, vel id genus alia præteriisse videri posset.

Cod. 270. Orationes Sancti Chrysostomi *In Sanctum Paulum* recenset Photius. Cod. 274. Orationem *In 40. Martyres*. Item Orationem *In Decollationem S. Joannis Baptistæ*, quàm falsò ejus nomine inscribi observat. *Argumentis enim, modoque scribendi multùm a reliquis ejus Orationibus distinguitur, etsi quòd quædam ex iis hanc ecjiciantur. Est autem dictio satis vilis, & ab ejus stylo aliena*. Duas alias ejusdem argumenti recenset, de quibus idem fert judicium. Cod. 267. varia ex diversis ejus Homiliis fragmenta describit. His præmissis, alia Sancti Joannis Chrysostomi Opera expendenda sunt, & spuria criterio accurato a genuinis distinguenda.

II. *Expositiones* Psalmi centesimi primi, & aliorum sex consequentium; item centesimi decimi octavi, quæ Tomo 3. Editionis Latinæ Frontonis Ducæi leguntur, nihil aliud sunt quàm Theodoreti Commentarius, & allegoriæ quædam, quæ Chrysostomi stylum non sapiunt.

S. Joanni Chrysostomo Liturgia vindicatur.

III. S. Joannis Chrysostomi *Liturgia*, quicquid oblatrent Heterodoxi Critici, genuinum ipsius Opus est, a Proclo in Opusculo *De Traditione divinæ Missæ* commendatum; cui tamen a Græcis recentioribus *Nicolai Papæ*, & *Alexii Imperatoris* mentio, & alia nonnulla addita sunt; unde prodiit exemplarium varietas, quam in Euchologio quod Goartius noster edidit, videre est. Ridiculum porrò est argumentum Riveti, quo Liturgiam illam Joannis Chrysostomi non esse contendit, quia Liturgia Sancti Basilii in Ecclesia Constantinopolitana usurpabatur, ut constat ex Caroli Calvi Imperatoris Epistula quadam ad Ravennatem Ecclesiam. Quasi verò & Basilii, & Chrysostomi Liturgia in usu esse non potuerint, ut sunt etiamnum in Ecclesiis Græcis. Certis enim dumtaxat diebus Basilii Missâ utuntur, scilicet in Dominicis Quadragesimæ, dempta Dominica Palmarum, Feria V. in Cœna Domini, Sabbato Sancto, in Vigilia Nativitatis Christi, & Epiphaniæ, & in die Festo ipsius Sancti Basilii. Reliquo anni tempore, Liturgiâ Sancti Joannis Chrysostomi utuntur, qui novam post Sanctum Basilium incruenti Sacrificii celebrandi Formulam composuit, quia pietatis fervore deficiente, homines terrenis immersi negotiis, Basilianam prolixitatis nimiæ accusabant, ut observat Sanctus Proclus Opusculo laudato. *Haud verò multò post*, inquit, *Pater ille noster aureâ præditus linguâ Joannes, de ovium salute, ut Pastorem decet, strenuâ curâ sollicitus, naturæ humanæ socordiam, ignaviamque respiciens, fibras omnes ac radices satanici prætextus hujus prorsus voluit evellere. Et idcircò multa præcidit, & concisiori, pressiorique Oratione Sacrum conficiendum constituit, ne sensim homines, qui libertatem quamdam & inertiam quam maximè amplectuntur, fallacibus adversarii rationibus decepti, ab ejusmodi Apostolica hac & divina absterriti Traditione, eam omitterent.*

IV. Homilia 7. *De Anathemate*, quæ extat ordine LXXVI. Tomo I. Operum Sancti Joannis Chrysostomi, Editionis Frontonis-Ducæi, genuinum est ipsius Opus, a Philotheo Patriarcha Constantinopolitano ab annis quadringentis laudatum, ut in Collectione Juris Græco-Romani videre est Tom. 1. l. 4. p. 283. Quidam hanc Homiliam rejiciunt, quòd videatur excommunicandi jus e manibus Episcoporum extorquere. *Heus tu*, inquit, *qui tanto auctoritatis? qui tantam tibi usurpas potentiam? Tunc enim sedebit Filius Dei, & statuet oves a dextris, & hædos a sinistris. Cur igitur dignitatem tantam assumis, quæ Apostolis tantùm communicata, & iis qui illorum sunt idonei Successores, verè pleni gratiâ & virtute? Jam Apostoli diligenter id mandati servarant. Sic enim Hæreticos ejiciebant ex Ecclesiis, quasi effodiendus esset dexter oculus; quâ membri defectione, magnum suæ compassionis, & doloris indicium præ se ferebant*..... Et infra; Sanctum Ignatium, vel quempiam alium Apostolicorum temporum Martyrem, hujus testem veritatis laudat. *Qui Apostolorum temporibus Martyrium meruit, monstraturus hujus verbi gravitatem, tali utebatur exemplo. Sicut privatus homo regiam sibi ipsi purpuram circumponens, unà cum omnibus qui eum juvant, punitur ut tyrannus; ita & qui Dominicam sententiam fert & hominem facit Anathema Ecclesiæ, abducit seipsum in extremam perniciem, usurpando dignitatem Filii Dei. Sic ille dicebat: Putatisne hanc parvi momenti rem esse, ante judicium, judiciique tempus aliquem hujusmodi sententiâ condemnare?* Et infrà: *Obsecramus, & contestamur vos, ut a tanto malo desistatis. Nam is quem tu anathematizare decrevisti, vel vivit, vel mortuus est. Quòd si adhuc superest, impiè agis, qui eum qui a malo in bonum se vertere potest, crudeliter abscindis. Sin mortuus est, multò magis crudelis es. Cur ita? Quia Domino suo stat aut cadit, non jam sub jure humano existens*. Denique in fine hæc habet: *En propter vos oro, ne vobis hæc verba mente excidant. Dogmata enim impia, & quæ ab Hæreticis profecta, arguere & anathematizare oportet: Hominibus autem parcendum, & pro salute ipsorum orandum.*

S. Joannes Chrysost. jus ferendæ Excommunicationis non negat Ecclesiæ.

Verùm iniquè omninò affingitur Sancti Joanni Chrysostomo, quòd ferendæ potestatem Excommunicationis Ecclesiæ negaverit, quam Homiliâ 17.

in

In Matthæum, Homilia 4. in Epistolam ad Hebreos, & Homilia 70. ad populum Antiochenum disertè docet ac propugnat. Iis itaque solis hanc potestatem negat Sanctus Chrysostomus, qui nullâ in Ecclesiâ auctoritate conspicui sunt, & nihilominus Anathema in filios Ecclesiæ jaculari præsumunt. Hanc fuisse ejus mentem, constat ex tempore, loco, circumstantiis, personis, in quibus & coram quibus hunc habuit Sermonem. Peroravit de Anathemate Antiochiæ, tempore Schismatis, quod Flavianum inter & Paulinum, & post obitum Sancti Meletii perdurabat. Utriusque partis Fideles, illi scilicet qui Paulino, & illi qui Flaviano communicabant, mutuum sibi inclamabant anathema. Qui Flaviano favebant, maximè omnium erant exasperati, & alios anathemate confodiebant. Ad illos concionem habens S. Joannes Chrysostomus, ipsos ad pacem & charitatem servandam hortatur, & ab illa conclamandi in se mutuò anathematis audacia abducit. Unde in ipso penè Sermonis exordio ita invehitur: *En specto*, inquit, *viros qui nullum ex sacris Literis germanum sensum, imò nihil omninò sacrarum Litterarum tenent; furibundos, nugaces, contentiosos, qui neque sciunt quæ dicunt, neque de quibus affirmant; in hoc uno tantùm audaces, quòd dogmata statuunt, & Anathema declarant ea quæ maximè ignorant.*

Homiliæ in Acta S. Chrysostomo vindicantur.

V. Homiliæ *In Acta Apostolorum* perperam ab Erasmo in dubium vocantur. Stylus profectò Auctoris, qui se Urbis amplissimæ, in quâ suprà centum millia pauperom quotidiana eleemosyna indigentium degerent, Episcopum esse ait Homilia 9. & aliæ notæ, eas Chrysostomi esse probant. In juramenta invehitur acerrimè in eadem Homilia, necnon X. XI. XII. quod S. Joanni Chrysostomo familiare est: eosque ab Ecclesia se ejecturum minatur, qui juramentis assueti fuerint. Se Juliani Imperatoris temporibus vixisse testatur Homiliâ 41. quod Joanni Chrysostomo convenit. Joannem se vocari significat Homiliâ 52. Denique ex Homiliis in Acta, velut ex genuino Sancti Chrysostomi Opere testimonia protulerunt S. Joannes Damascenus, lib.3. de Fide, & Oecumenius in Acta. Hæc est doctissimi viri Sixti Senensis Ordinis Prædicatorum censura contra Erasmum: quę ostendit quàm sublesta sit istius Aristarchi fides.

Homiliæ S. Chrysostomo falsò adscriptæ.

VI. Homilias in varios Testamenti Veteris locos plurimas S. Joanni Chrysostomo perperam adscriptas censet idem Sixtus Senensis, scilicet; Homiliam 1. in cap.2. Genesis quæ incipit: *Dignitas humana originis*. Alteram Homiliam in cap.2. Genesis quæ incipit: *Deus institutor mundi*; in quâ duo capita integra ex libro Gennadii de Ecclesiasticis Dogmatibus transcripta sunt. Tertiam Homiliam in idem Genesis caput, quæ incipit: *Jubetur Adam*. Homilias tres in cap.3. Genesis, quarum prima incipit: *Deus sine initio*; altera: *Quoties mecum temporis*; tertia: *Christiano cum hoste*; & alias quas indicat lib.IV. Bibliothecæ Sanctæ. Has (inquam) Homilias Chrysostomi non esse, censet Sixtus Senensis, ob styli diversitatem. Commatica enim & concisa est oratio, atque ad allegorias traducta, collationibus carens, aliisque leporibus, qui sunt Chrysostomo familiares: similiter desinentibus referta sententiis: quod S. Joanni Chrysostomo est insolitum. Præterea Exordiis, moralibus adhortationibus, piis ad finem Sermonum precationibus vel glorificatione Dei, qui genuinarum Chrysostomi Homiliarum, characteres sunt, Homiliæ istæ carent. 3. Loci communes de peccato originali, de gratia & prædestinatione, quos pertractare Chrysostomus non solet, in his Homiliis disertè pertractati, earum Auctorem Chrysostomi ætate posteriorem probant. Item Ecclesiasticorum Doctorum citatio, quos nominatim laudare Chrysostomus non solet, ut Hippolyti & Cypriani. Idem probat Scripturæ divisio in versiculos, nusquam ab isto Patre usurpata. Denique id probant etymologiæ Græco Auctori minimè convenientes, ut videre est Homil. in Psalm.90. *Meridies dicitur, quia dividit diem; μέση enim pars est divisa diei*. Et homil. in Psalm. 118. *Veritas tres sunt syllabæ, & septem literæ; quia in septimo die requievit Deus ab operibus suis.* Antiquissimi tamen Auctoris Homilias illas esse censet Sixtus Senensis. Idem esto judicium de aliis Homiliis in diversos Novi Testamenti locos, quas ibidem indicat.

Quatuordecim porrò Sermones in *Marcum*, ignoto Monacho adscribit Sixtus Senensis, qui ad Fratres illos habuerit. Frequentibus allegoriis, & interdum violentis abundant, quod ipse his verbis excusat: *Putatis nos vim facere Scripturæ? & forsitan aliquis dicat in tacita cogitatione: Iste semper allegorias sequitur, & vim Scripturæ sanctæ facit.*

Opus imperfectum in Matthæum, non est S. Joannis Chrysostomi. Erroribus scatet.

VII. *Opus imperfectum in Matthæum*, in Homilias 54. divisum, quamvis sub Sancti Joannis Chrysostomi nomine in Ecclesiasticis Officiis, in Glossa Ordinaria, in Gratiani decreto, in Catena aurea, & in Summa S. Thomæ, laudetur, Chrysostomo abjudicandum est, tum ob Vulgatam Versionem Latinam Scripturæ Sacræ, quâ utitur: tum ob librorum Apocryphorum citationem, scilicet Scripturæ Seth, lib. Ezechiæ, Itinerarii Clementis; quorum nullus apud Chrysostomum usus: tum denique ob dogmata Chrysostomo contraria, & Hæretica, quibus hic Commentarius fœdatus est.

Attamen Hæreticas sententias, quibus hoc Opus scatet, ab hæreticis interpolatoribus in illud intrusas fuisse, Sixtus Senensis, Savilius, aliique Viri Eruditi sibi facilem persuadent, his rationibus freti: Primò, quòd exemplaria quædam vetustissima nihil contineant hujusmodi errorum, sed aliâ manu sententias illas adscriptas habeant ad marginem. Secundò, quòd iis resecatis & expunctis nihil in textu mutilum videatur, sed planiùs fluat oratio: quod argumento est illas assutas fuisse. Tertiò, quòd incredibile sit ejus Auctoris esse quæ contra trium Personarum divinarum æqualitatem ex Homilia 4. laudat Sixtus Senensis, lib.6. Bibliothecæ sanctæ Annotatione XV. & quę ex Homilia 22. profert Annotatione 44. qui adversùs Arianos unitatem & æqualitatem Patris & Filii passim vindicat: præcipuè verò Homilia ipsa 44. ad illa verba: *Væ vobis, Scribæ & Pharisæi, qui clauditis Regnum Cælorum*, ubi hæc habet: *Sic & hoc modo Hæretici Sacerdotes claudunt januam veritatis. Sciunt enim quoniam si manifestata fuerit veritas, eorum Ecclesia est relinquenda, & ipsi de Sacerdotali dignitate ad humilitatem venient popularem. Ideò quando legunt in populo suo aliquid tale: Qui me misit, major me est: perversa interpretatione claudunt januam veritatis, dicentes Filium minorem Patre, cùm secundùm dispensationem carnis dicatur minor.*

Idem asserit Homiliâ 28. illa verba exponens: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*: hanc enim sibi proponit objectionem: *A quo illi tradita sunt si unus est Pater & Filius? Aut quare habere non poterat, nisi tradita illi fuissent, si per omnia Patri suo erat æqualis? nam significatio traditionis, tam unitatis rationem, quàm æqualitatis excludit. Nam nec qui accipit, unus est cum dante: nec qui traditum acceperit, æqualis est ei qui tradidit.* Huic autem objectioni sic respondet: *Tradita sunt ei secundùm quòd minoratus est paulominus ab Angelis. Nam secundùm illud quòd non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, cum eo Deus unus & æqua-*

lis est, qui tradidit omnia. Et Homiliâ 5. de Christi Baptismo loquens, hæc habet: *Nam sicut secundùm dispensationem humanam baptizatus est, secundùm naturam autem divinam Baptismo non egebat, sic secundùm humanam dispositionem aperti sunt ei cæli; secundùm naturam autem suam erat in cælis. Ergo non Deo aperti sunt positi extra carnem, nec puro homini extra Deum, sed Deo quasi homini.*

Auctor Operis imperfecti malè de Trinitate censet, & sibi ipsi contradicit.

Hæc certè loca disertè adstruunt substantiæ unitatem, & omnimodam æqualitatem in Patre & Filio. At alia loca cum his e regione pugnant: ut illa Homiliæ 49. sententia: *Heresis Homousianorum, non solùm Christi Ecclesia adversatur, sed & omnibus Heresibus non similiter sapientibus.* Ubi Catholicos Filium ὁμοούσιον Patri prædicantes Hæreticorum nomine infamat. Hæc autem ab Arianis addita esse, facilè dicitur, difficilè probatur.

Baptisma Hæreticorum irritum asserit.

In eodem Opere imperfecto, Homilia 7. Hæreticorum Baptismus irritus asseritur: *Si non fuisset baptizatus* Christus, *alios baptizare non poterat. Quomodo autem nudus vestiat nudum, aut quomodo mendicus faciat alterum divitem? Sic & ipse qui baptizatus non est, quomodo alteri potest Baptismum dare? Secundùm hoc & Hæreticis dicimus: Quia ubi est fides, illic est Ecclesia: ubi Ecclesia, ibi Sacerdos: ubi Sacerdos, ibi Baptismum; ubi Baptismum, ibi Christianus. Ubi autem fides non est, ibi nec Ecclesia est: ubi Ecclesia non est; nec Sacerdos est: ubi Sacerdos non est, nec Baptismum; ubi Baptismum non est, nec Christianus fit aliquis. Quid ergo reprehendit quasi secundam Baptismum, qui non intelligit quid est primum?*

Animam Baptismo aquæ non sanctificari affirmat.

In eodem Opere Homilia 3. asserit Baptismo aquæ animam non sanctificari, nec Spiritum Sanctum accipere, quamvis peccata præterita dimittantur Baptismum suscipientibus, si eorum Pœnitentiam agant. *Aqua proficit, quia peccata quidem, quæ jam processerunt in opus, abluit, & hoc si pœnituit: animam autem non sanctificat, nec concupiscentias cordis, aut cogitationes malas præscidit, nec repellit eas, sed nec carnales concupiscentias reprimit. Qui ergo non fuerit sic baptizatus ut mereatur accipere Spiritum Sanctum, in corpore quidem baptizatus est, & peccata ejus indulta sunt, sed in animo Cathecumenus est. Sic enim scriptum est: Quia qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.*

Solam animam ad substantiam hominis pertinere docet.

Solam animam ad substantiam hominis pertinere asserit Homilia 25. exponens illa verba: *Nolite timere eos qui occidunt corpus. Substantia enim hominis non est corpus, sed anima. Hanc enim solam Deus ad imaginem suam fecit, & hanc diligit: propter hanc fecit & mundum...... Corpus autem vestimentum est animæ, sicut ait Apostolus:* [a]

2. Cor. 5. *De corpore nostro in quo ingemiscimus onerati, in quo nolumus spoliari sed supervestiri, ut mortale hoc absorbeatur a Vita.*

Malos Sacerdotes non esse coram Deo ordinatos propugnat.

Sacerdotes aut Diaconos peccatores quantùm ad Deum, Sacerdotes aut Diaconos non esse affirmat Homilia 55. & apocryphum constitutionum Apostolicarum librum laudat. *Diaconis autem & Doctoribus secundùm providentiam suam, illis videtur Deus injungere ministerium Diaconatus aut Presbyteratus, qui sunt justi. Qui autem inveniuntur injusti, illos homines ordinasse videntur, non Deus...... Quomodo autem quidam Sacerdotes ex hominibus ordinantur, manifestè in lib.8. Canonum Apostolorum dicitur. Qui autem ex hominibus ordinatus est, quantùm ad Deum non est Diaconus aut Sacerdos.... Secundùm hæc ergo quæ diximus, si Presbyter aut Diaconus peccator inventus fuerit: quoniam quantùm ad præscientiam Dei non ex Deo, sed ex hominibus factus videtur Presbyter aut Diaconus, quasi Laicus invenitur inter eos, qui unum Fidei talentum acceperunt, ac per hoc nemo ordinatus a Deo peccat, nisi ut qui unum talentum accepit a Deo.*

Matrimonium naturâ suâ esse peccatum contendit.

Matrimonium naturâ suâ esse peccatum; sed divinâ permissione excusari, non tamen ita ut justitia fiat & mercedem mereatur, Homilia 1. docet. *Ideò ergo*, inquit, *ista conjunctio maritalis cùm esset peccatum, quantùm ad naturam rei ipsius concessione Dei facta est licentia. Licentia divo facta est, non justitia. Nam etsi propter necessitatem rei peccatum esse desiit, tamen justitia esse non meruit. Ideò utentibus se etsi pœnam non infert, mercedem tamen non præstat: & si non occidit, tamen non salvat. Unde & Propheta non ad indulgentiam Dei respiciens, sed ad spurcitiam ipsius operis, dicebat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: id est, Quid mirum si peccavi, qui de peccato sum natus? Secuta est enim generationem suam natura peccati. Nam si Matrimonium ipsum placitum esset Deo, nunquam abstinentibus se ab illo gloriosa promitteretur corona, nec sic amarentur a Deo qui odiunt illud. Non enim ille remuneratur qui bonum fugit, sed qui malum. Vis autem scire quomodò licitum est Matrimonium? quomodò aliquandò licuit & sorores habere uxores: quomodò habuerunt Cain & Abel; quia peccatum illud raritas hominum, & necessitas excusabat. Postea crescente numero hominum, ipsum malum reversum est in naturam suam, & cœpit esse peccatum. Remansit autem in usu ut unus unam haberet uxorem. Nunc autem postquam venit plenitudo temporis, & senuit mundus, scimus quale est consilium Dei, & quid vult, & quid est placitum coram illo. Sed ausi non sumus dicere propter homines incontinentes. Denique commendavit Angelus Tobiæ in nuptiis ejus, ut cùm veniret ad illam consuetudinem humanam, surgeret priùs & oraret, & sic diceret: Domine tu scis, quia non propter libidinem accepi uxorem, sed propter liberos procreandos. Turpissimum opus illud carnis filiorum causâ excusat. Nunc autem multiplicato sæculo, creandorum hominum occasio est extincta. Jam Deum non multitudo hominum, sed charitas Sanctorum delectat. Ecce una est libido quæ fornicationem generat, & quæ maritalem usum ministrat. Sed sicut posuit mari terminos littora dicens: Usque huc venies, & hic te constringes: sic libidini carnali terminum posuit conjugium, ut usque illuc veniens, illic se constringat. Sicut ergo mare, si littora sua supergressum fuerit peccat: ita & homo, si transgressus fuerit licentiam maritalem. Si ergo una est libido in maritis, & in adulteris: quomodò potest fieri ut una eademque res pro dimidiâ parte sit justitia, pro dimidiâ autem sit peccatum? Aut enim tota est peccatum, aut tota justitia, quia una est res. Verum est autem quia libido justitia non est: ergo tota peccatum est. Sed peccati illius pœna non imputatur, donec iste odibilis & contemptibilis transeat mundus.*

Secundas nuptias damnat.

Secundas nuptias verè fornicationem esse asserit idem Auctor, quamvis Deo permittente licitæ fiant, Homilia 32. *Apostoli* inquit, *præceperunt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum.* Nam *secundam quidem accipere, secundùm præceptum Apostoli est; secundùm autem veritatis rationem verè fornicatio est; sed dum permittente Deo publicè & licenter committitur, fit honesta fornicatio.*

Verum Christi Corpus in Eucharistia non contineri, docere videtur.

Sacramentariorum favere videtur Hæresi Homilia 11. his verbis: *Si enim vasa sanctificata ad privatos usus transferre, peccatum est, & periculum, sicut docet nos Balthasar, qui bibens in calicibus sacratis de regno depositus est, & de vita: Si ergo hæc vasa sanctificata ad privatos usus transferre sic periculosum est [in quibus non est verum*

Car-

Corpus Christi, sed Mysterium corporis ejus continetur] *quantò magis vasa corporis nostri, quasibi Deus ad habitaculum præparavit, non debemus locum dare diabolo agendi in eis quod vult*. Hæc tamen verba, quæ parenthesi clausa legis [*in quibus non est verum Corpus Christi*, &c.] ab Hæreticis interpolatoribus addita esse verisimillimum est. In multis exemplaribus deesse, sicut & alia testimonia quæ in Editione Basileensi leguntur, notant exemplaria edita Parisiis in ædibus Albreticis anno 1546. notant exemplaria Commelinianæ Editionis, quam præ manibus habeo. Lutheranos in suspicionem venisse quarumdam istius Operis interpolationum testatur Erasmus, Præfatione in Opus imperfectum. Jam olim violentas ac depravatrices Albigensium manus expertum fuisse, Doctissimus Cardinalis Perronius meritò conjicit. Possunt tamen hæc verba, *In quibus non est verum Corpus Christi*, &c. & ad vasa sacrificiis, libationibusque Judaicis consecrata non incommodè referri, in quibus solæ Corporis & Sanguinis Christi figuræ continebantur: nec ea intelligi necesse est de sacris vasis, quę incruento Corporis & Sanguinis Christi sacrificio in lege Evangelica deserviunt.

VIII. Epistola *Ad Cæsarium*, quam *Petrus Martyr* Calvinista in Anglia disputans adversùs Catholicam Fidem dè Transsubstantiatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi in Eucharistia proferebat, quamque obtrudebat *Plessæus Mornæus* in libro pestilentissimo contra Sacrificium Missæ, diu visa est Eruditis non esse *Sancti Joannis Chrysostomi*, quod nullis in MSS. reperiretur, nullis in Bibliothecis extaret, ne quidem memoraretur a *Gesnero*, *Simlero*, & *Frisio*, quamvis ipsi a Romanæ Ecclesiæ Communione alieni essent, & Petri Martyris Symmistæ, & in Codices MSS. celeberrimarum Europæ Bibliothecarum inquisivissent. Verùm hujus exemplar Manuscriptum Epistolæ in linguam Latinam versæ V. C. *Emericus Bigotius* in Bibliotheca FF. nostrorum Dominicanorum Florentiæ invenit. Sed & ejusdem Epistolæ fragmenta citata leguntur ab Auctoribus Græcis, scilicet ab *Anastasio* in Collectaneis MSS. Bibliothecæ Collegii Parisiensis Societatis Jesu, a *Nicephoro* Patriarcha Constantinopolitano in MSS. duobus Colbertinæ Bibliothecæ, ab Auctore Anonymo Operis *Contra Severianos* a *Turriano* editi, necnon a *Canisio* Tom. 4. *antiquæ Lectionis*, & a *S. Joanne Damasceno*, libro *contra Acephalos*, apud eumdem *Canisium*, eodem Tomo.

IX. Homiliam *De Pœnitentia & Eucharistia in Encæniis*, quæ Tomo 5. Editionis Frontonis-Ducæi 40. reperitur, quidam ex Heterodoxis S. Joanni Chrysostomo, levissimis rationibus freti abjudicant. Ajunt scilicet Sanctum Jacobum in ea vocari ἀδελφόθεον, quod vocabulum ab aliquo ante Nestorii Hæresim vix usurpatum est. Addunt hanc vocem a Nestorio fuisse valdè exagitatam; qui sic illam non explosisset, si Sanctus Chrysostomus, quem magni faciebat, & cujus Sermones audierat, eâ usus esset. Verùm levissimæ sunt hæ rationes. Quis enim præstabit Nestorium omnes Sancti Joannis Chrysostomi Homilias audivisse, vel legisse, vel memoriâ tenuisse; vel denique non dissimulasse ut causæ suæ serviret? Numquid Sanctus Chrysostomus Christum esse verè & substantialiter Deum & hominem disertè & frequenter non docuit, ac prædicavit, ut & Cassianus lib. 7. de Incarnationis Mysterio, circa finem testatur, quod tamen inficiatus est Nestorius? Quamvis ergo vocem ἀδελφόθεος Nestorius impugnaverit, Non sequitur quòd a S. Joanne Chrysostomo non fuerit usurpata. Præterea, in Chronico Græco Eusebii vocabulum istud legitur: quod a Georgio Syncello additum quidam inaniter suspicantur.

ARTICULUS XXX.

De Nævis Sancti Joannis Chrysostomi.

HEterodoxi auctoritate Sancti Joannis Chrysostomi adversùs Confessionis Sacramentalia necessitatem abutuntur, quam ipsa in Dissertatione eo de argumento edita eripuimus. Ejusdem frequentia testimonia adversùs peccatum originale objiciunt, quæ ex ipsorum manibus avellemus in Panoplia adversùs Hæreses quinti Sæculi, cùm adversùs Pelagianos disceptabimus. Diversa loca, quibus alia suarum Hæreseon capita velut clypeo protegunt, iniquè ab ipsis usurpari ostendemus tempore opportuno hujus in Operis progressu. Hìc solùm observari velim, quæ sequuntur.

I. Sanctum Joannem Chrysostomum perperam a quibusdam de Schola Theologis accusari, quòd intuitivam Dei visionem possibilem esse negaverit. Qua de re Vasquesius Disputat. 37. in I. P. S. Thomæ, cap. 2. ait, Chrysostomum non satis sincerè videri locutum de clara Dei visione, & negasse Deum secundùm essentiam suam clarè videri posse, ut declinaret extremum errorem Anomæorum, qui dicebant propria virtute Deum ab ipsis comprehendi. Ex ejus Homilia 14. in Joannem ubi tractat illud Joannis 1. *Deum nemo vidit umquam;* profert hæc verba: *Nam id quod est Deus, non modò Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli. Sed si eos percontaberis, nihil ab his de Dei substantia audies, sed tantùm referentes: Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Et infrà, non solùm dicit esse impossibile Deum videri: sed ostendens quid Filius enarravit nobis, ait, quòd *Deum videre est impossibile, quia nemo eum novit nisi Filius*: imò addit, Deum ante Incarnationem Angelis fuisse invisibilem, per carnem autem assumptam factum esse visibilem. Et cùm objecisset illud Matthæi 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris*, respondet eamdem esse sententiam cum illa Matthæi 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Cogitationem enim*, inquit, *atque imaginationem, quam pro viribus nostris de Deo capimus, eam visionem appellat*. *S. Joannis Chrysost. doctrina de visione Dei intuitiva, ab errore immunis.*

Id verò multò clariùs asseverat Homiliâ 3. *De incomprehensibili Dei natura*. De illis enim Seraphim, qui aspicientes majestatem Dei velabant faciem, Isaiæ 6. quia lucem illam Dei ferre non poterant, sic ait: *Quamquam non ipsam meram videbant lucem, & sinceram Dei substantiam, sed quæ videbant, condescensus erat & indulgentia*. Quibus cùm negat Chrysostomus visionem substantiæ Dei sinceræ & puræ, negat etiam visionem, quam dicimus intuitivam & Dei sicuti est. Subinde verò quid sit condescensus ille, his verbis exponit: *Cùm Deus non ut est se ostendit, sed quoad videre is potest, qui aspectum hujusmodi meruit, eatenùs firmitate videntis suam repræsentationem metitur ac temperat; condescendere illum tantisper dicimus, & hujusmodi condescensum nominamus & indulgentiam*. In eumdem modum de Prophetis ait, non vidisse Dei substantiam, sed condescensum illum, obscuriùs tamen quàm Angelos: ergo cùm Angelos Prophetis comparet, & Prophetæ Deum non viderint secundùm essentiam, idem de Angelis in sententiam Chrysostomi dicendum est.

Responsionem porrò Theologorum, Chrysostomum exponentium de comprehensiva Dei visione, quam solam negaverit hominibus Angelisque possibilem, sugillat Vasquesius ac refellit. Primò, quia

Chry-

Chrysostomus in illis Homiliis de incomprehensibili Dei natura contra Anomæos disputat, quos non constat docuisse Deum a Beatis ita perfectè videri, ut ab iis comprehendatur. Nec ita amens fuit Eunomius, ut scientiam, quam ipse de Deo haberet, scientiæ & cognitioni, quam Deus de se habet, omninò æquaret. Præterea, ut Angeli possent nobis aliquid de substantia Dei enarrare, necesse non erat notitiâ comprehensivâ ipsum vidisse; sed satis erat, si clarè, sicuti est, totam Dei substantiam viderent, sicut Beati omnes intuentur. Si igitur Angeli Beati Deum clarè viderunt, sed non comprehenderunt, malè Chrysostomus diceret Homilia illa 14. in Joannem: *Si eos percontaberis, nihil ab eis de Dei substantia audies, sed tantùm referentes, Gloria in excelsis Deo.* Stat tamen invicta Theologorum responsio dicentium, Sanctum Joannem Chrysostomum visionem tantùm comprehensivam Dei possibilem negare, cùm in priori, tùm in posteriori loco. Homilia enim 14. in Joannem, eam dumtaxat visionem Dei creaturæ negat, quæ Filio & Spiritui Sancto convenit. Hæc autem non intuitiva tantùm, sed comprehensiva est. *Solus autem ipsam videt Filius & Spiritus Sanctus. Quòd si omnis natura creata est, quanam ratione increatam videre poterit? Nam si incorpoream virtutem, quamvis genitam, non possumus in toto* conspicari, & hoc sæpè numero in Angelis ostensum est; multò minùs incorpoream & ingenitam substantiam.* Perfectè autem viderunt Angeli Filium Dei in carne assumpta, id est, carnem Verbo unitam; seu Christum secundùm humanam naturam comprehenderunt: idque consecuti sunt Incarnatione ut Deum viderent carne circumscriptum, qui antea circumscriptibilis non erat, ut ipse ait. Sed mentem Chrysostomi sequentia evidentiùs demonstrant. *Nemo cognoscit Patrem nisi Filius. Quid*, inquit, *num omnes in ignorantia vivimus? Absit. Sed nemo ita cognovit Patrem ut Filius. Ut igitur multi, quisque pro captu suo ipsum viderunt, substantiam autem nemo vidit: sic multi Deum cognoscimus: non tamen ipsam substantiam qualis est, nisi solus Unigenitus, qui certam notionem, visumque & comprehensionem habet, quantam habet Pater de Filio. Sicut enim cognoscit me Pater*, inquit, *& ego cognosco Patrem. Quare animadverte quanta cum auctoritate loquatur Evangelista. Siquidem cùm dixisset: Deum nemo vidit umquam: non prosecutus est, Filius qui vidit, enarravit: Sed aliud quiddam ampliùs quàm videre posuit, dicens, Qui est in sinu Patris. Nam in sinu Patris esse, majus quiddam est quàm videre. Qui enim tantùm videt, non certam habet rei visa cognitionem: qui verò in sinu immoratur, omnia ei perspicua sunt & certa. Ne autem audiendo: Nemo cognoscit Patrem nisi Filius, diceres, quòd licèt majorem cæteris de Patre habeat cognitionem, non tamen qualis est novit, ideo in sinu Patris eum esse inquit Evangelista: Christus etiam tantùm se Patrem cognoscere*, inquit, *quantùm Pater ipsum. Percontare quæso eum qui contradicit, numquid cognoscat Filium Pater? Respondebit: Etiam, nisi omnino insaniat. Deinde iterum interroga: Quid autem? Certa-ne quadam visione & scientia ipsum videt, & id quod est manifestè cognoscit? Certè assentiet. Hinc collige certam Filii de Patre comprehensionem. Ipse enim inquit: Sicut cognoscit me Pater, & ego cognosco Patrem. Et alibi: Nemo Deum vidit, nisi qui ex Deo est. Hæc, ut dixi, gratia Evangelista sinûs meminit, quo uno verbo multam substantiæ cognationem, propinquitatem, parem Patri cognitionem, potestatem ostendit.*

* Interpres Chrysost. vertit, manifestè, sed vertendum est, in toto, vel, perfectè. Id enim significat vox Græca, ἅπας.

Nec ullius momenti est objectio Vasquesii, Angelos aliquid nobis de substantia Dei enarrare posse, si illum intuitivè viderent. In promptu enim responsio est, Nihil ipsos de substantia Dei enarrare posse, quod ejus cognoscibilitatem adæquet; & illud qualecumque sit, quod ab ipsis audiremus, nihil fore si cum iis conferatur, quæ enarrat Unigenitus qui est in sinu Patris.

Posteriori etiam loco, solam Dei visionem comprehensivam Angelis negat Sanctus Joannes Chrysostomus. Id ex antecedentibus patet. Aliud enim esse notat inaccessibile, & incomprehensibile: & Angelis quidem non esse inaccessibilem, id est, invisibilem Deum fatetur, quibus tamen illum esse incomprehensibilem contendit: hominibus verò in hujusce mortalis vitæ curriculo inaccessibilem esse; moltò magis incomprehensibilem; adeoque Anomæos frustra de Dei comprehensione gloriari. *Quapropter nec lucem incomprehensibilem habitat, dicit* (Apostolus*) *sed inaccessibilem: quod longè plusquam incomprehensibile est. Quod enim inquisitum, investigatumque comprehendi non potest, id esse incomprehensibile dicimus. Quod autem ne investigandi quidem ullo pacto operam patitur, & ad quod nemo propriùs accedere potest, id inaccessibile est. Exempli gratiâ: Mare incomprehensibile dicimus, quod subeuntes urinatores, multàmque altitudinis trasmittentes, fundum attingere nequeunt: inaccessibile, quod nemo vel urinari tentet, vel metiri. Quid ad hæc dixeris? Hominibus, inquis, lux illa incomprehensibilis est, non Angelis, non Virtutibus superis. Tu verò Angelus es, & inter Virtutes incorporeas enumeraris? Non homo es, & ejusdem cujus ego substantiæ? An etiam tuæ naturæ oblitus es? Sed ponamus hominibus tantùm esse inaccessibilem.... Sed licèt Angelis sit accessibilis, quid hoc ad te hominem, qui examinas, & contendis, & comprehensibilem esse natura humana divinam illam substantiam judicas? Verùm ut non hominibus solùm, sed etiam Virtutibus superis incomprehensibilem esse intelligas, audi quid Isaias dicat, &c.*

* Timoth. 6.

Cùm autem *condescensum & indulgentiam*, non verò *meram lucem & ipsam sinceram substantiam* a Beatis Spiritibus videri asserit, non negat ipsos intuitivè Deum videre, sed solùm docet eos divinam non videre substantiam, quantùm visibilis est, & modo perfectissimo atque comprehensivo. Illam namque non intueri, nisi quatenus menti creatæ se accommodat, & ad ejus capacitatem condescendit. Cognitionem autem Prophetarum, qui & ipsi condescensum viderunt, in exemplum profert, ut explicet qua ratione Deus firmitate videntis repræsentationem suam metiatur ac temperet, sed in specie & modo cognitionis Prophetas cum Angelis non confert. *Quemadmodum*, inquit *lucem radiorum solis, non tam cæcus, quàm qui videt, esse inaccessibilem novit: sic naturam Dei inaccessibilem non eodem nos novimus modo, quo illa supera Virtutes & incorporea. Quantum enim inter hominem cæcum & videntem discriminis est, tantùm illa a nobis differunt. Quamobrem si Prophetam dicentem audis, Vidi Dominum: nolè quasi ejus substantiam viderit suspicari, sed condescensum ipsum vidisse intellige, eumque obscuriùs quàm Virtutes supera videant: non enim tantùm videre, quantùm Cherubim potuisset.* Idem ostendit Sancti Chrysostomi scopus, qui his in Homiliis Anomæorum errorem sibi sumit refellendum. Effutiebant enim homines dementissimi, & ipse in primis Auctor Sectæ Eunomius, *Se nihil de rebus divinis ignorare, & ipsam Dei substantiam exactè scire, eamdemque habere de Deo cognitionem, quam ipse Deus de seipso habet*: (ut ex Theodoreto observavimus lib. 4. Hæreticarum Fabularum, cùm suprà egimus de Eunomii Hæresi.) Eumdem errorem Eunomio & Anomæis tribuunt Sanctus Basilius Epistola 168. ad ipsum Eunomium datâ, Sanctus

ctus Hieronymus Commentar. in cap. 11. Matthei ad illa verba. *Nemo novit Filium nisi Pater.* Socrates, lib. 4. cap. 7. & ex Sancto ipso Chrysostomo Homil. 1. *De incomprehensibili Dei natura*, idem colligitur, qui propterea Anomæos *ad postremum insania provectos vocat*. Quisquis igitur Vasquesium legis, mirare, vel dole potiùs hominem tanto conatu tantas nugas obtrudentem, qui ne amens putetur Eunomius, cujus insaniam sugillant & execrantur SS. Patres, Sanctum Chrysostomum in Fidei dogmate errasse contendit.

Denique quòd solam comprehensionem excludat S. Joannes Chrysostomus, ex ejus Homilia 2. *De incomprehensibili Dei natura* compertum est. *Non ignoro*, inquit, *adversarios nostros verbis meis insolentiam summam objecturos, quòd ne supremis quidem Virtutibus Deum esse comprehensibilem judicem*. Et infra: *Non pari modo nos atque Virtutes Deum incomprehensibilem agnovimus, perfectiùs perfectiores noverunt*. Et Homilia 4. *Postquam nuper ostendimus Deum incomprehensibilem esse, etiam ipsis Cherubim & Seraphim..... Quid restat ut ostendamus Dei exquisitam comprehensionem habere non posse Angelos, aut ullam rem creatam...... Quoties audio Deum nullum vidisse, illud intellige, nullum esse qui Dei substantiam exquisitu ratione perceperit*. Quod repetit Homilia 5. ubi ait, Deum a solo Filio & Spiritu Sancto exquisita ratione cognosci: *Substantia namque superiorem substantiam numquam perfectè intelligere potest*. Nec id mirum esse, cùm nec noverimus quid sint Angeli, & quid simus.

Sed ut rectè sensisse de visione Dei intuitiva Sanctum Joannem Chrysostomum persuasum magis habeas, lege ejus Parænesim 1. ad Theodorum lapsum cap. 7. ubi exponens illud Sancti Petri dictum, Matthæi 17. *Bonum est nos hic esse*, ait: *Quid dicemus, quando regiis cubiculis adapertis intueri licebit ipsum Regem, non per speculum, nec per animam, sed facie ad faciem: non ampliùs, inquam, per fidem, sed per speciem?* Lege & ejus Expositionem Psalmi 41. ubi illa verba enarrans: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* hæc habet: *Vide ardentem hominem, vide inflammatum; sciens enim se, cùm hinc excesserit, Deum esse visurum, ne expectat quidem dilationem*. Lege ejusdem Homiliam 34. in Epistolam ad Corinth. I. ubi exponens illud: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*, hæc habet: *Non quòd eum ita simus cognituri, sicut ipse nos: sed quòd sicut ipse nunc ad nos occurrit: ita nos etiam tunc ipsum apprehendemus, & sciemus multa ex iis quæ nunc sunt arcana, & beatissimâ illâ fruemur consuetudine & sapientiâ*.

Et Homilia 10. in 2. ad Corinthios. *Si vel simplex harum rerum cogitatio quamlibet exigua atque obscura sit, tantam affert voluptatem: cogita, quæso, quantum oblectamenti perspicua earum fruitio nobis allatura sit*, &c.

Et Homilia 3. in Epistolam ad Philippenses: *Justi, sive hìc, sive ibi, cum Rege sunt, atque ibi quidem multò magis propriùs, non quasi quodam interjecto vestibulo, non per fidem, sed facie ad faciem*. Et in Oratione de Sancto Philogono: *Hìc quidem nemo Deum vidit; illic autem qui adsunt, perpetuò vident, quatenus illum videre licet, non solùm præsentem, verùm etiam gloria splendore condecorantem cœtum*.

Beatitudinem Sanctorum ad diem usque ultimi judicii differri S. Joannes Chrisostomus non censet.

II. Sancto Joanni Chrysostomo perperam affingunt nonnulli errorem de dilatione Beatitudinis Sanctorum ad diem usque judicii. Nituntur ejus testimonio Homilia 39. in Epistolam I. ad Corinthios, ubi exponens hæc verba Apostoli: *Si in hac vita tantum sperantes in Christo sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, hæc habet: *Quid dicis, o Paule? Quomodò in hac vita sperantes sumus, si corpora non resurgunt, cùm maneat anima & sit immortalis? quoniam si maneat anima & millies sit immortalis, sicut est revera, absque carne non accipiet bona illa ineffabilia, sicut neque punitur..... Si enim non resurgit corpus, incoronata manet anima extra illam beatitudinem, quæ est in cælis. Si autem hoc ita habet, tunc nihil omninò consequemur. Si autem tunc nihil consequemur, in præsenti sunt remunerationes*.

Sed hic Sancti Chrysostomi locus non probat animarum Sanctarum beatitudinem ad Resurrectionem usque differri: solùm evincit animam, quantumvis immortalis credatur, beatitudine donandam non fore, nisi eadem aliquando sit donandum & corpus, adeòque nisi sit ad vitam perennem & gloriosam resurrecturum. Cùm enim Christianæ Vitæ merita & labores totius hominis, id est, corporis & animæ communia sint, non esset potior ratio cur æternùm felix esset anima, quàm corpus. Ut igitur consummata sit hominis beatitudo, anima in societate carnis bona ineffabilia perciperet, suam cùm illa communicando beatitudinem, quâ statim post suam è corpore migrationem, si pura esset peccati, fruebatur: ut idem Sanctus Chrysostomus asserit Homilia in Epistolam ad Philippenses. Ibi enim exponens hæc verba Apostoli, *Dissolvi multò magis meliùs, & quid eligam ignoro*, hæc habet: *Quid ais? Cùm hinc abieas ad cœlum sis migraturus & cum Christo futurus, ignoras quid eligas*, &c.

Et Homilia 74. de Sanctis Martyribus, *Si peregrinis Athletis in Urbem adventantibus populus omnis confluit undique, eosque circumvallantes, aptam membrorum dispositionem in illis contemplantur: multò magis religionis athleta in cœlos cùm ascenderint, concurrunt Angeli, omnesque undique confluunt superna Virtutes, eorum considerant vulnera, & tanquam victores quosdam ac multarum palmarum bellatores e bello ac præliis revertentes, multis trophæis ac victoriis partis, cum voluptate excipiunt eos omnes & amplexantur, ac deinde multo satellitio circumseptos ad Regem Cœlorum, ad illum thronum multâ gloriâ redundantem, ubi Cherubim & Seraphim adstant, deducunt. Cùm vero illuc advenerint, eumque qui throno insidet adoraverint, multò majori quàm a conservis, a Domino afficiuntur honore...... Quando igitur maximam ipsi charitatem demonstrarunt, ipsos excipit honorificè, atque illâ gloriâ perfruuntur: participes fiunt chororum, & canticis mysticis communicant*.

De beatitudine igitur consummata, quæ toti Ecclesiæ corpori simul rependetur, intelligendus est Chrysostomi locus Homilia 28. in Epistolam ad Hebræos: *Ne viderentur*, inquit, *melioris quàm nos conditionis, si primi coronarentur, definiit omnibus unum tempus coronarum. Etiam qui tam multis ante te annis vicit, tecum accipit coronam. Vides Dei curam & providentiam. Non dixit, ne sine nobis coronentur: sed Ut non sine nobis consummarentur. Itaque tunc quoque apparent perfecti. Præcesserunt in certaminibus, sed non præcesserunt in coronis. Ipsi enim fratres expectant. Nam si omnes sumus unum corpus, existit huic corpori major voluptas, quando communiter coronatur, & non singulatim*.

De Gratia Christi rectè sensit S. Joannes Chrysost.

III. Perperam nonnulli Sancto Joanni Chrysostomo affingunt quod malè de divina gratia senserit, initium Fidei & salutis liberi arbitrii viribus tribuendo. Nituntur in primis loco celebri ex Homilia 42. in Genesim ubi de Abrahami virtutibus loquens hæc habet: *Quæ igitur nobis posthac relicta est excusatio, cùm unus homo cunctas in se virtutes possideat: nos verò ita immunes earum sumus, ut ne unam quidem perficere juvet?*

Quod

Quod enim non ex eo quod non possumus, sed quod non volumus, a bonis omnibus sumus alieni, manifestè indicat quòd multi ejusdem naturæ homines inveniantur virtutibus conspicui. Et verò istud ipsum quòd Patriarcha, qui ante gratiæ tempus & ante legem fuit a seipso & a scientia quæ naturæ insita est, in tantam pervenit virtutis fastigium, sufficit ut omnes nostras excusationes refutet. At fortè dicent aliqui, quòd Vir ille multam a Deo gratiam consecutus sit, & omnium Dominus ejus singularem habuerit curam. Fateor ita esse & ego. Verùm nisi primùm & ipse quod suum erat fecisset, non tanta a Domino obtinuisset. Ea propter non hoc solùm vide, sed in unoquoque diligenter attende, quomodò primùm in omnibus virtutis suæ indicium exhibuerit, atque sic divinum meruerit præsidium. Atque hæc sæpe vobis declaravimus: quando a patria suâ migrabat, quòd neque a progenitoribus semen Fidei acceperit & a seipso valde religiosam atque piam mentem obtulerit, &c. Vidistis quomodò ab initio, quæ a semetipso erant, attulerit, & propterea divina quotidie abertim susceperit? Eodem modo, Dilecti, etiam nos, si voluerimus supernâ frui gratiâ imitemur Patriarcham, & ne cunctemur ad obeundam virtutem: Sed quotidie ita eam exerceamus, ut oculum illum, qui sopiri nescit, conciliemus nobis ad mercedem tribuendam. Etenim qui scit arcana mentis nostræ, cùm viderit sanam mentem nostram, & nos conari & eniti ad virtutis agones, statim & nutu suo nos adjuvat, simul & labores nostros allevians, & infirmitatem nostræ naturæ confirmans, uberesque retributiones suppeditans.

Verùm hic Sancti Chrysostomi locus prævenientis gratiæ necessitatem non evertit, quam alibi non semel inculcat; sed gratiæ incrementa piis voluntatis conatibus, quæ gratiæ ipsam prævenientis ac præparantis cooperatur auxilio, concedi asserit. Loquitur quippe Sanctus Chrysostomus de Abrahamo, cæterisque viris justis, qui a Deo vocati, ejus gratiæ fideli obedientiâ respondent; & hoc modo majora obtinent auxilia. Quòd autem Abrahamum *a seipso, & a scientia quæ naturæ insita est, in tantum pervenisse virtutis fastigium* asserit, non excludit gratiam, sed legem dumtaxat, prædicationem Evangelicam, & uberiora, quæ ipsam comitantur auxilia, propter quæ & Gratiæ Lex vocata est. Abrahamum itaque his præsidiis destitutum, & Deo nihilominus vocanti parentem, & quod in se erat facientem, ex gratiæ tamen auxilio, in exemplum Fidelibus proponit S. Joannes Chrysostomus, ut eorum torporem damnet ac ignaviam, qui longè majoribus gratiis præventi & adjuti, nullus ad virtutem voluntatis conatus conferunt.

Non alio modo intelligendus est locus alter ex Homilia *De Daniele & ejus sociis*, in quâ hæc leguntur: *Postquam omnia quæ ex se erant contulerunt, Deus etiam, quod ex se erat, reliquum contulit. Neque enim Dei solius erat præclarum illud facinus in his pro quibus mercedem accepturi erant: Sed principium & exordia erant ab illorum animo, quem cùm generosum & fortem præstitissent, Dei auxilium ad se attraxerunt, & ad finem, quod moliebantur, perduxerunt.* Quamquam negotium facessere hic locus non debet, cùm Homilia ex quâ profertur, non sit Sancti Joannis Chrysostomi.

Huic oppono genuinum ipsius testimonium ex Homilia 18. in Epistolam ad Romanos, ubi exponens locum Isaiæ insimul & Apostoli: *Inventus sum a non quærentibus me: palam apparui eis qui me non interrogabant. Ad Israël autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem mihi*, hæc habet: *Illud, Inventus sum ab his qui me non quærunt, idem est ac si dicat, quoniam Gentes quæ justitiam non sectabantur, justitiam apprehenderunt. Deinde ut ostendat non solùm divinæ gratiæ opus esse hoc factum, sed & voluntatis eorum qui accesserant, quemadmodum & quòd illi exciderant, ex contentione est immorigerorum, audi quid subjungat: Ad Israël autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem. Diem hic universum vocat retrò tempus quod prætierat. Illud verò quòd manus suas extendisse dicit, vocasse, traxisse, adhortatumque esse declarat. Deinde ostendens quòd universa hujus inobedientiæ culpa illorum fuerit, dicit: Ad populum non credentem & contradicentem. Vides quanta illorum sit accusatio. Ipsi quippè neque adhortanti quidem obedierunt, sed & contradixerunt, idque cùm non semel, non bis, non ter, sed per universum tempus eadem perseveranter facientem viderent. Alteri verò qui Deum nunquam cognoverunt, ipsum tamen attrahere potuerunt. Attamen non dicit, quòd ipsi Deum per se attrahere potuerint; sed & eorum qui ex Gentibus credebant, fastus dejiciens, ostendensque quòd totum hoc Dei gratia perfecerit, dicit: Ego conspicuus factus sum, & ego inventus sum. Omniam ergo illi vacui sunt? (dices) Nequaquam. Sed quod inventa apprehenderant, conspicuaque facta agnoverunt, hoc scilicet de suo attulerant.* Quo loco nihil illustrius ac luculentius proferri potest cùm ad gratiæ prævenientis necessitatem ad omnes actus; etiam ad ipsum initium Fidei, tum ad liberi arbitrii cooperationem asserendam.

Et Homilia 19. in eamdem Epistolam, exponens illa verba: *Vide igitur bonitatem ac severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderant, severitatem: in te verò bonitatem*, &c. hæc habet: *Non dicit, Vide igitur virtutem tuam, aut labores tuos, sed Dei bonitatem: ostendens quòd universum ex supernâ gratiâ sit factum, instituensque credentem ut tremat. Abusus quippe gratiæ Dei tremere facit.* Et infra de Deo ait: *Ipse perpetuò in beneficiis prior est.*

Et Homilia 12. in Epistolam 1. ad Corinthios, *Ponamus autem te esse dignum laudibus, & verè habere gratiam, nec esse corruptum hominum judicium. Nam ne sic quidem oporteret te efferre & superbire. Nihil enim habes domo allatum, sed a Deo acceptum. Quid ergo te habere præ te fers quod non habes? At tu hoc habes, & alii totum. Acceptum ergo habes, non hoc aut illud, sed omnia quæ habes. Non enim tua sunt hæc rectè facta, sed gratia Dei. Etiamsi fidem dicas, ea extitit ex vocatione; & si dicas remissionem peccatorum, si dona ac charismata, si docendi rationem, omnia inde accepisti. Quid ergo habes*, inquit, *quod non habes, acceptum?* Et infrà, exponens quod scribit Apostolus ad Corinthios, ipsos *Multis adhuc opus habere*, ipsum ita loquentem inducit: *Et si maximè omnia accepissetis, non oporteret gloriari. Nihil enim est vestrum.*

Objici possunt ista verba ex Homilia 12. in Epistolam ad Hebræos, *Nostrum quidem est præeligere & velle: Dei autem est perficere, & ad finem deducere.* Et ibidem. *Quando nos elegerimus, tunc nobis multum affert auxilium.* Quæ gemina sunt his quæ dixerat Homilia Octava in Epistolam ad Philippenses, explicans illa verba: *Deus enim est qui operatur in vobis & velle & perficere.* Horum enim sensum esse istum dixerat: *Si volueris, tunc operabitur ut velis ..... etenim ubi voluerimus, de cætero augebit propensionem voluntatis.*

Verùm gratiæ prævenientis ad bonos actus, & ad ipsum Fidei initium, necessitatem hic locus non evertit, sed affirmat solùm nos gratiæ vocanti consensum dare primùm oportere, quem ubi dederimus, gratiam Deus confert sanctificantem. Hæc enim justificationis series est ac œconomia. Illa itaque Sancti Chrysostomi verba gratiæ necessitatem

ecessitatem non magis excludunt, quàm illa Christi: *Petite, & accipietis, pulsate & aperietur vobis.* Unde sicut hæc sententia, quæ solam hominum operationem innuere videtur, per aliam exponenda est, quæ Dei præveniens auxilium necessariò exigit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum:* Ita illa quæ objiciuntur Sancti Joannis Chrysostomi verba, ex aliis explicantur, quæ primam salutis originem gratię excitanti acceptam ferunt. Sed quid aliis opus est, cùm ipso in loco qui profertur, scilicet Epistolâ 12. ad Hebræos suam ita dilucidè sententiam Chrysostomus exponat, de eâ ut dubitare nemo possit, qui ipsam expenderit diligentiùs? *Si velimus,* inquit, *stare firmi, stabiles, & immobiles, non commovebimur. Quid ergo? Nihil-ne est in Dei potestate? in Dei quidem potestate sunt omnia, sed non ita ut nostrum liberum lædatur arbitrium. Si ergo, inquis, est in Dei potestate, cur in nos confert culpam? propterea dixi: ita ut non lædatur nostrum liberum arbitrium. Est ergo & in nostrâ, & in ejus potestate. Oportet enim nos primùm bona eligere: & tunc affert quæ sua sunt. Non prævenit nostras voluntates, ne perdat nostrum liberum arbitrium.* Non prævenit nimirum cogendo, sed prævenit adjuvando. Hinc totum Dei esse ait Sanctus Chrysostomus in operibus bonis, quia & suas in iis partes liberum arbitrium habet: sed tamen primas & præcipuas Deo vindicat, qui suam nobis opem confert, quâ sine conatus omnes nostri frustra essent. Hoc sensu dictum ait ab Apostolo: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei:* & secundùm humanum loquendi morem hæc Apostoli verba exponit, quo totum illi adscribi solet qui præcipuam ad aliquid operam confert, & qui cæteros ad opus movet, ac dirigit. Ita cùm videmus ædes pulchrè ædificatas, totum esse dicimus artificis, quamvis & operarii, & dominus qui materiam & sumptus subministrat, aliquid contulerint ad opus. Ita Apostolus totum Dei esse dicit, quia quod præcipuum est, illius est, inquit Sanctus Chrysostomus. Ideo dicit: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Hic autem duo magna & præclara efficit. Unum quidem ne efferamur. Etiam si curras, etiam si studium ponas,* inquit, *ne tuum esse existimes quod rectè gestum est. Nam nisi a superis opem adipiscaris, frustra erunt omnia. Sed est perspicuum fore ut assequaris id in quo ponis studium, quamdiu curris, quamdiu vis. Non hoc ergo dicit quòd frustra currimus, sed quòd frustra currimus, si totum esse nostrum existimamus, si non plus Deo tribuimus. Non enim suum esse totum voluit Deus, ne videretur nos temerè coronare. Neque rursus nostrum, ne incidamus in arrogantiam. Nam si, cùm minorem habeamus partem, efferimur, & præclarè de nobis sentimus: quid faceremus, si totum esset in nostra potestate.*

Non alius est sensus loci laudati ex Homilia 8. in Epistolam ad Philippenses. Solùm enim vult gratiæ esse strenuè cooperandum, nec Deum ita velle & perficere in nobis operari, ut nihil ipsi agamus. *Ergo,* inquit, *si ipse operatur, nos voluntatem ipsam penitus obsecundantem, non remissam, sed contentam atque in sese collectam exhibeamus oportet.* Tum quempiam ita objicientem inducit: *Si Deus est qui hoc in nobis operatur ut velimus, cur nos cohortaris? Nam si ipse est qui, ut velimus, facit; frustra nobis dicis, Obedistis: non enim nos sumus qui obedimus. Frustra dicis, In timore & tremore: Totum enim Dei est.* Apostolum verò sic respondentem inducit: *Minimè verò hæc spectans, ista verba protuli: sed ut vestram solicitudinem sedarem. Si volueris, tunc operabitur ut velis, non te iste metus angat. Et propensionem voluntatis ipse nobis dat, & operationem. Etenim ubi voluerimus, de cætero augebit propensionem voluntatis: veluti volo boni quidpiam operari: hoc ipsum bonum ille operatur, & per hanc boni operationem, operatur etiam velle. Aut ex abundantia pietatis hoc inquit: quemadmodum cùm nostra rectè facta, charismata ac dona appellat. Quemadmodum igitur illa nominans charismata, non propterea nos dejicit de liberi arbitrii possessione, sed hanc ipsam liberam ac sui juris potestatem nobis permittit: ita cùm inquit Deum esse, qui operatur in nobis velle; minimè nos libero arbitrio privat; sed ostendit rectè faciendo magnam nos acquirere propensionem ad volendum.* Ibidem observat, Apostolum hæc verba addere, *Pro bona voluntate:* quibus verbis *fidentes nos facit, fore omnino ut Deus operetur. Vult enim nostram nos ad illius voluntatem aggregare, atque ita vult vivere. Quod si Deus vult; illud autem quod vult ipse operatur: certè hoc quoque operabitur ac præstabit, ut rectè vivamus. Hoc enim vult. Vides a Paulo minimè tolli arbitrii libertatem?*

Eodem modo exponenda sunt verba illa ex Homilia 17. in Joannem: *Hinc admonere possumus, Deum suis in nos beneficiis nostras non prævenire voluntates, sed a nobis incipiendum esse: sed cùm nos prompto paratoque animo ad suscipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert salutis occasiones.* Ideo autem S. Joannes Chrysostomus liberi vires & conatus arbitrii commendat, gratiæ verò prævenientis non ita prædicat necessitatem & efficaciam, quia Manichæos liberum negantes arbitrium, quavis data occasione impugnabat: Pelagianis autem nondum litigantibus, & nondum exortis, securiùs loquebatur, ut ait Sanctus Augustinus. Illustrari potest hic Homiliæ 17. locus ex altero Homiliæ 45. in quâ exponens illa verba Christi: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum,* hæc habet: *Hic insurgunt Manichæi, nihil nos ex nobis ipsis posse, hujus particulæ testimonio contendentes. Sed planè nos posse quæ volumus, per hoc ostenditur: inquiunt enim: Si quis venit ad eum, quid opus est ut trahatur? Verùm hoc nostrum non tollit arbitrium, sed divino egere auxilio ostendit; & non invitum, sed omni contendentem conatu venire. Inde quo pacto trahat, ne quid sensibile de eo suspicarentur, his verbis prosequitur; Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem. Quomodo trahat,* inquit, *hoc Propheta prædixerat, quod Erunt omnes docibiles Dei. Vides Fidei dignitatem, quòd non ab hominibus, neque per hominem, sed per ipsum Deum eâ imbuendi sunt.*

Objici potest celebris locus ex Homilia 31. *de* Sancta Pelagia Virgine & Martyre. *Non erat intus sola, sed consiliarium habebat Jesum ipsum. Ille Virgini præsto erat, ille ipsius mentem & cor excitabat, ille animum confirmabat; solus, inquam, ille metum omnem ejiciebat. Hæc autem non sine causa Jesus faciebat, sed quoniam Martyr ipsa illius auxilio se dignam antea præbuerat.*

Verùm hic locus non de prima gratia, quam nulli conatus liberi arbitrii præcedunt, advocant, & merentur; sed de gratiæ incremento & profectu, ad quem nobis cooperandum est, debet intelligi, ut ostendit ipsa loci series. *Quòd enim* inquit, *exire, & carnificibus illis ac militibus respondere, quòd os erigere, & vocem emittere, quòd eos aspicere, quòd denique consistere & respirare potuerit, hoc certè tale ac tantum est, ut nemo possit non illud admirari. Non erant hæc natura humana facta, sed Dei majorem partem conferentis auxilio id fiebat. At ipsa tamen otiosa non erat, sed a seipsa promptum & generosum animum, voluntatem, propositum, studium, & alacritatem afferebat: divino vero subsidio ac benevolentiâ factum est, ut hæc omnia ad eventum perlata sint. Ita-*

taque ipsam & admirari, & beatam dicere meritò debemus: beatam, quòd Dei præsidium atque opem habuerit: admirabilem, quòd tantam animi virtutem ostenderit.

His omnibus lucem adhuc afferre potest locus Homiliæ 40. in Matthæum. *Quemadmodum*, inquit, *impossibile omnino erat per mare Rubrum pertransire, nisi miraculo facta via fuisset: sic a priore vita ad cælos conscendere sine meditatione Baptismi non possumus. Et si quod factu impossibile erat, factum est possibile: quantò magis augustum hoc atque arduum iter facile fiet? Ita, inquies, sed divina potestate, atque gratia solùm transitus tuae Judais concessus fuit. Idcirco tu debes confidere. Nam si gratia beneficio solùm illi transierunt: cùm tu ad gratiam laboribus quoque tuis niteris, nonne securior es? Si enim otiosos salvavit, quantò magis solerti laborantibus studio certissimam feret opem?*

Naevus S. Chrysost. IV. Inanis gloriæ vitium Deiparæ Virgini affingit, non sequendus hac in re Sanctus Chrysostomus, Homilia 45. in Matthæum ad illa verba, *Quæ est mater mea?* &c. Quæ ita commentatur: *Hæc autem dixit, non quòd eam matris puderet, sed ut ostenderet nihil eam juvare, nisi quod officii sui erat in omnibus præstaret. Nam quod illa facere instituerat, supervacanea cujusdam ambitionis erat. Quippe volebat ostentare populo se Filio dominari, & in eam auctoritatem exercere: cùm nondum de ipso magnam aliquid imaginatione suâ sibi proponeret. Ideo intempestivè accessit: ac vide, quæso, tam ipsius, quàm illorum superbiam.*

SCHOLION.

Ad hunc Articulum, pag. 640. Editionis primæ: Religiosi Censores hanc notam in Indiculo suo posuerunt: *Spoliat Chrysostomum Opere imperfecto in Matthæum*,

R. Opus illud *S. Joanne Chrysostomo* indignum, illi ante me abjudicarunt quicumque Criticam Sacram posterioribus Sæculis vel a limine salutarunt. Patiantur Auctores Indiculi Censorii se remitti vel ad *Bellarmini* Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum.

ANIMADVERSIONES ex Cl. V. Marchione Scipione Maffei excerptæ, in epistolam ad Cæsarium, S. Jo. Chrysostomo inscriptam, de qua Natalis *art. 29. n. 8.*

§. I.

Epistola ad Cæsarium falsò S. Jo. Chrysostomo adscribitur.

NUllus est hac nostra ætate, qui inter eruditos adnumeretur, cui ignota sit ea literaria concertatio, quæ viguit inter Cl. V. Marchionem Maffei, & Jacobum Basnage, dum hic præfatam epistolam, tanquam genuinum Chrysostomi fœtum, in lucem edere meditabatur. Ne Hollandus Basnage a veritate deviaret, non abs re judicavit Maffei suis epistolis ostendere, illam a S. Jo: Chrysostomo ablegandam; & insuper alia observare, ex quibus dignoscere posset Basnage infeliciter ex eadem epistola transubstantiationis dogma impugnari. Cùm nihilominus Basnage ab ea tanquam indubitanter genuina publicanda non abstinuerit, dissimulando tamen Maffei argumenta; illudque addiderit, *inique consilio*, ne Parisiis publicaretur, vetitum fuisse, ac Bigotio latitanter, & non sine arte eamdem epistolam transcribere concessum fuisse, novam doctissimus Marchio adornavit epistolam, quæque antea amicè Basnage communicaverat, publici juris facere duxit esse necessarium.

Primò autem conqueritur iterum reassumptam, quam prius induxerat Cave querelam, fraude nempe epistolæ ad Cæsarium publicationem prohibitam, postquam Lutetiæ jam typis fuerat impressa. Tunc absque injuria fraudis crimen opponi potuisse dicit, quando exemplar omnino abolendum imperatum fuisset, vel aliena ab originali eidem assuta viderentur; non verò dum inopportunum fuerit judicatum edere monumentum, quod ex non infirmis argumentis inter apocrypha erat adnumerandum. Nec etiam erubuit Basnage affirmare id tunc *inique consilio* peractum, quando ignorare non poterat hanc epistolam postea Parisiis, nullo contradicente, Harduinum publicasse; cùm quidam a Jo. Chrysostomo non ablegandam sensissent.

Ægerrime deinde fert Maffei dictum esse a Basnage non licuisse Bigotin nisi latitanter, & sub specie alia adnotandi, eamdem transcribere; jam etenim illum monuerat nonnisi per putidum mendacium id evulgari. Solemniter etiam mentiri scripserat qui affirmaverat non amplius illam legendi dari facultatem; cùm illam omnibus exposcentibus PP. Dominicani S. Marci Florentiæ passim exhibeant; cujus rei testem affert Enricum Brenkman, virum Hollandum, qui longam in ea civitate moram traxit, ad novam Pandectarum editionem, juxta originale ibidem asservatum, incumbens.

Quæ verò Maffei jam antea Basnage communicaverat, ut abstineret ab hac adnumeranda epistola inter alias Chrysostomi, ad sequentia reducuntur. Primò animadvertit eam non solùm apud Italos, sed passim etiam ultra montes innotuisse, & tamen nunquam inter Chrysostomi Opera visam. Ex hoc colligit eidem non adscribendam esse communiter ipsius Compilatores judicasse; neque etenim tunc in ipsius Libris fuisset desideranda. Secondò adnotat ea in epistola apertam fieri mentionem Hæresis Nestorii, quæ solùm exorta est ultra annos viginti ab obitu Chrysostomi. Quamvis autem hæc epistola Chrysostomo adscripta a Damasceno octavo sæculo videatur, nihilominus quæ continet longe esse ab ipsius mente P. Lequien in editione Operum Damasceni, datâ operâ demonstrat, & non solùm post Chrysostomi ætatem, sed etiam post Concilium Chalcedonense editam opinatur. Tertiò ad judicandum epistolam ad Cæsarium a Chrysostomo non fuisse exaratam, illud conducere dicit, quòd ejusdem epistolæ altum silentium fuit in Concilio Chalcedonensi, in sexto adversus Monothelitas, & in Lateranensi sub Martino I. neque illius meminisse Theodoretum, Leonzium Bizantinum, Anastasium Sinaitam, sicut nec illos Nestorii Patronos, qui ex Chrysostomo quædam minoris sane roboris protulere.

Demum, ut ostendat Maffei affirmari haud posse genuinam esse, de qua agitur, epistolam, affert ejusdem non contemnendum fragmentum ex Mss. Mediceæ S. Laorentii Bibliothecæ deprompium. Affirmatur ibi duos in Christo Filios non extitisse, atque duas copulatas in ipso naturas, inconfusas, ac impermixtas permansisse. Ut postea ejusdem auctor ostenderet, non proinde Divinitatem pœnis obnoxiam fuisse, similitudine utitur purpuræ, in qua sola lana mulieris nentis perfert torsionem, non color; sicut etiam solaris radii arborem illuminantis, quem amputatum nemo dicit, si arbor ferro abscindatur. En in hoc fragmento, ad ostendendam naturarum impermixtionem, omissam impermixtionem Corporis Christi, ac panis in Eucharistia, quod exemplum, ut infra videbitur, expressè habetur in ea, quæ circumfertur, epistola. Hoc verò fragmentum, usque

que ad præfatas similitudines, Indubium est, quia illud legere est etiam apud Nicephorum. Cùm autem quæ subsequuntur aliter in præfato Mss. aliterve in epistolâ, de qua cum nostris Adversarils lis est, perlegantur, ex hac sola lectionum varietate illius auctoritatem ruere necesse est, quando etiam alia despicerentur obscuritatis, ac incongruentiarum adminiçula. Nec dicere referret, quę diversimode leguntur in Mss. S. Laurentii non ad epistolæ auctorem, sed ad alterum pertinere; id etenim gratis dictum quis non videat? Prætereą quæ in eodem Mss. alterius sunt auctoris, sub eodem contextu continnata non apparent; & ulterius quæ indivulsæ a superiori textu referuntur similitudines, ad illustrandum quod ibidem auctor probandum assumpserat, conducunt. Videas ox his, quàm nimis fidenter dixerit Basnage, eam, de qua hìc sermo est, *indubitatam* esse Chrysostomi epistolam.

§. II.

Quando etiam epistola ad Cæsarium S. Chrysostomo inscripta, esset genuina, nihil eu ea inferre liceret contra dogma Transubstantiationis.

DEmonstrare pergit doctissimus Maffei, etsi concederemus præfatam epistolam Chrysostomo trihuendam, incassum Basnage sibi plaudere, quasi ex ea Transubstantiationis dogma proscribere concedatur: nec desinit mirari eos, qui PP. traditionem a fidei dogmatibus stabiliendis alienam contendunt, hane epistolam adeo adversùs Catboeos urgere. Verùm, antequam cætera prosequar, quæ ex hac epistolâ verba afferuntur, hìc sunt transcribenda, ac ita se habent: *Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divinâ autem illud sanctificante gratiâ, mediante Sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, & non duo corpora, sed unus corpus filii prædicatur. sic &c.* Cum hìc post consecrationem adhuc panis natura superesse dicatur, exclusa omnino videtur transubstantiatio.

Verùm huic textui primò opponit Maffei, tanta illum obscuritate laborare, ut Calvinistæ ex eo proscriptam realem Christi præsentiam ab Eucharistia velint, Lutherani solam transubstantiationem, Catholici verò ex eodem utramque confirmari autument. Minus ergo aptus reputandus ad fidei dogmata stabilienda. Dicit deinde nostros adversarios non sine contemptu rejecturos, quæ ipsis ex græco, vel latino auctore opponerentur, dum diverso idiomate ah eo, quo primùm conscripta fuerunt, exhiberentur, si originale deficeret, quo ostendi posset ipsius verba fideliter reddita fuisse. Hoc autem hìc evenit, quæ etenim latinè allata sunt verba, nullibi græcè leguntur: ultraquamquòd Interpres infeliciter in eis vertendis laboraverit, eùm pluribus deformentur mendis. At quamvis fidelis fuisset interpretatio, optime dicit Maffei PP. mentem, quoad aliquod dogma stabiliendum, non ex iis introspiciendam, quæ de eo incidenter dixère, sed ex iis, ubi illud datâ operâ explicandum assumunt: ac proinde non investigandum quid do Eucharistia senserit Chrysostomus, ubi de Incarnatione agens ab Eucharistia similitudinem mutuatur, sed ubi de hac sermonem instituit. Porrò Chrysostomus homilia in Judam transubstantiationem tradit, affirmando consecrationis verba *oblationes transmutare*; sicut & hom.83. in Matth. postquam etenim Eucharistiæ miraculum transmutationi aquæ in vinum comparavit, subdit: *Qui sanctificat, & transfabricat oblationes, ipse Dominus est.* Similia habent PP. Græci, ubi de Eucharistia sermonem habent, videndi apud Leonem Allatium adversus Creyghton. Compertum autem est quæ obscura sunt, ex iis, quæ omnem dubitandi rationem excludunt, explicanda.

Demum ex præallegatis verbis frustra Lutheranos eucharisticam transubstantiationem rejicere, ox eo demonstrat Maffei, quia hæc vox *natura*, præcipuè antequam in Scholis terminorum significatio coarctaretur, ad designandas rerum naturales sensibilesquo proprietates fuit usurpata. In hoc sensu ait Tertullianus: *Substantia est lapis, ferrum; duritia lapidis, & ferri natura substantia est.* Modò etiam pro rerum natura non rarò ipsarum proprietates intelligimus: & ita dicere solemus hominem esse naturâ malum, aurum naturâ oxtensibile &c. Quamvis orgo Chrysostomus dixissot post consecrationem panis *naturam* superesse, non proindo dicere cogeremur intelligero voluisse panis substantiam perseverare, bene tamen illius proprietates. Neque aliter suadet similitudo, ad hunc solùm finem ab auctore epistolæ allata, ut ostenderet duas res, quamvis unitas, impermixtas posse remanero, exinde inferens contra Sinusiastas utramque naturam, quamvis in Christo unitam, in unam non coaluisse. Ita igitur bene potest urgeri oadem similitudo, nempè quòd sicut in Eucharistia Christi corpus, panisque proprietates non confunduntur, quamvis solùm Domini Corpus nuncupetur; ita non est affirmandum in Christo unum fieri ex Divinitate, & humanitate, licèt in Christo unus sit Salvator, & solùm ejusdem Christi nomine Persona, quæ carnem assumpsit, appelletus: & sicut in Eucharistia sub oculos dumtaxat panis repræsentatur, & nihilominus sub illius speciebus latitat Christi corpus ab eisdem distinctum, ita in Christo sola apparebat humanitas, quamvis eidem Deitas impermixta copularetur. Hæc profecto satis erant ad demonstrandum duo simul unita inconfusa posse permanere, & id solùm respiciebat auctoris epistolæ ratiocinium, non verò quòd duæ in Christo essent substantiæ, quia duæ substantiæ in Eucharistia perseverarent. In similitudinibus autem unicè inspiciendum ad quid probandum fuerint usurpatæ; si etenim ad alia distrahantur, difficiliter aliquando ab hæretico errore dabitur eas vindicare.

Cæterùm bene perpendit Maffei nostros Adversarios in seipsos pugnasse, tanti faciendo hanc Chrysostomi præsumptam epistolam, quamvis tot mendis scatentem. In Actis Lipsiensibus *pretiosissimam* appellant, quammaxime extollit Pecceninus, & a nobis præfracta fronte negari affirmat Basnage, quia animus deest *imminentibus periculis* nos objicere. Tantine ergo æstimandus vel unieus Pater, quem quia nobis adversum somniant, quasi nos vicisse, ac prostrasse eanunt? Quantine ergo, quam ipsi reprobant, magnificenda PP. traditio, non ex uno, alterove ipsorum textu expiscanda, sed ex indubiis ipsorum verbis, & ex communi ipsorum doctrina extrahenda? Ad hoc tribunal tanquam infallibile semper Catholici vonerabundi accesserunt, non ita verò Hetherodoxi.

ARTICULUS XXXI.

De S. Hieronymo.

SAnctus Hierónymus Stridone in Dalmatiæ Panoniæque confinio, Patre Eusebio natus est,

anno circiter 329. Romam cum Bonoso veniens, Donatum Grammaticum audit. Multis peragratis Provinciis ac regionibus, in Syriæ eremo Vitam egit Monasticam. A Paulino Antiochiæ Episcopo Presbyter inauguratus est anno circiter 378. ita tamen ut nulli adscriberetur Ecclesiæ, (quemadmodum ipse testatur Epist. 61. ad Pammachium) Hinc fabula de Cardinalitia Sancti Hieronymi dignitate, cuius artifex ineptus ille Auctor, qui Sermones ad Fratres de Eremo edidit, & Sancto Augustino supposuit, meritò sugillatur. Romam reversus, Damaso Papæ in scribendis Epistolis & in Ecclesiasticis negotiis operam commodavit. Cujus post obitum Roma discedens, navigavit in Syriam anno 385. inde Hierosolymam ingressus est. Ægypti Monasteria anno sequente lustravit. Bethleem tandem secessit, ubi consenuit in Monasterio, in sacrorum librorum scriptione, & Scripturarum divinarum meditatione atque commentatione assiduus. In Sacrarum Literarum studiis præceptores habuit Gregorium Nazianzenum, Apollinarem Laodicenum, & Didymum Alexandrinum. Trium linguarum, scilicet Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ peritissimus fuit: in Chaldaica etiam & Syriaca eruditus. Hæreticos scriptis insectatus est, Fidemque Catholicam adversùs ipsos strenuè propugnavit. Vigilantium, Helvidium, Jovinianum, Luciferianos, Pelagianos, & Origenistas, maximèque Origenis, acerrimum defensorem atque sectatorem Ruffinum confutavit. Tandem multis pro Ecclesia laboribus perfunctus, doctissimisque Operibus editis, ad vitam migravit immortalem anno Christi 420. anno ætatis 91.

Suorum ipse meminit Operum *In Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum*, cap. ultimo. Hunc librum absolvit anno Theodosii Senioris XIV. quo tempore Vitam Pauli Monachi, varias Epistolas, & in primis ad Heliodorum, ad Eustochium, ad Marcellam, ad Paulam scripserat. Item, Chronicon; Dialogum adversùs Luciferianos; adversùs Helvidium, de Virginitate B. Mariæ perpetua; Commentarios in Epistolas Sancti Pauli ad Galatas, ad Titum, & ad Philemonem; item in Ecclesiasten: Librum Quæstionum Hebraicarum in Genesim: De locis, & de nominibus Hebraicis; Explanationes in Michæam, in Sophoniam, in Nahum, in Habacuc, in Aggæum; libros adversùs Jovinianum, & Apologeticum pro ipsis ad Pammachium; Vitam Sancti Hilarionis, &c. Latinitate etiam donaverat Homilias 28. Origenis in Jeremiam & Ezechielem, duas in Canticum Canticorum; triginta novem Homilias in Lucam & librum Didymi de Spiritu Sancto. Vetus præterea Testamentum ex Hebraico textu jam Latinam in linguam transtulerat; Novum Græcæ Fidei reddiderat, jussu Damasi Pontificis. Ac Veteris quidem Testamenti ex Hebræo Versionem Sanctus Augustinus, lib. 18. de Civitate Dei, cap. 43. his verbis commendat: *Quamvis non defuerit temporibus nostris Presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum eloquium easdem Scripturas converterit. Sed ejus tam literarum laborem quamvis Judæi fateantur esse veracem.* &c.

Chaldaico.

De hac & Sanctus Gregorius Magnus lib. 20. Moralium, cap. 23. *Quia hæc nova Translatio ex Hebræo nobis Arabicoque eloquio cuncta veriùs transfudisse perhibetur, credendum est quicquid in eâ dicitur: & oportet ut verba illius nostra expositio subtiliter rimetur.* De Versione verò Novi Testamenti ab Hieronymo adornata, verbis planè magnificis loquitur Sanctus Augustinus Epistola 10. ad ipsummet datâ, cap. 4. *Proinde*, inquit, *non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quòd Evangelium ex Græco interpretatus es, quia plenè in omnibus nulla offensio est, cùm Scripturam Græcam contulerimus. Unde, si quispiam veteri falsitati contentiosus faverit, prolatis, collatisque Codicibus, vel docetur facillimè, vel refellitur. Et si quædam rarissima meritò movent; quis tam durus est, qui labori tam utili non facilè ignoscat, cui vicem laudis referre non sufficit?* Sed de Versione Sancti Hieronymi, & Vulgata nostra, Dissertationem singularem instituimus, & in lucem edidimus; *σφάλματα* quæ in ea supersunt indicavimus.

Opera S. Hieronymo supposita.

I. Jam de Operibus Sancto Hieronymo suppositis dicendum est. *Quæstiones seu Traditiones Hebraicas in libros Regum & Paralipomenon* ipsi abjudicat Nicolaus Lyranus, cui subscribit Sixtus Senensis, & Neophyto cuidam Judæo tribuit, qui ex Hebraicis fabulis multa corraserit ineptissima. Et certè quisquis Quæstiones Hebraicas in Genesim cum istis contulerit, fatebitur istas Sancti Hieronymi ingenio & doctrinâ indignas esse. Extant Tom. 3. ipsius Operum.

II. *Annotationes in Acta Apostolorum*, quæ in eodem Tomo excusæ sunt, non sunt Sancti Hieronymi, cuius nomen & librum de nominum Hebraicorum interpretatione laudant. A Beda ex S. Hieronymi Operibus collectas Sixtus Senensis conjicit, quòd inter ejus Opera etiam reperiantur.

III. *In Lamentationes Jeremiæ Commentaria ad Eusebium* non sunt Hieronymi. Horum enim Auctorem in linguis Hebraica & Græca peregrinum fuisse & hospitem certum est. Stylus inæqualis ubique probat nihil aliud esse hoc Opus, quàm farraginem centonum ex variis Auctoribus Collectorum, & potissimùm ex Sancto Gregorio Magno. Illud Rabano asserit Sixtus noster Senensis nec immeritò cùm nomine Rabani laudetur a S. Bonaventura in sua ad easdem Lamentationes Expositione. Extant Tom. 4. Operum Sancti Hieronymi.

Commentarius in Psalmos non est S. Hieronymi.

IV. *Commentaria in Psalmos* Sixtus Senensis noster Sancti Hieronymi esse jure negat. Quia horum Auctor in allegoricis & tropoligicis expositionibus perpetuò versatur, nullâ editionum usus varietate, ut Sancti Hieronymi mos est. 2. Quia in iis multa cum Hieronymi placitis pugnantia legere est. Exempli causa, in interpretatione Psalmi 77. *Cynomiam* esse ait muscam caninam, reclamante Sancto Hieronymo in Epistolâ ad Suniam & Fretelam. In Psalmum 86. notat secundùm Hebraicam veritatem vertendum esse, *Numquid Sion dicet homo:* cùm in translatione Psalterii ex Hebræo verterit Hieronymus: *Ad Sion dicet homo.* Psalmum 89. Moysis non esse contendit, quem adscripsit Moysi Sanctus Hieronymus. 3. Sermonis barbaries, ineptia, & frequentes battologiæ, scribendi genus Hieronymianum minimè sapiunt 4. Eucherium laudat in Psalmum 16. at Eucherius longè fuit posterior Sancto Hieronymo. 5. Hic Auctor in Psalmum 108. numerat annum 400. ab excidio Hierosolymitano tunc decurrentem. Excidium autem illud consignat anno post Christi Passionem 42. quibus si addamus annos 33. vel 34. vel 35. vel 37. Vitæ Christi (prout variè de his sentiunt Auctores recentiores) conficent ad summum anni 470. Vivebat igitur Auctor ille & scribebat hosce Commentarios circa annum 470. aut 477. aut 475. aut 474. At Sanctus Hieronymus obiit anno 420. Sextò, Sanctus Hieronymus Apologia 1. contra Ruffinum se Commentariolos in Psalmos testatur conscripsisse. At huius Auctoris expositiones dici non possunt Commentarioli, cùm interdum sint admodum prolixæ. Auctorem hujus Operis Monachum fuisse asserit Sixtus Senensis, qui coram Fratribus ad horæ constitutæ mensuram sermonem habuerit, ut constat ex Psalmorum LXXXIX. CXI. & CXV. expositionibus. Variorum Doctorum ac præsertim Sancti Hieronymi

nymi dicta studiosè deflorabat, & in suam expositionem tacitis eorum nominibus transfundebat bonus ille Monachus, Unde in Enarratione Psalmi 93. legimus fragmentum Hieronymianæ expositionis a Sancto Augustino laudatum in Epistolâ ad Fortunatianum Episcopum Siccensem. Et in expositione Psalmi L. referuntur verba Sancti Hieronymi a Sancto Gregorio Magno, seu potiùs ab alio Auctore laudata in explanatione IV. Psalmi Pœnitentialis; quod doctissimum Cardinalem Bellarminum in eam adduxit sententiam, ut existimaret Commentarios illos, de quibus agimus, esse Sancti Hieronymi, sed a Scriptore posteriori adauctos & interpolatos.

Commentarii in Job S. Hieronymo suppositi.

V. *Commentarios in Job ad Vecterium*, non esse Sancti Hieronymi, probat Vulgatæ Bibliorum Versionis usus; styli dissimilitudo: mysticarum expositionum, sensu literali neglecto, studium. Bedæ Presbytero tribuendum nonnulli conjiciunt, quòd Vecterius, quo rogante sunt editi, Anglicanæ Ecclesiæ esset Episcopus; alii Philippo Monacho & Presbytero, Sancti Hieronymi auditori, quem Commentarios in Job Sermone simplici scripsisse testatur Gennadius in *Catalogo Virorum illustrium*. Extant inter Hieronymi Opera Tom, VIII.

VI. *Commentarii in Proverbia Salomonis*, cùm SS. Gregorii, Augustini, & ipsius Hieronymi testimonia laudent & nomina, Sancti Hieronymi esse non possunt. Bedæ tribuuntur in probatis MSS. & a Trithemio,

Commentarii in S. Pauli Epistolas S. Hieronymum parentem non agnoscunt, sed Pelagium.

VII. *Commentarios in omnes Sancti Pauli Epistolas*, qui Tomo 8. Hieronymianorum Operum inserti sunt, quamvis nimis credula antiquitas Sancto Hieronymo tribuerit, nemo jam eruditorum virorum alterius non esse fatetur. Quin Pelagii sint, non ambigo, cui illos tanquam legitimo parenti tribuunt Sanctus Augustinus, lib.3. *De peccatorum meritis & remissione*, cap.1. & 12. & lib. *De peccato originali*, cap.21. & lib. *De gestis Palestinis*, cap.10. Marius Mercator in *Commonitorio*, cap.2. & in *Præfatione Subnotationum*; Auctor Prædestinati, *Hæresi* 88. Cassiodorus *Divinarum Lectionum*, cap.8. Difficultatem movet quòd Sanctus Augustinus, lib.3. *De Peccatorum meritis & remissione*, cap.1.& 5. profert ex Commentario Pelagii in cap.5. Epistolæ ad Romanos objectiones duas contra fidem peccati originalis, ibidem a Pelagio tanquam ex alia personâ, non suâ, propositas; quæ in isto, quo de agimus, Commentario non leguntur. Sed respondemus Commentaria in illam Epistolam a Cassiodoro fuisse emendata, ut mirum non sit, si Pelagiana dogmata jam in iis non legantur. Quâ de re Cassiodorum ipsum loco mox laudato differentem audiamus. *Octavus*, inquit, *Codex Canonicas Epistolas continet Apostolorum; sed in Epistolas tredecim Sancti Pauli Annotationes conscriptas in ipso initio meæ scriptionis inveni, quæ in cunctorum manibus ita celebres habeantur, ut eas a Sancto Gelasio Papa urbis Romæ doctissimi Viri studio dicerent fuisse conscriptas: quod solent facere, qui res vitiosas cupiunt gloriosi nominis auctoritate defendere. Sed nobis ex præcedentibus lectionibus diligenti retractatione patuerunt, subtilissimas quidem esse ac brevissimas dictiones, sed Pelagiani erroris venena illic esse seminata: & ut procul a vobis fieret error Hereticus, primam Epistolam ad Romanos, quâ potui curiositate purgavi; reliquas in chartaceo Codice conscriptas, vobis emendandas reliqui: quod facilè subjacebit, quandò præcedenti exemplo audacior redditur sequentis imitatio*. Ex quibus liquet Cassiodorum magnâ curâ ab erroris Pelagiani veneno purgasse Commentarios in Epistolam ad Romanos, ut reliquos corrigendi exemplum suis præberet, qui utrùm id præstiterint, incertum est, Hæreticum nihilominus est, quod nescio an a Cassiodoro relictum per incuriam, an a Notario post Cassiodori emendationem rursos intrusum, quod legitur in cap.7. v.9. *Si cùm lex non esset, peccatum mortuum est, insaniunt, qui de Adam per traducem ad nos asserunt venire peccatum* Quod apertè repugnat Fidei Catholicæ de peccati propagatione ex Adamo,

Epistola ad Demetriadem non est S. Hieronymi, sed Pelagii.

VIII. *Epistola ad Demetriadem Virginem* temerè fuit supposita Sancto Hieronymo jam inde a temporibus Bedæ, ut ipse testatur *Præfat. in Cantica*. Pelagii esse constat ex S. Augustino Epistolâ 143. *ad Julianam Demetriadis matrem*, & lib. *De Gratia Christi*, cap.22. & sequentibus, & ex Orosio in *Commonitorio*. Extat hæc Epistola Tom.IX. Operum Sancti Hieronymi. Cætera quæ extant Tomo IX. vel Sancto Hieronymo perperam adscripta sunt; vel suis titulis proprios Auctores produnt.

Symboli explanatio ejusdem est Hæretici.

IX. *Symboli explanatio ad Damasum*, quæ incipit, *Credimus in Deum Patrem*; & sic definit: *Se imperitum & malevolum, non me Hæreticum comprobabit*: quamvis Sanctus Remigius Lugdunensis eam olim Sancto Hieronymo tribuerit, lib. *De tribus Epistolis*, cap.30. quamvis ab Augustino *Sermone* 101. dictatam crediderit Guillelmus Parisiensis *lib. de peccatis & vitiis*, cap.21. Pelagio tamen Hæresiarchæ velut legitimo parenti, omnium Virorum Eruditorum suffragio jam adjudicatur; cui disertè illam tribuunt Sanctus Augustinus, lib. *De Peccato Originali*, cap.21. & Zosimus Epistolâ 2. *ad Africanos Episcopos in causa Pelagii*. Addita huic libello post Pelagii ætatem nonnulla quæ pertinent ad Hæresim sive Eutychis de confusione naturarum, sive Joviniani de impeccabilitate hominis, sive Elipandi de filietate Christi adoptiva, existimat Joannes Launoius in Dissertatione, quam *De Confessione Pelagii* edidit. Repugnat Joannes Garnerius Societatis Jesu Theologus Dissertatione V. in primam partem Operum Marii Mercatoris, quæ est *De Libellis Fidei editis a Pelagianis*.

Varios errores S. Hieronymo perperam Dallæus affingit.

X. Plurimos in Sancti Hieronymi libris nævos erroresque notat & carpit Dallæus, lib. *De vero Patrum usu*. 1. Quòd Origenis de damnatorum purgatione & salute delirium sequatur in cap. 4. Amos & lib. 1. *Contra Pelagium*. Quo ab errore Sanctissimum Doctorem vindicavimus in Panopliâ adversùs Hæreses III. Sæculi, Articulo II. Ipsi præterea improperat, quòd secundas nuptias rebus turpibus & fœdis accenseat, & digamos eodem loco habeat, quo scortatores, Epistolâ X. *Ad Furiam*, & XI. *Ad Ageruchiam*, & lib. 1. *Adversùs Jovinianum*. At seipsum ab hac vindicavit calumnia Hieronymus in *Apologia pro libris adversùs Jovinianum*. Legantur quæ ad Sanctissimi Patris defensionem diximus in Panopliâ adversùs Hereses secundi Sæculi, Dissertatione XVIII. Articulo 1. Tertiò exprobrat Sancto Hieronymo Dallæus, quòd asserat Dei Providentiam curare quidem omnes & singulos homines; reliqua verò sive inanimata, sive ratione carentia, non item, *Commentar. in Habacuc*, cap. 1. Sed eò loci particularem ac propriam individui cujusquam scientiam ac providentiam Sanctus Hieronymus Deo non negat, sed curam duntaxat benevolam illam, & paternam adhiberi brutis & inanimis, quæ hominibus a Deo adhibetur. *Sicut igitur*, inquit, *in hominibus etiam per singulos Dei currit Providentia: sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem & ordinem, cursumque rerum intelligere possumus. Verbi gratiâ, quomodò nascatur piscium multitudo, & vivat in aquis: quomodò reptilia & qua-*

dru-

drapedia oriantur in terrâ, & quibus alantur cibis. Ceterùm absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices quotve moriantur, quæ cimicum, & & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus; eamdem rationabilium, quàm irrationabilium providentiam esse dicentes.

Objicit 4. adversùs Hieronymum Dallæus, quòd sanctarum Animarum post discessum suum præsentiam in infinitum extendat; adeo ut eas nullis spatiis, nulloque loco circumscribi vel contineri velit, lib. contra Vigilantium: *Sequantur Agnum*, inquit, *quòcumque vadit. Si Agnus ubique, ergo hi qui cum Agno sunt, ubique esse credendi sunt.* Nulla est tam segnis Dialectica, inquit Dallæus, quæ ferat hominem ita argumentantem, & Christi divinitatem cum ejusdem humanitate confundentem, & ex iis quæ de ea dicuntur, quæ illius sunt propria concludentem. Verùm nec ubique Christum esse, ut homo est, nec ubique sanctas animas Hieronymus asserit, ut fingit petulans Calvinista, sed asserit dumtaxat illas uno loco non ita concludi, *Ut non possint suis tumulis, & ubi voluerint, adesse præsentes*: qui error erat Vigilantii. Hunc autem ex eo refellit apposité, quòd *Agnum sequantur quocumque ierit*: Christus autem adesse possit ubicumque vult, nec uno ita arctetur loco ut ad alium transire non possit. Deinde Sanctos ubique esse cum Agno ait, quatenus preces nostras audiunt, & præsentem nobis ferunt opem; non quòd eorum præsentia localis in infinitum extendatur.

Objicit 5. Dallæus adversùs Hieronymum, quòd Sacramentorum efficaciam Ministris tribuat Commentario in Sophoniam, pag. 489. *Sacerdotes*, inquit, *qui Eucharistiæ serviunt, & Sanguinem Domini populis ejus dividunt, impiè agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam.* Sed quis non videat Sanctum Hieronymum, cùm vitam Sacerdotum Eucharistiæ necessariam esse ait, de Eucharistiæ effectu, non de consecratione esse intelligendum? Non enim effectum salutis ei confert, quem merita indignum faciunt, in quo potiùs completur illud Apostuli: *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Vel (ut cum Scholasticis nostris loquar) morum exquirit ornatum Sanctus Hieronymus ad Eucharistiam conficiendam, necessitate præcepti, non necessitate Sacramenti. Quod & adjuncta verba ostendunt: *Impiè*, inquit, *agunt in legem Christi.* Quò spectat & illud quod ex Levitici 21. ibidem laudat: *Et Sacerdos in quo fuerit macula, non accedat afferre oblationes Domino.* Idem confirmatur ex iis quæ paulò post subjungit: *Sacerdotes quoque qui dant Baptismum, & ad Eucharistiam Domini imprecantur adventum, faciunt Oleum Chrismatis, manus imponunt, Catechumenos erudiunt, Levitas & alios constituunt Sacerdotes, non tam indignentur nobis hæc exponentibus, & Prophetis vaticinantibus, quàm Dominum deprecentur & studiosè agant, ne de Sacerdotibus qui violant Sancta Domini, esse mereantur. Non enim dignitas & nomina dignitatum, sed opus dignitatis & Principes, & Judices, & Prophetas salvare consuevit. Qui Episcopatum*, inquit, *desiderat, bonum opus desiderat. Videte quid dixerit: Bonum opus desiderat, non dignitatem. Si autem despecto opere solam aspexerit dignitatem, citò corruet turris in Siloa*, &c.

Objicit 6. Dallæus adversùs Hieronymum, quòd existimaverit Evangelicam veritatem non recipere juramentum, lib. 1. *Commentar. in Matth.* ad cap. 5. Sed loquitur dumtaxat Sanctus Hieronymus de juramento per creaturas: loquitur de juramento pro rebus levissimis; loquitur de juramento quod non fit in veritate, in judicio, & in justitia. Ait denique Legem Evangelicam non recipere juramentum, non quòd illicitum ex se sit, aut a Deo prohibitum; sed quia Christianæ sanctimoniæ & perfectioni minimè consentaneum est, ut lites habeant quas juramento dirimi sit opus: nec ita abhorreant a mendacio, ut simplex eorum sermo jurisjurandi vim habeat. Hunc esse Sancti Hieronymi sensum fatebitur quisquis ejus verba diligentiùs expenderit. *Hanc*, inquit, *per elementa jurandi pessimam consuetudinem semper habuere Judæi: sicut Propheticus eos frequenter arguit sermo. Qui jurat, aut veneratur aut diligit eum per quem jurat. In lege præceptum est ut non juremus nisi per Dominum Deum nostrum: Judæi per Angelos, & urbem Jerusalem, & Templum, & elementa jurantes, creaturas resque carnales venerabantur honore & obsequio Dei. Denique considera quòd hìc Salvator non per Deum jurare prohibuerit, sed per cœlum & terram, & Jerosolimam, & per caput tuum. Et hoc quasi parvulis fuerat lege concessum; ut quomodo victimas immolabant Deo, ne eas idolis immolarent; sic & jurare permitterentur in Deum: non quòd rectè hoc facerent, sed quòd melius esset Deo id exhibere, quàm Dæmonibus. Evangelica autem veritas non recipit juramentum; cùm omnis sermo fidelis pro jurejurando sit.* His gemina sunt quæ habet lib. 2. Commentar. in Zachariam, ad cap. 8. *Et juramentum*, ait, *mendax ne diligatis: præcipiente Domino in Evangelio, Ego autem dico vobis ut non juretis penitus, sed sit vester sermo: Est est, Non, non: qui enim non juraverit, numquam poterit pejerare. Qui jurat, audiat quod scriptum est: Non assumes nomen Domini Dei tui super re vana. Omnia hæc sunt quæ odi, dicit Dominus .... In præceptis quæ ad vitam pertinent, & sunt perspicua, non debemus quærere allegoriam, ne juxta Comicum, nodum quæramus in scirpo.*

His gemina sunt quæ eodem de argumento habent Origenes Tractatu 35. in Matthæum; Hilarius Capite 4. in eumdem Evangelistam; Sanctus Epiphanius *Hæresi* 19. quæ est *Ossenorum*, n. 6. Sanctus Chrysostomus, Homil. 8. & 10. ad populum Antiochenum, Homilia 17. *in Matthæum* & alibi passim; Auctor Operis imperfecti in Matthæum, inter ejusdem Chrysostomi Opera; Ambrosius in Psalm. 118. ad illa verba, *Juravi & statui*; Theophilactus, Oecumenius, & Euthymus.

8. Hieronymum exagitat Dallæus, quòd in Epistolâ ad Titum, neget eam fuisse altaris Atheniensis inscriptionem, quam dicit apud Lucam Paulus Actuum 17. *Inscriptio autem aræ*, inquit, *non ita erat ut* Paulus asseruit, *Ignoto Deo, sed ita: Diis Europæ, Asiæ, & Africæ, Diis ignotis & peregrinis.* At dixit quod res est Hieronymus absque Apostuli injuriâ, ut ex adjunctis patet. *Verùm quia Paulus non pluribus Diis indigebat ignotis, sed uno tantùm ignoto Deo, singulari verbo usus est, ut doceret illum suum esse Deum, quem Athenienses in aræ titulo prænotassent, & rectè eum scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & nescire non poterant.*

XI. Sancti Hieronymi auctoritate abutuntur Novatores, cùm illum vindicem asserunt Aëriani Dogmatis, quo Episcopum inter & Presbyterum æqualitas summa constituitur. Unde perperam Blondellus infaustum Opus quo istum propugnavit errorem, inscripsit *Apologiam Sancti Hieronymi.* Sed de Sanctissimi Doctoris Sententia in Dif-

fer-

sertatione singulari seorsim edita jam egimus, quam in hoc Volumine edimus.

XII. Sanctus Hieronymus in Commentariis ex mente propriâ non semper loquitur, sed refert interdum, imò sæpius, aliorum Interpretum Sententias, tacitis eorum nominibus: nec ipsas refellit, etiamsi erroneæ sint & absurdæ. Quâ de re suorum Operum Lectores ipse monitos voluit Apologia 1. adversùs Ruffinum.

Ego, inquit, *in Commentario ad Ephesios sic Origenem, Didymum & Apollinarium secutus sum, qui certè contraria inter se habent dogmata, ut fidei mea non amitterem veritatem. Commentarii quid operis habent? Alterius dicta edissernat; qua obscurè scripta sunt, plano sermone manifestant, multorum sententias replicant, & dicunt: Hunc locum quidam sic edisserunt, alii sic interpretantur: illi sensum suum & intelligentiam his testimoniis & hâc nituntur ratione firmare: at prudens lector, cùm diversas expositiones legerit, & multorum vel probanda, vel improbanda didicerit: judicet quid verius sit, & quasi bonus trapezita adulterinæ monetæ pecuniam reprobet.*

Multa precipuè ex Origene in Commentarios suos transfudit, quòd cùm ipsi objicerent ejus æmuli, hoc eorum invidiæ telum ita repulit Præfatione 2. lib. Commentar. in Michæam: *Nam quòd dicunt, Origenis me volumina compilare, & contaminari non decere Veterum scripta, quòd illi maledictum vehemens esse existimant, eamdem laudem ego maximam duco, cùm illum imitari volo, quem cunctis prudentibus, & vobis placere non dubito. Si enim criminis est Græcorum benè dicta transferre, accusentur Ennius & Maro, Plautus, Cæcilius & Terentius, Tullius quoque & cæteri eloquentes Viri, qui non solùm versus, sed multa capita & longissimos libros ac fabulas integras transtulerunt. Sed & Hilarius noster furti reus sit, quod in Psalmos XL. ferme millia versuum supradicti Origenis ad sensum verterit. Quorum omnium æmulari exopto negligentiam potiùs, quàm istorum obscuram diligentiam.*

XIII. Quanta fuerit Sancti Hieronymi in Controversiis Fidei expendendis ac dirimendis jam ab ejus obitu auctoritas, constat ex Sancto Augustino qui eam non absque honorifica Præfatione adversùs Pelagianos protulit, lib. 1. *Contra Julianum*, cap. 7. *Nec Sanctum Hieronymum*, inquit, *quia Presbyter fuit, contemnendum arbitreris, qui Græco, & Latino insuper & Hebræo eruditus eloquio; ex Occidentali ad Orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis, atque in literis sacris, usque ad decrepitam vixit ætatem, cujus nobis eloquium ab Oriente usque in Occidentem ad instar lampadis resplenduit. His omnes, vel penè omnes qui ante illum ex utraque parte orbis de Doctrina Ecclesiastica scripserant, legit, nec aliam de hâc re tenuit prompsitque sententiam.* Nonnulla tamen sunt in quibus ipsum deserunt Ecclesia & Scholæ Theologorum. Cùm enim ille Epistolâ 83. ad Oceanum datâ, asserat non esse repellendum a Sacris Ordinibus Bigamum, qui semel ante Baptismum, & semel post Baptismum nupserit; & quòd sola post Baptismum Bigamia Christianis imputetur ad hunc effectum: Ecclesia contrariam sequitur sententiam, quæ est Innocentii Primi, Sancti Augustini, & Sancti Gregorii. Ab eo etiam discedunt Theologi in quæstione de legalium Cærimoniarum deletione. Cùm enim statim a Christi Passione legalia Sacramenta Mosaicæque Legis ritus mortiferos esse cœpisse propugnaverit, & Apostolos simulatione quadam Cerimonias illas observasse, adeòque Sanctum Petrum sincerè & ex animo reprehensum non fuisse a Sancto Paulo: Theologi contrariam sententiam duce Sancto Augustino tuentur, cujus rationibus cessit Sanctus ipse Hieronymus.

SCHOLION.

Ad hunc Articulum, pag. 667. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Sanctus Hieronymus non fuit Cardinalis.*

R. Me reprehendunt Religiosi Censores, quòd averso a veritate auditu, non sim conversus ad putidam & insulsam Fabulam de Cardinalitia Dignitate *S. Hieronymi*, sed eam rejecerim, sicut ante me rejecerunt Cardinales *Baronius*, Tom. 4. Annalium, ad annum 382. Num. 26. & *Bellarminus*, libro 1. *De Clericis*, cap. 16.

ARTICULUS XXXII.

De Joanne Hierosolymitano, Teophilo Alexandrino Palladio, & Severiano Gabalitano.

I. JOANNES, post Sanctum Cyrillum, Hierosolymitanus Episcopus, ab anno 386. ad 416. Ecclesiam illam rexit. A Theodoreto, lib. 5. Historię Ecclesiasticę, cap. 35. *Vir laudabilis* appellatur. Doctrinæ Origenis defensor acerrimus fuit; eoque nomine a Sancto Hieronymo impugnatus *Epistola* 41. *adversùs errores Joannis Hierosolymitani*. Cæterum labem illam a se depellere conatus est, conscripto libro adversùs obtrectatores studii sui, in quo ostendit Origenis se ingenium, non fidem secutum; ut testatur Gennadius in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 30. Petrus Wastelius Carmelita hunc vocat Joannem Nepotem Sylvanum, Romanis Nobilibus editum, sororis Dracontii filium, Discipulum Sancti Pambonis, ex Priore Carmelitarum in Monte Carmelo, Patriarcham Hierosolymitanum. Quæ omnia, præter Patriarchatum Hierosolymytanæ Ecclesiæ quo exornatus est, figmenta sunt. Idem Carmelita Opera plurima sub Joannis istius nomine emisit in lucem, quæ tribus Vindiciarum libris ipsi asserere conatus est, præsertim librum *De institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in novo perseverantium, ad Caprasium Monachum*. Sed universum eruditorum cœtum repugnantem habet, qui ut alia Opera Joanni Hierosolymitano ab ipso asserta, ejus non esse, sed Auctorum pleraque Latinorum existimant; ita librum illum *De Monachorum primorum institutione* ipsi fuisse a posteriore aliquo Scriptore, eoque Latino suppositum, propugnant. Ita sensit inter alios doctissimus Cardinalis Baronius ad annum 444. n. 18. Et certè rationes gravissimæ id probant. 1. quia laudat Scripturam Sacram, non secundùm 70. Versionem, quâ tunc Ecclesia Græca utebatur, sed secundùm Editionem Vulgatam. Secundò quia Monachi etymologiam ex linguâ Græcâ derivat, Latinèque explicat: quod Joannes Hierosolymitanus Græcus ipse, & ad Græcos scribens non fecisset. *Propterea*, inquit, cap. 5. *debes solitarius pavere & flere, id est, officium Monachi exercere [μόνος enim Græcè, dicitur Latinè unus, sive singularis aut solus? ἄχος autem Græcè, Latinè dicitur tristis. Inde dictus est Monachus, quasi singularis & tristis] tua scilicet & alterius peccata solitarius lugens.* Tertiò suam prodit imperitiam; cùm scribit, cap. 45. *Dici propriè melotam a mele animali, quod etiam taxus appellatur, de cujus pilis, vel pelle vestis facta, quæ est valdè hispida, est melota propriè vocata*, 4. Phrases nullum Græci idiomatis odorem referentes, & frequens vocum Latinarum expositio, Latinum Auctorem probant. Denique altissimum Gen-

Gennadii, & Trithemii de hocce Joannis Hierosolymitani libro, aliisque a Walftelio ipsi vindicatis silentium, probat illorum suppositionem.

II. Theophilus Alexandrinus Episcopus, Origenistarum hostis, in S. Joannem Chrysostomum iniquior, a Sancto Hieronymo ob Fidei & Doctrinæ integritatem, fervoremque in exagitandis Origenistis, variis laudibus passim exornatus, a Synesio quoque Epistolâ 9. a Paulo Emisseno, cùm de pace Sanctum Cyrillum inter & Orientales concilianda Alexandriæ verba faceret: a S. Leone Epistolâ 52. & 64. a Gennadio, cap. 33. Catalogi, a Sancto Isidoro Pelusiota, lib. 1. Epistolâ 152. a Socrate, Sozomeno, & Theodoreto commendatus, necnon a Gelasio 1. Pontifice Maximo in *Synodo Romana*, post Timotheum, ab anno circiter 385. ad annum 412. Alexandrinam rexit Ecclesiam. Tres ejus *Paschales Epistolas*, librum *De sacris Mysteriis*, & *Synodicam adversùs Origenem Epistolam*, Latinè reddidit Sanctus Hieronymus. *Paschalem Cyclum* Theodosio Imperatori nuncupavit. Adversùs Origenem & Antropomorphitas grande volumen ipsum edidisse Gennadius refert. Tres libros *De Fide* ipsi adscriptos se legisse idem Auctor testatur, quos ipsi *ob linguæ*, ut ait *inconsonantiam*, censet abjudicandos. Varii Canones Ecclesiastici ab ipso editi leguntur in Collectionibus Zonaræ & Balsamonis. Theodorum Mopsuestenum impugnavit acerrimè, ut constat ex 5. Synodo œcumenica Collat. 5. Moriturus dixisse fertur: *Beatus es, Abba Arseni, qui semper hanc horam ante oculos habuisti*: nec priùs ultimum spiritum emittere potuisse, quàm Sancti Joannis Chrysostomi, quem iniquè damnaverat, effigiem veneratus fuisset.

III. Palladius Helenopolitanus Episcopus in Cappadocia, in Origenis ac Pelagianorum errores propensior, ut constat ex Sancto Hieronymo in *Præfatione libri ad Ctesiphontem contra Pelagianos*, scripsit Historiam de vita, moribus, & institutis Monachorum, quæ *Lausiaca* inscribitur, quia ad Lausum virum illustrem & sacro cubiculo Præpositum eam direxit. Scripsit quoque Dialogum *De Vita Sancti Joannis Chrysostomi*.

IV. Severianus Gabalitanus Episcopus in Syria, vir eruditus, & concionator egregius, varios Constantinopoli Sermones habuit rogante Sancto Joanne Chrysostomo: Arcadio Imperatori ob dicendi vim gratissimus: ad finem 4. sæculi, & quinti initio maximè floruit. Nonnullas ejus Homilias edidit Savilius cum Operibus Sancti Joannis Chrysostomi. *Expositionem in Epistolam ad Galatas* ab eo editam, & libellum *De Baptismo & Theophania solemnitate*, tempus edax rerum nobis invidit. De dissidio Severiani cum S. Joanne Chrysostomo, deque eorum reconciliatione, lege Socratem, lib. 6. Histor. cap. 11. & Sozom. lib. 8. cap. 10. Extat inter Chrysostomi Opera Homilia *De recipiendo Severiano*, & ipsius Severiani *Sermo de pace*, cùm a Sancto Chrysostomo susceptus est.

ARTICULUS XXXIII.

De Ruffino Aquilejensi.

Ruffinus Aquilejensis Ecclesiæ Presbyter ac Monachus, a Sancto Hieronymo in Chronico ad annum Christi 377. & in Epistolâ 5. ad Florentium, in 4. ad ipsum Ruffinum, & alibi non semel laudatus; ab eodem ut Origenis acerrimus defensor, utque Pelagianorum fautor exagitatus est. Post 25. annos peregrinationum in Ægypto & Oriente, quibus Melaniam seniorem comitatus est, rediit in Occidentem anno 397. & *Romam invexit navem plenam suarum blasphemiarum.* (ex Sancto Hieronymo.) Asportavit enim libros περὶ ἀρχῶν Origenis a se Latinitate donatos, & aureo poculo Romanis venenum propinavit. Eam ob causam ab Anastasio Romano Pontifice damnatus est, ut constat ex illius Pontificis Epistolâ ad Joannem Hierosolymitanum datâ. In patriam cùm secessisset, Apologiam scripsit Anastasio. Scripsit quoque tres virulentissimos Invectivarum libros adversùs Sanctum Hieronymum. Tamdiu verò Aquilejæ substitit, donec populantibus agros urbemque Wisigothis, in Siciliam fugere coactus est, ubi diem extremum clausit an. 411.

Ruffinum Cœlestii Magistrum, qui ipsum *docuit negare traducem originalis peccati*, teste Sancto Augustino, lib. *De Peccato Originali*, cap. 4. & qui *Hanc ineptam & non minùs inimicam rectæ Fidei quæstionem, sub sanctæ recordationis Anastasio Romanæ Ecclesiæ summo Pontifice Romam primus invexit*, ut asserit Marius Mercator in *Præfatione Subnotationum*; Joannes Garnerius Societatis Jesu Professor, alium esse existimat ab Aquilejensi, quòd ipsum Marius Mercator *natione Syrum* vocet. Quasi circa Ruffini patriam falli non potuerit Marius, aut verò natione Syrum existimare non potuerit ac dicere, qui tot annorum intervallo in Syria peregrinatos fuerit & commoratus. Nec obstat quòd Ruffinus quem Cœlestius ut magistrum laudat apud Sanctum Augustinum, lib. *De Peccato Originali*, Romæ manserit *apud Pammachium*: Qui cùm addictissimus foret Hieronymo, apud se Ruffinum Aquilejensem esse non permisisset, nec eo familiariter usus esset. Quo enim tempore a Pammachio hospitio exceptus sit Ruffinus, disertè Cœlestius non notat. Si id referatur ad illud tempus quo nondum libros περὶ ἀρχῶν vulgaverat, quo nondum fuerat ab Anastasio damnatus, quo nondum in apertum eruperat dissidium ejus cum Hieronymo contentio, ruit conjectura Patris Garnerii. At, inquit, Ruffinus Aquilejensis anno 13. Siricii *invexit in Urbem navem plenam suarum blasphemiarum*, ut scribit Sanctus Hieronymus. Syrus *sub Anastasio primus Romam invexit inimicam rectæ Fidei quæstionem de Peccato Originali*, ut testatur Marius Mercator. Utrumque verè dici potuit, Romam enim appulit sub Siricio; at Origenis errores Pelagianamque Hæresim vulgavit sub Anastasio. Sed, inquit Vir Eruditus, Ruffinus quem laudat Cœlestius, Romæ fuit, cùm doceret *quia tradux peccati non erat*. Aquileiensis, ubi primùm Roma digressus est, eò non rediit. Sed ex verbis Cœlestii non probabit Eruditus Conjector quod tanta confidentia asserit. Dogma illud nefarium se audivisse ait a Ruffino qui Romæ fuit apud Pammachium: non ait se audivisse Romæ. Quidni verò ex ipsius ore hunc errorem excepit, dum in Sicilia versaretur? eò enim comitatus est Pelagium, se metu Wisigothorum Urbi imminentium recipientem Cœlestius, in eaque Insula triennio circiter mansit; quo tempore in ea regione versatum fuisse & Ruffinum secundùm P. Garnerii calculos compertum est. Ruffinum Aquilejensem accusari quidem ab Hieronymo fatetur P. Garnerius, tanquam præcursorem & Magistrum Pelagii; sed perinde ac Jovinianum, Evagrium Ponticum, cæterosque omnes quorum meminit in Epistolâ ad Ctesiphontem, & in ea tantùm parte, quæ spectaret ἀπάθειαν & ἀναμαρτησίας. De alia quæ pertinet ad traducem peccati, ne vocatum quidem esse ait in suspicionem: at Cœlestii Magister traducem peccati non esse, discipulos docebat. Fateor dissimulasse Ruffinum errorem illum suum de peccato originali, nec illum

Ruffinus Syrus non alius ab Aquilejensi P. Garnerii S. J. conjectura difflantur.

lum nisi inter consecraneos suos docuisse, & fortè nondùm illum præformasse, quo tempore Sanctus Hieronymus contra ipsum scribebat. Sed non probat eruditus Conjector, parvum istud dogma numquam fuisse ab Aquilejensi Ruffino assertum. Sanè inter dogmata de impeccantia & impassibilitate, & de negatione peccati originalis, connexionem summam fuisse perspicuum est. Cùm itaque *Hæresim impassibilitatis & impeccantiæ in Discipulo Origenis Grunnio fuisse jugulatam* [id est in Ruffino] Sanctus Hieronymus scribat Præfatione in lib.4. *Commentar. in Jeremiam*, consequenter & dogma de negatione peccati originalis in eo confixum est, quamvis illud nondùm disertè propugnasset.

Instat Vir Eruditus. Paulinus nihil excepit adversùs Ruffinum a Cœlestio appellatum: excipere plurima potuisse adversùs Aquilejensem, vel hoc unum præsertim, quòd propter Hæreses a Sede Apostolica damnatus fuisset, & in damnatione extinctus. Sed meminisse debuit P. Garnerius eorum quæ dixit in Notis ad Epistolam Anastasii. Ruffinum dubiam sui memoriam reliquisse, aliis velut Sanctum laudantibus, aliis execrantibus tanquam Hereticum: credere posse quempiam Anastasii damnationem comminatoriam fuisse dumtaxat, justisque de causis non evasisse postmodum in sententiam: fortè pariter suspectam fuisse non sine causa. Quæ si ita se habuerint, ut conjicit Vir Doctus; mirum esse non debet quòd Paulinus non exceperit adversùs Ruffinum, ipsum ab Anastasio damnatum fuisse. Præterea, excipere potuisset Paulinus adversùs Ruffinum Syrum, ipsum hominem nullius in Ecclesia nominis & auctoritatis fuisse: a Sanctissimo Presbytero Hieronymo, cujus Discipulus fuerat, desciviisse: abusum fuisse Sancti Viri amicitiâ & fiduciâ ad spargendos errores. Nihil horum excepit adversùs Ruffinum Paulinus. Itaque non fuit ille Ruffinus Syrus Presbyter missus ab Hieronymo in Occidentem. Quid quod nusquam & nullibi adversùs Syrum illum hominem velut proditæ Fidei reum, & Pelagianæ Hæreseos incentorem invehitur Sanctus Hieronymus? At ipsi non pepercisset, pro eo, quo flagrabat, Fidei zelo.

Objicit P. Garnerius: Ruffinus qui Cœlestium docuit, Presbyter erat in Ecclesia Catholica constitutus, tunc cùm doceret, id est, communione cum Sede Apostolica conjungebatur: Aquilejensis ab Anastasio communione privatus fuerat.

Resp. Incertum esse ipsi P. Garnerio an reipsa vibratum fuerit ab Anastasio in Ruffinum anathema, an comminatoria dumtaxat fuerit ejus de nomine Ruffini Epistola. Unde priores conjecturas novis conjecturis destruit. Deinde non constat an Ruffinus esset communione privatus, cùm de peccato originali cum Cœlestio collocutus est. Tertiò non constat an Cœlestius anathema, quo percussus fuerat Ruffinus, non dissimulaverit. Quartò, Ruffinus damnatus fuerat ab Anastasio, non ut Hæreticus, sed ut pertinaciæ reus, qui vocatus ad judicium Sedis Apostolicę, Romam venire contempserat: quique nec Præfatione sua ad libros Origenis, neque Apologiâ ad ipsum Pontificem missâ, satis se ab Origenismi suspicione purgaverat. Unde ipsum ut Presbyterum in Ecclesia constitutum appellare potuit Cœlestius, eo sensu quòd ab Ecclesia non recessisset.

Adde, Eruditum Conjectorem multa asserere, quæ penitus incredibilia sint. Ait enim Ruffinum Syrum a Sancto Hieronymo missum esse Mediolanum ut Venerium impelleret ad condemnandos Origenistas: Romæ commoratum esse, dum judicium de Origenistis, & Ruffino præcipuè apparabatur: strenuè rem gessisse adversùs Origenistas, & Aquilejensem ipsum Ruffinum, & Romæ Cœlestium docuisse contra Catholicam Fidem de peccato originali sentire: eum duos edidisse Fidei libellos, qui a Mario Mercatore describuntur, breviorem unum 12. Anathematismis contentum: prolixiorem alterum in octo capita distributum. At vix quisquam credat I. Ruffinum Syrum Sancti Hieronymi discipulum aut familiarem, scripsisse libellum in quo peccatum originale tam disertè, tamque præfractè negatur, cùm adhuc versaretur in Oriente, & Sancti Hieronymi lateri adhæreret. II. Incredibile est Hieronymum in Occidentem ad Ecclesiastica negotia gerenda misisse virum, de cujus Fidei sinceritate certior non esset. III. Ruffinum Syrum ab Hieronymo missum esse ut Ruffini Aquilejensis damnationem urgeret, pariter incredibile est. Tunc enim reconciliatus erat cum Ruffino Sanctus Hieronymus, deque ipso ut de amico conquerebatur apud ipsummet, ut constat ex Epistolâ 66. Sancti Hieronymi ad illum datâ: *Hæc apud te*, inquit, *amicè potiùs expostulare volui, quàm lacessitus publicè desævire: ut animadvertas me reconciliatas amicitias purè colere: & non juxta Plautinam sententiam alterâ manu lapidem tenere, panem offerre alterâ.* Ad hæc Ruffino Syro dederat in mandatis Hieronymus ut nomine suo Ruffinum Aquilejensem Româ transiens videret, deque suo in ipsum animo & obsequio certiorem faceret. *Sanctum quoque Presbyterum Ruffinum* (inquit eadem in Epistolâ) *ob quamdam causam per Romam Mediolanum misimus: & oravimus ut nostro animo & obsequio vos videret.* An, quæso, Hieronymus vir sincerus & sanctus ad urgendam Ruffini Aquilejensis damnationem Syrum illum misisset, eo tempore quo tot amicitiæ officiis ipsum demulcebat? IV. Incredibile est quòd Syrus ille Presbyter, Origenistarum, & Aquilejensis Ruffini damnationem tam strenuè procurasset, si Pelagianæ Hæreseos fuisset incentor ac promotor, & cum Pelagio & & Cœlestio tantâ necessitudine & doctrinæ communione conjunctus: siquidem Origenes & Ruffinus Aquilejensis ejus defensor, Pelagio & Cœlestio charissimi erant.

Existimaverim igitur Libellos memoratos a Ruffino Aquilejensi editos esse. Primus enim in Codicibus MSS. Operum Marii Mercatoris statim post Epistolam Anastasii Pontificis de Ruffino Aquilejensi descriptus est sub hoc titulo: *Incipit Fides ejusdem Ruffini*. Secundò, hunc libellum, uti & alterum prolixiorem, alicujus esse oportet, qui variorum errorum accusatus, præsertim eorum quos Origenes propugnavit, opus habuerit suspiciones contra Fidei suæ integritatem exortas editâ confessione, seu libello Fidei, depellere. At Ruffinus Syrus in Origenismi suspicionem non venit; Ruffinus Aquilejensis Origenianorum errorum postulatus est, & ab Anastasio ob vehementissimam de illorum patrocinio suspicionem damnatus. Tertio, quæ in priori Libello sibi objecta sunt, Ruffinus Aquilejensis, cùm in Apologia ad Anastasium Romanum Pontificem, tum maximè in duabus adversùs Hieronymum invectivis diluit. Crediderim hunc libellum a Ruffino editum, post quàm ab Anastasio damnatus est. Cùm enim videret Apologiam ad illum missam inutilem fuisse, nec eam visam esse sufficientem Pontifici ad purgandam suspicionem Origenismi cujus accusabatur; duodecim illos Anathematismos ad ipsum misit, ut pravam suspicionem a se penitus depelleret, atque in communionem reciperetur. Secundum verò libellum prolixiorem, existimo ex parte compositum a Ruffino, Pelagio, Cœlestio, aut Juliano rogantibus; ab ipsis verò interpola-

tum fuisse atque vulgatum, cum nominis ejus inscriptione, ut auctoritatem pravo suo dogmati contra fidem peccati originalis conciliarent. A Ruffino compositum Joannes Diaconus testatur. Quæ contra peccatum originale in eo extant, Ruffinum sapiunt; a quo se didicisse *quia tradux peccati non erat*, professus est Cælestius coram Aurelio aliisque Episcopis Carthagine congregatis. Sed a Ruffino inserta esse illa in Origenem commata, *Impiè Origenes ac nefariè fatuus est, qui sic dixit*, &c. *Discant qui nefariam Origenis Hæresim sequuntur*, &c. *Unde impius Origenes Gentilium captus errore, & ab eo nolens penitus abscedere, novarum etiam studens auctor esse sectarum, conjecturis illorum alio modo translatis edocuit*, &c. Hæc, inquam, esse a Ruffino Aquilejensi scripta, qui Origenis penè adorator fuit, mihi ægrè admodum persuaserim. Enimverò in primo libello Fidei, quem illi vindicavimus, Origenis errores ita damnat anathemate, ut ejus parcat nomini, & eos generatim execretur qui hæc dicunt. Pelagius igitur & Cœlestius, cùm Origenis errores in Oriente a Theophilo & Epiphanio, eorumque Conciliis; in Occidente ab Anastasio damnatos viderent, ut servirent tempori, verba illa execratoria in Origenem libello Fidei, quem a Ruffino acceperant, addiderunt; ut piis omnibus qui in Origenistas erant jure meritòque, recentes ob tumultus, commoti, fucum facerent. Denique recusum esse istum libellum a Pelagio & Cœlestio, MSS. Corbejensis Abbatiæ exemplaria, Pelagii nomen præferentia, probabile faciunt.

Ut ut sit, certum est Ruffinum ante Pelagium & Cœlestium, vel saltem cum illis, negati peccati originalis auctorem extitisse, & eorum in tradenda illâ perversitate vel magistrum, vel socium. Alteri quoque Pelagianæ Hæreseos parti de naturali illâ justitiæ possibilitate ipsum favisse, inde manifestum est, quòd Sanctus Hieronymus testetur in Epistolâ ad Ctesiphontem eum libros Evagrii Pontici, quos de impassibilitate & impeccantia scripserat, latinè reddidisse: & librum Xixti Pythagorici hominis Ethnici sub nomine Sixti Martyris, Urbis Romanæ Episcopi, edidisse; *In quo juxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquabant Deo, multa de perfectione dicebantur, ut qui nomen Philosophi nescirent, sub Martyris nomine biberent de aureo calice Babylonis*, (inquit Sanctus Hieronymus.) Hunc librum solitâ temeritate & insaniâ *Annulum* nominavit, eodem Hieronymo teste: qui per multas Provincias ab his qui ἀπάθειαν & impeccantiam prædicabant, id est, a Pelagianis legebatur.

Celebre erat Ruffini nomen, antequam in Origenismi, ac Pelagianismi suspicionem venisset. De dissidiis ipsum inter & Sanctum Hieronymum exortis vehementer dolere se significavit Sanctus Augustinus Epistolâ ad ipsum Hieronymum datâ. *Nescio*, inquit, *quæ scripta maledica super tuo nomine ad Africam pervenisse audivimus. Accepimus tamen quod dignatus es mittere, illis respondens maledictis: quæ perlecto, fateor, multùm dolui inter tam charas familiaresque personas cunctis penè Ecclesiis notissimo amicitiæ vinculo copulatas, tantum malum extitisse discordiæ..... Quæ sibi enim jam fida pectora toto ore fundantur? In cujus sensus tota se projiciat secura dilectio? Quis denique amicus non formidetur quasi futurus inimicus, si potuit inter Hieronymum & Ruffinum hoc quod plangimus exoriri?* Plurimi Ruffinum fecerat, eumque commendaverat ut singularis eximiæque virtutis virum Sanctus Hieronymus Epistolâ 5. ad Florentium: sed ortâ inter eos dissensione, aliter sensit. En Hieronymi verba illa in Epistolâ: *Frater Ruffinus individuâ mihi germanitatis charitate connexus... Noli nos ejus æstimare virtutibus. In illo conspicies expressa sanctitatis vestigia: & ego cinis & vilissima pars luti, & jam favilla, dum vertor, satis habeo, si splendorem morum illius imbecillitas oculorum meorum ferre sustineat. Ille modò se lavit, & mundus est, & tanquam nix dealbatus: ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus operior cum tremore reddere novissimum quadrantem.* Hæc Sanctus Hieronymus, tam humiliter de se ipso, quàm magnificè de Ruffino sentiens.

Plures libros edidit Ruffinus, scilicet *Expositionem Symboli ad Laurentium Episcopum; De benedictionibus Judæ; De benedictionibus reliquorum XI. Patriarcharum, Commentarios in Oseam, Joel & Amos: Historiæ Ecclesiasticæ libros duos*, post Eusebii Cæsareensis Latinam Versionem scriptos; *Apologias adversùs Hieronymum*, & varias Græcorum, & maximè Origenis Versiones. De his scriptis ita censet Gelasius in Synodo Romana: *Ruffinus vir religiosus plurimos Ecclesiastici Operis edidit libros: nonnullas etiam Scripturas interpretatus est. Sed quoniam B. Hieronymus in aliquibus eum de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, quæ B. Hieronymum sentire cognoscimus: & non solùm de Ruffino, sed etiam de universis, quos Vir sæpius memoratus zelo Dei & Fidei religione reprehendit.* Ipsum Gennadius *Non minimam partem Ecclesiæ Doctorum* vocat, & *elegantis in vertendis Græcorum libris ingenii*. Et ipsum convicisse ait *Obtrectatorem Opusculorum suorum* (Hieronymum intelligit) *se Dei intuitu, & Ecclesiæ utilitate, auxiliante Domino ingenium agitavisse: illum verò æmulationis stimulo incitatum, ad obloquium stylum vertisse.* Sed Sancti Hieronymi, Anastasii, & Gelasii Romanorum Pontificum, potiùs quàm Gennadii viri Semipelagiani judicio de Ruffino standum est. Non eo tamen inficias, quin ejus auctoritas plurimi facienda sit in his capitibus, in quibus a Sancto Hieronymo reprehensus non est, & alios Patres consentientes habet. Unde Cassianus, lib. 7. *De Incarnatione*, cap. 27. Ruffinum haud absque honorifica præfatione laudat. *Ruffinus quoque*, inquit, *Christianæ Philosophiæ Vir, haud contemnenda Ecclesiasticorum Doctorum portio, ita in expositione de Domini Nativitate testatur*, &c.

Nota.

Ruffinum justissimè a S. Hieronymo vapulasse, utpote Origeni, ejusque libris addictissimum, ultro fatendum est; eam etenim ob causam Romanæ Ecclesiæ meruit censuram. Culpandus insuper quia Pelagianæ sectæ fundamenta jecerit, & gravissimorum dissidiorum origo fuerit, & fomes, Illum nihilominus non pauci inter Hæreticos numerare formidant; quamvis etenim cum Origene a veritate deviasse quamplures affirmaverint, re vera tamen errores ab illo propugnatos videtur repudiasse. Cardinalis Norisius *lib. 1. hist. Pelag. cap. 3.* observat, quòd si Ruffinus hæresim fovisset, S. Paulinus ab illius colenda amicitia fuisset alienus, nec Pinianus & utraque Melania in socium admisissent, dum in Siciliam peragrarunt; nec demum illi licuisset prope Urbem degere in suburbano Pineti Monasterio. Hinc non abs re putat credere, quòd etsi apud Anastasium Papam errorum suspicione laborasset, postea coram Innocentio I. se plene purgaverit. Idem Norisius libellum profert, quo Ruffinus condemnare non recusavit errores partim a se assertos, partim, ut querebatur, falsò imputatos. Verum tamen est Gelasium Papam Ruffinum post ipsius mortem damnasse, utpote qui contraria S. Hieronymo de arbi-

bitrii libertate scripsisset; quam tamen damnationem, non personam, sed Ruffini libros respexisse nil vetat affirmare. Videatur etiam Pagius *ad an. Ch.* 410.

ARTICULUS XXXIV.

De Gaudentio, & Chromatio, & Prudentio.

I. SAnctus Gaudentius Philastrii in Brixiensi Episcopatu successor, ab anno 387. usque ad initia sæculi quinti floruit. Plures Tractatus seu Sermones habuit variis de argumentis, qui extant in Bibliothecis Patrum.

II. Chromatius Aquilejensis Episcopus, ad quem scribens Sanctus Hieronymus Præfationem in libros *Paralipomenon*, ipsum vocat *Episcoporum sui temporis sanctissimum & doctissimum*; cujus & Sanctus Ambrosius in Epistolâ ad ipsum data, & S. Joannes Chrysostomus, Epist. 155. meminerunt; elegantissima composuit in Evangelium Sancti Matthæi Commentaria, ex quibus Homiliæ tres dumtaxat cum fragmentis quibusdam supersunt in Bibliotheca Patrum. Floruit exeunte Sæculo 4. & 5. ineunte.

III. Aurelius Prudentius, Poëta Christianus, anno Christi 348. natus est, Philippo & Salia Coss. Ejus cum laude meminit Gennadius in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Varia Poëmata edidit, ex quibus Catholicorum dogmatum contra Hæreticos petitur confirmatio, scilicet *Psychomachiam*, sive *de pugna animi*; *Cathemerinon*, sive *Diurnarum rerum Opus*; *Peristephanon*, sive *de Coronis Martyrum*; *Apotheosim*, sive *de Divinitate*; *Hamartigeniam*, sive *de origine peccatorum*: *libros duos contra Symmachum Urbis Præfectum*, *qui pro ara Victoriæ ac veteri Deorum cultu disseruerat*. *Enchiridion Veteris & Novi Testamenti*, διττοχαῖον Græcè, a duplici veluti cibo, inscriptum. Quod Opus Goldastus, & alii nonnulli, Amœno cuidam ignoto priscis Poëtæ tribuunt, abjudicant Prudentio, Gennadio reclamante.

ARTICULUS XXXV.

De Commodiano.

COmmodianus ævo Silvestri primi Romani Pontificis floruit. Libellum edidit, cui titulum fecit, *Instructiones*, scilicet ad Paganos, ut ab idolorum cultu ad veram Christianæ Legis Philosophiam convertantur. Quin etiam ad Christianos ipsos, ne officii obliti, ad sæcularia redeant. Scripsit mediocri sermone, quasi versu. Etenim versibus faciendis nec leges, nec modulos servat. Majorem ubique Acrostichidis rationem habet, quàm metri. Acrostichides verò sunt ex cujusque Poëmatis titulis constructæ, sic assignata cuique versui litera, ut a primo cujusque Poëmatis versu totius deinceps Poëmatis series per literas versuum primas decurrat. A Gelasio inter apocrypha relatus est, ob Millenariam fabulam. Angelos apostatas cum fœminis coinquinatos fuisse asserit, & ab illis progenitos Gigantes. De Commodiano ita censet Gennadius in Catalogo Virorum Illustrium: *Commodianus, dum inter sæculares literas etiam nostras legit, occasionem accepit Fidei. Factus itaque Christianus, & volens aliquid studiorum suorum muneris offerre Christo suæ salutis Auctori, scripsit mediocri sermone, quasi versu, adversùs Paganos. Et quia parùm nostrorum attigerat literas, magis illorum dogmata destruere potuit, quàm nostra firmare. Unde & de divinis repromissionibus adversùs illos vili satis & crasso, ut ita dixerim, sensu disseruit: stuporem illis, nobis desperationem incutiens; Tertullianum*, & *Lactantium*, *& Papiam auctores secutus. Moralem sanè doctrinam, & maximè voluntariæ paupertatis amorem optimè prosecutus, studentibus inculcavit.*

ARTICULUS XXXVI.

De Tichonio.

TIchonius Afer, vir literatus, & cognitione profanarum Ecclesiasticarùmque rerum instructus; sed Donatista: scripsit *De Bello intestino*, & *Explicationes diversarum causarum*. Item *Regulas ad intelligendam Scripturam Sacram*, & *Commentaria in Apocalypsim*, ut testatur Gennadius *In Catalogo Virorum Illustrium*. Floruit sub Theodosio & ejus filiis. Librum Regularum Tichonii velut utilem ad plurima Scripturæ Sacræ loca intelligenda commendat Sanctus Augustinus, lib. 3. *De Doctrina Christiana*. Septem Regulas hujusmodi constituit Tichonius. Prima est *De Christo Domino & ejus corpore*. Secunda, *De Corpore Domini bipartito*. Tertia, *De promissis & lege*. Quarta, *De specie & genere*. Quinta, *De temporibus*. Sexta, *De recapitulatione*. Septima, *De diabolo & ejus corpore*. *Tichonii Regulæ ad Sacræ Scripturæ intelligentiam explicatæ.*

Has Regulas exponit Sanctus Augustinus, cap. 31. libri laudati. *Prima*, inquit, *de Domino & ejus corpore est, in qua scientes aliquandò capitis & corporis, id est, Christi & Ecclesiæ unam personam nobis intimari; (neque enim frustra dictum est Fidelibus: * Ergo Abrahæ semen estis, cùm sit unum semen Abrahæ, quod est Christus:) non hæsitemus quando a capite ad corpus, vel a corpore transitur ad caput, & tamen non receditur ab una eademque persona. Una enim persona loquitur dicens: * Sicut sponso imposuit mihi mitram, & sicut sponsam ornavit me ornamento: & tamen quid horum duorum capiti, quid corpori; id est, quid Christo, quid Ecclesiæ conveniat, utique intelligendum est.* Galat. 3. Isai. 61.

Secundam Regulam, quæ est *De Corpore Domini bipartito*, non ita debuisse appellari, Sanctus Augustinus notat. *Non enim revera Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum*. Unde hanc potiùs inscribendam fuisse ait, *De permixta Ecclesia*. In eo autem positâ hæc Regula est, quòd Scriptura Sacra, cùm de bonis locuta est, & ad malos transit, vel de malis locuta transit ad bonos, de iisdem personis loqui videtur, *Tanquam unum sit utrorumque corpus propter temporalem commixtionem & communionem Sacramentorum*. Ad hoc pertinet in Canticis Canticorum: *Fusca sum, & speciosa, ut tabernacula Cedar & speciosa sum ut pelles Salomonis: sed utrumque se esse dixit, propter temporalem unitatem intra una retia piscium bonorum & malorum*. Sic cùm de bona parte Deus dicat (Isaiæ 42.) *Ducam cæcos in viam quam non noverunt, & semitas, quas non noverunt, calcabunt: & faciam illis tenebras in lucem, & prava in directum: hæc verba faciam, & non dereliquam eos*; mox de alia parte quæ malè permixta est, dixit: *Ipsi autem conversi sunt retrorsum*: quamvis alii jam significentur his verbis. *Sed quoniam nunc in uno sunt, tanquam de iisdem loquitur* [ait Sanctus Augustinus.

Tertia Regula est *De promissis & lege*, quæ potest etiam inscribi, *De gratia & mandato*, vel *De Spiritu & Litera*, ut observat Sanctus Augu-

stinus. Qui & ait, hanc sibi potiùs magnam quæstionem videri, quàm Regulam, quam non intelligentes Pelagiani, vel condiderunt suam Hæresim, vel auxerunt. Laborasse in ea Tichoniom benè, sed non plenè. Disputans siquidem de fide & operibus, Opera nobis dixit dari a Deo merito Fidei, ipsam verò fidem sic esse a nobis, ut nobis non sit a Deo. Sed non erat expertus hanc Hæresim, quæ Augustinum, & alios Doctores vigilantiores diligeotioresque reddidit, ut adverterent in Scripturis Sanctis, quòd istum Tichonium minùs attentum, minùsque sine hoste sollicitum fugit, etiam ipsam fidem Dei donum esse.

Quarta Regula est *De specie & genere*. Nomine speciei, partem; generis, totum intelligit Tichonius, sicut unaquæque civitas pars est universitatis gentium. Cùm igitur in Sacra Scriptura dicitur aliquid de aliqua civitate, vel gente, vel homine, quod excedat ejus modum, fit transitus a specie ad genus, id est a parte ad totum: sic multa quæ de Salomone dicuntur, excedunt ejus modum, & ad Christum vel Ecclesiam referenda sunt. Sic cùm dicit Deus, Ezechielis 36. *Domus Israel habitaverunt in humo sua, & pollaerunt eam in viis suis*, &c. *Et effudi indignationem meam supee eos pro sanguine quem sudeeunt supee teeram*, &c. de domo Israel hæc intelligenda sunt, de qua dicit Apostolus 1. ad Corinthios 10. *Videte Israel secundùm carnem*. Quia hæc omnia carnalis populus Israel & fecit, & passus est. Sed cùm mox addit Deus: *Et sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est intee Gentes*, &c. *Tollam quippe vos de Gentibus, & congregabo vos de universis teeeis, & adducam vos in teeeam vestram: Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*, &c. *& dabo vobis cor novum*, &c. Cùm, inquam, hæc dicuntur, fit transitus a specie ad genus, ab Israele carnali ad Israelem spiritalem, ab uno populo Judaico ad universitatem populi fidelis, qui non unius gentis est, sed omnium quæ promissæ sunt Patribus in eorum semine, quod est Christus. Ita hanc Regulam explicat Sanctus Augustinus loco supra laudato.

Quintam Regulam Tichonius vocat *De temporibus*. Quâ Regulâ plerumque inveniri, vel conjici potest latens in Scripturis quantitas temporum. Duobus autem modis vigere dicit hanc Regulam, aut tropo Synechdoche; aut legitimis numeris. Synechdoche aut a parte totum; aut a toto partem facit intelligi. Sicut unus Evangelista * post dies octo factum dicit, quod alius post dies sex, quando in monte Discipulis tantùm tribus præsentibus, facies Domini ut sol resplenduit & vestimenta ejus sicut nix. Utrumque enim verum esse non posset, nisi ille qui dixit *post dies octo*, intelligatur partem novissimam diei, ex quo id Christus prædixit esse futurum, & partem primam diei quo id ostendit impletum, pro totis diebus duobus atque integris posuisse: is verò qui dixit, *post dies sex*, integros omnes & totos, sed solos medios, non autem primum & postremum computasse. Hoc modo locutionis quà significatur à parte totum, etiam illa de Resurrectione Christi solvitur quæstio. Pars enim novissima diei quo passus est, nisi pro toto die accipiatur, id est, adjunctâ etiam nocte præteritâ: & nox in cujus parte ultima resurrexit, nisi totus dies accipiatur, adjuncto scilicet die illucescente Dominico, non possunt esse tres dies, & tres noctes quibus se in corde terræ prædixit futurum.

Matth. 17. Marc. 9.

Legitimos autem numeros dicit Tichonius, quos eminentiùs divina Scriptura commendat, sicut septenarium, vel denarium, vel duodenarium, &c. plerùmque enim hujusmodi numeri pro universo tempore ponuntur, sicut *Septies in die laudem dixi tibi*, nihil aliud est, quàm, *Semper laus ejus in ore meo*. Tantumdem valent & cùm multiplicantur, sive per denarium sicut septuaginta, & septingenti. Unde possunt & septuaginta anni (Jeremiæ cap. 25.) pro universo tempore spiritaliter accipi, quo est apud alienos Ecclesia: sive cùm per se ipsos multiplicantur, sicut decem per decem, centum sunt, & duodecim per duodecim, centum quadraginta quatuor: quo numero significatur universitas Sanctorum (Apocalypsis cap. 7.) Ita hanc Regolam exponit Sanctus Augustinus.

Sexta Regula Tichonii est *Recapitulatio*: quæ tunc fieri censetur in Scriptura Sacra, cùm dicuntur quædam quasi sequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrantur; & tamen ad priora, quæ prætermissa fuerant, latenter narratio revocatur. Sic Genesis 2. cùm dicitur: *Plantaveeat autem Dominus Deus paradisum voluptatis, a principio; in quo posuit hominem, quem formaveeat, Peoduxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave*, &c. ibi recapitulatio intelligenda est quâ reditur ad ea quæ fuerant prætermissa. Post ista enim facta, ibi positus est homo, non post hominem ibi positum facta sunt ista. Sic Genesis X. cùm commemorarentur generationes filiorum Noë, dictum est: *Hi sunt filii Cham in cognationibus, & linguis, & geneeationibus, terrisque & gentibus suis*. Et infrà: *Isti filii Sem, secundùm cognationes & linguas, & eegiones, in gentibus suis. Hæ familiæ Noë juxta populos & nationes suas. Ab his divisæ sunt gentes in terra post diluvium*. Deinde sequitur initio cap. 11. *Erat autem teera labii unius, & sermonum eorumdem*. Quod ita dictum videtur, tanquam eo jam tempore quo dispersi fuerant super terram, una fuerit omnibus lingua communis. Quod proculdubio superioribus verbis repugnat, ubi dictum est, *secundùm Cognationes, & linguas*. Recapitulatio igitur in his verbis intelligenda est: *Erat autem terra labii unius*: latenter narratione redeunte, ut origo, aut occasio divisionis linguarum exponeretur, scilicet ædificatio turris Babel. Fit ista recapitulatio etiam obscuriùs ut patet in illis verbis Christi Lucæ 17. *Qua die exiit Loth a Sodomis, pluit ignem & sulphur de cælo & omnes peedidit; secundùm hæc erit, qua die Filius hominis revelabitur. In illâ hora, qui fueeit in tecto, & vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa; & qui in agro, similiter non redeat eetrò. Memores estote uxoris Loth*. Hæc verba, *in illa hora*, significare videntur tunc ista servanda, id est non esse redeundum retrò, & vitam præteritam, cui renuntiavimus, inquirendam, cùm Dominus ad judicium venerit; nisi ad intelligendam recapitulationem sensus legentis invigilet, adjuvante illâ Scripturâ, quæ Apostolorum tempore adhuc clamavit. [Joann. 1.] *Filii novissima hora est*. Tempus ergo ipsum quo Evangelium prædicatur quousque Dominus reveletur, hora est in qua oportet ista servari: quia & & ipsa revelatio Domini ad eandem horam pertinet, quæ die judicii terminabitur. Ita exponit Sanctus Augustinus.

Septima & postrema Tichonii regula est, *De diabolo & ejus corpore*. Est enim & ipse caput impiorum, qui sunt ejus quodammodo corpus, ituri cum illo in supplicium æterni ignis: sicut Christus caput est Ecclesiæ, quæ est corpus ejus, futurum cum illo in regno & gloria sempiterna. Sicut ergo in prima regula, quam vocat *De Domino & ejus corpore*, vigilandum est ut intelligatur, cùm de una eademque persona Scriptura loquitur, quid con-

ve-

veniat Capiti, quid corpori: Sic & io ista novissima aliquando in diabolum dicitur, quod non in ipso, sed potiùs in ejus corpore possit agnosci. Quod enim per Isaiam scriptum est: * *Quomodo eecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* & cætera, quæ sub figura Regis Babyloniæ de eadem persona, vel ad eandem persooam dicta sunt in ipsa contextione sermonis, de diabolo utique intelliguntur. Et tamen, quod ibi dictum est: *Corruisti in terram, qui vulnerabas Gentes*: vel, ut legit Sanctus Augustinus, *Contritus es in terra qui mittis ad omnes Gentes*: non totum ipsi capiti congruit. Nam etsi mittit ad omoes Gentes diabolus Angelos suos, tamen In terra corpus ejus, non ipse conteritur: nisi quia ipse est in corpore suo, quod contritum sit ut pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. Ita Sanctus Augustinus ad finem libri III. *De Doctrina Christiana*, jam laudati.

Isai. 4.

CAPUT ULTIMUM.

De Imperatoribus qui Rempublicam moderati sunt quarto Sæculo.

ARTICULUS I.

De Julio Constantio Chloro, & Constantino Magno.

I. CUM Diocletianus & Maximianus sponte privatum ad vitæ genus redacti essent anno Christi 304. Jolius Constantius Chlorus, & Galerius Maximianus Armentarius Imperatores creati sunt: qoorum ille Galliis & Britanniis contentus fuit; hic Romanum reliquum administravit orbem, adscitis in regiminis eonsortium Severo, & Galerio Maximinn, qaos etiam Cæsares appellavit. Italiam Severo, Maximino permisit Orientem, dum ipse in Illyrico resedit. Constantius Chlorus, vel uno tantum anno vel biennio, ut Aurelio Victori & Eutropio placet, imperavit: atque Eboraci in Britaonia diem obiit. Miti fuit iogenio, planèque liberalis. Exprobratâ ipsi aliquando a Diocletiano paupertate, collatis certatim a ditioribus ex quacumque provincia pecuniis, ærarium implevit. Cùmqoe thesauros snos missis a Diocletiano hominibus ostendisset, ait: *Se impræsentiarum hæc apud se congregasse: cæterùm eu jampridem apud ipsos dominos tanquam apud fidos depositarum opum custodes sibi servari.* Nullam eontra Christianos quæstionem baberi passus est. Simulans aliquando se simulacrorum cultum imperare velle Palatinos omnes, qui sacrificare parati essent, ex Aulâ suâ expulit. *Quomodo*, inquit, *fidem erga Principem suum servaturi sunt: qui erga Deum perfidi esse deprebenduntur?* De his Eusebius, lib.4. de Vita Constantini, cap. 14. & 16. Mortuo Constantio Patre, ad quem in Britannias fugerat ex Aula Galerii Constantinus, ipse suscepit Imperium aonos 35. vel 33. natus. Ortus namque est anno circiter 273. ex Helena Bithyna, quam *Concubinam* fuisse dicunt Hieronymus in Chronico, Zosimus, l.2. Orosius l.7. c.25. alii *stabulariam*, ut Sanctus Ambrosioa Oratione *De funere Theodosii*, & Nicephorus: alii *obscuriore loco natam*, ut Eutropius, & Jolianus Apostata *In Actis Artemii Martyris*, cui Martyr ipse quoad hoe non repugnat. Sed Helenam fuisse legitimam Constantii conjugem, non concubinam, constat ex Victore & Eutropio. Illi enim scribunt Maximianum Herculium, eùm Theodoram Constantio uxorem dare vellet, ipsum adstrinxisse ad repudium prioris conjugis, scilicet Helenæ. At repudium supponit matrimooium legitimum.

Imperatoris ærarium, prompta subditorum ad subventionem voluntas.

Præclara Constantii Chlori sententia.

Helena legitima Constantii Chlori conjux.

II. Ubi Constantini imagines Romam delatæ sunt, Maxentius Herculii filius a prætorianis militibus subitò Imperator acclamatus est. Contra hunc Galerius Maximianus Severum Cæsarem misit: qui destitutus a suis fugit Ravennam. Galerius Romam cum exercitu petens, frustraque Maxentium generum suum per legatos hortatus, ut precibus potiùs quàm armis, mereretur Imperium, fœdè & ipse desertus a suis, in Illyricum secessit. Ibi Licinium Cæsarem creavit anno Christi 307. tum Herculius resumpto Imperio, quô se invitus abdicaverat, e Lucania Romam reversus est, frustra rogato Diocletiano Carnunti in Pannonia tunc degente, ut & ipse rursus purpuram indueret. Deinde Severum perjurio circumventum captivi habitu in Urbem perduxit, ac jugulavit. Interim pulsus est Româ Herculius, & ad Constantinum fugit in Gallias, cui Faustam filiam in matrimonium dedit. Creatus est non multò post Carnunti Imperator Licinius. Sicque quatuor ab Augustis Respublica regi cœpit, Constantino, Maxentio, Galerio Maximiano, & Licinio. Herculius dum adversùs generum suum Constantinum insidias moliretur nefariis consiliis per Faustam ejus filiam detectis, Massiliam fugiens, ibi perfidiæ pœnas luit, fractis laqueo cervicibus. Interiit sexagenarius, annorum viginti Imperator. Galerius Maximianus putrefacto iotrorsum pectore, vermes eructans, & præ fœtore Medicis, sibique ipsi intolerabilis, vitæ suæ vim attulit.

Constantinus Imperator.

III. Constantinus quinto Imperii sui anno bellum adversùs Maxentium suscepit, quòd crudelitatem erga cives Romanos exerceret. Nobilium namque & ipsorum Senatorum uxores publicè abstrahi, atque ad suam libidinem deduci; contamioatas viris suis reddi jubebat, non tam expletâ, quam immutatâ adulterii libidine. Tantus verò metus Senatum, populumque oppresserat, *Ut nec hoc ipsum quidem, quo in metu erant, palam ostendere auderent*, inquit Paulus Diaconus; sed ferebant insuetam servitutem gementes, & aliquid pro libertate cogitare metu inhibebantur; eùm ille non jam irâ, sed libidine cædis agitaretur. A tam impotenti tyraonide ut Romanos liberaret Constantinus cum exercitu transgressus Alpes, victis ad Veronam Maxentii Ducibus, eumdem non loogè ab Urbe superavit: qui dum, cæsà acie fugiens, Romam se reciperet, insidiis quas hosti in ponte Milvio locaverat, in transgressu Tyberis intereeptus est, pontisque ruinâ oppressus ac demersus periit. Porrò ad hoc Bellum suscipiendum cælesti Crucis ostentu animatus est Constantinus. Vidit quippe Crucis trophæum ex luce constatum, Soli superpositum, cum hujusmodi inscriptione: *Hâc vince*. Quamobrem vexillum instar crucis, quod Labarum vocatum est, præferri voluit exercitui, Christo ipsi in somnis viso, idque præcipiente; ut constat ex Eusebio, lib. 1. *De Vita Constantini*, cap. 28. 29. 30. & 31. Hoc ostensæ in Cœlo Crucis miraculum factum esse quo tempore *Constantinus* in Galliis versabatur, & quidem Augustoduni, aliqui conjiciunt: Editum in Bizuntina Civitate *Chiffletius* contendit in Dissertatione hac de re edita: Sed visionem illam admirabilem Crucis *Constantino* contigisse in castris, dum Romam obsideret, Maxentium Tyrannum debellaturus, colligitur ex *Lactantio*, libro *De Mortibus persecutorum*, cap. 44. Profligato Maxentio, Constantinus sublimem hastam in modum crucis, sub manu statuæ suæ, in celeberrimo Romanæ urbis loco pooi jussit cum hac inscriptione: *Hoc salutari signo, quod veræ virtutis argumentum est, vestram urbem tyrannica* domi-

Constantini bellum contra Maxentium.

Victoria per crucem parta.

dominationis jugo liberatam servavi: Senatui Populoque Romano in libertatem asserto, pristinum decus nobilitatis, splendoremque restitui. Multa alia Monumenta Constantino in grati animi signum erecta sunt, cùm Romæ, tum per Africam, ubi Sacerdotium ipsi decretum est, Cirthæque oppido, quod obsidione Alexandri ceciderat, reposito exornatoque; nomen *Constantina* inditum: *Adeò acceptius prostautiusque Tyrannorum depulsoribus nihil est* (inquit Aurelius Victor) *quorum gratia eò demum auctior erit, si modesti ipsi atque abstinentes sint. Quippe humana mentes frustrata boni spe, asperiùs offenduatur, cùm mutato Rectore flagitioso, ærumnarum vis manet.*

IV. Dum hæc in Italia gererentur, Galerius Maximinus bello contra ambos Imperatores temerè suscepto, in Illyrico a Licinio fusus, fugit in Asiam, & apud Tarsum Ciliciæ miserrimè periit. Nec diuturna inter Constantinum & Licinium concordia fuit, quamvis per Constantiam sororem Constantini Licinio collocatam nectendum perpetuæ amicitiæ vinculum videretur. Rupto inter ipsos fœdere, ad Cibalim primò, quod est Pannoniæ oppidum; deinde in campo Mardiensi, fusi fugatique Liciniani. Tandem reconciliata pace, & rursus post sexennium ruptâ, novissimo ad Calchedonem prælio debellatus Licinius, in Cnnstantini potestatem venit, a quo vitam, interposita conjuge Constantia, cùm impetrasset, Thessalonicam relegatus est.

Pacatum exinde Constantino Imperium, sed turbinibus domesticis agitata domus. Nam Crispus Cæsar ex priori conjuge Minervina ejus filius, cùm in suspicionem tentati cum noverca stupri venisset, ea suggerente necisus est, sententiâ Patris: qui Faustam postea falsi convictam, balnei calore jussit occidi.

Constantini Leges.

V. Leges tulit sanctissimas Constantinus, quibus divinum cultum sanxit; Martyria, cœmeteria, ædes & hortos, res omnes denique Ecclesiarum, fisco antea addictas, restitui jussit. Exsilio, Curiâ, bonorum proscriptione, servitute, solvit Christianns ob religionis professionem damnatos. Confessorum, & Martyrum, quorum nulli cognati superessent, hæredem instituit Ecclesiam. Falsnrum numinum cultum lege latâ prohibuit. Ecclesias ædificari jussit, & exornari, collatis ex ærario sumptibus. Præsides, aut Præfectos Prætorio non designavit per provincias, nisi qui Christiani essent; vel, si Ethnici, ipsis sacrificare vetuit. Manifestato Hierosolymis Christi Domini sepulchro, magnificentissimam ibi ædificavit Ecclesiam, aliasque Bethleemi ad Domini præsepe, & in monte Olivarum, Helena matre ipsius sanctissima procorante. Templa Idolorum & simulachra plurima everti jussit: & inter alia Veneris fanum apud Aphaca in Phœnice, nefandarum libidinum publicam scholam & officinam: & Templum Æsculapii, Ægis. Hæreticos coercuit, eisque lege latâ prohibuit ne conventus agerent. Ex annuis tributis, quæ terræ nomine conferebantur, quartam detrahens partem, agrorom possessoribus donavit. Byzantium instauravit, ex suo nomine Constantinopolim vocatum, æmulam Romæ civitatem, sedem Imperii, novam Romam. Jacta sunt Constantinopolis fundamenta mense Novembri, primo anno Olympiadis ducentesimæ septuagesimæ-sextæ, Imperii *Constautini* decimo-nono, ot colligitur ex *Codino* in libro *De Constantinopoli*, quod & variæ Legum subscriptiones in Codice Theodosiano confirmant. Diem Dominicum, sextam Feriam, & Festos Martyrum dies solemnes esse præcepit. Impuros Nili Sacerdotes Androginos, quorum ministerio Ægyptii fluvium colebaot, abolevit. Legem adversus orbos & cælibes olim latam correxit, abrogavitque, quâ scilicet hæreditatis patrum ademptione plectebantur, qui filiis destituti erant. Antiquam de testamentis Legem emendavit, statuitque ut insuperhabitis formulis juris, ex quibus plurimæ fraudes admittebantur ad circumscribendam morientium voluntatem, nudis verbis, & qualicumque oratione testamentum condere morientibus liceret, & supremam voluntatem quovis scripto declarare; aut si mallent sine scripto testarì id facerent adhibitis dumtaxat testibus idoneis. Lege etiam prohibuit Judæis, ne servos Christianos haberent. Episcoporum sententias in Conciliis promulgatas, auctoritate suâ confirmavit: adeò ut Provinciarum Rectoribus non liceret Episcoporum decreta rescindere. *Cuivis enim judici proferendos esse Dei Sacerdotes*, ajebat. Dona in Ecclesias, in pauperes, in sacras Virgines, quas impensè venerabatur, contulit innumera. Urbes tamen & Provincias non donavit Ecclesiæ [ea namque Regum Christianissimorum debet munificentiæ] sed prædia tantùm, latifundia, ornamenta, vasa, codices sacros, qnos in membranis exquisitissimis venustè describi jussit, curante Eusebio Cæsareensi. Ob nobiles illas de Christianæ religionis & Ecclesiæ rebus curas, aliquando cum Episcopis collocutus, se quoque Episcopum esse dicebat. *Vos quidem*, inquit, *in iis quæ intra Ecclesiam sunt, Episcopi estis: Ego verò in iis quæ extra gerantar, Episcopus a Deo sum constitutus.*

Constantinas res Christianæ Religionis curat.

Quemdam ex familiaribus suis avaritiæ morbo laborantem his aliquando verbis compellavit: *Quousque tandem, heus tu, cupiditatem extendimus?* Deinde cùm hastâ humani corporis staturam humi delineasset: *Etiamsi*, inquit, *cunctas sæculi divitias, totumque adeò orbem terrarum tibi comparasses, tamen nihilo plusquam hoc a me descriptum terræ spatium ablaturus es; si modò etiam hoc tibi concessum fuerit.* Precibus vacabat frequentiùs pius Imperator. Gentiles etiam milites orare docuit, eisque precationis formulam tradidit. In nommis quoque & imaginibus, precantis habitu se jussit effingi. Ob clementiæ excessum, reprehensioni obnoxia fuit ejus administratio. Scythas, Sarmatasque Romani Imperii jugo subjecit. Ad Saporem Persarum Regem, qui Legatos ad ipsum miserat, scripsit in gratiam Christianorum in ejus regno degentium. Nicænam, Tyriam, & Hierosolymitanam Synodos convocavit. Ultimum bellum parabat adversùs Persas, quod missà legatione, & exoratâ pace præverterunt. Templum magnificentissimum in Sanctorum Apostolorum memoriam ædificari, consecrarique jussit Constantinopoli: sepulchrumque in ea sibi extrui curavit, persuasus *Apostolorum memoriam non parum utilitatis animæ suæ esse allaturam* (inquit Eusebius.) Tres filios variis temporibus Cæsares creavit, Constantinum, anno Imperii sui X. Constantium XX. Constantem XXX. quos cùm in arte regnandi, & in omnibus pietatis officiis instituisset, Imperii reliquit hæredes. Constantino Gallias, & quicquid trans Alpes erat: Constantio Orientis Imperium: Constanti Romam, Italiam, Africam, Siciliam, Insulasque reliquas, Illyricum, Thraciam, Macedoniam, & Græciam assignavit. Sub vitæ finem, Nicomediæ suscepto Baptismo [quem prninde ipsum Romæ a Silvestro aliquot ante Nicænum Concilium annis suscepisse, Acta illius Pontificis Pseudepigrapha mentiuntur] obiit, anno Imperii 32. ut scribit Eusebius, lib. 4. de ejus Vita; quod & plerique Veterum confirmant: vel anno 31. per menses decem inchoato, & ad exitum vergente, ut idem scribit *in Chronico*; anno Christi 337. quod Eutropius etiam & Rufinus asserunt. De hoc Chronologiæ capite lege viros doctissimos, Petavium

vium

vium in *Rationario temporum*, parte 2. lib.4. cap. 10. & Valesium in *Annotationibus ad lib.4. Eusebii de Vita Constantini in cap.53.* Tres & sexaginta annos vixit. Irrisor potiùs erat quàm blandus [inquit Aurelius Victor:] Trajanum *herbam parietariam*, ob titulos multos ædibus inscriptos, appellare solitus erat. Vulgari proverbio, *Trachala*, decem annis præstantissimus; duodecim sequentibus *Latro*; decem novissimis *Pupillus* ob profusiones immodicas nominatus. Hunc in Constantini Principatu, tamquam in pulcherrimo quodam vultu nævum notavit Eusebius, quòd pessimos ac rapacissimos homines, ad amicitiam suam, & ad publica officia adscivisset: & quòd fraude & calliditate quorumdam hypocritarum suisset sæpissimè circumventus. Idem ferè reprehendit Aurelius Victor his verbis: *Fiscales molestia severiùs repressa; cunctaque divino ritui paria viderentur, ni parum dignis ad publica aditum concessisset. Qua in summo ingenio atque optimis Reipublica moribus, quamvis parva vitia, elucent magis.*

Nævus Constantini.

Christiana Religionis propagatio.

Constantino imperante, Frumentius, Tyrius Philosophus, Christi fidem in India propagavit, & eòdem, a Sancto Athanasio factus Episcopus, rediit, anno circiter 327. Eadem tempestate Iberos Christianæ cujusdam captivæ operâ Evangelii lux afflavit. Conversionis illorum populorum Historiam lege apud Ruffinum, l.1. cap.9. apud Socratem lib.1. cap.18. & 20. Theodoretum lib.1. cap. 23. & 24. & Sozomenum lib.2. cap.24. Quæ verò de rebus gestis Constantini Magni diximus, decerpta sunt ex quatuor libris Eusebii de ejus Vita, ex Aurelio Victore, Eutropio, Ammiano Marcellino, & Paulo Diacono.

ARTICULUS II.

De filiis Constantini Imperatoris.

Constantius.

Constantinus Junior.

Constans.

I. MOrtuo Constantino, Dalmatium Cæsarem, & Annibalianum Ponticarum gentium Regem, ejus nepotes, seditio militaris oppressit, sinente potiùs quàm jubente Constantio Imperatore. Triennio post, Constantinus junior in Constantis fratris ditionem irruens; interfectus est prope Aquilejam, projectusque in fluvium, cui nomen *Alsa*. Constans ipse post annos decem, Magnentii scelere circumventus est, & a Gaisone illius duce, prope Pyrenæos, in castro, cui *Helena* nomen est, occisus. Ejus morte cognitâ, Vetranio Magister militum, in Pannonia apud Nursiam; Nepotianus, Eutropiâ Constantii sorore natus, Romæ Imperium arripuit. Vetranionem decimo post mense, *facundia vi dejectum Imperio*, in privatum otium removit CONSTANTIUS. Nepotianum Magnentii duces oppressere. Cum Magnentio diutius periculosiùsque certatum est. Primò ad Mursiam in Pannonia a Constantio victus: dehinc ad Ticinum in Italia Victor. Tandem apud Lugdunum in Gallia coangustatus; desperatis rebus mortem sibi conscivit. Ejus morte auditâ, Decentius quem trans Alpes Cæsarem creaverat, & ipse laqueo sibi vitam ademit apud Senonas.

II Gallus, Cæsar a Constantio creatus anno Christi 351. & Orienti præpositus, non multò post ob sævitiam atque animum trucem ejusdem jussu interemptus est. Tum Silvanus Imperator effectus, die Imperii 28. occisus est. Interea Julianus a Constantio creatus est Cæsar, data ei in Matrimonium Helena ipsius sorore, & Gallis præpositus. Quò cùm pervenisset, in campis Argentoratensibus innumeras Francorum Germanorumque copias delevit; horumque Regem Chonodomarum vinctum Romam misit ad Constantium. Cujus gloriæ invidens Constantius, milites ab eo abstrahere, & contra Persas dirigere studuit. At illi Julianum Lutetiæ Parisiorum Augustum salutarunt. Hunc Constantius urgere Legationibus, *ut in statum nomenque pristinum revertatur*. Julianus *mandatis mollioribus* refert, se sub nomine Celsi imperii multò officiosiùs pariturum. Hinc Constantius dolore, impatientiâ, febri correptus. Mopsucrenis prope Tarsum obiit, ætatis anno 44. aut 45. Imperii 30. aut 35. non enim in assignanda ejus epocha conveniunt Historici veteres. Sub mortem baptizatus est ab Euzoio Ariano Episcopo, teste Socrate, lib. 2. Historiæ cap. 47. Trium rerum pœnituit morientem Constantium; primò, quòd generi suo in Imperii exordiis necem attulisset. 2. Quòd Julianum Apostatam Imperatorem nominasset. 3. Quòd novis dogmatibus Fidei studuisset, Arianorum causæ propensiùs favens. [Ex Sancto Gregorio Nazianzeno *Oratione in Laudem Athanasii*.] Felix fuit bellis civilibus Constantius, *externis lacrymabilis*. Novem præliis certavit adversùs Persas, haud prospero eventu. *Ægrè ab armis aberat*, inquit Aurelius Victor, lib. *De Cæsaribus*, cibi, libidinis, *omniumque cupidinum victor*, gnarus *Vita bonorum principum Reipublica quietem regi*. Hæc tanta, tamque inclyta, *Tenax studium probandi Provinciarum ac Militiæ Rectoribus; simul Ministrorum parte maxima absurdi mores; adhuc neglectus boni cujusque fœdavere*. Spadonibus, Aulicis, & uxoribus nimium credidit, detulitque. Eusebiam præ uxoribus cæteris dilexit, Arianam mulierem: quæ & ipsum in Arianorum partes pertraxit. Illam per Amantias & Gorgonias, & alia importuna ministeria *vexusse famam viri, contrà quam fœminis modestioribus mos est, quarum sæpe præcepta maritos juvant*, scribit Aurelius Victor: longèque Pompeiæ Plotinæ Trajani uxori fuisse dissimilem, quæ Imperatoris illius gloriam incredibiliter auxit: cujus Procuratores cùm Provincias calumniis agitarent, adeò ut unus ex iis diceretur locupletum quemque ita convenire: *Quare habes?* Alter, *Unde habes?* tertius, *Pone qua habes*: illa conjugem corripuit, & increpans *quòd laudis esset incuriosus*, talem reddidit, ut postea exactiones improbans atque detestans, *Fiscum lienem* vocaret, quòd eo crescente, artus reliqui tabescant.

Constantium trium rerum pœnituit.

Constantius ab Eusebia uxore muliere Ariana in partes Hæreticorum pertractus.

Leges sanctissimas Constantius tulit, quibus interdixit sacrificia; Clericorum immunitatem sanxit, & ne judices sæculares judicarent de ipsorum causis; Magos & aruspices coercuit, vetuit famosos libellos; compressit delatores; debitoribus verberum aut carceris pœnas infligi vetuit.

Constantii Leges.

ARTICULUS III.

De Juliano.

JUlianus, Constantio patruele mortuo, solus imperavit. Simul ac rerum potitus est, Constantii amicos omnes, quà nece, quà exilio mulctavit. Restituit falsorum Numinum cultum, ejuratisque Christianæ Fidei Sacramentis omnibus, in Pontificem Maximum profanis ritibus consecratus est. Persecutionem in Christianos movit, illicientem magis, quàm impellentem ad sacrificandum. Consule quæ de ea diximus, cap. 1. Ducto contra Persas exercitu, in medio conflictu periit, anno Christi 363. ætatis 31. Imperii post Constantii obitum anno uno & mensibus septem circiter transactis. Moriens exceptum cava manu sanguinem in cælum jecisse fertur cum hac voce; *Vicisti Galilae*. [Ex Theodoreto, l. 3. cap. 25.] Callistus, qui inter Juliani Protectores domesticos mi-

Julianus Apostata malè periit.

militabat, & qui res ejus gestas heroico carmine conscripsit, bellum hoc enarrans, ipsum a dæmone percussum interiisse tradit. Pacis conditiones satis honestas a Rege Persarum oblatas recusaverat imprudens, Maximo Philosopho suggerente in eam adductus fiduciam, Alexandri se Macedonis gloriam non æquaturum modò, sed superaturum. Putabatque juxta Pythagoræ sententiam, per animarum transmigrationem ipsum se esse alio in corpore Alexandrum, (ex Socrate, lib. 3. cap. 21.] Ejus de rebus legendi Ammianus Marcellinus, lib. 24. & 25. & Zosimus, lib. 3. Libanius Sophista Orationem in obitum Juliani composuit, in qua impium Principem laudibus efferens Christianam Religionem perstringebat. Hanc Orationem confutat Socrates lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 23. *Juliani* Historiam & Vitam ex illius Orationibus & Epistolis a *Dionysio Petavio* editis intelliges. Quæ contra Christianam Religionem scripsit, a *Sancto Cyrillo Alexandrino* ex parte confutata sunt.

Juliani insana de se ipso opinio.

ARTICULUS IV.

De Joviano, Valentiniano & Valente.

I. JOvianus Singidone in Pannonia natus, post Juliani necem militaribus suffragiis Imperator acclamatus est, qui nec Dux Militum erat, nec Tribunus: egregius vir tamen, & ob plurimas dotes insignis: maximèque ob invictam in Christiana & Catholica Fide constantiam. Ubi Cæsar & Augustus salutatus est, Duces & Milites his verbis compellavit: *Ego cùm Christianus sim, talibus viris imperare non possum, nec Juliani exercitum regere nefaria Doctrina praeceptis imbutum. His auditis, omnes uno consensu Milites dixerunt: Ne dubites, Imperator, neve Imperium nostrum velut improbum refugias. Imperabis enim Christianis hominibus, & qui in pia disciplina sunt educati. Nam qui inter nos ætate sunt provectiores, ipsum Constantinum Doctorem habuerunt. Qui autem illos proximè sequuntur, a Constantio instituti sunt. Hujus verò nuper mortui breve Imperii tempus fuit, nec satis idoneum ad labem in deceptorum hominum mentibus altiùs defigendum.* Hæc habentur ex Theodoreto, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 1. Idolorum delubra claudi, & aboleri sacrificia jussit. Cum Sapore bellum certis conditionibus terminavit. Quæ licèt Romano nomini indecoræ, pro tempore tamen necessariæ fuere. Etenim finibus Imperii multatus, & Nisibi Mesopotamiæ urbe Persis tradita, e Perside discessit. Catholicæ Fidei tenacissimus, ejus Regulam a Sancto Athanasio præscribi sibi petiit, quam apud Theodoretum, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 3. legere est. Blanditiis, & leni verborum persuasione Hereticos ad fidem revocare satagebat. Illum ut promererentur Acacianarum partium Ariani Nicænam Fidem Antiochiæ confirmarunt. Frumentarium Canonem, seu annonam a Constantino Magno Ecclesiis in annos singulos attributam, iisdem lege latâ restituit (ex Theodoreto, lib. 4. cap. 4.) Dum Constantinopolim reverteretur, Dadastanæ in confinio Galatiæ & Bithyniæ mortuus est ex cruditate, sive odore prunarum, ac recenti tectorio, anno ætatis 33. Imperii octavo mense, anno Christi 364.

Joviani in Catholica Fide constantia.

II. Joviano successit Valentinianus, ex Pannonia oriundus. Sub Juliano Imperatore Fidei confessione conspicuus, & in exilium propterea relegatus, a Joviano revocatus fuerat. Cùm exercitus Imperii consortem ipsi adjungere vellet, regio planè animo respondit: *Vestrûm fuit, commilitones, cùm nullus esset Imperator, Imperii habenas mihi committere. Nunc verò cùm Imperium susceperim, mei deinceps officii est, non vestri Reipublica curam gerere.* Ita refert Theodoretus, lib. 4. cap. 6. Valentem Fratrem suum in consortium Imperii adscivit, ac permisso illi Oriente, in Occidentem ipse concessit. Valentinianus Nicænæ Fidei professione conspicuus: Valens verò Arianæ Hæresis nedum professor, ac fautor, sed & Catholicorum persecutor infensissimus fuit. Pravis dogmatibus imbutus fuerat ab Eudoxio Constantinopolitano Episcopo Ariano, a quo Baptismum susceperat, in eamque sectam pertractus blanditiis uxoris, mulieris Arianæ.

Valentiniani fides.

Magnanimitas.

Valens Arianus.

Bellum contra Alemannos, Saxones, Quados, aliàsque Gentes Valentinianus feliciter gessit. Quadis demum, sive Sarmatis incursantibus, cùm adversùs eos pararet exercitum, atque illi Legatos ad exorandam pacem misissent, in eos acriùs cùm inveheretur, apoplexiâ subitò correptus, interiit apud Pannoniam, in Castello Brigitione, anno ætatis 55. Imperii 12. Christi 375. Conflatum ab Ursicino Antipapa contra Damasum schisma compescuit, ipsumque Ursicinum. & ejus partiarios Urbe expulit, ac reddi jussit Damaso Basilicam, dato ea de re ad Prætextatum P. P. Rescripto. Legem dedit Christianæ Religioni parum commodam, idololatriæ verò faventem satis, ut quisque quam vellet religionem coleret. Nocturna dumtaxat sacra, id est, nefarias preces, magicos apparatus, & funesta sacrificia noctu fieri solita ab Ethnicis, prohibuit. Vide lib. 7. & lib. 9. *De Maleficiis, & Mathematicis*, Cod. Theodos. & Ammianum Marcellinum, lib. 30. Licentiam dedit Gentilibus aruspicinam exercendi, dummodò id absque magia facerent. Aram Victoriæ in Capitolio stare permisit, illicque Gentiles Senatores sacra facere. Falsorum Numinum Sacerdotibus immunitates & privilegia concessit (L. 75. *De Decurion.* Cod. Theodos.) Scenicos & Scenicas, id est, homines & mulieres ad lætitiam publicam theatricis spectaculis mancipatos, nisi in ultimo vitæ discrimine positos, haud quidem piè, baptizari vetuit: eò quòd Christiani Scenicam artem exercere Legibus Ecclesiasticis prohiberentur. Manichæos, & Donatistas Legibus latis coercuit (L. 3. *De Hæreticis*, & L. 1. *Ne Sanctum Baptisma iteretur.* Cod. Theodos.) Non ita severus fuit in Arianos, quos in gratiam Valentis fratris, & Justinæ uxoris toleravit. Ab Auxentio Ariano Episcopo Mediolanensi deceptus est, teste Sancto Hilario, lib. *Contra Auxentium.* Causis Ecclesiasticis, & præcipuè Fidei, immiscere se noluit. Unde Episcopis Catholicis ipsum orantibus ut sibi de Doctrina Fidei ritè constituenda conveniendi in unum potestas permitteretur, respondit observandam ab omnibus Principibus Christianis sententiam: *Mihi quidem in Laicorum Ordine constituto, fas non est hujusmodi negotia curiosiùs scrutari. Sacerdotes verò quibus id cura est, seorsum ubicumque voluerint, conveniant.* (Ex Sozomeno, L. 7. cap. 7.) Chronopium quemdam Episcopum a sententia Synodi sæcularе tribunal appellantem, mulctâ pecuniariâ in pauperes erogandâ castigavit [lib. 10. *Quorum appellationes sint suscipiendæ.*] In Magos inquiri jussit, & severissimis in eos animadvertit suppliciis, ne Senatores quidem maleficii convictos excipiens. Lege latâ & ad Damasum Pontificem Romanum missâ, Clericis & Monachis prohibuit ne Viduarum domos adirent, & ne quid sive donatione, sive testamento a devotis mulieribus acciperent, seu per se, seu per subjectam personam, & quod eæ contra legem reliquissent, ac donassent, fisco addi-

Valentiniani Leges.

Valentiniani Leges.

Digna Christiani Principe sententia.

addixit. (L. 10. *De Episcopis & Clericis*, Cod. Theodos.) Lex quidem illa fuit Ecclesiasticis religiosisque viris indecora, sed ad eorum coercendam avaritiam, quâ donationes hujusmodi aut turpibus obsequiis promereri, aut hypocriseos artibus captare satagebant, necessaria, ut testatur Sanctus Hieronymus in Epistolâ 2. *Ad Nepotianum*, legem quidem Imperatoriam laudans, sed in Clericorum avaritiam, quæ illam meruerat, acerrimè invehens. Semper verò execrata est Ecclesia sacrorum hominum avaritiam, qui Fideles ad res suas ipsis, aut Ecclesiæ erogandas circumveniunt, eosque Canonicæ Pœnitentiæ subjiciendos censuit. Lege hac de re Concilium Cabilonense 11. Canone 6. & 7. Turonense 511. Canone 51. & Moguntiacum Canone 6.

Valentinianus a calumnia vindicatur.

Valentinianum conjuge Severa superstite, nec repudiatâ, Justinam, cujus formam elegantem coram ipso imprudens Imperatrix frequenter laudaverat, duxisse, refert Socrates, legemque antea tulisse, ut cuivis liceret duas simul uxores legitimas habere. (lib. 4. Histor. cap. 31.) At ejusmodi Polygamiam, ac legem Valentiniani commentitiam esse; deceptumque Socratem, probat cæterorum Historicorum silentium, non Ecclesiasticorum dumtaxat, sed Ethnicorum, & præsertim Ammiani Marcellini, qui res Valentiniani accuratè commemoravit, eumque etiam ob pudicitiæ cultum, cùm domi, tum foris commendavit. Justinam igitur post Severæ prioris uxoris obitum duxit Valentinianus. Ex Severa filium habuit Gratianum: ex Justina verò Valentinianum juniorem, tresque filias, Justam, Gratam & Gallam. Quarum priores duæ virginitatem perpetuam coluerunt; Galla verò Imperatori Theodosio Seniori postmodum juncta est matrimonio.

Miraculum in muliere septies icta gladio.

Valentinianus ob nimiam severitatem quâ in adulteros sævіit, ab Ammiano Marcellino reprehenditur. Vercellensis mulier innocens, adulterii accusata his temporibus, gladio septies icta, miraculo servata est. De qua lege Sanctum Hieronymum Epistolâ 49. *Ad Innocentium* data. Idem Imperator Sirmii Presbyterum, qui hominem apud se latitantem prodere noluerat, iniquissimè jussit occidi, ut testatur Sanctus Hieronymus in Chronico ad annum Christi 372.

Imperii annum XII. ineunte Valentiniano, qui Christi 375. erat, Ambrosius Liguriæ & Æmiliæ Præfectus, mortuo Auxentio Ariano, Mediolanensis Episcopus divino nutu electus est. Cujus de electione lege Socratem, lib. 4. c. 30. Sozomenum lib. 6. c. 24. Theodoret. lib. 4. c. 6. & 7. & Paulinum in ejus Vita. Eodem anno S. Martinus in Gallia Turonensi Ecclesiæ præfectus est. De ejus ad Valentinianum accessu, deque sella Imperatoris ipsum superbiùs excipientis divinitus conflagrante, lege Severum Sulpitium, Dialogo 1. cap. 6.

Valentis bella.

III. Valens ipso Imperii sui primordio Procopium Cilicem, Juliani Apostatæ propinquum, arreptâ Constantinopoli tyrannide infestum habuit. Quem anno 366. juxta Nacoliam Phrygiæ urbem commisso prælio profligavit: tum ab Agilone & Gomoario ducibus suis proditum cepit, & cum ipsis proditoribus crudeli affecit supplicio, ex Socrate, lib. 4. cap. 3. & 5. Sozomeno, lib. 6. cap. 8. & aliis. Diuturnum illi fuit contra Gothos bellum, qui civili bello duas in partes dirempti erant, quarum alteri Fritigernus, alteri præerat Athanaricus. Fritigerno Valens tulit opem. Tum Gothi Christianam Religionem amplexi, Ulfila Episcopo prædicante. Sed quòd Valentis fidem in grati animi monumentum amplecti vellent, ad Arianam sectam, agente Eudoxio, simul sunt traducti. Non multò post Athanaricus & Fritigernus redintegratâ inter se pace, ab Hunnis expulsi cum Gothis suis, humaniter a Valente excepti sunt, & in Thracia collocati. Hi postmodum Lupicini ducis avaritiâ commoti, in Romanos insurrexerunt, contra quos ad Adrianopolim dimicans, sagittâ confossus, & cum pago, quò se receperat, a Barbaris vivus exustus est anno Imperii sui 15. per 4. menses inchoato, ætatis fere 50. Christi 378. Hæc habentur ex Ammiano, lib. 31. Zosimo, lib. 4. Socrate, lib. 4. cap. 33. 34. 35. & 38. Sozomeno, lib. 6. cap. 37. Theodoreto, lib. 4. cap. 36. & 37. & aliis. Quæ Valentis in Catholicos persecutionem spectant, lege cap. 1. hujus Synopseos. Eo Imperante Mavia Saracenorum Regina ruptum antea cum Romano Imperio fœdus redintegravit, pacemque obtulit, eâ conditione ut suæ genti Moyses sanctissimus Monachus daretur Episcopus, qui eam in Christiana Fide institueret. Is Alexandriam perductus, numquam sibi a Lucio Ariano Episcopo manus imponi passus est; obtinuitque ut a Catholico Antistite consecraretur. Vide Socratem, lib. 4. cap. 36. Sozomenum, lib. 6. cap. 38. & Theodoretum, lib. 4. cap. 23.

Leges Valentiniani & Valentis Impp.

Leges sanctissimas initio Imperii sui Valentinianus & Valens tulerunt. Christianos liberalium artium professores, quibus Julianus docendi libertatem eripuerat, restituerunt. [L. 6. *De Med. & Profess.* Cod. Theodos.] Prohibuerunt ne ad custodiam templorum Christiani apponerentur. Scilicet cùm Christiani in templa falsorum numinum acceptas olim injurias vindicare satagerent; Gentiles, ad eam evitandam incursionem, custodiam Christianorum, templis adhiberi a Magistratibus ingenti persolutâ pecuniâ impetraverant. Virgines, Viduas, pupillosque a censu capitationis immunes fore sanxerunt. (L. 4. *De Censibus*. Cod. Theodos.) Vinctos die Paschatis relaxari decrevere, exceptis sacrilegii, Majestatis, maleficii, raptûs, adulterii, & homicidii reis. (L. 3. *De Indulg.* Cod. Theodos.) Edixerunt ne Christiani ab exactoribus die Dominico conveniri possent. [L. 10. *De Exact.* Cod. Theodos.] & ut invigilarent Episcopi ne mercatores cariùs suas merces venderent. (L. 1. C. *De Episcop. audientia*.) Sub istorum Principum Imperio, Themistius Philosophus, Ammianus Marcellinus, & Aurelius Victor, celebres apud Gentiles Historici, floruerunt.

ARTICULUS V.

De Gratiano, Valentiniano juniore, & Theodosio Magno.

Gratiani praeclara indoles.

I. GRatianus a Valentiniano Patre Augustus renuntiatus fuerat apud Ambianum in Gallis, anno 367. Valentinianus autem junior statim post patris obitum militaribus suffragiis ad eumdem honorem evectus est, annum agens decimum.

Gratianus præclarâ fuit ad omnem virtutem & honestatem indole, literis haud mediocriter institutus, parcus cibi, somnique, & vini ac libidinis victor; cunctisque fuisset plenus bonis, si ad cognoscendam Reipublicæ gerendæ scientiam animum intendisset, a quâ propè alienus, non modò voluntate, sed etiam exercitio fuit, teste Aurelio Victore. Barbarum militem Romano ac veteri anteferre solitus erat: quam ob rem odia contra se militum excitavit. Contra Gothos exercitum parans, fide se armavit, & a Sancto Ambrosio librum *De Fide*, quò suus ad Deum magis erigeretur animus, postulavit: cui sanctissi-

mus Antistes certissimam prędixit victoriam: Cùm verò solùm se pellendis profligandisque Gothis, qui Thraciam, aliasque Romani Imperii Provincias percursabant ac devastabant, parem non sentiret, Collegam Imperii assumpsit Theodosium, virum nobili genere in Hispaniis ortum: quem cùm Imperatorem Sirmii renuntiasset, anno 379. curam belli adversùs Barbaros gerendi cum illo partitus est.

Theodosius, victis profligatisque Barbaris, pacem restituit. Ac paulò post gens omnis Gothorum cum Rege suo Romanis se tradidit, Idatio teste: quibus Imperator agrum assignavit, ut constat ex Synesio in Oratione *De Regno*.

Maximus. Post hæc Maximus tyrannidem in Britanniis arripuit anno 382. sedeque Imperii Treveris constitutâ, per Andragathium Ducem, qui in lectica muliebri, quâ Gratiani uxorem vehi, per satellites suos divulgabat, insidias occultans, Gratianum ipsum desertum a suis apud Lugdunum interemit, anno 383. Imperii 16. ætatis 28. Ejus virtutes, atque in primis pietatem in Deum, mansuetudinem & castitatem, Sanctus Ambrosius commendat, *Oratione in obitu Valentiniani*. Multa de ejus virtutibus congessit Ausonius *In gratiarum actione pro suo Consulatu*. Schismaticos Ursicino adhærentes & contra Damasum adhuc tumultuantes, lege latâ compressit, ordinemque judiciorum Episcopalium in causa hujus Schismatis constituit, dato ad Aquilinum Vicarium Ordinariorum Rescripto. Idem varias leges adversùs Manichæos; Donatistas, Arianos aliasque hujusmodi pestes tulit, quibus ipsis prohibuit conventus agere.

Acta Martyrii S. Ursulæ & undecim millium Virginum, Apocrypha. II. Sub Gratiani Imperio, Sancta Ursula cum sociis in barbaras Hunnorum manus incidens, ad Rheni littora, pro Fidei & pudicitiæ custodia, gloriosam cum illis Martyrii palmam reportavit. Multa Sanctarum illarum Historiæ immixta sunt apocrypha: nec sincera videntur illarum Acta, sive quæ a Surio, ad diem 21. Octobris ex Auctore Anonymo descripta sunt; sive quæ ex Gaufrido Asaphensi in Commentario *De Rebus Britannicis*, qui MSS. extat in Vaticana Bibliotheca, referuntur a doctissimo Cardinali Baronio in Notis ad Martyrologium Romanum, & in Breviariis plerisque leguntur. Commentitius in primis est Cyriaci cujusdam Romani Pontificis illa in Historia congressus, ut & fictitius Pontifex, qui undecim mille Virgines, relicta sede, fuerit comitatus Martyrii, cujus palmam in illarum societate sibi conferendam revelatione divina prænoverat, desiderio. Nulla fabula pluribus ab Auctoribus ceu vera Historia refertur. Huic patrocinantur figmento Robertus Autissiodorensis in Chronico, Albericus, Martinus Polonus in suis etiam Chronic. Vincentius Bellovacensis in *Speculo Historiali*, lib.20. cap.40. Thomas Cantipratanus, lib. 21. *De Apibus*, cap.53. Jacobus Genuensis in Legenda Sanctorum, ad 21. Octob. Augustinus de Ancona, in Summa, Quæst.4. Art. 7. *De Renuntiatione Pontificatus*; Dominicus a Sancto Geminiano Jurisconsultus eximius, *in receptam VI. Decretalium Glossam*; Sanctus Antoninus Parte III. Tit. 33. cap.4. Joannes Turrecremata, in cap. *Quàm periculosum*, Petrus Equilensis Episcopus, lib.9. *De Sanctis*, cap. 88. Philippus Bergomensis in Supplemento Chronicorum, Joannes Nauclerus, volumine 11. Chronographiæ, Generatione 8. Joannes Thurrochius, in Chronicis Hungarorum, cap.57. Martyrologium Coloniæ ad 12. Calend. Novemb. Sylvester Prieras in Summa, verbo *Papa*; Romanum Breviarium anno 1500. editum, in Lection. 4 & 5. Festi 11. mille Virginum, Liber VI. Decretalium, juxta Lugdunensem editionem anni 1520. & 1553. in cap. *Renuntiat*. Bartholomæus Fumus in Armilla, verbo *Papa*, Nicolaus Olahus, in Historia Attilæ; Hermannus Crombah Societatis Jesu Presbyter Tom. I. *De Ursula vindicata* cap.31. Pontificem istum inter Pontianum & Antherum sedisse volunt: quos tamen immediatè sibi successisse, nullo memorato Cyriaco Eusebius, lib.6. Historiæ Ecclesiasticę, cap.22. Optatus Milevitanus, lib.2. *contra Parmenianum*, S. Augustinus *In Epistolâ ad Generosum*, Prosper in Chronico, aliique Auctores Ecclesiastici testantur.

Numerus etiam sociarum S. Ursulæ incertus est. Numerosum fuisse Virginum agmen, Wandalbertus Monasterii Prumiensis Diaconus, qui sub Imperio Lotharii Martyrologium scripsit, significat, sed Ursulam sacri agminis Ducem, aut quamvis aliam non nominat. Ita scribit ad diem 25. Octobris.

Tunc numerosa simul Rheni per littora fulgent
Christo virgineis erecta trophæa maniplis
Agrippinæ, urbi quarum furor impius olim
Millia mactavit, Ductricibus inclyta sanctis.

Plures agminis virginei Wandalbertus indicat Ductrices, non unam Ursulam.

Usuardi Martyrologium Caroli Magni Imperatoris & Galliarum Regis jussu conscriptum, quod Manuscriptum habetur in Bibliotheca celeberrimæ Abbatiæ Sancti Germani a Pratis, & vel Usuardi, qui hujus Cœnobii Monachus fuit, autographum est, vel eo vivente descriptum fuit, Sanctæ Ursulæ & 11. millium Virginum Martyrum ad diem 25. Octobris non meminit. Sed die 20. adscribit *Passionem Sanctarum Virginum Marthæ & Saulæ, cum aliis pluribus*; & quidem, *Coloniæ*, ubi Martyrologium Romanum, & alia recentiora, Sanctæ Ursulæ & sociarum passionem die 21. consignant: An fortè ex his verbis Usuardi, *& Saula*, *Ursaula*, ac deinde *Ursulæ* nomen interpolatum? Sed si ita est, cur Martha sacri agminis Ductrix altera omissa est? Si utraque celebretur, Wandalbertus consentiet Usuardo, cùm plures agminis virginei Ductrices prædicat:

Ductricibus Inclyta sanctis.

Ad hæc: Si Londini collectæ, & navigiis impositæ fuerint tot puellæ, ut in Aremoricorum regionem Britannicis militibus collocandæ mitterentur, novæ Coloniæ gratiâ, & posteritatis studio, Virgines omnes fuisse non est certum. Quidni enim inter eas juvenes Viduæ? Quidni & nonnullæ quarum illibata & impolluta non esset virginitas, quæ non uno modo amittitur, ut ait Sanctus Cyprianus ad Pomponium scribens? Si Parisiis tum ex hac Regia civitate, tum ex aliis Galliarum, puellæ honestæ, & non mali nominis colligerentur, ac in novam Galliam mitterentur nostratibus viris collocandæ; si infaustâ navigatione, in Turcarum manus inciderent, & ab iis ob constantiam Fidei, & pudicitiæ trucidarentur, quia nec Religionem Christianam ejurare nec Barbarorum consentire libidini vellent: o beatas & veræ Martyres! sed virgines, id est, nusquam & nullomodo antea fœdatas, quis certò asserere vellet?

Tandem, in navibus, quibus vehebantur, Duces esse oportuit, milites, ac nautas, & quidem non paucos, & Christianæ Religionis maximam partem professores, quos Hunnorum, aliorumve Barbarorum insultibus obstitisse, & pro defensione puellarum occubuisse verisimile est. Si vera est igitur, quæ vulgò recitatur Ursulæ & undecim mille Virginum Historia, sanctis illis puellis adjungendi sunt & viri Martyrii socii, & triumphi consortes, adeoque eâdem festivitate celebrandi: de quibus tamen altum est apud vulgatę Historiæ scriptores silentium.

Sorbona in Historia Sanctæ Ursulæ sobrietas. Sorbona Christianæ Sapientiæ Palladium, Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis nobilissima

por-

portio, Fidei, Moralisque purioris propugnatrix & vindex, perenne Concilium, a quo in quęstionibus difficillimis undequaque responsa quæruntur, & funduntur oracula, Sanctam Ursulam & socias ut patronas veneratur: Sed Sapientissimi Patres ac Magistri, in sacro, quod in illarum festivitate persolvunt, Officio de ipsarum Historia sobriè satis loquuntur, de qua unam dumtaxat Lectionem recitant, & beatarum Ursulæ Sociarum silent numerum, ac alia, quæ ab aliis vulgo decantantur fabulosa. Sed & Martyrologium Romanum emendatum, & Breviarium Romanum Sanctas *Ursulam* & socias ejus celebrant; earum numerum prudenter omittunt. Denique falsum est quod narrat *Gaufridus* Episcopus Asaphensis in Commentariis de Rebus Britannicis, *Maximum* Tyrannum Aremoricorum regionem, ejectis antiquis habitatoribus, Britannicis militibus divisisse, atque *Conanum* Britannicum Regulum illis præfecisse. Id, inquam, falsitatis convincit *Usserius*, libro *De Britannicarum Ecclesiarum primordiis*, probatque Britannorum coloniam in Aremoricam nonnisi post Saxonom adventum in Britanniam Majorem introductam esse. Testem profert antiquum Scriptorem Vitæ Sancti *Uuinguloë*, patriâ Aremoricum, qui *Fracanum* Consobrinum *Catonii* Regis Britannici cum filio suo e Majore Britannia in Aremoricam transmigrasse ostendens, de tempore Britannicæ Coloniæ eò deductæ ista præmittit: *Britannorum soboles ratibus ad istam devecta est citra Mare Britannicum terram, tempore quo gens barbara dudum aspera in armis, moribus indiscreta, Saxonum maternum possedit cespitem. Tunc se chara soboles in istum conclusit sinum quo loco magnis laboribus fessa consedit, sine bello quieta.* Idem testatur *Eginhardus* in Annalibus ad annum 786. scribens: *Cùm ab Anglis & Saxonibus Britannia Insula fuisset invasa, magna pars incolarum ejus mare trajiciens, in ultimis Galliæ finibus Venetorum & Coriosopitanorum regiones occupavit.* His adde Fragmentum Historiæ Francorum a *Petro Pithæo* editum. *Juxta Normannos*, inquit, *habitationem habent Britanni, qui pulsi a Britannica Insula dudum a Saxonibus, eandem regionem, quam modò incolunt, sibi vindicantes, appellaverunt a sua gente Britanniam, quæ pridè Cornu-Gallia dicebatur.* Mitto *Gobelinum*, *Krantzium*, aliosque recentiores Historicos quibus illud maximè favet, quod ante tempora *Childerici I.* Francorum Regis, Britannorum Galliam incolentium nulla certa occurrat apud Auctores memoria; nec probari possit Britones Dionysii Periegetæ, Juvenalis, Martialis, & Ausonii, de minoris hujos potius quàm de majoris Britanniæ Incolis intelligi debere. *Childerico* verò in Galliis regnante Aremoricam a Britannis occupatam, & Letaviam dictam fuisse legimus in ejus Vita a Joanne Bosco edita: *Et Britannos de Biturica a Gothis expulsos fuisse, multis apud Dolensem vicum peremptis*, testis est Gregorius Turonensis, libro 2. Historię, cap. 18. Et Concilio Turonensi 1. anno 461. interfuit & subscripsit *Mansuetus Britannorum Episcopus.* Et Sidonius Apollinaris, libro 1. Epistolâ 7. *Britannos super Ligerim sitos* commemorat, quorum describit Epistola 19. libri tertii. Post annum igitur Christi quadringentesimum quadragesimum-septimum, quo Saxones in Britanniam appulerunt, Aremorica minor Britannia appellata est. Id igitur sub *Gratiani* Imperio sive sub *Maximi* Tyrannide non contigit.

Valentinianus. II. Post Gratiani necem; MAXIMUS tribus a VALENTINIANO, qui rerum necessitate compulsus ipsum Imperii collegam admiserat, acceptis legationibus, quarum duas Ambrosius Mediolanensis Episcopus obivit, deterreri non potuit, ne in Italiam irrumperet, totumque Occidentis usurpare conaretur Imperium. Cum numeroso itaque exercitu superavit Alpes anno Christi 338. Succurrit confestim Valentiniano Theodosius, & Maximum Scisciæ cum exercitu considentem profligavit, qui Aquilejam se recepit cum reliquis copiis. Theodosius expugnatâ urbe Maximum a propriis militibus vinctum in potestatem accepit quem ab ejus oculis confestim raptum Romani milites necaverunt, ne vitam ipsi clementissimus Imperator concederet.

Maximus Catholicæ Religionis propugnator. Andragatius Gratiani proditor & parricida, quem Classi præfecerat Maximus, auditâ ejus nece, in mare se præcipitem dedit. Dignum in Maximo laude fuit pro Fide Catholica studium, cujus testis extat data ab ipso ad Siricium Romanum Pontificem Epistola. Laudabile item, quòd indignè tulerit persecutionem a Justina Valentiniani matre, Imperatrice Ariana, & a Valentiniano ipso in Sanctum Ambrosium & Catholicos commotam, ob constantiam sanctissimi Præsulis in neganda Basilica, quam pro Arianis Hæretica Regina postulabat. Hâc de re ad Valentinianum literas dedit Maximus, eique bellum minatus est, ni ab Ambrosii, & Catholicorum vexatione cessaret.

Theodosius Magnus. III. Profligato occisoque Maximo THEODOSIUS Occidentis Imperium Valentiniano restituit, & cum Ambrosio, Catholicaque reconciliavit Ecclesia; cui deinceps utrique, spreta matre, Arianaque perfidiâ, totus fuit addictus. Triumphum Romæ uterque egit Imperator. Ibi Theodosius clementiæ singulare specimen dedit adversùs Symmachum virum Consularem, eloquentiæ famâ clarissimum; qui in crimen Majestatis vocatus, quòd Panegyricam Orationem Maximo adhuc superstiti dixisset, extremum supplicium metuens, ad Ecclesiam confugerat. Huic veniam concessit Theodosius. Ille verò Apologeticum librum in laudem optimi ac beneficentissimi Principis conscripsit, Lege Socratem, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 14. Romæ aliquantulum commoratus Theodosius, plurima civibus contulit commoda. Mancipum seu pistorum publicorum ædes, furum receptacula destrui jussit, mancipesque, qui positis in illis ædibus insidiis convenientes illuc, vel cibi potûsque sumendi, vel explendæ libidinis causâ peregrinos, in pistrinum subtus extans, artificio cujusdam machinæ, dimittebant, & opus facere cogebant, supplicio affecit. Sistra etiam destruxit, seu angusta quædam lupanaria, in quibus adulterii convictæ mulieres, inclusæ, impudenter scortari cogebantur, sonantibus, dum obscœnum opus peragerent, crepitaculis. Inverecundam consuetudinem sustulit Theodosius, & mulieres adulteras aliis legibus coercuit. (Ex Socrate lib. 5. cap. 18.) Gentilitiæ superstitioni fuit infensissimus, frangi simulacra, templa everti, vel expurgari jussit, & Symmachum, quòd pro restituenda in Capitolio ara Victoriæ supplicasset, mulctavit exilio. Urbe expulit Manichæos, eorum testamenta rescidit, & facultates publicavit, ut constat ex L. 18. *De Hæreticis*, Cod. Theodos. Edixit quoque ut Idolorum templa Alexandriæ diruerentur, quod Theophili Alexandrini Episcopi curâ factum est. Ob id commissa inter Gentiles Christianosque pugna, magna utrinque cædes. Præfectus Alexandriæ, & Dux militum Ægypti, Theophilo in destruendis templis suppetias tulere. Statuæ in lebetes & in alios Alexandrinæ Ecclesiæ usus sunt conflatæ, cùm Imperator Deos Gentilium ad sustentandos pauperes ei donavisset. Unam statuam servavit Theophilus prudenti consilio: ne scilicet Gentiles quandoque inficiarentur huiusmodi se Deos coluisse, utque eorum religionem ludibrio exponeret. Porro dum Sera-

pidis templom destrueretur, inventæ sunt in eo literæ hieroglyphicæ lapidibus incisæ, crucis formam referentes, quæ *venturam Vitam* significabant; ut docuerunt Gentilium quidam harum literarum periti, & ad Christi Fidem conversi. Cùm verò aliis etiam literis indicatum esset finem tunc habiturum Serapidis templum, cùm nota crucis apparuisset: id enim designare *venturam vitam;* multò plures ad Christianam Religionem se contulerunt, & peccata sua confitentes, Baptismum susceperunt. Lege Socratem, lib.5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.16. & 17.

Cædes Thessalonicensis.

III. Anno Christi 390. cùm magna Thessalonicæ seditio orta esset, ac Bothericum Illyricianorum militum Præfectum occidisset populus, Theodosius plurimorum cæde civium, etiam innocentium, id facinus ultus est. Ob id Mediolanum venientem Sanctus Ambrosius non excommunicavit quidem, sed Pœnitentiæ addixit, & Ecclesiæ aditu prohibuit, donec illam peregisset: quod non solùm patienter tulit religiosus Imperator, sed ex Sancti Pontificis præscripto satisfaciens, lege sanxit, ut latæ in reos sententiæ executio in dies 30. differretur. Hanc Historiam ad secundum Theodosii in Italiam adventum, cùm Eugenii tyrannidem extinxit, refert Sozomenus, sed Baronius certissimis argumentis demonstrat, eam contigisse post devictum a Theodosio Maximum, Consulatu Valentiniani IV. & Neoterii, anno Christi 390.

S. Ambrosius non excommunicavit Theodosium Imper.

Sanctum verò Ambrosium non excommunicasse Theodosium, sed publicæ dumtaxat Pœnitentiæ addixisse, colligitur ex Theodoreto, qui factum illud prolixè & accuratè refert, lib.5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.18. ex Paulino *In Ambrosii Vita*, ex Ruffino, lib.2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.18. ex Sozomeno, lib.7. cap.25. ex Sancto Augustino, lib.5. *De Civitate Dei*, cap.26. & Hom.49. inter quinquaginta, cap.3. ex ipso denique Sancto Ambrosio *In Oratione de obitu Theodosii*. Et certè sibi non constitisset Sanctus Ambrosius, si Theodosium suis monitis omnibus obtemperantem excommunicasset, qui tardiùs ferendam excommunicationem, & in contumaces tantùm, abscindendaque cum dolore Ecclesiæ membra, quæ sanari non possunt, docet lib.2. *De officiis*, cap.27. Non negaverim tamen certo quodam modo excommunicatum fuisse ab Ambrosio Theodosium, quia ab Ecclesiæ ingressu & communione Sacramentorum prohibitus est, usque dum publicam egisset Pœnitentiam; quod pœnitentibus universis commune erat. Et hoc sensu intelligendi sunt Sozomenus, & Facundus Hermianensis, lib.12. pro defensione Trium Capitulorum, cap.5. cùm dicunt a communione Ecclesiæ remotum ab Ambrosio Theodosium, Sed solùm negamus Ambrosium precum communione, & cœtu Fidelium Theodosium privasse, Porrò in hac Historia quid ampliùs miremur? An Episcopalem & verè Apostolicam Sancti Ambrosii libertatem? An pietatem, humilitatem & obedientiam Theodosii? Qui etiam a Sancto Pontifice admonitus, ne intra cancellos altaris subsisteret oblatione factâ, humillimè paruit: & Constantinopolim reversus, rogante licèt Nectario, intus propè altare manere noluit; vix tandem edoctum se dicens, *Quid esset discriminis inter Sacerdotem ac Principem; veritatis Magistrum vix tandem invenisse. Unum enim Ambrosium nosse, qui Episcopus dici mereretur*, (Ex Theodoreto, loco laudato.)

Seditio Antiochia excitata.

Ante cædis Thessalonicensis tempus in apparatu belli contra Maximum, ut Zozimus refert, anno Christi circiter 388. Antiochiæ seditio quædam orta erat, in qua Flaccillæ Imperatricis statuas dejecerant Antiocheni. Gravibus pœnis eam injuriam ulcisci parabat Theodosius, sed intercedente Flaviano Patriarcha Antiocheno, civibus pepercit. Lege Sanctum Chrysostomum, Homilia 20. *Ad populum Antiochenum*, Theodoretum, lib.5. Historię Ecclesiasticę cap.20. & Sozomenum, lib.7. cap.23. sed uterque Scriptor fallitur, conferendo hanc seditionem in illud tempus quo Theodosius expeditionem paravit adversùs Eugenium Tyrannum. Utriusque Scriptoris errorem observavit Baronius, & hanc seditionem anno Christi 388. contigisse docuit, partim ex Zosimo, partim ex Sancti Ambrosii Epistolâ ad Theodosium. Idem etiam ex Libanio colligitur, qui in *Oratione ad Ellebicum* (hic autem missus fuit Judex ad vindicandum facinus Antiochenorum) hanc causam fuisse dicit seditionis, quòd Imperator, cùm pecuniis opus haberet, quas militibus suis donaret in Decennalibus Imperii sui, & Arcadii filii Quinquennalibus, magnam auri vim indixerat Curiæ Antiochensium. Porrò Decennalia Theodosii contigerant anno Christi 388. Theodosio ipso iterum & Cynegio Coss.

Anno ipso 390. accidit Constantinopoli scelus illud Diaconi, qui cum nobili se matrona commiscuit: cujus occasione Pœnitentiarius Presbyter amotus est. Quo de facto egimus in Dissertatione, *De Confessione Sacramentali, & de ejus usu primis Ecclesiæ sæculis*. Hanc mulierem Diaconissam fuisse colligitur ex Sozomeno, scribente Theodosium Imperatorem hanc ob causam lege lata prohibuisse, ne mulieres, nisi liberos haberent, & annum sexagesimum attigissent, ad divinum ministerium, scilicet ad Diaconissarum Ordinem promoverentur. Qua lege etiam cavit ne Viduæ, quovis titulo, vel Ecclesiæ, vel ejus Ministris, bona relinquerent. Cui legi verisimile est occasionem dedisse junioris Viduæ insaniam, quæ bona sua exhauserat, ditando Diaconum, quem impudicè amaverat. (L.27. *De Episcopis*, Cod. Theodos.) quam legem, Auctore Sancto Ambrosio, abrogavit religiosissimus Imperator, quoad illud caput, quo adversabatur Ecclesiasticæ libertati, & impediebat ne Ecclesiæ, vel pauperibus, aliquid a Matronis testamento donaretur.

Theodosii Magni Leges.

Leges quoque tulit severissimas idem Princeps adversùs apostatas a religione Christiana, edicens ut a testimoniis ferendis velut infames arcerentur, testamenti condendi non haberent facultatem, a nemine scriberentur hæredes, splendore dignitatis vel ingenito, vel collato privarentur. (L.1. & 5. *De Apostatis*, Cod. Theodos.) Hæreticos urbibus pelli jussit, prohibuitque conventus agere, non Eunomianos tantùm, ut scribit Socrates, lib.5. cap.20. sed omnes prorsus omnium sectarum, ut constat ex L.20. *De Hæreticis*, Cod. Theodos. Lege etiam coercuit nefarium scelus, illiusque reos flammis ultricibus absumi jussit (L.6. *Ad Legem Jul. de Adulteriis.*) Consobrinorum conjugia prohibuit, ex Sancto Ambrosio Epistolâ 48. *Ad Paternum*, & ex Sancto Augustino, lib.15. *De Civitate Dei*, cap.16. Legem illam laudantibus: cujus etiam meminit Aurelius Victor. Pœnam ignis, atque proscriptionis bonorum adversùs legis istius transgressores a piissimo Principe fuisse statutam, constat ex Lege Arcadii & Honorii, qua pœnam illam remiserunt. Vide L. *Celebrandis*, item, L. *Si Nuptiæ*, & L. *Manente*, Tit.12. *De Incestis nuptiis*. At ineundi inter consobrinos matrimonii Principes licentiam concessisse, de Theodosii lege dispensantes, constat ex Formula dispensationis a Theodorico concessæ, apud Cassiodorum, lib.7. *Variarum*, cap.46. Ne tamen inde colligas esse e jure Principum impedimenta dirimentia matrimonio apponere ut Sacramentum est, sed solùm ut civilis contractus est, reddendo per-

sonas

sonas quasdam inhabiles ad contrahendum. Ecclesia verò Principum leges accipiens & suas facieos; sicut illam Theodosii legem approbando suam fecit; impedimenta etiam illa extendit ad matrimonium, ut Sacramentum.

Capitis S. Joannis Baptistæ Translatio.

Anno 391. Caput S. Joannis Baptistæ, quod sub Valente inventum fuerat: & in vico Cosilai prope Calchedonem depositum, a Theodosio Constantinopolim translatum est, & in amplissima Basilica, in suburbano quod Septimum dicitur, collocatum. Qua de translatione lege Sozomenum, lib. 7. cap. 21. Aliam inventionem sacri capitis Præcursoris, imperante Marciano, Vincomalo & Opilione Coss. in Emesa urbe factam referunt Marcellus quidam Archimandrita, cujus Relationem ex Græco in Latinum sermonem transtulit Dionysius Exiguus; Chronicon Alexandrinum, & Marcellinus Comes *in Chronico*. De multiplici inventione capitis sancti Præcursoris, ejusdemque translatione, lege doctissimum Cardinalem Baronium in *Notis ad Martyrologium Romanum*, & Tom. 4. Annalium ad annum 391. ubi caput Joannis, quod Alexandriâ in Gallias translatum dicitur, non esse Sancti Joannis Baptistæ putat, sed Joannis Edesseni Martyris, collegæ Sancti Cyri, etiam Martyris, quô eum Trium Puerorum memoriam Alexandriæ erexit; ut constat ex eorum Actis apud Metaphrastem die 31. Januar. Lege & eruditi viri Caroli *Du Fresne* Domini *Du Cange* Tractatum *De Capite S. Joannis Baptistæ*, Gallico idiomate conscriptum. Eodem anno Eugenius, qui ex Grammatico, scriniorum imperialium evaserat Magister, Argobastis Comitis fretus potentiâ, tyrannidem usurpavit. Anno verò sequente, Valentinianus ab eodem Argobaste, Viennæ in Galliis, strangulatus est. Erat tum Catechumenus, & Baptismum a Sancto Ambrosio flagitaverat, quem singulari observantia coluit. Lege Socratem, lib. 5. cap. 25. & Sozomenum, lib. 7. cap. 22. De laudibus Valentiniani lege & Sancti Ambrosii Orationem in ejus funere habitam.

Mors Valentiniani.

Theodosii de Eugenio Tyranno Victoria.

Anno 394. Theodosius Joannis Monachi in Thebaide sanctissimi vaticiniis ad spem victoriæ certissimam erectus, non tam humanâ vi, quàm Deo pro ipso pugnante, Sanctis Joanne Evangelista, & Philippo Apostolo sub aspectabili forma auxilium ferentibus, ad Fluvium Frigidum, non longè ab Aquileia commisso certamine, Eugenium victum captumque sustulit. Argobastes verò tertio post prælium die, suo se gladio transfixit. Lege Socratem & Sozomenum locis laudatis, & Theodoret. lib. 5. cap. 24. Hæc victoria Theodosio postrema contigit. Quippe anno 395. obiit Mediolani, die 17. Januarii, ætatis anno 50. Imperii 18. Ex Flaccilla conjuge insignis pietatis & sanctimoniæ fœmina, cujus virtutes commendat Theodoretus, lib. 5. cap. 19. duos filios suscepit, Arcadium & Honorium, in quibus instituendis, propensior ejus cura fuit. Arcadio Arsenium Diaconum, virum piissimum & doctissimum a Damaso missum, Præceptorem dedit: coram quo sedentem Principem eùm aliquando invenisset, stare sine Imperii insignibus coegit. Theodosium pro concione laudavit Sanctus Ambrosius. Pro eodem Apologeticum scripsit Paulinus, a Sancto Hieronymo ob illud ingenii sui monumentum laudatus Epistolâ 13. Hac Apologia Ethnicorum, ac Zosimi præcipuè calumnias adversùs religiosissimum Principem diluebat. Sed & Themistius, Symmachus, & Aurelius Victor, qui Theodosium ob civiles bellicasque virtutes summis laudibus exornarunt, mendacii & calumniæ reum peragunt Zosimum. Sic de illo scribit Aurelius Victor, ubi cum Trajano illum comparavit. *Clemens animus, misericors, communis, solo habitu differre se cæteris putans, in omnes homines honorificus; verùm effusus in bonos: simplicia ingenia æquè diligere, erudita mirari, sed innoxia: largiri magno animo magna; amare cives vel privato contubernio cognitos .... Illa tamen quibus Trajanus aspersus est, vinolentiam & cupidinem triumphandi usque eò detestatus est, ut bella non moverit, sed invenerit: prohibueritque lege ministeria lasciva, psaltriasque comessationibus adhiberi: tantùm pudori tribuens & continentiæ, ut consobrinarum nuptias vetuerit tanquam sororum. Literis, si multùm perfectos contemplemur, mediocriter doctus: Sagax planè multùmque diligens ad cognoscenda majorum gesta: e quibus non desinebat exsecrari, quorum gesta superba, crudelia, libertati infesta legerat, ut Cinnam, Marium, Sullamque, atque universos dominantium, præcipuè tamen perfidos & ingratos. Irasci sanè rebus indignis, sed flecti citò: unde modicâ dilatione emolliebantur aliquando severa præcepta. Habuitque a natura munere, quod Augustus a Philosophiæ Doctore didicerat: qui cùm vidisset eum facilè commoveri, ne asperum aliquid statueret, monuit, ut ubi irasci cæpisset, XXIV. Græcas literas memoriâ recenseret: ut illa concitatio quæ momenti est mente aliò traductâ, parvi temporis interjectu languesceret. Melior haud dubiè, quod est rara virtutis post auctam annis potentiam regalem, multòque maximè post civilem victoriam. Nam & annonæ curam sollicitiùs attendere, & auri argentique grande pondus sublati, atque expensi a Tyranno, multis e suo restituere, cùm benigni Principum, & quidem vix, fundos solerent nudos, ac deformata prædia concedere.*

Theodosii obitus.

Liberi.

Theodosii elogium.

Sub Theodosii Imperio floruerunt sanctissima Monica Sancti Augustini mater, quæ anno trecentesimo octogesimo-septimo, quo filius ejus Augustinus baptizatus fuerat, annumque trigesimum-tertium ætatis agebat, ad Ostia Tiberina excessit e vita, anno ætatis 56. & Paula Romanarum Nobilissima, quæ contemptis opibus, ut Christo se totam dicaret, migravit Bethleem anno circiter 384.

ARTICULUS VI.

De Arcadio & Honorio.

Theodosius filios Imperii reliquit hæredes. Arcadio concessit Orientem; Honorio Occidentem attribuit. Arcadius Eudoxiam statim post Patris obitum duxit, conciliante has nuptias Eutropio Eunucho: ne Ruffini filiam sibi uxorem adsciseeret. Summos in Oriente consecutus fuerat honores Ruffinus ille, vir alioqui humili genere natus Elusæ in Aquitania; cujus tutelæ Theodosius Constantinopoli recedens, pugnaturus contra Eugenium, Arcadium filium, & Imperium Orientale commiserat. Sed cùm Stiliconi Magistro Militiæ utriusque Imperii, probatæ Fidei viro, quem & arctiùs vinculo nuptiarum obstrinxerat, junctâ illi conjugio Serena fratris filia, Theodosius moriens Imperium filiosque commendasset; Ruffinus hunc sibi prælatum indignatus, & invidiâ tabescens, ut Orientis aditu Stiliconem averteret, sibique pararet viam ad Imperium, Barbaros in Romanum Imperium immisit, Alaricum Gotthorum Regem in Europam, Hunnos in Syriam, pacto eum ipsis fœdere advocans. Tum ipso suadente Arcadius Orientalis Imperii revocavit exercitum, cui præerat Gainas Dux Gotthici generis: cujus operâ Ruffinus a militibus obtruncatus est, ex Stiliconis, & Eutropii Eunuchi sacri Cubiculi Magistri consilio. Discerptum est a mi-

militibus ejus corpus, caput pilo impositum, manus in ludibrium avaritiæ ostiatim circumgesta, quasi stipem mendicaret. Ejus uxori & filiæ Hierosolymorum urbs pro loco exilii concessa. Lege Zosimum, lib. 4. Orosium, lib. 7. cap. 38. Claudianum Poëtam, lib. 6. in Ruffinum, & Socratem, lib. 6. cap. 1. Hæc anno 395. contigere.

Bellum Gildoniacum. Anno 398. Honorius Imperator annum agens ætatis 14. Mariam Stiliconis filiam uxorem duxit. Interim Gildo Comes ethnicus, utriusque Militiæ in Africa Magister, vir in omnem effusus libidinem, assumptâ tyrannide, Africanam Ecclesiam, Imperiumque infestavit. Qui cùm frumentum ex Africa Romam advehi prohiberet, bellum ex Senatusconsulto adversùs ipsum decretum est. Præfectus est Romanis legionibus Mascezel ipsius Gildonis frater, sed hostis infensissimus ob necatos ab eo crudeliter filios. Gildonis exercitum septuaginta mille hominibus terribilem, perexiguâ manu, scilicet cum quinquies mille militibus, fudit Mascezel divinâ ope: cui pugnæ locum, diemque, per somnium visus Sanctus Ambrosius, paulò ante vitâ functus indicaverat. Gildo fugam molitus, contrariisque ventis revocatus in Africam, seipsum laqueo interemit. Extincto Gildone, bona ipsius, quæ quidem erant amplissima, Fisco sunt adjudicata, eisque administrandis novus institutus est Magistratus, dictus *Comes Gildoniaci Patrimonii*. Huic Tyranno filia fuit Christianâ Religione & eximiâ pietate insignis, Salvina nomine, Nebridii Imperatorum consobrini conjux: ad quam Sanctus Hieronymus Epistolam scripsit *De Viduitate servanda*, ad quam fortasse ejusdem augumenti Epistolam dedit S. Joannes Chrysostomus, quæ inscribitur, *Ad Viduam juniorem*. Hanc enim Chrysostomi studiosissimam fuisse, constat ex Palladio. Interim Mascezel rerum secundarum elatus insolentiâ, cùm Ecclesiæ immunitatem violare ausus esset, iisdem insultantibus, quos a sacris azylis abstraxerat, occisus est, Orosio teste. Ipsum Stiliconis invidiâ jussum a militibus de ponte in fluvium præcipitari, Zosimus, lib. 5. refert. Lege Claudianum in Poëmate *De Bello Gildoniaco*: Orosium lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 36. & Historiæ Miscellæ Auctorem lib. 13.

Manlio Theodoro, & Eutropio Eunucho Coss. anno Christi 399. Gainas Gotthici Dux exercitûs, provectum ad tantam dignitatem Eutropium sibi
Eutropii Consulis Casus. infensissimum ægrè ferens, contra Arcadium cum Tribigildo Tribuno Militum in Phrygia, sibi affini conspiravit; ita temperatis artibus, ut Tribigildus apertè deficeret; ipse verò Gainas dux in eum belli dêlectus, rem ex utriusque opportunitate gereret. Eò necessitatis adductus est Arcadius, ut Eutropium omnibus spoliatum ornamentis Gainæ dederet. Confugit miser ad Ecclesiam, contra cujus immunitatem anno præcedente legem ab Arcadio impetraverat. Ea occasiono S. Joannes Chrysostomus Orationem habuit, populumque in Eutropium exasperatum adhortatus est, ut pro ejus vita supplex ad Imperatorem accederet. Obtinuit tandem sanctissimus Antistes ut Eutropii capiti parceretur, commutatâ in exilium pœnâ mortis. Paulò post tamen, urgente Gaina, ex insula Cypro, ubi exul agebat, revocatus interemptus est, ejusque de fastis ac monumentis publicis abrasa est memoria. Lege duplicem librum Poëmatis a Claudiano con-
Honorii Leges. scripti *In Eutropium*. Interim Idololatriæ reliquias Romæ sustulit Religiosissimus Princeps Honorius. Collectas etiam a Judæis fieri solitas lege latâ prohibuit. [L. 14. *De Judæis*, C. Theodos.] Manichæos legibus insecutus est, (L. *De Hæreticis*, C. Theodos.) Ecclesiæ immunitatem & privilegia firmavit (L. 34. *De Episcopis & Clericis*.)

Eutropii nece nequaquam mitigatus Gainas, tumultuari, & apertè Rempublicam oppugnare non destitit, fracta pace, quam in Ecclesia Sanctæ Euphemiæ Martyris juramento firmaverat. Cujus comperta fraude, sævisque de Constantinopoli diripienda consiliis, quæ Angelorum aspectabili multitudine servata est, Arcadius eum Imperii hostem renuntiavit, & Fraviti potissimùm Gothi Ducis auxilio eum devicit. Tandem in Thracia profugus, a Romanorum copiis anno quadringentesimo interemptus est. Lege Socratem, lib. 6. cap. 6.

Ineunte Arcadii & Honorii Principatu, Fritigilem Marcomannorum Reginam Sancti Ambrosii fama ad Fidei Christianæ desiderium accendit, quam a Sancto Antistite per Epistolam edocta, professa est, & Regi conjugi suo suasit ut se Romanis dederet, pacemque cum ipsis servaret; teste Paulino in Vita Sancti Ambrosii.

SCHOLION I.

Ad hujus capitis Articulum primum, pag. 710. & 711. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant; *Imperator Episcoporum sententias in Conciliis promulgatas auctoritate sua confirmavit*.

R. Qui sententias Episcoporum executioni mandari jussit, nec rescindi aut convelli passus est, nonne illas auctoritate suâ confirmavit? Quid enim est, confirmare, nisi tribuere firmitatem? Ecclesiam ac Episcopos auctoritate sua juvit piissimus Imperator, *Adeo ut Provinciarum Rectoribus non liceret Episcoporum Decreta rescindere. Cuivis enim judici praferendos esse Dei Sacerdotes ajebat*. Verba mea sunt. Vim autem vocis, *confirmavit*, non intelligit, qui putat inde consequens esse ut Ecclesiastica Jurisdictio ab Imperatore pendeat, ejusque auctoritati subjecta sit. Non ita se res habet. Non ea vocis hujus hoc in loco ac similibus significatio est. Imperatores & Reges ab Ecclesiasticis Scriptoribus dicuntur Synodorum Decreta & Episcoporum Sententias confirmasse, quòd earum executionem imperaverint & promoverint auctoritate suâ Ecclesiæ bono serviente. Sic *Eusebius*, lib. 3. *De Vita Constantini* cap. 23. *Sententiam quoque quam aliter dixerat, per Epistolam significavit, confirmans & sanciens ea qua a Synodo decreta fuerunt; eosque adhortans ut concordia studerent, nec Ecclesia corpus, distrahere ac discerpere vellent*. Sic Oecumenici Concilii secundi Patres ejus confirmationem a Theodosio Magno postularunt, ut constat ex Epistolâ Synodicâ *Rogamus*, inquiunt, *tuam Clementiam, ut per literas quoque tua pietatis confirmetur Concilii Decretum; ut sicuti literis quibus nos convocasti, Ecclesiam honore prosecutus es, ita etiam finem eorum qua decreta sunt obsignes*. Sic Ephesinæ Synodi Sententiam in Nestorium & Nestorianos confirmavit Theodosius Junior, cùm Nestorium ab Ecclesia expelli, in exilium deportari, Episcopum Constantinopoli in ejus locum substitui & ordinari, ejus libros comburi, ejus denique Sectatores infami Simonianorum nomine appellari; si Episcopi essent, vel Clerici, ex Ecclesiis ejici; si Laici, anathematizari, Legibus latis edixit. Qua de re & ipsi gratulatus est *Celestinus 1.* Pontifex Maximus, & obsecravit ut fidem ac Religionem tueri pergeret, ipsum cum Elia comparans. *Pax tibi, inquit, cum illo gloria. Ille falsa prophetantibus restitit, tu falsa docentibus: Ille mentientes in Deum Prophetas persecutus est, tu de Christo Deo nostro prædicantes impia abigis Sacerdotes: Ille tantùm vindicta intentus est: Vestra Pietas sic impia vindicat, ut qua sunt Religiosa defendat. Nec enim*

suffi-

sufficeret ubrgisse morbos, & pestilentium repulisse, nisi & salubres uuras redderes, & vitalem infectis substantium ministrares, talem illi Ecclesiu constituendo Pontificem, qui olim hoc se dignum fastigio omnibus, quibus notus est, approbusset .... Vallate muris vestra Fidei Religionis Catholica veritatem, per quos & credentes muniti sint, & tanti sequaces erroris non audeant introire .... Quem igitur universorum ejecit sententiu Sacerdotum in predicutions sacrilegu perdurantem, eum Vestru Clementia ab omni Sacerdote removeat, ut facultatem aliquos perdendi non habeat. Hujusmodi confirmationem a Theodosio postulaverat Ephesina Synodus: *Jubeatis,* inquit, *ut ea quu constituta sunt ab Oecumenicu & sancta Synodo ad pietatis confirmationem contru Nestorium & ejus impium dogma, suum robur obtineant, assensu vestru Pietatis stabilitu.* Hunc in modum Chalcedonense Concilium confirmavit Marcianus Augustus, ut probat ejus Edictum in Synodi Calchedonensis Actis p. 3. cap. 4. editum: *Sacro,* inquit, *nostru Serenitatis Edicto venerandam Synodum confirmuntes.* Ita Sextam Synodum Oecumenicam confirmavit Constantinus Pogonatus, cui Sancta Synodus acclamavit: *Ortobodoxum Fidem tu confirmasti.* Et in Sermone Prosphonetico: *Benignissime Domine & amator justitiu, bis quæ u nobis definitu sunt signaculum tribue, vestrum in scripto Imperialem Rutibabitationem, & per Edictu divaliu utque per pias constitutiones ex more norum omnium firmitatem, quatenus nullus bis quu gesta sunt contradicat, novumve quastionem machinetur.* Ipse Imperator in Edicto: *His omnibus itu a Suncto hoc & universali sexto Concilio constitutis, & per subsceiptionem nostra Foetitudinis confirmatis, sancimus ut nullus quoque omnino uliud quidquam de Fide sutagat, vel uovi dogmutis udinventionem machinetur, aut penitus de unu voluntute & unu operatione docendi indicium vel sermonem commoveut.* Sic *Constantinus & Irene* ejus Mater Catholicom Dogma de Sacrarum imaginum cultu in Septima Synodo assertum confirmaront, ut Patres ejusdem Synodi testantur in Literis ad eorum Majestatem datis. *Cùm eorum,* inquiunt, *quorum in omnem terram exivit sonus, effetis discipuli, totiusque Christiana plebis ad pietatem ductores, veritatis stylo descripsistis sermonem, & Orthodoxiu ac pietutis depinxistis churucterem; & veluti luminaria præfulgida fidelibus illuxistis, & manum periclituntibus Ecclesiis porrexistis, Sacru Dogmuta confirmuntes.*

SCHOLION II.

Ad Capitis ejusdem Articulum 5. & pag. 726. Editionis primæ, hanc notam apponunt Religiosi Censores: *Historium Sanctu Ursulu magna ex parte fabulosam dicit.*

R. Dixi, & firmis argumentis probavi. Mera Historiæ & facti quæstio est.

SCHOLION III.

Ad eumdem Articulum, & pag. 730. hæc habet Censorius Indiculus: *Sorbonam præferre videtur Magisterio Ecclesia.*

R. Absit. Sorbonicæ Domûs & Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctores universi *Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum,* adeoque suam *Matrem & Magistrum* agnoscunt: & *Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, & Successorem Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesia Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere;* Seque ejus Filios & Discipulos humiliter profitentur. Hæc nostra Sententia: hic erga Se-

Concil. Florent.

dem Apostolicam & in ea sedentem Summum Pontificem devotæ mentis affectus.

SCHOLION IV.

Ad eumdem Articulum, & pag. 733. Editionis primæ, hanc notam apponunt Religiosi Censores: *Docet Theodosium non fuisse excommunicatum a S. Ambrosio.*

R. Id revera doceo, & firmis testimoniis probo. Mera facti & Historiæ Quæstio est. Cæterùm cur hæc verba mea Religiosi Censores dissimularunt? *Non negaverim tamen certo quodam modo excommunicutum fuisse ub Ambrosio Theodosium, quia ab Ecclesiu ingressu & communione Sacrumentorum probibitus est, usque dum publicam egisset Pœnitentiam; quod Pœnitentibus universis commune erat.*

SCHOLION V.

Ad eumdem Articulum, pag. 737. Editionis primæ Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Principes possunt apponere impedimenta Matrimonio.*

R. Propositionem meam mutilarunt & interpolarunt Censorii Indiculi Auctores. En verba mea: *Ne tamen inde colligas esse e jure Principum impedimentu dirimentiu Matrimonio upponere ut Sacramentum est, sed solùm ut civilis contractus est, reddendo personas quasdam inhabiles ad contrahendum. Ecclesia verò Principum Leges accipiens & suus faciens, sicut Theodosii Legem approbando suam fecit, impedimenta etium illu extendit ad Matrimonium ut Sacramentum.* Hæc observatio reprehendi non debet, cùm sit omnino consona Doctrinæ *S. Thomæ* in 4. *Sententiarum* Dist. 42. Quæst. 2. Art. 2. *Lex divina,* inquit, *illus præcipuè personas a Matrimonio excludit, quas necesse erat cohabitare, ne si ad eas liceret uti carnali copulâ, facilè pateret concupiscentia locus, ad quam reprimendam Matrimonium est ordinatum: & quia filius adoptatus conversatur in domo patris adoptantis, sicut filius naturalis, ideo Legibus humanis probibitum est inter tales Matrimonium contrahi: & talis probibitio est per Ecclesium approbatu, & inde habetur quòd legalis cognatio Matrimonium impedint.*

Nota.

SIcuti Imperatores oecumenica etiam Concilia confirmarunt; ita & Reges nationales suorum regnorum synodos, ut unicuique tot Toletanorum Conciliorum acta legenti, qunad Hispaniæ Reges, perspicuum fiet. Ita etiam in Gallia Guothramus Rex Concilium Matisconense, & Carolus Magnus Moguntinum, Cabilonense &c. confirmaruot. Eadem in Anglia viguit disciplina, teste Mattheo Paris, loquens etenim de Concilio Londinense II. an. 1127. celebrato hæc habet: *Rex auditis Concilii gestis consensum præbuit, auctoritate regia, & potestate concessit, & confirmavit statutu Concilii a Guillelmo Cantuariensi Archiepiscopo, & S. Romanu ecclesiu Legato apud Vvest-Monasterium celebrati.* Optimè autem observat Natalis in primo Scholio Principum confirmatiooem, multoties & ab ipsis Conciliis concupitam, non eò respexisse ut conciliares sanctiones ex ea robur, & valorem obtinerent, sed ut ita contradictores compescerentur, ac earumdem executio non retardaretur. Hinc ipsi Imperatores profitebantur sacris canonibus obsequentes futuros; ac proinde Justinianus postquam *novell.* 31. *cap.* 1. dixit canones non tantùm a synodis expositos, sed etiam fuisse *confirmatos*, addit Synodorum dogmata *velut S. Scripturas a se suscipi, & canones tanquam*

leges

leges observari. Non ergo Principis indigebant robore, cùm ab ipso tanquam divina eloquia haberentur, & ut leges agnoscerentur. Juvat etiam audire Basilium Imperatorem, qui octavam Synodum confirmavit *act.* 10. in hæc verba prorumpentem: *De vobis autem laicis tam qui in dignitatibus, quàm qui absolute conversamini, quid amplius dicam non habeo, quàm quia nullo modo vobis licet de ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati, & universali Synodo adversari. Hoc enim investigare & quarere Patriarcharum, Pontificum, & Saterdotum est, quia regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi, & solvendi potestatem habent: qui ecclesiasticas & calestes adepti sunt claves: non nostrûm, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus*. Ille igitur qui Concilii decreta absque sua confirmatione non reliquit, eisdem se subditum declarando, nil aliud Principum confirmatione fieri ostendit, quàm ipsorum executionem promoveri, ac suâ auctoritate velle Ecclesiæ inservire.

Nota.

DE potestate Principum quoad apponenda matrimonii impedimenta quædam adnotavi post art. 1. dissert. 18. sæculi II.

IN HISTO-



IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM QUARTI SÆCULI SELECTÆ DISSERTATIONES.

DISSERTATIO PRIMA.

De Donatò a Casis-nigris Schismatis Donatistarum authore.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Donatus a Casis-nigris fuerit Episcopus Carthaginensis.

DONATUM a Casis-nigris auctorem fuisse nefarii Donatistarom Schismatis, diximus in Synopsi, cap.3. Art. 1. §. 1. idque Sancti Augustini invictâ auctoritate probavimus. Agimus impræsentiarum de præfati Donati Episcopatu, & quærimus utrùm a sede Casarum-nigrarum ad Carthaginensem fuerit translatus. Id affirmat illustrissimus & doctissimus Aurelianensium Episcopus Albaspinæus *Observatione 3. in Optatum*, contendit illum Majorino in Schismatica factione successisse: aitque se hâc in re Sancto Augustino minimè assentiri. Verùm nec ipsi adversùs Sanctum Augustinum assentiri possumus: unde contra ipsum hanc statuimus Propositionem.

PROPOSITIO.

Donatus a Casis-nigris nunquam fuit Carthaginensis Episcopus.

PRobatur primò ex Optato Milevitano, lib. 1. pag. 38. ubi Majotinum vocat Parmeniani in successione Schismaticâ avum. *Non enim*, inquit, *Caecilianus exivit a Majorino avo tuo; sed Majorinus a Caeciliano.* At Majotinus dici non posset avus Parmeniani, sed atavus potiùs dicendus esset, si Donatus a Casis-nigris fuisset Episcopus Carthaginensis. Nam, secundùm Schismaticam successionem, Parmeniani pater seu proximus decessor esset Donatus magnus, avus Donatus Casensis, atavus Majorinus. Colligitur itaque ex Optato, Donatum a Casis-nigris numquam fuisse Carthaginensem Episcopum.

Probatur secundò ex Sancto Augustino, lib.1. Retractat. cap.21. ubi de Donato a Casis-nigris ait: *Ille autem non erat Carthaginensis Donatistarum Episcopus.*

Objicit doctissimus Albaspinæus, primò Schisma præfatum vocatum fuisse partem Donati, antequam magnus Donatus inauguraretur Schismaticæ factionis Antistes Carthaginensis. Id nempè contigit sexto tantùm anno post Nicænum Concilium: Libellum autem obtulerunt Constantino Imperatori Donatistæ, duodecim vel tredecim annis ante Nicænam Synodum, in quo Ecclesiam suam *partem Donati* appellabant, ut testatur Optatus: Atqui Schisma illud partem Donati non vocassent, si Majorinus tum fuisset Episcopus Carthaginensis. Nam de sede Carthaginensi, & de Mensurii successore erat controversia, non de rebaptizatione. Quapropter a Majorino potiùs quàm a Donato Casensi nuncupari debuit illa factio, si Majorinus sedem illam tunc temporis occupasset.

Secundò. De sede, & Romæ, & apud Imperatorem disputabatur: & tamen cum libellus oblatus est Imperatori; cùm Imperator eum ad Melchiadem rejecit; cùm caussa apud Pontificem agitata est, cùm Romæ judicata: denique in formulâ sententiæ & provocationis, nec Romæ, nec Arelate, nec uspiam alibi ulla nisi Donati solius facta est mentio. At consentaneum erat, Majorinum, si Carthagine tunc sedisset, & de Episcopatu Carthaginensi cum Cæciliano etiamnum contendisset, in sententiâ nominari: Cùm ergo solus Donatus a Casis-nigris commemoretur; argumento est tunc Majorinum mortem obiisse, & hunc Donatum ipsi in Episcopatu Carthaginensi suffectum fuisse.

Tertiò, testatur Optatus, lib. 1. pag.44. Olympium,

pium, Eonomiumque Episcopos missos fuisse in Africam post Romanam Synodum, & Donatistarum appellationem, *Ut remotis duobus, unum ordinarent*. Illi autem duo; ad quos removendos missi sunt, erant Cæcilianus, & Donatus a Casis-nigris: igitur Donatus a Casis-nigris translatus fuerat, ad Episcopatum Carthaginensem.

Respondeo ad primam objectionem: Schisma illud vocari potuisse *Partem Donati*, quamvis adhuc superstes esset Majorinus, quia Donatus ille præcipuus fuerat Schismatis incentor, qui Majorinum ipsum adversùs Cæcilianum legitimum Pontificem Pseudoepiscopum Carthaginis consecrari procuraverat. Quamquam diceretur frequenter pars Majorini, ut constat ex Sancto Augustino pluribus in locis, & ex subscriptione libelli contra Cæcilianum, a Donatistis directi ad Imperatorem, qui dicitur *datus a parte Majorini*.

Ad secundam respondo, Nullam Majorini in Judiciis Romano & Arelatensi factam legi mentionem, sed solius Donati a Casis-nigris, quia de Schismatis & traditionis criminibus præcipuè agebatur. Schismatis porrò Auctor erat Donatus Casensis; traditionis accusabatur Cæcilianus; ideo horum maximè duo illa Judicia meminerunt. Exigui enim momenti videbatur controversia de successione Carthaginensis Episcopatûs, cum Schismate in dies increbescente collata; ad quam sopiendam & componendam, uti & alias hujusmodi, satis visum erat Melchiadi Romano Pontifici cum suo Concilio decernere, ut ille remaneret Episcopus, qui prior inauguratus esset, dum alteri de alio Episcopatu provideretur.

Ad tertiam respondeo, Malè divinasse illustrissimum Antistitem. Illi enim duo, quibus remotis tertium ordinare cogitabant Olympius & Eunomius, erant Majorinus & Cæcilianus, ut colligitur ex Optato, & ex Sancto Augustino locis in probationibus laudatis.

DISSERTATIO II.

De Concilii Cirtensis epochâ.

INsignes Chronologi Baronius & Petavius, Concilii Cirtensis epocham figunt anno Christi 303. Doctissimus Valesius, anno 305. Alii anno 304. Quam amplectamur opinionem, Propositio sequens ostendet.

PROPOSITIO.

Concilium Cirtense congregatum est post Diocletiani persecutionem, anno Christi CCCV.

PRobatur primò ex Optato Milevitano, lib. 1. pag. 39. ubi postquam plurium Episcoporum meminit, qui sæviente Diocletiani persecutione divinæ Legis instrumenta tradiderunt, subjungit: *Hi & cæteri, quos principes tuos fuisse paulò post docebimus, post persecutionem apud Cirtam Civitatem (quia Basilicæ necdum fuerant restitutæ) in domum Urbani Carisi consederunt, die 3. Iduum Majarum, sicut scripta Nundinarii tunc Diaconi testantur, & vetustas membranarum testimonium perhibet, quas dubitantibus proferre poterimus*. At Diocletiani persecutio sævire cœpit anno Christi 303. ut colligitur ex Actis SS. Martyrum Tarachi, Probi, & Andronici, Perpetuæ & Felicitatis. Passio namque Martyrum, ut eorum Acta demonstrant, contigit pridie Idus Februarias, Diocletiano nonò & Maximiano octavò Consulibus, id est, anno Christi 304. & iidem Principes Imperium abdicarunt Calendis Aprilis ejusdem anni, ut omnes Fasti consentiunt. Passi sunt igitur secundo anno Diocletianæ persecutionis. Cùm itaque persecutio biennio tantùm duraverit, ut constat ex Eusebio, lib. 8. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 13. & lib. 1. *De Vita Constantini*, cap. 18. consequens est Cirtense Concilium, quod post Diocletiani persecutionem celebratum esse testatur Optatus, anno 305. fuisse coactum, quo nondùm restitutæ erant Basilicæ, initio persecutionis solo æquatæ, quia vix dum integer annus a Diocletiani & Maximiani abdicatione elapsus fuerat, nec diuturna & firma satis fuerat pax Ecclesiæ, ut templa restaurare potuisset.

Probatur secundò ex Sancto Augustino in Breviculo Collationis diei 3. cap. 17. *Nam gesta Martyrum*, inquit, *quibus ostendebatur tempus persecutionis, Consulibus facta sunt Diocletiano novies, Maximiano octies, pridie Idus Februarias: Gesta autem Episcopalia Decreti Cirtensis, post eorumdem Consulatum, tertio Nonas Martias, ac per hoc tredecim menses interesse inveniuntur, pluries utique quàm undecim, quos priùs Catholici minùs diligenter computando responderant: sed Officium ut falleretur, & mensem interesse responderet, eumdem Consulatum putavit, post Consulatum autem non advertit, ubi annus jam alius agebatur*. Porrò nonus Diocletiani Consulatus incidit in annum Christi 304. cùm igitur Concilium Cirtense tredecim post gesta Martyrum illo Consulatu consignata mensibus fuerit celebratum, illius epocha figenda est post Diocletiani persecutionem, anno Christi 305.

Objectio prima petitur ex inscriptione Actorum Concilii Cirtensis apud Sanctum Augustinum, lib. 3. contra Cresconium Grammaticum, cap. 27. quæ Concilium istud habitum esse indicat, *Diocletiano octies, & Maximiano septies Consulibus, quarto Nonas Martii*; sed hi Consules incidunt in annum 303. anno igitur 303. non verò 305. figenda est Concilii Cirtensis epocha.

Respondeo, Inscriptionem Actorum Concilii Cirtensis in lib. 3. Sancti Augustini contra Cresconium esse mendosam, & ita emendari debere, *Post Consulatum Diocletiani nonum, & Maximiani octavum*, &c. Ita ut post nonum Consulatum Diocletiani, qui incidit in annum 304. Synodus habita sit anno 305. Sic autem emendandum esse locum illum, colligitur ex eodem Sancto Augustino in Breviculo Collationis diei 3. cap. 17. cujus verba in secundâ probatione laudata sunt. Mendum autem illud irrepsit vel amanuensis culpâ, vel eorum qui ipsa protulerunt. Præterea Sanctus Augustinus, cap. 26. ejusdem libri *contra Cresconium*, ait celebratum fuisse Concilium Cirtense post persecutionem, in quâ sacri Codices a Donatistarum antesignanis traditi sunt, id est, post persecutionem Diocletiani: quod non convenit cum epocha quam indicat inscriptio Actorum. Quapropter illam esse mendosam consequens est. En Sancti Augustini verba: *De vestris autem majoribus extat secundi Tigisitani Concilium cum paucissimis quidem factum apud Cirtam, post persecutionem Codicum tradendorum, ut illic in locum defuncti ordinaretur Episcopus*.

Objicies: Postconsulatum in Actis publicis adscriptum non fuisse, nisi illis annis quibus deerant Consules. Hâc enim necessitate suadente, apud Socratem, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 19. Postconsulatus fieri debuit: In Lege 16. Codicis Theodosiani, *De Susceptoribus*. *Post Consulatum Gratiani III. & Equitii*. Et in quibusdam Constitutionibus Justiniani subscriptio hæc legitur: *Post Consulatum Lampadii & Orestis*, quia defi-

desierunt Consules. Et Concilium V. Carthaginense, seu ut alii volunt, III. in quibusdam Codicibus præfert Postconsulatum Stiliconis anno 401. in aliis, Postconsulatum Cæsarii & Attici, id est anno 398. Cùm itaque anno 305. Constantius & Galerius quintò Consules adscripti sint, non videtur Actis Concilii Cirtensis adscriptum fuisse Postconsulatum, si anno illo celebratum fuerit.

Præterea. Donatistæ Concilii Cirtensis Acta falsi insimularunt duabus de causis. Primò, *quia contra Ecclesiasticam consuetudinem ipsum Cirtense Concilium diem & consulem haberet*. Secundò *quòd persecutionis tempore non possit Concilium congregari*, ut testatur Sanctus Augustinus in Breviculo Collationis diei 3. cap. 17. Catholici verò non responderunt, adscriptos non esse Consules Actis Cirtensibus, sed ostenderunt adscriptionem dierum & Consulum a more Ecclesiastico alienam non esse, tum ex Concilio Romano sub Melchiade, tum ex libris Propheticis. *Cùm hoc viderent Catholici*, inquit Sanctus Augustinus, *& in Melchiadis Concilio diem & Consulem demonstrabant, & de ipsis Sanctis Scripturis commemoraverunt Prophetas indicta antiquissimorum temporum suis literis praenotasse, quoto anno, cujusque mense anni, quoto die Missis factum esset super eos verbum Domini*. Adscripti igitur erant Consules Actis Concilii Cirtensis; proindeque in iis non videtur legendum esse, *Post Consulatum Diocletiani nonum & Maximiani octavum*.

Respondeo ad primam objectionem, Adscribi potuisse, & revera adscriptum fuisse Postconsulatum Diocletiani & Maximiani Actis Concilii Cirtensis, quamvis eo anno Consules non deessent; quia cùm tunc recens esset Diocletiani persecutio, & passio Martyrum, qui illa grassante certamen obierant, characterismus ille visus est illustrior ad tempus illius Concilii designandum.

Respondeo ad secundam objectionem, Donatistas & Catholicos per adscriptionem diei & Consulis nihil aliud intellexisse, quàm notam temporis, quo fuerat Cirtense Concilium celebratum, sive illa esset Consulatus, sive Postconsulatus. Non minùs enim dies & Consul Actis adscribuntur, cùm notantur Consules anni præteriti quam cum notantur Consules anni labentis. Sic intelligi debere illam Donatistarum objectionem, & responsionem Catholicorum, colligitur ex illis verbis Sancti Augustini in Breviculo Collationis Diei 3. cum Donatistis cap. 17. *Quis enim eos hinc falsitatem crederet objecturos, ubi ad majorem diligentiam temporum attestatio prænotata legeretur, ne fortè per hanc esset aliquando accessaria indagatio veritatis? Quis ergo eos crederet hoc objectaros, ut præpararet antiqua Concilia, quibus hanc consuetudinem demonstraret? Aut quis tanc iret, & vetusta Ecclesiastica Archiva revolveret?*

Objicitur secundò. Catholici in Collatione cum Donatistis propugnaverunt Concilium Cirtense fuisse celebratum tempore persecutionis, quod Schismatici negabant, & verisimile non esse contendebant. Unde suppositum a Catholicis atque confictum effutiebant illud Concilium: ergo Concilii Cirtensis epocha figi debet anno 2. Diocletianæ persecutionis, non verò post illius persecutionis tempestatem. Antecedens constat ex Sancto Augustino in Breviculo Collationis diei 3. cap. 17.

Respondeo: Distinguo antecedens. Propugnaverunt Concilium Cirtense potuisse tempore persecutionis celebrari, concedo; revera fuisse celebratum, nego. Vel, id propugnaverunt re nondum satis discussâ, concedo; re matoriùs & diligentiùs expensâ, nego. Quia enim Catholici *tunc inquirere, & ad horam veteres chartas in Archivis Ecclesiasticis discutere non poterant, respondebant multò faciliùs duodecim homines in domum convenire potuisse eo tempore, quo etiam congregationes plebium fieri solebant, quamvis persecutione fervente, sicut ipsis gestis Martyrum monstrabatur, qui confitebantur in passionibus suis se Collectam & Dominicum egisse*. Ita respondet Sanctus Augustinus in Breviculo Collationis diei 3. cap. 17. Quòd autem persecutionis tempore celebratum Concilium Cirtense Catholici concederent, ex errore Officii, seu Notarii, quo Marcellus Cognitor utebatur, contigit. Cùm enim Catholici Antistites a passione Martyrum usque ad Consulem & diem Concilii Cirtensis propè annum intercessisse dixissent, Notarius tempore computato ex mandato Marcelli Cognitoris, mensem dumtaxat interfluxisse respondit. Quæ responsio Catholicos conjecit primò in errorem qui postea diligentiori examine habito emendatus est. Ita respondet Sanctus Augustinus loco mox laudato. *Porrò autem*, inquit, *illud erat verius quod Catholici dixerant, Officium autem in computando errans falsum renuntiaverat, quod postea conscripta & diligentiùs considerata Gesta docuerunt, sicut potest probare, quem libuerit legere, & non piguerit computare. Nam Gesta Martyrum, quibus ostendebatur tempus persecutionis, Consulibus facta sunt Diocletiano novies, & Maximiano octies, pridie Idus Februarias: Gesta autem Episcopalia Decreti Cirtensis, post eorumdem Consulatum, tertio Nonas Martias; ac per hoc tredecim menses interesse inveniuntur*, &c.

DISSERTATIO III.

De Concilio Romano sub Melchiade contra Donatistas celebrato.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrùm Donatus ille qui in Concilio Romano damnatus est, fuerit Donatus a Casis-nigris.

PROPOSITIO EST AFFIRMANS.

PRobatur contra illustrissimum Albaspinæum Aurelianensem Episcopum, *Observatione 3. in Optatum Milevitanum*. Primò ex Sancto Augustino in Breviculo Collationis diei 3. cap. 18. dicente: *Nisi fortè ipsis* [Donatistis] *lacuisset Casensem a Carthaginensi distinguere; cùm timerent ne Major Auctor ipsorum Donatus Carthaginensis damnatus in Melchiadis Judicio putaretur*. Et cap. 20. *Cùm*, inquit, *& de Donati nomine contendissent; quòd non Carthaginensis, sed Casensis Donatus in Judicio Melchiadis adversùs Cæcilianum adstitisset, quod & Catholici concedebant, aliquando transitum est*.

Probatur secundò ex eodem in libro post Collationem, cap. 13. *Nam ipsi quoque Donatum suum Carthaginensem, ne in Judicio Melchiadis ipse damnatus putaretur, quem multi pro magno habent, a Donato Casensi distinguendum esse clamaverunt, quia Donatus Carthaginensis contra Cæcilianum missus fuerat ad Melchiadis Episcopale Judicium: tam crassam noctem in corde gestantes, ut Donatum infamari nollent similitudine nominis sui, & Melchiadem maculare vellent similitudine nominis alieni*.

Probatur tertiò. Ille damnatus est in Concilio Romano Melchiadis, *Qui de Numidia veniens, & contra Cæcilianam Christianam dividens plebem, adjunctis sibi ejusdem factionis Episcopis, Majorinum apud Carthaginem ordinavit Episcopum, cui Ma-*

Majorino Donatus alius in eadem divisione successit. Sed hic est Donatus a Casis-nigris, ut colligitur ex Sancto Augustino, lib. *De Hæresibus*, cap. 69. ergo Donatus a Casis-nigris ille est qui in Romano Melchiadis Concilio damnatus fuit.

Probatur quartò. Ille ipse Donatus in Concilio Romano damnatus est, qui Constantinum Imperatorem rogavit ut inter ipsum & Cæcilianum transmarinos Episcopos judices daret: sed hic fuit Donatus a Casis-nigris, non verò Donatus Carthaginensis.

Probatur Minor ex Sancto Augustino, lib. 1. Retractationum, cap. 21. *Quod dixi*, inquit, *Donatum, cujus Epistolam refellebam, rogasse ut Imperator inter ipsum & Cæcilianum transmarinos Episcopos judices daret; non ipsum, sed alium Donatum, ejusdem tamen Schismatis hoc fecisse probabiliùs invenitur. Ille autem non erat Carthaginensis Donatistarum Episcopus, sed a Casis-nigris; qui tamen primus apud Carthaginem ipsum nefarium Schisma commisit.*

Objicit Illustrissimus Albaspinæus. Ille damnatus fuit a Concilio Romano, qui libellum Constantino Imperatori obtulerat; atqui is erat Donatus Carthaginensis; Hic itaque in Concilio Romano damnatus est.

Probat Minorem ex his Optati verbis, lib. 3. p. 66. *Sed illicò ad singulos quosque venientes hac erant verba: Quid apud nos agitur de parte mea? Quasi jam verò populum cum Deo diviserat, ut intrepidè suum diceret partem. Nam a temporibus ejus, & usque in hodiernum, si quando de rebus Ecclesiasticis in judiciis publicis aliqua celebrata est actio, interrogati singuli sic apud Acta locuti sunt, ut dicerent se de parte esse Donati, de Christo tacuerunt. Et quid de Clericis dicam? Cùm legantur Preces quarum in primo libro fecimus mentionem, jamdudùm ad Constantinum missæ, & subscriptæ, quæ Episcoporum nomina continebant, sic, Datæ a Capitone Nasucio, Digno, & cæteris Episcopis partis Donati: & postulabant utique contra Episcopos, qui dum non erant in parte Donati, in Christi Catholicâ habitabant: & dum Episcopus inter Coëpiscopos suos non fuit, nec homo inter homines esse voluit; constat quòd extulit cor suum, & Deus sibi fuisse videbatur.* Quæ postrema verba ad Magnum Donatum esse referenda nemo est qui dubitet, inquit doctissimus Albaspinæus. Nam tantus erat in illo homine fastus & superbia, ut omnes Coëpiscopos posthaberet, & eorum communioni misceri dedignaretur. Certum est præterea hæc eadem verba, *& cæteris partis Donati*, ab Optato de eodem & dicta, & concepta esse. Quòd si ita est, manifestum relinquitur Magnum Donatum, ex sententiâ & historiâ Optati, ad Constantinum primum rem detulisse, & Romæ in Concilio Melchiadis adstitisse, in eodemque esse damnatum.

Respondeo, Levissimam esse conjecturam, quâ nititur doctissimus Antistes. Nonne enim & ipse Donatus a Casis-nigris tanto superbiæ fastu efferebatur, ut omnes Coëpiscopos posthaberet? Numquid & ipse eorum communioni misceri dedignabatur qui primus nefarii Schismatis Auctor fuit? Unde audentiùs dicam, Neminem præter illustrissimum Albaspinæum dubitasse, num illa Optati Milevitani verba ad Magnum Donatum referenda essent, quia omnibus exploratum fuit ea de Donato a Casis-nigris intelligenda esse. Fateor quidem Optatum paulò antè verba citata locutum esse de Donato Carthaginis; sed nego ab eodem Donato porrectum Constantino libellum intellexisse Optatum. Id enim repugnat evidenter Sancto Augustino quem ab Optato in re adeò notâ non dissensisse probabilius est, cùm coævi essent, Familiares Coëpiscopi, ambo Africani, ambo Historiæ Donatistarum, quæ sub ipsorum fermè oculis gesta erat, non ignari.

QUÆSTIO II.

Utrùm Melchiades Concilio Romano præfuerit; ac sententiam tulerit contra Donatistas, & secundùm Cæcilianum, ut Imperatoris Constantini delegatus?

PROPOSITIO.

NOn vicariâ potestate, & velut Imperatoris delegatus, hanc diremit controversiam Melchiades Romanus Pontifex, sed proprio jure, ut summus Controversiarum Ecclesiasticarum judex.

Probatur contra quosdam e Calviniano grege Theologastros. Primò, palàm professus est Imperator, cùm a Donatistis urgeretur, se in caussa Ecclesiastica judicem esse non posse. *Petitis a me in sæculo judicium*, inquit, *cùm ego ipse judicium Christi expectem*. Et Donato ad ipsum a Concilii Romani judicio appellanti respondit; *O rabida furoris audacia! sicut in caussis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt*. Et ejusdem caussæ cognitionem post Arelatensis Synodi judicium non suscepit, nisi cum execratione audaciæ Donatistarum, *a sanctis Antistitibus veniam postea petiturus*, quòd iis de rebus judicasset, ut Sanctus Augustinus testatur Epistolâ 162. Porro si jus non habuit Constantinus judicandi Episcopos, nec jus habuit delegandi judices, qui acceptâ ab ipso auctoritate caussam discuterent Episcoporum. Igitur Melchiades proprio jure, non verò potestate a Constantino acceptâ, hanc diremit controversiam. *Optatus l. 1.*

Probatur secundò. Melchiades, præter eos qui ab Imperatore designati erant, quindecim ex Italia delegit Episcopos, qui huic Concilio interessent: quos ad litem illam secum judicandam adsciscere non potuisset, si non jure suo, sed vicariâ potestate hac de re cognovisset.

Probatur tertiò. Illi dati sunt judices a Constantino, quos Donatistæ postulaverant, ut testatur Sanctus Augustinus Epistolâ 171. dicens: *Postea litteras ad Imperatorem Constantinum, ut inter Afros Episcopi transmarini judicarent, miserunt, datis judicibus quos postulaverunt, & Roma judicantibus non obtemperaverunt.* Atqui Donatistæ nec Melchiadem, nec Italiæ Episcopos postulaverant. Melchiades igitur non fuit a Constantino delegatus judex in Donatistarum controversia; sed proprio jure sententiam tulit.

Quartò. Quorsum Constantinus tres Galliarum Episcopos, quos Donatistis concessit, & ipse in Galliis agens ad Melchiadem tanto terrarum marisque intervallo a se dissitum misisset, ut ipsi in dirimenda Cæciliani & Donatistarum caussa judices assiderent, si penes se, non penes Romanum Episcopum illius judicandæ litis esse existimasset potestatem?

Probatur quintò Propositio; præcipuè quoad illam partem, qua asserit Melchiadem illam caussam judicasse ut summum controversiarum Ecclesiasticarum judicem. Ille post cujus judicium non erat necesse aliud Concilium convocare etiam ex diversis orbis regionibus, ad quod ingens Episcoporum numerus conveniret, controversiam illam judicaverat ut summus controversiarum Ecclesiasticarum judex: sed post judicium Melchiadis in Romano Concilio, non erat necesse aliud Concilium etiam frequentius convocare, nimirum Arelatense. Controversiam igitur illam diremit Melchiades ut summus Controversiarum Ecclesiasticarum judex. *Summi Pontificis auctoritatem hic non confero cum œcumenici Concilii potestate.*

Probatur Minor auctoritate Sancti Augustini Epi-

pi-

pistolâ 162. ubi de Constantino sic loquitur: *Dedit ille aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohiberi.*

Probatur ultimò. Si Romanus Pontifex vicariâ tantum potestate, & ut Imperatoris delegatus, de caussa Schismatis Donatistarum, de Ordinatione Cæciliani, aliisque caussis Ecclesiasticis judicare potuisset, Cæcilianus non potuisset pro libito caussam suam ad Sedem Apostolicam deferre: atqui id poterat Cæcilianus: Romanus igitur Pontifex proprio jure, propriâque auctoritate caussam Schismatis Donatistarum, Ordinationis Cæciliani, aliasque hujusmodi caussas Ecclesiasticas dirimere poterat ac judicare.

Probatur Minor ex Sancto Augustino, Epistolâ 162. ubi Cæciliano loquens, ait: *Posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cunctis terris unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse conjunctum, ubi paratus esset caussam suam dicere, si adversarii ejus has Ecclesias ab eo alienare conarentur.*

Objicies: Sanctus Augustinus asserit, Melchiadem non usurpasse judicium caussæ Cæciliani, & Donatistarum, quia rogatus Imperator judices dedit. Usurpasset itaque judicium Pontifex, nisi Constantinus ipsi judicandi illâ de caussa provinciam demandasset: proindèque non propriâ auctoritate, sed ut Imperatoris delegatus, illam diremit controversiam,

Probatur antecedens Sancti Augustini verbis Epistolâ 162. *An fortè non debuit Romanæ Ecclesiæ Melchiades Episcopus cum Collegis transmarinis Episcopis illud sibi usurpare judicium, quod ab Afris septuaginta, ubi Primas Tigisitanus præsedit, fuerat terminatum? Quid quod nec ipse usurpavit? Rogatus quippè Imperator judices misit Episcopos, qui cum eo sederent, & de totâ illâ caussâ quod justum videretur, statuerent. Hoc probamus & Donatistarum precibus, & verbis ipsius Imperatoris.*

Respondeo, nego consequentiam. Non enim ait Sanctus Augustinus Imperatorem commisisse Melchiadi potestatem judicandi, sed judices misisse Episcopos, qui cum eo sederent. Nec dicit ipsum creasse judices, sed misisse, qui assiderent Pontifici. Probat autem Sanctus Augustinus ex hoc Constantini facto, quòd Melchiades judicium non usurpaverit, argumento ad hominem contra Donatistas: quasi dicat: Etiamsi concederemus vobis, o Schismatici, Melchiadem non habuisse potestatem judicandi, proprio nomine, vestro de Schismate, & de Cæciliani caussa: dicere tamen non possetis ipsum sibi usurpasse judicium cum collegis transmarinis Episcopis. Vos enim ipsi rogastis Imperatorem, ut judices daret.

SCHOLION I.

Ad hanc Quæstionem, pag. 14. Editionis primæ refertur hæc Censorum Religiosorum nota. *Quæstio 11. Utrùm Melchiades Concilio Romano præfuerit ac Sententiam tulerit contra Donatistas ut Imperatoris Constantini Delegatus?* Quæstio ipsa displicet, inquiunt, quia extra Controversiam est Romanum Pontificem non posse esse Imperatoris Delegatum in Concilii convocatione.

R. Licèt Quæstio ista non sit inter Catholicos Theologos controversa, inter Catholicos tamen & Hæreticos controversa est, adversùs quos Propositionem statui negantem; cujus mox probationes subjunxi his verbis: *Probatur contra quosdam e Calviniano grege Theologastros.* Displicere-ne potest Catholicis Hæreticorum confutatio, & Pontificiæ Potestatis assertio atque defensio hic a me suscepta? Cùm apud *S. Thomam* leguntur Quæstiones istæ, *Utrùm Deus sit? .... Utrum in Deo sint plures personæ quàm tres?* aliæque hujus generis innumeræ, quis Angelicum Doctorem censoriâ severitate notare audeat, dicens: *Displicet ista Quæstio, quia extra controversiam est?* An, quæso, magis extra controversiam est, Romanum Pontificem non posse præesse Concilio & contra Hæreticos ferre sententiam ut Imperatoris Delegatum, quàm Deum esse, non esse plures in Deo personas quàm tres? &c.

SCHOLION II.

Ad eandem Quæstionem, pag. 16. Editionis primæ Religiosi Censores hanc Notam apponunt: *Postquam dixit, Papam esse summum controversiarum judicem, ad marginem notat, Non dico respectivè ad Concilium Generale.*

R. Romanum Pontificem esse summum controversiarum Fidei judicem tam in Concilio Generali, quàm extra Concilium Generale, censeo: Sed ne quis inde colligeret Concilium Oecumenicum inferioris esse auctoritatis quàm Romanum Pontificem, quæ sententiam non est Facultatis Theologicæ Parisiensis Ecclesiæ Gallicanæ, monui in margine, me Summi Pontificis auctoritatem hic non conferre cum Oecumenici Concilii potestate.

Nota.

DE Summi Pontificis supra Concilium Oecumenicum præstantia, alibi commodiùs sermo erit.

DISSERTATIO IV.

De Concilio Arelatensi.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrùm Caussa Donatistarum & Cæciliani, quæ in Romano Concilio fuerat a Melchiade judicata, sine Summi Pontificis consensu retractata fuerit in Concilio Arelatensi.

PROPOSITIO.

VErisimile est, absque Romani Pontificis consensu, caussam Cæciliani & Donatistarum in Romano Concilio judicatam, retractatam non fuisse in Arelatensi.

Probatur. Ad illud Concilium invitatus fuerat Silvester Pontifex Romanus, ad illud misit Legatos, ad ipsumque Patres miserunt relationem omnium quæ gesta erant in Concilio, rogaruntque ut Canones auctoritate suâ confirmaret, ac promulgaret. Verisimile igitur est ipso consentiente Synodum Arelatensem fuisse congregatam: in eâ, que retractatum fuisse, ipso annuente, Melchiadis & Romanæ Synodi judicium.

Prima pars antecedentis, nimirum quòd Silvester fuit ad Concilium Arelatense invitatus, constat ex Epistolâ Synodi ad ipsum datâ. *Et utinam,* inquiunt Patres, *ad hoc tantum spectaculum interesse tanti fecisses. Profectò credimus quia in eos* (Donatistas) *severior fuisset sententia prolata: & te pariter nobiscum judicante, cœtus noster majore lætitiâ exultasset. Sed quoniam recedere a partibus* illis

illis minimè potuisti, in quibus & Apostoli quotidie sedent, & cruor ipsorum sine intermissione Dei gloriam testatur, &c.

Secunda pars, scilicet quòd Silvester ad illam Synodum legatos miserit, constat ex subscriptionibus Episcoporum, inter quos leguntur, *Claudianus & Vitus Presbyteri, Eugenius & Cyriacus Diaconus, ex urbe Roma missi a Silvestro Episcopo.*

Tertia pars colligitur ex illis verbis Epistolæ Synodicæ ad Silvestrum datæ: *Placet a te qui majores Diœceses tenes, potissimùm omnibus insinuari.*

SCHOLION.

Ad hanc Quæstionem Religiosi Censores in Indiculo suo hæc habent: *Nec Quæstio, nec Conclusio placet: Quæstio quidem, quia supponendum est, non disputandum, Concilia non posse retractare causas Fidei a Summo Pontifice judicatas: Conclusio verò, quia dicit*, Verisimile est: *cùm nihil eo certius sit.*

R. Qui vèl primoribus labris Historiæ Ecclesiasticæ fontes attigerunt, causam *Cæciliani* & Donatistarum tunc Fidei causam non fuisse noverunt. De Schismatis causa & *Cæciliani* Ordinatione agebatur, quam Donatistæ vitiosam fuisse contendebant; *Felicem* Aptungitanum Episcopum, a quo ille ordinatus fuerat, traditionis Sacrorum Codicum in manus Infidelium accusantes. Causam ad *Constantinum* Imperatorem Donatistæ detulerant. Imperator de causa Episcopi judicare non ausus, eam discutiendam atque finiendam Episcopis reliquit: Quod factum est in Concilio Romano præside *Melchiade* Pontifice Maximo. *Cæcilianum* innocentem Romana Synodus pronuntiavit; Donatum qui Schisma Carthagine fecerat, damnavit. A Concilii Romani Judicio Donatistæ ad Imperatorem appellarunt. Illorum perversitati cedens *Constantinus*, quamvis Appellantium furentem horreret audaciam, dedit aliud Arelatense Judicium, Synodum alteram indixit Arelate celebrandam, in qua *Cæciliani* causa retractata est, teste *S. Augustino* Epistolâ 43. aliàs 162. Epist.88. aliàs 68. & alibi. An *S. Silvestri* rogatâ sententiâ & consensu causæ istius revisio ac retractatio facta fuerit, nec antiqui Historiæ Ecclesiasticę Scriptores, nec *S. Augustinus* disertis verbis asserunt. Ex hisce factis Hæretici objectionem petunt contra Romani Pontificis Primatum. Contra ipsos hanc facti Quæstionem discepto. *Verisimile esse* probo *absque Summi Pontificis consensu causam Cæciliani & Donatistarum in Romano Concilio judicatam, retractatam non fuisse in Arelatensi.* Non levibus quidem conjecturis id probo; quæ tamen invicta non sunt ad facti probationem argumenta, ut dici possit, quod Religiosi Censores tam confidenter ajunt: *Nihil certius*. Cæterùm quod ajunt, Concilia retractare non posse causas Fidei a Romano Pontifice judicatas, quâ ratione tueri possunt? Siquidem Arii Causam a *S. Silvestro*, aut ejus [ut volunt] auctoritate ab *Osio* judicatam Nicæna Synodus retractavit. Causam *Nestorii* a *Celestino I.* aut ejus auctoritate a *S. Cyrillo* judicatam retractavit Ephesina Synodus. Causam *Eutychetis* a *S. Leone* judicatam Synodus Chalcedonensis. Causam Monothelitarum a *Martino I.* & *Agathone* judicatam Sexta Synodus Oecumenica. Causam Iconomachorum ab *Hadriano I.* judicatam Septima Synodus Oecumenica. Causam *Lutheri* a *Leone X.* judicatam Synodus Tridentina. Ratione tamen Primatûs jure divino ipsi competentis Summam auctoritatem habet judicandi causas Fidei Romanus Pontifex: Ejusque Definitioni, Decretis ac Sententiis Fideles omnes parere tenentur; & cùm in Conciliis Oecumenicis iteratur cognitio causarum Fidei a Romano Pontifice judicatarum, id fit eo consentiente, ejus auctoritate Synodus Oecumenica convocatur, quo Præside sive per se, sive per Legatos celebratur. Hæc nostra sententia.

Nota.

SUpponit Natalis in Scholio Donatistas a Melchiadis sententia ad Constantinum appellasse; quod admittendum non esse adnotavi post *articulum* 1. *cap*.3. *hist. eccles.* Qualiter autem a Conciliis iterum de iis, quæ antea romani Pontifices definierant, breviter actum sit hic innuendum.

Nulli igitur ignotum esse debet iterum quandoque in Conciliis ea retractata, quæ Romani Pontifices jam definierant. Frustra autem ex hoc capite novum desumunt argumentum pontificiæ infallibilitatis adversarii; neque etenim iterum agi cœptum in Conciliis de iis, quæ jam Papa judicaverat, ut accedente Concilii judicio, Papæ sententia plenam obtineret firmitatem, infallibilitatemque. Ita Pelagianis, & Celestianis oecumenica denegata sunt concilia, & tamen ipsorum causam fuisse finitam, statimac S. Sedis rescripta advenerant, docuit Augustinus *serm*.2. *de verb. Apost.* Et *cap*.50. *l*.2. *retr.* hæc habet: *Postquam Pelagiana hæresis cum suis Auctoribus ab Episcopis ecclesiæ romanæ priùs Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum literis, convicta atque damnata est, scripsi duos libros adversùs eos* &c. Et *ep*.157. quæ est ad Optatum, illorum hæreticorum damnationem per totum orbem eorumdem Pontificum tribuit auctoritati. Conciliis autem Africanis vigilantiam adscribit. Sed & videnda quę dicam in Not.post.§.6. art.4. cap.3. hist. Sæculi V. Dum pariter Acaciani, & Orientales causam Acacii in Synodo generali retractandam postularent, restitit Gelasius; & adversùs eos *non putantes jure damnatum, quod non speciali Synodo videatur esse dejectum*, ita scribit ep.13. *Quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes B. Petri Apostoli jus habet resolvendi, utpote quòd de omni Ecclesia jus habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat appellare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellare voluerunt; ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Et paulò post: *Sed nec illud præterimus, quòd Apostolica Sedes frequenter more majorum etiam sine ulla synodo præcedente, & absolvendi quos synodus iniquè damnaverit, & damnandi, nulla existente synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.* En clarè expressum post Romani Pontificis definitionem, nil superesse quod ad firmitatem, infallibilitatemque obtinendam sit necessarium: & re verą solius Pontificis judicio tandem Oriens acquievit; & ipse Justinus Imperator in gratiam cum Sede rediit Romana, Acacii nomen a sacris fastis expungendo.

Quòd si ad tribuendam ultimam Romanorum Pontificum definitionibus firmitatem, necessaria quoque fuissent Conciliorum decreta, quis negare audebit illorum convocationi non restituros tot Romanos Pontifices sanctitate, doctrinâve præclarissimos? Et tamen jam vidimus Pelagianis, & Acacianis concilia denegata; & etiam S. Leo ad proscribendum Eutychetis errorem a se damnatum, Synodum generalem a Theodosio Ephesi convocatam, necessariam negabat. Celestinus etiam Nestorium intra decem dies suos errores ejurare præcepit, ac obluctantem a Sacerdotio extrudendum; quamvis postea, ut morem gereret Imperatori, generalem synodum concesserit. Notum pariter est quantùm Pontifices Romani quintę synodo convocandæ fuerint aversi.

Iis,

tis, quæ modò breviter prælibavimus, nova accedet lux suis locis adnotando liberum non fuisse Oecumenicis conciliis a Romani Pontificis definitionibus discedere; ex quo perspicuum fiet absque Conciliorum assensu omnem obtinere firmitatem. Non per hoc tamen semper inutilia esse concilia explicabo, dum Papæ ex Cathedra definientis infallibilitas demonstrabitur.

QUÆSTIO II.

Quot Episcopi Arelatensi Concilio interfuerint?

PROPOSITIO.

Ducenti Episcopi Concilio Arelatensi interfuerunt.

PRobatur ex Sancto Augustino, libro 1. contra Epistolam Parmeniani, cap. 5. ubi postquàm comprobatam ostendit in Concilio Romano Cæciliani innocentiam, & Melchiadem subinde a Donatistis falsò traditionis postulatum, quærit quomodo cognoverint Melchiadem fuisse traditorem: *Si enim antè judicium, non sibi prajudicare debuerunt, ut apud talem judicem caussam agere inciperent, & etiam ex praecepto Imperatoris, quem ipsi adierant, tale subire judicium. Si autem post dictam caussam, prolatamque sententiam eum traditorem didicisse perhibent, usque adeò dementes sunt homines, ut ducentos judices, apud quos victi sunt, victis litigatoribus cedant esse postponendos?* Porrò licèt initio hujus dilemmatis de Concilio Romano loquatur Sanctus Augustinus: posteriora tamen verba ad Arelatensem referenda Synodum verisimilius est, ut hic sit sensus Sancti Augustini: Si post dictam caussam, prolatamque sententiam, quâ absolutus est Cæcilianus, Melchiadem traditorem didicerunt: an ideò major fides non est adhibenda ducentis judicibus, qui eumdem iterum insontem declararunt apud Arelatem, quàm Donatistis uno & altero judicio convictis & damnatis?

Id ex verbis immediatè sequentibus confirmatur: *Et tamen*, inquit Sanctus Augustinus, *in his omnibus, quamvis magnâ temeritate, Italos, Gallos & Hispanos accusant, relictis cæteris tam multis Provinciis atque Gentibus, a quibus nefando sacrilegio separati sunt, quibus utique obesse non possent crimina Italorum, Hispanorum, atque Gallorum, etiamsi vera dicerentur.* Quorsum verò Italos, Gallos, Hispanos accusassent Donatistæ, nisi ab Episcopis illarum Provinciarum absolutus fuisset Cæcilianus? Ideo enim ipsorum acquiescere judicio renuebant, quia traditores ipsos esse, aut traditoribus communicasse caussabantur. Atqui in Concilio Romano sub Melchiade, nulli ex Hispania adfuerunt Episcopi, sed quindecim dumtaxat Itali, & tres Galli, (ut testatur Optatus:). ergo Sanctus Augustinus ducentos Episcopos a quibus victi sunt Donatistæ, refert ad Arelatense Concilium.

Secundò, nescire non poterat Sanctus Augustinus novemdecim dumtaxat Episcopos ad Romanum Concilium convenisse; id siquidem asserit Optatus, in cujus lectione Augustinus versatissimus erat: cùm igitur Donatistas victos asserit apud ducentos judices, id referre non intendit ad Concilium Romanum. Ad quod ergo nisi ad Arelatense?

Respondet Vir Doctissimus, loco istius vocis, *ducentos*, legendum esse viginti, quòd cùm priùs numerali notâ 20. scriptum esset, oscitanter in 200. levissimâ, ut patet, additione, mutatum est, ac deinde integris characteribus transiit in *ducentos*. Fatetur quidem novemdecim tantùm, addito Melchiade, apud Optatum numerari, sed 20. facilè pro 19. in textum irrepsisse.

At hoc divinare est, & absque ullo fundamento conjicere. Scilicet ex 19. 20. & ex 20. 200. evaserunt. Annon æquior conjectura est, numerales illas notas non adeò frequenter usurpatas, sed eas dumtaxat, quas Romanas vocant, ut ex veteribus MSS. patet? An porrò facile 20. in 200. mutari quavis scribæ oscitantiâ potuisset? Prætereà supponit Vir Doctissimus ad Romanum Concilium Tò *ducentos*, referendum esse, quod jam exsufflavimus.

Tertiò Constantinus in Epistolâ ad Chrestum Syracusanorum Episcopum, ait se mandasse ut plurimi Episcopi *ex locis diversis & prope infinitis*, Arelatem ad Concilium convenirent. Et Concilium 2. Arelatense, Canone 18. ait: *Arelate ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis, sub Sancti Marini tempore celebratum fuisse Concilium.* Atqui credere par est ex locis propè infinitis, sive ex omnibus mundi partibus, plures quàm triginta tres Episcopos, qui Tomo I. Concil. Galliæ subscripti sunt, convenisse, & facilè ducentos extitisse. Igitur probabilius est ducentos Episcopos interfuisse Concilio Arelatensi.

Marinus Arelatensis Episcopus.

Respondet Vir Doctissimus, interpretem reddere debuisse ex Eusebio, *ex locis indicibilibus*, non, *propè infinitis*. Eam enim esse vim vocis Græcæ ἀμυθήτων. Porrò indicibiles dici, non ut innumerabiles designentur, quos non ita multos fuisse aliunde constat; sed propter loca e quibus vocabantur, parum nota, nempè Tripolitanam, Byzacenam, Mauritaniarum, & Numidiarum Provincias. At primò, cur reddere debuit interpres, *indicibilibus* potiùs quàm *innumerabilibus*? cùm vox Græca ἀμυθήτων utrumque æquò jure significet; ut vel ipsa Vocabularia Græca pervolventi perspicuum esse potest, quæ vocem illam utroque significatu a Demosthene usurpatam, notant?

P. Nicolaï in Dissertat. de Concilio Plenario contra Launoïum.

Secundò. Quâ ratione indicibilia loca illa dici possunt, nisi quia sunt innumera? An quia parum nota? Id sibi fingat quisquis potest. Ego verò persuadere mihi non possum non fuisse notissimas Numidiarum, Mauritaniarum, Byzacenam, Tripolitanam, cæterasque Provincias, ex quibus Episcopi Arelatensem ad Synodum convocati sunt, iis qui vel levem Romani Imperii notitiam haberent: ad eas siquidem Præfectos, Proconsules, Vicarios, Tribunus destinabat Imperator.

Tertiò. Loca illa parum nota, non sunt omnes mundi partes, & regiones propè infinitæ: at Concilium 2. Arelatense convocatam ait istam Synodum *ex omnibus mundi partibus*: ergo non eâ ratione *indicibilia* scripsit Eusebius, quòd essent parùm nota, sed quòd essent propè innumera.

Objicies, triginta tres dumtaxat Episcopos in Concilii Arelatensis subscriptionibus recenseri.

Respondeo, Alias deficere subscriptiones, & Donatistarum fortè malis artibus mutilatas, sicut & ea quæ hoc de Concilio habebat Optatus Milevitanus, ut sententiæ in duces suos a tot Episcopis latæ invidiam quoquo modo declinarent. Et verò multorum Episcoporum desiderari nomina, constat ex eo quòd duorum Chresti collegarum in Sicilia Episcoporum nulla fiat mentio, quos tamen adfuisse verisimile est, utpote qui vocati essent a Constantino per literas ad istum Metropolitanum datas. Quidni ergo & aliæ subscriptiones interciderint, vel expunctæ sint? Certè infirmissimum esse vulgò quod ex Conciliorum subscriptionibus desumitur argumentum, eruditorum nemo nescit, & pluribus exemplis probare facile esset.

Obji-

* In Chron. Objicies 2. Adonem * scribere, *Sexcentos Episcopos* huic Arelatensi Concilio interfuisse: idemque habere nonnullos Codices. In Cod. namque Lugdunensi hæc leguntur: *Expliciunt Canones, quos fecerunt Episcopi sexcenti in civitate Arelatensi.* Idem habet Corbejensis.

Respondeo, Majorem fidem adhibendam esse Sancto Augustino Concilii Arelatensis temporibus viciniori, quàm Adoni. Deinde verisimilé est *Sexcentos* pro ducentis intrusos fuisse, tum in Adonis Chronicon, tum in Codices citatos, qui multis sæculis posteriores sunt Sancto Augustino.

DISSERTATIO V.

De jure Constantini Imperatoris in caussis Cæciliani, & Felicis Aptungitani, necnon in toto Schismatis Donatistarum negotio.

QUid in illis Negotiis Constantinus Magnus egerit, exposuimus in Synopsi. An jure hæc omnia egerit, impresentiarum quærimus.

PROPOSITIO.

JUre suo Constantinus Imperator usus est, sive cùm Cæciliano & Donatistis judices dedit, qui eorum caussam in Concilio Romano discuterent ac finirent, sive eam Donatistis ad ejus tribunal appellantibus, alterum Judicium Episcopale in urbe Arelatensi concessit: sive cùm Felicis Aptungitani caussam Æliani Proconsulis examini ac judicio commisit: sive cùm rursus provocantibus ad illius Majestatem Hæreticis, post Concilium Arelatense, ultimum hâc in caussa tulit judicium.

Probatur prima pars auctoritate Sancti Augustini Epistolà 162. illud Constantini factum probantis, & asserentis contra Donatistas Melchiadem judicium caussæ Cæciliani, & Donati, aliorumque tumultuantium in Africa Schismaticorum non usurpasse, quia Imperator ipsorum precibus annuens judices dedit minimè suspectos. Africani enimverò Episcopi judicare non poterant hâc in caussâ, cùm alii Cæciliani, alii Donati partibus addicti essent. Unde nihil sapientius ac æquius præstare potuit, quàm illius examen remittere ad Romanum Pontificem, & ad selectos ex Galliis Episcopos, quos ab omni studio partium alienos esse compertum esset. Sic autem habet Sanctus Augustinus Epistolà 162. *An fortè non debuit Romanæ Ecclesiæ Melchiades Episcopus illud sibi usurpare judicium, quod ab Afris septuaginta ubi Primas Tigisitanus præsidet, fuerat terminatum? Quid quòd nec ipse usurpavit? Rogatus quippe Imperator judices misit Episcopos, qui cum eo sederent, & de totâ illâ caussâ quid justum videretur, statuerent. Hoc probamus & Donatistarum precibus, & verbis ipsius Imperatoris.*

Monitus itaque ab Anulino Proconsule Constantinus de dissidiis Africanæ Ecclesiæ increbescentibus in dies, quæ componi facilè non possent, nisi Cæcilianus prætensus reus, nisi accusatores Donatistæ coram Judicibus Ecclesiasticis ab illius Majestate designatis sisterentur; jussit ut Cæcilianus unà cum decem partium suarum Episcopis Romam se conferret, totidemque ex Schismaticis Donatistis eòdem adventarent. Hùc respexit Sanctus Augustinus, cùm ait Epistolà 68. *Post hanc relationem ad se missam, jussit Imperator venire partes ad Episcopale Judicium in urbe Roma faciendum: ubi quemadmodum caussa dicta atque finita sit, indicant gesta Ecclesiastica.* Præterea Constantini mandatum & Melchiades, & alii Episcopi summâ veneratione susceperunt, eique paruerunt, quod argumento est illud contra Ecclesiæ Regulas non fuisse, sed Imperatorem illud dedisse jure & legitimè.

Tertiò. Principis est pacem in Ecclesia & in Republica servare, quia & Ecclesiæ protector est, & pacata esse non potest Respublica, nisi tranquilla sit Ecclesia; cùm Ecclesia sit in Republica, sed factum Constantini dantis Judices Ecclesiasticos neutri parti suspectos, Concilium Romanum indicentis, & partes Romam vocantis, totum collineabat ad Ecclesiæ, & Reipublicæ pacem, & ad Schismatis extinctionem: jure igitur suo usus est cùm hæc præstitit.

Probatur Minor ex Epistolà Constantini ipsius ad Melchiadem, quæ sic habet: *Quoniam hujusmodi literæ complures ab Anulino clarissimo Africæ Proconsule ad me missæ sunt, in quibus constat Cæcilianum Episcopum civitatis Carthaginensium a quibusdam Collegis suis in Africa ordinatis Episcopis, multis de rebus in crimen vocari, & illud mihi permolestum videtur, ut in his Provinciis, quas divina providentia ultro ac suâ sponte sub meum subjunxerit Imperium, & in illis locis in quibus crebra hominum frequentia versatur, non modò multitudo ad deteriora deflectat & distrahatur dissidiis, sed Episcopi etiam discordiam inter se ipsi exerceant: visum est mihi, ut idem Cæcilianus cum decem Episcopis qui illum reum facere videantur, & decem aliis, quos ipse suæ litis dijudicationi necessarios existimaverit, Romam navigio trajiciat: ut ibi coram vobis, & Rheticio etiam, & Materno, & Marino collegis vestris, quos eâ de caussa Romam maturare jusserim, possit audiri, sicut sanctissima Dei lex, ut nostis, postulat. Atque ut de omnibus hisce plenissimam accuratissimamque notitiam possitis habere, exemplaria literarum ad me ab Anulino missarum, literis meis subscripta adversùs prædictos Collegas misi: quas cùm vestra Gravitas perlegerit, exquisitè ponderabit, quomodo, quave ratione lis illa diligentissimè rectissimèque dirimatur, & ex justi præscripto tandem aliquando absolvatur: quandoquidem illud vestrum studium minimè latet, me tantam reverentiam sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ tribuere, ut velim vos nullum generare schisma, nullam discordiam ullo in loco omnino relinquere.* Ex quibus constat Constantinum antiquius nihil habuisse Ecclesiæ pace, & mediis ad eam resarciendam aptissimis usum esse.

Denique Donatistis exprobrantibus Catholicarum partium Episcopis, quod secundùm Edicta Constantini Cæciliani caussa judicata fuisset tum Romæ, cùm Arelate, & dicentibus: *Quid Christianis cum Regibus? Quid Episcopis cum Palatio?* responderunt omnia jure & ordine a Constantino adversùs ipsos acta esse. Cæterùm si crimen fuisset parere Constantino judices danti, & Concilia indicenti ad cognoscendam & finiendam Cæciliani & Schismaticorum caussam, reos magis esse Donatistas qui ad Imperatorem primum negotium illud detulerant. Id constat ex Optato Milevitano, lib. 1. adversùs Parmenianum. *Nostras Chartas,* inquit *probant & conflictus caussarum, & contentiones partium, & exitus judiciorum, & Epistola Constantini. Nam quod de nobis dicitis: Quid Christianis cum Regibus? Quid Episcopis cum Palatio? Si nota est nosse Reges, vos tanta perfundit invidia. Nam majores vestri Imperatorem Constantinum hactenus eorum adhuc ignarum his precibus rogaverunt,* &c. Jure ergo suo usum esse existimarunt Constantinum Catholici Antistites, cùm

Cæ-

Cæciliano & Donatistis Judices Ecclesiasticos dedit, qui eorum caussam in Concilio Romano discuterent, ac finirent.

Probatur secunda pars. Ille Princeps jure suo usus est, qui Schismaticis conquerentibus de priori Judicio, & ad ipsum appellantibus, aliud Judicium Ecclesiasticum dedit, aliudque Concilium indixit frequentius, quod ritè convocatum agnovit Ecclesia, atqui Constantinus Donatistis conquerentibus de judicio Romanæ Synodi & Melchiadis, aliud Judicium Ecclesiasticum dedit, aliudque Concilium frequentius indixit, quod ritè convocatum agnovit Ecclesia: jure igitur suo Constantinus hoc in negotio usus est.

Probatur minor ex Sancto Augustino Epistolâ 68. *Sed rursus*, inquit, *majores vestri ad Imperatorem redierunt, & non rectè judicatum, neque caussam omnem auditam esse conquesti sunt. Unde ille alterum Episcopale Judicium dedit in Arelatensi Galliæ civitate, ubi multi vestri, vanâ & diabolicâ dissensione damnatâ, cum Cæciliano in concordiam redierunt.*

Et Epistolâ 162. *Judices Ecclesiasticos tantæ auctoritatis Episcopos, quorum judicio & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata est, non apud alios Collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt quòd malè judicaverint. Dedit ille aliud Arelatense Judicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de judicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse judicaret, sed alios, ut dixi, Episcopos dedit, a quibus tamen illi ad ipsum rursùm Imperatorem provocare maluerunt.*

Idem probatur ex Epistolâ Constantini Magni ad Ælasium sive Ablavium Africæ Vicarium, ex qua pium ejus consilium, æquitas, & studium Ecclesiasticæ pacis in convocatione Synodi Arelatensis evincitur. *Nam id quoque te scire convenit*, inquit, *quòd ex iisdem* (Donatistis) *venerunt asserentes, quòd minus dignus idem Cæcilianus cultu sanctissimæ Religionis habeatur. Et contra id quod iisdem responderam, frustra eos id jactare, quippe cùm res fuisset apud urbem Romam ab idoneis ac probatissimis viris Episcopis terminata, obnixè ac pertinaciter respondendum æstimaverunt, quòd eorum omnis caussa non fuisset audita; sed potiùs iidem Episcopi quodam loco se clausissent, & prout ipsis aptum fuerat, judicassent. Quare cùm hæc tot & tanta nimiùm obnixas dissensiones protrahere perviderem, ita ut nullo modo finis iisdem dari posse videretur, nisi & Cæcilianus idem, & ex his qui contra eum dissident, tres aliqui in judicium eorum, qui cum Cæciliano sentiunt, consensumque debent, ad Arelatense oppidum venerint: injungendum solertiæ tuæ duxi, ut mox has literas meas acceperis, cùm Cæcilianum supradictum, cum aliquibus, ex his quos ipse delegerit; (sed & de Byzacena, Tripolitana, Numidiarum, & Mauritaniarum Provinciis, singuli quique aliquantos ex suis perducere debebunt, quos ipsi putaverint eligendos) sed etiam aliquos qui contra eumdem Cæcilianum dissentiunt, data evectione publica, per Africam & Mauritaniam, inde ad Hispanias brevi tractu facias navigare, & inde nihilominus his in singulis Episcopis singulas Tractorias tribuas, ut ipsi ad supradictum locum intra diem Calendarum Augustarum possint pervenire..... De cætero plena cognitione suscepta, finis adhibeatur: Quia cùm præsentiam sui exhibuerint, universa quæ nunc in contentione esse noscuntur, non immeritò finem debent accipere maturum, ut protinus possint terminari, atque componi. Nam cùm apud me certum sit, te quoque summi Dei esse cultorem, confiteor Gravitati tuæ, quòd nequaquam fas esse ducam, ut ejusmodi contentiones, & altercationes dissimulentur a nobis, ex quibus forsitan commoveri possit summa Divinitas, non solùm contra humanum genus, sed etiam in meipsum, cujus curæ nutu suo cælesti terrena omnia moderanda commisit, ut secus aliquid hactenus incitata decernat. Tunc enim revera & plenissimè potero esse securus, & semper de promptissima benevolentia potentissimi Dei prosperrima & optima quæque sperare, cùm universos sensero debito cultu Catholicæ Religionis sanctissimum Deum concordi observantiâ Fraternitatis venerari.*

Idem probat Epistola ejusdem Imperatoris ad Chrestum Syracusanorum Episcopum, quam refert Eusebius, lib. 10. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 5. in quâ, postquam Donatistarum pervicaciam descripsit, qui Concilij Romani judicio acquiescere nolebant, subjungit: *Idcirco mihi sedulò providendum fuit, ut hæc quæ post depromptum judicium voluntaria assensione jam finita esse debuerant, nunc tandem multorum interventu finem possint accipere. Quoniam igitur plurimos ex diversis ac propè infinitis locis Episcopos in urbem Arelatensem intrà Calendas Augusti jussimus convenire: Tibi quoque scribendum esse censuimus, ut accepto publico vehiculo a viro clarissimo Latroniano Correctore Siciliæ, adjunctis tibi duobus secundi Ordinis, quos tu eligendos putaveris, tribus item servulis qui in itinere vobis ministrare possint, intrà eumdem diem ad prædictum locum occurras; quòd tum per tuam Gravitatem, tum per cæterorum in unum coëuntium unanimem concordemque solertiam, controversia hæc quæ per fœdissimam altercationem ad hoc usque tempus perduravit, auditis omnibus eorum qui nunc inter se dissident, quos etiam adesse jussimus, allegationibus, ad congruam Religionis & Fidei observantiam, fraternamque concordiam, tandem aliquando possit revocari.* His porrò Constantini mandatis cùm & Chrestus, & cæteri Episcopi numero ducenti, qui Arelatensi Concilio interfuerunt, parere se debere existimaverint, & revera obsecuti sunt, argumento est illos agnovisse Magnum illum Imperatorem nihil præter jus tentasse, cùm Donatistis a Concilii Romani judicio ad illum appellantibus aliud Judicium Episcopale & frequentius Concilium dedit, nimirum Arelatense.

Probatur tertia pars ex Optato Milevitano, lib. 1. *Adversùs Parmenianum*, pag. 45. *Sed quia*, inquit, *in ipsâ caussâ jamdudum in Catholica duarum videbantur laborare persona, & Ordinati, & Ordinatoris: postquàm Ordinatus in Urbe purgatus est, purgandus adhuc remanserat Ordinator. Tunc Constantinus ad Ælianum Proconsulem scripsit, ut remotis necessitatibus publicis de vita Felicis Aptungitani publicè quæreretur.*

Probatur secundò ex Sancto Augustino, libro *Post Collationem contrà Donatistas*. cap. 32. dicente: *Etiam hæc ergo caussa Felicis discussa est Proconsulari Judicio, ubi liquidissimè innocentia Felicis apparuit.* Addit, Donatistas in Collatione Carthaginensi protulisse literas Constantini Imperatoris, ex quibus innotuit: *Constantinum scripsisse quòd Ælianus Proconsul in caussa Felicis audientiam præbuerit competentem, & quòd a criminibus traditionis innocentem fuisse Felicem constiterit. Sed Ingentium* * *ad comitatum suum propterea mitti voluisse, ut his*, inquit, *qui impræsentiarum agunt, & diuturnis diebus interpellare non desinunt, præsentibus, & coram assistentibus, apparere & intimari possit, frustrà eos Cæciliano invidiam comparasse, & adversùs eum violenter insurgere voluisse.* Tum pergit: *Ipsi recitaverunt, Quis nostrûm hoc auderet optare, ut quos iniquitas fecerat nostros impugnatores, æquitas nostros faceret defensores? (sicut*

* *Decentio ille fuit Ziquensium civitatis, falsò contra Felicem Aptungitanum convictus.*

cut & illum Balaam, quem temporibus antiquis ad maledicendum Dei populum conduxit iniquitas, benedicere compulit veritas.) Idem constat ex Epistolâ 152. & Epistolâ 162. *An fortè, sicut quidam dixit, non debuit Episcopus Proconsulari Judicio purgari? Quasi verò ipse sibi hoc comparaverit, ac non Imperator ita quæri jusserit, ad cujus curam, de quâ rationem Deo redditurus esset, res illa maximè pertinebat. Arbitrum enim & judicem caussæ traditionis & Schismatis illi eum fecerant, qui ad eum etiam preces miserant, ad quem postea provocarunt, & tamen judicio ejus acquiescere noluerunt.* Jure ergo Constantinus Felicis Aptungitani caussam Æliani Proconsulis examini ac judicio commisit.

Denique sæcularium judicio Magistratuum tunc subditi erant ipsi Episcopi, a quibus eos primùm immunes fecit Gratianus Augustus, ut testantur Episcopi e Synodo Romana ad ipsum & Valentinianum scribentes anno 378. *Memoratus frater noster Damasus*, inquiunt, *quoniam in suâ causâ vestri tenet insigne judicii, non fiat inferior his quibus etsi æqualis est munere, prærogativâ tamen Apostolicæ Sedis excellit: ut Judiciis publicis videatur esse subjecti, quibus Sacerdotale caput lex vestra summovit.* Cum itaque sacrilegii accusatus esset a Donatistis Felix Aptungitanus, nimirum traditionis & exustionis sacrorum Codicum, & illius criminis præsumptio schismati vires adderet, quia Cæciliani Ordinationem propterea illegitimam esse contendebant, quòd a Traditore fuisset ordinatus, jure meritòque Ælianus Proconsul, Imperatoris mandato, illius caussæ cognitionem suscepit, omnibusque ordine cognitis, discussis & expensis, Felicem Aptungitanum insontem judicavit.

Probatur ultima pars. Princeps qui cognitionem caussæ jam ab Episcopis judicatæ non suscipit nisi coactus, & ob temporum necessitatem, ob Ecclesiæ pacem, ad frangendam Schismaticorum contumaciam, non verò ut rem ab Episcopis judicatam iterum ad examen revocet: vel qui id unum expendit, an judiciorum ordo fuerit in Ecclesiastico negotio servatus, jure suo utitur: Sed Constantinus Magnus cognitionem caussæ Cæciliani jam in duplici Concilio absoluti, & Donatistarum in iis damnatorum, non suscepit nisi coactus, nec illam ad examen revocavit, ut de judicio Episcoporum ipse judicaret; sed solùm ad frangendam Hæreticorum contumaciam. Et aliunde expendere poterat an judiciorum ordo fuisset in Ecclesiasticis Judiciis servatus. Itaque jure suo Constantinus usus est, cùm provocantibus ad illius tribunal Donatistis, post Concilium Arelatense, ultimum in causâ Cæciliani, & illorum Schismatis tulit judicium.

Probatur Minor ex Sancto Augustino Epistolâ 68. ubi de Constantino sic loquitur: *Unde ille alterum Episcopale Judicium dedit habendum in Arelatensi Galliæ civitate, ubi multi vestri vanâ & diabolicâ dissensione damnatâ, cum Cæciliano in concordiam redierunt. Alii verò pertinacissimi, & litigiosissimi ad eumdem Imperatorem appellaverunt. Postea & ipse coactus Episcopalem caussam inter partes cognitam terminavit, & primus contra vestram partem legem constituit, ut loca congregationum vestrarum fisco vindicarentur.*

Et Epistolâ 162. *Dedit ille* (Constantinus) *aliud Arelatense Judicium: aliorum scilicet Episcoporum, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de judicio Episcoporum qui Romæ sederant, ipse judicaret: sed alios, ut dixi, Episcopos dedit, a quibus tamen illi ad ipsum rursum Imperatorem provocare maluerunt. Quâ in re illos quemadmodum detestetur, audistis. Atque utinam saltem ipsius judicio insanissimis animositatibus suis finem posuissent, atque ut eis ipse cessit, ut de illa caussa post Episcopos judicaret, a sanctis Antistitibus veniam postea petiturus, dum tamen illi quod ulteriùs dicerent, non haberent, si ejus sententiæ non obtemperarent, ad quem ipsi provocaverunt: sic & illi aliquando cederent veritati. Jussit enim ille ut ei partes ad agendam causam Romæ occurrerent. Quò cùm Cæcilianus nescio quâ causâ non occurrisset, interpellatus ab eis præcepit ut Mediolanum sequerentur. Tunc se aliqui eorum subtrahere cœperunt, fortasse indignati, quia non est eos imitatus Constantinus, ut jam statim atque velociter Cæcilianum damnaret absentem. Quod ubi cognovit providus Imperator, reliquos ab Officialibus custoditos fecit Mediolanum pervenire. Quò cùm etiam Cæcilianus pervenisset, ipsum quoque sicut scripsit, exhibuit, cognitâque causâ, quâ diligentiâ, quâ cautelâ, quâ provisione, sicut ejus indicant literæ, Cæcilianum innocentissimum, illos improbissimos judicavit.* Idem constat ex Epistolâ 165. & ex libro 4. *Contra Cresconium Grammaticum*, Cap. 7. Denique id probatur ex *Breviculo Collationis diei tertiæ cum Donatistis*, cap. 19. *Et recitatum est*, inquit, *judicium Constantini, quemadmodum se inter partes caussam Cæciliani cognovisse ad Eumalium Vicarium Africæ scripsisset, quòd remotis omnibus arbitris Cæcilianum innocentem, illos calumniosissimos cognovisse testatus est; commemorans etiam in Arelatensi oppido pro Cæciliano factum Episcopale Judicium, cui judicio jam plurimi ex dissensione consenserant, aliquis adhuc resilientibus, & discordantibus. Unde ipse de re totâ inter partes coactus est judicare.*

Objicies. Non est juris Principum judicare de caussis & personis Ecclesiasticis: atqui Cæciliani, Felicis Aptungitani, & Donatistarum caussæ erant Ecclesiasticæ, & Cæcilianus ac Felix erant personæ Ecclesiasticæ, utpote Episcopi. Jure itaque suo non est usus Constantinus, cùm judicium tulit de causâ Cæciliani & Felicis Aptungitani, aut cùm Donatistis judices dedit, & Concilia in illorum causa indixit. Probatur Major ex Sancto Ambrosio Epistolâ 13. libri secundi ad Valentinianum Augustum data. *Nec quisquam*, inquit, *contumacem judicare me debet, cùm hoc asseram, quòd augustæ memoriæ Pater tuus non solùm sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit: In causa Fidei, vel Ecclesiastici alicujus Ordinis eum debere judicare, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis; hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare.*

Idem constat ex Sententia Sancti Ambrosii contra Palladium in Concilio Aquilejensi, quâ inter rationes damnationis illius hanc profert, quòd Episcopus cùm esset, ad Laicos provocaret. *Etsi*, inquit, *in multis impietatibus deprehensus sit, erubescimus tamen, ut videatur, qui Sacerdotium sibi vindicat, a Laicis esse damnatus. Ac per hoc quoniam & in hoc ipso damnandus est, qui Laicorum expectat sententiam, cùm magis de Laicis Sacerdotes debeant judicare.*

Et antè Sanctum Ambrosium, Sanctus Athanasius Concilium Tyri insectatus est, quòd Imperator illi sese immiscuerit, Dionysium Comitem illuc mittens: *Si istud judicium Episcoporum*, inquit, *quid commune cum eo habet Imperator?* Apolog. 2.

Hinc Osius in adhortatione ad Constantium Imperatorem, ait: *Tibi Deus Imperium commisit, nobis ea quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Sicut ergo qui Imperium tuum malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, divinam indignationem incurras. Neque igitur nobis fas est Imperium in terris te-*

tenere; neque tu thymiamatum & Sacrorum potestatem habes, Imperator. Hinc denique Basilius Augustus in Allocutione ad Synodum VIII. Actione 10. profitetur: *Datum non esse Laicis, secundùm Canonem, jus dicendi quidquam de Ecclesiasticis caussis: opus enim hoc Pontificum & Sacerdotum est: quia etsi Laicus omni pietatis & sapientia laude præstet, tamen Laicus est, & ovis, non Pastor*. Non est itaque juris Principum judicare de caussis & personis Ecclesiasticis.

Respondeo distinguendo Majorem. Si caussæ illæ merè Ecclesiasticæ sint, concedo; si sint mixtæ, nego. Vel iterum distinguo: Non est juris Principum judicare de caussis & personis Ecclesiasticis, ad Ecclesiasticæ potestatis eversionem, & cùm id non exigit Ecclesiæ bonum, concedo: ad Ecclesiasticæ potestatis protectionem, & cùm id postulat Ecclesiæ necessitas, nego. Distinguo etiam Minorem; Caussæ Cæciliani, Felicis Aptungitani & Donatistarum erant Ecclesiasticæ ex parte, concedo: omninò, nego. Et nego consequentiam. Itaque Princeps de caussis merè Ecclesiasticis, id est, de caussis Fidei, vel Ecclesiasticæ dumtaxat Disciplinæ constituendæ non potest ferre judicium, neque de his quæ Sacramenta spectant. Et id probant unum Sancti Ambrosii & Osii testimonia. Nam Sanctus Ambrosius in priori loco agit de Auxentio Ariano Episcopo, cujus caussæ cognitionem ad suum tribunal trahere nitebatur Valentinianus, præcipiendo ut Sanctus Ambrosius in suo Consistorio de Fide cum Auxentio disputaret, ita ut ipse Imperator sederet disputationis arbiter & judex. Unde Sanctus Ambrosius ait: *Quando audisti, clementissime Imperator, in caussa Fidei Laicos de Episcopo judicasse? Ita ergo quadam adulatione curvamur, ut sacerdotalis juris simus immemores, & quod Deus donavit mihi, hoc ipse aliis putem esse credendum? Si docendus est Episcopus a Laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet, & Episcopus audiat, Episcopus discat a Laico. At certè si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora tractemus, quis est qui abnuat in caussa Fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare?* In altero verò loco agit Sanctus Ambrosius de Palladio, cujus caussa pariter erat Fidei, cùm Arianæ Hæreseos argueretur. At possunt Principes judicare de caussis mixtis, id est, in quibus agitur, exempli caussâ, de aliquo crimine, quod spectat Principis cognitionem, propter quod crimen vel Ordinatio Ecclesiastica impugnatur, vel Schisma in Ecclesia excitatur. Tunc enim Princeps in criminis veritatem aut falsitatem inquirere, & de eo judicium auctoritate suâ ferre potest, innocentes absolvendo, reos damnando, falsos accusatores calumniæ pœnis obnoxios declarando: judicium verò de Schismate, vel de Ordinatione, Judicibus Ecclesiasticis relinquendo. Id autem præstitit Constantinus in caussis Cæciliani, Felicis Aptungitani, & Donatistarum. Schisma ortum erat ob Ordinationem Cæciliani, quam illegitimam esse Donatistæ contendebant, tum ob propria Cæciliani ipsius crimina, quòd scilicet Martyribus in carcere constitutis victum subtraxisset, & sacras Scripturas persecutoribus tradidisset: tum ob scelera Felicis Aptungitani, a quo fuerat ordinatus, & quem Traditorem etiam fuisse sacrorum Codicum criminabantur. Constantinus porrò suscepit cognitionem caussæ Cæciliani, & Felicis quantùm ad crimina, quæ ipsis objiciebant Donatistæ, & illos Episcopos insontes, Donatistas verò calumniosissimos judicavit. At non judicavit de Ordinatione Cæciliani, vel de Schismate: Sed judicium illud reliquit Episcopis, quos judices dederat, & eorum tandem judicium executioni mandavit, exilii, ac postea capitis pœnam adversùs contumaces Schismaticos decernens.

Præterea, Licèt Princeps non possit caussarum Ecclesiasticarum cognitionem suscipere, ut Judiciorum Ecclesiasticorum auctoritatem deprimat, jure dominationis in Ecclesiam: potest tamen, ut jura Ecclesiæ servet, jureque protectionis. Neque contrarium probat Sancti Athanasii in Constantium Invectiva. Nam Constantius in Arianos propensior, Judiciorum Ecclesiasticorum libertatem & Disciplinæ Ecclesiasticæ ordinem pessumdabat. Constantinus autem jure protectionis, hæc quæ diximus, præstitit in caussis Cæciliani, Felicis Aptungitani, & Donatistarum Ecclesiæ leges voluit sartas tectas servari, Episcopos de illis negotiis, qua parte erant merè Ecclesiastica, judicare, scilicet de Ordinatione Cæciliani, & de Schismate. Unde nec Conciliorum voluit esse particeps, nisi ut judiciorum ordinem in iis servari efficeret: nec post Episcoporum judicia hujusmodi caussarum suscepit cognitionem, nisi ut inquireret accuratiùs num judiciorum forma servata fuisset; quo supposito, ipsorum sententiam executioni mandaret, lata etiam lege, & decretis pœnis temporalibus in Donatistas perduelles. Quibus factis pientissimus Imperator gloriosum *communis Episcopi* nomen promeritus est, quo eum Eusebius, lib. 1. *De Vita Constantini*, cap. 37. insignivit, & *Episcopi extra Ecclesiam a Deo constituti*: quod sibi ipsi nomen tribuebat.

Denique quamvis Principes caussarum Ecclesiasticarum cognitionem post Episcopalia Judicia suscipere, ac de iis judicare non debeant, nec possint, cùm id Ecclesiæ necessitas non postulat, possunt tamen, cùm id opus est ad frangendam Hæreticorum, vel Schismaticorum contumaciam. At necesse erat ut Constantinus de Cæciliani caussa post Romani & Arelatensis Synodi judicia adhuc sententiam diceret, ut Donatistæ pervicaces ulteriùs quod dicerent, non haberent, si ejus sententiæ non obtemperarent, ad quem ipsi provocaverant, & ut aliquandò cederent veritati, ut ait Sanctus Augustinus Epistolâ 162. Unde nihil contra jus egit his in caussis Constantinus.

Objicies secundò. Non est juris Principum Concilia Ecclesiastica convocare: atqui Constantinus Romanam & Arelatensem Synodum indixit: ergo jure suo non est usus in istis negotiis.

Respondeo negando majorem. Quamvis enim jus illud spectet ad Episcopos, & Summos Pontifices, tamen spectat etiam ad Principes. Ad illos *jure Regiminis Ecclesiastici*, ad istos *jure protectionis*, quam Fidei & Ecclesiæ impendere tenentur. Unde priora Concilia, etiam Oecumenica, Christianis ab Imperatoribus convocata sunt, ut in progressu hujus Operis videbimus. Et certè id posse Principes, & alia quæ ad Hæresum & Schismatum extinctionem, necnon ad Ecclesiasticam Disciplinam muniendam necessaria sunt, constat ex Sancto Isidoro Hispalensi, libro *De Summo Bono* *, cap. 53. qui locus a Concilio 6. Parisiensi, & Aquisgranensi primo laudatus est. *Principes sæculi*, inquit, *nonnumquam intra Ecclesiam potestatis adepta culmina tenent, ut per eamdem potestatem Disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterùm intrà Ecclesiam Potestates necessaria non essent, nisi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, id Potestas Principalis imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per Regnum terrenum Regnum cæleste proficit; ut qui intra Ecclesiam positi, contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ utilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat, & ut venera-*

* Sive lib. 3. Sententiarum.

rationem mersatur, Potestas impertiat. Cognoscant Principes saeculi, Deo debere se reddere rationem propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiant. Nam sive augeatur pax & disciplina Ecclesia per Fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit. Cùm igitur Constantinus Magnus in caussis Cæciliani & Felicis Aptungitani, ac in toto Donatistarum negotio, nihil non egerit ad Ecclesiæ tuitionem, & ad Fidei, unitatisque Ecclesiasticæ conservationem; nihil præter jus egisse dici potest.

SCHOLION I.

Ad hanc Dissertationem, & pag.24. Editionis primæ Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Jure suo Constantinus Imperator usus est, sive cum Caciliano & Donatistis Judices dedit*, &c. Tota dissertatio inquiunt, expungatur.

R. A Constantino Imperatore hæc jure facta esse, non injuriâ, non usurpatione, agnovit Ecclesia, agnoverunt Romani Pontifices & Episcopi, qui & ipsi gratulati sunt, & paruerunt; agnovit *S. Augustinus* ut constat ex ejus Epistolis supra laudatis. Quicquid hac in causa fecit *Constantinus*, ad Ecclesiæ pacem, ad Religionis bonum, ac Reipublicæ tranquillitatem, ad vindicandam Catholicorum Episcoporum innocentiam, ad frangendam Schismaticorum contumaciam collineabat. Nihil ab ipso præter jus actum, firmissimis argumentis probavi, objectionibus solidas responsiones adhibui: Ære igitur, non spongiâ digna Dissertatio.

SCHOLION II.

Religiosi Censores, pag.32. Editionis primæ, hanc Propositionem notant; *Princeps sæcularis jure proprio se intromisit in causis Ecclesiasticis pro bono pacis.*

R. Pag. 32. Nihil hujusmodi habetur; sed pag. 33. hæc leguntur, *Princeps qui cognitionem causa jam ab Episcopis judicata non suscipit nisi coactus, & ob temporum necessitatem, ob Ecclesia pacem ad frangendam Schismaticorum contumaciam, non verò ut rem ab Episcopis judicatam iterum ad examen revocet: vel qui id unum expendit, an judiciorum ordo fuerit in Ecclesiastico Negotio servatus, jure suo utitur.* Quantùm discrepet ista Propositio ab ea quam Indiculi Censorii Auctores cuderunt & mihi affinxerunt, nemo perspicax non intelligit.

SCHOLION III.

Ad pag.33. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc notant Propositionem; *Episcopi quarto Saculo erant subditi Magistratui.*

R. Id certissimum. Primus enim *Gratianus* Augustus eos a sæcularium Magistratuum judicio immunes fecit, ut testantur Episcopi e Synodo Romana ad ipsum & *Valentinianum* scribentes anno 378. cujus Synodi verba ibidem refero. Facti & Historiæ Quæstio est, non dogmatis. Subditos fuisse dixi sæcularibus Magistratibus, non in causis & rebus Ecclesiasticis, sed in cæteris omnibus.

SCHOLION IV.

Ad pag.40. Religiosi Censores hanc Propositionem notant; *Princeps potest Congregare Concilia jure protectionis.*

R. Sic revera octo priora Concilia Oecumenica ab Imperatoribus convocata sunt; Ecclesia minimè reclamante. Rectè itaque scripsi; *Quamvis jus illud spectet ad Episcopos & Summos Pontifices, tamen spectat etiam ad Principes: Ad illos jure Regiminis Ecclesiastici; ad istos jure protectionis, quam Fidei & Ecclesia impendere tenentur.*

ANIMADVERSIONES in illam Natalis propositionem: *Jure suo Constantinus Imperator usus, sive cùm Caciliano, & Donatistis Judices dedit, qui eorum causam in Concilio Romano discuterent &c.*

§. I.

Non poterat Imperator Judices destinare, qui Caciliani, ac Donatistarum causam discuterent.

Ni velimus necessitati, cui jura cedunt, vel charitati adscribere, quæ gessit Constantinus in causa Cæciliani, suæ limites potestatis prætergressum fateri cogimur cum Valesio, quem dedi in Notis post art.1.cap.2. Hist. Eccl. sæcul.IV.

Alienum ergo fuisse a Jure Imperatoris Judices destinare, qui causam Cæciliani, ac Donatistarum agnoscerent, illud sane demonstrat, quòd frustra ab eo eliguntur Judices, qui non potest illis auctoritatem judicandi impertiri. Observandum igitur quòd ii Episcopi, quos ex Gallia elegit Constantinus, auctoritate in hoc judicio sententiam ferendi destituebantur; canones etenim Nicæni in propriis Provinciis causarum ecclesiasticarum judicia primò exercenda voluere; quapropter judices ex Gallia assumpti illegitimi prorsus erant, & omni quoad hanc causam exuti potestate. Restabat ergo potuisse Constantinum hujusmodi potestatem eisdem elargiri, ut jure sun tales judices assumere potuisset. Verùm ipse Natalis, cùm apertè dicat in responsione ad primam objectionem elegisse hos episcopos, ut de Schismate, & de ordinatione judicarent, ac hujusmodi saltem judicia sæpe fateatur ad imperatoriam non pertinere potestatem, velit, nolitque docet non potuisse de iis judicandis potestatem episcopis communicare: qui etenim ordinariâ non gaudet potestate, neque alteri valet delegare.

Nullam proinde semper agnoverunt PP. auctoritatem obtinuisse illos, quos Imperatores in quibusdam ecclesiæ causis judices esse voluere, cujus rei aliqua proferam exempla. Cùm Ibas Edessæ Metropolitanus, Joannes, & Daniel Episcopi a Clericis de hæresi fuissent accusati, ex rescripto Theodosii ab Osrhoena Provincia ad Provinciam Phœniciæ translati sunt, ut ibidem a Photio episcopo Tyri aliisque judicarentur. Quanquam autem præfati clerici viderentur potius a synodo Antiochena, in qua jam lis legitimè fuerat contestata, ad Synodum œcumenicam recurrere cogitasse, in libello etenim Samuelis dicitur: *secundùm canones adeuntes Concilium tam orientale, quàm occidentale*, nihilominus quia etiam Imperatorem adiverant, qui judices elegerat, ita de iisdem conqueritur Domnus in suo Concilio Antiocheno: *Manifesti sunt Desertores, & excommunicationem, & apostolicum hunc thronum contemnentes & seipsos submittentes majori damnationis supplicio.* Videantur acta Concilii Chalcedonensis *act.* 10. Cùm etiam Arcadius Theodosii junioris Pater Theophilum Alexandrinum a S. Jo: Chrysostomo, & mox Chrysostomum a Theophilo judicandum imperasset, uterque hanc delegationem respuit tanquam canonibus contrariam, cùm neuter alteri subditus esset; nec ex Principis delegatione sese legitimos judices habere voluerunt. Theophilus quidem postea legum ecclesiasticarum refractarius adversùs Chrysostomum judicis tribunal usurpavit; quod tamen quàm contra jus fieret non de-

finit

finit idem Chrysostomus ad Innocentium I. scribendo demonstrare, seque abstinuisse dicit, quamvis jubente Imperatore, a causa Theophili suscipienda, ne leges Patrum infringeret. Et infra: *Domini mei maximè venerandi, & pii studium vestrum, & magnam diligentiam adhibete, quo retundatur hec que in Ecclesia irrupit iniquitas. Quippe, si mos hic invaluerit, & fas fuerit cuivis in alienam paraciam irrumpere, idque ex tantis intervallis, & ejicere quos voluerit, & propria auctoritate quævis pro libidine sua facere, scitote quòd brevì transibunt omnia, & totus orbis premetur bello non indicto, omnibus ejectis, & omnibus ejicientibus.* Ita conquerebatur Chrysostomus de iis, quæ nullo juris præsidio fiebant a Judice, quem Imperator adversùs ipsum elegerat.

Neque iis obstant querelę S. Cyrilli, & Memnonis episcopi Ephesiorum, quæ leguntur *act.4. p.2.* primæ Synodi Ephesinæ, expostulantium se injustè a Joanne Antiocheno fuisse depositos, cùm *nec per leges Ecclesiasticas, nec per imperiale decretum potestatem haberet.* Fallit sanè, & fallitur qui putaret Cyrillum judicasse potuisse per imperiale decretum judices destinari, qui aliàs non habuissent in ipsos jurisdictionem. Ejusdem Cyrilli verba ostendunt ab ipso ignoratas non fuisse Ecclesiæ leges, quæ ordinem in Episcoporum judicio instituendo præscripserant, cùm fidenter affirmet Joannem Antiochenum, a quo fuerat depositus, *nec per leges ecclesiasticas talem habuisse potestatem.* Dum autem has non ignorasset leges, scire necesse erat suam Sedem Alexandrinam uni romanæ Ecclesiæ subesse; nullos episcopos potuisse in aliena provincia adversùs alios episcopos Judicis officium exercere; ac denique Ecclesiæ leges non ita laicæ subesse potestati, ut ex mandato Principis sint infringendæ. Ideo ergo Cyrillus, & Memnon se damnatos conquerebantur ab Episcopis, qui *nec per imperiale decretum* aliquâ potirentur potestate, non quia Principis imperium legitimos illos reddere potuisset, sed ad innuendum quantâ injustitiâ fuissent depositi a talibus judicibus, qui nec ex imperiali decreto, sicuti ea tempestate aliquando mos erat, propriam tueri possent auctoritatem.

Quod igitur, expostulante Constantino, Melchiades Papa in causa Cæciliani instituit judicium, ideo legitimum reputandum, quia Melchiades Papa, quamvis videretur Imperator mandasse, proprio jure illud assumere posse non ignorabat, quosque sibi bene visum esset episcopos in eodem adhibere. Et re vera ex propria auctoritate illud instituisse judicium ex eo etiam comperimus, quòd non solùm tres ex Gallia episcopos, quos destinaverat Constantinus, sed plures alios Pontifex eidem voluit interesse; unde S. Augustinus *ep.166.* dicit factum fuisse, præsidente Melchiade Papa *cum multis Collegis suis*. Et Optatus *l.1. contr. Parmenian.* etiam quindecim alios episcopos, quorum nomina, & Ecclesias ibi recenset, in hac causa judicasse affirmat. Nec alicui fucum faciat Augustinum *ep.162.* ad refellendos Donatistas hoc judicium legitimum fuisse ex eo probare, quòd Imperator ad ipsorum preces judices miserit, *qui cum Pontifice sederent &c.* Ita ajebat Augustinus, ut ostenderet Donatistas nulla ratione de hoc judicio conqueri potuisse, quasi judices legitimâ carerent auctoritate; etenim assignaverat Imperator, a quo ipsi expostulaverant. Cæterum benè ibidem innuit Augustinus se agnovisse a Melchiade hoc judicium jure proprio assumptum, dum ita ait: *An fortè non debuit Romanæ Ecclesiæ Melchiades Episcopus cum collegis transmarinis episcopis illud sibi usurpare judicium, quod ab Afris 70. ubi Primas Tigisitanus præsedit, fuerat terminatum?*

§. II.

Juris non erat Imperatoris Donatistis alterum judicium episcopale in urbe Arelatensi concedere.

PRopriè ad Imperatorem non pertinuisse concilium Arelate indicere, ipse Natalis fatetur, dum in responsione ad secundam objectionem dicit Constantinum illud convocasse *jure protectionis.* Cùm istud ius protectionis explicare infra non desinat, dum de concilii Nicæni convocatione disserit, aperte ibi fatetur civilem potestatem relatè ad cóncilia convocanda id solùm prestare, quòd eorundem canones in forensi etiam judicio vim legis obtineant, quòd per omnes Imperii, sive Regni Provincias executioni mandentur; & quòd Hæreticorum contumacia civili etiam auctoritate comprimatur. Demum etiam Imperatores ea ratione sibi convocandarum Synodorum auctoritatem tribuisse dicit, qua Ecclesiæ laboranti suum esse suppetias ferre arbitrati sunt. Dum igitur quæ ibidem refert Natalis satis expendantur, dignoscet unusquisque laicæ non esse potestatis concilia cogere, cùm quæ in iis pertractantur, ad spiritualem pertineant jurisdictionem: ac proinde quamvis Imperatores, Regesque in convocandis conciliis se immiscuerint, ut apud Thomass. *p.2. Vet. & Nov. Discipl. lib.3. cap.48. & 60.* huiusmodi re vera non potiebantur potestate; neque ex factis jus adstruendum. Tunc verò legitima incipiebant esse Concilia, dum Præsules, sive Romanus Pontifex convocationi assentientes, eorumdem postea sanctionibus non refragabantur. Hinc factum est quòd cùm Constantius Antiochiæ Concilium indixisset, irrita omnino ipsius decreta habita sunt, eò quòd Romani Pontificis assensus non accesserit, ut referunt Socrates *lib.2. cap.5.* Nicephorus Callistus quamvis schismaticus *libr.9. capit.5. & 6.* & Sozomenus *l.2. capit.9.* Nullius valoris etiam dixit Julius Papa apud Socratem *cap.13.* in literis datis ad Episcopos ibidem congregatos, nec ab illis increpandis abstinuit. Sed juvat audire Thomassinum *dissert.3. in Synod. Nicæn.* ubi postquam retulerat ex solo episcopali jure plures synodos coaluisse, *n.5.* inter alia hæc habet: *Nemini obscurum esse potest quid apostolici, & episcopalis, quid sæcularis & imperatorii sit juris. Et ut uno verbo rem absolvam, Episcopalis habentur juris quicquid ante Constantinum sub Imperio Gentilium perficiebant episcopi. Neque enim tunc vel suspicio ipsos ulla afflare potest, quasi imperatoria jura invaserint. Quòd autem Constantino tanta audenti cederent annuerentque episcopi, vel vis illa erat, vel voluntas. Si vis, ut in multis circa Arium, & Athanasium, nihil inde juris ei accrescebat. Si voluntas, ut in longe pluribus aliis, nec sic quidem jus imperatorium condebatur, cùm ex œconomia tum necessaria id totum de jure episcopali remitteretur. Conducebat enim vehementer multa condonari Imperatori, qui primus omnium Christo nomen dedisset, Ecclesiam tot persecutionibus jam diu jactatam liberasset, ejus toto orbe propaganda muniendaque, idololatria autem extinguenda certam spem faceret. Tali Imperatori non sua tantùm jura, justaque tribuenda erant, sed aliena quoque tunc indulgenda. Sed jure suo non exuuntur Episcopi, cùm ex necessaria dispensatione aliquam ejus partem remittunt. Nam etiam tum jus suum, jus proprium & summum penes ipsos est, cùm eo sibi condonato ex dispensatione alius utitur, vel abutitur.*

§.III.

§. III.

Jure proprio non potuit Imperator in causa Cæciliani, ac Donatistarum judicare.

QUæ in hoc paragrapho asseruntur, jam satis probata videntur ex iis, quæ animadvertenda duxi post caput secundum Hist. sæcul. IV. ubi visum est ipsos Imperatores ecclesiæ potestati reservatum agnovisse, ac voluisse quidquid pertinet ad judicium instituendum contra Ministros Ecclesiæ, ac præcipue contra sacros Antistites. Superest nihilominus hîc animadvertere ipsum Constantinum fassum esse suæ non fuisse potestatis in causa Cæciliani se immiscere. Cùm igitur ante synodum romanam Donatistæ Cæciliani causam ad Constantinum detulissent, auctor est Augustinus Imperatorem judicasse eamdem episcoporum Judicio fuisse subjiciendam: *Scitote*, ita alloquitur Augustinus Donatistas ep. 95. *quòd primi Majores vestri causam Cæciliani ad Constantinum Imperatorem detulerunt .... Sed quia Constantinus non est ausus de causa episcopi judicare, eam discutiendam, atque finiendam episcopis delegavit. Quod & factum est in urbe Roma*. Et ep. 93.: *Illos autem*, nempe Donatistas, *magis hinc arguimus, quia cùm apud Imperatorem ultro Cæcilianum accusassent, quem primò utique apud collegas transmarinos convincere debuerant, ipso Imperatore longe ordinatiùs agente, ut episcoporum causam ad se delatam ad episcopos mitteret, nec victi pacem &c.* Idem confirmat ep. 89. & expresse semper affirmat Imperatorem episcopale judicium dedisse, quia de episcoporum causa agebatur; quapropter adnotat Augustinus ideo Imperatorem hanc causam a suo tribunale removisse, quia cùm de episcopo ageretur, ab Ecclesiæ judicibus de ipsius crimine erat cognoscendum. Cùm verò sententiæ contra ipsos a Melchiade in Concilio romano latæ Donatistæ non acquieverint, ac proinde multas apud Imperatorem contra Melchiadem effunderent querelas, adhuc Constantinus ab audacia has causas cognoscendi abstinuit: *Neque enim ausus est*, ait Augustinus ep. 43. *christianus Imperator sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de judicio episcoporum, qui Romæ sederent, ipse judicaret; sed alios, ut dixi, Episcopos dedit.*

Donatistæ etiam Arelate damnati iterum ad Imperatorem provocarunt, quos tamen detestatus est, ut ait Augustinus *ep. cit.* atque insuper ita execratus est in epistolâ datâ ad PP. Arelate sua jussa opperientes: *Quotiens a me ipso improbissimis aditionibus suis sunt condignâ responsione oppressi? Quæ utique si hoc ante oculos habere voluissent, minime hoc ipsum interposuissent. Meum judicium expostulant, qui ipse judicium Christi expecto. Dico enim, ut se veritas habet, sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud judicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti. Quid igitur sentiunt maligni homines officia, ut verè dixisti, diaboli? Perquirunt secularia, relinquentes cælestia. O rabida furoris audacia! sicut in causis gentium fieri solet appellationem interposuerunt. Quid hi detractores legis, qui renuentes cæleste judicium, meum putaverunt postulandum, sic sentire de Christo Salvatore?* His verbis primò affirmavit Constantinus jam antea eos ad se confugientes repulisse; quod sane facere non debuisset, si causam ad laicum tribunal spectantem ad ipsum detulissent; atque suum non fuisse in eadem sententiam proferre ostendit, dum Donatistarum ad se *aditiones* appellavit *improbissimas*. Post romanum verò, ac arelatense judicium iterum perperam ab ipso Donatistas suæ causæ cognitionem poposcisse satis expressit, dum ait a se judicium expostulari, cùm ipse Dei judicium expectaret: quo significare voluit exutum esse potestate de iis judicandis, sicut dum addidit Synodi sententiam veluti ore Dei prolatam esse considerandam, nec relinquenda cælestia, & sæcolaria requirenda; & dum Donatistarum provocationem improbavit, quia a cæleste, a superiore nempe judicio, ad suum tribunal accesserant. Hæc profectò satis innuunt Constantinum agnovisse in hac causa judicis officium rite assumere non potuisse. Quòd si postea a judicio in hac causa ferendo non abstinuit, ad id necessitate compelli forte judicavit, cùm ita Donatistarum tumultus compescendos crederet. Ita innuit S. Augustinus *ep.* 43. ubi hæc habet: *Eis*, nempe Donatistis, *ipse cessit, ut de illa causa post episcopos judicaret, a sanctis Antistitibus postea veniam petiturus; dum tamen illi, quod ulterius dicerent, non haberent, si ejus sententiæ non obtemperarent, ad quem ipsi provocaverunt, sic & illi aliquando cederent veritati.* Dum igitur Constantinus novis quotidie Donatistarum interpellationibus fatigatus, post episcopos, causam Cæciliani &c. ad se evocavit, cognovit id ad se non pertinere; neque etenim, si juris sui esse credidisset, novo apud se examini eam subjiciendo, veniam a sanctis Antistitibus petere debuisset. Dignum se tamen veniâ credidit, quia iterum auscultando Donatistas, sibi suadebat suæ sententiæ parituros; atque ita tandem pacem incundam.

Dum hucusque dicta considerentur, videre est in hac ipsa controversia, nullâ factâ delictorum exceptione, Constantinum sæpius ostendisse episcoporum quascumque causas sui juris non fuisse judicare; in eisdem ecclesiæ tribunal adeundum; & post hujus judicium nihil superesse, maxime a laica potestate cognoscendum. Quòd si Augustinus Imperatorem non reprehendit, quia tandem judicis munus in causa ecclesiastica susceperit, non proinde cogimur dicere omnia, quæ Constantinus gessit approbasse. Cum animadvertat S. Doctor ad judicii ordinem servandum Constantinum episcopis episcopos judices destinasse, nec post istorum judicium novum causæ examen assumpsisse, nisi veniam ab episcopis petiturum, satis innuit qua in re limites suæ potestatis fuerit prætergressus; quamvis id flagranti desiderio pacem ecclesiis restituendi tribuat.

Placet demum observare non solùm in hac Cæciliani causa Constantinum agnovisse de episcoporum delictis ab ecclesia dumtaxat judicium instituendum, sed ipsorum dignitatem talem esse, ut laicæ potestatis auctoritati non sit subjicienda; unde apud Ruffinum, Socratem, Sozomenum ita Episcopos alloquutus est. *Deus vos constituit sacerdotes, & nobis a Deo dati estis judices; & conveniens non est ut homo judicet Deos, sed ille solùm, de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* Hujusmodi Constantini verba repetit Carolus Magnus in suis Capitularibus *lib.* 5. *c.* 165. ut demonstret solùm ecclesiæ Judicibus Episcoporum causas esse relinquendas, utpote quia sæculari potestati superiores habendi sunt. Et *l.* 6. *cap.* 210. hujusmodi Episcoporum immunitatem ex sacrorum ministrorum dignitate repetit, alia Constantini verba usurpans, quando nempe judicia ecclesiastica respuens ait; *Mihi homini constito, de hujuscemodi rebus non licet habere auditorium, Sacerdotum scilicet accusantium, & simul accusatorum, quos minimè convenit tales monstrari, qui judicentur ab aliis.* Iis addit Valentiniani senioris verba, qui ita Episcopos effatus est,

Su-

Supra nos est vestrum negotium, & ideo vos de vestris inter vos agite causis, quia supra nos estis. Cùm igitur Imperatores episcopis ratione suæ preclarissimę dignitatis immunitatem deberi agnovissent, nil distinguendo inter unam alteramve causam, etiam criminalia ipsorum judicia ecclesiæ tribunalibus relinquenda fassi sunt. Id significavit etiam Basilius Imperator, cujus verba refert Natalis in prima objectione, ex ca ratione a laicis causas ecclesiasticas removens, quia ovis non est de Pastore judicare. Idipsum confirmare voluit S. Athanasius ea rationę Imperatoris auctoritatem a synodo Tyri remotam volens, quia laica potestas nil debet in iis attentare, quæ spectant ad judicium episcoporum. Hinc novas in Imperatorem querelas in epistolâ ad Solitarios fundens ait: *Quis videns eum in decernendo Principem se facere Episcoporum, & præsidere ecclesiasticis judiciis, non meritò dicat illum etiam ipsam abominationem desolationis esse, quæ a Daniele prædicta &c.* Ubi igitur de episcopo erat inquirendum, juris non esse Principis inter judices sedere, nimis aperte tradit Athanasius. Si verò indispensabilis necessitas suaderet, non ausim negare tunc Principes extendere debere suum patrocinium ad opem ecclesiæ ferendam, ac proinde etiam ad improbos ministros arcendos, seu ad innocentes tuendos. At dum hæc necessitate impellente Princeps perageret, unde etiam Ecclesia ad illius tutelam solet confugere, non jurisdictionem exerceret, sed Matrem suam, sanctam scilicet Ecclesiam, tueretur. Videantur etiam dicta in Animadversionibus post caput 2. Hist. sæculi IV.

Nota.

Quæ in superioribus Animadversionibus dicta sunt satis demonstrant immunitatem episcoporum a laica potestate exortam non fuisse beneficio legis Gratiani Imperatoris; quamvis & ipsum immunes voluisse non diffitear. Ita etiam demonstrarunt Donatistarum querelæ, quibus exprobrabant catholicis Cæciliani causam a Constantino fuisse judicatam, illosque, ut refert ipse Natalis, illis redarguebant verbis: *Quid Christianis cum Regibus? Quid Episcopis cum palatio?* Et quidem quis putet ita ausos fuisse inclamare, si in Cæciliani causa aliquid fuisset, quod ad Imperatores cognoscere pertineret? Donatistarum autem querelis nil aliud PP. responderunt, nisi ipsorum culpâ Constantinum in hac causa sententiam dixisse; ipsi quippe, ut Ecclesiæ judicium declinarent, ad Imperatorem hanc causam detulerant: *Si nota est*, ita respondet Optatus, *nosse Reges, vos tantâ perfundit invidiâ. Nam majores vestri Imperatorem Constantinum harum rerum adhuc ignarum his precibus rogaverunt &c.*

Nota.

Etiam in superioribus animadversionibus dixi, quid ex ipso Natale significet jus illud protectionis, quo asserit Principes Concilia convocare potuisse. Nec adnotare omisi tunc legitima evadere, quando Ecclesiæ Pastores, ad quos de jure ea cogere spectat, illorum convocationi consentiunt, ratihabentque.

Nota.

Eo quòd causam Cæciliani Romæ a Melchiade in Synodo judicatam, novo examini in Synodo Arelati indicta subjectam voluerit Constantinus, Calvinus primæ Sedis supremam auctoritatem infringere conatur, observando quòd Pontificis sententia iterum in majori Synodo discutienda fuerit proposita. Launoius verò *epistolar. par. 2. ep. ad Jacobum Boetium a S. Victore* ex iis, quæ in Cæciliani causa facta sunt, putat palam fieri a Pontifice ad Concilium Generale posse appellari. Huc & innuere ipsi videtur S. Augustinus; de judicio etenim Melchiadis *ep. 43.* disserens hæc habet: *Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ judicarunt non bonos fuisse judices: restabat adhuc plenarium Ecclesię universæ Concilium, ubi etiam in ipsis judicibus causa posset agitari*.

Verùm ipse Augustinus in eadem epistolâ satis declarat quàm male ipsius verbis abutantur contra Papæ supremam potestatem. Primò ergo audaciæ reos tradit Donatistas, quia ausi fuerint accusare Romanos Patres apud Imperatorem, non apud alios collegas, *quòd male judicaverint*. Deinde asserit post judicium Melchiadis non fuisse necessariam aliam Synodum, sed datam fuisse ad impudentiam Donatistarum cohibendam: *Dedit*, inquit, *aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet episcoporum; non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere*. Dùm autem, licèt instanter poscerent Donatistæ, nova Synodus non erat necessaria, & nonnisi per summam impudentiam expostulabatur, clarum est, nullo illis suffragante jure, Romani Pontificis sententiæ non acquievisse, eamque jure non fuisse in pleniori conventu examinandam. Unde cùm dixit Augustinus: *Restabat adhuc plenarium ecclesiæ universæ Concilium &c.* non voluit significare ad istud provocari potuisse, sed quòd id supererat ad schismaticorum impudentiam compescendam. Exploditur etiam vera appellatio a Melchiadis sententia, eò quòd dixerit Augustinus ab eisdem, qui sederunt Romæ, Judicibus, in plenario concilio causam potuisse iterum agitari; ubi enim vera intercedit appellatio, Patres, a quibus appellatum est, judices esse nequeunt in sequiori judicio, ad quod appellatur: & re vera in Synodo Arelatensi plures interfuere cum jure suffragii ex iis, qui de Cæciliani causa in Romana Synodo judicaverant. Semper proinde apparet novum judicium post romanum in eadem causa institutum, non quia juridica urgeret appellatio, sed ut luculentiùs Donatistarum impudentia aperiretur, cohibereturque. Potuit etiam Romanorum Patrum judicium retractari, ut si male ibi judices *judicasse convicti essent, eorum sententię solverentur*, neque etenim repugnabat Melchiadem, ac Synodum in quæstione facti decipi potuisse, ut observat Natalis in sexta dissertatione: quod tamen non convincit post Melchiadis sententiam debuisse, exposcentibus Donatistis, in alio concilio eamdem causam agitari.

Ex iis perspicuum fit quàm male Bossuet *in Defens. declarat. Cler. Gallican. p. 2. lib. 14. cap. 10.* causam Cæciliani producat ad ostendendum similes causas ab universali concilio esse retractandas, nec nisi ex consensione orbis finitas esse credendum. Id a se stabiliendum ducit, quia Augustinus post judicium Romæ habitum adhuc dicit restasse plenarium ecclesiæ concilium, in quo eadem causa posset agitari. At profecto non legerat Bossuet dixisse pariter Augustinum hujusmodi Concilium necessarium non fuisse; si etenim illius nulla erat necessitas, statim apparet sensisse post Melchiadis judicium causam esse finitam: quapropter subdit Arelatense judicium concessum fuisse, ut Donatistarum impudentia compesceretur. Si pariter ad hoc judicium absolvendum post Melchiadis

dis sententiam nil aliud desiderabatur, quomodo consensus orbis seu Ecclesiæ expectandus erat, ut hujusmodi causæ finis imponeretur? Id absque dubio non significant Augustini verba relata a Bossuet, solùm etenim explicare voluit sententiam, qua Cæciliani innocentia asserta fuit, nunquam fuisse revocatam, cùm nunquam orbis, seu ecclesia cum Cæciliani accusatoribus communicaverit: *Restabat*, ait Augustinus, *plenarium universæ ecclesiæ concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, ut si malè judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur, quod utrùm fecerint Donatistæ probent; nos enim non factum esse facilè probamus, ex eo quòd totus orbis non eis communicat.*

Nota.

DE Romani Pontificis in quæstionibus facti infallibilitate aptiùs agendum, ubi de hac infallibilitate sermo erit.

DISSERTATIO VI.

De Absolutione Cæciliani.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Cæcilianum a Judicibus Ecclesiasticis absolutum, credere debuerint innocentem, tum Donatistæ, ut in Ecclesiam reciperentur, tum ipsi Catholici, qui cum Cæciliano communicabant.

PROPOSITIO.

N*Eque Catholici, qui cum Cæciliano communicabant, neque Donatistæ ad Ecclesiæ gremium redeuntes, credere tenebantur Cæcilianum criminum, quorum fuerat accusatus, purum esse, aut non errasse Judices Ecclesiasticos qui ipsum absolverant: sed solùm non temerè credere ipsum esse reum, & Judices, a quibus fuerat absolutus, malè judicasse.*

Probatur primò ex Sancto Augustino, lib. *De Unitate Ecclesiæ*, cap. 2. ubi caussam separationis Donatistarum ab Ecclesia nullam fuisse demonstrat, etiamsi crimina Cæciliani vera essent: & ut Ecclesiam toto orbe diffusam communione Cæciliani contaminatam & violatam non fuisse ostendat, non confugit ad judicii indeficientis privilegium, sive Melchiadi in meri facti quæstionibus, sive Romano Concilio, sive Synodo Arelatensi concessum, quod ipsum credere coegerit Cæcilianum tam gravibus tamque sanctis judiciis absolutum, insontem esse. Immò supponit evidenter Judices Ecclesiasticos malè judicare potuisse illâ in caussâ: sed etiamsi res ita se haberet, Ecclesiam ipsorum peccato, aut Cæciliani criminibus non fore propterea polluendam. Ergo neque Catholici, neque Donatistæ, credere tenebantur Cæcilianum tot judiciis absolutum innocentem esse, aut non errasse Judices Ecclesiasticos, qui ipsum absolverant; sed solùm non temerè credere ipsum esse reum, & Judices a quibus fuerat absolutus, malè judicasse.

Probatur antecedens verbis Sancti Augustini: *Auferantur ergo illa de medio*, inquit, *quæ adversùs nos invicem non ex divinis canonicis libris, sed aliunde recitamus. Quòd si nolint ut auferantur, videant, quia etsi utraque vera sunt, nulla fuit caussa separationis illorum, ut eos fugerent, quos in nullo crimine reperiebant. Et si nostra vera, illorum autem falsa sunt, nulla fuit caussa separationis illorum, quia potiùs se corrigere, atque in unitate permanere debebant. Et si nostra falsa sunt, & illorum vera sunt, nulla fuit caussa separationis illorum, quia innocentem orbem terrarum, cui hæc demonstrare, vel noluerunt, vel non potuerunt, deserere non debebant.* Et infra: *Si finire inter se obortam dissensionem non poterant, ut sive per concordiam compositis, sive degradatis qui malè contenderent, hi qui bonam caussam habebant, in communione orbis terrarum per unitatis vinculum permanerent: Restabat utique ut Episcopi transmarini, quâ parte maximâ diffundebatur Ecclesia Catholica, de Afrorum collegarum dissentionibus judicarent, illis videlicet instantibus, qui crimen malæ Ordinationis objiciebant. Hoc si factum non est, culpa eorum est a quibus fieri debuit, non orbis terrarum, qui non ad se perlata nescivit. Si autem factum est, quid peccaverunt Ecclesiastici Judices; qui crimina etiamsi vera, & ad se delata, sibi tamen non probata, damnare nullo modo debebant? Numquid eos mali polluere poterant, qui eis manifestari non poterant? si autem manifestati sunt eis, & aliquâ vel segnitiâ, vel conniventiâ, tales a communione removere noluerunt, & perverso judicio pro eis etiam dixerunt sententias, quid peccavit orbis terrarum, qui caussam illam malos Judices habuisse nescivit: & eos malè judicasse non credidit, de quibus judicare non potuit? Sicut enim eorum scelus, si judices latuit, non eos utique contaminavit: ita judicum scelus, si aliquod fuit, quia orbem terrarum latuit, eum profectò contaminare non potuit. His igitur innocentibus innocentes communicavimus, hodieque nescientes quæ tunc acta sint, quapropter etiamsi vera esse quæ in quosdam dicunt, hodie didicerimus, nulla caussa est cur ab innocentibus, qui hæc nesciunt, recedamus, & transeamus ad eos qui propterea crimine Schismatis omnes implicati sunt, quia id fecerunt, quod nos facere suadent, ut non exemplo Apostolorum toleremus malos, sed exemplo Hæreticorum deseramus bonos. Sed faciamus orbem terrarum [quod fieri non potest] posse ad liquidum cognoscere vera esse quorumdam scelera, quod isti criminantur, numquid ex hoc innocentiæ fieri poterit, quàm erat antequam nosset? Sicut enim eos maculare non potuerunt incogniti mali, etiamsi adhuc in vita essent; ita qui ex hac vita migrarunt, etiam cogniti maculare non possunt.* Quibus evidenter innuit, non fuisse necessarium ut Episcopi remotiorum regionum, qui Cæciliani in communione manserant, positivè judicarent ipsum insontem esse, & non errasse judices a quibus fuerat absolutus, sed solùm ut negativè se haberent, non credendo ipsos malè judicasse, & Cæcilianum esse reum.

Probatur secundò ex eodem S. Doctore, libro 1. *Contra Epistolam Parmeniani*, cap. 6. ubi Donatistas non in hoc reos esse asserit, quòd primos sui Schismatis Auctores malos credere & falsos accusatores existimare nollent, quamvis & a Melchiade in Concilio Romano, & a Concilio Arelatensi damnati essent: sed solùm in hoc reos esse quòd Schisma facerent. Ergo non censebat Sanctus Augustinus ipsos teneri credere Cæcilianum insontem esse, & judices a quibus fuerat absolutus non errasse.

Probatur antecedens ipsis Sancti Augustini verbis: *Qui sine studio partium judicat*, inquit, *eligat quibus credat, utrùm judicibus sententias proferentibus, an litigatoribus, contra quos prolatæ sunt, litem finire nolentibus? Certè orbis terrarum Judicibus credidit. Qui autem Donatistis consentiunt, eosque defendunt, fatentur se illius Ecclesiæ esse, quæ caussam suam, qualiscumque illa fuerit, non potuit tamen in transmarinis tot disceptationibus obtine-*

tinere, & eorum adversùs judices murmura & crimina credulâ vanitate susceperunt. Quâ in re si innocentes se dicant, & eos quos superatos scimus: quantò innocentiores sunt, qui temerè aliquid mali de ipsis judicibus credere nolunt, de quibus necesse est ut qui victi fuerant, conquerantur? Non solùm enim qui bonam caussam perdidit, de iniquo, vel tardo, vel negligente judice queritur; sed etiam qui justissimè victus est, eâ cæcitate de innocente judice murmurat, qua cæcitate eum innocente adversario litigabat. Quapropter isti non ideò scelerati sunt, quia de omnibus victis nolunt temere aliquid credere: sed ideò quia se furore Schismatis præciderunt ab eis Innocentibus, qui multò rationabiliùs nolunt tale aliquid de judicibus ipsis credere.

Probatur tertiò ex querimonia Ecclesiæ Philadelphiæ contra Donatistas, qui Ecclesiarum totius orbis Christianos, quòd Cæciliano communicassent, velut Paganos execrabantur. Hanc querimoniam Sanctus Augustinus per Prosopopeiam contra ipsos urget in eodem lib.1. *contra Epistolam Parmeniani*, cap. 7. *Existat*, inquit, *aliqua illarum partium in nomine Christi nobilissima Ecclesia, vel ex illis septem, & si placet, potissimùm Philadelphia.... Si ergo dicat istis: Quid me arguitis fratres, quid accusatis? Quantò intervallò secundùm terrenum locum ab Africâ remota sim, partim nosse, partim audire potuistis. Quid ibi tunc sive Traditores, sive Traditorum vel accusatores, vel damnatores, sive innocentium vel calumniatores vel oppressores egerint, prorsùs ignoro. Sed ille Dominus noster, quò emit totum mundum pretiò sanguinis sui, inter nos & vos non spatia constituit vacua & nuda Christianis, implevit hæc omnia sanctificatione nominis sui. De causâ itaque vestrâ tunc fortasse cogerer judicare, si vel vicina essem, vel ita remota ut inter nos & vos non habitarent alii Christiani eodem nomine signati, eadem unitate pacati. Multa interjacent patria gentium, simul mecum empta illius sanguine, in cujus conspectu mecum pariter adorant. Per illas ad me transit fama de vobis, ipsa de vicinitate caussam vestram examinare potuerunt. Quod si non est factum, vos neglexistis. Neque enim neglecti a cæteris, non usque ad nos etiam venistis. Si autem aliquid judicatum est, date veniam. Non audeo vobis superatis temerè credere, & judices vestros eadem temeritate damnare.* Ex quibus perspicuum est illius Ecclesiæ officium non fuisse, secundùm Sancti Augustini mentem, ut crederet positivè & certò Cæcilianum esse innocentem, & Donatistas calumniatores; sed solùm ut temerè non crederet ipsum esse reum, solis hostium ejus, qui causâ non semel ceciderant, accusationibus freta; neque temerè damnaret Judices Ecclesiasticos a quibus fuerat Cæcilianus absolutus, Donatistarum persuasa querimoniis & calumniis, qui ipsos corruptos fuisse effutiebant.

Probatur quartò ex eodem Sancto Augustino, lib.3. *Contra Cresconium*, cap.13. ubi ait, Catholicos idem respondere posse Donatistis de Cæciliano, quod ipsi Donatistæ respondebant Catholicis de quodam suorum Episcoporum nomine Optato, cùm illius scelera ipsis exprobrabantur: Se nec absolvere nec damnare Cæcilianum. *Sufficit ad caussam*, inquit, *si hoc de illo dicamus, quod tu de Optato dixisti. Nos Cæcilianum nec absolvimus, nec damnamus. Viderint illi, seu nostri, seu vestri, quemadmodùm de illo judicaverint. Ipsi suarum sententiarum rationem reddant: ipsi portent seu boni, seu mali sui operis sarcinam. Nobis de alienis saltem factis dubitare permittite, ne cogamur in nobis ea Sacramenta damnare, de quibus non licet dubitare.*

Et cap.30. *Ergo*, inquit, *pro humanis factis, aut hinc & inde manifestatis, aut ex utroque latere incertis, ne qui in unum Deum credimus, litigemus, quod certum & divinum manat est, in Christi gratia concordemus. Cùm enim gesta majorum nostrorum atque vestrorum hinc atque inde contraria recitantur nobis tantò post natis, si nec saltem dubitari permittitur, quid iniquius? Si autem permittitur, quid sufficientius? Neque enim sicut incertum est a quibus extiterit traditionis malum, sic incertum est a quo jubeatur reddi turbata pacis bonum.*

Et cap.33. *Aut ergo illis credamus*, inquit, *qui potuerant caussam suam illis Ecclesiis persuadere, quas scriptas in libris divinis & Canonicis legimus: aut, quod tu dixisti de Optato, nec absolvamus dubia, nec damnemus; & pacem Christi, cujus bonum dubium non est, fraternâ dilectione teneamus.*

Et cap.40. *Cæcilianus primò apud Carthaginem judicio Secundi Tigisitani damnatus est absens: Secundo judicio Miltiadis * Romani absolutus est præsens: adhuc nos de illo certos esse non vultis, saltem dubitare permittite. Vincit enim vos non solùm qui Cæcilianum scit innocentem, verùm etiam qui nescit nocentem. Vos autem utrosque rebaptizandos esse censetis, & qui dicunt, Novimus; & qui dicunt, Non novimus qualis fuerit Cæcilianus.* Nihil aliud igitur sive a Donatistis, sive a Catholicis exigendum existimavit Sanctus Augustinus, nisi ut judicium suum de Cæciliano suspenderent, neque damnarent ipsum ut reum, nec judices, a quibus absolutus fuerat, malè judicasse, temerè existimarent, si ipsum innocentem credere nollent.

* Seu Melchiadis.

Objicies ex Sancto Augustino, lib.1. *Contra Epistolam Parmeniani*, cap.7. Catholicos credere debuisse judicibus, qui Cæcilianum absolverant. Sic enim Ecclesiam Philadelphiæ loquentem inducit: *Accedit huc aliud quod me plurimùm moveat, quia si vos innocentes oppressi essetis, nos saltem fratres, qui nihil vobis nocuimus, amaretis. Cùm verò nos qui benè nobis conscii sumus, caussam vestram vicinis vestris rectò Ecclesiæ jure commissam fuisse dicamus, qui coram Deo sciunt quemadmodùm judicaverint, lacerare tamen maledictis, & acerbis odiis insectari, & quasi propter vos Christus hæreditatem apud nos perdiderit suam, etiam rebaptizare conamini, quid boni de illâ vestrâ causâ sentire poterimus? Qui enim longè remotissimos Fratres temerariis suspicionibus damnare minimè dubitatis, quàm justè a vicinis vestri damnati fueritis, ostenditis. Cur enim non credam rectè damnari potuisse a vicino judice auditum, qui me Fratrem tam longè absentem damnare non dubitat inauditum? Hoc mihi objiciens maximum crimen, quoniam qui præsens esse non potui, eis, ad quos caussa perducta est, judicibus, potiùs quàm victis litigatoribus credidi. Quibus judicibus si non potiùs credidissem; etiamsi illi, qui victi sunt innocentes essent, ego innocens esse non possem. Magno enim delicto implicaremur, si cùm corda humana non cerneremus, nec Disciplinam Ecclesiasticam teneremus; cùm eis nollemus judicantibus credere, ultra quos non potuit caussa transire, & per quos potuit ad nos fama percurrere.* Tenebantur igitur Catholici credere Cæcilianum uno & altero Judicio Ecclesiastico absolutum, innocentem esse.

Respondeo, distinguendo antecedens; Debuisse credere judicibus qui Cæcilianum absolverant, id est, non temerè credere ipsos malè judicasse, & Cæcilianum esse reum criminum quibus fuerat accusatus a Donatistis, concedo: id est, credere positivè Cæcilianum esse innocentem & Judices Ecclesiasticos, qui ipsum absolverant, non fuisse deceptos, nego. Quod igitur hoc loco Sanctus Augustinus exprimit his verbis, *credere judicibus*, idem est quod capite superiori istis verbis expres-

ferat, *nolle temerè aliquid de judicibus credere*. Et reverà in eo posita est opinio, quam Episcopi ab Africa remoti de judicibus Cæciliani habere debebant, ut temerè non crederent, & solis Donatistarum querimoniis & criminationibus freti, ipsos malos judices extitisse. Id enim sufficiebat unum ad convincendum Donatistas sacrilegi Schismatis reos esse, & illos a communione Episcoporum, a quibus absolutus fuerat Cæcilianus, se iniquè omninò separasse. Cùm enimverò de illis judicibus temerè aliquid judicare non deberent, non poterant cum Cæciliano ipsorum suffragiis absoluto velut cum reo agere, & consequenter se ab ejus communione abstrahere: siquidem ut aliquis eo modo se gerat erga alterum, necesse non est ut positivum ferat illius de innocentiâ judicium, sed solùm ut sibi persuadeat ipsum non esse juridicè & legitimè convictum, criminis ejus accusabatur, secundùm illud Juris effatum; *Actore non probante, absolvitur Reus*. Sanctus igitur Augustinus cùm ait credendum fuisse judicibus, qui Cæcilianum absolverant, non loquitur de fide quæ dubium omne excluderet, & quæ positivum involveret judicium de Cæciliani innocentiâ, & de illorum judicum integritate, & ab omni studio partium in judicandâ Cæciliani causâ alienatione: Sed de fide, seu existimatione, quæ suspensum judicium patitur; de fide quæ impedit ne temerè damnetur Episcopus a prioribus judicibus damnatus, a posterioribus absolutus: de fide oppositâ damnationi temerariæ judicum, quasi corruptorum: de fide fundatâ in eo quòd arcana cordium non cernamus, quæ sufficiens est ut quis non asserat judices contra jus sibi notum, & contra conscientiam judicasse; non verò ut asserat contrarium, sive ut certissimus sit ipsos rectè judicasse. Loquitur de fide, quæ dat tantùm jus dicendi, judicum esse videre coram Deo quomodò judicaverint: de fide, quam non habere malum esset, quamvis judices malè judicassent, cùm id aliunde non probatur quàm litigatorum, qui causâ ceciderunt, querimoniis. Denique Sanctus Augustinus eâ de fide & existimatione loquitur, quæ sufficit ut qui illâ imbutus est, Disciplinam & pacem Ecclesiasticam non perturbet, ab eorum subtrahendo se communione, qui aliquorum criminum accusati essent, non convicti. Ad hoc autem quis neget sufficere, dubium utrùm homo sit reus criminum, quorum est accusatus; non autem certum de illius innocentiâ judicium? Certè si Sanctus Augustinus existimasset Catholicos qui cum Cæciliano communicabant, & Donatistas ad Ecclesiam redeuntes, teneri credere Cæcilianum insontem esse, & illius accusatores esse calumniæ reos; cùm ipse, tum alii Episcopi Catholici, Donatistas ad hujusmodi facta credenda, & profitenda adstrinxissent, quod cùm nusquam ab eis exegerint, sive ante Collationem, sive in celebri illa Collatione, sive post illius celebrationem, argumento est ipsos non existimasse Catholicos teneri ad credendum Cæcilianum innocentem esse, quamvis uno & altero Judicio Ecclesiastico esset absolutus. Noluerunt itaque Sanctus Augustinus & alii Antistites Catholici, ut pax Ecclesiæ ex confessione factorum hujusmodi, quorum nulla cum Fidei dogmatibus connexio est, penderet, quantumvis vera essent, & præsumerentur: imò curam & sollicitudinem adhibuerunt omnem, ut Cæciliani caussam penitùs ab Ecclesiæ causâ distinctam esse demonstrarent. Quâ de re Sanctus Augustinus in libro *Ad Donatistas post Collationem*, ait: *Hoc enim agebamus omnibus viribus, hoc instabamus, ut Cæciliani caussa atque persona, qualiscumque ille fuerit, ad caussam & personam Ecclesiæ, quam Deus suis sanctis testimoniis roboravit, non pertinere monstraretur*. Hinc idem Sanctus Augustinus suo & omnium Catholicorum Episcoporum nomine ait, paratum se esse ad anathematizandum Cæcilianum, quamvis jam mortuum, si crimina quæ ipsi objecta sunt, probari possent, cæterùm non esse deserendam Ecclesiæ unitatem propter crimen cujuslibet hominis, sive verum, sive falsum. Addit, se nescire Cæcilianum a Traditoribus ordinatum fuisse, se id non vidisse, ab ejus tantùm inimicis id se audivisse, ejus crimina orbi terrarum non potuisse probari, adeòque sacrilegum esse propter ea Schisma facere, & damnare communionem orbis terrarum. Porrò si Catholicos teneri existimasset Sanctus Augustinus ad credendum Cæcilianum judicio Melchiadis Pontificis Maximi in Romana Synodo, & Concilii Arelatensis absolutum, innocentem esse, id contra Donatistas ursisset, & ipsos majoris arguisset contumaciæ, quòd indeficienti Romani Episcopi & duarum Synodorum judicio, etsi in meri facti quæstione, non crederent, & eamdem cum orbe terrarum de Cæciliani innocentia fidem non haberent. En Sancti Augustini verba Epistolâ 50. *Ad Bonifacium Comitem* datâ: *Testimonia diversa*, inquit, *literas suas proferunt, quia in caussa Cæciliani quondam Ecclesiæ Carthaginensis Episcopi, cui crimina objecerunt, quæ nec potuerunt probare, nec possunt, se ab Ecclesia Catholica, hoc est ab unitate omnium Gentium diviserunt. Quamvis etsi vera essent quæ ab eis objecta sunt Cæciliano, & nobis possent aliquandò monstrari, ipsum jam mortuum anathematizaremus: sed tamen Ecclesiam Christi, quæ non litigiosis opinionibus fingitur, sed divinis attestationibus comprobatur, propter quemlibet hominem relinquere non debemus. Neque enim* [*quod sine injuria innocentia illius dixerim*] *si peccavit Cæcilianus, ideò hæreditatem suam perdidit Christus. Facile est homini seu vera, seu falsa de altero homine credere, sed scelerata impudentia est, propter crimina hominis quæ orbi terrarum non possis ostendere, communionem orbis terrarum velle damnare. Utrùm Cæcilianus a Traditoribus divinorum codicum fuerit ordinatus, nescio, non vidi, ab inimicis ejus audivi. Non mihi de lege Dei, non de præconio Prophetarum, non de sanctitate Psalmorum, non de Christi eloquio recitatur. Ecclesiam verò toto terrarum orbe diffusam, cui non communicat pars Donati, universarum Scripturarum testimonia consona voce proclamant. Cæcilianus Ecclesiæ Carthaginensis Episcopus humanis litibus accusatur. Ecclesia Christi in omnibus Gentibus constituta, divinis vocibus commendatur*.

Contra. *Pietas*, *Veritas*, *Charitas*, obligabant fideles ad credendum Cæcilianum esse purum criminum, quorum accusabatur a Donatistis, ex Sancto Augustino loco mox laudato: Atqui ad illud tenemur quod Pietas, Veritas & Charitas jubent; ergo tenebantur absolutè credere Cæcilianum esse insontem, & judices qui ipsum absolverant, non errasse.

Respondeo, nego majorem. Id enim disertè non ait Sanctus Augustinus, neque id ex ipsius verbis colligi potest, sed solùm pietatem, veritatem, & charitatem prohibere, ne adversariis Cæciliani potiùs quàm Judicibus Ecclesiasticis, qui ipsum absolverunt, credatur. Non autem consequens est ut credat quis innocentem esse hominem, quem non temerè credit esse reum propter solas hostium ipsius criminationes: sed medio quodam modo potest se habere, ut nempe judicium suspendat, nec uni potiùs quàm alteri præbeat assensum, sed cuncta Dei judicio, qui solus corda scrutatur, dimittat. Non porrò aliud voluisse Sanctum Augustinum, quàm quod diximus, illius ver-

verba evidenter ostendunt: *Ipsa pietas*, inquit, *veritas, charitas, non nos permittit contra Cæcilianum coram hominum accipere testimonium, quos in Ecclesia non videmus, cui Deus perhibet testimonium. Qui enim divina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonii perdiderunt.*

SCHOLION.

Hanc Dissertationem sic notant Religiosi Censores: *Tota Dissertatio de Absolutione Cæciliani castiganda, quia contendit nos non teneri credere ea esse vera, quæ definiuntur a Romano Pontifice & Ecclesia in materia facti.*

R. Meri facti quæstiones cùm in Scriptura Sacra, vel Traditione revelatæ non sint, verbi gratia, crimen aut innocentia *Cæciliani*, ad Fidem non pertinere evidens est. Si quæ ergo Quæstio merum factum spectans a Romano Pontifice vel Concilio finita est, eorum Judicio cum reverentia parendum est, sed credere nemo tenetur fide divinâ quòd non erraverint. *Nam* (ut *Innocentius III.* cap. *A nobis*, Ext. *De Sententia Excommunicationis*, ait:) *Judicium Dei veritati, quæ non fallit nec fallitur, semper innititur: Judicium autem Ecclesiæ nonnumquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit & falli. Propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus: & qui liber est apud Deum, Ecclesiasticâ sit sententiâ innodatus.*

DISSERTATIO VII.

De Collatione Carthaginensi.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Collatio Catholicorum Episcoporum cum Donatistis rectè & prudenter indicta fuerit, & celebrata? Et utrùm similes cum aliis Hæreticis collationes & disputationes concedi debeant?

PROPOSITIO.

Collatio Carthaginensis Catholicorum Episcoporum cum Donatistis rectè & prudenter indicta & celebrata est. Nec tamen in consequentiam & exemplum trahi debet, ut collationes & disputationes publicæ Hæreticis concedantur.

Probatur prima pars. Collatio quam tota Ecclesia Africana vehementer expetiit, & ab Honorio Imperatore ferventissimis precibus impetravit, quam Sanctus Augustinus procuravit maxime inter alios Africæ Antistites, & cujus maxima fuit ad confundendam pertinaciam Donatistarum, ad eosque in Ecclesiæ gremium revocandos utilitas, rectè & prudenter indicta & celebrata est: Sed Collatio Carthaginensis vehementer fuit ab Ecclesia Africana expetita, a Sancto Augustino procurata & laudata; & ad Donatistas convincendos, necnon ad Ecclesiæ unitatem reducendos maximè utilis: Rectè igitur & prudenter indicta, & celebrata est.

Probatur Minor ex Possidio Calamensi Episcopo in *Vita Sancti Augustini*, cap. 13. ubi hæc habet: *Et de his omnibus pro pace Ecclesiæ gestis, Augustino Dominus & hîc palmam dedit, & apud se justitiæ coronam reservavit: ac magis, magisque juvante Christo, de die in diem augebatur & multiplicabatur pacis unitas, & Ecclesiæ Dei fraternitas. Et id maximè factum est per Collationem, quæ ab universis Episcopis Catholicis apud Carthaginem cum eisdem Donatistarum Episcopis postmodùm facta est, adjuvante gloriosissimo & religiosissimo Imperatore Honorio, propter quod perficiendam, etiam a suo latere Tribunum & Notarium Marcellinum ad Africam judicem miserat. In quâ controversiâ illi omnibus modis confutati, atque de errore a Catholicis convicti, sententiâ Cognitoris notati sunt, & post eorum appellationem, piissimi Regis responso justè inter Hæreticos condemnati sunt. Ex quâ ratione solitò ampliùs eorum Episcopi cum suis Clericis & plebibus communicaverunt, & pacem tenentes Catholicam, multas eorum persecutiones usque ad membrorum amputationem & internecionem pertulerunt. Et totum illud bonum, ut dixi, per sanctum illum hominem, * consentientibus nostris Episcopis, & pariter satagentibus, & cœptum, & perfectum est.* Sanctum Augustinum.

Probatur secundò ex Sancto Augustino libro 4. *Contra Cresconium Grammaticum*, cap. 3. ubi Donatistas arguit, quòd Collationem fugerent, eamque contentionis nomine infamarent. *Illud etiam*, inquit, *quòd studium pro veritate certandi, quia sæpè volumus cum vestris conferre, ut error sublato fraterna charitas pacis vinculo necteretur, contentionis & animositatis vitioso nomine reprehendis; nonne meliùs, obsecro te, caussa veritatis & unitatis pacificis verbis, & cautioribus locis inter Episcopos ageretur, quàm in foro ab Episcopis per Advocatos litigaretur? Quod a partibus Primiani Carthaginensis Episcopi vestri adversùs Maximianum, & adversùs eos qui cum illo Bagajensi Concilio damnati sunt, apud Legatum Carthaginis, & apud quatuor vel ampliùs Proconsules factum est.*

Et cap. 65. *Consideratis autem omnibus quæ a me dicta sunt*, inquit, *puto quòd facillimè intelligas, non devitandæ contentionis caussâ, quæ nulla est cùm veritas quæritur, vel non pro vana gloriâ litigatur, sed caussa malæ diffidentiâ, vos nobiscum nolle conferre.*

Probatur tertiò ex eodem Sancto Augustino Epistolâ 68. *Ad Januarium Donatistarum Primatem* datâ: *Hoc est ergo desiderium nostrum*, inquit, *quod tuæ Gravitati per literas, & per Fratres, quos misimus, allegamus. Primùm, si fieri potest, ut cum Episcopis nostris pacificè conferatis, ut in quibus fuerit inventus, non homines, sed error ipse tollatur; ut homines non puniantur, sed corrigantur; ut vos modò conveniatis, quia eorum conventionem antea contempsistis. Quantò meliùs enim hoc inter vos facitis, ut quod egeritis, conscriptum, & subscriptum Imperatori mittatis, quàm ut hoc apud terrenas potestates fiat, quæ non possunt nisi datis contra vos legibus sævire? .... Quantò ergo meliùs ipse Imperator, qui non est eisdem legibus subditus, & qui habet in potestate alias leges ferre, cùm ei Collatio vestra fuerit recitata, de totâ ipsâ caussa poterit judicare, quamvis jam olim fuerit terminata? Sed ideò nos conferre volumus, non ut caussa iterùm finiatur, sed ut eis qui nesciunt, jam finita monstretur. Quòd si hoc facere vestri Episcopi voluerint, quid inde perditis, & non potiùs acquiritis, quia voluntas vestra innotescit, ne diffidentia meritò reprehendatur? An fortè putatis non licere fieri, cùm non vos lateat quòd Dominus Christus etiam cum diabolo de Lege locutus est? quòd cum Paulo non solùm Judæi, sed etiam de Hæresi Stoicorum & Epicureorum Philosophi Gentium contulerunt?*

Et Epistolâ 166. ad Donatistas datâ: *Vestri Episcopi*, inquit, *conventi a nobis, numquam nobiscum pacificè conferre voluerunt, quasi fugientes cum peccatoribus loqui. Quis ferat istam superbiam, quasi Paulus non contulerit cum peccatoribus, & cum valde sacrilegis? Legite Actus Apostolorum, & videte. Quasi ipse Dominus non cum Judæis, a qui-*

bus centifixus est, sermones de Lege haburrit, eisque congruenter responderit? Postremò diabolus est primus omnium peccatorum, qui converti ad justitiam numquam poterit, & tamen nec ipse Dominus de Lege dedignatus est ei respondere, ut intelligatis istos idcò nobiscum nolle confeere, quia caussam suam perditam norunt.

Denique quantus fuerit Collationis istius fructus constat ex eodem Sancto Augustino, in lib, De Gestis cum Emerito; *Donatistus*, inquit, *in nomine Christi, in gremium Catholicum magnâ ex parte surrepimus; ita ut penè omnes Communioni Catholica sociatos esse gaudeamus.* Et Epistolâ 50. ad Bonifacium: *Maximè*, inquit, *post Collationem, qua inter nos & Episcopos eorum apud Carthaginem fuit, ex magnâ parte correcti sunt.* Idem constat ex Paulo Orosio lib.7. Historiæ. cap.42. scribente: *His diebus, pracipiente Honorio, pax & unitas per universam Africam Ecclesia Catholica redintegrata est, & Corpus Christi, quod nos sumus, redintegratâ discissione sanatum est, impositâ executione sancti Pracepti Marcellino Tribuno, viro imprimis prudenti & industrio, omniumque studiorum bonorum appetentissimo.* Ex quibus omnibus testimoniis colligitur, Collationem Carthaginensem ab Ecclesia Africana fuisse vehementer expetitam, a Sancto Augustino procuratam & laudatam, & ad Donatistas convincendos, atque ad Ecclesiæ gremium revocandos, utilissimam.

Probatur secunda pars Propositionis, primò ex Tertulliano asserente disputationem non esse cum Hæreticis ineundam, maximè si de Scripturarum Sacrarum veritate & possessione agatur. Sic autem habet, lib. *De Prascriptionibus Hareticorum*, cap. 14. *Ut non inimici essent virtutis Haretici, ut de refugiendis ois non praemoneremus, quale est conferre cum hominibus, qui & ipsi adhuc se quarere profitentur? Si enim adhuc verè quarunt, nihil adhuc certi repererunt: & idcò quacumque videntur interim tenere, dubitationem suam ostendunt, quamdiu quarunt. Itaque tu qui perinde quaris, spectans ad eos qui & ipsi quarunt, dubius a dubiis, incertus ab incertis, cacus a cacis in foveam deducaris necesse est.*

Et cap.16. *Fides nostra obsequium Apostolo debet prohibenti Quastiones inire, novis vocibus aures accomodare, Hareticum post unam correptionem convenire*, non post disputationem. Adeò interdixit disputationem, correptionem designans caussam Haretici conveniendi: & hoc unam, scilicet, quia non est Christianus: ne more Christiani, semel & iterum, & sub duobus, aut tribus testibus castigandus videretur; cùm ob hoc sit castigandus, propter quod non sit cum illo disputandum: deinde quoniam nihil proficiat congressio Scripturarum, nisi sanè ut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri.*

* Ad Tit. 3, 10.

Ostendit subinde, cap.17. nihil proficere congressum de Scripturis cum Hæreticis; quia quasdam non recipiunt; & quas recipiunt, addendo, vel detrahendo corrumpunt; & quas recipiunt integras, in contrarios planè sensus detorquent. Tum sic colligit; *Quid promovebis, exercitatissime Scripturarum, cùm si quid defenderis, negetur: ex diverso, si quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione: nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione.*

Ostendit denique, cap. 18. quàm exitiosæ futuræ sint audientibus hujusmodi disceptationes, & collationes. Cùm enim parem utrimque disceptationis ardorem, parem negandi & defendendi fiduciam animadvertent, nihil inde reportabunt nisi quamdam animi in rebus Fidei vacillationem & confusionem. *Ille verò*, inquit, *si quis est cujus causâ in congressum descendis Scripturarum, ut eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad Hareses deverget? Hoc ipso motus, quòd te videat nihil promovisse, aquo gradu negandi & defendendi adversa parte, statu certè pari, altercatione incertior discedet, nesciens quam Haresim judicet.*

Idem argumentum retractat, cap.37. ejusdem libri. *Si hac ita se habent*, inquit, *ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in eâ Regulâ incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit, constat ratio propositi nostri definientis non esse admittendos Hareticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere. Si enim Haretici sunt, Christiani esse non possunt, non a Christo habendo, quod de suâ electione sectati, Hareticorum nomina admittunt. Ita non Christiani, nullum jus capiunt Christianarum literarum. Ad quos meritò dicendum est: Qui estis? Quandò, & unde venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo denique Marcion jure sylvam meam cadis? Quâ licentiâ, Valentine, fontes meos transvertis? Qua potestate, Appelles, limites meos commoves? Mea est possessio. Quid hìc cateri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo; habeo origines firmas ab ipsis Auctoribus quorum fuit res. Ego sum hares Apostolorum, sicut caverunt testamento suo, sicut Fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo: vos certè exhaeredaverunt semper & abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei Apostolis Haretici, nisi ex diversitate Doctrina, quam unusquisque de suo arbitrio adversùs Apostolos aut protulit, aut recepit?* Ex quibus omnibus Tertulliani testimoniis colligitur, Collationem Carthaginensem Catholicorum Episcoporum cum Donatistis, in exemplum & consequentiam trahi non debere, ut hujusmodi collationes & disputationes publicæ Hæreticis concedantur.

Probator secundò ex Sancto Augustino, lib.3. *Contra Julianum*, c.1. ubi collationem & disputationem publicam, quam Pelagiani postulaverant, ipsis meritò fuisse negatam asserit: & hujus repulsæ rationem reddit in utriusque Sectæ discrimine fundatam; quia nimirum Donatistæ communes cum Catholicis Episcopos non habebant, apud quos contra ipsos agi posset, & a quibus illorum furor & incursus cohiberetur: & aliondè eorum Schisma e quibusdam facti controversiis emerserat, quaa iterum enucleare operæ pretium erat, cùm ejusmodi factorum notitiam temporis vetustas posteris eripuisset (centum enim interfluxerant anni) unde Collationem haberi conveniens fuit inter Catholicos Episcopos & Donatistas, ut patefacta istorum factorum veritate ipsis ostenderetur, perperam & absque legitimâ caussâ illos discessisse ab Ecclesiâ Catholicâ, & Schisma fecisse. At longè alia Pelagianorum ratio foit: quia caussa eorum finita erat competenti communium Episcoporum judicio, & aliunde non facti, sed juris & dogmatis Quæstio multiplex inter illos & Ecclesiam vertebatur, quæ semel discussa & eliquata, rursus non debebat ad examen revocari. Ergo Collatio Carthaginensis Catholicorum Episcoporum cum Donatistis in consequentiam & exemplum trahi non debet, ut collationes & disputationes publicæ cæteris Hæreticis concedantur.

Probatur antecedens ipsis Sancti Augustini verbis, loco laudato. *Nec vos, nec alios decipiatis*, inquit, *velut talem vocem habentes adversùs nos, qualem nos adversùs Donatistas, quos ad collationem nobiscum venire per imperialia jussa compulimus. Illorum enim furor occupaverat Africam totam, nec pradicari a Catholicis veritatem contra suum patiebantur errorem, violentis aggressionibus, latrocinationibus, itinerum obsidionibus, rapinis, ignibus, ca-*

di-

dibat multa vastantes, cuncta terrentes. Cum quibus apud Episcopos, quos communes non habebamus, nihil agere poteramus. Quod verò ante sentam formè annos majores nostri cum eis egerant, jam populorum memoria non tenebat. Hac igitur necessitas compulit, ut saltem Gestis nostra Collatione confectis eorum contunderemus inverecundiam, & reprimeremus audaciam. Vestra verò apud competens judicium communium Episcoporum modò caussa finita est. Nec ampliùs nobiscum agendum, quantùm ad jus examinis attinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini. Quod si nolueritis, a turbulentâ vel insidiosâ inquietudine cohibeamini. Similes autem estis potiùs Maximianistis, qui cupientes exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari, & ideò videri aliquid apud eos, quibus contemptibiles erant, quia inire nobiscum flagitabant examen; interpellantes eos, & libellum dantes, provocantesque contempsimus. Magis enim de certamine nominari desiderabant, quàm formidabant, in certamine superari. Nec sperabant victoriæ gloriam, sed famam collationis requirebant, quia multitudinis non habebant. Si ergo putatis ideò vos esse victores, quia non vobis datum est, quale desideratis examen, Maximianistæ vos ad ista vaniloquia præcesserunt: quamvis dederit vobis Ecclesia Catholica judicium, quale debuit, ubi caussa vestra finita est; illis autem nullum dare dignata est, quia non a nobis, sicut vos, sed a Donatistis fuerant segregati. Si autem in Maximianistis videtis non esse consequens, ut qui conferre in aliquo judicio non sinuntur, putari debeant de veritate confidere, nolite ulteriùs hæc vana jactare: vobisque sufficiat, quòd vos Ecclesia Catholica & maternâ lenitate sustinuit, & judiciaria severitate, vel potiùs medicinali necessitate damnavit.

Probatur tertiò ex S. Leone Magno, Epistolâ 41. ad Marcianum Augustum datâ, quâ sic Imperatorem alloquitur: *Aucta igitur per Imperialem amicitiam spe cœlestis auxilii confidentiùs Pietatem vestram pro sacramento salutis humanæ incitare præsumo, ne cujusquam procaci impudentique versutiâ, quasi de incerto quid sequendum sit sinatis inquiri. Et cùm ab Evangelica, Apostolicaque Doctrina ne unô quidem verbô liceat dissidere; aut aliter de Scripturis divinis sapere, quàm beati Apostoli & Patres nostri didicerunt, atque docuerunt, nunc demum indisciplinata moveantur & impiæ quæstiones, quas olim, mox ut eas per apta sibi corda diabolus excitavit, per Discipulos veritatis Spiritus Sanctus extinxit. Nimis autem iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad conjecturas opinionum, & ad carnalium disceptationum bella provocemur: tamquam reparatâ disceptatione tractandum sit, utrùm Eutyches impiè senserit, & utrùm impiè Dioscorus judicarit, qui in sanctæ memoriæ Flaviani condemnatione se perculit, & simpliciores quosque ut in eamdem ruinam provolverentur, impegit: quorum multis jam ad satisfactionis remedia conversis, & veniam de inconstanti trepidatione poscentibus, non cujusmodi sit fides tenenda tractandum est, sed eorum precibus qualiter annuendum.*

Et Epistolâ 50. ad eumdem. *Compressa enim*, inquit, *vel remotâ inquietudine ac pravitate paucorum, facilè firmabitur probanda concordia: si in eam fidem, quam Evangelicis & Apostolicis prædicationibus declaratam, per antiquos Patres nostros accepimus & tenemus, omnium corda concurrant, nullâ penitùs disputatione cujusquam retractationis admissâ: ne per vanam fallacemque versutiam aut infirma videantur, aut dubia, quæ in ipso angulari lapide Christo fundata sunt, & sine fine mansura.* Constat igitur ex S. Leone, semel damnatos Hæreticos ad disputationem admittendos non esse.

Objicies. Sanctus Augustinus publicè cùm Hæreticis disputavit, nempe contra Fortunatum, & Felicem Manichæos, contra Maximinum Arianorum Episcopum, & Pascentium Comitem Arianum; & contra Emeritum Donatistam, post Collationem Carthaginensem. Similiter alii Viri Sancti & Docti publicè cum Hæreticis contulerunt: igitur postulantibus Hæreticis non sunt denegandæ collationes & disputationes publicæ.

Respondeo, nego consequentiam. Quamvis enim Episcopis, cùm eâ sint eruditione conspicui, quâ potentes sint *exhortari in doctrinâ sanâ, & eos qui contradicunt arguere*, licitum sit, imò incumbat quandòque contra pertinaces Hæreticos publicè congredi, maximè cùm ad Fidei eversionem in Catholicorum animis grassantur, & periculum est ne recusato certamine caussa Ecclesiæ infirmior pluribus videatur: licèt id præstare debeant Antistites & Doctores, cùm id Religionis bonum & animarum salus postulant, & Sancti Pauli exemplo ad hujusmodi disputationes incitentur, qui *loquebatur Gentibus*, & disputabat cum Græcis, Act. 9. & exemplo Sancti Stephani, de quo dicitur, Act. 6. *Surrexerunt quidam de Synagoga quæ appellatur Libertinorum, &c. disputantes cum Stephano; & non poterant resistere sapientiæ & Spiritui qui loquebatur.* Licèt ad hujusmodi disputationes quandòque impellantur Sancti Petri verbis, *Epistolâ* 1. cap. 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de eâ quæ in vobis est fide*; non tamen sequitur Collationes Carthaginensi Catholicorum Episcoporum cum Donatistis similes Hæreticis esse concedendas, præsertim postquam sunt ab Ecclesia damnati: id est, etsi Episcopus, vel Doctor cum Hæretico solo congredi possit, & debeat quandoque, servatis conditionibus, quas postulat & exponit S. Thomas *Secunda Secundæ*, *Quæst.* 10. *Art.* 7. non tamen debet concedi Hæreticis Collatio, aut Disputatio publica partis cum parte, seu Catholicæ Ecclesiæ aut Episcoporum Doctorumque ab ea electorum, cum Synagogâ Hæreticâ, aut Ministris ab eâ selectis. *Neque enim Hæretici inquisitionibus suis veritatem conantur assequi, sed victores videri: cùmque se foris ostendi sapientes appetunt, intùs per stultitiam elationis sua vinculis ligantur. Unde fit ut contentionum certamina exquirant, & de Deo, qui pax nostra est, loqui pacificè nesciant, atque ex pacis negotio rixæ inventores fiant. Quibus bene per Paulum dicitur: Si quis autem videtur esse contentiosus, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Verba sunt Sancti Gregorii Magni, *lib.* 8. *Moralium*, *cap.* 2. Alia itaque ratio est de publicis disputationibus quæ a privatis seu Episcopis, seu Doctoribus contra privatos Hæreticos, aut etiam contra Hæreseon Auctores suscipiuntur; alia de Collationibus & Disputationibus publicis, quæ toti Sectæ conceduntur, qualis erat Carthaginensis Collatio. Posteriores illas postulantibus Hæreticis negandas esse contendimus: Priores verò sæpius utiles, quandoque necessarias esse fatemur. Sic Caius insignis veteris Ecclesiæ Theologus adversùs Proclum Montanistam, coram Zephirino: Malchio Presbyter in Concilio Antiocheno, contra Paulum Samosatenum; Archelaus Episcopus contra Manetem; Sanctus Augustinus contra Hæreticos supra nominatos; Sanctus Maximus Abbas, contra Pyrrhum Constantinopolitanum Patriarcham Monothelitam; Sanctus Gregorius Magnus adhuc Diaconus, contra Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum; Humbertus Cardinalis contra Nicetam Pectoratum, aliosque Græcos: Sanctus Bernardus contra Abailardum; Gozelinus Lodovensis Episcopus, contra Albigenses, laudabiliter & fœliciter disputarunt.

Ex

Collationes publicae de Fide cum Haereticis, absque Romani Pontificis consensu illicita.

Ex Collatione Catholicorum Episcoporum, In Africa, cum Arianis ab Hunnerico Rege indictâ anno Christi 483. colligi non potest similes Collationes & Disputationes publicas permittendas esse. Nam Catholici Episcopi ad hanc non convenere nisi coacti a Tyranno, ipsamque modis omnibus declinarunt. Eugenius Carthaginensis Episcopus Collegarum omnium nomine respondit, Transmarinarum partium Episcopos ad eam etiam Collationem debere convenire, siquidem non Africanæ dumtaxat, sed totius orbis Ecclesiarum caussa agebatur. *Se sine universitatis assensu, non debere asserendæ Fidei caussas assumere. Si nostram fidem*, inquit Eugenius, *potestas Regis cognoscere desiderat, mittat ad amicos suos. Scribam & ego Fratribus meis, ut veniant Coëpiscopi mei, qui vobis nobiscum communem fidem nostram valeant demonstrare, & præcipuè Ecclesia Romana, quæ Caput est omnium Ecclesiarum.* Illi Episcopi sanctissimi erant, doctrinâ plerique conspicui, nec tamen Collationem publicam de Fide inire sibi licitum existimarunt, absque Romani Pontificis assensu, cujus præcipuè est judicare, num in Ecclesiæ bonum ac gloriam Collationes hujusmodi cedere debeant. Lege Victorem Vitensem, *De Persecutione Vandalica*, ex cujus Historia quicquid illius Collationis indictionem ea in persecutione antecessit, atque consecutum est, in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ V. Sæculi post hunc Tomum edendi, descripsimus. Satis sit impræsentiarum monere, hanc Collationem habitam non fuisse, fugientibus, qui illam poposcerant, Arianis, & nolente Deo.

Objicies secundò Collationem S. Aviti Viennensis Episcopi & aliorum Catholicorum Antistitum cum Arianis coram Gundebado Rege Burgundionum, * quam publici juris fecit D. Lucas Dacherius, *Tom.5. Spicilegii*. Igitur Collationes publicas, sive Disputationes de fide contra Hæreticos fieri, exemplo Collationis Carthaginensis nihil vetat.

** Anno circiter 499.*

Collatio Catholicorum Episcoporum cum Arianis coram Gundebado Burgundionum Rege.

Respondeo, distinguo consequens: Nihil vetat fieri collationes de fide, &c. aliquando, concedo; cum scilicet maximi spes boni affulget; vel cùm defendendæ veritatis cogit necessitas: passim & promiscuè nego. Porrò maximi spes boni affulgebat, si congressus fieret Catholicorum Episcoporum cum primariis factionis Arianæ: quia Fidei unitas & pax Ecclesiæ in Burgundia sperabatur, & conversio Regis, si fortè Dominus cor ipsius tangeret. Aliunde suscipiebatur ista disputatio a Viris Sanctissimis, & qui dono scientiæ, & miraculorum conspicui erant: unde maximum ex ea bonum in Ecclesiam redundaturum prævidebatur. Nec spem fefellit eventus. Nam Ariani convicti, & piscibus mutiores effecti sunt. Quorum silentium Sanctus Avitus animadvertens ait: *Si vestri non possunt respondere rationibus nostris, quid obstat cur non omnes simul conveniamus in eadem fide?* Quibus murmurantibus, de sua fide securus in Domino addidit: *Si rationes nostræ non possunt illos convincere, non dubito quia Deus fidem nostram miraculo confirmet; jubeat Sublimitas vestra, ut tam illi, quàm nos eamus ad sepulchrum hominis Dei Justi, & interrogemus illum de nostra fide, similiter & Bonifacius de suâ, & Dominus pronuntiabit per os servi sui in quibus complaceat.* Conditioni Rex attonitus annuere videbatur, sed Ariani recusarunt. Tunc Gundebadus Sanctum Avitum, & Stephanum Episcopum ad cubiculum usque suum deduxit, ibique eos blandè amplexatus eorum se Orationibus commendavit. *Cognoverant quidem illi*, ut referunt Acta illius Collationis, *perplexitatem & angustias cordis ejus; sed quia Pater eum non traxerat, non potuit venire ad Filium, ut veritas impleretur: Non est volentis, neque festinantis, sed miserentis Dei. Ex ea die plurimi Ariani ad pœnitentiam venerunt, & post aliquot dies baptizati fuerunt.*

Objicies tertiò. Catholici Episcopi cum Severianis Collationem habuerunt, jussu Imperatoris Justiniani, anno Christi 533. Et anno Christi 590. jussu Reccaredi Wisigothorum Regis Collatio Catholicorum Episcoporum cum Arianis habita est, quâ conversus ipse est ad fidem, ut Sanctus Gregorius, lib.3. Dialogorum cap.31. & Gregorius Turonensis, lib.9. Historiæ, cap.5. testantur. Et anno Christi 664. Collatio habita est in Anglia Catholicorum Episcoporum cum Scotis, de Paschatis celebratione, coram Rege Osuvi. Denique anno 1561. Collatio, seu Colloquium Pissiacense Calvinianis concessum est, in quo sex Cardinalibus, & quadraginta circiter Episcopis, Rege, Regina Matre, Principibus, Regnique Magnatibus coram, selecti e Sacrâ Facultate Parisiensi Doctores cum Calvinianis Ministris disputarunt. Igitur Collatio Carthaginensis in consequentiam & exemplum trahi potest, ut similes Collationes & Disputationes publicæ Hæreticis concedantur.

Catholicorum Episcoporum cum Severianis Collatio

Respondeo; Nego consequens: nam Catholici Episcopi cum Severianis Collationem non habuerunt, ut de Fidei dogmatibus illis disputare permitterent, sed ut quibusdam ipsorum dubiis circa Concilium Calchedonense satisfacerent, ut constat ex Actis istius Collationis, quæ habentur Tom.4. Conciliorum. Illi enim Eutychetis Hæresim damnabant, & Eutychetem ipsum Hæreticum habebant, & a Flaviano meritò damnatum fatebantur, necnon a Dioscoro injustè susceptum in Latrocinio Ephesino; sed Synodum Calchedonensem criminabantur, quòd peregrinas, ut contendebant, *duarum naturarum post unitionem*, voces in Fidei professionem invexisset. Unde Ecclesiæ charitas postulabat, ut ipsis ostenderetur Synodum Calchedonensem aliam Fidem a Nicænæ, Constantinopolitanæ, & Ephesinæ Synodi Fide non condidisse, & secundùm traditionem definivisse, *Christum ex duabus, & in duabus esse naturis post unitionem*: maximè cùm ad Collationem illam venire se innuerent, non pertinacis disputationis animo, sed agnoscendæ studio veritatis, & ut ipsorum dubiis ab Episcopis Catholicis satisfieret. Unde Catholici Antistites usurpare meritò poterant eâ in Collatione verba S. Augustini, lib.1. *Contra Cresconium Grammaticum, cap.5.* Donatistas ita convenientis: *Non ergo nos olim finitam caussam de integro volumus retractare, sed quemadmodum finita sit, demonstrare, propter eos maximè qui hoc nesciunt, ut cùm defensores convincuntur erroris, aut etiam ipsi correcti liberentur, aut certè ipsis confutatis, & in apertâ pertinaciâ remanentibus, hi qui cupidiores sunt veritatis, quàm contentionis, videant quid sequantur.*

Et revera non minimus fuit istius Collationis fructus, quia etsi Episcopi Severiani pertinaces in errore & Schismate manserint, Philoxene excepto; Clerici tamen plurimi & Monachi istâ Collatione correcti, ad Ecclesiæ gremium redierunt ut constat ex Actis Collationis: at cæteri Hæretici Collationes & Disputationes publicas utplurimum petunt, ut definita jam ab Ecclesia dogmata ventilentur, ac retractentur, nec discendi animo sed litigandi: unde nulla alicujus fructûs ex iis Collationibus colligendi spes effulget. Quamobrem non est consequens ut similes Collationes ipsis concedantur.

Collatio Catholicorum Episcoporum cum Arianis jussu Reccaredi, facta est certissima spe maximi boni, scilicet conversionis Regis & universæ Gentis Arianæ. Nec spem fefellit eventus. Nam

&

& Reccaredus, & Arianæ plebes ipsius regni, Catholicam Fidem professæ suot. Præterea illis temporibus Ecclesiæ præerant Episcopi in Recearedi regno, qui miraculis non minùs quàm disputationibus contra Hæreticos agebant, ut constat ex Sancto Gregorio Turonensi: unde nullum omninò periculum erat, si collatio cum Arianis Wisigothis haberetur; imò gloria & utilitas maxima sperabatur inde Religioni Catholicæ accessura. Sed non eadem spes affulgeret, nec eædem circumstantiæ occurrerent in Collationibus & Disputationibus publicis, quæ cæteris Hæreticis concederentur.

Collatio habita cum Scotis de Paschatis celebratione coram Rege Osuvi, nibil adversùs nostram assertionem probat: quia Scoti Hæretici non erant, ut in Historia secundi Sæculi, Dissertatione singulari probavimus.

Colloquium Pissiacense.

Denique Pissiacense Colloquium Calvinianis non fuit ab Ecclesia concessum, sed a Regina Matre Caroli Noni Catharina Medicæa in ipsos pauló propensiore, Proceribus, qui partibus ipsorum addicti erant, instantibus. Intercessit istius Colloquii celebrationi Pius IV. Pontifex Maximus. Cardinales & Episcopi ægrè adfuere, præter Cardinalem Lotharingum, quem laudis cupidine incensum hoc Colloquium proruraſſe nonnulli scribunt. Sed verisimilius est temporum necessitate & infœlicitate adactum, sicut & alios Antistites, hujus celebrationi Conventus consensisse, ne Hæreticorum factio, quæ potens erat, apud populos prævaleret, imò & apud Magnates, qui infirmiorem esse & malam illius partis caussam existimare solent, quæ congressum recusat. Certè & Cardinalis Lotharingus, & alii Cardinales, Gallicanique Antistites, strenuè propugnatâ fide Colloquium abrumpere conati sunt, Hæreticos ab omni disputatione & audientia excludendos esse contestati: nisi certis Catholicæ Fidei capitibus, & præcipuè dogmati de reali Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ præsentia subscriberent. Tandem post nonnullas Espencæi & Sanctesii Parisiensium Theologorum contra Bezam aliosque Ministros Calvinianos disputationes, istud Colloquium, quod pessimo exemplo indictum fuerat, nullo fructu habitum, maximâ Romani Pontificis, Prælatorum, & omnium germanè Catholicorum lætitiâ solutum est.

Objicies tertiò, Collationem habitam ad Fontem-blandi, anno Christi 1600. inter Jacobum Davy Perronium Episcopum Ebroicensem & Mornæum Plessium nobilem Calvinistam, coram Rege Christianissimo & viris utriusque statûs, Ecclesiastici & Politici primariis.

Collatio Perronii Cardinalis cum Mornæo Plessio, ad Fontem-blandi.

Respondeo, Collationem illam nullatenus esse Carthaginensi similem, quia singularis erat, non verò partis cum parte. Sed etsi ab Ecclesia tota Gallicana contra totam Calvinistarum Sectam suscepta fuisset, non sequeretur Collationes & Disputationes publicas passim esse concedendas Hæreticis, sed in simili dumtaxar causa, cùm nimirum de factis quibusdam agitur, non de religionis dogmatibus. Hæc nempè fuit Collationis istius occasio. Mornæus Plessius librum Idiomate Gallico conscripserat *De Missæ abusibus & antiquo Eucharistiæ usu*, in quo SS. Patrum testimoniis truncatis, depravatis, & in contrarium planè sensum detortis, errores Calvinianos tuebatur. Perronius quingenta & ampliùs loca ex Patribus antiquis, & Scholasticis Doctoribus eo in libro falsò citata esse, se demonstraturum recepit. Provocante Plessio, consentiente Perronio, controversia ad Regem delata est, qui judices ex Catholicorum & Calvinianorum parte nominavit Viros Eruditos. Cæterùm Rex Christianissimus, cujus coram Majestate agitata controversia est, religiosè contestatus est, nolle se ut aliquod Fidei dogma in disputationem adduceretur, sed tantùm ut expenderentur testimonia a Plessio prolata. Sed & Mutinensem Episcopum Romani Pontificis Apocrisiarium, illi Collationi intercedentem, certiorem fecerat Perronius, non de Fidei dogmatibus, sed tantùm de falsis Plessii allegationibus illa in Collatione agendum.

DISSERTATIO VIII.

De Meletii Schismate.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm accuratè & verè a Sancto Epiphanio referatur Meletiani Schismatis origo?

SAnctus Epiphanius *Hæresi 68.* contigisse narrat, ut cùm Fidei causâ Meletius unà cum Sancto Petro Episcopo Alexandrino, & aliis Episcopis, Monachis, & omnis generis Clericis in carcere detineretur Alexandriæ, vigente Diocletiani persecutione; controversia inter eos mota sit, & tumultus non vulgaris, propter lapsos, qui ad Communionem per Pœnitentiam admitti postulabant: ac resistente Meletio, cui Confessorum pars maxima suffragabatur, ne reciperentur, donec restitutâ Ecclesiæ pace Pœnitentiam egissent, Petro verò Alexandrino cum paucis aliis Confessoribus contendente statim esse Communione donandos: inde divisis ab invicem partibus, & seorsum preces ac sacrificia peragentibus, Schisma ipso in carcere conflatum. Deinde cùm Sanctus Petrus martyrium subisset, eique successisset in Alexandrino Episcopatu Alexander, * Meletium cum Episcopis & Confessoribus sibi adhærentibus recens ad metalla damnatum, ordinasse Clericos, Diaconos, Presbyteros, & Episcopos, Ecclesiasque in carcere, & in itinere variis in locis erexisse, Sanctus Epiphanius refert. Addit Meletium, postquam redditâ Ecclesiæ pace ab exilio & fodinis revocatus est, Sancto Alexandro amicissimum fuisse, ad eumque, primum detulisse Arium velut novarum blasphemiarum auctorem. An ita se res habuerint ut eas Sanctus Epiphanius refert, impræsentiarum inquirimus.

Deceptus est S. Epiphanius cùm in serie Alexandrinorum Episcoporum Sanctum Alexandrum ante Achillam numeravit.

PROPOSITIO.

A verò prorsus aliena sunt, quæ de Meletiani Schismatis origine memoriæ prodidit Sanctus Epiphanius.

Probatur ex Sancto Athanasio Apologia 2. ubi de Meletiani Schismatis origine ea refert, quæ cum Sancti Epiphanii narratione conciliari nullatenus possunt. Major autem adhibenda est fides Sancto Athanasio, qui & illius Schismatis ortum vidit, & in Historia longè accuratior est Sancto Epiphanio. Sic autem habet: *Petrus apud nos ante persecutionem Episcopus, & in persecutione Martyr declaratus, Meletium Episcopum Ægypti nominatum, multis convictum criminibus, & inprimis quòd Idolis sacrificasset, in communi Episcoporum Synodo deposuit. Meletius autem non ad aliam Synodum confugit: neque eorum successoribus se studuit purgare, sed Schisma fecit, adeo ut illius Sectatores etiam nunc pro Christianis Meletiani vocentur: ac jam tum in Episcopos convitia dicere incœpit, & primùm Petrum, deinde ejus successorem Achillam calumniatus est, & post Achillam Alexandrum, idque magnâ cum calliditate, exemplum ab Absalone mutuatus, ut pudorem depositionis suæ innocen-*

centium calumniis ulcisceretur. Falsò itaque Sanctus Epiphanius inter Confessores & Martyres detentos in carcere Meletium recenset, quem constat terrore tormentorum victum, idolis sacrificasse, teste Sancto Athanasio. Falsò inter Episcopos Martyrii candidatos in carcere eum collocat, qui jam a Sancto Petro Alexandrino in Synodo Episcoporum, propter Idololatriæ facinus depositus fuerat. Falsò refertur Lapsos rejecisse a Pœnitentiâ, ipse Lapsos inter insignis. Denique incredibile est Sanctum Petrum Alexandrinum, qui severiorem in Lapsos Disciplinam constituerat, ut ex ipsius Canonibus patet, Ecclesiasticæ nervos Disciplinæ remisisse jam Martyrem designatum, & molliori indulgentiâ suscepisse Lapsos nondùm Pœnitentiâ functos, adhoc fervente persecutione. Non est etiam verisimile Meletium cum Sancto Alexandro familiariter & amicè vixisse, contra quem, non minùs quàm contra Sanctum Petrum, vel insanæ indignationis suæ & calumniarum virus effudit, ut testatur Sanctus Athanasius. Sancto Athanasio in referenda Meletii Historia succinens Socrates, lib.1. *Historia Ecclesiastica*, cap.3. deceptum fuisse Sanctum Epiphanium confirmat. His Nicephorus, lib.8. Histor. cap.5. suffragatur. Tandem, si consulamus Acta Sancti Petri Alexandrini ab Anastasio Bibliothecario Latinitate donata, perspicuum erit, Meletium non tantùm fidem negasse, & idolis sacrificasse; sed etiam pro Maximino Imperatore tum adversùs cæteros Ecclesiæ Alexandrinæ Fideles diram persecutionem exercuisse, & multos a fide Christianâ abduxisse: tum ipsum Petrum adeò exagitasse, ut fugam capessere, & latebras quærere sit coactus.

Non est etiam verisimile, quòd Meletios Arium detexerit sibi patrocinantem, & ad Sanctum Alexandrum velut Novatorem detulerit; præsertim cùm tam arctum fœdus statim inierint Meletiani, & Ariani. Unde Socrates, lib.1. cap.3. ait: *Interea quæstio de Ario habetur. Meletius cum fuit Ario subsidio fuit; cumque illo unà contra Episcopum*, (Sanctum scilicet Alexandrum) *conspiravit.* Et Sanctus Athanasius *Oratione 1. contra Arianos*, ait, ipsos cum Meletianis iniisse conjurationem: & quamvis privatis de rebus inter se simultates gererent, odio tamen inimicitiâque communi adversùs veritatem conspirasse, & fœdera conglutinasse in impietate adversùs Dominum: & Arianos, consociatâ secum Meletianorum hipocrysi, tetra suæ impietatis verba evomere. Non est igitor verisimile quòd Meletius Arii Hæresim detexerit, eumque ad Sanctum Alexandrum detulerit.

DISSERTATIO IX.

De Visione S. Petri Alexandrini circa Arium, & de Actis ejusdem S. Patriarchæ & Martyris.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm Visio Sancti Petri Alexandrini de Ario vera sit; & sincera sint Acta ex quibus deprompta est?

HAne Visionem retulimus *in Synopsi, cap.3. Art.3. §.1.* Acta verò Sancti Petri Alexandrini apud Surium legimus, Tom.6. ad 26. Novembris. Eadem Græcè & Latinè edidit doctissimos Pater Combefisius, quæ Leone Allatio, * & Valesio judicibus, non alia sunt quàm vulgaria studio Metaphrastis adornata.

Allatius De Simeon. *pag.* 220. *Valesius in* Notis ad Eusebium.

PROPOSITIO.

VIsio Sancti Petri Alexandrini de Ario, & ejusdem Martyris Acta, merito suspecta sunt falsitatis & suppositionis.

Probatur primò. Si illa Visio vera esset, Sanctus Alexander Patriarcha Alexandrinus, & Sanctus Athanasius illam aliquando Ario exprobrassent, & Arii defensoribus: tanti namque momenti vaticinium, tantæ auctoritatis revelatio, ipsos pudore suffundere potuisset: atqui illi Patres nusquam hujus Visionis meminerunt: nusquam, vel in maximo disputationis æstu eam Ario, aut ipsius sectatoribus objecerunt. Argumento est itaque eam fictitiam esse.

Probatur secundò. In Actis illis habetur, a S. Petro nomine Christi prohibitum fuisse Achillæ & Alexandro Presbyteris ne Arium usquam in Ecclesiam reciperent, adduntque, ipsos id ad Cleri primarios retulisse. At istud incredibile est. Achillas enim, cujus sanctitatem Sanctus Athanasius commendat *Oratione 1. contra Arianos*, illâ Visione insuperhabitâ, & neglecto Christi mandato, ipsum in Ecclesiam non recepisset in Diaconum, neque ad Sacerdotium provexisset. Quod tamen fecit, ut testatur Sozomenus, lib.1. cap.14. Nec S. Alexander ipsi Sacrarum Scripturarum interpretationem credidisset: quod Theodoretus testatur, lib.1. cap.2.

Probatur tertiò illorum Actorum suppositio, ex eo quòd testentur Sanctum Petrum excommunicasse Arium propter ipsius Hæresim contra Filium Dei: cùm tamen constet ex Historiæ Ecclesiasticæ monumentis Arium tunc temporis nondum condidisse Hæresim, sed Meletiani dumtaxat Schismatis reum fuisse. Præterea, Arium tunc Presbyterum fuisse tradunt, quem Sozomenus tunc tantùm Diaconum fuisse affirmat.

Quartò. Acta illa quæ a Patre Combefisio edita sunt, Sanctum Petrum Alexandrinum Diocletiani Imperatoris jussu morte affectum testantur: cùm certum sit Diocletianum annis antea multis Imperio sese abdicasse, & in Dalmatiam secessisse.

Quintò. Acta illa Milium quemdam inter Alexandrinos Episcopos recensent: in quorum serie nullum istius nominis Historia Ecclesiastica recenset.

Sextò. S. Heraclam post Sanctum Dionysium & Maximum collocant. Quos tamen in Alexandrina Sede antecessit.

Septimò. Asserunt Fideles voluisse condere corpus Sancti Petri post ipsius Martyrium εἰς τὰ Θεωνᾶ, id est, in Ecclesia S. Theonæ sacra: quæ tamen ædificata nondum erat: siquidem eam extrui curavit S. Alexander, ut testatur Sanctus Athanasius, *Apolog.1.* Hæc autem omnia perspicuè probant Acta Sancti Petri Martyris, sive quæ apud Surium leguntur, sive quæ a Patre Combefisio edita sunt, supposita esse & spuria.

DIS-

DISSERTATIO X.

De secundo Concilio Alexandrino contra Arium.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Osius a Constantino Imperatore, vel a Silvestro Romano Pontifice missus fuerit ut Ecclesiæ dissidia, congregatâ Synodo, componeret?

PROPOSITIO.

Osius Cordubensis Episcopus a Constantino Imperatore, non a Silvestro Romano Pontifice, missus est Alexandriam, ut Ecclesiæ dissidia componeret.

Probatur contra Cardinalem Baronium, primò ex Eusebio, lib.2. *De Vitâ Constantini*, cap.62. Cùm enim tumultus ob Arii Hæresim Alexandriæ excitatos capite superiori recensuisset, ita scribit: *Quibus auditis, Imperator animo supra modum dolens, rimque illam propria calamitatis loco statuens, confestim Virum ex numero piorum quos habuit circa se, quem modestâ Fidei virtute satis spectatum, & superioribus temporibus pietatis confessione insigniter decoratum intelligebat, mittit, ut pacem inter eos, qui Alexandriæ discordabant, conciliaret: literasque ad eam imprimis accommodatas, per eumdem ad seditionis auctores dat.* Virum autem illum a Constantino missum Osium esse, ex aliis Auctoribus discimus.

Probatur secundò ex Socrate, lib.1. cap.4. *Extemplò*, inquit, *illud discordiæ incendium restinguere seriò aggreditur* (Imperator) *literasque per virum spectatum & fidelem Osium nomine, Episcopum Cordubæ, quæ est civitas Hispaniæ, ad Alexandrum & Arium mittit.*

Probatur tertiò ex Theodoreto, lib.1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.7. *Quibus rebus cognitis*, inquit, *Imperator sapientissimus primum ipsum malorum fontem obstruere laborat; & ob eam caussam mittit quemdam hominem ingenio præstantem, cum literis Alexandriam, atque eô pactô tum contentionis incendium extinguere nititur, tum spem animô capit se Fratres seditione exæstuantes ad concordiam posse reducere.* Virum illum non nominat Theodoretus, sed a Constantino missum asserit: cæterùm alii Auctores Ecclesiastici Osium fuisse dicunt.

Probatur quartò ex Sozomeno, lib.1. cap.15. *Itaque*, inquit, *a Constantino vehementer laboratum est, ut dissensione de utraque re suscepta Ecclesiam prorsus liberaret. Ac quoniam hoc malum, si modò antequam ad plures manaret, coërceretur, sanari posse existimabat, idcircò misit Virum, quem circa se habebat, fide & vita integritate præstantem, & superioribus temporibus ob varias Religionis Christianæ confessiones nobilitatum, Osium dico Episcopum Cordubæ, qui illos qui in Ægypto de fide digladiabantur, tum hos qui in Oriente de festo Paschatis dissentiebant, ad concordiam revocaret.*

Probatur quintò ex Photio *in Bibliotheca*, Cod. 256. *Quibus Constantinus auditis*, inquit, *iniquè ferens, mittit Alexandriam Osium nomine & re Sanctum, quem Hispaniæ civitas Corduba Episcopum habebat. Tradit autem ei Epistolas ad Archiepiscopum Alexandrum, & Arium Hæreseos fontem.* Cùm itaque scribit Baronius * ad annum Christi 318. Osium a Silvestro Romano Pontifice Legatum Alexandriam missum, certissimæ omnium veterum Auctorum fidei derogat.

* Tomo 3. Annal.

Objicies momenta Baronii. Osius Alexandrinam Synodum convocavit, quam Sanctus Athanasius Apologia 2. generalem vocat, eique præfuit: atqui non potuisset illam congregare Synodum, eique præesse, nisi auctus fuisset Legatione Pontificiâ: Osius itaque Alexandriam missus est a Silvestro Romano Pontifice Legatus.

Præterea in Epistolâ tunc a Constantino scripta ad Alexandrum & Arium, nulla prorsus Osii mentio habetur; cujus tamen nomen exprimero necessum erat, si mitteretur ab Imperatore Legatus. In literis enim Legationis nominari Legatos solemne est. Non obiit igitur Legationem Osius Constantini nomine, sed Silvestri.

Respondeo ad primum; nego minorem: Non enim necesse est Osium fuisse Legatum Romani Pontificis, ut Synodum convocaret, eique præesset. Sed verisimilius est Osium isti Synodo præfuisse, omnibus Ægypti Episcopis, & ipso imprimis Alexandro Alexandriæ Patriarcha, primas ipsi deferentibus. Viro namque celeberrimo, ab Imperatore misso, ipsique charissimo, qui pacis arbiter ab ipsô constitutos esset Alexandrum inter & Arium, hunc facilè honorem detulerunt, tum propter Imperatoris reverentiam, tum propter nominis & meritorum ipsius amplitudinem, tum quòd Alexander illi Concilio præesse congruè non posset. In his enim Arianæ Hæreseos incunabulis, caussa Alexandri & Arii, potiùs quàm Ecclesiæ Catholicæ, agi videbatur.

Respondeo ad secundum, Alias fuisse literas Legationis Osii ab eâ Epistolâ quam ad Alexandrum & Arium dedit Constantinus. Cùm enim non solùm ad conciliandam pacem inter eos qui in Ægypto de fide digladiabantur, missus esset; sed etiam inter eos qui in Oriente de festo Paschatis dissentiebant (ut testatur Sozomenus) necesse erat ut literæ Legationis, quibus ea commendata Osio provincia & commissa potestas exprimebatur, non ad duos tantùm viros, sed ad universos illarum regionum Episcopos dirigerentur. Licèt ergo in Epistolâ Constantini Imperatoris ad Alexandrum & Arium datâ, nulla fiat mentio Osii, aut Legationis ipsi commissæ, inferri non potest ipsum Alexandriam profectum non fuisse ad sedandos Ecclesiæ tumultus, ut Imperatoris Legatum.

DISSERTATIO XI.

De Nicæni Concilii convocatione.

ARTICULUS UNICUS.

A quo Nicæna Synodus convocata fuerit?

PROPOSITIO.

Nicæna Synodus convocata est a Constantino Imperatore. Inferri tamen ex hoc non potest, auctoritatem convocandi Concilia Oecumenica non pertinere ad Romanum Pontificem.

Probatur prima pars, ex Eusebio, lib.3. *De Vitâ Constantini*, cap.6. ubi hæc habet de Constantino loquens: *Deinceps igitur Concilium generale tanquam quemdam Dei exercitum instruens, in unum locum coëgit, & Episcopos undique per literas honorificè scriptas, ut eò maturarent, accivit. Neque mandatum dumtaxat ad hanc rem datum, sed in eâ peragendâ multùm attulit subsidii auctoritas Imperatoris, ac nutus qui nonnullis fecit potesta-*

tem equis publicè ad iter celeriter conficiendum dispositis utendi; aliis permagnum jumentorum instratorum, quibus veherentur, numerum suppeditavit. Civitas autem Bithyniæ, quæ Nicæa ἀπὸ τῆς νίκης, nomen traxit, Concilio celebrando admodùm idonea, designata fuit. Ubi autem Edictum in quaque provinciâ divulgatum erat, omnes summâ cum animorum alacritate, tanquam e carceribus ad cursum emissi, properè advolarunt.*

** Id est a victoriâ.*

Probatur secundò ex aliis Historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus. Ex Socrate lib. 1. cap. 5. *Cùm igitur*, inquit, *Imperator videret, hos duabus contentionis tempestatibus Ecclesiam vehementer jactari, Generale Concilium convocat, atque Episcopos undique per literas accersit, ut Nicæam urbem Bithyniæ se conferant.*

Idem testatur Theodoretus, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 7. ubi postquam legationem Osii a Constantino Alexandriam retulit, quâ sperabat sapientissimus Imperator compescendum periculosissimæ contentionis incendium, subdit: *Verùm ubi spes eum fefellerat, celebre illud Nicænum Concilium cogit.* Idem testatur *in Vitâ S. Jacobi Nisibensis.* Idem Sozomenus, lib. 1. Historiæ, cap. 16. *Constantinus*, inquit, *indicit Concilium Nicææ urbis Bithyniæ, scribitque ad omnes Ecclesiarum Præsides, ut ad diem constitutum adsint.*

In Historia Religiosa.

Ita Gelasius Cyzicenus, lib. 2. *De Actis Nicæni Concilii*, cap. 5. *Cùm videret*, inquit, *Imperator perturbatam Ecclesiam, generale Concilium convocat. Episcopos undecumque per literas ut Nicæam Bithyniæ occurrerent, exhortans.*

Ita Nicephorus, lib. 8. Historiæ, cap. 14. *Imperator*, inquit, *malum id ad summum excrescere cernens, decantatissimam illam in Bithyniâ Nicænam Synodum promulgat; & literis locorum omnium Episcopos ad constitutam diem eò evocat.*

Probatur tertiò ex Epistolâ Synodicâ Nicæni Concilii ad Ecclesiam Alexandrinam, quam descripsit Theodoretus, lib. 1. Historiæ, cap. 11. quæ sic incipit: *Quoniam Dei gratiâ, & mandato Sanctissimi Imperatoris Constantini, qui nos ex variis provinciis, & civitatibus in unum congregavit, magnum & sanctum Concilium Nicænum coactum est.* Idem testantur Metrophanes & Alexander in *Actis Nicænæ Synodi* apud Photium Cod. 256. *Concilium*, inquiunt, *Nicææ in Bithyniâ Imperator convocat.*

Probatur quartò ex Ephesina Synodo Collatione 1. in Relatione ad Theodosium & Valentinianum Imperatores de abdicatione Nestorii: *Fides* inquit, *a trecentis decem & octo Patribus in Metropoli Nicænâ a sanctæ memoriæ Constantino congregatis exposita.*

Probatur quintò ex Sancto Epiphanio, Hæresi 69. *Hic ad eum modum gestis*, inquit, *Imperator Ecclesiæ consulens, cùm jam plerisque a se invicem dissidentibus varia essent Schismata œcumenicam Synodum colligit trecentorum decem & octo Episcoporum.*

Probatur sextò ex Justiniano Imperatore Collatione 1. Concilii V. Oecumenici dicente: *Quapropter Constantinus congregavit Nicææ ex Diversis Diœcesibus trecentos octodecim Sanctos Patres.*

Probatur ultimò ex Gregorio Presbytero Cæsareensi, Oratione in Nicænos Patres: *Ubi porrò*, inquit, *Victor ille inclytus* (nimirum Constantinus,) *hæc rescivisset, divinas protinus literas mittit; per quas & Magistratus & eos qui possent, Episcopos Nicæam Bithyniæ Metropolim ad ea examinanda, quæ ad eos spectarent, venire suadet.*

Jus convocandi Concilia Oecumenica Romano Pontifice vindicatur.

Probatur secunda pars. Inferri non potest auctoritatem convocandi Concilia Oecumenica Romanum ad Pontificem non pertinere, ex eo quòd Nicænum Constantinus convocaverit, si Ecclesia illam agnoverit in Romanis Pontificibus auctoritatem: atqui Ecclesia agnovit in Romanis Pontificibus auctoritatem convocandi Concilia Oecumenica: ex facto igitur Constantini qui Nicænam Synodum convocavit, vel ex aliorum Imperatorum factis; qui alias Synodos Oecumenicas indixerunt, immeritò colligitur Conciliorum Oecumenicorum convocationem ad Romanum Pontificem non pertinere.

Probatur minor. Eam enim potestatem agnoverunt Concilii secundi Oecumenici, Constantinopolitani primi Patres in Epistolâ Synodicâ ad Damasum, quam Theodoretus refert, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 9. *Convenerunus*, inquiunt, *Constantinopoli ad literas a Reverentia vestra superiore anno, post Concilium Aquilejense ad religiosissimum Imperatorem Theodosium missas, ad hoc solùm iter Constantinopolim usque instructi, & de hac tantùm Synodo Episcoporum, qui in provinciis remanserunt, consensum afferentes, cùm de longioris profectionis onere nec suspicati essemus, nec quidquam antè audissemus, quàm Constantinopolim pervenimus.* Itaque ad literas Romani Pontificis Concilium indicentis, convenire se debere Episcopi Orientales agnoverunt.

Addunt in eadem Epistola: *Nunc verò postquàm Synodum Romæ nutu Dei congregantes, nos etiam pro fraterna erga nos charitate vestra, tamquam membra propria, per religiosissimi Imperatoris literas evocastis.* Agnoverunt itaque Romanum Pontificem Romæ indicere potuisse Generale Concilium, ad quod ne convenirent, non defectum auctoritatis in convocante, sed angustiam dumtaxat temporis velut excusationis legitimæ rationem protulerunt.

Eamdem auctoritatem Sedi Apostolicæ vindicavit Pelagius Secundus Epistolâ 8. datâ ad Episcopos, qui ad Synodum Constantinopolitanam convenerant, a Joanne, qui se Patriarcham Oecumenicum dicebat, convocati: *Relatum est*, inquit, *Joannem Constantinopolitanum Episcopum universalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum convocare Generalem: cùm Generalium Synodorum convocandarum auctoritas Apostolicæ Sedi Beati Petri sit tradita.* Et ibidem: *Multis*, inquit, *Apostolicis, & Canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur Regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Porrò cùm hæc scripsit Pelagius Secundus, nemo Episcoporum reclamavit. Reclamassent autem, si Sedi suæ auctoritatem convocandi Concilia Generalia immeritò & præter jus asseruisset.

Eamdem auctoritatem Ecclesiæ asserit *Sanctus Maximus* Martyr in Collatione cum *Theodosio* Cæsareæ Episcopo. *Si Synodos*, inquit, *quæ factæ sunt jussiones Imperatorum firmant, & non pia fides, recipe Synodos, quæ contra homousion factæ sunt. Nam jussione Principum sunt patratæ. Primam videlicet in Tyro, secundam in Antiochia, tertiam in Seleucia, quartam in Cypro sub Eudoxio Ariano: quintam in Nicæa, sextam in Sirmio: & post hæc multò post, septimam in Ephesso, secundam, cui Dioscorus præfuit. Omnes enim has Imperatorum jussio aggregavit. Quare autem non abjicitis eam quæ deposuit Paulum Samosatenum, sub Sanctis & Beatis Dionysio Papa Romano & Dionysio Alexandrino, atque Gregorio miraculorum patratore, qui eidem præfuit Synodo, quoniam non est jussione facta Imperatoris? Qui præterea Canon promulgat, solas illas approbandas Synodos, quæ Imperatoris jussione sunt congregatæ?*

Nicææ Thraciæ.

Idem confirmant Christianissimorum Regum & Imperatorum Capitularia, libro 6. cap. 287. *Auctoritas Ecclesiastica atque Canonica docet, non debere absque Sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Et addit lib. 4. cap. 12. *Legitima Sy-*

no-

nodo suo tempore Apostolica Auctoritate convocatâ, cujus jussione Domini, & meritis B. Petri Apostoli, singularis congregandorum Conciliorum auctoritas, & Sanctorum Canonum, & venerandorum Patrum Decretis multipliciter privata tradita est potestas.

Præterea. Concilia omnia Oecumenica in Occidente celebrata, convocata sunt a Romanis Pontificibus, oon verò ab Imperatoribus: agnovit igitur Ecclesia id juris Summis Pontificibus convenire.

Probatur secundò. Inferri non potest jus convocandi Concilia Oecumenica Romanum ad Pontificem non pertinere, ex eo quòd Nicænum convocaverit Constantinus, si revera illud non convocaverit absque assensu Silvestri Pontificis Maximi: Atqui Constantinus Concilium Nicænum absque assensu Silvestri Pontificis Maximi non coovocavit; Igitur ex facto Constantini illud Concilium indicentis colligi non potest Conciliorum Oecumenicorum coovocatiooem ad Romanum Poontificem non pertinere.

Probatur minor ex Ruffino, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 1. ubi de Arianæ Hæresis ortu, & condemnatione agit. *Sermo*, inquit, *usque ad aures religiosi Principis, quippe qui omni studio & diligentiâ curaret qua nostra sunt, pervenit. Tum ille ex Sacerdotum sententia apud urbem Nicæam Episcopale Concilium convocat: ibique Arium, trecentis decem & octo Episcopis residentibus adesse jubet, ac de ejus propositionibus & quæstionibus judicari.* Porrò si ex Sacerdotum sententiâ Nicænam Synodum convocavit Constantinus, maximè ex sententia Silvestri Sacerdotis Maximi.

Launoius parte 6. Epistol. Respondet Launoius in Epistolâ ad Ludovicum Habertum Mommorium, verba hæc, *ex Sacerdotum sententiâ*, significare quòd Constantinus ex sententiâ Alexandri Alexandrini Episcopi Concilium Nicænom convocaverit, id est, illius studin & hortatu, ut indicat Sanctus Epiphanius Hæresi 68. *Verùm*, inquit, *paulò post Alexandri Sanctissimi Alexandriæ Episcopi studio & ortatu, beatæ memoriæ Constantinus Synodum in urbe Nicæa congregat, ubi Arii dogma post ejus mortem damnatum est.*

Verùm mirum est quòd Launoios Sanctum Epiphanium Ruffini faciat interpretem, qui io rebus ad Nicæni Concilii Historiam pertinentibus ita aberrat a vero, nt Arium in Synodo Nicæna post mortem suam damnatum scribat, qui decem adhuc annis post Synodum illam vivebat. Deinde, ineptum est colligere, Nicænum Concilium non fuisse convocatum ex sententia Silvestri, idque non significari his Ruffini verbis, *ex sententiâ Sacerdotum*, quia studio & hortatu Alexandri Patriarchæ convocatum est. Quasi verò Alexander non potuerit hortari & rogare Imperatorem ut auctoritatem suam ad convocandum Concilium interponeret, atque rogare subinde sententiam Silvestri non potuerit Constantious, ut illud convocari annueret. Quod ipsum fecisse constat ex eo quòd Legatos miserit, qui illius nomine Concilio præfueruot, ut Dissertatiooe sequeoti osteodemus.

Præterea Synodus Sexta Generalis Actiooe 18. in Sermone Prosphonetico, seu Acclamatorio, Silvestrum cum Constantino Synodum Nicænam congregasse, disertè asserit. *Arius*, inquit, *divisor & partitor Trinitatis insurgebat, & continuò Constantinus semper Augustus, & Silvester laudabilis, magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant.*

Respondet Launoius, Hæc non a Synodo, sed in Synodo dicta esse ab eo, qui Acclamationem recitavit: rem non esse de quâ Synodi Patres sigillatim pronuntiaverint; quare relata verba illius esse taotùm, qui Constaotino Imperatori acclamavit, anoo post Nicænam Syoodum 355. Verùm etsi illa verba Synodi sextæ non siot, ea tamen probando sua fecit, nec est necesse ut Patres hac de re sigillatim pronuntiaverint: ridiculum est enim id exigere in rebus quæ Fidei dogmata, aut Ecclesiæ Disciplinam non spectant, sed Historiam & facta singularia. Satis est ut id in Concilio dictum sit, reclamante nemioe: nt hanc fuisse Concilii sententiam constet.

Probatur tertiò. Ex facto Constantini Concilium Nicænum, aliasque Synodos convocantis, & ex factis aliorum Imperatorum Concilia Orientis convocantium, colligi non potest jus convocandi Concilia ad ipsos Imperatores, non verò ad Ecclesiam pertinere: Ergo ex his factis inferri non potest Conciliorum Oecumenicorum convocationem non spectare ad Romanum Pootificem, qui Ecclesiæ præest universæ.

Probatur antecedens. Ex his factis colligi non potest jus convocandi Concilia non pertinere ad Ecclesiam, sed ad Imperatores, si priora Ecclesiæ Concilia triom sæculorum spatio, solâ Episcoporom auctoritate, absque Imperatorum mandato celebrata fuerint: Atqui priora Concilia trium sæculorum spatio, solâ Ecclesiæ auctoritate, non verò Imperatorum convocata sunt; Ex factis igitor Imperatorum Synodos convocantium colligi non potest id juris ad Ecclesiam noo pertinere, sed ad Imperatores.

Probatur Minor. Cùm enim quæstio de Circumcisione Antiochiæ orta esset, Concilium Apostoli celebrarunt: quod celebrandorum postea Conciliorum exemplar dicere meritò possumus. Num porrò adierunt Imperatorem ut Concilium congregaret? Nequaquam. *Sed convenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc. Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos*, &c. Similiter cùm de septem Diacooornm electione ageretur, Apostoli cœtum Ecclesiæ coëgerunt: [Actuum 6.] *Convocantes autem duodecim multitudinem Discipulorum dixerunt*, &c.

Præterea. Certum est ex Historiæ Ecclesiasticę monumentis convocata fuisse tribus prioribus Ecclesiæ sæculis Concilia, quędam contra Montanistas, alia ob controversiam de celebratione Paschatis dirimendam sub Victore Pontifice Maximo, alia contra Novatianos & in caussa Lapsorum, Cornelii & Cypriani tempore; nonulla contra Paulum Samosatenum; alia ad sanciendam Ecclesiasticam Disciplinam antè Constantini Imperium, ut Illiberitanum. Io his porrò Synodis convocandis nullam partem habuere Principes, sed solius Ecclesiæ effulsit auctoritas. Cùm itaque quod ab Ecclesia gestum est prioribus illis sæculis, quæ Apostolica vocantur, norma sit eorum quæ sequentibus sæculis gerenda sunt: sequitur alia Concilia secutis sæculis celebrata, convocari jure non potuisse, nisi Ecclesiæ auctoritate.

Tertiò. Episcopi quovis tempore sunt Apostolorum successores. Privilegiis igitur Apostolicis semper æqua ratione frui debent. Cùm itaque priorum sæculorum Episcopi Apostolis successerint in jure convocandi Concilia, Imperatores jus illud auferre non potuerunt Antistitibus, ex quo fuerunt Christiani, nec illius partem aliquam sibi vindicare.

Quartò. Christus Ecclesiam, quam immutabilem, & indeficientem fundavit, terrenis & sæcularibus Principibus dici non potest subjecisse. Quid enim si totius orbis Imperator in Idololatriam, vel Hæresim labatur, quod aliâs accidit? Quis tunc Syoodos congregaret Ecclesiæ rebus necessarias? Quid si plurimos Reges inter Christianum dividatur Imperium, ut a multis sæculis divisum

est? Quid si populi Principum dominatum excutiant? Quis tunc Concilia, id est, Comitia Ecclesiæ universæ convocabit? Expectandumne erit donec pax inter omnes illos Principes conciliata fuerit; & donec ad convocationem Oecumenici Concilii omnes conspiraverint? Si ita est, proh! quantum interim detrimentum patietur Ecclesia! Hæreses interim insolentiùs grassabuntur: interim Disciplina magis ac magis collabetur! Concludendum ergo est jus convocandi Concilia, semper idem & immutabile convenisse Episcopis; adeòque jus indicendi Concilia Oecumenica semper fuisse Romani Pontificis proprium, qui Ecclesiam universam moderatur. Id autem ex verbis Christi Matthæi 18. *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum*, colligi hac ratiocinatione in Scripturis Sacris fundatâ potest. Concilia Oecumenica jure solùm convocantur *in nomine Christi*, id est auctoritate Christi. Nam in Scripturis, *τὸ in nomine*, hoc ferè sensu semper usurpatur, ut Marci ultimo: *In nomine meo dæmonia ejicient*. Matthæi 7. *Nonne in nomine tuo prophetavimus?* Actuum 4. *In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Ab eo itaque jure tantùm Concilia Oecumenica convocantur, cui Christi auctoritas per universam Ecclesiam concredita est. Porrò ille habet solus auctoritatem in Ecclesia universa, qui totius Ecclesiæ Pastor est. Ille totius Ecclesiæ Pastor est, qui Sancto Petro succedit, cui dictum est a Christo; *Pasce oves meas*. Auctoritas igitur convocandi Concilia Oecumenica Romano Pontifici convenit ex institutione Christi.

Objectio prima petitur ex Octavâ Synodo Oecumenicâ, Actione 5. in quâ Vicarii Orientalium Sedium dixerunt; *Scitis quia in præteritis temporibus Imperatores erant, qui congregabant Synodos & ex toto terrarum orbe Vicarios ad dispositionem hujusmodi caussarum colligebant: quorum more, & Dei cultor Imperator noster universalem hanc Synodum non in abstruso neque in clandestino; sed evidenter ac manifestè fecit, videlicet sanctissimorum Vicariorum Senioris Romæ nostrumque Collegium*. Igitur Nicænam Synodum summo jure convocavit Constantinus, & alias Synodos Oecumenicas Orientis alii Imperatores pari jure convocarunt.

Respondeo, distinguo antecedens, & explico Synodum Octavam: Imperatores convocabant Concilia, ex Ecclesiæ consensu, indulgentia & dispensatione, concedo. Summo jure, nego. Vel rursus distinguo: convocarunt Synodos potestate præsidii, concedo; potestate regiminis, nego; non inficior itaque Nicænum, ut & alia Concilia Orientis ab Imperatoribus fuisse indicta: sed nego id ab ipsis præstitum summo jure, Duplex enim auctoritas in Conciliorum convocatione concurrere potest: Ecclesiastica & civilis. Ecclesiastica ut damnentur Hæreses, extinguantur schismata, sacri Canones ad sanciendam condantur disciplinam. Civilis, ut Canones a Concilio constituti, in forensi etiam judicio vim legis obtineant, & per omnes Imperii Provincias executioni tradi possint, & ut Hæreticorum contumacia Regia etiam Auctoritate comprimatur. Indixerunt igitur Synodos Romani Pontifices, vel convocando Episcopos, vel eorumdem convocationi assensum præbendo suum (quod fecit S. Sylvester) quia *Generalium Synodorum convocandarum auctoritas Apostolica Sedi Beati Petri singulari Privilegio tradita est*; ut ait Pelagius II. Indixerunt easdem Synodos Imperatores, ut Ecclesiæ laboranti suppetias ferrent, ut ipsi opitularentur, ut Canonum se executores ac tutores demonstrarent. Uno verbo, indixerunt Concilia, non potestate regiminis, sed præsidii

quò pertinet illud Sancti Leonis Magni Epistolâ 81. ad Leonem Imperatorem: *Debes incunctanter advertere, Regiam Potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, ea quæ benè sunt statuta defendas, & veram pacem iis quæ sunt turbata restituas*. Et Epistolâ 33. ait: *Res humanas aliter tutas esse non posse, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, & Regia, & Sacerdotalis defendat Auctoritas*. Quare & Theodosio Imperatori, non solùm Regium, sed etiam *Sacerdotalem Animum* inesse gratulatur, ob Synodum Ephesinam congregatam, proscriptosque legibus suis Hæreticos (Epistola 33.) Et Marcianum Augustum *Custodem Fidei* vocat ob perculsum Eutychetem. Ob hanc etiam auctoritatem, non regiminis, sed præsidii, Constantinus Magnus indixit Nicænam Synodum, ut quæ pacem Ecclesiæ spectabant, procuraret, *tanquam * communis Episcopus*. Necesse autem erat prioribus sæculis, Christianorum Imperatorum auctoritatem ad Synodorum convocationem concurrere, ob alias etiam rationes. Primò quia Ecclesia temporale dominium tunc temporis non habebat, neque urbis alicujus, aut Provinciæ obtinebat imperium, neque tunc Respublica erat in Ecclesiâ, sed Ecclesia erat in Republica, ut ait Optatus; adeòque necesse erat ut Imperatores locum aliquem & urbem Imperii sui assignarent ad celebrationem Concilii. Secundò quia publicis expensis deducebantur, reducebantur, alebantur Episcopi: in eoque elucebat Christianorum Imperatorum munificentia. Hinc literarum Tractoriarum usus. Tertiò quia legibus cautum erat ne conventus fierent absque Imperatorum licentia, ut patet ex Codice Theodosiano, Tit. *De Episcopis & Clericis L. Conventicula*. Non ergo coacta sunt umquam ab Imperatoribus Concilia, suam ut ab illis auctoritatem mutuarentur: unde meritò exclamat Sanctus Athanasius in Epistolâ ad Solitariam Vitam agentes: *Quando umquam judicium Ecclesiæ ab Imperatore auctoritatem habuit?* Sed ut ab eis protectionem obtinerent, ac eorum potestate freti Antistites, Hæreticorum faciliùs frangerent contumaciam. Sic itaque Nicænum Concilium convocavit Constantinus Magnus.

* *Ex Eusebio.*

Illustratur hæc Responsio ex Canone 17. Concilii VIII. Oecumenici, qui sic habet: *Illud autem tanquam perosum quiddem ab auribus nostris repulimus, quod a quibusdam imperitis dicitur, Non posse Synodum absque Principali præsentiâ celebrari, cùm nusquam sacri Canones convenire sæculares Principes in Conciliis sanxerint, sed solos Antistites*. Porrò si absque Principum præsentia celebrari Concilia Oecumenica possunt: quidni etiam possint absque eorum auctoritate convocari?

Denique ipsi Imperatores jus Ecclesiæ in convocandis Conciliis agnoverunt: sibi verò eam auctoritatem summo jure non convenire sunt professi. Valentiniani præclarum factum proferre sufficeret, quod refert Sozomen. Lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 7. his verbis: *Ubi verò decessit Constantinopoli Valentinianus, perque Thraciam Romam versùs iter fecit: Episcopi Hellesponti & Bithyniæ, & alii omnes qui Filium Patri consubstantialem asserendum putabant, mittunt ad eum pro se legatum Hypatianum Heracleæ Episcopum, oratum ut sibi de doctrina Fidei ritè constituenda in unum conveniendi potestas permitteretur. Qui cùm venisset ad Valentinianum, & Episcoporum postulata ei exposuisset; respondit ille: Sibi qui unus e Laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere: & ideo Sacerdotes & Episcopi, inquit, quibus hæc cura sunt, seorsum per se ubicumque eis libitum fuerit, in unum conveniant.*

Idem

Idem constat ex facto Regis Theodorici, & ex Synodo Romana 3. in caussa Symmachi Pontificis Maximi, anno 501. qui cùm a Schismaticis multorum criminum infamaretur, eumut e Sede Pontificia deturbarent Episcopi qui Regis mandato convenerant, suggesserunt, *Ipsum qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare; scientes quia eius Sedi primùm Petri Apostoli meritum, vel Principatus: deinde secuta jussione Domini Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem. Nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio, in propositione simili, forma aliqua testaretur. Sed potentissimus Princeps, ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam literis demonstrasse significavit: unde a Mansuetudine eius pagina postulata sunt, quas ab eo directas constabat.* Undè quamvis Rex Theodoricus auctoritatem interposuisset suam ad convocandos Episcopos, ut pacem Ecclesiæ, & consequenter Imperii, extincto schismate procuraret, non tamen id præstiterat summo jure, & absque sententia Romani Pontificis. Immò contestatus est ad se non pertinere negotiorum Ecclesiasticorum cognitionem; sed *In Synodali esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reverentiam, de Ecclesiasticis negotiis pertinere: committens etiam potestati Pontificum, ut sive propositum vellent audire negotium, sive nollent, quod magis putarent utile, deliberarent, dummodò venerandi provisione Concilii pax in civitate Romana Christianis omnibus redderetur.*

Objicies secundò. Liberius Romanus Pontifex non convocavit Synodum, sed Constantium rogavit ut convocaret. Atqui obsecratione tam humili, tamque supplici non rogasset indici Synodum a Constantio, si potestatem habuisset indicendi: ergo potestas indicendi Concilia non convenit Romano Pontifici, sed Imperatoribus.

Probatur Major ex Liberii Epistolâ ad Constantium. *Ego*, inquit, *religiosissime Imperator, tecum veram pacem requiro, quæ non sit verbis composita interna dispositione fallacia, sed præceptis Evangeliorum rationabiliter confirmata: non Athanasii tantùm negotium, sed multa alia in medium venerant; propter quæ Concilium fieri Mansuetudinem tuam fueram deprecatus. Ut ante omnia, quod specialiter optat mentis tuæ erga Deum sincera devotio, cùm Fidei caussa, in qua prima nobis spes est ad Deum, diligenter fuisset tractata.* Et in eadem Epistolâ de Pontificali creatione sua loquens, hæc habet: *Ad istud Officium, testis est mihi Deus, invitus accessi, in quo cupio quidem sine offensa Dei, quamdiu in sæculo fuero, permanere; & numquam mea statuta, sed Apostolica, ut essent semper firmata, & custodita perfeci: secutus morem ordinemque majorum, nihil addi Episcopatui urbis Romæ, nihil minui passus sum.* At minui passus esset aliquid, nisi indixisset Synodum, quam jure potuisse indicere supponitur, & quam usque adeò necessariam esse credebat. Idem constat ex Dialogo Liberii, quem Theodoretus refert, lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 13.

Respondeo, distinguo minorem. Non rogavisset Synodum indici a Constantio, si potestatem habuisset indicendi, & potestatem illam exercere potuisset de facto absque consensu Constantii, concedo: si potestatem illam non potuisset exercere, seu jure suo uti de facto absque ejus assensu, nego. Porrò cùm in aliquâ Imperii urbe Concilium celebrandum esset, ad eamque liber patere ex omnibus Provinciis Episcopis aditus; cùmque ex aliâ parte Constantius Arianis faveret, ac in Catholicos Antistites exerceret tyrannidem: Liberius Pontifex de facto non poterat convocare Concilium absque licentia Constantii, quamvis illud indicere posset de jure: unde necesse erat ut illud indici a Constantio supplex rogaret. Non ideò porrò minui aliquid passus est Liberius de juribus Pontificiæ Dignitatis, quia Synodum non indixit. Non enim sua jura minui patitur, qui rerum necessitate, & calamitate temporum coactus, ad majus malum vitandum, indulget ac patitur ut alter præstet reipsa, quod ipse solus jure præstare potest: maximè cùm certissimus est, juribus suis facta quævis, aut usus contrarios derogare non posse. At certissimus erat Liberius potestatem convocandi Concilia Oecumenica Romano Pontifici divino jure convenientem illi auferri non posse, quantumvis Imperatores illa convocarent ex Ecclesiæ indulgentia: & aliundè rerum Ecclesiasticarum necessitas ipsum cogebat eâ uti œconomiâ. Non sequitur ergo ipsum passum esse minui aliquid de juribus Pontificiis, quia Synodum ab Imperatore indici nedùm passus est, sed rogavit. Quid autem juris Imperatori conveniat, quid Ecclesiæ, præclarè exponit Osius eumdem Constantium alloquens, apud Sanctum Athanasium in Epistolâ ad Solitarios: *Ne te misceas*, inquit, *Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea a nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit: & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Neque igitur fas est nobis in terris Imperium tenere, neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator.* Ex quibus sic colligo. Tam se non debent rebus Ecclesiasticis immiscere Imperatores, quàm se non debeant rebus Imperii immiscere Episcopi: & tam non habent potestatem illi in ea quæ sunt Ecclesiæ, quàm non habent isti in ea quæ sunt Imperii. Sicut ergo Episcopi non habent jus convocandi comitia Regni, ita nec Reges habent jus convocandi comitia Ecclesiæ, nimirum Concilia. Et sicut comitia Regni solus Rex convocare potest, qui toti regno præest; ita Ecclesiæ totius Comitia solus Pontifex Romanus potest convocare, nimirùm Concilia Oecumenica; quia solus Ecclesiæ præest universæ.

Objectio tertia petitur ex Romanæ Ecclesiæ Diurno, in quo Fidei Professio, quam recens creati Pontifices edebant, hęc habet: *Hujus Apostolicæ Traditionis normam inviolabiliter custodiens venerandum Sanctorum Patrum trecentorum decem & octo Concilium, quod in Nicæa sub magno Principe Constantino convenit: Dei gratiâ revelante redegit in Symbolum, & consubstantialem Patri Filium prædicavit:* Atqui si Silvester Pontifex Maximus convocationis Concilii Niceni fuisset particeps, non diceretur tantùm sub Constantino convenisse, sed sub Constantino & Silvestro: igitur Silvester nullam partem habuit in Synodi convocatione.

Respondeo, nego minorem. Cùm enim dicitur Synodus sub aliquo Imperatore aut Rege convenisse, non significatur quòd illam convocaverit ille Princeps, sed solùm quòd tunc moderaretur Imperium, quando convocata est: alioqui sequeretur Tridentinam Synodum fuisse a Carolo V. & Ferdinando convocatam, quia sub his Imperatoribus verè dicitur celebrata. Deinde etsi Constantinum convocasse Nicęnam Synodum probent illa Diurni Romani verba, non tamen Silvestrum excludunt. Tertiò, Diurnus ille editus est post Sextam Synodum, quę Silvestrum adjungit Constantino in convocatione Concilii Nicæni.

SCHO-

SCHOLION I.

Religiosi Censores hanc Propositionem notant, pag.82. Editionis primæ: *Nicæna Synodus convocata est a Constantino Imperatore*.

R. Non dogmatis, sed facti & Historiæ Quæstio est. Trecenti decem & octo Patres Nicæni, qui sanè noverant a quo convocati essent, se Nicæam ad magnam Synodum a *Constantino* convocatos testantur in Epistolâ suâ Synodicâ ad Ecclesiam Alexandrinam.

SCHOLION II.

Ad eamdem Dissertationem, pag. 89. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Quæ dicuntur prolata in Concilio, si non improbantur, Concilii esse dicuntur*.

R. Hanc Propositionem cuderunt, mihique affinxerunt Indiculi Censorii Auctores. Propositio mea non est generalis, sed particularis & determinata. Agitur de eo quod in Sexta Synodo Generali dictum est in Sermone Prosphonetico seu Acclamatorio: *Constantinus Augustus & Silvester magnam in Nicæa Synodum congregabant*. Ex hoc testimonio, aliisque colligo, Nicænam Synodum absque *S. Silvestri* Romani Pontificis consensu non fuisse convocatam. Respondebat *Launoius* in Epistolâ ad *Ludovicum Habertum Mommorinum*, hęc non esse dicta a Synodo, sed in Synodo, ab eo qui Acclamatorium Sermonem recitavit; rem non esse de qua Synodi Patres singillatim pronuntiaverint, &c. Ego verò repono: *Etsi hæc verba Synodi Sextæ non sint, ea tamen ut suo dictu nomine probando sua fecit; nec est necesse ut Patres hac de re singillatim pronuntiaverint. Ridiculum est enim id exigere in rebus quæ Fidei dogmata aut Ecclesiæ Disciplinam non spectant, sed Historiam & facta singularia. Satis est ut id in Concilio dictum sit reclamante nemine, ut hanc fuisse Concilii sententiam constet*. Quid in his animadversione censoriâ dignum?

DISSERTATIO XII.

De Præside Nicæni Concilii.

ARTICULUS UNICUS.

Quis Nicæno Concilio præfuerit?

PROPOSITIO.

Nicæno Concilio præfuerunt Osius Cordubensis Episcopus, Vitus & Vincentius Presbyteri, Silvestri Pontificis Maximi, cujus Legati erant, nomine.

Probatur ex Sancto Athanasio in Apologia de fuga sua, ubi de Osio sic loquitur: *In qua Synodo ille non dux, & antesignanus fuit? Quam non ille recta tuendo in suam sententiam pertraxit? Quæ Ecclesia illius præsidentiæ non pulcherrima monumenta retinet?* Et in Epistolâ ad Solitarios, de Osio sic loquentes Arianos inducit: *Hic est Princeps Synodorum, & si quid scribit, ubique auditur. Hic Formulam Fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos ubique pro Hæreticis traduxit*.

Probatur secundò ex Gelasio Cyziceno, lib.2. *Historiæ Concilii Nicæni*, cap. 5. ubi ex 3. lib. Eusebii *De Vita Constantini* se ista transcripsisse profitetur: *Ipse etiam Osius ex Hispaniis, nominis & fama celebritate insignis, qui Silvestri Episcopi maximæ Romæ locum obtinebat, unà cum Romanis Presbyteris Vitone & Vincentio, cum aliis multis in consessu illo adfuit. Urbis autem illius, penes quam Imperium est, Episcopus Metrophanes nomine, ingravescente ætate præpeditus abfuit; sed Presbyteri ejus qui aderant, illius locum suppleverunt*. Eadem refert Photius Cod.88. ubi Gelasii Cyziceni Opus recensens, ait *Refert Auctor, Osium Cordubæ Episcopum, & Bitonem atque Vincentium Romanos Sacerdotes Silvestri Romani Pontificis legatos adfuisse*. Fateor Eusebii textum ea modò non habere, quæ ex eo Gelasius Cyzicenus refert; sic enim solùm apud ipsum legitur, lib. 3. *De Vita Constantini*, cap. 7. *Ex ipsis Hispanis unus nominis & fama celebritate insignis, cum aliis multis in consessu illo adfuit. Et quamquam urbis illius, penes quam Imperium est, Episcopus, ingravescente ætate præpeditus abfuit, ejus tamen Presbyteri qui aderant, illius locum suppleverunt*. Ita etiam hunc locum refert ad verbum Socrates, lib. 1. cap. 5. sed mutilum esse in vulgatis editionibus hunc Eusebii locum Vir doctissimus Dominus de Marca Parisiensis Archipræsul optimè notavit; quem restituere non potuit Socrates Codicis sincerioris defectu. Sed facillimum est hiatum in illa Eusebii phrasi, prout in vulgatis Codicibus legitur, deprehendere: *Ex Hispanis celebratus ille adfuit cum cæteris*. Quis enim erit Hispanus ille, quamvis famæ celebritate conspicuus, si nomen ejus silentio damnetur? Hoc loquendi genus aliquo pacto in Oratione Panegirica ferri posset, quod sine vitio usurpari non potest in Historia, quæ virorum illustrium nomina posteritati commendare debet. Porrò si consulatur Gelasii Cyziceni codex, statim lacuna illa detegitur. Verbis enim illis generalibus Eusebii, statim subjungitur Osii nomen & legatio: cujus nisi meminisset Eusebios, scopum suum non attigisset. Recensere namque voluit Provincias omnes, quæ Episcopos suos Nicænam ad Synodum miserunt: & nihilominus in illa tam accurata relatione Italiam & urbem Romam omisisset: quo nihil absurdius fingi potest. Itaque non ex Gelasio Cyziceno dumtaxat, sed ex Eusebio certum est, Osium cum Romanis Presbyteris Bitone & Vincentio, Sancti Silvestri nomine, Concilio Nicæno præfuisse.

Probatur tertiò, tum de Osio, cùm de Vito & Vincentio, ex Socrate lib. 1. cap. 9. ubi Episcoporum insignium, qui Synodo Nicænæ interfuerunt, nomina recensens ab illis auspicatur, *Aderat*, inquit, *in hoc Concilio Osius Episcopus Cordubæ; Vitus & Vincentius Presbyteri: Alexander Episcopus Ægypti: Eustathius magnæ Antiochiæ: Jerosolymorum Macarius; Harpocration, Cynon, & alii quorum nomina in libello Athanasii Episcopi Alexandriæ, qui Synodicus inscribitur, sigillatim & accuratè citantur*. Ubi cùm eumdem ordinem in recensendis illis Episcopis servet, quem Nicæni Canones Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ & Hierosolymitanæ Ecclesiæ assignarunt, necesse est ut Osium, Vitum, & Vincentium Romanæ Sedis legationem obiisse Nicæna in Synodo, illique præfuisse existimaverit: alioqni Cordubensem Episcopum, & simplices Presbyteros Patriarchis non præposuisset.

Favet etiam præsidentiæ Viti & Vincentii, lib. 1. cap. 5. ubi ait: *Et quamquam urbis illius, penes quam Imperium est, Episcopus, ingravescente ætate præpeditus, abfuit, ejus tamen Presbyteri qui aderant, illius locum suppleverunt*. Hæc verba transcripsit Socrates ex Eusebio, lib. 3. de Vita Constantini, cap. 7. quæ quamvis ad Metrophanem referenda esse contendat Dominus de Marca, qui Alexandrum suum in Constantinopolitana sede po-

postea successorem, tunc verò illius Ecclesiæ Presbyterum Nicænam ad Synodum vice sua miserit; illiusque suffragatorem sententiæ proferat * Nicetam Choniatem eruditissimus Antistes, illa tamen ad Silvestrum referenda esse, ex Julio primo constat in Epistolâ ad Orientales, apud Sanctum Athanasium, *Apologia* 2. ubi de Marcello Ancyrano sic loquitur: *Sed etiam olim se bujus sententia fuisse confirmabat, utì & Presbyteri nostri, qui tunc in Nicano Concilio aderant, de ipsius recta fide contestabantur.* Constat ex Theodoreto, lib. 1. Histor. cap. 6. *Trecenti*, inquit, *decem & octo Episcopi convenerant: Romanus autem propter summam senectutem ipse quidem non adfuit, sed Presbyteros duos misit cum potestate Actis assentiendi.* Ex illis igitur Auctoribus constat Vitum & Vincentium Presbyteros unà cum Osio, Nicænæ Synodo præfuisse Silvestri nomine.

* *Nicetas in Panopliâ.*

Falsum est quod ait D. de Marca Alexandrum Constantinopol. tunc tantùm Presbyterum fuisse, cùm Nicana Synodus habita est, & a Metrophane ad illam missum. Nam obiisse Metrophanem anno Christi 317. evincit Baronius ex Socrate & Sozomeno: idemque colligitur ex Theodoreto lib. 1. Histor. cap. 2. & 3.

Probatur quartò ex Epitome Canonum, quam Hadrianus Summus Pontifex Carolo Magno obtulit anno Christi 773. quæ sic habet in Præfatione Canonum Sardicensium: *Sciendum est hunc Osium inter 318. Patres Nicani Concilii honorabilem fuisse, atque ab Apostolica Sede cum Victore & Vincentio Presbyteris destinatum.*

Probatur quintò, ex Hincmaro Archiepiscopo Remensi in Opusculo contra Hincmarum Laudunensem, cap. 20. ubi de Nicæno Concilio loquens, ait: *Cui ad vicem Silvestri præsederunt Osius Cordubensis Episcopus, Victor & Vincentius Presbyteri urbis Roma.*

Probatur sextò ex Auxilio in lib. *De Ordinationibus Formosi Romani Pontificis*, cap. 15. ubi de Osio ita scribit: *Iste Cordubensi Ecclesia præfuit Antistes, qui quondam Apostolica Sedis Apocrisiarius unà cum Victore* (legendum Vitone) *& Vincentio Presbyteris, sancto & magno Nicano interfuit Concilio.*

Probatur septimò ex Gregorio VII. cap. 3. Apologetici: *Osius Cordubensis*, inquit, *Victor & Vincentius Presbyteri Romana Ecclesia, ex parte Silvestri Papa Nicano Concilio præfuerunt.*

Probatur octavò ex Photio in lib. *De septem Synodis*, ubi quamvis in referendis Nicæni Concilii Præsidibus multipliciter hallucinetur, puta cùm Alexandrum Constantinopolitanum inter eos nominat, necnon Julium Romanum Pontificem; in hoc tamen cum illis consentit Auctoribus, quòd Bitonem & Vincentium nomine Silvestri præfuisse scribat: *Præerant*, inquit, *& Alexander qui Sedem Constantinopolitanam obtinebat, & Silvester ac Julius illustres & celebres Romana Ecclesia Pontifices, quorum tamen neuter interfuit, sed Bitonem & Vincentium nomine suo uterque Pontificatus sui tempore, communi congressui adesse voluerunt.*

Probatur ultimò ex Leone IX. in Epistolâ ad Michaëlem Constantinopolitanum Patriarcham, in quâ de Concilio Nicæno loquens, ait: *Cui præfuerant Victor & Vincentius Romani Presbyteri.*

Respondet Launoius, in Epistolâ ad Raymundum Formentinum, ex Ecclesiasticis aliquibus monumentis colligi quidem Vitum & Vincentium gessisse vices Silvestri, atque ita Concilio Nicæno adfuisse, non verò præfuisse. Non enim omnis qui præsens adest Concilio, huic præsidet: alioqui tot essent Concilii Præsides, quot Episcopi Concilio præsentes adessent.

Verùm turpiter hallucinatur Launoius. Quamvis enim adesse Concilio & præesse non sit idem; tamen adesse Concilio nomine Romani Pontificis & vices illius sibi gerere, idem est quod illi præesse. Nam qui Romani Pontificis in Synodo vices gerit, eum tenet in Synodo locum, muniaque illa obit, quæ obiret Pontifex Romanus si inibi præsens esset. Porrò primum obtineret locum, & Concilio præesset Romanus Pontifex, si adesset: igitur primum locum obtinent, & præsunt Synodo, qui vices ipsius in illâ gerunt.

Id confirmat duplex locus S. Leonis, quo Launoius abutitur. Primus habetur Epistolâ 47. ad Synodum Chalchedonensem: *Amplectendum*, inquit, *Clementissimi Principis plenum religione consilium, quo Sanctam Fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli, & ad reformandam Ecclesiasticam pacem voluit convenire, Beatissimi Petri Apostoli jure atque honore servato; adeò ut nos quoque suis ad hoc literis invitaret, ut venerabili Synodo nostram præsentiam præberemus; quod quidem nec necessitas temporis, nec ulla consuetudo poterat permittere: tamen in his Fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolicâ Sede directi sunt, me Synodo vestra Fraternitas existimet præsidere.* Præsentiam igitur suam exhibuit Synodo Sanctus Leo per hos Legatos, qui propterea Synodo ejus nomine præfuerunt.

Alter locus habetur in Epistolâ 49. ad Marcianum Augustum: *Fratrem*, inquit, *& Coëpiscopum meum Paschasinum de ea provincia, qua videretur esse securior, evocatum, qui vicem præsentia meæ possit implere, direxi, Bonifacio fratre nostro & Compresbytero sociato, & his quos antea miseramus adjunctis, consortem illis fratrem quoque meum Julianum addentes Episcopum...... Quia verò quidam de Fratribus contra turbines falsitatis non valuere Catholicum tenere constantiam, prædictum fratrem & Coëpiscopum meum vice meâ Synodo convenit præsidere.* Idem est igitur præsentiæ Pontificiæ vicem implere, & Synodo illius vice præsidere: ac proindè si Vitus & Vincentius Silvestri vice adfuerint Nicænæ Synodo, & ejus præsentiam suppleverint, ut supra laudata Antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta testantur, illi quoque Concilio Silvestri nomine præfuerunt.

Quod spectat Osii προεδρίαν, fatetur Launoius, illum e Nicænæ Synodi Præsidibus unum fuisse, sed negat præfuisse Romani Pontificis nomine. Præfuisse fatetur, cùm propter celebritatem nominis, tum propter exantlatos, satagente Constantino, in defensione Fidei labores, non propter Romani Episcopi vices ipsi demandatas. Verùm errat Launoius. Nominis enim celebritas non est solida ratio, cur Osius mediocris Ecclesiæ in Hispania Episcopus, & Hispalensi Metropolitæ immediatè subjectus, & per appellationem Patriarchæ Occidentis, in Oriente ante legatos Apostolicæ Sedis, ante Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas, ante totius Africanæ Ecclesiæ Primatem Cæcilianum, in aliena Provincia, Concilio Oecumenico præfuerit, nisi locum teneret, & personam gereret amplissimę omnium potestatis. Cùm præsertim in ipsis Hispaniis, in Concilio Illiberitano ex 19. tantùm Episcopis coacto, secundo tantùm loco sederit, ut notat eruditus Conciliorum Hispaniæ Collector Garcias Loaisa: nec in Arelatensi ex ducentis conflato Episcopis inter primarios recenseatur a Sancto Augustino, lib. 2. *Contra Parmenianum*, cap. 5.

Secundò. Si Osio Romanæ legationis dignitas adimatur, sequitur Sedium Patriarchalium jura, quæ magna Synodus confirmavit, & illibata servari voluit, violata fuisse, & Alexandrinum Episcopum, non secundum locum sibi juxta mores antiquos decretum, sed tertium duntaxat obtinuisse.

Tertiò. Quomodo Concilium Constantinopolitanum primum eodem sęculo celebratum, decrevisset Regiæ Urbis Episcopo alterum ab Episcopo Romano locum, nisi Romanus Episcopus in Nicæna Synodo primum locum per legatos suos obtinuisset

nuisset

nuisset? Quomodo legati Romani Pontificis in Concilio Calchedonensi de Dioscori præsumptione conquesti essent, quòd prætenso Oecumenico Concilio sine auctoritate Romani Pontificis præfuisset, idque nusquam factum esse dixissent, si Osius nullo Pontificiæ auctoritatis & legationis charactere insignitus Concilio præfuisset? *Cùm personam judicandi non haberet*, inquiunt, * *præsumpsit*, & *Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod numquam factum est, nec fieri licet*. Quomodò Macedonius Patriarcha Constantinopolitanus Anastasio Imperatori Calchedonensis Synodi memoriam abolere satagenti respondit; *Sine universali Synodo, cui magna Roma Episcopus præsideret, se nihil facturum?* Ita refert Theodorus Lector in Synopsi. Quomodò Justinianus Imperator *Novella* 131. decerneret: *Ut secundùm quatuor sancta Concilia Papa antiqua Romæ sit omnium Episcoporum primus*, si Conciliorum Oecumenicorum primario simplex Hispaniarum Episcopus præfuisset alio jure quàm legationis sibi a Romano Pontifice impositæ?

Calchedon. Concil. Act. 5.

Quartò. Tunc vigebat Ecclesiæ Canon, prærogativam suffragii, sive quod idem est, jus præsidendi in Conciliis Oecumenicis, imò & Synodis quibuscumque, in quibus negotia universalem Ecclesiam spectantia tractarentur, Pontifici Romano tribuens, ut constat ex Epistolâ Julii Primi Pontificis Maximi ad Orientales Eusebianos, cujus meminit Socrates, lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 15. in qua scribit, eos contra Ecclesiæ Canones egisse, quòd illum ad Concilium non vocassent: *Quippe cùm Canon Ecclesiasticus vetet, ne Decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesiis sanciantur*. Μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης κανονίζειν τὰς Ἐκκλησίας. Quę in Historia Tripartita sic Latinè redduntur a Cassiodoro: *Non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari*. Eum Canonem & Ecclesiæ morem spectat Concilium Romanum ex Episcopis Italiæ & Galliæ coactum sub Damaso Pontifice Maximo, quod Ariminense Concilium ex eo elevat inter cætera, quòd Episcopus Romanus, cujus præ cæteris roganda erat & expectanda sententia, Formulam Fidei ibi editam non probasset: ita enim scribunt hujus Concilii Patres in Epistolâ Synodicâ ad Illyricos, apud Theodoretum, lib. 2. cap. 22. *Siquidem numerus Episcoporum, qui erant Arimini in unum congregati, præjudicii vim habere non debet, præsertim cùm Formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cujus sententia præ cæteris expectanda erat, neque aliis eidem consentientibus*.

Eum Canonem moremque spectabat Quinta Synodus Oecumenica, cujus Episcopi maximè laborarunt, ut cœtui suo Vigilius Romanus Pontifex adesset, ac præsideret. Tanta verò Pontificiæ Dignitatis ratio habita fuit, ut ter invitatus fuerit ad Concilium per tres Patriarchas & 17. Metropolitas, quibus ultima vice tres Patritios, & Quæstorem suum Justinianus adjunxit. Scripsit porrò Eutychios Patriarcha Constantinopol. suo & aliorum nomine ad Vigilium, his verbis: *Et ideò petimus, præsidente nobis vestrâ Beatitudine, sub tranquillitate & mansuetudine Sacerdotali, propositis Sanctis Evangeliis, communi tractatu eadem Capitula in medio proponenda quæri, & conferri; & finem quæstioni imponi*. Eumdem Canonem moremque spectabat Septima Synodus Act. 6. ubi prædatoriam Synodum 338. Episcoporum, qui sub Constantino Copronymo ad asserendam Iconomachiam convenerant, vocari non posse Concilium Oecumenicum ostendit, quòd ipsi Romanus Pontifex nec per se, nec per Legatos, nec per circularem Epistolam interfuisset, ut lex Conciliorum decernebat: *Non habuit*, inquit, *adjutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos qui circa ipsum sunt Sacerdotes, nec etiam per Vicarios ejus: Neque per encyclicam Epistolam, quemadmodum lex edicit Conciliorum*. At prærogativâ suffragii potitus non fuisset Silvester Pontifex Romanus in Concilio Nicæno, si Osius nulla Romanæ Sedis adauctus legatione ante Presbyteros ab ipso missos fuisset suffragatus, Concilioque nomine proprio præfuisset: itaque nomine Silvestri, utque ipsius legatus, Nicænæ Synodo præfuit.

Quintò. Ut de jure Patriarcharum sileam, quomodo Theognis Nicænæ civitatis, in qua celebrabatur Synodus, Antistes, & Eusebius Nicomediensis, totius Bythiniæ Metropolita, & Imperatoriæ urbis Episcopus, homines ambitiosissimi, & Ariani, sese non opposuissent præsidentiæ Osii, quem suæ infensissimum Hæresi noverant, si legatione Silvestri functus non fuisset? Quomodo, inquam, non intercessissent eadem ratione qua Metropolitanarum Sedium Patriarchæ Constantinopolitano subjacentium Antistites reluctati sunt Fortunio Carthaginensium Episcopo & totius Africæ Primati, qui ante ipsos in Concilio Oecumenico sexto sedere contendebat? Quomodò tandem tum hi, cùm alii Episcopi Ariani, qui post Constantini & Constantis obitum, imperante Constantio Arianorum fautore, nullum non moverunt lapidem, ut Conciliorum Nicæni & Sardicensis auctoritatem infringerent, eam non objecissent nullitatis caussam, quòd Osius irregulari planè modo, & Ecclesiæ moribus repugnante, illis Synodis præfuisset, si alia ratione extitisset illarum Præses, quàm ut gerens vices Silvestri, ad quem præsidendi jus attinebat?

Sextò. Osius neque ob meritorum præstantiam singularem, neque ut Constantini Legatus, Concilio Oecumenico præsidere potuit: superest igitur ut præfuerit ceu Legatus Romani Pontificis.

Probatur prima pars. Merita enim Osii ad id valebant, ut ipsi venerationem maximam conciliarent, non ut ipsi principatum in Concilio Oecumenico tribuerent, in quo Hierarchicus ordo promicare in primis debet. Quid quod nec meritorum primas in celeberrimo illo consessu tulit Osius? Enimverò si de persecutionibus propter fidem toleratis agatur, nonne ibi aderat Paphnutius Confessor, ex illis quos Maximianus dextris oculis effossis, & sinistro poplite succiso, ad metalla damnaverat? quem Constantinus in tantâ veneratione habuit & amore, ut sæpius illum complecteretur, & oculum qui in Confessione Fidei fuerat evulsus, avidioribus osculis demulceret, teste Ruffino, lib. 1. Historiæ, cap. 4. Nonne ibi aderat Potamon Heracleæ in Ægypto Episcopus, & ipse sacris stigmatibus in persecutione decoratus? quem S. Epiphanius *Magnum Episcopum & Confessorem* vocat *Hæresi 68*. Nonne aderat Paolus Neocæsareæ Euphratesiæ Episcopus, cui in persecutione Licinii ambæ manus colligatæ fuerant, deinde ferrum candens illis admotum, quo nervi contracti, labefactatique fuerant, teste Theodoreto, lib. 1. Historiæ, cap. 7. Si de Prophetiæ & miraculorum donis sermo sit, nonne ibi aderat Spiridio Episcopus Thremituntis in Cypro, quem Ruffinus, lib. 1. cap. 4. vocat *Virum ex ordine Prophetarum?* Nonne aderat & Jacobus Nisibis in Mesopotamia Episcopus, qui suscitavit mortuos, & innumera alia edidit miracula? teste Theodoreto, lib. 1. cap. 7. Nonne aderat & Sanctus Nicolaus Myræ in Lycia Episcopus, vir Apostolicorum & morum, & miraculorum? Si de gratia & auctoritate apud Imperatorem sit contentio: nonne Eusebius Cæsareensis in hoc Osium vel superabat, vel certè æquabat? Ille, inquam, Eusebius, quem Constantinus impensè laudavit quòd

Euseb. lib. 3. De Vita Constant. cap. 59.

Antiochenum Episcopatum recusasset, & quem dignum totius orbis testimonio judicatum esse ait, qui universæ Ecclesiæ Episcopatu fungeretur. * Si doctrinam desideremus, ejusdem Eusebii scientia ipsi Constantino fuit admirationi, ut constat ex Epistolâ Constantini ad ipsum datâ, quam ipse describit, lib. 4. de illius Vita, cap. 35. Nonne aderat Eustathius Antiochenus Episcopus, qui Orationem habuit in Concilio, quemque Sozomenus eloquentia jure admirandum scribit? lib. 2. cap. 10. Nonne aderat & Alexander Alexandrinus Patriarcha, quem Theodoretus, lib. 1. Historiæ, cap. 26. *Admirabilem & excellentem Episcopum* vocat? Ex his ergo evidenter colligitur, Osium ob solam meritorum præstantiam Nicæni Concilii præsidem non fuisse.

Jam verò probatur quòd non præfuerit ut Constantini Legatus. Præsens enim erat Constantinus, non igitur legatos direxerat. Neque præsidendi jus in Osium transfudit Imperator, qui jus illud sibi non competere professus est, qui infrà Episcopos sedit, nec sedere priùs voluit quàm id innuissent, ut testatur Eusebius, lib. 3. *De Vita Constantini*, cap. 10.

Objicies. Episcopus qui in dextro ordine primam sedem occupabat, perbrevi Oratione Imperatorem affatus est, teste Eusebio, lib. 3. *De Vita Constantini*, cap. 11. at illum qui Orationem habuit, fuisse Eustathium Antiochenum Patriarcham constat ex Theodoreto, lib. 1. cap. 7. Primum ergo locum habuit in Concilio Eustathius, atque adeo Concilio præfuit.

Secundò. Proclus Episcopus Constantinopolitanus in Synodicis ad Orientales literis, apud Facundum Hermianensem, lib. 8. cap. 1. Sancto Eustathio primas in Synodo Nicæna tribuit. *Beatissimus Eustathius*, inquit, *Sanctorum Patrum, qui apud Nicæam congregati sunt, primus existens, fidem orthodoxam confirmavit.*

Tertiò: Idem asserit Felix Tertius in Epistolâ 5. *Ad Zenonem Imperatorem*, ubi de Petro Fullone sic loquitur: *Petrus primogenitus diaboli filius, & qui Sancta Antiochena Ecclesia indignè se ingessit, sanctamque Sedem Pontificatus Ignatii Martyris polluit, qui Petri dexterâ Episcopus ordinatus est, Eustathiique Confessoris, & Præsidentis 318. Patrum qui in Nicæa convenerant.*

Quartò. Facundus Hermianensis, lib. 11. cap. 1. idem testatur. *Beatus Eustathius*, inquit, *quamquam multos possit talibus dictis offendere, non tamen condemnatur velut Nestoriani Auctor erroris; sed honoratur cum multis, & præ multis Patribus, tamquam Nicæni Concilii primus existens.*

Respondeo, Primum in dextro ordine locum honoratiorem non fuisse, sed primum in ordine sinistro: quod exemplo Concilii Calchedonensis probatur, cujus in prima Actione ita dispositus legitur Episcoporum consessus, ut a sinistra parte Sedis Apostolicæ Legati, & post ipsos Patriarchæ Constantinopolitanus & Antiochenus, a dextris verò Dioscorus Alexandrinus, quamvis proximè damnandus, & Juvenalis Hierosolymorum sederent. Cujusmodi proculdubio consessus ex solemni præcedentium Conciliorum more desumptus fuit. Id autem duplici ratione potuit contingere: sive quòd in Ecclesia Christi, ad imitationem Patriarchalis benedictionis Jacob, mutato rerum ordine, dextera in sinistram dignitatis caussa mutaretur: sive quòd apud Romanos pars sinistra melioris esset auspicii, teste Varone, & aliis profanarum literarum Magistris, ac proinde dignior haberetur: sed illud in sacris tantummodò atque divinis, quòd, (ut ajunt) sinistra nostra numinis dextera censeatur. Quamvis igitur primus a dextris sederet Eustathius in Nicæna Synodo, non sequitur quòd præesset. Præterea cùm in medio consessûs Episcoporum Sacrosancta Evangelia in sublimi solio collocarentur, quæ typum Christi Domini gererent: ex eo intelligimus eos, qui a parte sinistra sederent, a dextris Christi fuisse, eos verò qui in parte dextera, Christo fuisse a sinistris. Quò etiam respicit vetus Ordo Romanus, in quo hæc leguntur de consessu in Ecclesia: *Sedebant ea locali dispositione, ut intrantibus Ecclesiam Episcopi sint ad sinistram, Presbyteri verò ad dexteram: ut quandò Pontifex sederit, & ad eos respexerit, Episcopos ad dexteram, Presbyteros contueatur ad sinistram.* Hanc ob rationem sinistra honoratior dexterâ in Ecclesiasticis conventibus habebatur. Unde Conciliorum Præsides non a dextris, sed a sinistris sedebant.

Ad testimonia Procli, Felicis Tertii & Facundi, respondeo, Ipsos Eustathio primas deferre doctrinæ & eloquentiæ, non auctoritatis; & significare quòd fuerit inter primos Antistites, utpote tertiæ sedis Patriarcha, non quòd fuerit absolutè primus: nam Alexandrinus potiùs præfuisset; siquidem erat Antiocheno prior. Certè præesse dicuntur Concilio a nonnullis Auctoribus omnes primarum sedium Episcopi, nec tamen omnes prærogativâ suffragii in Concilio potiti sunt, cùm Alexandrinus ante Antiochenum, Antiochenus ante Hierosolymitanum sederit, suffragatus fuerit, subscripserit. Sic Cedrenus in Compendio Historiarum: *Præerant ei*, inquit, *Silvestri Papæ Romani locum tenentes Vitus & Vincentius Presbyteri, Metrophanes Byzantii, Alexander Alexandriæ, Eustathius Antiochiæ; & Macarius Hierosolymorum Episcopi.* Sic Nilus Metropolita Rhodius in libello *de Synodis*, de Nicæno Concilio loquens: *Præerant Synodo*, inquit, *Silvester Romæ, Alexander Constantinopolis, Alexander Alexandriæ, Eustathius Antiochiæ, & Macarius Hierosolymorum Episcopi.*

Objicies secundò. Alexander Alexandrinus Episcopus Nicæno Concilio præfuit. Præsides igitur non fuerunt Osius, Vitus, & Vincentius Silvestri Romani Pontificis nomine.

Probatur antecedens ex Epistolâ Synodicâ Nicæni Concilii ad Ecclesiam Alexandrinam. *Atque ista Decreta*, inquit, *ad Ægyptum & Sanctissimam Ecclesiam Alexandrinam propriè & separatim referuntur. Quòd si aliud præterea quidpiam dum honoratissimus Dominus, & Collega, & frater noster Alexander unà adest, sancitum & statutum fuerit, ipse utpote qui rebus decisis cùm præfuerit, tam communicarit, vobis coram accuratiùs renuntiabit.*

Respondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem, dico Alexandrum a Nicænis Patribus dici rebus decisis præfuisse, quia maximæ fuit in Concilio auctoritatis, utpote secundæ sedis Patriarcha; non quòd propriè Præses fuerit Concilii, & antè Osium, ac Presbyteros a Silvestro destinatos sederit, ac suffragatus fuerit. Htereà in Græco textu non extat nomen πρόεδρος, aut προεστὼς quod præsidem significat, sed κύριος καὶ κοινωνὸς τῶν γεγενημένων, quod ita vertit Sirmondus in editione Theodoreti, *gestorum auctor & particeps*. Fuit autem rerum gestarum Auctor, quia cùm nulli meliùs notus esset, quàm ipsi Alexandrinæ Ecclesiæ status, ad Patres retulit pericula ipsi imminentia, & mala quibus affligebatur per Arianos & Meletianos; insimulque suggessit quid sibi pro restauranda illius Ecclesiæ pace agendum videretur, ac multùm pro ea re laboravit in Concilio. Id significant Nicæni Patres in laudatâ Epistolâ: *Majore honore*, inquit, *& amore ardentiore Alexandrum collegam nostrum, & vestrum Episcopum complectimini: qui dum aderat, nobis permagnæ voluptati fuit, permultùmque laboris in ea*

ætate suscepit, quo Ecclesiæ vestra statum ad tranquillitatem traduceret.

Objicies tertiò. Sozomenus, lib. 1. Historiæ, cap. 16. & Theodoretus, lib. 1. cap. 6. Romani Pontificis legationem ad Vitum & Vincentium Presbyteros restringunt. Igitur non præfuit Osius Romani Pontificis nomine.

Respondeo. Sozomenum & Theodoretum non meminisse Osii, sed alios Auctores a nobis laudatos meminisse.

Respondeo secundò cum eruditissimo Cardinali Perronio, distinguendum esse duplex genus Legatorum, quos ad Concilia Oecumenica Orientalia mittere solebant Romani Pontifices. Alii Episcopi erant ex corpore Romanæ Patriarchalis Ecclesiæ selecti, ut Arcadius & Projectus in Concilio Ephesino; Paschasinus in Calchedonensi: alii Presbyteri ex corpore S. Romanæ Ecclesiæ particularis assumpti, ut Vitus & Vincentius in Concilio Nicæno; Archidamus & Philoxenus in Sardicensi, Philippus in Ephesino, Bonifacius in Calchedonensi. Hujus distinctionis ratio erat, quia nusquam tota Occidentalis Ecclesia ad Concilia Oecumenica extra Patriarchatum Occidentis celebrata conveniebat: Sed Episcopus Romanus convocabat Romam Concilium Occidentalium Episcoporum, cujus Relationem per legatos ad Concilium Orientis dirigebat. Legati igitur quos ad Concilia Orientalia mittebat Romanus Pontifex, duplicis erant generis. Alii interni, & veluti domestici Ecclesiæ Romanæ, qui Legati a latere Pontificis dicebantur, qui Summi Pontificis personam singulari quadam ratione gerebant: alii externi, ex Episcoporum ordine assumpti, qui totum Ecclesiæ Occidentalis corpus repræsentabant, atque tum vice Romani Pontificis, tum aliorum Occidentis Episcoporum, ferebant suffragium. Cùm igitur Theodoretus & Sozomenus legationem Silvestri ad Vitonem & Vincentium restringunt, de solis Legatis internis a latere Pontificis missis loquuntur: cùm verò Sanctus Athanasius, Socrates, Gelasius Cyzicenus, Photius, & ante illos Eusebius, addunt Osium, tam internos, quàm externos Legatos intelligunt. Osios enim ex mandato Pontificis & Synodi Occidentalis legatione fungebatur.

Nec est quòd quidam responsionem istam sugillent, dicentes, illam distinctionem Legatorum in sextâ Synodo initium sumpsisse. Hanc enim objectionem occupavit Doctissimus Cardinalis Perronius, qui duplicem illius Legationis committendæ modum olim extitisse notavit. Primum, cùm non solùm diversis personis, sed diversis etiam electionibus & mandatis, utriusque legationis munus imponebatur. Quod in Concilio sexto Oecumenico primùm factum est. Secundò, cùm in unum utraque legatio coalescebat, ac Romani Pontificis, Occidentalisque Concilii vices unà committebantur, quod in Conciliis Calchedonensi, Ephesino, & Nicæno locum habuit.

Objicies quartò. Sozomenus recensens primarum sedium Episcopos, qui Concilio Nicæno adfuerunt, ultimo loco nominat Episcopum Romanum, qui Synodo adesse non potuit senectute gravatus, sed adfuit per Vitonem & Vincentium Presbyteros (lib. 1. Historiæ, cap. 16.) ergo Presbyteri illi ultimum duntaxat locum in Concilio Nicæno habuerunt; tantùm abest ut præfuerint.

Respondeo, Sozomenum inverso ordine recensere primarum sedium Antistites, ut ab inferioribus incipiens, in eum desinat, penes quem suprema erat auctoritas. Undè primò loco recenset Macarium Hierosolymitanum, qui solo tunc honore Patriarchatus, nullâ jurisdictione fruebatur; secundò Eustathium Antiochenum, tertiò Alexandrum Alexandrinum; demùm Episcopum Romanum, Sicut ergo nihil derogaret Imperatoris dignitati, qui de comitiis Imperii agens, quibus non per se ipsum, sed per legatos adfuisset Imperator, ultimo loco ipsum recenseret, ab inferioribus Electoribus narrationem incipiens, hoc modo: Comitiis Imperialibus aderant Marchio Brandeburgensis, Comes Palatinus, Dux Saxonum, Archiepiscopi Trevirensis & Moguntinus, & Rex Bohemorum: Imperator verò non adfuit, sed direxit illuc Legatos qui vices ipsius gererent: ita Sozomenus nihil derogat dignitati Episcopi Romani, aut ejus legatorum, nec ipsis ultimum, sed principem revera locum assignat. Et alioqui Socrates qui directum & naturalem (ut ita loquar) Nicæni consessûs ordinem, ex ipso Sancto Athanasio, in lib. *De Synodis* describit, primo loco recenset Osium Episcopum, Vitonem & Vincentium Presbyteros; deinde Alexandrum Alexandrinum; tertiò Eustathium Antiochenum, quartò Macarium Hierosolymitanum, [lib. 1. cap. 9.]

DISSERTATIO XIII.

De Concilii Nicæni Epocha.

ARTICULUS UNICUS.

Quo tempore celebratum fuerit Nicænum Concilium?

PROPOSITIO I.

CElebratum est Nicænum Concilium anno Æræ communis 325. Silvestri Pontificis 12. Constantini Imperatoris 20. Paulino & Juliano Consulibus.

Probatur auctoritate Concilii Calchedonensis Actione 1. ubi dicitur celebrata Nicæna Synodus, cujus postea Symbolum recitatur, *Consulatu Paulini & Juliani virorum Clarissimorum Consulum anno post Alexandrum 636. mensis secundùm Græcos, Desii, die 50. qui est 13. Calendarum Juliarum, in Nicæa Metropoli Provinciæ Bithyniæ.*

Probatur secundò ex Eusebio, lib. 3. *De Vita Constantini*, cap 14. ubi Nicænum Concilium celebratum testatur ipsis Constantini vicennalibus, *Quibus*, inquit, *ad exitum perductis*, Actis scilicet Nicænæ Synodi, *secundam istam victoriam Imperator se contra Ecclesiæ hostem * consecutum affirmavit, & propterea festum triumphale ad Dei honorem illustrandum egit. Eodem tempore vigesimus ejus regni annus completus est: in quo Conventus celebres etiam apud reliquas gentes agitabantur.*

* Licinium.

Et lib. 4. cap. 47. *Nicænus ille Conventus*, inquit, *triumphi nomine, vigesimi Imperii anno constitutus, in ipsa Urbe Nicæa, victo, id est præclaram de hostibus victoriam reportabat*,

Probatur tertiò ex Socrate, lib. 1. cap. 9. ubi de Concilio Nicæno sic loquitur: *Quod ad tempus Concilii attinet, coactum quidem fuit, sicut ex Annalium Commentariis constat, Paulino & Juliano Consulibus, undecimo Calendas Junii, anno 636. post regnum Alexandri Regis Macedonum:* Error irrepsit in mense & die; siquidem Junius loco Julii, & XI. Kalendas loco XIII. obtrusus est Scriptorum incuriâ, vel Typographorum oscitantiâ.

Eadem ad verbum habet Dionysius Exiguus in epigraphe Canonum Nicænorum.

Mendosum igitur est Eusebii Chronicon, in quo Nicæni Concilii epocha figitur anno 15. Imperii Constantini, & Domini 324. siquidem sub iisdem

Con-

Consulibus incidit annus Constantioi vigesimus, Christi verò 325. ut ex Fastis emendatioribus colligitur.

Mendosum etiam est Cassiodori Chronicon, in quo post triennium collocatur, sub Januarii scilicet ac Justi Consulatu. Inde antem contigit Cassiodori hallucinatio, qoòd Imperantis Constantini auspicia, quæ ad Consulatum Constantii & Maximini sextum, quo pater ejus Constantius obiit, accuratiores Chronologi referunt, ipse ad Consulatum Diocletiani decimum, Maximini septimum, id est, ad triennium post referat. Explodenda etiam sunt quæ a Gelasio Cyziceno scribuntur, lib. 2. cap. 5. *Agebatur*, inquit, *aanus Regni Constantini sextus decimus, & sextus praterea mensis, cùm hae ab illo pro Ecelesia pace summâ curâ gerebuntur.*

PROPOSITIO II.

Nicana Synodas anno ipso vigesimo Constantini absoluta est.

PRobatur primò auctoritate Eusehii, qui Nicænæ Synodo adsuit, quique non semel testatur eam ipsis Constantini vicennalibus absolutam. Præterea, lib. 4. *De Vita Constantini*, cap. 47. scribit Concilium Nicænum celebratum fuisse anno illius vigesimo, quomodo Hierosolymitanum anno illius trigesimo celebratum est. At Hierosolymitana Synodus anno eodem inchoata & completa est: igitur & Nicæna ipsis Constantini vicennalibus completa fuit.

Probatur secundò. Sub aliis Coosulibus habita non legitur Synodus Nicæna, quàm sub Paulino & Juliano: ergo oltra ipsorum Consulatom, id est, ultra anoum prorogata non fuit.

Probatur tertiò. Eusebius, & cæteri Scriptores testantur Constantinum Synodo semper adfuisse. At quis tanti Rectorem imperii eum Episcopis solido triennio in Concilio mansisse, ut quidam Auctores scripserunt, sibi persuadeat?

Probatur quartò. Cætera Concilia, Sardicense nimirum, Constantinopolitanum, Ephesinom, Calchedonense, &c. paueis absoluta fuere mensibus. Quidni ergo & Nicænum? aut qua de caussa ad triennium & ampliùs prorogatum fuisset?

Probatur quiotò. Ex antiqua Canonum Collectione, quæ vulgò Cresconiana appellatur. *Factum est*, inquit, *Concilium apad Nicusm Bythinia Metropolim u die 13. Calendas Julias, quod tenuit usque ad 8. Calendas Septembres, Paulino & Juliano* Consulibus. Et aliâ manu: *Atticus Ecclesia Constantiaopolitaaę Episcopus* dixit: *Edidi Caaoaes Saactorum Patrum manu meâ subseriptos. Amen.* Hæc a Cresconio deprompta existimat Cardinalis Baronius ex Rescripto Attici Episcopi Constantinopolitani mittentis Nicænos Canones ad Aurelium Carthaginensem, ejusque Synodum cum Romana Ecclesia de appellationibus contendentem. Ex his porrò constat Synodum Nicænam duorum mensium spatio, & aliquot insuper dierum, absolutam: cujus scilicet duratio inter 19. Junii, & 25. Augusti concludatur, ut ex Attici & Cresconii testimonio constat.

Objicies in primam Propositionem: Synodus Nicæna sob Julio 1. Romano Pontifice celebrata est: Falsa est igitur, quam constituimus, Nicæni Concilii epocha.

Probatur antecedens, auctoritate Sozomeni, lib. 1. cap. 16. *Julias Episcopus Romaaus*, inquit, *atate ingravescente prapeditus absait: Sed Vitus & Vincentius ejusdem Ecclesia Presbyteri pro illo adsuere.* Item auctoritate ipsius Julii in Epistolâ ad Synodum Antiochenam relata a Sancto Athaoasio in Apologia 2. in qua loquens ille Pontifex de Marcello Ancyrano, ait, *Nostri Presbyteri, qui tunc in Nicano Concilio aderunt, de ipsius recta fide contestabuntur.* Tertiò ex Photio libro *De Synodis* asserente, Nicænam Synodum sub Silvestro & Julio fuisse celebratam. Quartò ex Nicephoro, lib. 8. cap. 14. illam ad tempora Julii referente.

Respondeo, nego antecedens. Ad probationem, respondeo primò ad auctoritatem Sozomeni, manifestum errorem in Julii nomine admissum esse. Etenim post undecim annos solidos a Concilio Nicæno Julius ad Romanæ Sedis fastigium evectus est, ut monuit ipse Sozomenus. Itaque vix fieri potest ot tam supinæ ignorantiæ hunc Auctorem insimulemus, ut in re adeo manifesta hallucinatus sit, Juliumque Silvestro substituerit. Meodum equidem esse vetus non inficior, quod in Historiæ Tripartitæ interpolatione e Sozomeno retinuit Epiphanius Scholasticus, eumque secutus Beda: Sed in amanuensium incuriam, potiùs quàm in Auctoris oscitantiam refundendum est. Quod ex ipso Sozomeno non difficilè osteoditur. Cùm enim in primo libro Historiæ Nicæni Concilii finem imposuisset, secundum auspicatus esset his verbis: *Cùm jam Nicanum Concilium veaisset ad exitum*, &c. prioribus novemdecim illius secundi libri capitibus in iis recensendis versatur, quæ a Nicæni Concilii tempore ad Antiochenum usque Concilium gesta sunt, cujus Concilii Actis recitatis, sic exordium ducit capitis decimi noni: *Per id tempas, cùm Marcus post Silvestram ad exigaum tempus Episcopatam Romunam gessisset, Julias in illam sedem successit.* Ex quo evidenter sequitur, τὸ *Julius*, quod in præcedenti libro legitur, mendosè in textum irrepsisse, in quo potiùs legendum sit δε ὁ γεραιὸς ἐπίσκοπος: id est, *Senex vel venerabilis Romanorum Episcopas.* Cujus loco facillimè irrepsit, Ἰούλιος δὲ ὁ Ῥωμαίων ἐπίσκοπος, ut observat appositissimè doctissimus Cardinalis Perronius in Præfatione Gelasii Cyziceni editionis Romanæ, & in Replica ad Regem Serenissimum magnæ Britanniæ, cap. 35.

Non est etiam negligenda observatio illustrissimi Domini de Marca viri in omni literaturæ genere peritissimi, qui dictionem illam γηραιὸς Poëtis familiarem, apud Historicos insolentem esse notat; monetque locutionem omnino barbaram hinc effici. Fatetur nihilominus ex conjectura eminentissimi Perronii viam aperiri ad veram emendationem; si vice τὸ Ἰούλιος legatur πόλεως lectioque ita restituetur: πόλεως δὲ Ῥωμαίων ἐπίσκοπος, id est, *urbis autem Romanorum Episcopus.* Tam solidæ quis refragaretur conjecturę?

Confirmatur hæc responsio, primò ex eo quod Sozomenus, lib. 1. cap. 2. scribat: *Crispo & Constantino Casaribas Consulibus, Romaaa Ecclesia Antistes fait Silvester.* Fuisse autem tunc Consulatum Crispi & Constantini tertium, idem Sozomenus in Præfatione sui Operis testatur. *Suam verò*, inquit, *Historiam exorsus a Crispo & Constantino Casaribus jam tertium Consulibus.* Atqui tertius Crispi & Constantini Consulatus quatuor aut quinque dumtaxat mensibus antè Concilii Nicæni initium absolutus est; quod scilicet 13. Kal. Jul. Paulino & Juliano Consulibus inchoatum fuit. Fieri ergo non potest ut suos illiic legatos direxerit Julius: cujus inter & Silvestri Pontificatum sedit Romæ Marcus octo mensium spatio, ut testatur Sanctus Hieronymus in Chronico.

Confirmatur secundò, ex eo quod scribit Sozomenus, absuisse Episcopum Romanum a Concilio Nicæno, ingravescente ætate præpeditum. Quod in Julium cadere non potest, quem 33. dumtaxat anno post Concilium obiisse ex omoium Historicorum fide constat.

Accedit querela Julii, (ut Sozomenus ipse refert, lib. 3. cap. 9.) apud Episcopos Orientales, quod

quòd eum ad Synodum Antiochenam non vocassent. Hoc autem qua ratione stare potest cum excusatione senectutis, ob quam non ad fuit Concilio Nicæno, quod sexdecim annis Antiocheno illo antiquius fuit? Imò quare Julio senectutis caussam prætexuit Sozomenus, cur a Concilio Nicæno abfuerit; non autem eam multò magis attulit cur ad Sardicense, quod 22. annis posterius Nicæno fuit, non sit profectus.

Ad auctoritatem Sancti Julii Romani Pontificis, respondeo: ipsum designasse Vitum & Vincentium Sedis Apostolicæ Nicænum ad Concilium legatos, his verbis: *Nostri Presbyteri*. Quia Presbyteri erant Ecclesiæ Romanæ, sed a Silvestro missi, non ab ipso Julio.

Ad Photium respondeo, Ejus testimonium seipso ruere. Cur enim Synodum Nicænam sub Silvestro, Marco, & Julio celebratam non scribit, cùm Marcus Silvestrum inter & Julium in Cathedra sederit Pontificia? Deinde, si cœpta sub Silvestro est, absoluta sub Julio, sequitur ipsam ad duodecim annos prorogatam: quod omni specie veritatis destitutum nemo non videt.

Ad testimonium Nicephori, respondeo ipsum in depravatum Sozomeni textum incidisse; ex quo eum in errorem impegit.

Objicies secundò ex Photio *in Bibliotheca Codice* 88. ubi ex Gelasio Cyziceno refert, *Indictam esse Nicænam Synodum anno 16. Imperii Constantini, durasseque Actiones ejus ad usque ejusdem primum & vigesimum annum cum semestri, ut nimirum sex ipsos annos Patres consederint*.

Confirmatur ex Auctore anonymo apud Metaphrastem, qui Concilium Nicænum sex menses ultra triennium perdurasse asserit: *Cœpit enim*, inquit,, *quinto decimo Aprilis, finita autem Synodus est, cùm triennium rursùs pervenisset ad Aprilem, & excurrisset usque ad Septembrem. Sic enim sapiens annotavit Alexander, qui scripsit Acta Synode*. Ergo Nicæna Synodus nec cœpta est anno 20. Constantini, nec eodem anno absoluta.

Respondeo Majorem non esse Photii auctoritatem hac in re, quàm Gelasii Cyziceni, cujus testimonium & verba describit, nihil ex seipso affirmans. Porrò in epocha Nicænæ Synodi hallucinatus est Gelasius, utì in multis aliis: quorum ecce tibi specimen.

Gelasii Cyziceni hallucinationes.

In Præfatione, ait Ruffinum Presbyterum Romanum fuisse, & Nicæno interfuisse Concilio. At Ruffinus Aquilejensis erat Presbyter, non Romanus. Nec interfuit Nicæno Concilio: Imò nec interesse potuit: qui necdum forsan natus erat.

Lib. 5. cap. 3. *Francorum* meminit, quod nomen Concilii Nicæni tempore longè recentius est.

Lib. 2. cap. 27. ait Alexandrum Alexandriæ Episcopum cum Athanasio tunc Archidiacono Concilii gesta misisse Ecclesiis Ægypti, Libiæ, Pentapoleos, &c. At id non fecit Alexander, sed ipsa Synodus, ut constat ex ipsius Epistolâ, quæ legitur apud Theodoretum, lib. 1. Histor. cap. 8. Deinde falsum est Sanctum Athanasium tunc fuisse Archidiaconum; sed tunc Diaconus tantùm erat, ut constat ex Socrate, lib. 1. Histor. cap. 5. & ex aliis Auctoribus. Ibidem scribit, Alexandrum Constantinopolitanum tunc solùm Presbyterum, posteà verò Episcopum, misisse Acta Concilii Ecclesiis omnium Cycladum insularum. At certum est Alexandrum Constantinopolitanum jam fuisse Episcopum Nicæni tempore Concilii, ex Theodoreto, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 2. & 3. nam cap. 2. inter primarios Episcopos qui tunc florebant, numerat Alexandrum: *Per idem tempus*, inquit, *Episcopali munere Constantinopoli fungebatur Alexander Apostolicis quoque donis illustris*. Cap. 3. refert Epistolam quam de Ario & ejus primis discipulis in Alexandrina Synodo anathemate damnatis scripsit Alexander Alexandrinus ad Alexandrum jam Constantinopolitanum Antistitem. Cap. 4. refert idem Theodoretus Arii Epistolam ad Eusebium Nicomediensem. Cap. 5. Epistolam Eusebii Nicomediensis ad Paulinum Tyri Episcopum. Cap. 6. refert quæ gesta sunt in Synodo Nicæna. Porrò ex hac serie Historiæ Theodoreti constat Alexandrum Nicæni tempore Concili non Presbyterum domtaxat, sed Constantinopolitanum Episcopum fuisse.

Adde quòd Alexandro propriam veluti Diœcesim tribuit Cycladum insulas, quæ suum habebant Metropolitam tempore Calchedonensis Concilii, ubi Joannes Rhodi insulæ Metropolitanus legitur.

Denique initio Operis asserit Arianos Concilii Nicæni tempore, non solùm contra Filium Dei, sed etiam contra Spiritum Sanctum blasphemasse, & lib. 2. describit disputationes de divinitate Spiritus Sancti in eodem Concilio contra Philosophos habitas. At id repugnat verbis Sancti Epiphanii *Hæresi* 74. dicentis de tempore Nicæni Concilii: *Non fuit tunc quæstio de Spiritu Sancto*. Et verbis Sancti Basilii, Epistolâ 78. quæ Fidei Nicænæ Confessionem continet: *Spiritus Sancti ratio*, inquit, *in transcursu posita est, nullâ diligentiâ digna judicata, propterea quòd, nondùm mota esset hæc quæstio, sed sententia de ipso in animis credentium nullas adhuc insidias sustinuisset*. Levissimi igitur ponderis est Gelasii Cyziceni auctoritas, nisi aliis cum Auctoribus consentiat: Siquidem tot erroribus scatet ejus Historia.

Ad auctoritatem Anonymi, respondeo illum, & ignotum illum toti antiquitati Alexandrum Nicænæ Synodi Scribam, falsi convinci meliorum Auctorum testimoniis scilicet Eusebii, Socratis, Theodoreti: ad quos accedit Hincmarus Archiepiscopus Remensis Epistolâ 33. ad nepotem suum Hincmarum Laudunensem: *Refutanda est*, inquit, *falsa opinio de quorumdam scriptis exorta, quòd Nicænum Concilium tempore Julii fuerit celebratum: cùm constet eamdem Sacram Synodum fuisse habitam anno post Alexandrum 636. sub Constantino Imperatore, die mensis, secundùm Græcos, Desii, decimo octavo * quod est, decimo * Kal. Juliar. Consulatu Paulini & Juliani, tempore Silvestri Papæ, sicut veridica Chronica, & Ecclesiastica Historia produnt*.

* *Legendum decimo nono.*

* *Legendum 13. Kal. Jul.*

DISSERTATIO XIV.

De voce ὁμοούσιον.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm vox ὁμοούσιον apposité & prudenter inserta fuerit Symbolo Nicæni Concilii.

PROPOSITIO.

Nicæni Patres ὁμοούσιον Patri Filium rectè sunt professi, eamque vocem Fidei Symbolo appositè & prudenter addiderunt.

Probatur. Vocabulum quod Filium non solùm similem esse Patri, sed ejusdem omnino cum illo naturæ & essentiæ significat, quodque propterea Arianam ad Hæresim labefactandam plurimùm valet, a Nicænis Patribus, appositè & prudenter Symbolo Fidei additum est. Sed τὸ ὁμοούσιον significat Filium non solùm similem esse Patri, sed ejusdem omnino cum illo naturæ & essentiæ, & pro-

propterea Arianam ad Hæresim profligandam plurimùm valet: a Patribus igitur Nicænis appositè & prudenter Symbolo Fidei additum est.

Probatur minor ex SS. Patribus, qui istius addendæ vocis occasionem exposuerunt: vel illius vim ac proprietatem explicuerunt. Et primò ex Sancto Athanasio in Epistolâ „ De Nicænæ Synodi contra Arianam Hæresim decretis, *pag.* 415. verba igitur Christo rebellium Arianorum, *inquit*, terrestria, inquam, ista & humum sapientia, ut antea, ita etiam nunc, omnem præ se impietatem ferunt. Quæ autem a Synodo sunt scripta & statuta contra eos, si quis diligenter excutiat, inveniet in iis absolutissimè sensum veritatis contineri: & caussam utendi istiusmodi vocabulis, rectâ ratione niti, si diligenter audiantur. Caussa autem hujusmodi fuit. Cùm Synodus in hoc esset ut Arianorum impia vocabula tolleret, & voces adhibere vellet, quæ sine controversia, sacrarum literarum essent, nimirum eum Filium esse, & nequaquam ex non entibus esse, sed ex Deo; eumque & Verbum esse, & Sapientiam, & nequaquam creaturam aut facturam, sed germen proprium sui Patris: Eusebiani pro inveterata sua opinione, volebant illud ex Deo esse, commune esse, & ad homines quoque pertinere: neque quidquam Christum eo nomine a nobis differre, eò quòd scriptum esset: Unus Deus ex quo omnia. Ibi Patres animadversâ illorum fraude & impietatis vafritie, coacti sunt clarioribus verbis exponere, quid sit ex Deo esse, & scribere, Filium ex substantia Dei esse, ne ex Deo esse, & commune, & æquè ad Filium, & creaturas pertinere existimaretur. Cætera igitur omnia creaturas dixere, excepto Verbo, quod solum ex Patre genitum esse crediderunt: & cætera quoque ex Deo esse, verùm non eadem ratione qua Filius. Creaturæ enim ideo ex Deo esse prędicantur, ne temerè & sponte extitisse videantur, aut fortuitam habuisse generationem, aut ne creaturarum auctor alius quàm Deus putaretur, aut Angeli creatores rerum existimarentur; sed ut Deus omnia per Verbum cùm prius non essent, ad essentiam produxisse intelligeretur. Verbum autem, cùm creatura noo fit, verè ex Deo est, & esse prædicandum est. Istius rei intellectus iis vocibus concipitur quibus dicitur eum ex substantia Patris esse. Id enim nulli creaturarum datum. Ideo Sacro-sancta Synodus liquidiùs dixit eum ex substantia Patris esse, ut alius a natura rerum conditarum crederetur ...... Episcopis rursùm affirmantibus & hoc quoque scribi debere, Eum veram esse potentiam, & imaginem Patris, & similem Patri, & indemutabilem per omnia, & inconvertibilem, & æternum, indivisum in Patre subsistere. Nunquam enim non erat, sed semper erat, subsistebatque perpetuò apud Patrem, ut splendor lucis. Ista quidem eatenus substinebant Eusebiani, nihil ausi contradicere, ob probrum quod in dictis suis refutatis passi erant: Sed ita tamen ut deprehenderentur inter sese mussitare, nutus conferre, oculisque sibi invicem applaudere, quasi illud, simile esse, & in eo esse, & ejus potentiam esse communia Filio nobiscum essent; neque obstare quidquam quominus nobis ea ipsa quoque adaptarentur, eò quòd de similitudine nostra cum Deo scriptum habeatur, Hominem esse & imaginem, & gloriam Dei ..... Cæterùm Episcopi considerata illorum hypocrisi & vafritie, ipsi quoque necessitate coacti sunt sententiam earum rerum ex Scripturis colligere, & quæ priùs dixerant, apertioribus verbis repetere, & scribere Filium consubstantialem esse Patri, ut non solùm similem similitudine, sed eumdem ea voce, qua dicitur esse ex Patre, significarent; atque aliam Filii similitudinem & inconvertibilitatem declararent, diversamque ab ea, quæ in nobis est, imitationem, quam ex virtute per observationem mandatorum consequimur. *Et infra:* In his verbis, ex Patre esse, & consubstantialem esse, vim peremptoriam Patres voluere contineri, ad elidendas has argutiolas, Filium creatum aut factum; aut mutabilem esse aut non fuisse antequam nasceretur ...... Quapropter si isti hæc vocabula exotica cavillantur, respiciant sensum, juxtà quem Synodus ea in decretis suis adhiberi voluit; & pro anathemate habeant, quæ Synodus pro anathemate habere voluit; & tum demùm, si possint, culpent: Sed ego satis compertum habeo, eos, si pro Synodi sententia hac in parte sentiant, verba quibus ea sententia concepta est, non improbaturos esse.

Eadem fermè repetit in Epistolâ ad Africanos, pag. 720. & sequentibus. Et in Epistolâ *De Synodis Arimini & Seleucia*, ubi τὸ ὁμοούσιον *Columnam vel cippum* vocat, *quo Arianorum impietas proscribitur, ac velut trophæum de ea superata, prostrataque statuitur.*

Et rursus pag. 709. Ideò, *inquit*, Nicæę congregati Episcopi, conspicati eorum hominum qui ita sentiebant, vafritiem, collectis in unum quæ ex sacris literis ad sententiam suam tuendam facerent, liquidiùs rem exponentes, Filium Patri consubstantialem esse asseverarunt, ut ingenuitas & vera natura Filii inde significaretur, nihilque cum eo res creatas commune habere docerent. Vocis enim istius exquisita ratio, eorum simulationem, cùm dicunt, eum ex Deo esse, patefecit, & omnes eorum argutias, quibus simpliciores fallunt, excludit. Certè cùm omnia queant fucis lenociniisque sophismatum adulterare, & pro libidine mutare, hanc solùm vocem adaperientem ipsorum Hæresim reformidant, quam Patres pro munimento & arce contra illorum impias commentationes in scripta retulerunt.

Lege Theodoretum, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 8. ubi occasionem quâ moti sunt Nicęni Patres ad vocabulum istud Symbolo addendum ex Sancto Athanasio repetit & exponit.

Probatur secundò ex Eusebio Cæsareensi in Epistolâ ad suos Cæsareenses post Nicænum Concilium statim datâ, quâ testatur se Nicænæ Fidei Symbolo subscripsisse, & vocabulum ὁμοούσιον approbasse, postquam rectus illius sensus a Patribus expositus est, quamvis jejunè omnino vocem illam explicet, ut aliàs probavimus. „ Cùm ista Formula, *inquit*, ab illis præscripta esset, illud ex substantia Patris esse; & illud, Patri consubstantialem esse, quomodo essent intelligenda. ab eis diligenter quærere cæpimus: Unde quæstiones & responsa nata sunt, rationeque accuratè pervestigatum, quæ illis verbis subjecta esset sententia. Fatebantur illi ex substantia esse, idem significare, quod ex Patre esse, non tamen partem Patris esse. Nobis sanè videbatur pulchrum consentire cum piæ illius doctrinæ sententia, quæ docet Filium ex Patre esse, non tamen partem substantiæ illius esse. Quapropter huic sententiæ etiam a nobis assensum est, neque vocem, Consubstantiale rejecimus, propterea quòd pax tamquàm scopus ad intuendum ante oculos nostros versabatur: & cautio erat a nobis adhibita, ne a recta Fidei sententia excideremus.

Et infra: „ Eodem modo etiam illud, Filium „ Pa-

,, Patri consubstantialem esse ratione & exqui-
,, situm est, & probatum, non more corporeo
,, debere intelligi, neque quicquam habere simi-
,, le cum mortalibus animantibus. Nam neque
,, divisione substantiæ, neque defectione, sed nec
,, affectione ulla, mutationeve paternæ essentiæ &
,, facultatis posse constare. Ingenitam enim Pa-
,, tris naturam, ab his omnibus prorsùs alienam
,, esse: & hoc Patri consubstantialem esse,
,, nihil aliud ostendere, quàm Filium Dei
,, ad reliquas creaturas nullam habere similitu-
,, dinem: Sed Patri solùm qui eum genuit, omni-
,, no similem esse: neque ex aliâ, quàm ex Patris
,, subsistentia & essentiâ genitum. Quod quidem
,, sic expositum, rectè videbatur assensione ap-
,, probare. Nam nonnullos veteres Episcopos
,, Scriptores, viros sanè disertos & illustres in
,, Patris & Filii divinitate explicanda, hoc ver-
,, bo, consubstantiali, usos fuisse cognovimus.
Hanc Eusebii Epistolam describit Theodoretus, lib. 1. Historia Ecclesiastica, cap. 12. & cap. 13. subjungit: ,, Quod autem vox consubstantiale, non
,, sit nova, neque a Patribus id temporis Nicæ
,, congregatis inventa, sed antiquitus a Maio-
,, ribus ad posteros deducta, Eusebius locuples
,, testis est, quin etiam quòd omnes tum in u-
,, num coacti communi consensu Fidem illic ex-
,, positam approbarint, idem Auctor non in ea-
,, dem solùm Epistolâ, verùm etiam alio in O-
,, pere, in quo vitam Constantini Magni summis
,, laudibus effert, manifestò ostendit.

Probatur tertiò ex Sancto Hilario, libro de Synodis. Inane est, *inquit*, calumniam verbi per-
,, timescere. ubi res ipsa cujus verbum est non
,, habeat difficultatem. Displicet cuiquam in Sy-
,, nodo Nicæna ὁμοούσιον esse susceptum? Hoc si
,, cui displicet, necesse est placeat, quod ab A-
,, rianis est negatum. Negatum enim idcirco est
,, ὁμοούσιον ne ex substantia Dei Patris Dei Filius
,, natus, sed secundùm creaturas ex nihilo condi-
,, tus prædicaretur. Nihil novum loquimur: plu-
,, ribus edita literis ipsa Arianorum perfidia si-
,, bi testis est. Si propter negantium impietatem
,, pia tum fuit intelligentia confitentium: quæro
,, cur hodie convellatur, quòd tam piè susceptum
,, est, quia impiè negabatur? Si piè susceptum
,, est, cur venit constitutio pietatis in crimen?
,, Videamus igitur quid Nicæna Synodus statuerit,
,, ὁμοούσιον id est unius substantiæ confitendo; non
,, utique Hæresim parturire quæ de Homousii vi-
,, tiosa opinione concipitur. Non opinor, illud lo-
,, quentur, quod unam anteriorem substantiam
,, Pater & Filius in substantiam suam partiendo
,, diviserint.

Et infra: ,, Non hìc sanctissima religiosorum
,, Virorum Synodus nescio quam priorem, quæ
,, in duos divisa sit substantiam introducit, sed
,, Filium natum de substantia Patris ...... Quæ
,, hìc vitiosæ intelligentiæ occasio est? Natus
,, esse do substantia Patris Filius, non factus
,, prædicatur: ne nativitas divinitatis, factura
,, sit creationis. Idcirco autem unius substan-
,, tiæ. Non ut unus subsistat, aut solus, sed
,, ut ex substantia Dei natus non aliunde subsi-
,, stat, neve in aliqua diffidentis substantiæ di-
,, versitate subsistat. Aut numquid non hæc fides
,, nostra est, ut non aliunde subsistat, neque in-
,, dissimilis subsistat? Aut aliud hic testatur ὁμοού-
,, σιον quàm ut una atque indissimilis sit duorum
,, secundùm naturæ propaginem essentia, quia
,, essentia Filii non sit aliunde? Quæ quia aliun-
,, de non est, unius rectè esse ambo creduntur es-
,, sentiæ, quia substantiam nativitatis Filius non
,, habeat, nisi de paternæ auctoritate naturæ.

Probatur quartò ex Sancto Epiphanio Hæresi 69,
,, Ut serpens, *inquit*, bituminis odorem refugit,
,, aut cervæ halitum, aut gagatis lapidis suffitum:
,, Sic Arius & Sabellius illam veritate constantem
,, consubstantialis professionem exosam habent.

Probatur quintò ex Mario Victorino qui sub Constantio Imperatore floruit, libro 2. adversùs Arium: Lecta sunt, *inquit*, omnia denominata ab
,, ὄντος. Hinc itaque compositum ὁμοούσιον, de Deo & *Tom. 4.*
,, Christo, quod & a ratione non est alienum. *Biblioth.*
,, Habet enim οὐσίαν, quam habent superiora nu- *Patr. Pa-*
,, mina: & hoc nomen omnes excludit Hæreti- *risiensis.*
,, cos. Necessariò ergo positum a Majoribus. Di-
,, cendum ergo, & semper tractandum est. At
,, enim quia non intelligitur & scandalum facit,
,, tollendum & de fide, & Tractatu, aut certè La-
,, tinè ponendum. Non intelligitur, dicunt: Ergo
,, nec Latinè potest dici: Non intelligitur? quare
,, vos timetis istud? qui enim oppugnant, timent
,, tamen. Si timetis, Hæretici estis, hoc excluso
,, subintrare cupitis.

Et infra de eodem vocabulo sic loquitur: ,, An
,, non utile, quod excludit Hæreticos, maximè
,, Arianos? Quod majoribus positum ut murus,
,, & propugnaculum? Sed nuper est positum. Quia
,, nuper erupit venenata cohors Hæreticorum;
,, quod tamen conditum juxta veterem fidem. Nam
,, & ante Tractatum, & multi orbis Episcopi tre-
,, centi quindecim in civitate Nicæa per totum
,, orbem decretam fidem mittentes, Episcoporum
,, millia in eadem habuerunt, vel illius temporis,
,, vel sequentium annorum.

Et infra: Ex æterno Deus, & ex æterno λόγος
,, Simul ergo ambo, & semper simul, nec ali-
,, quandò alter sine altero; nec Filius ex eo quod
,, non est aliquando. Hic ergo exclusus Arius,
,, qui protulit, ἦν ὅτε οὐκ ἦν Sententia ejus fuit: &
,, illa, ἐξ οὐκ ὄντων esse Filium, id est, de nihilo.
,, Significat ὁμοούσιον simul esse, & substantiam: ad-
,, versùs utrumque sacrilegium verbi hujus poten-
,, tia repugnat. Sive enim ita est ut ὁμοούσιον sit
,, ejusdem substantiæ, excluditur quod dictum est,
,, esse Christum ex nihilo. Si enim Deus & λόγος
,, eadem substantia sunt, Deus & λόγος non solùm
,, non ex nihilo, sed ne ex simili quidem sub-
,, stantiâ. Si vero ὁμοούσιον ex eo, quid est, simul
,, esse substantia intelligitur, hoc est, simul esse
,, substantiatum, simul Deus & λόγος, & ex æterno
,, semper simul Pater & Filius. Ex hoc exclu-
,, ditur quod dictum est: Fuit, quando non fuit.
,, Hoc si ita est; hoc uno, id est, ὁμοούσιος omne
,, venenum Ariani dogmatis internecatur.

Denique sic librum concludit: Ὁμοούσιον verò ma-
,, gis ac magis teneatur, scribatur, dicatur, tra-
,, ctetur, in Ecclesiis omnibus prædicetur. Hæc
,, enim fides apud Nicæam, hæc fides Apostolo-
,, rum, hæc fides Catholica. Hinc Ariani: hinc
,, Hæretici vincuntur universi.

Probatur sextò ex Epistolâ Synodicâ Concilii Pari- *Ad Orien-*
,, *siensis, anno 362. celebrati, quæ apud Sanctum* *tales Epis-*
,, *Hilarium legitur in* Fragmentis, *in quâ Galli-* *copos hæc*
,, *cana Ecclesiæ Patres de voce ὁμοούσιος sic loquuntur:* *Epistola*
,, Plures numero qui aut Arimini aut Nicææ ad- *scripta est.*
,, fuerunt, sub auctoritate vestri nominis ad Usiæ
,, silentium sunt coacti; quod verbum a vobis
,, quondam contra Ariomanitarum Hæresim in-
,, ventum, a nobis semper sanctè fideliterque sus-
,, ceptum est. Nam Homousion sermonem ad ve-
,, ram & legitimam ex Deo Patre unigeniti Dei
,, nativitatem sumus amplexi, detestantes secun-
,, dùm Sabellii blasphemias ipsam unionem, ne-
,, que aliquam partem Patris esse Filium intelli-
,, gentes, sed ex toto, atque perfecto innascibi-
,, bili Deo; totum atque perfectum unigenitum
,, Deum natum, unius a nobis idcircò vel Usiæ,
,, vel substantiæ cum Deo Patre confessum, ne
,, creatura potiùs, aut adoptio, aut appellatio vi-
de-

„ detur. Et quia ex ipso esset ut ex Patre Filius, ut ex Deo Deus, ut ex virtute virtus, ut ex Spiritu Spiritus, ut lumen ex lumine, similitudinem quoque ejus ad Deum Patrem non inviti audientes, quippe cùm imago invisibilis Dei sit, sed eam solam similitudinem dignam ad Patrem intelligentes, quæ veri Dei sit ad Deum verum: ita ut non unio Divinitatis, sed unitas intelligatur: quia unio sit singularis, unitas verò secundùm nativitatis veritatem plenitudo nascentis sit; maximè cùm Dominus noster Jesus Christus ad Discipulos suos sit professus dicens: Ego & Pater unum sumus; quò non solùm charitatem quæ ad Patrem est, sed & divinitatem, quę Dei ex Deo est, significat, secundùm illud: Qui me vidit, vidit & Patrem.

Probatur septimo ex Sancto Basilio Magno Epistola trecentesima, ubi de vocis ὁμοούσιον *additione ad Symbolum a Nicænis Patribus facta, sic loquitur:* „ Et quia ex non ente ad esse productum fuisse Filium etiam tunc nonnulli asseverabant, hanc ut abscinderent impietatem illi Patres, nomen homousii usurparunt. Nam Filii ad Patrem adunitio sine tempore est & interstitio.... Quandoquidem est ergo Pater lumen sine principio: lumen verò genitum Filius: lumen & lumen alteruter: ὁμοούσιον dixerunt non incongruè, ut naturæ æqualem dignitatem demonstrent. Non enim quæ ad invicem sunt cognata, sunt ad invicem consubstantialia, id quod nonnemo existimavit: Sed tum cùm & caussa, & caussatum ejusdem per omnia naturæ sunt participes. Vox ista & Sabellii impietatem corrigit: tollit enim Hypostaseos identitatem, & perfectam personarum intelligentiam introducit. Non enim aliquid idem est sibi ipsi ὁμοούσιον sed alterum alteri. Itaque rectissimè & cum pietate conjunctissimè hypostaseon dividuntur proprietates, & immutabilitas naturæ inalterabilis repræsentatur.

Probatur octavò ex Sancto Ambrosio, lib. 3. De Fide, *cap.* 7. „ Secundùm impietatem igitur suam, *inquit*, positum substantiæ verbum recipiunt Ariani: secundùm pietatem autem Fidelium comprobatum repudiant & refutant. Nam quid est aliud cur ὁμοούσιον Patri nolint Filium dici, nisi quia volunt verum Dei Filium confiteri? Sicut Auctor ipsorum Eusebius Nicomediensis Epistolâ suâ prodidit, dicens: Si verum Dei Filium, & increatum dicimus ὁμοούσιον cum Patre incipimus confiteri. Hæc cùm lecta esset Epistola in Concilio Nicæno, hoc verbum in Tractatu Fidei posuerunt Patres, quòd id viderunt Adversariis esse formidini, ut tanquam evaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefandę caput Hæresis amputarent. Frustra autem verbum istud propter Sabellianos declinare se dicunt, & in eo suam impietatem produnt: ὁμοούσιον enim aliud alii, non ipsum est sibi. Rectè ergo ὁμοούσιον Patri Filium dicimus, quia verbo eo, & personarum distinctio, & naturæ unitas significatur.

Probatur nonò ex Sancto Gregorio Nazianzeno Oratione 40. „ Denique, *inquit*, si diligentiùs & accuratius attendatis, cur noluerunt de evangelica & apostolica fide, ac æquè Patrum traditione, unius essentiæ nomen auferre, proculdubio probatis Arianam Hæresim subtili compendio, brevi jam sublato hoc nomine intromissam...... Quæ enim caussa, quæve ratio extitit, ut quod docendum, quod credendum cunctis Ecclesiis fuerat traditum, quodque Patres nostri Apostolici viri contra universas Hæreses, vel maximè Arianam, quasi quemdam obicem veritatis, quo omnes aditus pestiferæ doctrinæ obstruerent, Sancto Spiritu, Catholica ratione posuerunt, nunc magno nisu ab his qui nunc elogio Arianæ labis addicti sunt, laboretur auferri, nisi ut Filium Dei mutabilem, & convertibilem, ut propriè non propriâ Patris substantiâ constitisse confingant?

Probatur decimò ex Sancto Augustino, lib. contra Sermonem Arianorum: „ Ariani, *inquit*, & Eunomiani nos vocitant homousianos: contra eorum errorem ὁμοούσιον defendimus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: id est, unius ejusdemque substantiæ, vel ut expressiùs dicatur, essentiæ, quæ οὐσία Græcè appellatur; quod planiùs dicitur, unius ejusdemque naturæ. Et tamen si quis istorum qui nos homousianos vocant, filium suum, non cujus ipse esset, sed diversæ diceret esse naturæ, exhæredari se ab eo mallet filius, quàm hoc putari. Quantâ itaque impietate isti cæcantur, qui cùm confiteantur unigenitum Dei Filium, nolunt ejusdem naturæ, cujus Pater est, confiteri, sed diversæ atque imparis; & multis modis rebusque dissimilis, tanquam non de Deo natus, sed ab illo de nihilo sit creatus; ac per hoc & ipse creatura sit, gratiâ Filius, non naturâ. Ecce qui nos quasi incolâ novi nominis vocant homousianos, nec seipsos, cùm ista sentiont, intuentur insanos.

Objicies. Vox quæ non legitur in Scripturis sacris, sed in Ecclesia nova erat, imò olim ab Ecclesia damnata, & quæ occasionem dabat erroris, nec appositè nec prudenter inserta fuit Symbolo Fidei a Patribus Nicænis: sed vox ὁμοούσιον non legitur in Scripturis, nova erat, & nusquam usurpata in Ecclesia ante Nicænum Concilium; imò olim ab Ecclesia damnata in Synodo Antiochena adversùs Paulum Samosatenum: occasionem dabat multiplicis erroris, propter æquivocationem. Quidam enim τὸ ὁμοούσιον nomine unicam personam intelligebant; alii substantiam personis priorem, quæ ipsis deinde communicaretur: alii substantiam quæ in tres divisa esset portiones tribus personis adscriptas (ut colligitur ex Sancto Hilario in libro de Synodis) ergo nec appositè nec prudenter Nicænæ Fidei Symbolo inserta est vox ὁμοούσιον.

Respondeo, Distinguo majorem quoad primam partem: Si non inveniatur in Scripturis sacris nec quoad sonum, nec quoad sensum, nec expresè, nec æquivalenter, & si iisdem Scripturis repugnet, concedo. Si iis non repugnet, imò in illis inveniatur quoad sensum & æquivalenter, nego. Porrò vox ὁμοούσιον æquivalenter & quoad sensum legitur in Scripturis. Undè Nicæni Patres eam rectè prudenterque inseruerunt Symbolo Fidei: maximè cùm Ariani vocibus nedum in Scriptura non exaratis, sed illi palam apertèque contrariis Hæresim suam stabilirent. Hac de re audiendus est Sanctus Athanasius, lib. de Synodi Nicęnæ contra Arianam Hæresim decretis. „ Quòd si rursùs, *inquit*, quia voces istæ in Scripturis solemnes non sint, obmurmurationes faciant, æquum profectò est ut ea de caussa ipsi potissimùm rejiciantur, utpotè logodædali novorum vocabulorum, & quod magis est, sanis sententiis non utentes, seque ipsi in hoc negotio incusant, quòd primi hujus rei occasionem præbuerunt, dum ex non scriptis vocibus Deo bellum comparant. Sed tamen cognoscet quisquis est studiosioris animi, has voces tametsi in Scripturis non reperiantur, habere tamen eas eam sententiam quam Scripturæ volunt, & ob ipsum eas sonare apud illos, quibus aures ad pietatem sunt integræ, & minimè vitiatæ..... Undè enim alioqui Filium intelligas esse Sapientiam & Verbum, in quo omnia sunt condita, nisi per has voces quibus dicitur ex Deo esse? Rem cer-

„ tè

,, tè ita se habere ex Scripturis liquet, cùm Pa-
,, ter ita per Davidem loquatur: Eructavit cor
,, meum verbum bonum: &, Ex ntero anto Lu-
,, ciferum genui te. Et Filius hoc de se Judæis
,, ostendit: Si Deus Pater vester esset, diligeretis
,, utique me: ego enim ex Patre egressus sum.
,, Ac rursum: Non quod Patrom quis viderit,
,, nisi is qui est a Deo. Jam & illud: Ego & Pa-
,, ter unum sumus, & Pater in me est, & ego
,, in Patre, idem est ac si dicat; Ego ex Patre
,, sum, & indivisibilis ab illo ..... Si ergo sim-
,, plex est Deus, nt reverà est, certum est, cùm
,, dicimus Deum, & nominamus Patrem, nihil
,, nos eorum quæ circa eum sunt, sed ipsorum
,, substanriam significare. Nam tametsi compre-
,, hendere quænam illius sit substantia, nequeas
,, tamen de substantia illius, hoc ost, de ipso Deo
,, sentis & cogitas, cùm pro Scripturæ nomini-
,, bus Deus, & Pater, & Dominus appellatur.
,, ... Quapropter cùm quis audit Filium Dei
,, esse ex substantia Dei, ne admiratione ducatur,
,, sed potiùs approbet, recipiatque Patres, qui
,, rei intellectum puriùs tradidere & liquidiùs,
,, verbis paribus & idem pollentibus id dictum,
,, ex Deo esse, per has voces ex substantia Dei
,, esse, expresserunt. Idem enim arbitrati sunt
,, ex Deo esso, & ex Dei substantia esse.

Et Libro de Synodis Arimini & Seleuciæ: Si pe-
,, nitus excludenda putant vocabola omoia non
,, scripta, cur cùm Arius tantum acervum dictio-
,, num, quæ nusquam in Scripturis occurrunt,
,, accumulaverit; quales sunt, Ex non extanti-
,, bus; & Non erat Filius antequam gigneretur;
,, &, Erat quando non orat; & mutabilis ost,
,, & ineffabilis est atque invisibilis Pater suo Fi-
,, lio; & Filius ne suam quidem novit substan-
,, tiam, & cætera, quæ in ridiculo impioque suo
,, Commentario Arius evomuit ex opinione sua,
,, non illi contradixeruot?

Præstat audire & Sanctum Hilarium in Libro contra Constantium: *Utitur autem etiam nunc*, inquit, *artis suæ consuetudine, ut per recti speciem prava confirmet, & per rationis nomen insana constituat*: Nolo, inquit, *verba quæ non scripta sunt dici. Hoc tandem rogo, quis Episcopis jubeat? & quis Apostolicæ Prædicationis vitet formam? Dic priùs si rectè dici putas: nolo adversùm nova venena novas medicamentorum comparationes: nolo adversùm novos hostes nova bella: nolo adversùm novas insidias consilia recentia...... Novitates vocum, sed profanas, devitari jubet Apostolus. Tu cur pias excludis? Innascibilem scriptum nusquam legis. Numquid & hoc negandum erit, quia novum est? Decernis similem Patri Filium, Evangelia non prædicant. Quid est quod non refugis hanc vocem? In uno novitas eligitur, in alio submovetur. Ubi impietatis occasio patet, novitas admittitur: ubi autem religionis maxima & sola cautela est, excluditur.*

Præstat audire & Sanctum Gregorium Nazianzenum Oratione 49. *Si dicis mihi*, inquit, ὁμοούσιον *quod est unius essentiæ nomen, ob hoc nominari non oportere, quia in Scripturis divinis non continentur: quare autem, o homo, qui hoc prohibes, utrùm ideo nominari non debeat, quia scriptum non est, an quia credi ita non licet? Quòd si ita credendum est, cur non ita profitendum? Aut si ideo nominandum non est, quia nec ita credendum; obtinuit Ariana labis assertio........ Frustra times, o homo profiteri quod credis: aut frustra credis, si ita non profiteris, & meritò Hæreticus denotaris.*

Ad id quod additur in minori, vocem ὁμοούσιον fuisse novam, nec ante Nicænum Concilium usurpatam, respondeo id falsum esse. Nam ante illam Synodum Theognostus, & uterque Dionysius, Alexandrinus & Romanus, *Filium ex Patris substantia productum*, & *Patri consubstantialem* dixerunt, ut testatur Sanctus Athanasius Libro de *Synodi Nicænæ decretis*. Quin etiam Dionysius Alexandrinus in Epistolà ad Paulum Samosatenom, *Consubstantialem dici Filium Patri ab antiquis* affirmat.

Ad id quod subjungitur, vocem ὁμοούσιον foisse proscriptam in Synodo Antiocheoa, respondeo, distinguo propositionem: fuit damnata in sensu Pauli Samosateni qui eà abutebatur, concedo; fuit damnata in sensu Catholico, quo eam usurparunt Nicæni Patres, nego. Quo autem sensu eam utraque Synodus acceperit, Sanctus Athanasius exponit, lib. de Synodis Arimini & Seleu-
,, ciæ. Si igitur aliquis carpit Nicæenses, *in-*
,, *quit*, quòd non dixerint omnia quæ ipsorum
,, antecessoribus placuerunt; idem quoque meri-
,, tò carpserit septuaginta Episcopos Pauli Samo-
,, satensis condemnatores, quòd ea quæ antecés-
,, sorum erant, non observaverint. Antecessores
,, autem eorum fuere duo isti Dionysii, cæterique
,, qui Romæ tum congregati fuere. Verùm ne-
,, que illos fas est culpare. Omnes enim Christi
,, curam gessere, studiaque sua contra Hæreticos
,, intenderunt, & hi quidem Samosatensem; illi
,, verò Arianam Hæresim condemnaverunt: bene
,, verò & hi & illi pro subjecta materia scribunt.
,, Et quemadmodum B. Apostolus in Epistolà suà
,, ad Romanos dixit: Lex spiritualis est, & Lex
,, sancta est, & præceptum sanctum, & justum,
,, & bonum; ad Hebræos verò aliter scripsit: Lex
,, neminem perfecit: Itidem & ad Galatas, In Le-
,, ge nemo justificatur: ad Timotheum contrà,
,, Legem bonam esse dixit, si quis ea legitimè u-
,, tatur: Neque tamen quis ob id Sanctum Virum
,, reprehenderit, quasi qui contraria & pugnantia
,, scribat, sed potiùs eum admiratione prosequa-
,, tur, quòd tam congruentia pro re nata ad sin-
,, gulos scripta mittat, ut & Romani & alii di-
,, scerent a litera ad spiritum converti; Hebræi
,, verò & Galatæ instituerentur, non in Legem,
,, sed in Datorem Legis spem suam habore. Ita
,, quoque etsi amborum Conciliorum Patres di-
,, versimodè de Consubstantiali mentionem fecere,
,, non tamen ea de caussa ab illis dissidere debe-
,, mus, sed illorum mentes scrutari: quod si fe-
,, cerimus, omninò inveniemus ambas Synodos
,, inter so consentire. Qui enim Samosatensem
,, sustulerunt, hanc vocem consubstantiale corpo-
,, raliter accepero, cùm Paulus sophisticari vel-
,, let, & dicerot: Si Christus non ex homine Deus
,, factus est, igitur consubstantialis est Patri, &
,, necessariò sequitur tres esse substantias: unam
,, quidem qoæ prior sit, ut princeps; reliquas
,, verò duas ex ea oriundas: ideoque meritò vi-
,, tantes illud sophisma Pauli, dixere Christum
,, non esse consubstantialem: non enim ita se ha-
,, bet Filius ad Patrem, ut ille cogitabat. Illi ve-
,, rò qui Arianam Hæresim anathemate notarunt,
,, cognoscentes non creaturam, sod genitum quid-
,, dam ex substantia Patris Filium esse, & sub-
,, stantiam Patris originem, radicem & fontem
,, esse Filii, & veram undecumque esse similitu-
,, dinem Geniti cum Genitore, & nequaquam
,, eum, uti nos, diversæ naturæ esse; & pro se
,, habontes Dionysii exempla, fontem scilicet,
,, & consubstantialis assertionem, & præterea u-
,, nitricom Salvatoris vocem, Ego & Pater unum
,, sumus, &, Qui vidit me, vidit & Patrem meum:
,, his de caussis meritò inducti sunt, ut Filium
,, consubstantialem dicerent; & quemadmodum
,, nusquam quisquam Apostolum culpaverit, quòd
,, de lege ad istum modum Romanis, ad illum ve-
,, rò Hebræis scribat: ita neoterici priscos homi-
,, nes numquam culpaverint, si videant eorum
,, men-

„ mentem & interpretationem: neque rursus prisci neotericos reprehenderint, si conspiciant quo animo, & in quem usum de Domino scribant: nam utraque Synodus justam habet & rationabilem caussam, cur illa ad illum; ista verò ad istum modum verba sua temperaverit. Quandoquidem enim & Samosatensis sentiebat Filium ante Mariam non fuisse, sed ab ea initium suæ essentiæ accepisse, ideò Episcopi tunc congregati hominem Hæreseos condemnatum abdicarunt; & de Filii divinitate simpliciùs scribentes, non exquisitam diligentiam in tractatu hujus vocis, consubstantialis, adhibuerunt, sed ut acceperant de consubstantiali, ita locuti sunt: in eo enim omnem curam habebant, ut quod Samosatensis excogitaverat, tollerent, & docerent ante omnia Filium fuisse, eumque non ex homine Deum esse factum, sed cùm Deus esset, induisse servi speciem. Atque ita adversùs Pauli blasphemias actum fuit. Verùm quia Eusebius & Arius ante tempora quidem fuisse Filium dicerent, sed tamen factum esse, & unum ex creaturis esse docere conarentur, & dictum illud, Ex Deo non ita interpretarentur, ut Filium genuinum ex Patre vero natum crederent, sed eum ita ex Deo esse, ut cætera creata affirmarent, & similitudinis unitatem Filii cum Patre negarent essentiâ aut naturâ constare, &c. Ideò Nicææ congregati Episcopi, conspicati eorum hominum, qui ita sentiebant, vafritiem, collectis in unum, quæ ex sacris literis ad sententiam suam tuendam facerent, liquidiùs rem exponentes, Filium consubstantialem esse asseverarunt, ut ingenuitas & vera natura Filii inde significaretur, nihilque cum eo res creatas commune habere edocerent. De hac Sancti Athanasii expositione & conciliatione Antiochenorum Patrum cum Nicænis, lege Facundum.

Facundus Hermian. lib. 10. p. 450. edit. Sirmond.

Responsio ista illustrari potest exemplo istius vocis, *Ingenitus*, quæ cùm in Scripturis non reperiatur, utì *nec Consubstantiale*, vario sensu a Patribus admissa, vel negata est *De Filio Dei*. A quibusdam enim usurpata est, prout significat id quod existit, & factum non est; ab aliis verò, prout significat id quod planè sui auctorem non „ habet. Inter has igitur significationes, *inquit Sanctus Athanasius*, si quis ad priorem significationem respiciens, cùm id denotatur, quod auctore sui careat, atque eo modo Filium non esse ingenitum dixerit, nequaquam ille culpaverit alium, qui cùm Filium neque creaturam, neque opus esse, dicat eum ingenitum esse: uterque enim suum scopum spectans, rectè locutus est. Ita quoque si aliqui ex Patribus ad istum, alii ad alium modum de consubstantiali disseruerunt, nobis tamen ob id contentiosè agendum non est, sed cum pietate eorum dicta excipere debemus, eò quòd præcipuè sua studia ad pietatem referebant. Ignatius igitur post Apostolos Antiochiæ Præsul, & Martyr Christi, in scriptis suis de Domino ita locutus est: Unus est Medicus carnalis, & spiritualis, genitus & ingenitus, in homine Deus, vita vera, & ex Maria & Deo. Quidam porrò post Ignatium Magistri, ipsi quoque scripserunt: Unus ingenitus Pater est, & ex ipso Filius genuinus, verus partus, Verbum & Sapientia Patris. Si igitur adversùs istos hostiliter afficimur, & dissidemus, sit quoque nobis adversùs Synodos pugna. Quòd si eorum fidem in Christum cognoscentes, persuasum habemus B. Ignatium rectè scripsisse, genitum illum ob carnem appellantem, eò quòd Christus caro factus sit: ingenitum verò, hoc est, non factum, quoniam creatura non sit, sed Filius ex Patre; & non ignoramus eos qui dixere unum esse ingenitum, Patrem, non eo animo scripsisse, quasi Verbum Dei genitum, hoc est, factum & opus esse vellent; sed ideò ut ostenderent Patrem sui auctorem non habere; sed illum Patrem Sapientiæ esse, & omnia genita, hoc est, quæ facta sunt, in sapientia fecisse; cur non & Patres nostros, tum qui Samosatensem sustulerunt, tum qui de Ariana Hæresi trophæum fixerunt, in unum pietatis, tuendæque Religionis studium conjungimus; sed illos quasi intersepimento dirimimus, & non potiùs rectè de illis sentimus? Quòd & illi, quemadmodum dixi, adversùs sophisma Samosatensis mentem interpretationemque dirigentes, Filium scripsere non consubstantialem esse? Et quòd isti quoque recto intellectu illum dixere consubstantialem esse?

Eidem objectioni non absimili modo respon„ det Sanctus Hilarius, *libro de Synodis*: Malè intelligitur, ὁμοούσιον, *inquit*, quid ad me benè intelligentem? Malè *omousion* Samosatenus confessus est: sed numquid meliùs Ariani negaverunt? Octoginta Episcopi olim respuerunt: sed trecenti decem & octo nuper receperunt. Et mihi quidem ille numerus sanctus est, in quo Abraham victor Regum impiorum ab eo qui æterni Sacerdotii est forma, benedicitur. Illi contrà Hæreticum improbaverunt, numquid & isti non adversùm Hæreticum probaverunt? Gravis auctoritas est veterum; numquid & horum levis sanctitas est? Si contraria invicem senserunt, debemus quasi judices probare meliora. Si verò & probando, & improbando, unum utrique statuerunt: quid benè constituta convellimus? .... *Omousion* sanctissimi viri intelligo ex Deo Deum, non dissimilis essentiæ non divisum, sed natum, & ex innascibilis Dei substantia congenitum in Filio, secundùm similitudinem unigenitam nativitatem; Ea me antea intelligentem non mediocriter ad id confirmavit *omousion*. Sed malè alius intelligit: damnemus in commune vitiosam intelligentiam: non auferamus Fidei securitatem. Synodo Samosatenæ subscribendum putas; ne secundùm Samosatei intelligentiam quisquam sibi usurpet ὁμοούσιον. Subscribamus & Nicænæ Synodo, ne *omousion* improbent Ariani .... sed *omousion* potest malè intelligi. Constituatur qualiter benè possit intelligi. Unum atque idem quod sapimus, pium inter nos esse velimus. Date veniam, Fratres, quam frequenter poposci. Ariani non estis: cur negando *omousion* censemini Ariani?

Denique ad id quod additur in argumento, vocem *omousion* multiplicis occasionem erroris dedisse propter æquivocationem. Respondeo, distinguendo propositionem. Dabat occasionem erroris, nisi esset exposita, concedo; si esset exposita, nego. Vel dabat occasionem erroris, malè intelligentibus, & per accidens, concedo; per se, & rectè intelligentibus, nego. Porrò Patres Nicæni omnem sustulerunt istius vocis ambiguitatem, exponendo sensum quo eam consecrabant, ut esset Catholicæ Fidei tessera. Id constat ex Eusebio Cæsareensi in Epistolâ ad Ecclesiam suam, quam descripsit Theodoretus, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 12. in qua postquam Nicænam Fidem recensuit, hæc subjungit: „ Cùm ista formula ab illis præscripta esset, illud, Ex substantia Patris esse, & illud, Patri consubstantialem esse, quomodo essent intelligenda, ab eis diligenter quærere cœpimus; unde quæstiones & responsa nata sunt, rationeque accuratè pervestigatum, quæ illis verbis subjecta

,, esset sententia. Fatebantur illi, ex substantia
,, esse, idem significare quod ex Patre esse, non
,, tamen partem Patris esse.

,, *Et infra*: Eodem modo etiam illud, Filium
,, Patri consubstantialem esse, ratione & exqui-
,, situm est, & probatum, oon more eorporeo
,, debere intelligi, neque quidquam habere simi-
,, le cum mortalibus animantibus. Nam neque
,, divisione substantiæ, neque defectione, sed nec
,, affectione ulla, mutationeve paternæ essentiæ
,, & facultatis posse constare. Ingenitam enim
,, Patris naturam ab his omnibus prorsus alienam
,, esse.

Malum quoque istius vocis intellectum sustulit, vel potiùs a Nicænis Patribus sublatum esse docuit Sanctus Athanasius, lib. de Nicænæ Synodi contra Arianam Hæresim decretis: *Cùm igitur*, inquit, *iste sermo religiosus & pius appareat, non debebant Christo rebelles insolentiâ vocabuli consubstantialis offendi; cùm illud & sanam intellectam, & certam rationem demonstrationemque habeat. Si enim ex substantia Dei Verbum Dei esse sentimus, superest ut vox illa, qua hoc ipsum signat, ab illis agnoscatur...... Cæterùm istbie rursus tolli velim omnem corporalem cogitationem, ut altiùs & supra imaginationem sensuum evecti, puro intellectu, & sola mente intelligamus Filii ad Patrem legitimam illam & naturalem genituram, & Verbi ad Deum proprietatem, & indemutabilem similitudinem splendoris ad lucem. Ut enim cùm audimus eum Filium & germen esse, non humano more, sed prout Deo convenit, intelligimus: ita quoque cùm audimus eum consubstantialem esse, nequaquam delabentes ad humanos sensus, partitiones & divisiones deitatis cogitemus, sed tamquam de incorporalibus agitantem, unitatem naturæ, & identitatem lucis non dividamus.*

Nostra responsio nititur etiam auctoritate Sancti Hilarii in libro de Synodis: *Quis sanæ mentis*, inquit, *tertiam substantiam, quæ & Patri & Filio communis sit, prædicabit? Vel quis secundùm Samosatenum, in Christo renatus, & Filium confessus ac Patrem: quòd Christus in se sibi & Pater & Filius sit, confitebitur? Itaque in condemnandis impietatibus Hæreticorum nostra sententia est & hanc Homousii intelligentiam non modò respuit, sed & odit. Atque ita non relinquetur vitiosa intelligentiæ quæstio, ubi in vitii damnatione communis assensus est.* Et infra, postquam Fidem Nicænam descripsit, hæc habet: *Non hic sanctissima religiosorum virorum Synodus nescio quam priorem, quæ in duas divisa sit, substantiam introducit, sed Filium natum de substantia Patris. Numquid nos negamus? Aut quid aliud confitemur?*

Contra. Quæ ratio suberat damnandi vocem ὁμοούσιον tempore Antiocheni Concilii, eadem suberat illam proscribendi, vel certè silendi, tempore Nicæni Concilii: damnata enim est a Patribus Antiochenis, quia illam Paulus Samosatenus pravum in sensum detorquebat. Nicæni autem Concilii tempore adhuc Paulianistæ non pauci supererant, propter quos Canon 19. conditus est, de Paulianistis ad Ecclesiam revertentibus, qui Hæretici, non minùs voce ὁμοούσιον abuti poterant, suum ad errorem adstruendum, quàm eorum Antistes Paulus Samosatenus. Cùm igitur maximæ sit imprudentiæ vocem inserere Symbolo, quæ Hæresim unam debellando, alteram suscitat: nemo potest asserere Nicænos Patres vocabulum ὁμοούσιον prudenter inseruisse Symbolo, etsi ad Arianam Hæresim profligandam momenti plurimum haberet.

Respondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem respondeo, vocem ὁμοούσιον secundùm sensum quo a Nicænis Patribus erat exposita, & ab Ecclesia consecrata, non potuisse pravum in sensum a Paulinianistis detorqueri. Sed etsi eam pravum in sensum inflectere potuissent, eàque suam ad Hæresim propugnandam abuti: non ideò tamen damnaoda fuisset, aot silentio premenda. Alioqui Crux Christi, & Sacramenta proscribenda essent, quia ipsis impii abutuntur: & plurima Scripturæ Sacræ loca esseot expungenda, quia Hæretici pravos ea detorquent in sensus. Ita respondet Sanctus Hilarius in libro de Synodis.

,, Sed fortè, *inquit*, e contrario dicitur, idcirco
,, improbari oportere, quia vitiosè intelligi so-
,, leat. Hoc si timemus, deleamus in Apostolo
,, quod dictum est: * Mediator Dei & hominum — 1. Ad Timoth. 2.
,, homo Christus Jesus; quia ad auctoritatem Hæ-
,, resis suæ Photinus hoc utitur: & non legatur
,, a nobis, quia ab illo malè intelligatur. Pe-
,, reat quoque ad Philippenses scripta Epistola,
,, aut igne, aut spongiâ, ne in ea Marcion re-
,, legat: * Et habitu repertus ut homo, phan- — Philipp. 2.
,, tasiam corporis confitens esse, non corpus.
,, Non extet Evangelium Joannis, ne Sabellius
,, dicat: Ego & Pater unum sumus. Neque isti
,, nunc creaturæ prædicatores scriptum habeant:
,, Pater major est. Neque illi, qui dissimilem
,, Patri Filium affirmare volunt, legant: De die — Lucæ 13.
,, autem & hora nemo scit, neque Angeli in cœ-
,, lis, neque Filius, nisi Pater solus. Non sint
,, quoque libri Moysi, ne tenebræ Deo, qui inac-
,, cessibilem lucem habitat, coævæ sint, quia in
,, Genesi post noctem dies cœpta sit: Ne anni
,, Mathusalæ ætatem diluvii excedant, & non
,, tantùm octo sint animæ reservatæ: Ne clamo-
,, rem Sodomorum repletis jam peccatis Deus
,, audiens, tanquam ignorans clamorem descen-
,, dat, ut videat an plena sint cum clamore pec-
,, cata, & reperiatur Deus nescire quod scierit:
,, Ne quisquam quoque sepelientium sepulti Moysi
,, sciat sepulchrum: ne per hoc, ut Hæretici pu-
,, tant, diversa lex ipsa sibi hostis sit. Et quia
,, hæc ab his non intelliguntur, non legantur a
,, nobis. Pereant quoque si videtur (quod non
,, ego dixerim, sed responsionis necessitas) om-
,, nia divina illa & Sancta Evangelia salutis hu-
,, manæ, ne se invicem contraria dictorum opi-
,, nione compugnent; ne missurus Dominus Spi-
,, ritum Sanctum, ipse de Spiritu Sancto natus
,, legatur: Ne mortem & gladium denuntiatu-
,, rus usuris, emi gladium passurus indicat: Ne
,, ad inferos descensurus; in paradiso sit cum
,, Latrone: Ne postremò Apostoli reperiantur in
,, crimine, qui baptizare in nomine Patris, &
,, Filii, & Spiritus Sancti jussi, tantùm in Jesu
,, nomine baptizaverunt. Vobis enim, Fratres,
,, vobis dico, qui non jam lacte alimini, sed
,, firmo cibo valetis: Numqoid quia ista sapien-
,, tes mundi non intelligunt, & his stulta sunt,
,, nos cum mundo sapientes erimus, ut hæc stulta
,, credamus? Et quia hæc impiis cæca sunt, nos
,, non lucebimus veritate Doctrinæ? Malè sanctis
,, rebus præjudicatur, si quia non sanctæ a qui-
,, busdam habentur, esse non debeant. Non er-
,, go gloriemur in Cruce Christi, quia scandalum
,, mundo est: neque in vivente Deo mortem
,, prædicemus, ne ab impiis mortuus Deus ar-
,, guatur. Malè intelligitur ὁμοούσιον quid ad me
,, benè intelligentem?

Contra. Imprudenter egerunt, qui vocem inutilem, & quæ aliunde multis etiam Orthodoxis erat offensioni, Symbolo inseruerunt: sed vox ὁμοούσιον erat inutilis, & aliunde multis Catholicis erat offensioni: imprudenter itaque illam Symbolo inseruerunt Nicæni Patres.

Probatur minor. Vox ὁμοιούσιον, id est, similis substantiæ, fidem Ecclesiæ de Filii divinitate satis

tis superque exprimebat; illosque Catholicos habuerunt SS. Athanasius & Hilarius, qui Filium *omiusion* Patri asserebant, licèt eumdem *omousion* negarent; ut Dissertatione sequenti ostendemus; ergo inutilis erat illius vocis *omousion* ad Symbolum additio.

Respondeo, nego Minorem. Ad ejus probationem distinguo antecedens: Vox *omiusion* Ecclesiæ fidem de Filii divinitate satis exprimebat, & meliùs ac luculentiùs eamdem exprimebat *omousion* concedo: & non meliùs eam ac nitidiùs *omousion* exponebat, nego. Distinguo etiam secundam partem ejusdem antecedentis: Illos Catholicos habuerunt SS. Athanasius & Hilarius, qui Filium *omiusion* Patri profitebantur, & non damnabant *omousion* quamvis eam vocem usurpare nollent, quia in vocabulo innoxio monstrum sibi fingebant, concedo. Et qui damnabant *omousion* nec Filium unius substantiæ cum Patre profiteri volebant, nego. Qui igitur non solùm vocem ipsam *omousion* sed & pium ejus significatum rejiciebant, nusquam habiti sunt ut Catholici a Patribus: Sed Orthodoxorum numero & loco habiti sunt, qui illud vocabulum ob prætensam æquivocationem rejicientes, Catholicum nihilominus ejus sensum voce *omiusion* exprimebant, aliisque vocabulis Fidem Nicænam de Filio Dei sincerè & perspicuè exponentibus. Qui verò damnabant *omousion* nec rectum etiam illius vocis sensum pati poterant, illi nec *omiusion* id est, similis substantiæ cum Patre Filium sincerè profiteri præsumebantur; quia vox illa nudè sumpta omnes Arianæ pravitatis insidias, omnes Hæreseos pestiferæ sensus non excludebat. Nam similia sæpe dicuntur in substantia, quæ diversæ nihilominus sunt naturæ. Fallit quippe externa species, quæ similitudinem in essentia quandoque mentitur. Id Sancti Hilarii verbis luculentiùs quàm meis explicatum accipe, in libro de Synodis: *Sed fortè*, inquit, *dicetur mihi: Aliqui ex his qui Synodo intersfuerant, tacendum de Homousio esse decreverunt. Et ego invitus licèt respondebo dicenti: Numquid non & ipsi tacendum esse de Homœousio constituant? Oro vos ne quisquam ullus ex his præter senem Hosium, & ipsum illum nimiùm sepulchri sui amantem reperiatur, qui tacendum esse existimet de utroque. Et quò tandem in tantis Hæreticorum perversitatibus eccidimus, si dum non utramque excipimus, neutrum retinemus? Quid Fidem meum in Homousion damnas, quam per Homœousii confessionem non potes non probare?*

Et infra, diluens quorumdam objectionem qui hanc vocem *omousion* ambiguam esse caussabantur, & illam propterea rejiciebant, hæc habet: *Sed dicis; Movet me cum scandalo Homousii ambiguitas. Iterum audi, oro, sine scandalo & me movit Homœousii nuditas. Multa sæpè fallunt, quæ similia. Timeo aurum bractea, quia me fallere possit interiùs: & tamen auro simile est quod videtur. Timeo lactis similitudinem, ne oblatum mihi lac non lac ovium sit: quia ei simile videatur & bubalum. Similitudo vera in veritate naturæ est: veritas autem in utraque natura, non negatur Homousios: Hæc est enim secundùm essentiam similitudo, si massa massæ consimilis non fallat in bractea, si lac quod concolor est, non fallat in sapore. Simile auro quidquam non potest esse nisi unum: simile lacti, nisi sui generis sit, esse non poterit .... Oro vos, Fratres, adimite suspicionem, secludite occasionem: ut probari possit* omiusion, *non improbemus* omousion. *Cogitemus tot Sacerdotes sanctos, & jam quiescentes. Quid de nobis Dominus judicabit, si nunc anathematizantur a nobis? .... Date veniam, Fratres, dolori meo; impium est, quod audetis. Non patior hanc vocem ut in anathemate sit*, omousion *secundùm religiosum intelligentiam confitear. Nomen nihil habet criminis, quod sensum non perturbat Religionis.*

DISSERTATIO XV.

De voce ὁμοιούσιον.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm vox ὁμοιούσιον Fidem Nicænam exprimat?

PROPOSITIO.

Licèt vox ὁμοιούσιον variè fuerit accepta, tamen eâ Nicænam Fidem exprimi æquè ac voce ὁμοούσιον, quidam Episcopi contendebant. Hinc qui voce ὁμοιούσιον ad Fidem Nicænam exprimendam utebantur, vocem verò ὁμοούσιον certis de caussis respuebant, quamvis quandoque Hæreseos suspicione laborarint, Catholicè tamen sentiebant, nec de summa Fidei disputabant.

Probatur prima pars, quòd nimirum vox illa variè fuerit accepta, ex S. Athanasio, libro de Synodis, ubi testatur, *Simile in substantia, & simile secundùm participationem, idem esse*: Cùm tamen eodem in libro Catholicos illos habeat, qui Filium ὁμοιούσιον Patri profitebantur, ὁμοούσιον autem fateri renuebant. En ipsius verba: *Nam & vos scitis ipsi, nec ambigere quisquam potest, nomen similis de substantiis non usurpari, sed de figuris, & qualitatibus dici. Nam in substantiis non similitudo, sed identitas affirmari debet. Sic homo homini similis dicitur, non secundùm substantiam, sed secundùm figuram & formam. Quod enim ad substantiam attinet, ὁμοφυεῖς, id est, ejusdem natura sunt. At rursus homo cani nequaquam similis dicetur, sed naturâ diversus. Quocirca quod est ὁμοφυὲς, id est ejusdem naturæ, etiam ὁμοούσιον erit, id est consubstantiale. Unde qui secundùm substantiam simile dicit, participatione quadam simile esse definit. Nam simile qualitas est quædam, quæ substantiæ advenit. Hoc verò factarum rerum proprium est, quæ propter participationem fiant similes Deo.* Hæc est vocis ὁμοιούσιον vis ac potestas apud Philosophos. Unde eam sic sumptam Dei Filio accommodari non posse censebat Sanctus Athanasius.

Eodem sensu vocem ὁμοιούσιον accepit Marius Victorinus, libro 1. adversùs Arium: *Impii & illi rursus*, inquit, *qui dicant ὁμοιούσιον esse Filium Patri. Substantia enim, secundùm quòd substantia est, non est alia, ut sit similis ad aliam: eadem enim est in duobus, & non est similis, sed ipsa. Sed alia cùm sit, non quò substantia est, similis dicitur, sed secundùm quamdam qualitatem: substantia autem, secundùm quòd substantia est, non recipit similem esse, aut dissimilem. Juxta quod autem receptibilis est qualitatis, similis aut dissimilis dicitur, in potentia sua vel existentia manente substantia vel eadem, vel diversa. Quid autem verò illa substantia Dei, vel τοῦ λόγου, numquid receptibilis est dissimilitudinis, ut dicatur similis esse? Sed impossibile. Nec similis ergo. Non igitur ὁμοιούσιον.*

Nec aliam hujus vocis, ὁμοιούσιον, vim ac potestatem intellexit Auctor libri *De Filii Divinitate*, inter Opera Sancti Ambrosii, cap. 2. ubi *omiusion* patronos sic exagitat: *Denique sublato* omousion, *id est, unius substantiæ vocabulo*, omiusion, *id est similem Factori suo posuerant: cùm aliud sit similitudo, aliud veritas. Nam & homo ad imaginem & similitudinem Dei factus est, nec tamen*

Deus est: nec quòd Deus est, homo extitisse credendus est. Ita & Filium Dei similem volunt, at eum aliunde similem, non de ipsa una sancta & beata Patris substantia dicunt. Qui si de Patris substantia non est, ἐξ οὐκ ὄντων *est, id est de nullis extantibus, ut idem Arius tradidit.*

Probatur secunda pars, scilicet quòd quidam Episcopi voce ὁμοούσιον Fidem Nicenam exprimi contenderent. Id enim contendebant Basilius Ancyranus, Meletius Antiochenus, Eusebius Samosatenus, Acacius Cæsareensis, & alii, quibus a S. Epiphanio invidiosum Semi-Arianorum nomen affictum est. Basilius enim & alii Antistites in Synodo Ancyrana, Formulam illam Fidei, quam ab Osio Cordubensi per vim expressam Aëtii & Eunomii sectatores promulgaverant, pluribus anathematismis confixerunt, asserueruntque Filium Patri & per omnia, sine ulla differentia, esse similem, adeòque natura & οὐσίᾳ. Ea in Formula hi inter alios anathematismi leguntur: *Si quis Filio suam cum Patre secundùm essentiam similitudinem nobis his verbis indicante: Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in seipso: eam verò similitudinem, quæ in actione posita, his verbis docente: Quæcumque enim Pater facit, ea & Filius similiter facit; solam hanc actionis similitudinem concedens, alteram quæ ad essentiam spectat, quæque præcipuum Fidei nostræ caput est, Filio subtrahat, anathema sit.*

Si quis in Patrem ac Filium credere se profitens, Patrem non similis cum Filio essentiæ dicat esse, sed actionis, tanquam profanas vocum novitates de Filio Dei pronuntiare ausus, & veram Filii proprietatem evertens, anathema sit. Hæc habentur apud Sanctum Epiphanium *Hæresi* 73. Fidei Formulam Ancyrana in Synodo editam describentem, & apud Sanctum Hilarium libro de Synodis. Ubi cùm Orientales Episcopos horum anathematismorum auctores, *uno atque eodem Apostolicæ Fidei sensu Catholica sentire* cum Occidentalibus asserat, argumento est: quosdam Episcopos Catholicos existimasse, Nicænam Fidem exprimi hac voce.

Præterea, idem Basilius Ancyranus in quadam Synodo Sirmii, Fidei, cui Marcus Arethusius, Valens & Ursacius, cæterique ita subscripserant, ut vel *similem esse per omnia*, vel tantùm *similem esse Patri Filium* dicerent, in ea verba consensit, ut scriberet, *Similem in omnibus Patri esse Filium: in omnibus verò, non voluntate solùm, sed & subsistentiâ, & existentiâ, adeòque essentiâ ipsâ, utpote Filium, quod sacræ Literæ confirmant, spiritum e spiritu, vitam e vita, lumen e lumine, Deum ex Deo, verum Filium ex vero, sapientiam Filium e sapiente Deo ac Patre. Et, ut uno verbo dicam, Filium Patri undecumque similem, uti Filium Patris.* Hæc habentur apud Sanctum Epiphanium, *Hæresi* 73. *Num.* 22. ex quibus constat Basilium Ancyranum, aliosque Episcopos ipsi adhærentes, existimasse Fidem Nicænam exprimi hac voce *omiusion*.

Probatur tertia pars, quòd scilicet Catholicè sentirent, nec de summa Fidei disputarent, qui Filium Dei *omiusion* Patri profitebantur, & ὁμοούσιον certis de caussis respuebant: Primò ex Sancto Athanasio, libro *de Synodis*, pag. 705. *Adversùs eos, inquit, qui ex omni parte Synodum convitiis carpunt, ista pauca ad refutationem suffecerint. Adversùs autem eos qui omnia Synodi scripta recipiunt, de solo autem consubstantiali ambigunt, non ut adversùs inimicos affici nos decet. Neque enim velut adversùs Ariomanitas, aut quasi bellum gesturi Patribus contradicimus, sed velut Fratres cum Fratribus disceptamus, ut cum quibus nobis eadem sit sententia, controversia autem de verbis: Nam cùm profitentur Filium ex Patris substantia, & non ex alia subsistentia esse, nec creaturam eum, nec opus existere, sed genuinum & naturalem Patris fœtum, & æternaliter cum Patre esse, tùm ejus & ratio, & sapientia sit, non longè absunt a recipiendo consubstantiali. Talis est Basilius ex Ancyra in scriptis suis de fide, &c.*

,, *Et infra:* Cæterùm quia affirmant Episcopos
,, qui Samosatensem condemnarunt, dixisse Fi-
,, lium non esse Patri consubstantialem; ac jam
,, deinde ipsos, ob reverentiam honoremque
,, eorum qui ita locuti sunt, ab hac voce abhor-
,, rere; rectum fuerit reverenter cum iis de ea
,, re disceptationes facere: nam arietare cum
,, illis prorsus indecorum est, quia omnes Patres
,, sunt. Rursus dijudicare istos benè, illos malè
,, dixisse, nequaquam sanctum est. Omnes enim
,, in Christo dormierunt. Quapropter neque con-
,, tentiosiùs agendum est, neque numerus eorum
,, qui congregati fuere, in comparationem mit-
,, tendus, ne videantur trecenti illi Nicænses,
,, eos qui pauciores sunt, perstringere: neque
,, tempora metienda sunt, ne priores videan-
,, tur posteriores exauctorare. Omnes enim isti
,, (quemadmodum dixi) Patres sunt. Sed tamen
,, neque isti quasi novum aliquid sapientes, id
,, in scripta retulerunt; neque sui fiduciâ voces
,, in Scriptura non solemnes defendunt; Sed a
,, Patribus incitati, eorum vocabulis uti volue-
,, runt.

Probatur secundò ex Sancto Hilario in libro *De Synodis*, ubi Orientales Episcopos qui vocem *omousion* respuebant, quòd ab Antiochenis Patribus, in Paulo Samosateno damnata esset, & quòd pravo sensui esset obnoxia, hortatur ne vocabulum illud damnent, quod a Nicæna Synodo recto sensu & ad Arianam Hæresim præfocandam accommodatissimo usurpatum est; & ipsos ut germanè Catholicos agnoscit, sibique in ejusdem Fidei professione conjunctos, quamvis *omousion* rejicerent, solùmque admitterent *omiusion*. Sic enim de i-
,, psis loquitur; Reliquus mihi sermo ad sanctos
,, viros Episcopos Orientales dirigendus est...
,, & dabunt veniam ex communis conscientiæ fi-
,, de secum liberiùs locuturo. O studiosi tandem
,, Apostolicæ atque Evangelicæ Doctrinæ Viri,
,, quos Fidei calor in tantis tenebris Hæreticæ
,, noctis accendit. Quantam spem revocandæ ve-
,, ræ Fidei attulistis, constanter audacis perfidiæ
,, impetum retundendo!
,, *Et infra;* Quid, *inquit*, fidem meam in Ho-
,, mousion damnas, quam per Homæusii confes-
,, sionem non potes non probare? Damnas enim
,, fidem meam, vel potiùs tuam, cùm damnas
,, intelligentiam ejus in nomine.
,, *Et infra:* Homousion nescio, nec intelligo,
,, nisi tantùm similis essentiæ confessionem. Te-
,, stor Dominum cæli atque terræ, me cùm neu-
,, trum audissem, semper tamen utrumque sensis-
,, se, quod per Homæusion, Homousion opor-
,, teret intelligi; id est, nihil simile sibi secun-
,, dùm naturam esse posse, nisi quod esset ex
,, eadem natura. Regeneratus pridem, & in Epi-
,, scopatu aliquantisper manens, Fidem Nicænam
,, nunquam nisi exulaturus audivi: Sed mihi
,, homousii & homæusii intelligentiam Evangelia
,, & Apostoli intimaverunt. Pium est quod vo-
,, lumus: ne damnemus Patres, ne animemus
,, hæreticos: ne dum Hæresim expellimus, Hære-
,, sim nutriamus. Interpretati Patres nostri sunt
,, post Synodum Nicænam homousii proprietatem:
,, Religiosi extant libri, manet conscientia: Si
,, quid ad interpretationem addendum est, com-
,, muniter consulamus. Potest inter nos optimus
,, Fidei status condi: ut nec ea quæ benè sunt
,, constituta vexentur, & quæ malè sunt intelle-
,, cta,

,, cta resecentur. Ex quibus constat, Sanctum Hilarium existimasse eamdem esse vim ac potestatem τὸ ὁμοιούσιον, ac τὸ ὁμοούσιον; utroque Nicænam fidem exprimi, & Catholicè sentire eos qui *omousion* certas ob caussas superiùs expositas respuentes, Filium Patri *omiusion*, id est, in substantia & essentia similem profitebantur. Et in eodem libro, contendit has voces, *similis in substantia*, & *perfectè æqualis*, synonymas esse; adeò ut qui Filium Patri in omnibus similem profitentur, iidem Filium perfectè æqualem Patri, & unum cum ipso
,, consequenter agnoscant. Quæro, *inquit*, quo-
,, modo possint alterum ad alium, nisi per simi-
,, litudinem coæquare? Aut numquid non id est
,, esse simile, quod æquale: Si unum dico, ha-
,, bet & unici suspicionem: Si similem dixero,
,, habet indifferentis comparationem. Inter simi-
,, lem & unum quæro quem locum habeat æqua-
,, lis, & interrogo utrùm similitudinis potiùs,
,, aut solitudinis res sit. Non est æqualitas in
,, dissimilibus, nec similitudo est intra unum. Aut
,, quid differunt similis & æqualis, ut ab uno ite-
,, rum discernatur æqualis? ὁμοιοῦσιν.

Et mox: Prædicantes itaque similem Filium *in*
,, omnibus Patri, nihil aliud quàm æqualem
,, prædicamus. Perfectę æqualitatis habet signifi-
,, cationem similitudo; & hoc ex Sanctis Scriptu-
,, ris intelligendum est.

Denique sic concludit: ,, Caret igitur, Fratres,
,, similitudo naturę contumeliæ suspicione: nec
,, potest videri Filius idcirco in proprietate pa-
,, ternæ naturæ non esse, quia similis est; cùm
,, similitudo nulla sit, nisi ex æqualitate naturæ:
,, æqualitas autem naturæ non potest esse, nisi
,, una sit. Una verò non personæ unitate, sed
,, generis. Hæc fides pia est, hæc conscientia re-
,, ligiosa, hic salutaris sermo est unam substan-
,, tiam Patris & Filii idcirco non negare, quia
,, similis est: similem verò ob id prædicare, quia
,, unum sunt.

Probatur tertiò ex Theodoreto, lib. 3. Historiæ Ecclesiasticę, cap. 3. ubi de Constantio Imperatore sic loquitur: *Tametsi Constantius quorumdam suasu in fraudem inductus verbum* ὁμοούσιον *non approbavit; tamen ipsam rem quæ verbo significabatur, sincerè & ex animo confessus est. Quippè ingenuè Filium ante sæcula a Patre genitum, Deum Verbum nominavit.* Catholici igitur habiti sunt, ex Theodoreto, qui Filium Patri in essentia similem profitebantur, quamvis vocabulum ὁμοούσιον non approbarent, quia rem ipsam quæ illâ voce significatur, admittebant.

Probatur quartò ex Sozomeno, libro 5. cap. 12. ita scribente: *Pars Imperii ad Solem Orientem vergens, etsi post Concilium Antiochenum dissidere, & a fide Concilii Nicæni palam jam dissentire cœpit: tamen meo quidem judicio, si complurium mentem spectes in eamdem eorum sententiam quasi pedibus itum est, concessumque Filium ex Patris essentia constare. At verò quidam contentionis studio adducti, contra verbum consubstantiale pugnaverunt.* Itaque eadem erat sententia, Sozomeno judice, cùm eorum qui Filium ex Patris essentia constare, seu ipsi in essentia similem esse profitebantur, quamvis *omousion* certis de caussis respuerent; tum eorum qui Filium *omiusion* Patri propugnabant.

Probatur ultima pars, scilicet quòd Hæreseos quandoque suspicione laborarint, qui fidem suam de Filii divinitate hâc tantùm voce *omiusion* exprimebant ex Sancto Hilario, libro *De Synodis*, ubi Orientales Episcopos sic alloquitur: *Ariani non estis: cur negando Homousion censemini Ariani? Sed dices: Movit me cum scandalo Homousii ambiguitas. Iterum audi, oro, sine scandalo & me movit Homousii nuditas.*

Et infra; *Mihi quidem in his quæ vos de Orientalium quorumdam assensu surrepta Legationis ministri subscribenda Sirmium detulistis, nihil suspicionis relictum est: sed habuerunt ab exordio nonnihilum offensionis quæ credo vos, sanctissimi Viri, Basilii & Eustathii, & Eleusii ne quid scandali inferretur, abolenda tacuisse. Quæ si rectè scripta sunt taceri non debuerunt; si autem quia non rectè scripta sunt adhuc tacentur, cavendum est ne aliquando dicantur. Parcens enim adhuc de his nihil dico: tamen mecum recognoscitis, quòd non ita omnis scripta apud Ancyram Fides se habent...... Oro vos, Fratres adimite suspicionem, excludite occasionem: ut probari possit* ὁμοιούσιον *non improbemus* ὁμοούσιον.

Objicies in tertiam partem Propositionis: illi Catholicè non sentiebant, qui a Sancto Epiphanio, necnon a Sancto Hieronymo, imò ante ipsos a Sancto Athanasio, sunt inter Hæreticos recensiti: Sed qui *omiusion* dumtaxat Patri Filium Dei profitebantur, *omousion* autem negabant, scilicet Basilius Ancyranus, Meletius Antiochenus, Eusebius Samosatenus, Eleusius, & alii habiti sunt ut Hæretici a SS. Athanasio, Epiphanio, & Hieronymo; igitur Catholicè non sentiebant, qui Filium Patri *omiusion* dumtaxat, non verò *omousion* profitebantur.

Probatur minor ex Sancto Athanasio in Opusculo cui titulus est; *Confutatio hypocrisis Meletii, & Eusebii Samosateni, ac sociorum malè sentientium de fide, de consubstantiali.*

Probatur secundò ex Sancto Epiphanio, *Hæresi* 73. ubi solius ὁμοιούσιον professores Hæreticis accenset, ac Semi-Arianos nuncupat, de illisque ita scribit: *Considerandum nobis est, quemadmodum pullulante malâ illâ Arii fructificatione, genus quoddam emerserit Sectæ, quam Semi-Arianorum vocant. Qui quidem, licèt illius nomen ejurent, eamdem ipsam tamen ac sceleratam illius opinionem induunt...... & simplicioribus illudere cupientes, cùm & vultu ipso, & moribus, & impio dogmate ab Ario, Arianisque non differant, nihilominus quodam adulationis artificio perditissimam illorum Doctrinam fucare ac dissimulare cupientes, ita Dei Filium creaturam esse dictitant, ut quò faciliùs decipiant, si quos viderint ob ejusmodi sermones turbari, statim blandiendo subjiciant: Non perinde creaturam illam facimus ac cæterarum aliquam; neque fœtum cæterorum instar fœtuum esse dicimus. Jam consubstantialis vocem, tamquam a sacris literis alienam penitus explodunt. Cæterùm ut aliud simile nomen objiciant, Basilius in primis ac Georgius Semi-Arianorum istius Sectæ principes, Filium inquiunt, non omousion sed omiusion asserimus.*

Probatur tertiò ex Sancto Hieronymo in Chronico ita scribente: *Synodus Antiochiæ a Meletio & suis facta, in qua Homousio, Anomæoque rejecto, medium inter hæc Homœousion Macedonianum dogma vindicarunt.*

Respondeo, nego minorem, quoad Sanctum Athanasium: Ad probationem, dico Tractatum illum cui titulus est, *Confutatio hypocrisis Meletii*, &c. non esse Sancti Athanasii. Supposititium esse fœtum arguit styli dissimilitudo, probatque veri Athanasii testimonium *In Epistolâ ad Ægypti & Lybiæ Episcopos*, sive *In prima contra Arianos Oratione:* Ubi inter Orthodoxos Antistites Meletium & Basilium recenset. *Si igitur*, inquit, *scripta ista ab Orthodoxis proficiscerentur; qualia sunt magni illius & Confessoris Osii, Maximini Galliæ, aut ejus successoris, aut Philogonii & Eustathii Orientis Episcoporum, aut Julii & Liberii Romanorum Pontificum....... aut Macarii Hierusalem, aut Alexandri Constantinopoleos, aut Pæderotis Heracleæ, vel magni illius Meletii, Basilii, & Longiani..... nihil esset quod in*

his

hic scriptis suspicarere. Simplicia enim & sincera Apostolicorum Virorum ingenia sunt. Tertiò non est verisimile Sanctum Athanasium scripsisse, non esse satis ad Catholicæ Fidei integritatem asserere, Filium Patri similem esse, vel ὁμοιούσιον *substantia similem*, cùm in libro *De Synodis*, illos, qui Filium Patri ὁμοούσιον profitebantur, & ὁμοιούσιον certis de caussis respuebant, ut verè Catholicos agnoscat, ut constat ex insigni ejus loco inter probationes relato. Sed quisquis sit illius Auctor Tractatûs, in Meletium iniquior est, & a veritate longè aberrat, cùm Virum Sanctissimum & a Basilio Magno Epistolis 52. 53. 325. ob Catholicæ Fidei integritatem & pietatem commendatum, a Sancto Gregorio Nysseno funebri celebratum Oratione, cui Patres Concilii Oecumenici Secundi maximo cum honore parentarunt, quem Sanctus Chrysostomus Oratione 45. ut Antiochenæ Ecclesiæ ab omni Hæreticorum fæce expurgatorem laudavit, quem Ecclesia universa colit ut Sanctum, hypocrisis in materia Fidei, & Hæreseos notâ inurit.

Cæterùm, etsi suspecta fuerit Meletii fides ac dubia Orthodoxia, antequam Antiochenum ad Episcopatum proveheretur, quia propositæ ab Acacio in Synodo Seleuciensi Fidei Formulæ subscripsit, in qua altum erat de vocibus ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον silentium, ut testantur Socrates, libro 2. cap. 44. & Sanctus Epiphanius *Hæresi* 73. tamen Arianis potiùs quàm Catholicis videbatur Arianæ fautor Hæreseos Meletius: nam cùm Ariani *Ipsum fautorem esse suæ Sectæ, & Doctrinæ socium suspicati*, postulassent a Constantio ut Antiochenæ præficeretur Ecclesiæ; Catholici, *Quoniam sanam illius doctrinam, & probabilem vitæ rationem, & virtutis divitias pro certo cognoscebant, ei deligendo ipsi quoque suffragati sunt: & decretum de ea re edendum, & ei ab omnibus subscribendum, studio quantùm fieri potest maximo curarunt. Quod quidem Decretum tamquam commune quoddam pactum, Eusebio Episcopo Samosateno, egregio & generoso veritatis Athletæ, ab utrisque traditum est asservandum.* Ita refert Theodoretus, lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 31.

Constat insuper Magni Meletii Orthodoxia ex Sermone quem habuit, jubente Constantio, in illa verba Proverbiorum 8. *Dominus condidit me initio viarum suarum ad opera sua.* Quo in Sermone, *Quæ sit recta verbi Dei prædicandi regula ostendit, & ad veritatem velut ad amussim omnia dirigens, nimium & parùm facilè devitavit. Quare cùm ei a multitudine tribueretur permagna laus, & omnes illum orarent, ut brevem quamdam & compendiariam de fide doctrinam ipsis traderet, primùm tres ostendit digitos. Deinde duobus compressis, & uno extenso relicto, istam insignem protulit sententiam: Tria quidem sunt quæ intelliguntur, sed tamquam de uno loquimur. Adversùs hanc doctrinam illi quorum animos morbi Ariani contagio infecerat, cœperunt acuere linguas, calumniam contexere, dicere divinum Meletium Sabellianum esse. Proinde suadent Constantio ut Meletium Patriis sedibus expelleret, quod quidem perficiunt: atque ad ejus locum capessendum deligunt Euzoium egregium Doctrinæ Arianæ patronum.* Hiccine est Meletius hypocrita & hæreticus? Scio Sanctum Epiphanium in hoc Meletii Sermone voces aliquas reprehendere, ut *creandi* vocabulum, quod transfert ad Filii divinitatem. Sed vox ista eo accepta sensu, quo eam usurpavit Meletius a primariis Catholicarum partium Doctoribus ad Filii generationem translata est. Ideòque non est animadversione dignus divini sermo ille Meletii, in quo nec eam vocem disertè damnare audet ipse Epiphanius.

Quæ narravit de Meletio Theodoretus, paulò aliter Sozomenus refert, lib. 4. cap. 27. *Etenim*, inquit, *fama jam illò pervaserat*, (scilicet Antiochiam) *eum doctrinæ Concilii Nicæni approbatorem esse. Quod quidem eventus rei planè declaravit. Nam tametsi principio eo genere concionum quod ad mores informandos pertinet, publicè usebatur: ad extremum tamen Filium ejusdem cum Patre substantiæ esse palam asseruit. Dicitur porrò Archidiaconum illius Cleri, dum adhuc concionaretur, ad eum accurrisse, & manu admotâ ejus os obturasse, eum autem manu multò evidentiùs, quàm voce, sententiam suam populo indicasse. Nam primùm tres tantùm digitos palam, ut omnes viderent, extendisse: Deinde eosdem rursus compressisse, uno solo porrecto. Quâ quidem manûs suæ figurâ, tamquam effigie quadam populo expressit, tum quæ sentiret, tum quæ dicere instituisset. Cùm autem Archidiaconus ore dimisso, manum Meletii prehendisset, Meletius cùm linguam haberet liberam, clariore voce & oratione pleniore suam declaravit opinionem, populumque cohortatus est decretis Concilii Nicæni adhærescere: ingenuèque apud auditores testificatus est, eos qui aliter sentirent, a veritate penitus aberrare. Ubi verò non intermisit eadem ipsa, quantùm poterat, adversùs Archidiaconum, ipsum impedire conantem, modò ore efferre, modò manu vicissim demonstrare: Eustathiani exclamare, gestire, & præ gaudio tripudiare: Ariani autem animos demittere cœperunt.* Hæc autem perspicuè probant, Auctori Tractatûs, qui inscribitur, *Confutatio hypocrisis Meletii*, &c. nullam fidem adhibendam esse.

Denique Meletii & aliorum qui ὁμοούσιον respuebant, ὁμοιούσιον verò Patri Filium profitebantur, ut Basilii Ancyrani, & Silvani Tarsensis Orthodoxia constat ex operâ, quam pro Catholica Fide adversùs Anomæos Filium Patri dissimilem afferentes, navarunt, Juliano Apostata mortuo. Libellum scilicet supplicem Joviano Imperatori obtulere, ut illis Hæreticis, qui in eorum Ecclesias grassante Juliani persecutione irrepserant, exclusis, ipsi iisdem restituerentur. Deinde collatione cum Acacianis habitâ, Meletius eosdem adduxit ut *consubstantialis* Doctrinæ assentirentur, Fidemque Nicænam ratam facerent. Quod edito decreto præstiterunt in Synodo habita Antiochiæ anno 363. quod communi nomine ab illis Imperatori oblatum est.

Æquè errat illius Tractatûs Sancto Athanasio inscripti Auctor in persona Eusebii Samosateni, quem ejusdem hypocrisis & Hæreseos socium facit. Nam ejus Orthodoxia splendidis argumentis comprobatur. Insigne est in primis quod ex Historia Ecclesiastica Theodoreti, lib. 2. cap. 32. eruitur, ubi narrat, quid egerit hic Antistes, cùm Meletio in exilium amandato, commune de illius electione Decretum, quod ejus Fidei concreditum fuerat, urgentibus Arianis, ab ipso repetiit Constantius. Rem gestam sic narrat Theodoretus: *Eusebius ille admirabilis, cui commune de Meletio Decretum commissum fuit, cùm videret pactu violato, ad urbem sibi concreditam abiit. Ariani verò veriti ne decreti illius testimonio planè coarguerentur, persuadent Constantio ut nuntium mitteret, Decretum ab eo petiturum. Imperator ergo eorum impulsu mittit nuntium ad Eusebium, & mandata Imperatoris ei exponit: Eusebius vir sanè nunquam satis laudatus: Non possum, inquit, commune Decretum apud me depositum reddere, nisi omnes qui meæ Fidei illud commiserunt, in unum conveniunt. Quod responsum nuntius refert ad Imperatorem. Ille ardens iracundiâ, nuntium mittit denuò, jubet Decretum reddi: addiditque in literis, se mandasse nuntio, ut nisi redderet illud, dextrum ejus amputaret, cùm tamen hæc ad eum perterrefaciendum solùm scripsisset: Siquidem vetuerat tabellarium illud facere, quod per literas Eusebio minatus fuerat. Simulatque*

que verò divinus ille Vir, resignatis literis, intellexit supplicium, quod Imperator ei iratus fuerat: non dextrum modò, sed lævam etiam extendit, jubetque utramque abscindere. Num Decretum, inquit, *non reddam, quod Arianæ improbitatis tam clarum indicium dat. Itaque Imperator, intellectâ ejus animi magnitudine, & constantiâ, & tum eum plurimùm admiratus est, & postea laudibus efferre non destitit.*

Denique Eusebium Samosatenum ut Martyrem veneratur Ecclesia, quòd a muliere Ariana in odium Catholicæ Fidei, projectâ e tecto tegulâ oppressus, Nicænæ Doctrinam Synodi sanguine suo consignaverit. Ipsum Sanctus Basilius Magnus impensè coluit ut egregium veritatis vindicem, ad ipsumque multas Epistolas dedit.

Ad auctoritatem Sancti Epiphanii respondeo, Ipsum his in rebus minùs accuratum fuisse; & majorem fidem adhibendam esse SS. Athanasio & Hilario, quibus Arianorum Hæresis, & omnes illius Sectæ factiones notiores fuerunt, ut qui sæpe cùm Arianis sint congressi, & adversùs ipsorum errores Catholicam Fidem propugnaverint. Cùm itaque SS. Athanasius & Hilarius eos ut Catholicos agnoverint, quos Sanctus Epiphanius Hæreticos Semi-Arianos vocat, eos Orthodoxos fuisse propugnamus, nec de summa Fidei disceptasse, cùm ὁμοούσιον respuentes, Filium Patri ὁμοιούσιον propugnarunt. Sanè de Eleusio Cyziceno Episcopo inter illos Sancti Epiphanii Semi-Arianos celeberrimo, Sanctus Hilarius, lib. *De Synodis*, ait: *Absque Episcopo Eleusio, & paucis cum eo, ex majori parte Asianæ decem Provinciæ intra quas consisto, verè Deum nesciunt.* Quod illustre est illius Orthodoxiæ testimonium.

Silvanum Tarsensem ex illis etiam Semi-Arianis unum, Fidei Nicænæ vindicem acerrimum fuisse constat ex Theodoreto, lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 27. ubi refert illius, necnon Basilii Ancyrani, & Eustathii Sebasteni contra Aëtium & Eudoxium disputationem & congressum coram Constantio Imperatore, narratque quâ ratione urgente Eudoxio ut Eustathius cum suis verbo ὁμοούσιον anathema diceret, Silvanus reposuit: *Imo voces, ex nihilo, & creatura, & ἑτερούσιον, id est, alterius substantiæ, quæ neque in sacris literis repertæ sunt, neque oraculis Prophetarum, neque Apostolorum Doctrinæ consentientes, rejiciendæ sunt, & ex omnibus divinis conventibus excludendæ. Cui assensit Imperator, & illos his vocibus anathema indicere jussit. Illi etsi primò contradicere instituerunt, postea tamen perspectâ Imperatoris irâ, eas ipsas voces, quas Silvanus ipsis proposuerat, licèt ægrè, penitus ejurarunt. Ac deinceps acriùs instare cœperunt, ut verbum quoque ὁμοούσιον anathemate damnaretur. Cæterùm Silvanus ratiocinatione ritè verèque conclusâ, cùm illis, tum Imperatori respondit: Si Deus Filius, neque ex nihilo, neque creatura, neque ex ulla alia essentia existit; idcirco Deo Patri consubstantialis est, & Deus de Deo, & lumen de lumine, & eamdem habet cum genitore naturam.* Ex quibus constat, Basilium Ancyranum, Silvanum Tarsensem, Meletium Antiochenum, & alios, quos Sanctus Epiphanius invidioso Semi-Arianorum nomine appellat, Catholicè sensisse, nec de summa Fidei disceptasse, cùm Filium Patri ὁμοιούσιον, non vero ἀνόμοιον professi sunt; & ipsos hanc vocem dumtaxat rejecisse secundùm pravos sensus, quorum capax erat, quamvis rem eo vocabulo significatam profiterentur, imo & ipsum vocabulum, seclusâ ambiguitate, vindicarent. Fictitia igitur est Semi-Arianorum Hæresis, si in eo statuatur, quòd suppresso certis de causis nomine ὁμοουσίου, ὁμοιούσιον dumtaxat æterno Patri Filium, id est, *similis substantiæ*, contenderet.

Cæterùm si Semi-Ariani cùm Macedonianis confundantur, ut ipsos Auctores Ecclesiastici nonnumquam confuderunt, Semi-Arianos veri nominis Hæreticos non inficiabor, quorum dogma Sanctus Epiphanius exponit Hæresi 74. *Ab his Semi-Arianis*, inquit, *& ab Orthodoxis monstrum quoddam biformium hominum, ut semiferorum contra nos excitatum est: cujusmodi Centauros, aut Panas, aut Sirenas fabularum artifices nobis ediderunt. Alii quippe ab Ariana disciplina profecti, Filium non absolutè creaturam esse definiunt, sed sine tempore esse genitum. Tempus autem illud in sua opinione statuunt, quod a cælo condito ad hodiernum usque diem effluxit. Sed a priore illa sententia, quam Arius evomuit, nequaquam recedunt; fuisse nimirum tempus cùm nondùm esset Filius. Porrò cùm temporibus omnibus anteriorem illum esse docent, per quem omnia facta sunt: tum de Spiritu Sancto contumeliosè garriunt.*

Sanctus Augustinus, qui Sanctum Epiphanium quoad alia sequitur, *In libro de Hæresibus ad Quodvultdeum*, in eos quos ille Semi-Arianos vocat, propensior videtur, nec ipsos absolutè Hæreticos appellat, sed Macedonianis potiùs hoc nomen tribuendum censet: *Semi-Arianos*, inquit, *Epiphanius dicit, qui similis essentiæ dicunt Patrem & Filium, tamquam non plenos Arianos, quasi Ariani nec similem velint; cùm hoc Eunomiani dicere celebrentur.* Et infra de Macedonianis loquens, hæc habet: *Hos potiùs quidam Semi-Arianos vocant, quòd in hac quæstione ex parte cum illis sint, ex parte nobiscum.*

Denique Concilium Oecumenicum Secundum, in Hæreticorum enumeratione, Semi Arianorum nomine alios a Macedonianis non intelligit. Sic quippe habet Canone 1. *Oportet anathematizari omnem Hæresim, specialiter autem Eunomianorum, sive Anomæorum; & Arianorum, sive Eudoxianorum, & Semi-Arianorum, sive Pneumatomachorum, id est, qui contra Spiritum Sanctum pugnant.*

Sic pariter *Philastrius* Brixiensis Episcopus in suo *De Hæresibus* libro, Semi-Arianos esse docet, qui Filium Deum esse profitentur, unum cum Patre, & Spiritum Sanctum creatis rebus annumerant. *Sulpitius Severus* vim istius vocis ὁμοουσίου assecutus non videtur, nec eorum sententiam intellexisse, qui illam usurpabant. Verbum enim Divinum in creaturarum ordinem istâ voce deprimi censuit, libro 11. Historiæ. *Interea*, inquit, *Ariani non occultè, ut antea, sed palam ac publicè Hæresis piacula interpretantes, quam unius literæ adjectione corruperant, caliginem quamdam injecerunt veritati. Nam ubi ὁμοούσιον erat scriptum, quod unius est substantiæ; illi ὁμοιούσιον quod est similis substantiæ, scriptum esse dicebant; concedentes similitudinem, dum adimerent unitatem; quia multùm ab unitate similitudo distaret, ut verbi gratia, pictura humani corporis esset homini similis, nec tamen haberet hominis veritatem.*

Ad auctoritatem Sancti Hieronymi, respondeo, Ipsum ubique esse in Sanctum Meletium paulò iniquiorem. Vir enim fervidæ indolis, & Paulini partibus, a quo fuerat ordinatus Sacerdos, omnino addictus, falsis rumoribus quos de Magno Meletio spargebat invidia, faciliùs credidit, quia ipsum ut Episcopi sui æmulum aversabatur. Sic falsò de ipso scribit in Chronico, ad annum Christi 361. quòd *Cùm Presbyteros, qui ab Eudoxio antecessore suo depositi fuerant, suscepisset, exilii justissimam caussam subitâ Fidei demutatione delusit.* Constat enim ex Historiæ Ecclesiasticæ certissimis monumentis, Sanctum Meletium ob Fidei caussam in exilium amandatum fuisse. Sed & verisimile est, si quos recepit Clericos ab Eudoxio veritatis hoste professo depositos eos injustè depositos fuisse,

jure

jure verò communioni ac gradibus suis restitutos a Meletio. Falsò etiam scripsit Sanctus Hieronymus; *Synodus Antiochia a Meletio & suis facta, in qua homousio, anomoeque rejecto; medium inter hac homaeasion, Macedonianum dogma vindicarunt*. Nam falsum est *omusion* ad Macedonianum dogma pertinere, ut ex SS. Athanasio & Hilario perspicuè probavimus. Falsum etiam est quod in Synodo Antiochena Meletius & alii ipsi adhærentes Episcopi *vocabulum istud* rejecerint. Imò constat ex Socrate, lib. 3. cap. 25. ipsos Nicænum Symbolum professos esse, & iosetuisse libello quem Joviano Imperatori obtulerunt, & subscriptionibus suis illud approbasse. Sed & in eodem libello hæc habent: *Ne in eorum numero qui doctrinam veritatis adulterare studeat, habeamur: visum est Prudentia tua significare, quòd Fidem sancti Concilii, jam olim Nicæa congregati, & approbemus, & teneamus, quandoquidem vocabulum* Consubstantialis, *quod quibusdam videtur parum rectè in ea positum, est probè a Patribus, commodaque interpretatione explanatum: qua quidem interpretatio ostendit, Filium ex Patris substantia genitum Patri secundùm substantiam similem: & neque Passionem ullam in ejus inexplicabili generatione debere intelligi: neque vocabulum substantia apud Sanctos Patres ad consuetudinem Graci sermonis capi, sed ab illis poni ad evertendum illud pestiferum dogma, Christum scilicet ex nihilo ortum esse, ab Ario impiè introductum: quod etiam isti Anomiani, id est, qui Filium Patri dissimilem statuunt, nuper exorti, multò audaciùs, impudentiùsque, ad Ecclesia concordiam labefactandam asseverant. Quamobrem exemplar Fidei ab Episcopis Nicaa coactis exposita [quam sanè vehementer amplectimur] his literis, quibus autorum nostrorum sententiam tibi declaravimus, subjungere placuit.*

Objicies secundò. Sanctus Basilios Magnus Epistolâ 41. suspectum sibi esse, asseri τὸ ὁμοιούσιον nisi adjunctum habeat hoc vocabulum. ἀπαραλλάκτως, *citra ullam varietatem*. Ergo vox ὁμοιούσιον non exprimit Nicænam Fidem.

Respondeo Sanctum Basilium loqui de hac voce quam Ariani Episcopi partium Acacii Formulæ editæ in Conciliabulo Constantinopolitano inseruerunt: *Deum ex Deo, & similem Patri* definientes: nomen verò τῆς οὐσίας utpote populis ignotum, caussamque scandali, quandoquidem in sacris Literis nusquam legitur, eximendum esse statuerunt. Quæ Fidei Formula refertur a Socrate, lib. 2. cap. 32. Licèt autem τοῦ ὁμοίου adjungeretur κατ' οὐσίαν, significat tamen Sanctus Basilius, illud sibi suspectum esse, quia Arianorum vafritie pravos in sensus inflecti poterat: nisi per hoc verbum ἀπαραλλάκτως coarctaretur ejus significatio. Cæterùm id majorem solùm ad explicationem existimavit necessarium Sanctus Basilios, nec damnavit eos, velut Nicænæ Fidei proditores, qui Filiom Patri ὅμοιον τῆς κατ' οὐσίαν sive ὁμοιούσιον, suppressn quandoque certis de caussis vocabulo ὁμοούσιον, professi essent. Nam & cum Meletio Antiocheno, & cum Eusebio Samosateno fuit semper commuoione conjunctissimmus. Hanc fuisse Sancti Basilii mentem, constat ex serie Epistolæ supra laudatæ. *Si quid ipse sentiam dicendum est*, inquit, *hoc vocabulum, simile secundùm essentiam*, τὸ ὅμοιον κατ' οὐσίαν *si quidem huic dicto adjunctum fuerit* ἀπαραλλάκτως *citrà ullam varietatem: eam ego amplector, proboque vocem, ut quaidem significet quòd* τὸ ὁμοούσιον *id est consubstantiale: quod & Nicani Concilii Patres dixerunt, Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; & qua similia sunt, quibus Unigenitum appellarunt, ac consequenter illud* ὁμοούσιον *induxerunt. Neque igitur aliqua unquàm variatio inter lumen & lumen, neque inter veritatem & veritatem, nec inter Unigeniti essentiam & eam qua est Patris, excogitari potest. Si quisquam, ita ut dixi, acceperit, illius vocem approbo. Si verò quis ab* ὅμοιον *id est similis significatione* ἀπαραλλάκτως non evarians, *abstulerit, quod Constantinopolitana Synodi Episcopi fecerunt, suspectam habeo dictionem illam, utpotè qua gloriam Unigeniti imminuat. Nam & de obscuris plerùmque similitudinibus, & plerùmque ab archetypis distantibus*, ὅμοιον *illud intelligere consuevimus. Quoniam igitur dictionem* ὁμοιούσιον *minùs habere fraudibus puto, ad eum modum & ipse adstipulor.*

Objicies tertiò. Ecclesia Illos Episcopos ut Hæreticos habuit, qui in Formulis Fidei, tacito ὁμοούσιον, Filium uoius cum Patre substantiæ nihilominùs profitebantur: ergo multò magis ut Hereticos habuit, qui *omiusion* dumtaxat, id est, similis substantiæ asserebant.

Probatur antecedens ex Sancto Hilario, libro *De Synodis*, ubi illos Antistites sic alloquitur: *Multi ex vobis, Fratres Charissimi, ita unam substantiam Patris & Filii pradicant, ut videri possint non magis id piè, quàm impiè pradicare. Habet enim hoc verbum in se & Fidei conscientiam, & fraudem paratam. Oro vos, Fratres, adimite suspicionem, secludite occasionem.*

Respondeo. Nego antecedens: Ridiculum est enim comminisci quòd habiti fuerint ut Hæretici qui Latinè dicerent ac profiterentur illud ipsum quod vox ὁμοούσιον Græcè significat; illudque commentum affingere Sancto Hilario, qui eamdem omnino esse vim istius vocis complexæ, *unius substantia*, apud Latinos, ac istius vocabuli ὁμοούσιον apud Græcos agnovit, ut constat ex versione Symboli Nicæni, quod Latinè subjicit ad finem libri *De Synodis*: qua in versione, ea quæ Filii consubstantialitatem spectant, sic exprimit: *Natum, non factum, unius substantia cum Patre, quod Graecè dicunt* ὁμοούσιον. Absurdum rursus est sibi fingere, quòd Sanctus Hilarius eos ut Hæreticos habuerit, de quibus libri sui initio sic loquitur: *Gratulatus sum in Domino, incontaminatos vos & illæsos ab omni contagio detestanda Hareseos perstitisse, vosque comparticipes exilii mei, in quod me Saturninus, ipsam conscientiam suam veritus, circumvento Imperatore detruserat, negatâ ipsi usque in hoc tempus, toto jam triennio communione, fide mihi ac spiritu cohærere, & missam proximè vobis ex Sirmiensi oppido infidelis Fidei impietatem non modò non suscepisse, sed nuntiatam etiam significatamque damnasse, necessarium mihi ac religiosam intellexi; at nunc quasi Episcopus Episcopis mecum in Christo communicantibus, salutaris ac fidelis sermonis colloquia transmitterem: & qui per metam incertorum, conscientia tantùm antea mea, quòd ab his omnibus essem liber, gratulabar, nunc jam communi Fidei nostra integritate gauderem.*

Et infra eosdem sic alloquitur: *Sed inter hæc, o beatos vos in Domino, & gloriosos, qui perfectam atque Apostolicam Fidem conscientia & professione retinentes, conscriptas Fides huc usque nescitis.* Figmentum igitur est quòd illos Episcopos ut Hæræticos habuerit Sanctus Hilarius.

Duo itaque genera personarum Sanctus ille Doctor alloquitur ad finem Libri sui *De Synodis*: Primò Gallicanos Episcopos, ad quos librum istum scribebat; & ad ipsos referuntur hæc verba in objectione laudata: *Multi ex vobis, Fratres charissimi, ita unam substantiam Patris & Filii pradicant, ut videri possint non magis id piè, quàm impiè pradicare*. Secundò sermooem dirigit ad Episcopos Orientis, quos Catholicorum loco & numero habebat, licèt *omiusion* dumtaxat Patri Filium id est, similis substantiæ, non verò, *omousion* id est, unius ejusdemque cùm ipso substantiæ profiterentur: & ad ipsos referuntur hæc verba: *Adimite*

sus-

suspicionem, secludite occasionem: ut probari possit ὁμοιούσιον non improbemus ὁμοούσιον.

Ideò autem Gallicanos Episcopos hortatur Sanctus Hilarius, ut sibi caveant a pravo sensu, in quem inflectebatur eorum Professio ab Arianis, cùm Filium unius cum Patre substantiæ prędicabant, & ut cautè ac diligeoter suam exponant sententiam, quia Ariani Sabellianæ Hæreseos accusabant eos, qui id profitebantur, & hanc passim in Oriente sparserant calumniam contra Gallicanos Episcopos, ut testatur Severus Sulpitius, lib. 2. Historiæ, referens Sancti Hilarii gesta in Concilio Seleuciensi. *Is*, inquit, *ubi Seleuciam venit, magno cum favore exceptus, omnium in se animos & studia converterat: ac primùm quæsitum ab eo, quæ esset Gallorum fides: quia tum Arianis prava de nobis vulgantibus, suspecti ab Orientalibus habebamur, trionymam solitarii Dei unionem, secundùm Sabellium, credidisse: Sed expositâ fide sua, juxtà ea quæ Nicææ erant a Patribus conscripta, Occidentalibus perhibuit testimonium.* Ideò Sanctus Hilarius Gallicanos Episcopos hortatur, ne ita huic vocabulo ὁμοούσιον adhæreant, illud ut negligant exponere, & pravos omnes sensus excludere, quos ipsi affingebant Hæretici. Unde ait, istud vocabulum *habere & Fidei conscientiam, & fraudem paratam.* Habebat enim *Fidei conscientiam* ex parte Catholicorum, qui eo ad fidem suam exprimendam post Nicænos Patres utebantur. Habebat verò *fraudem paratam*, ex parte Hęreticorum qui τὸ ὁμοούσιον professotibus calumniam Sabellianismi impingebant. Hinc postquàm pravos istius vocabuli sensus aperuit, & exclusit, confestim addit: *In his igitur tot tamque gravibus Fidei periculis, verborum brevitas temperanda est, ne impiè dici existimetur, quod piè intelligitur, ne securâ, atque innocente conscientiâ, per occasionem Hæreticorum reus sermo sit. Dicturus unam substantiam Catholicus Patris & Filii, non inde incipiat: neque hoc quasi maximum teneat, tanquam sine hoc vera fides nulla sit. Tutò unam substantiam dicet, cùm ante dixerit: Pater ingenitus est, Filius natus est, subsistit ex Patre, Patri similis est virtute, honore & naturâ. Patri subjectus est ut auctori: nec se per rapinam Deo, cujus in forma manebat, æquavit. Non ex nihilo est, sed natus est. Non est innascibilis, sed contemporalis. Non est Pater, sed ex eo Filius est. Non est portio aliqua, sed totius est. Non est auctor ipse, sed imago est: imago Dei, ex Deo, in Deum natu. Non est creatura, sed Deus est. Non personâ Deus unus est, sed naturâ: quia nihil in se diversum ac dissimile habent natus & generans. Et post hæc, unam substantiam Patris & Filii dicendo, non errat: at unam substantiam negando, jam peccat.*

Et infra: *Ante Nativitas Filii, ante subjectio, ante similitudo naturæ Filii prædicanda est, ut non impiè unius & Pater, & Filius substantiæ prædicetur. Et non intelligo cur ante cætera tamquam maximum & potissimum, & solitarium prædicandum sit; quod nec piè possit ante cætera prædicari; & jam impiè necesse sit post cætera denegari. Non est, Fratres charissimi, una Patris & Filii neganda substantia: Sed ne irrationabiliter prædicanda sit una substantia ex naturæ genitæ proprietate, non sit aut ex portione, aut ex unione, aut ex communione. Potest una substantia impiè dici, & piè taceri. Quid verbi calumniam suspiciosè tenemus, rei intelligentiâ non diffidentes? Credamus & dicamus esse unam substantiam, sed per naturæ proprietatem, non ad significationem impiæ unionis. Unum sit ex similitudine, non ex solitudine.*

SCHOLION.

Ad hanc Dissertationem, pag. 175. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc notam apponuot: *De S. Hieronymo malè loquitur.*

R. *Sanctum Hieronymum* deceptum nusquam fuisse in suo de personis ac rebus judicio, qui dixerit, facilè refelletur vel ex his solùm quæ de *Sancto Meletio* Antiocheno Episcopo scripsit, quibus rectâ lance expensis, rectè respondi (salvâ quæ tanto Doctori debetur reverentiâ) *Ipsum ubique esse in Sanctum Meletium iniquiorem*, &c. Qui Antiocheni Schismatis Historiam, Sancti Hieronymi indolem & characteres noverint, hæc certè censoriâ animadversione digna non judicabunt. Hallucinantur denique qui *Sanctum Hieronymum*, aut alios Sanctos, nihil umquam humani passos esse putant. Cæterùm ante me eadem pene de *Sancto Hieronymo* scripsit *Bollandus* in Actis Sanctorum mensis Februarii, ad diem 12. in Commentario Historico *De S. Meletio Magno Episcopo Antiocheno*, §. 11. n. 17. *Hæc cùm ita se habuerint* (inquit) *mirari meritò quispiam queat, Sanctum ,, Hieronymum in Chronico ita scribere:* Meletius ,, Sebastæ Armenorum Episcopus, ab Acacio & ,, & Georgio Episcopis Arianis Antiochiam trans- ,, fertur, & post non grande temporis interval- ,, lum, cùm Presbyteros qui ab Eudoxio Ante- ,, cessore suo depositi fuerant, suscepisset, exilii ,, justissimam causam subitâ Fidei demutatione ,, delusit... *Hæc aliaque in Meletium conficta ab Arianis, & forsan etiam ab Orthodoxis Paulinianis (a quibus ea Sanctus Hieronymus hauserit, a Paulino Presbyter Ordinatus) colligere ex S. Epiphanio licet, Hæresi 73. Sectione 35. ita scribente:* ,, Sed nonnulli tamen haud scio an odio in eum ,, commoti, an invidiâ perciti, an denique sua ,, ut in majus extollant, quædam de illo parum ,, secundâ famâ vulgavere. Nimirum non ob Ca- ,, tholicam Fidem has in illum turbas esse con- ,, flatas, sed ob Ecclesiastica quædam negotia ac ,, jurgia, quæ inter eum ac Clerum ejus inter- ,, cesserunt: tum quòd nonnullos suscepisset, quos ,, olim rejecerat & anathemate damnaverat. Ve- ,, rùm his non omnino assentimur, præsertim ,, quia in cœtu eorum qui illi adhærent, dein- ,, ceps semper, ut ante dictum, professio rectæ ,, Fidei viguit. Hæc *Sanctus Epiphanius* Idem *Bollandus* §. 5. ubi de Concilio Antiocheno verba fecit: *Quæ de hac Synodo*, inquit, *in Sancti Hieronymi Chronico leguntur, ea ipse vel non scripsit, vel a Paulini Sectatoribus accepit, ac nimis facilè credidit.* Et §. 8. *Antiochia divulsa erat in duas factiones plebs Catholica: Una Meletium sequebatur, ab Arianis quidem simul & Catholicis electum Episcopis atque Ordinatum, sed Catholicæ Fidei causâ jam tertiò proscriptum, & singulari præditum industriâ ad conciliandos Ecclesiæ qui Hæreticis irretiti fraudibus aut adhuc Gentilitiis cæcati erant erroribus. Altera factio, itidem Catholica, Paulino adhærebat, quem Lucifer Calaritanus olim ordinarat, Meletium vel legitimè, ab Arianis licèt, depositum, vel fortassis ipsummet Hæreticum ratus, ut ejus adversarii etiam Sancto Hieronymo persuasisse videntur.* Hæc scribens *Bollandus*, noo existimavit se de *S. Hieronymo* malè loqui, nec ullus ipsum violatæ in Sanctum Doctorem reverentiæ reum egit.

DISSERTATIO XVI.

De Concilii Nicæni subscriptionibus.

ARTICULUS I.

Utrùm Eusebius Nicomediensis, & Theognis Nicænus Symbolo Nicænæ Fidei, & Arii damnationi subscripserint?

SOcrates libro 1. cap. 8. ipsos & tres alios Arianarum partium Episcopos subscripsisse negat; ideòque Eusebium & Theognidem cum Ario fuisse in exilium ab Imperatore amandatos scribit, & paulò post libellum Pœnitentiæ edidisse, & ad præcipuos Episcopos misisse, quo Fidei Nicænæ se consentire significarunt: propterea jussu Imperatoris fuisse ab exilio revocatos, suisque restitutos sedibus, ad quas Amphion & Chrestus, ille in Nicomediensem, hic in Nicænam fuerant post eorum depositionem promoti. En Socratis verba, postquam Nicænum Symbolum descripsit: „ Hanc Fidem approbarunt trecenti decem & octo Episcopi, eique omnes assensi sunt: &, uti scriptum est apud Eusebium, consentientibus animis, opinionibusque, eidem subscripserunt; quinque solùm exceptis, qui hanc vocem ὁμοούσιον, id est, consubstantiale, repudiarunt, Eusebio videlicet Nicomediæ Episcopo, Theognide Nicææ, Mari Calchedonis, Theona Marmaricæ, Secundo Ptolemaidis. Nam ὁμοούσιον esse illud affirmarunt, quod est ex aliquâ re ortum, vel partitione, vel derivatione, vel productione. Productione, ut ex radicibus germen: derivatione, ut liberi ex parentibus: partitione, ut duo, aut tria auri ramenta ex massa aurea. At Filium Dei ad nullum istorum posse referri: & propterea se minimè Fidei illi in Concilio Nicæno confirmatæ velle assentiri dixerunt. Proinde & vocem illam ὁμοούσιον vehementer irriserunt, & abdicationi Arii subscribere noluerunt. Ob quam caussam Concilium non solùm Ario & omnibus opinionis ejus fautoribus anathema denuntiavit: verùm etiam vetuit ne Alexandriam ipse Arius omninò adventaret. Edictum porrò Imperatoris, Arium, Eusebium, & Theognidem in exilium ire mandavit. Unde Eusebius & Theognis, paulò postquam exilio erant multati, libellum quo se facti pœnituisse declararent, ediderunt; fideique de hâc voce ὁμοούσιον constabilitæ consenserunt: sicut deinceps in sermone sequenti ostendemus. *Et cap.* 10. Eusebius verò & Theognis, libellum quo se facti pœnituisse ostenderent, præcipuis Episcopis miserunt: & propterea Imperatoris mandato non modò ab exilio revocati sunt, sed etiam ad Ecclesiarum suarum administrationem restitui: iique qui in ipsorum loca suffecti erant, ab illo dignitatis gradu dimoti: Amphion scilicet ab Eusebio, & Chrestus a Theognide. Cujus libelli exemplar hic subjunximus.

„ Tametsi cùm antea a vestra Sanctitate essemus condemnati, nostrûm fuisset ea, quæ erant a vobis sanctè & religiosè judicata, tacitè & cum silentio tulisse: tamen quoniam absurdum erat ut nos silentio nostro contra nos opinionem aliis afferremus, nos planè calumniatores esse: idcirco vobis significavimus, nos Fidei decisioni consensisse: atque vi & notione verbi *Consubstantialis* diligenter ponderatâ, paci nos totos addixisse, atque nullum errorem secutos esse: Sed tum quò Ecclesiarum securitati proinde consuleretur, quæ in nostram cogitationem venerant, vobis suggessisse: tum quò illos qui nostro Concilio & Sententiæ acquiescere deberent, confirmaremus, Fidei subscripsisse. Anathemati autem Ario a Concilio denuntiato, non ob eam caussam non subscripsisse, quòd fidem illam incusaremus: Sed quòd minimè crederemus eum, qui erat accusatus, hominem ejus generis fuisse, præsertim cùm ex illis, quæ privatim ad nos ab eo tum per epistolas relata erant, tum per ejus sermonem coram habitum declarata, pro certo essemus persuasi, ipsum longè alium esse. Quòd si sanctum vestrum Concilium nostris verbis voluerit fidem adhibere, illa quæ vestro judicio decreta sunt, non contradicendo impugnare, sed consentientibus animis confirmare decrevimus, & libello consensum illum roboramus: non hùc inducti quòd exilium graviter & iniquo animo ferimus: Sed quòd libenter cupimus Hæresis vitare suspicionem. Nam si nos jam in vestrum conspectum venire permiseritis, comperietis nos vestris decretis omninò suffragaturos. Et quoniam vestræ Reverentiæ visum est illum, qui rerum istarum reus agitur, humanitus excipere, & ad vos accersere: est planè a ratione alienum, ut cùm is qui crimine tenetur implicatus, accersitus sit, illisque quæ ipsi objiciuntur, responderit, nos reticendo, nosmetipsos culpæ convincere videamur. Hæc Socratis narratio si vera esset, libellusque Pœnitentiæ Eusebii & Theognidis minimè suppositus, Episcopos illos Nicænæ Professioni, & Arii damnationi non subscripsisse certum esset: ipsos ob hanc in Hæresi & ejus Auctore propugnandis pertinaciam, fuisse in exilium a Constantino ejectos: postea palinodiam recantasse, & Nicænæ Fidei subscripsisse: demum suis restitutos fuisse sedibus, Amphione & Chresto, qui in eorum locum fuerant ordinati, exturbatis. Verùm in hac Socratis Narratione, & in Libello quem profert, multa sunt repugnantia veritati, ut mox sumus demonstraturi.

PROPOSITIO.

EUsebius Nicomediensis, Theognis Nicænus, cæterique Arianarum partium Episcopi, Nicænæ Fidei Symbolo, & Arii damnationi atque abdicationi subscripserunt, Theona Marmarica, & Secundo Ptolemaidis exceptis, quamvis id fictè fraudulenterque præstiterint: ideoque Pœnitentiæ & Retractationis Libellus a Socrate relatus, quo in Communionem & Episcopatus restitui, & ab exilio, quo multati supponuntur ob denegatam subscriptionem, revocari flagitant, apertæ convincitur falsitatis.

Probatur primò ex Sancto Athanasio, in libro *De Synodi Nicænæ decretis*. Pag. 402. *Ita enim*, inquit, *in Nicæna Synodo cum Eusebio, ejusque gregalibus actum est, cùm principio in Hæresi sua contumaces, in Deum bella pugnasque meditarentur. Nam quæ ab illis proferebantur, Hæresis impietate scatebant. Episcopi autem qui convenerant (erant autem illi plus minùs trecenti) placidè & humaniter postulabant, ut suorum dictorum rationes redderent, seque non impios esse demonstrarent. Illi autem vix inceperant hiscere, cùm jam improbarentur, & ipsi quoque inter sese depugnarent, ugnitaque suæ Hæreseos perplexitate, muti prorsus reddebantur, ipsoque silentio suæ opinionis vitia flagitiaque prodebant. Episcopi igitur sublatis Eusebianorum vocabulis, istam Formulam sanæ Fidei conceperunt, omnibusque subscribentibus, subscripserunt & ipsi Eusebiani iis verbis, quæ nunc culpant.*

Lo-

Loquor autem de vocabulis, substantia, & consubstantialitate: approbantes Filium Dei nullo modo factum, aut creaturam esse, sed fœtum; Verbumque ex Patris substantia. Certè nisi subscripsissent Nicænæ Fidei Symbolo Eusebius Nicomediensis, & Theognius Nicænus, ipsis hoc loco Sanctus Athanasius exprobrasset, quòd ob suam in propugnanda Hæresi & ejus auctore pertinaciam ab ipsa Nicæna Synodo fuissent damnati, & exauctorati, nec priùs restituti suis sedibus, quàm supplicem libellum porrexissent, quo recantatâ Palinodiâ, se Sancti Concilii decretis sincerè adhæsuros fuissent polliciti. Damnatio illa Eusebii a tam celebri divinoque cœtu, labes adeò pudenda fuisset in vaferrimo illo Ecclesiæ hoste, eâ ut frontem ejus suffundere minimè Sanctus Athanasius omisisset. Tam solemnis enim retractationis monumentum ad aggravandum ipsius in Arianam Hæresim relapsûs crimen, ejusque perfidiam omnium execrationi proponendam, fuisset accommodatissimum.

Confirmatur ex comparatione eorum quæ de Eusebio Nicomediensi, & ejus Symmistis, mox ex Sancto Athanasio dicta sunt, cum iis quæ de Eusebii Cæsareensis subscriptione ibidem notat, ut rem admiratione dignam. *Quodque majoris admirationis est*, inquit, *Eusebius ex Cæsarea Palestinæ, cùm pridiè abnegasset, in eamdem sententiam tamen postridie subscripsit, quam etiam Ecclesiæ legendam misit, dicens eam esse Ecclesiæ Fidem, & Patrum traditionem; omnibusque manifestò apparuit, eum priùs & temerè errasse, & frustra contra veritatem pugnasse. Nam tametsi eum puduit scriptis errorem fateri, & ut potuit Ecclesiæ se excusavit, in Epistolâ tamen in quâ Dei Filium consubstantialem, & ex substantia Patris existere non inficiatur, clarè se in errore fuisse demonstrat, miserque prorsùs in eo fuit, quòd, ut se purgaret, coactus sit Arianos accusare, quòd illi scriptum reliquissent non fuisse Filium antequam gigneretur, indeque ratiocinari vellent eum ne ante carnis quidem nativitatem extitisse.* Si Sanctus Athanasius velut rem stupendam notavit, Eusebium Cæsareensem solida die Fidei consubstantialitatis repugnasse, & eidem postridie subscripsisse: quomodo velut majoris rem momenti non observasset, Eusebium Nicomediensem adeo in illa impugnanda fide pertinacem fuisse, ut propter hoc depositione & exilio fuerit multatus, & post hæc tamen Palinodiam recantasse, & libellum porrexisse supplicem, quo se eidem Fidei assensum præbere significavit? Cùm itaque id nusquam dixerit Sanctus Athanasius, imò ea dixerit quæ cum hac hypothesi cohærere non possunt, argumento est Eusebium Nicomediensem, & Theognium Nicænum Fidei Nicænæ Symbolo, & abdicationi Arii subscripsisse; adeoque falsum esse quod de illorum contumacia refert Socrates, libellumque Pœnitentiæ retractationis, quem describit, quemque ab ipsis oblatum esse præcipuis Episcopis testatur, supposititium esse.

Probatur secundò ex silentio Sancti Eustathii Antiocheni Patriarchæ, qui cùm e primariis Nicæni Concilii Patribus fuisset, ignorare non poterat Eusebium Nicomediensem damnatum fuisse illo in Concilio propter denegatam pertinaciter subscriptionem, nec sedi fuisse restitutum suæ, nisi post oblationem Libelli supplicis, quem refert Socrates, si ita se res habuisset: nec tanti rem momenti prætermisisset hic Patriarcha, suoque tam accommodatam consilio, quo Eusebii levitatem & hypocrisim notam facere instituerat. Porrò nihil horum habet Sanctus Eustathius: imo potiùs ex ejus verbis, apud Theodoretum, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 8. colligitur Eusebium Nicomediensem & ejus Symmistas Nicænæ Fidei Symbolo in ipso Concilio subscripsisse, fictè quidem, & exilii metu, ut probavit eventus. *Ubi*, inquit, *de Fidei modo quæri captum est, Eusebii blasphemia per suas ipsius literas satis perspicua deprehensa fuit: quæ quidem litera ubi fuere perlecta, sicut auditoribus immensum dolorem propter ejus de Ecclesia decessionem, sic earum Auctori insanabile dedecoris vulnus intulerunt. Ac tametsi jam impia Eusebii officina patefacta erat, & nefaria ejus litera in omnium conspectu discerpta: tamen quidam fraudulenter nomine pacis simulato, omnes qui præclarissimè concionari solebant, silere compulerunt. Qui autem apertè Arii insaniam sectabantur, ii veriti ne auctoritate tanti Concilii in unum coacti, in exilium ejicerentur, procedentes in medium, ipsi vetitum Arii dogma damnant anathemate, & literis de fide omnium consensu compositis suâ manu subscribunt. Verùm ubi Episcopatus hue illucque, quantùm fieri poterat, circumcursando adepti sunt, tùm jam ob errorem suum se acerbè affligtare, & humi abjicere debuissent: opiniones quas damnaverant, primùm ex occulto, deinde palam propagare, variisque argumentis eas fallaciter roborare cœperunt.*

Probatur tertiò ex Epistolâ Synodicâ Concilii Alexandrini ad omnes Ecclesiæ Episcopos scripta anno circiter 339. quam refert Sanctus Athanasius *Apologia* 2. in qua de Eusebio Nicomediensi, & Theognio Nicæno sic loquuntur: *Qui igitur ipse, & Theognius, potuerunt alios deponere, ipsi depositi, & exauctorati, & vitio suæ creationis famosi? Benè siquidem cognitum habetis, Amphionem Nicomedia, Chrestum verò Nicæa, in eorum locum, ob impietatem, & communionem, quam cum Arianis a Nicæno Concilio reprobatis habuerant, Episcopos constitutos esse.* Atqui si depositi fuissent in Concilio Nicæno ob denegatam subscriptionem, illi Episcopi non scripsissent, eos propterea fuisse depositos, quòd cum Arianis in Concilio Nicæno damnatis communicassent. Si verò bis depositi fuissent, semel in Concilio Nicæno, & iterum post Concilium: id ipsis proculdubio exprobassent Concilii Alexandrini Antistites, quorum plurimi Nicænæ Synodo interfuerant. Non fuerunt itaque exauctorati in Concilio Nicæno Eusebius & Theognis; adeoque Symbolo Nicænæ Fidei, & damnationi Arii subscripserunt. Falsum proinde est quod de ipsis Socrates refert, ac Libellus Pœnitentiæ & retractationis eorum quem describit, planè suppositititius in quo se Anathemati lato a Nicænis Patribus, contra Arium, non subscripsisse confitentur.

Probatur quartò ex Sancto Hieronymo in *Dialogo adversùs Luciferianos*, ubi Nicænæ Synodi Acta & Episcoporum subscriptiones laudat, quæ illius temporibus integræ adhuc extabant, ut probet Eusebium & Theognium Nicænæ Fidei subscripsisse. Quærit nempè Luciferianus de Nicæna Synodo loquens: *An tandem & tunc recepti sunt Ariani? Quinam, quæso?* Cui Orthodoxus respondet: *Eusebius Episcopus Nicomediensis, Theognius Episcopus Nicænus; Sarastanc Presbyter Libyæ, Eusebius Episcopus Cæsareæ Palestinæ, & reliqui, quos enumerare longum est.* Rogat rursùs Luciferianus: *Si quispiam eos neget fuisse susceptos, quomodò revincetur?* Orthodoxus respondet: *Supersunt adhuc homines, qui illi Synodo interfuerunt. Et si hoc parum est, quia propter temporis antiquitatem rari admodùm sunt & in omni loco testes adesse non possunt: Legamus Acta & nomina Episcoporum Synodi Nicænæ, & hos quos supra diximus fuisse susceptos, subscripsisse homousion inter cæteros reperiemus.*

Probatur quintò ex Theodoreto, libro 1. Histo-

riæ Ecclesiasticæ, cap.7. „ At qoamquam, *inquit*, maxima pars Concilii verbis ejus obtemperavit, & mutuam concordiam, doctrinamque sanam amplexata est: tamen pauci quidam, quorum supra feci mentionem & præter eos Menophantus Ephesius, Patrophilus Scythopolitanus, Theognius ipsius Nicææ Episcopus, Nareissus Episcopus Nerodiadis, & cùm his unà Theonas Marmaritanus, & Ptolemaidis Ægyptiorum Secundus: Arii patrocinio suseepto, Doctrinæ Apostolicæ contradixerunt. Quin etiam Fidei Furmulam, quam composuerant, Concilio proposuerunt: quæ ut primùm perlecta fuit, quoniam omnes eam adulterinam & spuriam esse vocifetabantur, illicò discerpta est. Ac cùm ingens tumultus esset contra eos concitatus, & omnes eos ut pietatis proditores insimularent, metu percussi exsurrexere, primique ipsi omnes unà, solis Secundo & Theona exceptis, sententiam excommunicationis contra Arium pronuntiavere. Quocirca impio illo ab Ecclesia exturbato, Fidei Formulâ, quæ adhuc in Ecclesiis servatur, communi consensu compositâ, & subscriptionibus omnium confirmatâ, Concilium dimissum est. Falsum est igitur quod Socrates scripsit, Eusebium Nicomediensem, & Theognium Nicænum propterea fuisse exilin damnatos, quòd Nicænæ Fidei Symbolo, & Arii abdicationi subscribere noluissent. Supposititius itaque Libellus est, quem Episcopis obtulisse finguntur, quo Ecclesiis restitui suis, & ab exilio revoeari flagitabant; cùm Libellus ille ipsos Fidei Nicænæ minimè subscripsisse, nec anathemati lato in Arium, significet.

Probatur sextò ex Collatione Catholicorum Episcoporum eum Severianis habita Constantinopoli, sub Pontificatu Joannis II. & Justiniani Imperio. Cùm enim illi Hæretici Calchedonensem Synodum non esse recipiendam contenderent, quia Theodoretum & Ibam, professos Doctrinæ Sancti Cyrilli hostes, velut Orthodoxos admisit: Catholici Antistites responderunt, ipsos a Synodo Calchedonensi priùs non fuisse susceptos, quàm Nestorio anathema dixissent. Reposuerunt Severiani, Theodoretum ficto, simulatoque animo diris devovisse Nestorium, quem intimo pectore gerebat. Quam responsionem Catholici Episcopi his verbis confregerunt: „ Quid ergo? Quoniam Eusebius Nicomediæ, & Theognius Nicææ, & alii qoidam cum ipsis, & in ipso Nicæno Sancto Concilio fictè subscripserunt, & post hæc Arium apertè secuti, Ecclesiam devastarunt, & Sanctos Patres nostros Eustathium Antiochiæ, Athanasium Alexandriæ, & Paulum Constantinopolitanum fugaverunt; propter illos nec Nicænum Concilium debemus suscipere, aut in divinis id Diptychis recitare? Absit. Eusebium igitur Nicomediæ, & Theognium Nicææ, Concilii Nicæni decretis subscripsisse, his Episcopis persuasum erat: proindèque ipsis ignotus erat, aut certè supposititius videbatur Libellus supplex a Socrate relatus, quo sua de pertinacia in deneganda subscriptione cùm Fidei Nicænæ, tum Arii damnationi, veniam rogant, & ab exilio quo fuerant eam ob caussam multati, revocari flagitant, ac in pristinam restitui dignitatem.

Probatur septimò. In libello supplici quem Socrates describit, Eusebius & Theognius ajunt se noluisse anathemati contra Arium dicto in Synodo Nicæna assensum præbere, non quòd ejus dogmata io Concilio damnata approbarent, sed quòd ipsis plenè persuasum esset, Arium ab his, qui proscripti fuerant, erroribus penitus alienum esse: quod ipsius ex Epistolis & sermonibus agnoverant. Porrò nequaquam verisimile est Eusebium & Theognium taot naviter impudentes fuisse ut Arium sic excusarent ac purgarent apud Episcopos, qui ipsum audierant execrandas adeò blasphemias contra Filium Dei, evomentem, suas ut aures obturare coacti essent, & nefariam ejus Hæresim anathemate percellere, ut testatur Sanctus Athanasius *Oratione 1. contra Arianos*, ubi hanc Arii blasphemiam refert: *Cùm omnia fiat ex nihilo, etiam Filius Dei ex nihilo emersit*, &c. Et addit: *Hæc & hujusmodi cùm diceret Arius, Hæreticus declaratus est. Nam & in Nicæno Conventu, omnes quotquot ibi aderant Episcopi, aures suas ad ista verba obturaverunt; omnesque communi suffragio istam Hæresim damnaverunt, & anathemate detestati sunt.*

Idem testantur Nicæni Patres in Epistolâ Synodicâ ad Ecclesiam Alexandrinam, quam describit Socrates, lib.1. cap.6. *Primùm*, inquiunt, *impia & perversa dogmata Arii, eorùmque qui ejus sectam sequuntur, coram sanctissimo Imperatore Constantino perquisita sunt: unde placuit Concilio communibus suffragiis, anathema denuntiare ejus nefariæ opinioni, & verbis sententiisque execrabilibus, quibus usus est ad Filium Dei blasphemiis afficiendum: nimirum eum ex nihilo ortum esse, nec fuisse antequam natus esset: fuisse tempus aliquando cùm non esset*, &c. *Quibus omnibus Sanctum Concilium dicit anathema. Imò verò ne pati quidem potest, ut vel impia ejus opinio vel insolens amentia, vel verba plena blasphemiæ ad aures ipsius perveniant.*

Idem testatur Constantinus Imperator in Epistolâ ad eamdem Ecclesiam Alexandrinam, in quâ de rebus in Synodo Nicæna gestis sic loquitur: *Quanta & quàm execrabilia probra nonnulli in venerandum nostrum Servatorem, in spem & vitam nostram, sceleratè, impièque jecerant, & Scripturis divinitùs inspiratis, fideique sacro-sanctæ contraria, non modò impudenter effutiverunt; sed se ita credere palam confessi sunt.* Quæ Constantini verba Arium præcipuè spectant, de quo postea subjungit: *Nam cùm ampliùs trecenti Episcopi, viri propter animi modestiam, & solertiam admirabiles, unam eamdemque fidem constabilivissent; solus Arius inventus est, qui vi ac fraude diabolica victus, ab eâ penitus desciverit: quique impiâ animi impulsione irritatus, hanc erroris labem primùm apud vos, deinde apud alios sparserit.*

Quæ cùm ita sint, incredibile est Eusebium Nicomediensem & Theognium Nicænum ausos fuisse scribere ad Episcopos, qui Nicænæ Synodo interfuerant, quique impias & blasphemas voces ex ore ipsius Arii audierant, ipsum ab Hæresi quam Nicæna Synodus confixerat, esse prorsus alienum.

Probatur octavò. Libellus Eusebii Nicomediensis & Theognii Nicæni a Socrate descriptus, Arium fuisse in Ecclesiam ab Episcopis susceptum supponit, vel in ipso Concilio Nicæno, vel statim post illud Concilium. Id autem falsum est, ut Articulo sequenti ostendemus: falsus igitur ac supposititius est libellus Pœnitentiæ Eusebii & Theognii a Socrate descriptus.

Objicies. Libellus ille non est rejiciendus ut spurius & supposititius, quem Historiæ Ecclesiasticæ Auctores referunt, & qui aliunde conciliari potest cum cæteris antiquitatis monumentis: Sed libellum Pœnitentiæ & retractationis Eusebii Nicomediensis, & Theognii Nicæni, Historiæ Ecclesiasticæ Auctores referunt, scilicet Socrates, lib.1. cap.10. & Sozomenus, libro 2. cap.15. & aliunde illius libelli veritas cum cæteris antiquitatis monumentis facilè conciliari potest, hoc constituto Systemate, quòd istum Palinodiæ suæ libellum Eusebius & Theognius Episcopis obtulerint, non quidem in ipso Concilio congregatis, sed aliquot annis post Concilium: tribus namque mensibus post Synodum Nicænam in exilium amandatos

tos fuisse ambos illos Antistites Arianos, testis est Philostorgius Historicus Arianarum partium, lib.1. cap.10. & post tres annos ab exilio eos revocatos fuisse, constat ex eodem, lib.2. cap.7. Porrò libellum, quo de agimus, Episcopis obtulerunt hoc fermè elapso triennio. Hoc Systema secutus videtur Sozomenus: *Haud ita diu post Concilium Nicanum*, loquit, *Arius qui ejectus fuerat in exilium, revocatus est: Sed tamen Alexandriam ingredi adhuc prohibitus: at post, utì suo dicetur loco, reditus in Ægyptum ei quorumdam labore ac studio patefactus. Nec multum jam temporis intercesserat, cùm Eusebius Episcopus Nicomedia, Amphione, qui in ejus locum suffectus fuerat, ejecto, & Theognis Nicaa Episcopus, cujus sedem Chrestus obtinuerat, suas Ecclesias recuperarunt. Nam revocati sunt, oblato Episcopis Pœnitentia libello, &c.* illum itaque libellum ut suppostititium rejicere nihil cogit.

Respondeo. Distinguo primam partem Majoris: Libellus ille non est rejiciendus ut spurius, quem Ecclesiasticæ Scriptores Historiæ referunt; nisi repugnet certioribus Ecclesiasticæ Historiæ monumentis, concedo; si certioribus monumentis repugnet, nego. Porrò libellus palinodiæ Eusebii Nicomediensis, & Theognii Nicæni, quem referunt Socrates, & exscriptor perpetuus Socratis Sozomenus, repugnat antiquioribus & certioribus monumentis, nimirum Sancto Athanasio, lib. *De Nicaena Synodi decretis*, Sancto Eustathio Antiocheno Patriarchæ, trecentorum decem & octo Patrum spectatissimo; Epistolæ Synodicæ Concilii Alexandrini ad Sancti Athanasii defendendam innocentiam, ad universos Episcopos scriptæ; Sancto Hieronymo, *In Dialogo adversùs Luciferianos*, & Episcopis Catholicis Constantinopoli cum Severianis conferentibus.

Nego præterea secundam partem minoris. Nam & illud Systema gravissima habet incommoda. Enim verò si Eusebius & Theognis Nicænæ Fidei suo libello prębentes assensum, ea tantùm referunt quæ Nicæna in Synodo præstiterant; non erat hæc vel in speciem legitima ratio, cur ab exilio revocari flagitarent, quo damnari tantùm fuerant post Concilium & propter novam perfidiam, novaque crimina. Secundò; hoc etiam posito Systemate, dicendum est, ipsos anathemati Arii Nicæna in Synodo non subscripsisse: id siquidem hoc in Libello fatentur. At Theodoretus Auctor accuratissimus ipsos illius Hæretici anathemati & abdicationi subscripsisse testatur. Et certè cùm Arii adeo perspicua esset impietas, adeò notæ blasphemiæ, nullam veri speciem habet, quòd sacra Synodus cum ipsis, quos Hæreseos defensio, & Arii patrocinium tam meritò suspectos fecerat, hac de subscriptione dispensaverit. Diret fortasse quispiam, Ipsos novum Nicænæ Fidei assensum, dato Libello, præbere; quia subscriptionem in Concilio Nicæno factam posteriore perfidià resciderant. Sed si res ita se habuisset, quod tamen creditu difficile est, id hoc in Libello exprimere debuissent, & majorem in secunda illa subscriptione tenenda fidem atque constantiam polliceri. At ne levissimum quidem hâc de re verbulum habet laudatus eorum Libellus. Denique ex hujus Libelli tenore colligitur, Episcopos Arium ad purgationem admisisse, & communioni solemni ritu restituisse: quod nec ipsi Eusebiani fecerunt ante annum 335. multò post revocationem Eusebii & Theognii ab exilio.

ARTICULUS II.

Utrùm Arius a Nicæna Synodo susceptus fuerit, & communione donatus.

PROPOSITIO.

ARius a Nicæna Synodo susceptus non est; sed miserè semper contritus jacuit extra Ecclesiam.

Probatur primò ex Epistolâ Synodicâ Nicænorum Patrum ad Ecclesiam Alexandrinam: *Primùm*, inquiunt, *impia & perversa dogmata Arii, eorumque qui ejus sectam sequuntur, coram religiosissimo Imperatore nostro perquisita sunt: unde placuit Concilio communibus suffragiis anathema denuntiare nefaria ejus opinioni, verbis, sententiisque execrabilibus quibus usus est ad Filium Dei blasphemiis afficiendum...... Quin etiam ea, qua ad istum pertinent, quem sint exitum consecuta, omnino vos vel audivistis, vel saltem a nobis audietis: ne nos hominem qui debitam mercedem sua culpa acceperit, temerè & sine caussa insectari videamur. Eousque certè ejus prorupit impietas, ut Theonam Marmaricæ Episcopum, & Secundum Ptolemaidis ad exitium secum perduceret. Nam easdem cum illo pœnas ipsi luerunt. Verùm cùm Ægyptus non modò illâ opinionis perversitate, impietate, & blasphemia, sed etiam certis hominibus, qui in populo vitam ante illud tempus pacatè & tranquillè degentes, seditionem & discordiam concitare non veriti essent, Dei gratiâ penitùs liberata esset: tamen adhuc pertinax insolentia tum Meletii, tum eorum, quibus honores Ecclesiasticos detulerat, restabat.*

Respondent aliqui, Hanc Epistolam scriptam esse, cùm Arius revera anathemate perculsus esset a Synodo, sed postea humaniùs cum illo actum esse, & diri illius anathematis fuisse vinculis solutum: Sed stare hæc responsio non potest: quia ex istius lectione Epistolæ constat, illam conscriptam non esse, nisi postquam ad exitum perducta Synodus est, omniaque ejus condita decreta. Siquidem concredita est Sancto Alexandro suam ad Ecclesiam redeunti: cui & commissa est cura omnes Ægypti Ecclesias de gestis Concilii faciendi certiores. Sed quamvis nondùm finita Synodo illa Epistola conscripta esset, si eo temporis intervallo, quod illius scriptionem inter & Concilii finem intercessit, anathemate solutus fuisset Arius, & Ecclesiæ conciliatus, ineptum est fingere, quòd Sacra Synodus hanc Epistolam reformatura non esset, ne universis Ægypti imponeret Ecclesiis, ad quas illam dirigebat. Imposuisset autem, si de Presbytero, & duobus Episcopis velut anathemate multatis, & extra Ecclesiam pulsis, ad illas scripsisset, qui cùm data est Epistola, communione & pace cum Ecclesia potiti essent.

Probatur secundò ex Epistolâ Synodi Alexandrinæ ad universos orbis Episcopos: *Qui igitur inquiunt* Ægyptii Antistites Ipsi (Eusebius & Theognius) *potuerunt alios deponere, ipsi depositi, & exauctorati, & vitio sua creationis famosi? Benè siquidem cognitum habetis, Amphionem Nicomedia, Chrestum verò Nicaa, in eorum locum, ob impietatem & communionem, quam cum Arianis a Nicæno Concilio reprobatis habuerunt, Episcopos constitutos esse.* Porrò si Arius ipse a Nicæna Synodo susceptus esset, non fuissent rei impietatis Eusebius & Theognius propter initam cum Ario, ejusque sectatoribus communionem.

Probatur tertiò ex Sancto Athanasio, Apologia 2. *Interim*, inquit, *dum hac ageret Meletius, etiam Ariana Haresis emersit. Caterùm ea in Synodo anathemate damnata est, Arianique rejecti sunt.* At quanam ratione Ariani rejecti dicerentur, si Arius ipse

ipse Auctor Hæreseos. omniumque fons & caussa malorum susceptus fuisset? Confirmatur ex iis quæ ibidem scribit Sanctus Athanasios. *Eusebius igitur propugnator Arianæ Hæreseos, recognita, ad illos* (Meletianos) *literas dat, magnisque promissis societatem & amicitiam cum illis, sibique invicem rebus agendis tempus constituunt. Quapropter primùm ad nos literas hortatorias scribit de Ario recipiendo, sed ita ut sine scripto minaretur, scriptis autem speciem rogantis præ se ferret. Verùm ubi responsum esset, Hæreseos inventores veritati infestos, & damnatos ab universi orbis Concilio minimè recipiendos esse, Cæsarem beatæ memoriæ Constantinum induxit, ut mihi cum minis scriberet, Ea nos expectare debere, quæ & nunc & antea passi sumus, nisi Arium reciperemus.* Certè Sanctus Athanasius non potuisset adducere anathema contra Arium Nicæna in Synodo prolatum velut legitimam rationem, qua ab illo suscipiendo prohiberetur, si ab ipsa Synodo fuisset eo anathemate solutus & Ecclesiæ conciliatus.

Probatur quartò. Si Arius a Nicæna Synodo susceptus fuisset, nusquam postea fuisset extra Ecclesiam: aot aliqua proferenda esset Synodus, aliquodve Judicium Ecclesiasticum, a quo fuisset post Nicænum Conciliom de Ecclesia expulsus. At nec ullum hojusmodi Judicium Ecclesiasticum proferri potest: nec ostendi Arium extra Ecclesiam non fuisse toto tempnris intervallo, quod Nicænam Synodum inter & Hierosolymitanam intercessit, id est ab anno 325. ad annum 335. quo ab Eusebianis communioni restitutus est: antea enim extra Ecclesiæ communionem fuisse Arium, constat ex Epistolâ Synodicâ Concilii Hierosolymitani, quæ sic habet: *Majorem nobis lætitiam literæ ejusdem religiosissimi Imperatoris præbuerunt, quibus nos ad ea, quæ oportuit instigaus, omnem invidiam ab Ecclesia Dei expellit, & omne odium procul abigit, per qua Christi membra jampridem dissidebant, auctorque fuit ut simplici & placido animo Arianos reciperemus, quos aliquamdiu improba invidentia extra Ecclesiam detinuit.*

Et infra: *Credimusque vobis ipsis, veluti propria membra vestri corporis recuperantibus, magnum ex ea re gaudium lætitiamque obventuram, dum ipsi viscera vestra, Fratres scilicet & Patres agnoscitis, & recipitis, non solùm Presbyteris Arianis, sed universo populo, cum omni multitudine vobis restituto, quæ ob caussam istorum virorum, longo jam pridem tempore a vobis dissidebat: Decetque vos, cognitis, quæ hîc acta sunt, quodque isti viri nobiscum communicaverunt, & a tanta Synodo recepti sunt, quàm promptissimè eos, ut membra Ecclesiæ sveant, & in pace sint, consalutare.*

Certum itaque est ante Hierosolymitani Concilii tempora, ne ipsis quidem Eusebianis communione conjunctum fuisse Arium, licèt furtivam & clandestinam cum eo communionem foverent. Porrò nihil iosos prohibere poterat ab Ario suscipiendo, si Judicio aliquo Ecclesiastico fuisset in communionem & gradum pristinum restitutus. Igitur postquam anathemate percuitus est a Patribus Nicænis, jacuit deinceps extra Ecclesiam diris omnibus devotus. Hinc Sanctus Athanasius in libro *De Synodis*, ubi descripsit Synodicam Hierosolymitani Conciliabuli Epistolam, de Eusebianis sic loquitur: *Eo ipso quòd dicerent, depulsam esse omnem invidiam: & quia post Athanasii exilium scribebant, Arium sum suis recipiendum esse, satis indicarunt, sese non alia de caussa Athanasio, cæterisque Episcopis, quos sibi refragatores sentiebant, insidias struxisse, quàm ut Arium reducerent, & Hæresim introducerent.*

Objicies auctoritatem Sancti Hieronymi in *Dialogo contra Luciferianos*, ubi quærenti Luciferiano, *An tandem in Synodo Nicæna recepti sint Ariani? & quinam?* sic respondentem inducit Orthodoxum: *Eusebius Episcopus Nicomediensis, Theognius Nicænus, Sarus tunc Presbyter Lybiæ, Eusebius Episcopus Cæsareæ; & reliqui, quos enumerare longum est: ipse quoque caput horum & caussa malorum, Arius Presbyter, & Euzoius Diaconus, qui post Eudoxium Antiochenus Episcopus fuit, & Achillas Lector. Hi quippe tres Alexandrinæ Ecclesiæ Clerici, auctores hujus Hæreseos extiterunt.* Et illos fuisse susceptos probat ex Actis ipsis Nicænæ Synodi.

Respondeo, Majoris esse hâc in controversia ponderis auctoritatem Sancti Athanasii, quàm Sancti Hieronymi: quippè cùm Sanctus Athanasius Nicæno Concilio interfuerit, & Acta ejus penes se habuerit sinceriora. Verisimile autem est Sanctum Hieronymum similitudine deceptum nominis, Arium Hæresiarcham altero com Ario Hæreseos ejusdem sectatore, & Alexandriæ pariter Presbytero confudisse, cujus Sanctus Epiphanius *Hæresi* 69. & S. Alexander apud Socratem, lib. 1. cap. 3. meminerunt: Ille autem Arius cognominis Heresiarchæ discipulus & sectator, Nicæno forsan Concilio subscripsit.

Non probat autem ex Actis Nicænæ Synodi Sanctus Hieronymus, Arium susceptum fuisse, sed solùm Eusebium otrumque & Theognium, quorum nomina cum aliorum Episcoporum, qui Concilio subscripserant, nominibus legebat. *Legamus*, inquit, *Acta & nomina Episcoporum Synodi Nicænæ; & hos, quos supra diximus fuisse susceptos, subscripsisse Homoæsion inter cæteros reperiemus.* Quoad Arium autem, aliorom credidit relationi, quos fallere potuerat memoria. Denique præter laudata monumenta, Sanctum Epiphanium & Theodoretom Sancto Hieronymo opponimus.

Obiicies testimonium Ruffini, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 11. ubi ait Constantinum ad Episcopos in Synodo Hierosolymitana congregatns, de Ario scripsisse, *Ut si expositionem Fidei ejus probarent, & eum, vel per invidiam (ut asserebat) tunc circumventum dignoscerent; vel nunc ab errore correctum, clementi erga ipsum Judicio uterentur: quandoquidem tanta fuerit Concilii moderatio, ut non in personam ejus, sed in dogmatum pravitatem fuerit lata sententia.*

Respondeo, Ruffinum parum accuratum auctorem esse, in multis minimâ, hac in re nullâ fide dignum. præsertim cùm ea in narratione contra Historiæ leges graviter peccet. Ait enim Constantinum scripsisse ad Episcopos Hierosolymitanæ Synodi, Arium ut reciperent: *Si tamen & Episcopi ejus Alexandri accomodaretur assensus.* At istud certò certiùs falsum est; annis enim antea multis S. Alexander Patriarchà Alexandrinus ad feliciorem vitam migraverat, anno scilicet ipso 325. exeunte, aut ineunte 326. Præterea, si Constantinus ad Synodum Hierosolymitanam ea scripsisset, quæ ipsi Ruffinus affingit, nimirum Nicænam Synodum Arii nomini & personæ pepercisse, id non præteriissent silentio illius Conciliabuli Episcopi, qoi studiis omnibus Ario patrocinabantur. At hac de re altissimum est in eorum Synodica silentium. Denique secum ipse pognat Ruffinus. Libro enim 1. cap. 3. Arium ex Ecclesia pulsum a Nicæna Synodo, nec deinceps ab eadem susceptum, non obscurè significat. *Decem & septem*, inquit, *soli tunc fuisse dicuntur, quibus Arii fides magis placeret, extrinsecùs creatum Dei Filium ex nullis extantibus, & non ex ipsa Patris deitate progenitum, confirmantes. Defertur ad Constantinum Sacerdotalis Concilii sententia. Ille tanquàm a Deo prolatam veneratur. Cui, si quis tentasset obniti, velut contra divina*

sta-

ſtututa venientem, in exilium ſe proteſtutur aſtnrum. Sex igitur ſoli enm Ario ſe patiuntur expelli: reliqui verò uudecim, conſilio iuter ſe hubito, ucquieſcunt ad ſubſcribendum manu ſolâ, non mento. Cujus ſimulationis Auſtor pracipuè extitit Nicomedia Epiſcopus Euſebius.

DISSERTATIO XVII.

De Fide Euſebii Cæſareenſis.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm Euſebius Caſareenſis, poſt Nicanum etiam Concilium Arianus fuerit?

ARio faviſſe Euſebium Cæſareenſem, nemo non fatetur. Id enim evidenter oſtendunt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta. Is nempe Arium recèns exortum, unà cum Euſebio Nicomedienſi, ſtudio & favore complexus eſt, ut conſtat ex ipſius Arii Epiſtolâ ad Nicomedienſem illum Antiſtitem datâ, quam refert Sanctus Epiphanius *Hæreſi* 69. Conſtat etiam ex impetu quo primùm reſtitit Nicænæ Fidei Formulæ, & voci Conſubſtantialis, quamvis ei poſtridie ſubſcripſerit, ut Sanctus Athanaſius teſtatur, lib. *De Synodi Nicæna decretis*. Conſtat etiam ex eo quòd, ſoluto Nicæno Concilio, perenni amicitiæ fœdere cum Ario & Arianis fuerit conjunctus, paribuſque com eis ſtudiis adversùs Sanctum Athanaſium pugnaverit. Hic Tyrio adversùs Sanctum illum Antiſtitem, & egregium vindicem Nicænæ Fidei Conciliabulo præfuit, teſte Sancto Epiphanio *Hæreſi* 68. qoa in Synodo S. Potamon Heracleæ Epiſcopus & inſignis Confeſſor, ipſi apoſtaſiam a fide exprobravit, cùm ſedens ipſe ut judex, Sanctum Athanaſium ſtare pateretur. Adſuit etiam Antiocheno Conciliabulo, ſtructarumque in magnum Euſtathium Antiochiæ Antiſtitem inſidiarum conſcius fuit & particeps; in quem a conducta meretricula adulterii accuſatum, unà com aliis Epiſcopis Arianis, iniquiſſimam tulit abdicationis ſententiam. Non quærimus igitur impræſentiarum utrùm Euſebius Arianis partibus faverit, utrùm Arii perſonæ fuerit patrocinatus, utrùm communione conſiliorom Arianis fuerit Epiſcopis conjunctus. De hoc enim ambigere novi neminem. Sed quærimus utrùm Arianus fuerit ipſe, & Arii errorem, poſt Nicænam etiam Synodum propugnaverit.

PROPOSITIO

EUſebius Cæſareenſis Epiſcopus, non Arianarum dumtaxat partium ſtudio, ſed occultâ in Hæreſeos aſſertionem conſpiratione, jure dictus eſt Arianorum Princeps.

Duplici argumentorum genere noſtra Propoſitio probari poteſt. Primò argumentis intrinſecis ex ipſius Eoſebii libris petitis: ſecundò argumentis extrinſecis, petitis ex teſtimoniis Veterum, qui ipſum Arianos inter numerarunt.

Euſebii Arianiſmus intrinſecis argumentis probatur.

Primò itaque probatur aſſertio ex Euſebii Operibus, in quibus Arianæ patrocinatur hæreſi. Ille Arianæ Hæreſis tinctus fuligine eſt, qui triplicem diſtinxit divinitatis gradum, quorum alius ſit alio præſtantior, quemadmodum Solis, Lunæ, & cœli ſuperioris, inæqualis eſt perfectio: & qui ſolum Patrem ſupremum Deum agnoſcit, Filio ſecundas deſert, Spiritui verò Sancto tertium tribuit gradum. Sed Euſebius Cæſareenſis triplicem hoc pacto divinitatis gradum diſtinguit, ſolum Patrem agnoſcit ſupremum Deum, Filium deprimit infra Patrem, ſicut ſolem infra ſupremum cœlom, Spiritum Sanctum infra Filium, ſicut Lunam infra ſolem. Arianam igitur propugnavit Hæreſim Euſebius Cæſareenſis.

Probatur minor ex libro 7. *Præparationis Evangelicæ*, cap. 15. quod inſcribitur: *De creaturarum ratione præditarum productione;* quarum in ordinem Filium redigit, ſimilem dumtaxat aliarum creaturarum eſſe negans. Poſtquam autem præmiſit Verbum divinum *Longè multùmque rebus, qua ſatu poſtea ſunt, omnibus antecellere: quamobrem illud modò Dei imaginem, modò Dei potentiam, modò Dei ſapientiam, modò Dei Verbum, imò & ſummum Domini exercitus Imperatorem, & magni Conſilii Angelum appellare ſolet:* continuò ſubjungit: *Jam qua Principium illud conſequantur ſpiritales intelligenteſque naturas, vel ob earum multitudinem, vel ob forma varium multiplexque diſcrimen; humanam orationem aſſequi non poſſe, niſi quantùm exemplis quibuſdam conjicere licet, ex eorum qua videntur, hoc eſt, Solis, Luna, ſiderum, ipſiuſque cœli, quod ambitu ſuo cuncta complectitur, analogiâ & comparatione depromptis. Alia enim eſt claritas Solis, alia Luna, alia ſtellarum, [inquit divinus Apoſtolus.] Stella enim a ſtella differt in gloria. Nobis igitur ſimili utcumque modo de incorporearum illarum intelligentiumque naturarum ordine ſentiendum: ut vis quidem illa immenſa Dei prapotentis omnique oratione major, confertim ac ſimul univerſa comprehendat: tum Patrem conſequatur Verbi Divini potentia, qua reliqua pariter & molitur, & illuſtret, quam ob cauſſam Lux vera, & juſtitia Sol ab Hebrais nominari conſueverit. Deinde poſt ſecundam illam naturam, Luna quaſi loco Spiritus Sancti natura ſuccedat...... Porrò ſic ille tertium locum obtinens, divinorum, quibus abundant facultatum, atque virtutum, rebus humilioribus copiam facit, ut ipſe viciſſim ab altero quodam, hoc eſt, a Deo Verbo, ſuas opes accipiat, quem ſecundum a ſumma illa Dei prapotentis, ortuque carente naturâ poſuimus.*

Addit, *Supremum illud principium*, ſcilicet Patrem, *omnia qua in ſeſe continet, cum primo tantùm ſatu communicare, quòd is ſolus paternorum bonorum abundantiam capere ac ſuſtinere poſſit. At verò naturis aliis ſingularibus, pro eo ac ferre ſingula poſſunt ſingulares etiam diſtinctaſque particulas, ſecundi principii tamquam interpretis ac ſequeſtris operâ dividere: ſic tamen ut ſummè ſuncta illi qui tertius ab ipſo numeratur, Filii manibus largiatur.* Denique Filium & Spiritum Sanctum inter ſubſtantias intelligibiles recenſet, quæ Deo laudes concinunt. *Poſtremò*, inquit, *ſimul univerſa cohortatur; ut cum eodem Filio, Sanctoque Spiritu, ſpiritales quoque & ratione praditi animantes, quacumque pariter in cœlo viſuntur, ipſumque adeo cælum, quaque ambitu ſuo comprehenſa tenet omnia, prapotenti uni Deo, ſummoque rerum omnium Regi, ac principi, cunctorumque principio, tamquam molitori, architecto, moderatori, ac Servatori univerſorum, convenientem hymnum, & promptum vera ex Theologia carmen conjunctis vocibus moduletur, his verbis: Laudate Deum de calis*, &c.

Probatur ſecundò. Qui aſſerit Filium exiſtere poſt Patrem, Arianus eſt: atqui Euſebius Cæſareenſis aſſeruit Filium exiſtere poſt Patrem: Arianus itaque fuit.

Probatur minor ex libro 4. *Demonſtrationis Evangelicæ*, cap. 3. ubi probat unicum eſſe Filium, non verò plures ſupremi illius ac ſingularis Dei, quemadmodum una lucis ſubſtantia unum ex ſe-

pro-

se profundit splendorem: cum hoc tamen discrimine, *Quòd a sensibili quidem lumine splendor separari non potest: Filius autem seorsum a Patre per seipsum subsistit. Et luminis quidem splendor efficientia locum obtinet. Filius verò aliud quiddam ab efficientia est diversum, cùm per se substantiam habeat. Rursus splendor simul existit cum luce; hanc enim ille complet. Nam sine splendore lux consistere non potest. Unde simul cum illo, & per illud subsistit. At verò Pater priùs quàm Filius, & ante generationem ejus subsistit; quatenus solus erat ingenitus. Ad hæc splendor non ex proposito & voluntate luminis splendet, sed secundùm inseparabile quoddam substantiæ accidens: Filius verò ex consilio & arbitrio imago Patris prodiit. Etenim volens Deus Pater fuit Filii, ac secundum lumen per omnia Filii, simile produxit.*

Nec dici potest Eusebium solùm existimasse Filium esse posteriorem Patre, origine, non naturâ, ut Theologi loquuntur. Certum namque est lumen solis, quod in exemplum assumit, priùs esse splendore non origine tantùm, sed naturâ. Nec tamen istud exemplum Eusebio satis est. Id constituit insuper inter lucem & splendorem, & inter Patrem ac Filium, discriminis, quòd splendor simul existit cum lumine: Pater verò priùs existit quàm Filius. Non igitur origine dumtaxat, sed naturâ posteriorem Patre Filium existimavit.

Probatur tertiò. Ille Arianæ Hæresi patrocinatur, qui iisdem loquendi formulis utitur, quas Ariani de Filio Dei loquentes usurpabant: Sed Eusebius Cæsareensis iisdem loquendi formulis utitur, quas Ariani de Filio Dei loquentes usurpabant. Libro enim 4. *Demonstrationis Evangelicæ*, cap.2. Filium Dei vocat, Patris δημιούργημα id est, *Opificium*. Lib 5. cap.1. vocat ipsum *secundam caussam*, & cap.6. δεύτερον κύριον *secundum Dominum*, & cap.6. Patrem propriè esse dicit *Universorum Deum primum, & verè Dominum tam ipsius Unigeniti sui Verbi, quàm eorum omnium, quæ post illud genita sunt, in quæ secundo loco dominatum, ac jus herile a Patre nactum Dei Verbum tamquam germanus Filius & unigenitus, secundus meritò & ipse Dominus piè nominatur.*

Et cap.11. Præstantiorem quidem Filium esse omni Angelicâ naturâ profitetur, *inferiorem autem primâ caussâ*. Et in Præfatione libri 6. vocat Filium *alteram præter Patrem essentiam* δευτέρας δὲ μετ' αὐτὸν οὐσίας. Et administrum Patris, τοῦ πατρὸς ὑπουργόν. Quæ loquendi Formulæ Arianismum apertè olent, nec spectato Eusebii ingenio & moribus exponi possunt Orthodoxo sensu, quicquid dicant illius defensores.

Probatur quartò. Qui Filium, quà Verbum est, non autem secundùm naturam assumptam dumtaxat, inferiorem Patrem, & paternis imperiis servientem asseruit, Arianam propugnavit Hæresim: atqui Eusebius Filium quà Verbum est Patris, non autem secundùm naturam assumptam dumtaxat Patre inferiorem, & paternis imperiis servientem asseruit: Arianam igitur Hæresim propugnavit.

Probatur minor ex lib.1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.2. obi ait, *Moysem induxisse Patrem & fabricatorem, ut summum moderatorem, nutu suo regio de rerum creatione præcepta tradentem: Verbum autem Dei ab ipso secundum, paternis præceptis obtemperans.*

Probator quintò ex maligno ejusdem Auctoris silentio in Historia Ecclesiastica, quam ad Nicænum usque Concilium perducere noluit, quamvis illustrius argumentum vix proponere sibi posset. Quid verò suspectum magis & Christiana atque Episcopali sinceritate magis indignum, quàm ejus Historiam Nicænæ Synodi tractandi modus in libris *De Vita Constantini*. Cùm enim duas potissimùm ob caussas Nicænum Concilium congregatum esset: Primò ad Filii Dei Consubstantialitatem cum Patre contra Arii pestiferam Hæresim asserendam; secundò ad uniformem per omnes orbis Ecclesias Paschalis Festivitatis celebrationem sanciendam: Eusebius de controversia quæ dogma spectabat, & summam Fidei, ne verbum quidem habet, licèt ampla se offerret hinc laudandi Constantini seges: & de Quæstione dumtaxat celebrationem Paschatis spectante loquitur. (*lib.3. De Vita Constantini, cap.5.*)

Probatur sextò. Qui Filium Dei, quà verbum est Patris, mediatorem esse asseruit inter Deum & Angelos, ideoque non esse Deum, quia mediator diversus a Deo esse debet, ille Hæresim Arianam propugnavit: atqui id asseruit Eusebius, Arianam itaque Hæresim propugnavit.

Probatur minor ex libro 1. adversùs Marcellum, cap.1. ubi exponit illa verba Apostoli ad Galatas 3. *Quid igitur? lex propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat: ordinata per Angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est: Deus autem unus est:* eumque locum cum altero ejusdem Apostoli comparat 1. ad Timotheum 2. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Et in ista loca sic differit: *Quem Dei atque hominum appellat mediatorem, hominem esse nec immeritò declaravit, propter Incarnationem; ubi mediatorem dixit, non Dei & hominum, sed Dei & Angelorum, non illum tunc hominem consignavit, sed simpliciter mediatorem. Legem, inquiens, per Angelos ordinatam in manu Mediatoris. Sed & nomen ipsum Mediatoris illustrius reddit per distinctionem, ubi ait: Mediator autem unius non est: Deus autem unus est. Non est ergo Deus Mediator. Nam cujus tandem esset mediator? Neque ipse ille qui mediator est, eò ipso Deus est. Nam unius non est mediator idem, cùm medius inter duos interponatur. Quorum verò existat mediator, docet, dum de nomine Angelos appellat & Deum. Quorum medium intervenientem Dei Filium, suis manibus a Patre recepisse legem docet, & per Angelorum ministeriam populo communicasse. Erat igitur Filius, priusquam fieret Dei mediator & hominum, Mediator Dei & Angelorum.*

Et paulò post: *Non est ergo existimandum, hunc esse Deum illum, qui est supra omnia Deus: nedum de numero Angelorum aliquem: sed medium utrorumque & Mediatorem; quippè cùm inter Patrem suum & Angelos intercedat medius.*

Probatur septimò. Qui respondens illis qui plures Deos constitui dicebant, si Filius Dei nominaretur Deus, & esset distinctus a Patre, id consequens esse negat, quia solus Pater supremus est omnium Deus, adeòque Verbi ipsius & Filii, qui ipsi subjectus est; is Arianam Hæresim tuetur: sed ita differit Eusebius: Arianam igitur Hæresim propugnavit.

Probatur minor ex lib.1. *De Ecclesiastica Theologia contra Marcellum*, capite 11. *Sciant*, inquit, *quòd licèt Filium profiteamur Deum, unus tamen nostrâ sententiâ Deus sit: ille nimirum qui solus principio caret, qui ingenitus, qui propriam a se possidet divinitatem, qui ipsi insuper Filio existendi caussam, & taliter existendi dedit. Quam ob caussam nostrum ille Deum esse docet Patrem, atque suum Deum*, &c.

Similia ferè habet libro 2. cap.7. *Neque necesse*, inquit, *eum duos Deos fateri, qui duas admiserit hypostases, nam neque illas honore pares ponimus, neque ambas principio carentes*, &c. *Quamobrem & ipse Filius Deum suum docet esse Patrem suum, in quibus ait; Vado ad Patrem meum, &*

Pa-

Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum, Deus certè & Pater ipsius quoque Filii Deus esse docetur. Quocirca unus Deus apud Ecclesiam praedicatur, Filii Pater .... Honorat, adorat, & veneratur suum Patrem, Deum eum, & ipsius Deum inscribens; cui gratias agere, cui preces fundere dicitur, cui obediens usque ad mortem fuerat. Fatetur se vivere per Patrem: nec quidquam posse facere sine Patre. Non suum, sed Patris voluntatem facere ...... Quibus omnibus ostendit se alium a Patre, & paternam gloriam majorem insinuat esse; cùm se ab illo missum dicat, se verò missum, de cœlo descendisse, non ut suam voluntatem faceret, sed voluntatem ejus qui misit eum. Quæ non ad humanam assumptam naturam, sed ad substantiam ipsam & naturam Verbi, referenda esse contendit Eusebius, ut ex sequentibus verbis perspicuè ostenditur. *Quid ad ista*, inquit, *dicturus est Marcellus, cùm eum qui de cœlo descendit, ista ipsa docentem audiat? Non, opinor, illud allegare poterit, carnem Servatoris, hoc prolocutam. Non enim caro de cœlo descendit.*

Probatur octavò. Qui disertis verbis negat Filium coëxistere Patri, Arianus est: atqui Eusebius id negat: ab Arianæ igitur Hæreseos labe purgari non potest.

Probatur minor ex ipsius Epistolâ ad Euphrationem, in qua hæc blasphemia legitur, propter quam septimæ Synodi Oecumenicæ Patres illi notam Arianæ Hæreseos inusserunt: *Non enim*, inquit, *coëxistere Filium Patri; sed ante fuisse Patrem, quàm Filium dicimus, Nam si coëxistunt, quomodo erit Pater; aut Filius Filius? Vel quomodo unus quidem primus, alter secundus est?*

Eusebii Arianismus argumentis extrinsecis probatur.

Jam ad argumenta externa veniendum, quibus Eusebium Cæsareensem Arianæ propugnatorem Hæreseos fuisse evincitur. Hæc autem sunt SS. Patrum, aliorumque Auctorum Ecclesiasticorum testimonia, & judicia Conciliorum. Occurrit primus Sanctus Athanasius, *Lib. de Synodi Nicænæ contra Arianam Hæresim decretis*, ubi Eusebium Cæsareensem non solùm ante Concilium Nicænum cum Ario sensisse asserit; verùm etiam post Concilium ad pristinum ingenium rediisse, erroresque quos subscriptione sua ejurare visus fuerat, majori vafritie propugnasse, non obscurè significat. *Eusebius*, inquit, *ex Cæsarea Palæstinæ, cùm pridie abnegasset, in eamdem sententiam tamen postridie subscripsit, quam etiam Ecclesiæ legendam misit, dicens eam esse Ecclesiæ fidem, & Patrum traditionem: omnibusque manifestò apparuit, eum priùs & temerè errasse, & frustra contra veritatem pugnasse. Nam tametsi eum puduit scriptis errorem fateri, & ut potuit se Ecclesiæ excusavit: in Epistolâ tamen in qua Dei Filium Consubstantialem, & ex substantia Patris existere non infitiatur, clarè se in errore fuisse demonstrat, miserque prorsus in eo fuit, quòd ut se purgaret, coactus sit Arianos accusare, quòd illi scripsissent, Non fuisse Filium antequam gigneretur, indeque patrocinari vellent, eum ne ante carnis quidem nativitatem extitisse. Qui igitur fieri potest, ut non scelerati habendi sint, si tanto & tam Oecumenico Concilio vel contradicere cogitent? Aut non pro infractoribus legis existimandi, si malignis oculis non verentur decretis illis ritè contra Arianicam Hæresim factis obtrectare, quibus illorum antea in hac impietate Magistri subscripserant: licèt postmodùm Eusebiani mutato animo, tamquam canes ad vomitum regressi sint! Vel potiùs quomodo non odio digni sunt, qui nunc tandem contradicunt, eosque quos prodiderunt, duces suæ Hæreseos habere volunt: homines nimirum tales, quales Sanctus Jacobus duplices corde, & instabiles in omnibus viis suis appellat, numquam unam eamdemque sententiam, sed alias alium foventes, dictaque sua nunc laude, nunc vituperio prosequuntur, ut quod jam probarint, e vestigio damnent?*

Et infrà: *Cùm igitur Apostolus ita dicat, aut isti Eusebium cum suis sibi non constantem, alia diversaque ab iis, quæ suspicione approbat, dicentem, pro anathemate habeant: aut si putant eum rectè subscripsisse, ne obmurmurent tanto Concilio.*

Occurrunt secundò Ægyptii Episcopi in Epistolâ Synodicâ Concilii Alexandrini apud Sanctum Athanasium *Apologia* 2. ubi de Synodo Tyria sic loquuntur: *Quis enim ibi conventus Episcoporum, aut consessus veri studiosus? Quis non ex plerisque noster inimicus? Nonne Eusebius, Eusebianique studio Arianismi ad id Concilium perrexerant, reliquis ejusdem secum sententiæ adductis? Nonne & nos contra eosdem homines, eo nomine quod Arianicæ opinionis essent, scripta evulgavimus? Nonne Eusebius Cæsareensis de immolatione idolorum a nostris Confessoribus accusatus fuit?* Eusebius igitur Cæsareensis Arianismo studuit, & Arianæ Hæreseos infamiâ laboravit, etiam post Nicænam Synodum.

Tertiò. Sardicensis Concilii Patres in Epistolâ Synodicâ ad universæ Ecclesiæ Episcopos, Eusebium Cæsareensem in Antiochena Synodo inter Arianos sedisse testantur. *Asclepas autem*, inquiunt, *comminister noster in sacris prolatis Actorum monumentis Antiochiæ confectis, docuit, cùm sibi simul & accusatores, & ipse Eusebius Cæsareensis adessent judiciis Episcoporum, qui huic caussæ præsidebant, se innocentem pronuntiatum esse.*

Quartò. Sanctus Hieronymus Eusebium non semel Arianum, & Arianæ ducem Hæreseos vocat. *Lib. 1. Apologiæ adversùs Ruffinum*, cap. 2. *Sex libros*, inquit, *Eusebius Cæsareensis Episcopus, Arianæ quondam signifer factionis, pro Origene scripsit, latissimum & elaboratum opus: & multis testimoniis approbavit, Origenem juxtà se Catholicum, id est, juxtà nos Arianum esse.* Et libro 2. cap. 4. ita de Ruffino loquitur: *Statim de portu egrediens, navem impegit. Referens enim de Apologia Pamphili Martyris, quam nos Eusebii Arianorum Principis probavimus, intulit*, &c. Et paulò post: *Quamvis de Eusebii libro multa subtraxerit, & in bonam partem de Filio & Spiritu Sancto nisus sit commutare: tamen multa in illo scandala reperiantur, & apertissima blasphemia, quæ iste* (Ruffinus) *sua negare non poterit, Catholica esse pronuntians. Dicit Eusebius: imò, ut tu vis, Pamphilus, in isto volumine: Filii & Patris ministrum Spiritum Sanctum, non de eadem Patris Filiique substantia*, &c.

Et infra: *Vir doctissimus Eusebius* [*doctissimum dixi, non Catholicum, ne more solito mihi & in hoc calumniam struas*] *per sex volumina nihil aliud agit, nisi ut Origenem suæ ostendat Fidei, id est, Arianæ perfidiæ: & multa ponit exempla, & hoc constanter probat.*

Et lib. 3. cap. 4. *Quis e duobus calumniator est Martyris?* (Pamphili) *Ego qui illum dico Hæreticum non fuisse, nec scripsisse librum qui ab omnibus reprehenditur: an tu qui volumen hominis Ariani* (Eusebii Cæsareensis) *titulo commutato, sub nomine Martyris edidisti?*

Et cap. 10. *Quid de voluminis Eusebii? In quo cùm multa mutaveris, & sub nomine Martyris, Hæretici hominis scripta transtuleris, tamen plura posuisti quæ Ecclesiasticæ Fidei non conveniunt.*

Et Epistolâ 65. ad Pammachium & Oceanum datâ: *Fortissimos libros contra Porphyrium scribit Apollinarius. Ecclesiasticam pulchrè Eusebius Historiam texit. Alter eorum dimidiatam Christi introduxit œconomiam: alter impietatis Arii apertissimus propugnator est.*

Et in libro ad Ctesiphontem adversùs Pelagium de Ruffini fraude loquens, qui Sixti Pythagorei sententias sub nomine Xixti Pontificis & Martyris in lucem emiserat, hæc habet: *Fecerat hoc & in Sancti Pamphili Martyris nomine, ut librum primum sex librorum defensionis Origenis, Eusebii Cæsareensis, quem fuisse Arianum nemo est qui nesciat, nomine Pamphili Martyris prænotaret.*

Quintò. Sanctus Hilarius, in *Libello ad Constantium Augustum*, duos Eusebios, Nicomediensem nimirum & Cæsareensem inter Arianarum blasphemiarum propugnatores pariter numerat. *Novella nunc*, inquit, *& teterrima lues, non corrupti aeris, sed execrandarum blasphemiarum Ariana effusa est. Nuper didicimus commenta hæc fuisse inventa & a duobus Eusebiis, & a Narcisso & Theodoro, & ab Stephano, & Acacio, & Menophanto, & imperitis atque improbis duobus adolescentibus Ursacio & Valente.*

Sextò. Sanctus Epiphanius *Hæresi* 68. de Synodo Tyria convocata a Constantino Imperatore loquens, Eusebium Cæsareensem præcipuos inter Arianorum dogmatum defensores numerat. *Igitur*, inquit, *Tyri in Phœnice convocari Synodum jubet, eique judicio præesse cum aliis nonnullis Cæsareensem Eusebium, qui omnes in Arianorum inanissimum dogma propensiores erant.*

Septimò. Theodoretus, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 21. de eodem Eusebio loquitur ceu de homine Ariana labe infecto: *Illi autem*, inquit, Eusebius scilicet Nicomediensis, & Theognis Nicænus, *ubi venere ad sacra Hierosolymorum loca, & Eusebium Episcopum Cæsareæ, Patrophilum Scythopolitanum, Aëtium Lyddæ Episcopum, & Laodiceæ Theodotum, suæ opinionis fautores, aliosque quos labes Ariana infecerat, viderunt: facinus quod per insidias molirentur, illic aperuerunt.*

Octavò. Septima Synodus Oecumenica Actionibus 5. & 6. Eusebii velut Ariani hominis auctoritatem explodit; & Tharasii Patriarchæ, necnon Epiphanii Diaconi, ipsum Arianum fuisse asserentium dicta non improbando, sua facit. Cùm enim Actione 5. Eusebii Cæsareensis testimonia quædam contra sacrarum imaginum venerationem adducta essent, Tharasius Patriarcha dixit: *Hic reliquis nobis majore odio est prosequendus.* Et rursus: *Ostensa sunt commentaria Eusebii aliena esse a Sancta Ecclesia Catholica.*

Et Actione 6. Epiphanius Diaconus ad testimonium ejusdem Eusebii pro Iconomachis prolatum ita respondit: *Quis enim Fidelium in Ecclesia, quique verorum dogmatum scientiam habet, ignorat Eusebium Pamphili in reprobum sensum traditum, consensisse Arii placitis? Nam in cunctis Historicis suis Libellis Filium, & Verbum Dei creaturam vocat, item subministrum, & secundo adorandum loco. Verè quidam asserunt eum in Synodo subscripsisse, concedimus quidem hoc ita se habere: verùm labiis illum veritatem coluisse, corde autem longè ab ea abfuisse; quemadmodum & omnes Epistolæ illius & commentaria ostendunt. Quòd si aliàs aliquando pro temporis & rei conditione mutatus apparuit, nunc hos laudans qui stabant a partibus Arii, nunc verò veritatem simulans, profectò ob id secundùm Jacobum fratrem Domini, homo duplicis animi, inconstans in omnibus viis suis dicitur. Etenim si corde credidisset ad justitiam, & ore quoque ad salutem verbum veritatis fuisset confessus, in omnibus suis Commentariis & veniam poposcisset. Verùm pro Epistolis suis unquam Apologiam conscripsit: mansit enim ut Æthiops non commutans cutem suam. Nam in expositione illius loci (Psalmi 15.) Dixi Domino, Deus meus es tu: extra veritatis cognitionem rem aggressus; sic, inquit: Cujus est Filii Pater, Dominus quoque ejus existit: ob id Unigeniti illius Filii Dei, qui genuit illum Pater, fuerit sanè illius & Dominus, & Deus, & Pater.* Et post multa alia, quæ ipsius ex Epistolis recenset, sic colligit: *Ex his igitur scriptis illius, apparet apertè illum Arianicæ esse opinionis & sententiæ.*

Addit ad hæc Epiphanius Diaconus: *Cum hac abominanda Hæresi insani isti Ariani & unam naturam in unitione hypostasis esse dicunt. Opinantur autem Christum Dominum nostrum carnem sine anima assumpsisse, addentes in salutari illius dispensatione divinitatem implevisse animæ consilia, motionesque, nimirum quò passionem, ut ait Gregorius* divinitate circumscribunt, & ob id verè Theopaschitæ sunt: Qui autem hujus sententiæ sunt, imaginem non habendam censent: quemadmodum impius Severus, Petrus Fullo, Philoxenus Hierapoleos Episcopus, & omnis denique illa multi capitis & sine capite hydra contendit. Hujus igitur societatis existens & Eusebius, imaginem Christi Theopaschitarum more rejicit: qua de caussa & Constantiæ Licinii uxori scribit, Apud se imaginem non reperiri. Nam & in eadem Epistolâ dicit, Quòd illius incarnata forma in Dei naturam mutata sit.* Hæc Epiphanius Diaconus, quem septimæ Synodi Os non immeritò dixerim.

* S. Gregorius Nazianz. Epist. 1. ad Cledonium.

Acephali.

Nonò. Photius Patriarcha Constantinopolitanus Eusebium Cæsareensem Arianum fuisse non semel asserit. Recensens enim ejus libros *De Præparatione & Demonstratione Evangelica* Bibliothecæ suæ Codice 10. hæc habet: *Hic cum pluribus locis blasphemam in Filium videns, eumdemque secundam caussam appellantem, ac summum Imperatorem, aliaque id genus Arianicæ furoris germina apparent.*

Et Codice 127. quatuor ejus libros *De Vita Constantini* recensens, accuratè notat ipsum Arii partibus & Hæresi, etiam post Nicænam Synodum, studuisse. *De Ariana insuper Hæresi*, inquit, *nihil manifestè commemorat, neque an Constantinus illi aliquandò adhæserit, neque an eam abjecerit, sed neque an rectè, an secus senserit Arius: tametsi necessitas eum compelleret horum meminisse, quando & magna pars fuit Synodus rerum a Magno Constantino gestarum, & alioquin illa ipsa vicissim postularet exactissimam his de rebus Historiam. Itaque dissensionem quidem ortam Arium inter & Alexandrum commemorat (sic nimirum Hæresim appellare, ac tegere videtur) ac dissidii hujus gratiâ valde indolentem pientissimum Imperatorem adlaborasse, cùm per Epistolam, tum per Osium Cordubensis Ecclesiæ Episcopum, ut, missa contentione illa mutua, & hujusmodi quæstionibus, ad amicitiam concordiamque dissidentes adigeret: atque ubi non persuasit, Synodum undique convocasse, & natam contentionem pace permutasse. Quæ tamen neque accuratè, neque perspicuè ab eo scribuntur. Quare præ pudore videtur hic Arium, & a Synodo factum contra illum decretum, publicare noluisse, ut nec ejus erroris socios, aut simul expulsorum justam ultionem; quin neque illam quam divinitus sumptam omnis oculus vidit, justam Arii vindictam: quando horum nihil in lucem proferens, Synodi ipsius, rerumque in ea gestarum Historiam obiter tantùm percurrit. Quo etiam fit, ut de divino Eustathio narraturus, ne nomine quidem meminit: tantùm abest ut quæ in ipsum audacissimè machinati sunt, neque ipsi præstiterunt, recensuerit. Igitur ad dissensionem duntaxat atque tumultum ea referens tranquillitatem rursum commemorat Episcoporum eorum, qui cùm Antiochiam Imperatoris studio atque operâ convenissent, seditionem, turbamque pace commutarunt. Similiter ubi narrationem instituit de iis quæ in magnum illum athletam Athanasium improbè comparata fuerunt: seditione quidem ac tumultu impletam iterum Alexandriam refert: Sed cœtu Episcoporum, qui Imperatoris auctoritate nitebantur,*

præ-

præsentiâ placatam fuisse. Neque interim qui seditionem concitavit, aut quantam illa fuerit, neque quo pacto contentionem aliè sedarint, omnino manifestè ostendit.

Tom. 4. Bibl. PP. Decimò. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in Capitulis duodecim, cap. 2. Eusebium Cæsareensem vocat *Arianæ insaniæ Principem*, qui *plura & pejora quàm omnes Ariani, in Filium Dei, & Dominum nostrum Jesum Christum, & Deum, contumeliosè & impiè protulit, & eum creatum ac factum esse, malè & impiè docuit.*

Undecimò. Nicephorus Callistus, lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 37. Eusebii recensitis Operibus, hoc de illo judicium profert: *In multis eum apparet Arii sententiam comprobasse, ut qui Filium, [sicut ex scriptis ejus colligere licet] creaturam vocet. Quamvis Socrates, qui & ipse ex Novatianis res Ecclesiasticas scripsit, in secundo tomo maximopere persuadere contendit, rectè eum virum sentire, eumdemque sycophanticè eo nomine a nonnullis impeti. Atque ut id certiùs comprobet, in defensione sua, dicta illius quædam, ambiguitatem tamen complectentia, contexit: eumdemque Primæ Synodo adfuisse atque unà cum aliis suffragio suo & calculo εἰς τὸ ὁμοούσιον consensisse refert. Ego verò, si ille quidem sine scripto rectam complexus est opinionem, Socrati non refragor: Si autem ex scriptis illius quæ legi, res sit dijudicanda, multùm abest ut sanam, sinceramque ejus de fide sententiam fuisse putem.*

Objicies testimonium Socratis, libro 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 17. quod Eusebii Cæsareensis apologiam complectitur. Eum namque ab Arianæ Hæreseos suspicione vindicare nititur duobus potissimùm argumentis. Primò, quia Nicæno Concilio de Consubstantialitate Filii Dei decernenti & interfuit, & assensus est; imò in Epistolâ ad Cæsareenses suos ex Concilio datâ, testatur se Nicænæ Fidei subscripsisse, se Filium Patri consubstantialem, cum aliis Patribus asseruisse: quin etiam anathematis Formulam, quæ post fidem explanatam ab illis proposita est, approbasse, quâ scilicet denuntiabatur anathema asserentibus, *Quòd erat, quando non erat Dei Filius*; vel *Quòd ex nihilo ortus est*; vel *Quòd ex altera essentia, substantiave quàm Patris genitus*; vel *Quòd Filius Dei creatus; quodque converti & mutari potest.*

Alterum Socratis argumentum petitur ex libris *Eusebii contra Marcellum Ancyranum*, in quibus disertè negat *Filium Dei esse ex nihilo productum, & præcipuam creaturam ex nihilo ortam*; sed verè *ex Patre genitum* asserit, & *verum Deum esse: adeò ut Deus Filii non dicatur opifex, sed Pater. Neque creatum dici Filium in Scriptura, quasi simili ratione cum reliquis creaturis ex eo quòd non factus sit; sed quòd substantiam habuerit, vixerit, & ante mundi fabricationem fuerit, atque adeò a Patre suo omnium Domino hujus nativitatis princeps constitutus sit: Ita ut hoc verbum, creavit, pro constituit, vel ordinavit, accipiatur.*

Porrò quæ laudat ex Eusebio Socrates, leguntur, lib. 5. *De Ecclesiastica Theologia* capitibus 8. 9. & 10. Ait enim cap. 8. *Ecclesia Dei Filium unigenitum agnoscit eum qui ante omnia sæcula de Patre fuit genitus: non eum certè eumdem cum Patre existentem, at per se subsistentem, viventemque verè Filium, cum Patre coexistentem, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam de vita.*

Et cap. 9. *Atque adeò reprehendi nec immeritò debent ii, qui ausi sunt illum creaturam nominare; ipsumque dicere e non ente, quemadmodum & cætera producuntur creaturæ, progeneratum. Nam qui, quæso, ita esse potest Filius?*

Et cap. 10. *Qui secundùm veritatem Dei Filius est, de illo, hoc est de Patre genitus, quid mirum si & dilectus audiat, & Patris sui Unigenitus, ob quam ipsam caussam & Deus fuerit? De Deo siquidem quid aliud gigni possit, quàm quod ipsi sit per omnia simillimum? Condit equidem civitatem Rex: non autem gignit civitatem. Gignere verò Filium, non condere dicitur. Artifex etiam constructor, non Pater ejus dici debet quod construxit: qui Filii de se progenerati conditor non appellatur. Ad eumdem modum universorum Deus Filii sui Pater; mundi conditor appellatur.*

Respondeo Socratis testimonium tot Patrum a nobis laudatorum, qui Eusebio Arianæ Hæreseos notam inusserunt, & ipsius Ecclesiæ judicio in septima Synodo Oecumenica, postponendum esse. Unde Nicephorus Calixtus, libro 9. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 13. ubi illum Socratis locum recensuit, & verba descripsit, sic concludit: *Hæc & alia Socrates afferens, sinceritatem Doctrinæ Eusebio adscribere contendit. Ego quidem talem potiùs virum eum fuisse velim: Ecclesia autem Catholica non talem fortasse judicat, quam potiùs sequi par est.*

Ad primum, quo nititur Socrates, momentum, respondeo, Eusebium Nicæno quidem Concilio de Consubstantiali decernenti assensum præbuisse, & subscripsisse, politico spiritu ductum, non Catholicâ pietate impulsum. Aderat nimirum Imperator, apud quem magna erat in existimatione: periculum advertebat, ne & a gratia Principis, & ab Episcopatu decideret, ni subscriberet Formulæ Fidei in Synodo editæ: ideò omnibus assensum præbuit, sed simulato planè animo, velut ludionem in scena agens, qui datâ quamprimùm occasione, perversa Arii dogmata propugnaret, atque firmato cum Arianis fœdere, ipsorum erroribus, nefariisque consiliis penitus suffragaretur. Quod exitu demonstratum est, ut supra ostendimus.

Verbum porrò *Consubstantiale*, frigidè omnino ac jejunè explicat, & eo sensu recipit, quem patitur Arianus error. En illius verba in illa Epistolâ ad Cæsareenses. *Cùm ista Formula ab illis perscripta esset, illud, ex substantia Patris esse, & illud, Patri Consubstantialem esse, quomodò essent intelligenda, ab eis diligenter quærere cœpimus. Fatebantur illi, ex substantia esse, idem significare, quod ex Patre esse, non tamen partem Patris esse. Ista sanè nobis videbantur pulchrè consentire cum pia illius doctrinæ sententia, quæ docet Filium ex Patre esse, non tamen partem substantiæ illius esse. Quapropter huic sententiæ etiam a nobis assensum est.* Quæ Eusebii explicatio & frigida prorsus & falsa est. Nam in hominum genere Filius ex substantia patris est, qui tamen est substantiæ ipsius portio. Sed ex patris substantia esse, nihil aliud est, quàm extrinsecus productum, & adventitium non esse, neque de nihilo, neque de materia præexistente factum. Subdola sanè est hæc expositio Eusebii: cùm & creaturas ex Deo esse veterator ille fateatur.

Pergit ille in Epistolâ: *Eodem modo etiam illud, Filium Patri Consubstantialem esse, & exquisitum est, & probatum non more corporeo debere intelligi, neque quidquam habere simile cum mortalibus animantibus. Nam neque divisione substantiæ, neque sectione, neque mutatione paternæ essentiæ, & facultatis posse constare. Ingenitam enim Patris naturam ab his omnibus prorsus alienam esse: & hoc, Patri Consubstantialem esse, nihil aliud ostendere, quàm Filium Dei ad reliquas creaturas, nullam habere similitudinem: sed unius Patris, qui illum genuit, omnino similem esse; neque ex alia, quàm ex Patris substantia & essentia esse genitum. Quod quidem sic expositum, rectum videbatur assensione approbare.*

En quo sensu Eusebius Consubstantialem Patri Fi-

Filium professus est. En quomodò imposuit Nicænis Patribus, quasi ejusmodi interpretationem adeo jejunam, adeo insidiosam, adeo Arianis faventem approbarint. Nam & Ariani Filium cæteris cum creaturis nullam similitudinem habere, non illubenter fassi sunt, eò quòd prima esset ac nobilissima creatura, & a Deo immediatè productus esset, velut instrumentum & administer, per quem cætera subinde crearentur; & Patris similem esse non sunt inficiati, & ex Patris substantia genitum asseruerunt, sed voluntate, non naturâ: & eo sensu genitum, quo genuit Deus stillas roris, licèt modo longè nobiliori. Has enim & sine ulla partitione, avulsione, ac sui mutatione producit. Nusquam verò admisere Filium ita Patri Consubstantialem esse, ut una Patris & Filii esset substantia, & Filio Pater esset coæternus. Hoc tamen sensu Nicæni Patres *τὸ ὁμοούσιον* intellexerunt, & scripsere Filium Consubstantialem esse Patri, *Ut non solùm similem similitudine, sed eumdem eâ voce quâ ex Patre esse dicitur, significarent* [inquit Sanctus Athanasius, *libro de Synodi Nicænæ decretis.*]

Ad ea quæ profert Socrates ex libris Eusebii contra Marcellum, respondeo Eusebium negasse Filium Dei esse creaturam, non absolutè, sed similem cæteris creaturis, ut constat ex lib.1. *De Ecclesiastica Theologia*, cap.9. *Qui Dei unigenitus Filius, inquit, si eumdem cum reliquis creaturis naturam sortiatur? Hoc enim pacto ipsarum potiùs esset frater, quàm Filius Dei.* Et lib.3. cap.2. *Quòd si Scriptura dicat conditum illum fuisse, non ita dixit, quasi vellet intelligi, eum de non ente ad esse processisse: nec quòd ad modum creaturarum reliquarum, de non ente producebatur; Sed quòd subsistens & vivens: sed quòd præexistens, & præsubsistens ante omnem mundi conditionem erat.* Et ad hunc sensum, detorquet illa Nicæni Symboli verba, *Genitum, non factum*, in Epistolâ ad suos Cæsareenses; ait enim illis de verbis se cum Patribus Nicænis ideo non pugnasse, quia *Vocabulum istud, factum, cum cæteris creaturis, quæ per Filium facta sunt, commune esse dixerunt: nec Filium earum simile quidquam habere: ac proptereà eum non esse creaturam illarum similem, quæ ab ipso facta sunt, sed præstantioris esse substantiæ, quàm quâ ulla creatura prædita sit.*

Captiosè etiam scripsit Eusebius Filium Dei non esse *ex non extantibus* productum, sed *ex Patre.* Id namque secundùm ejus doctrinam, creatis rebus omnibus commune est. Libro enim 4. *De Evangelica Demonstratione*, capit.1. nullam rem de nihilo, vel ex non extantibus, productam esse asserit. *Nullâ ratione dici potest*, inquit, *de nihilo esse quidquam eorum quæ sunt. Neque enim esse quidpiam potest ex eo quòd ipsum non sit. Quomodo enim id quod non est, alteri ut sit caussa erit? Omne autem quodcumque est, ex uno qui solus est, & ante omnia est, quique olim etiam illud respondit; Ego sum qui sum, ut esset, & accepit, & habet; quippe cùm qui solus est, & semper est, is omnibus quæcumque ex ipso id quod sunt acceperunt, ut essent, Auctor extiterit: utque ex eo quod & velit, & possit, rebus universis & essentiam, & potestates, & formas luculenter & copiosè de se ipso largitus sit.*

Cæterùm nusquam asseruit Eusebius Filium esse ex Patre, eo sensu, quo Catholici adversùs Arium disputantes idipsum asserebant; quòd videlicet una esset amborum substantia. Imo lib.1. *De Ecclesiastica Theologia*, cap.20. *Demonstratione* 5. verba illa S. Joannis exponens: *Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse nobis enarravit*, perinde hoc intelligendum esse ait, sicut nos in sinu Abraham, Isaac, & Jacob requieturos Christus pollicitus est. *Unigenitus Filius præexistebat*, inquit, *non quod Marcello visum est, in mente Patris, sed in sinu ejus: quomodo promisit Servator nobis nos in sinu Abraham, Isaac, & Jacob quieturos, ita & ipse erat in sinu Patris, non ut unus idemque cum suo Patre. Nam nec nos futuri sumus iidem cum sanctis illis Patribus.*

Non probat etiam ab Ariana labe immunem fuisse Eusebium, quod ait, *Filium ante omnia sæcula de Patre genitum.* Non enim ideo coæternum Patri asseruit. Sed cùm sæcula in rerum a Deo creatarum genere censeantur, eâdem ratione asserere potuit Filium ante omnia sæcula genitum quâ asseruit cum Arianis cæteris, ante omnes genitum creaturas; utpote qui proximè sit a Deo productus, cæteræ autem creaturæ per ipsum tamquam per instrumentum procreatæ, quòd meram Dei omnipotentiam per sese sustinere non possent.

Denique quamvis Eusebius Filium esse Deum & Patri similem professus sit, non ideo tamen ab Arianæ Hæreseos suspicione est eximendus. Non enim hoc ex mente Catholicorum ait, ita ut unam eamdemque Patris ac Filii substantiam, easdemque perfectiones asserat: Sed ita ut substantias, & perfectiones diversas adstruat in utroque & in Filio infinitis partibus minores. Unde unicam & singularem divinitatem soli vendicat Patri, quæ ipsi propriè conveniat, Filio verò extrinsecè, tropicè, & analogicè quatenus cum Patre comparatur, estque ejus imago: Sicut una est eademque majestas in Rege, & ejus imagine; Sed quæ in Rege, propriè resideat, in ejus autem imagine figuratè, analogicè, & (ut ajunt) repræsentativè. Hanc fuisse Eusebii mentem colligitur ex ipsius libro 2. *De Ecclesiastica Theologia*, *cap.*23. ubi probat Ecclesiam non prædicare duos Deos, *Quia duos ingenitos non credit nec imprincipiatos; sed nec duas substantias honore pares asserit: sed unicum principium & Deum prædicat esse, Patrem scilicet unigeniti, & dilecti Filii.* Et infra ait, Quamvis Apostolus Deum unum, & Regem unum immortalem & invisibilem doceat esse Patrem, & Christus ipse unum solum Deum, profiteatur: *Non tamen gravamur verum Deum confiteri & Filium veluti in imagine resultantem ...... Et velutì ubi Rex unus est cum imperio, cujus imago ubique terrarum deferatur, nemo prudens duos dixerit esse Reges, sed unum qui in imagine sua honoratur: Eodem modo Ecclesia Dei, quæ accepit unius Dei cultum, eumdem Deum per Filium, imaginem suam scilicet, adorare perseverat.*

Objicies secundò, Eusebius Cæsareensis ab Ecclesia colitur ut Sanctus: Arianum itaque deposuit errorem, saltem post Nicænam Synodum. *Eusebii Cæsareensis fictitia Sanctitas.*

Probatur antecedens ex Martyrologio Usuardi, in quo hæc leguntur die 21. Junii: *Palestinæ, S. Eusebii Episcopi & Confessoris, viri excellentissimi ingenii, & Historiographi.* 2. Ex Martyrologio Adonis Viennensis, in quo hæc leguntur ad eamdem diem: *In Cæsarea, Sancti Eusebii Episcopi* 3. ex Martyrologio Notkeri, in quo legitur die pariter 21. Junii: *In Cæsarea, depositio Sancti Eusebii Episcopi.* 4. ex Codice MS. Ecclesiæ Parisiensis, qui ante annos 800. exaratus est, & continet Eusebii Historiam Ecclesiasticam Ruffino interprete: qui sic incipit: *In nomine Dei summi, incipit Historia Sancti Eusebii Cæsareensis Episcopi.* Ultimò ex veteri Breviario MS. Lemovicensis Ecclesiæ, quod in festo Sancti Eusebii, Lectione 1. hæc habet: *Hic cùm aliquando Arianæ Hæresi laborasset, ad Synodum Nicænam accedens, Spiritu Sancto inspiratus, Patrum sententiam secutus est, ac deinceps usque ad mortem sanctissimè cum Orthodoxa Fide vixit.* *Martyrologiorum, & Ecclesiæ Lemovicensis error.*

Ref-

Respondeo, nego antecedens. Ad probationem respondeo Sanctitatem Eusebii non fuisse ab Ecclesia vindicatam: imo totius Ecclesiæ judicio proscriptum fuisse ut Arianum. Unde Usuardus, & alii Martyrologiorum Scriptores errarunt: in quem etiam errorem impegit Lemovicensis Ecclesia Eusebio Cæsareensi sacros honores deferens. Ideò autem errarunt Martyrologiorum Scriptores laudati, quòd loco Sancti Eusebii Samosateni, qui Catholicæ Fidei propugnator fuit acercimus, & eo nomine passus pecsecutionem est a Constantio & Valente Imperatoribus Arianis, ac denique in odium Fidei tegulâ obrutus ab Ariana muliere, Martyr occubuit, Eusebium Cæsareensem sacris Fastis adscripserint. Vel certè loco *Eusebii Cæsareensis in Cappadocia* Episcopi, qui *Sancti Basilii* decessor immediatus fuit, adscripserunt *Eusebium Cæsarea in Palæstina* Episcopum. Prioris illius Eusebii Sanctitati egregium testimonium perhibet *Sanctus Gregorius Nazianzenus* in Oratione *De Funere Patris*, ita sccibens: *Rursus eadem civitas eamdem ob causam seditione laborabat* (scilicet post mortem Eusebii) *eo nimirum qui honesta & egregia vi ad Episcopatum pertractus fuerat, celeri morte accepto, atque ad Deum, cujus causâ in persecutionibus fortiter strenuèque decertaverat, profecto*. In veteri Martyrologio *Sancti Hieronymi* nomine insignito, quod ex MS. Corbejensi edidit Dom. *Lucas Dacherius*, Tom. 4. *Spicilegii*, legituc 11. Kal. Julii: *In Cæsarea Cappadocia, depositio Sancti Eusebii Episcopi*. Non mirum est autem quòd in ejusmodi facti quæstionibus privatæ interdum errent Ecclesiæ, cùm in dogmatibus non semel erraverint. Non mirum est, inquam, si Lemovicensis Ecclesia Ariani hominis festum diu celebraverit solemni citu; cùm Romanus Pontifex sibi maximè timeat in Sanctorum vindicatione, nec sibi de indeficientis judicii privilegio his in negotiis blandiatur. Quod constat ex Protestatione quam Romani Pontifices solemni Sanctorum Canonizationi olim præmittebant, quæ his verbis concepta ecat: *Antequam ad pronunciationem veniamus, protestamur publicè apud vos præsentes, quòd per hunc actum Canonizationis non intendimus aliquid facere, quod sit contra fidem, aut Catholicam Ecclesiam, sive honorem Dei*. Ad quid autem hæc protestatio, si sibi non errandi privilegium his in negotiis convenire arbitrati essent? Hinc Romani Pontifices piorum hominum Sanctitatem vindicare, seu ipsus in album Sanctorum referre nolebant absque Synodi judicio, cùm frequentiùs Concilia celebrabantur. Sic Joannes XV. Sanctum Udalricom Episcopum Sanctorum numero adscripsit in Concilio Romano. Sic Urbanus Secundus Benedicto Kemperlegiensi Abbati petenti, ut unum e suis Decessoribus in Sanctorum album referret, respondit; * *Quod de beati Gurloësis celebratione, ab auctoritate nostrâ judicium expetiisti, non eadem potuit facilitate concedi. Non enim Sanctorum quisque debet Canonibus admisceri, nisi & testes adsint, qui ejus miracula visa suis oculis attestentur, & Plenaria Synodi firmetur assensu*.

* Tom. 4. Galliæ Christianæ.

Sic Eugenius Tertius in Diplomate quo Henricum Imperatorem I. Cœlitibus adscripsit, ad Egbertum Episcopum & Canonicos Bambergensis Ecclesiæ dato; *Tametsi*, inquit, *hujusmodi petitio nisi in generalibus Conciliis admitti non soleat, auctoritate tamen S. R. Ecclesiæ, quæ omnium Conciliorum firmamentum est, petitionibus vestris acquiescimus, atque ejusdem memorabilis Viri, cujus exaltationem requiritis, Fratrum nostrorum Archiepiscoporum & Episcoporum, qui præsentes aderant, communicato consilio, memoriam inter Sanctos de cætero fieri censemus*.

Sic Alexander Tertius in Diplomate, quo Eduardum Anglorum Regem inter Sanctos retulit: *Quamvis*, inquit, *negotium tam arduum & sublime non frequenter soleat, nisi in solemnibus Conciliis de more concedi; de communi tamen Fratrum nostrorum consilio, juxta votum & desiderium prædicti Filii nostri Regis, ac vestrum, corpus ipsius Confessoris ita glorificandum censuimus, & debitis præconiis adorandum in terris, sicut eumdem Confessorem Dominus glorificavit in cœlis*. Quòd si tantam in Sanctorum vindicatione adhibendam censuerunt diligentiam Romani Pontifices, ne error forsan aliquis in tanti momenti negotio obreperet: quis miretuc si privatæ Ecclesiæ erraverint, homines quandoque improbissimos sacris honoribus prosequendo; Sic Turonensis olim Ecclesia latronem coluit pro Martyre, cui sacratam aram Sanctus Martinus dirui jussit, ut testatur Sulpitius Severus in ejus Vita. Sic Ecclesia Lemovicensis diu festum celebravit Eusebii Cæsareensis.

Objicies tertiò auctoritatem Gelasii Cyziceni, libro 2. cap. 1. ubi de Eusebio Cæsareensi sic loquitur: *Nemo autem æstimet virum hunc ex his quæ de illo famâ circumferuntur, quasi Arii blasphemiæ consenserit; sed credat, si quæ protulit, aut scripsit Arii dogma tantillùm subolentia, ea non ex impio illius sensu protulisse umquam, aut scripsisse, sed ex minùs curiosa parumque solicita simplicitate; ut ipse in libro apologetico, quem ad Orthodoxos omnes Episcopos misit, pleniùs ista probavit. Vera autem dicere hominem conjiciet, quicumque prudens consideeat quo tempore ille vixit; & ex illo credat, quòd nondum ea, quæ sunt Arii, illo tempore audita usquam fuerunt. Demonstrabunt verò idem ipsius in Synodo Nicæna contra impietatem Arii pro Apostolica & Orthodoxa Fide certamina*. Eusebius igitur Cæsareensis post Nicænam Synodum Arianam Hæresim non propugnavit.

Respondeo, Gelasii Cyziceni testimonium exsufflandum esse, cùm sit Auctor nequaquam accuratus; & quoad hoc caput cum tota antiquitate pugnet. Sanè in loco mox laudato crassissimi & putidissimi notantur errores. Primò namque falsum est, quòd librum Apologeticum ad omnes Episcopos scripserit Eusebius, ad solos enim Cæsareenses Epistolam de rebus in Nicæna Synodo circa fidem gestis dedit. Secundò, falsum est quòd nondum audita esset Ariana Hæresis, quo tempore scripsit Eusebius. Cùm enim libros contra Marcellum Ancyranum edidit, in quibus plus Ariani erroris expressum est, nedum audita, sed damnata erat Ariana Hæresis a Nicæna Synodo. Falsum est denique quòd pro Apostolica Fide in Concilio Nicæno pugnaverit Eusebius, qui potiùs contra ipsam pugnavit, Sancto Athanasio teste, nec nisi ægrè admodum Symbolo Nicænæ Fidei subscripsit.

SCHOLION.

In hac Dissertatione, pag. 230. Editionis primæ, hanc notant Propositionem Religiosi Censores: *Fallibilis Pontifex, & Ecclesia privata in Canonizatione & cultu Sanctorum*.

R. Non ita scripsi: Sed, *Non esse mirum si Lemovicensis Ecclesia Ariani hominis Festum diu celebraverit, cùm Romanus Pontifex sibi maximè timeat in Sanctorum vindicatione, nec sibi de indeficientis Judicii privilegio his in negotiis blandiatur*. Quocirca maximam semper diligentiam in Sanctorum Canonizatione Romanos Pontifices adhibuisse ostendi, ne in tanti momenti negotiis error aliquis obreperet. Summum Pontificem, cùm diligentiam omnem possibilem adhibuit, spectatâ Dei Providentiâ, quæ Ecclesiam Spiritu Sancto diri-

dirigit, in Sanctorum Canonizatione non posse errare, piè creditur [inquit *S. Thomas* Quodlibeto 9. Quæst.8.] sed tamen id necessariò credendum ut Fidei dogma non docet Angelicus Doctor, imò contrarium disertè innuit. *Aliquid*, ait, *potest judicari possibile secundùm se consideratum, quod relatum ad aliquid extrinsecum impossibile invenitur. Dico ergo quòd judicium eorum qui præsunt Ecclesiæ potest errare in quibuslibet, si personæ eorum tantùm respiciantur. Si verò consideretur divina Providentia, quæ Ecclesiam suam Spiritu Sancto dirigit, ut non erret, sicut ipse promisit, Joannis 14. Quòd Spiritus adveniens doceret omnem veritatem, [de necessariis scilicet ad salutem] certum est quòd Judicium Ecclesiæ universalis errare in his quæ ad Fidem pertinent impossibile est ...... In aliis verò sententiis quæ ad particularia facta pertinent (ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi) possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes. Canonizatio verò Sanctorum medium est inter hæc duo: Quia tamen honor quem Sanctis exhibemus, quædam Professio Fidei est, quâ Sanctorum gloriam credimus, piè credendum est quod nec etiam in his Judicium Ecclesiæ errare possit.*

Sed & *Caietanus* Cardinalis, Pontificiæ Auctoritatis assertor & vindex acerrimus, in Tractatu *De Indulgentiis* adversùs Lutherum, ad Julium Medicæum S.R.E. Cardinalem, cap. 8. errorem humanum in Canonizatione alicujus Sancti intervenire posse asserit, hujusque sententiæ auctorem *S. Thomam* appellat. *Præsumitur*, inquit, *de jure pro Judice semper, nisi manifestè appareat error, & supponens ex causa legitima datam Indulgentiam tantam, veritatem prædicat, sicut absque falsitate prædicant, talem Sanctum, supponens illum rectè Canonizatum. Ita quod dato quòd iste Canonizatus non esset Sanctus, sed damnatus, Ecclesiæ Doctrina aut prædicatio non esset mendax, aut falsa: Quia hic pertinentia ad finem non intelliguntur affirmari & prædicari, nisi cum grano salis, hoc est, stantibus communiter præsumptis; præsumit enim Ecclesia Canonizationem ritè factam, & similiter Indulgentiam ritè datam, & sic prædicat Indulgentias valere quantùm sonant. Sed* SICUT POTEST INTERVENIRE ERROR HUMANUS IN CANONIZATIONE ALICUJUS SANCTI, [UT S. THOMAS DICIT,] *Ita potest intervenire error humanus in Collatione Indulgentiæ. Si quis autem putet Romanum Pontificem non posse errare in istis particularibus actionibus, putet quoque ipsum non esse hominem.* Idem non obscurè innuit *Innocentius Quartus*, in cap. 1. num. 4. *De Reliquiis & Veneratione Sanctorum*. Eadem est *Hostiensis*, *Felini*, & aliorum sententia. *Hæc opinio* (inquit *Fagnanus* in cap. *Venerabili*, Ext. de Testibus) *habet Sectatores primarios Canonistas, & Doctissimum Caietanum; & articulus nondum est ab Ecclesia definitus.*

Nota.

QUamvis ipsius Eusebii verbis ariana fuisse hæresi fœdatum Natalis ostendat, ac tot PP. testimoniis confirmet, Bullus nihilominus l. 3. c. 9. §. 11. ipsum ab hujusmodi labe vindicare conatur. Non respondet quidem iis omnibus quæ adversùs ipsum Natalis producit, verùm cùm ex Oratione panegyrica ad Constantinum, ac libro 4. Demonstrationis cap. 6. sibi objecisset, Eusebium ita Filium exhibere ut esset velut lumen seu Divinitas, creaturarum imbecillitati, quæ Patris Divinitatem ferre non possunt, accomodata, hujusmodi loquendi phrasi negat Bullus Eusebium naturam innuisse inter Patrem creaturasque mediam, sed quamdam dumtaxat condescendentiam, qua Filius creaturis se accomodare dignatus est. Re vera tamen si verba Eusebii ad sensum eisdem non obvium non distrahantur, cùm potissimùm tot aliis in locis Filium Patri inferiorem fecerit, fateri necesse est Patrem Filiumque essentialiter differre affirmasse. Putavit etiam Valesius in eo sensu semper ab Eusebio naturam mediam Filio tributam fuisse, quia omnia per Filium Pater fecit. Sed si ita significare voluit S. Alexander in quadam epistolâ, quam Valesius laudat, ita sanè Eusebius non sensit, ipseque Valesius tandem fatetur S. Athanasium oratione tertia contra Arianos mediam istam naturam perdoctè rejecisse.

Ut catholicè de Trinitate sensisse Bullus suadeat, quemdam Eusebii textum producit, ubi cùm Personarum naturam *pariter increatam, ortusque omnis expertem* dicat, ipsarum æqualitatem videtur affirmare. At hæc quidem verba, quamvis quodammodo in ipsius extent traductione, si juxtà præfatum sensum Eusebio tribuantur, ita ab Arianis dissonum demonstrant, ut ipsum Filium, ac Spiritum S. absque principio & ingenitos voluerit. Nil aliud ergo significare voluit nisi Naturam, nempe Patris, quæ sine principio est & ingenita, principium esse Trinitatis.

Refert etiam *l. 4. c. 1. §. 10.* ad removendam ab Eusebio Arianismi labem quemdam locum, ubi Filium appellat *Deum per se αὐτόθεον*, ac id ipsum altero in loco significasse asserit, dicendo de ipso Deo Verbo *καὶ αὐτὸ θεῷ λόγῳ*, prioremque locum ita decisivum judicavit Valesius, ut sufficientem putaverit ad prorsus absolvendum Eusebium ab hæresi ariana. Sed advertendum ita Eusebium loquutum quinque aut sex annis ante concilium Nicænum, quando nec ipse Valesius Eusebii fidem tueri ausus est. Difficile igitur est priori in loco non esse legendum *ipsum Deum*; ac proinde significare voluisse videtur, Jesum Christum ut summi Dei Filium adorari, & quia ipse Deus est. In secundo verò loco melius legi existimarem *αὐτόθεοι*.

Verùm quidquid sit sustinetque Bullus *αὐτόθεος* de Filio dictum, nil aliud quàm verò Deum significare; quare abs dubio est id Eusebium jugiter de Filio in falsa significatione usurpasse, ut Natalem scrutanti constabit, in vera autem continuò negasse.

Nota.

QUanquam Natalis in Scholio quæ antea dixerat sapienter emolliat; ac solummodo negare videatur fide divina ut Sanctum habendum, quem Summus Pontifex Sanctorum albo inscribit; nihilominus non satis mihi videtur a Sanctorum canonizatione errandi periculum removere, cùm dixerit in Sanctis canonizandis Romanum Pontificem sibi maximè timere, neque de infallibilitate sibimet blandiri. Eumdem hìc referam S. Thomam, quem pro hac elucidanda materia Natalis producit. Sanctus igitur Doctor *Quodl. 9. art. 16.* duabus leviusculis causis de infallibilitate Pontificis in Sanctorum canonizatione dubitandi propositis, hæc pro ipsius infallibilitate proponit argumenta: *In Ecclesia non potest esse error damnabilis; sed hic esset error damnabilis, si veneraretur tanquam sanctus, qui fuit peccator, quia aliqui scientes peccata ejus crederent hoc esse falsum: & si ita contigerit, possent ad errorem perduci. Ergo Ecclesia in talibus errare non potest. Secundò Augustinus dicit in epistolâ ad Hieronymum, quod si in Scripturis canonicis aliquod mendacium admittatur, nutabit fides nostra, quæ ex Scriptura canonica dependet. Sed sicut tenemur credere illud, quod*

ea

est in S. Scriptura, ita illud quod est communiter per Ecclesiam determinatum. Unde hæreticus judicatur, qui sentit contra determinationem conciliorum: ergo commune judicium Ecclesiæ erroneum esse non potest, & sic idem quod prius. Postquam verò propriam protulit sententiam, quam refert Natalis in scholio, nil dicens adversùs argumenta Papæ infallibilitatem in Sanctorum canonizatione asserentia, ita contraria refellit: *Ad primum dicendum, quòd Pontifex cujus est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicujus per inquisitionem vitæ, & attestationem miraculorum, & præcipuè per instinctum Spiritus S. qui omnia scrutatur etiam profunda Dei. Ad secundum dicendum, quòd divina Providentia præservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur.* En ergo quòd quamvis S. Thomas infallibilitatem Pontificis in Sanctis canonizandis non omnino elevet ad illum infallibilitatis gradum, quem sibi vendicant fidei dogmata a Papa definita; nihilominus in hoc etiam agnoscit Pontificem ab omni errore immunem: connexa enim atque inseparabilia ex eo hujusmodi sunt, infallibile nempe esse non posse introduci in Ecclesiam errorem damnabilem, cùm spectet ad divinam Providentiam ab eodem illam præservare; & infallibile esse Pontificem errori obnoxium non reputandum in Sanctis canonizandis. Unde Pontifex Sanctorum Fastis aliquem adscribens nullam habet sibi timendi occasionem, neque de sui judicii infallibilitate trepidandi. Cæterùm ego lubentissimè illis consentio, qui non solùm Fidei proximum agnoscunt non posse Pontificem in Sanctis canonizandis errare, sed & de Fide esse arbitrantur; quibuscum sentiens S. Bonaventura *opusc. contr. Gulielm.* ait: *Ad infidelitatem spectat de Sancti canonizati gloria dubitare.*

DISSERTATIO XVIII.

De numero Nicænorum Canonum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quot Canones Nicæna Synodus condiderit?

PROPOSITIO.

Viginti dumtaxat Canones a Synodo Nicæna editi sunt.

Probatur primò ex omnibus versionibus antiquis, & ex ea quam Dionysius Exiguus adornavit: sed maximè ex ea quæ sub Attico Episcopo Constantinopolitano a Theilone & Tharisto elaborata est, quando ab eodem Attico Nicæni Canones missi sunt ad Concilium Carthaginense sextum, cui hactenus extant annexi, anno Christi 419. cùm enim illæ omnes versiones 20. dumtaxat Canones Nicænos exhibeant, prorsus asserendum est, nec plures, nec pauciores a Patribus Nicænis editos fuisse.

Confirmatur ex controversia de Appellationibus, quæ Romanam Ecclesiam inter & Africanam orta est in caussa Apiarii Siccensis Presbyteri, qui ab Episcopo suo excommunicatus, Romam appellaverat. Res ita se habuit. Misit Zosimus Pontifex Faustinum Episcopum Legatum suum ad Concilia Africæ, datos ipsi in mandatis, ut Africanos Antistites ad observationem Nicæni Canonis (ita septimum e Sardicensibus vocabat) hortaretur. Verùm Alypius Episcopus Thagastensis, & legatum Numidiæ, *dubios esse Canones* a Faustino prolatos excepit: quia in Græcis Nicæni Concilii exemplaribus a Cæciliano Carthaginensi Episcopo, qui Synodo interfuerat, in Africam delatis, minimè inveniebantur. Quamobrem postulavit ut ad Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum, necnon ad Constantinopolitanum Episcopum legati supplicibus cum Epistolis mitterentur, quibus rogarentur illi, ut authentica Nicæni Concilii exemplaria ex suarum Ecclesiarum scriniis, suarum literarum confirmata testimonio dirigerent, ex quibus omnis postmodum ambiguitas auferretur, & certò constaret an revera hi Canones, quos Faustinus protulerat, Nicænam ad Synodum pertinerent. Quin etiam, suggerente Faustino Sedis Apostolicæ Legato, de his monendum esse Bonifacium Zosimi successorem decreverunt, ut & ipse in conquirendis Concilii Nicæni germanis exemplaribus operam navaret. Effectus legationis ab Africanis in Orientem missæ is fuit, ut Cyrillus Episcopus Alexandrinus, & Atticus Constantinopolitanus ad Africanos miserint exemplaria Concilii Nicæni, in quibus viginti dumtaxat Canones legebantur, nec extabat ille quem Zosimi jussu protulerat Faustinus. Ista constant ex Concilio Carthaginensi sexto, & ex Epistolis Concilii Africani ad Bonifacium Romanum Pontificem, & ad Cœlestinum Primum. Ex quibus colligitur, viginti dumtaxat Canones in Concilio Nicæno editos fuisse.

Probatur secundò auctoritate Theodoreti, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. scribentis: *Episcopi rursus in Concilium convenientes, de administratione Ecclesiastica leges, seu Canones viginti conscripsere.*

Tertiò ex Gelasio Cyziceno, lib. 2. cap. 31. ubi ad calcem Nicænorum Canonum, ait: *Has viginti leges Sanctus ille Episcoporum consessus in præsentia Deo carissimi & celeberrimi Imperatoris Constantini, de administratione Ecclesiastica scripsit.*

Quartò Auctoritate Hincmari Remensium Archiepiscopi in Epistolâ ad Hincmarum Laudunensem nepotem suum, in qua viginti dumtaxat a Nicæna Synodo sancitos Canones asserit, hoc nixus argumento, quòd plures inserti non fuissent Codici Ecclesiæ in Synodo Calchedonensi relecto. Cùm enim Act. xi. caussa Stephani & Bassiani de Episcopatu Ephesino contendentium agitaretur, Stephano ad Canones provocante, Leontius Magoesiæ Episcopus ex illo Codice legit Canones 95. & 96. id est 16. & 17. Antiochenos; at Canones isti Antiocheni locum illum in Codice Ecclesiæ obtinere non poterant, si Nicæni numerum viginti superassent: quia in illo Codice primò descripti erant Nicæni Canones, deinde Ancyrani 24. postea Neocæsareenses 14. quartò 20. Gangrenses, quintò 25. Antiocheni, sextò Laodicæni, postremò Constantinopolitani. Quem ordinem servando, necesse est ut Canones Antiocheni 16. & 17. sub numeris 95. & 96. descripti fuerint. Viginti igitur dumtaxat Nicæni Concilii Canones illo in Codice extitisse fatendum est. Unde sapienter ait Hincmarus: *Veterum auctoritas veraci attestatione confirmat, non plura fuisse Nicæni Concilii capitula, quàm illa quæ ex antiqua consuetudine Catholica tenet Ecclesia.*

Detègit ibidem Hincmarus, quidnam dederit nonnullis ansam opinandi plures esse viginti Canonibus Nicænis: quòd scilicet Osius Sedis Apostolicæ in Synodo Legatus, ex legibus Romanis, & veterum Episcoporum decretis varia collegerit capitula, quæ detulit ad Synodum: qua deinde peractâ, plura hinc inde vulgavit. Unde is in aliquorum animos irrepsit error, ut regulas illas ab Osio collectas, Nicænos esse Canones existimarent. Hanc opinionem asserit apud majores fuisse non incertam. Cujus rei sit fides penes Hincmarum. Nulla

la

la namque Antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta huic conjecturæ suffragantur.

Non ignoro viginti duos Canones Nicæni Concilii a Ruffino recenseri, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 6. sed id ex eo contigit, quòd sextum & octavum ipsi in duos dividere placuerit.

Rationes Baronii Cardinalis & aliorum adversùs numeram 20. Canonum Nicænorum.

Objicies primò. Falsarius non est dicendus Zosimus, qui citavit Nicænum Canonem de appellatione ad Sedem Apostolicam (ut constat ex Concilio Carthaginensi 6.) Qui tamen inter viginti illos nequaquam numeratus habetur, neque apud Græcos invenitur; quem Theodoretus velut digito signat, cùm lib. 2. Histor. cap. 4. de Julio Romano Pontifice Eusebianos ad suum tribunal vocante scribit: *Ille Ecclesiæ Canonem sequutus, & eos jussit Romam venire, & divinum Athanasium, quò pro se in judicio ipse responderet, vocavit.* Sed quinam iste Ecclesiæ Canon? (inquit Baronius) non certè Sardicensis Concilii, quod nondùm fuerat celebratum: ergo Nicæni. Hunc etiam Canonem intellexit Julius Pontifex in Epistolâ ad Episcopos Eusebianos, in qua scribit: *Hujusmodi consuetudo* [appellandæ scilicet Apostolicæ Sedis] *olim fuit, ejusque memoria renovata est, & scripto prodita in magna Synodo*; Id est in Synodo Nicæna.

Respondeo, Canonem a Zosimo Pontifice laudatum ad stabiliendum jus appellationum ad Apostolicam sedem, non fuisse Nicænum, sed Sardicensem, quem Zosimus velut Nicænum laudavit, sive errore facti, quod ea tempestate Canones Nicæni & Sardicenses in eodem Codice descripti essent, ac utrisque, nullo discrimine habito, idem titulus præfixus esset Canonum Nicænorum [quæ conjectura vetusti Codicis a Christophoro Justello editi auctoritate nititur.] Sive necessitate quadam adductus fuerit Zosimus, ut Canones Sardicenses sub nomine Concilii Nicæni laudaret, quod Innocentius Primus apertè dixisset, Ecclesiam nullis aliis Canonibus uti præterquam Nicænis, in judiciis caussarum Ecclesiasticarum. Neque ideò falsi postulari potuit Zosimus: Nicæna quippe Synodus Ecclesiæ Romanæ privilegia confirmaverat sexto Canone: *Suis*, inquit, *privilegia serventur Ecclesiis*. Sardicensis verò eadem privilegia explicuerat tantùm, quamvis magnificentiùs. Possunt itaque sic accipi Zosimi verba: *Ita Patres dixerant in Niceno Concilio*: id est, id ex Nicæno Concilio colligitur, cujus Canones Patres Sardicenses sunt interpretati. Concilium namque Sardicense velut appendix Nicæni apud Veteres habebatur; tum quòd iidem fere Episcopi ad utrumque convenissent; tum quòd nihil de fide in Concilio Sardicensi fuisset de novo constitutum; ideoque Concilium Sardicense sub Nicæni nomine interdum laudabant, quod etiam S. Leo præstitit ad Theodosium Imperatorem scribens. Neque verò huic responsioni repugnat Theodoreti auctoritas, asserentis Julium Pontificem Maximum, cùm jussit Eusebianis & Athanasio ut Romam venirent caussam dicturi, secutum esse Ecclesiæ Canonem. Legem enim Ecclesiæ intelligit Concilio etiam Nicæno antiquiorem, quam nullius Synodi sanxit auctoritas, sed quam Apostoli, vel ipsorum discipuli observandam esse sanxerunt, & Ecclesiæ deinde firmavit usus, ut primarum sedium Orientis Episcopi, seu Alexandrinus, & Antiochenus Patriarchæ, judicari non possent, nisi re priùs cum Romano Pontifice, & Occidentalium Episcoporum Concilio communicata.

Verba verò Julii Pontificis Maximi appellationes ad Romanam Sedem non spectant; sed spectant morem retractandi prioris Synodi acta in posteriore Synodo frequentiori, quam consuetudinem Nicæni Patres exemplo suo renovarunt, & scripto prodiderunt, non in Canonibus, sed in Actis contra Arium, cujus caussam a Sancto Alexandro ipsius Patriarcha, & ab ejus Synodo judicatam, iterum discusserunt. Hoc solùm voluisse Sanctum Julium constat ex ipsius verbis in Epistolâ laudatâ: *Quocirca Episcopi in magna Synodo Nicæa congregati, non sine Dei consilio permiserant prioris Synodi acta in alia Synodo examinari, ut & illi qui judices erant, præ oculis habentes secundum de ea ipsa re judicium futurum, eam omni diligentia caussam expenderent, & illi qui sententiam acceperant, certò agnoscerent, se non per simultatem priorum judicum, sed jure & meritò condemnatos esse. Quòd si istiusmodi consuetudo olim fuit, ejusque memoria renovata est, & scripto prodita in Magna Synodo, eamque apud vos valere non sinitis, rem profectò indecoram facitis. Morem enim qui semel in Ecclesia obtinuit, & a Synodo confirmatus est, iniquum est a paucis abrogari.*

Objicies secundò. Sanctus Hieronymus affirmat in Synodo Nicæna de Scripturis authenticis, seu de Libris Canonicis editum esse Canonem. Sic enim Præfat. in librum Judith. *Apud Hebræos*, inquit, *liber Judith inter agiographa legitur: cujus auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minùs idonea judicatur. Chaldæo autem sermone conscriptus, inter Historias computatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestræ*, &c. Nemo igitur inficias ire potest ejusmodi Canonem, quo librorum sacrorum definiebatur numerus, penitus excidisse.

Præterea, de bigamis non ordinandis Nicænum Canonem citat S. Ambrosius in Epistolâ ad Vercellensem Ecclesiam. Ait enim: *Sed priùs cognoscamus, non solùm hoc Apostolum de Episcopo & Presbytero statuisse, sed etiam Patres in Concilio Niceno tractatus addidisse: neque Clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit.* At hic etiam Canon desideratur, & extra numerum 20. illorum, quos habemus, positus est. Cùm ergo nemo affirmare audeat SS. illos Patres mentitos esse, necessariò admittendi sunt plures quàm viginti Canones Nicæni.

Tertiò. Episcopi Africani in III. Concilio Carthaginensi sub Siricio Pontif. Maxim. constitutum a se Canonem 20. *Ut nonnisi a jejunio sacrificium offeratur*, in Nicæno Concilio sancitum fuisse, profitentur inferiùs Canone 48. *De fide enim Niceni tractatus audivimus. Verum & de sacrificiis inhibendis post prandium, ut a jejunis* [*sicut dignum est*] *offeratur, & tunc, & nunc confirmatum est.*

Quartò. In Synodo Nicæna constitutus est Canon de modo Epistolæ Formatæ conscribendæ, ut testatur Atticus Episcopus Constantinopolitanus apud Gratianum, Distinct. 73. cap. 1. & 2. plures itaque quàm viginti Canones Nicæni admittendi sunt.

Ad istorum argumentorum solutionem, supponendum est ex Gelasio Cyziceno, in Præfatione Historiæ Concilii Nicæni, ipsum vidisse & legisse ingens volumen Actorum Nicænæ Synodi a Dalmatio Cyziceno conscriptum, ex quo velut ex immenso mari plurima collegit, annotavit, in compendium redegit. Codex autem ille, ut ait, complectebatur Sanctorum Patrum, ac sanæ Doctrinæ Episcoporum dogmata, quæ adversùs Arianos objecerunt, & scriptas redargutiones adversùs illorum blasphemiam, & mercenariorum Arii Philosophorum adversùs Episcopos contradictiones, & solutiones sophismatum ab illis objectorum; *& omnem omnino tractationem illic habitam de Apostolicis Ecclesiæ Constitutionibus*. Quibus innuit, discussos a Nicænis Patribus omnes Canones in antecessum editos, & variè de illis a variis Episcopis pronuntiatum. Idem rursus Ge-

la-

lasius, lib.2. cap.30. Constitutinnes Ecclesiasticas, (Græci διατυπώσεις nominant) a Canonibus distinguit, quos illi ὅρους nuncupant: & Diatyposes quidem paucas ex multis se descripsisse ait. Sunt autem numero novem, quarum sexta realem corporis Christi in Sacra Eucharistia præsentiam egregiè coofirmat. Canones autem viginti duntaxat recenset, ac editos fuisse profitetur.

His positis, respondeo ad primum, Librum Judith a Nicæna Synodo in numero Sacrarum Scripturarum computatum, Sanctum Hieronymum dixisse, non in Canone, qui ea de re nullus editus est, sed in Actis Synodi & tractatibus Nicænorum Patrum, in quibus is liber laudatus est: quæ Acta Sancti Hieronymi temporibus adhuc integra fuisse, constat ex ipsius Dialogo adversùs Luciferianos. Itaque sicut Epistolam S. Pauli ad Hebræos, dubiæ olim auctoritatis, stabilimus ex Ephesina Synodo, Sancti Cyrilli capitula contra Nestorium approbante, quibus in capitulis testimonium ex illâ Epistolâ velut ex Canonica Scriptura laudatur: Ita Sanctus Hieronymus librum Judith in Canone Sacrarum Scripturarum existimavit recensendum, Nicænæ Synodi auctoritate fretus; quòd Patres sive in suis disputationibus, sive in aliis Tractatibus Ecclesiasticis, librum illum ceu Scripturam authenticam laudassent. Cæterùm quòd liber Judith a Nicæna Synodo non fuerit edito Canone sacros libros inter numeratus, certò constat ex SS. Gregorio Nazianzeno, & Amphilochio, qui librum illum inter Canonicos non recensent, quod nefas fuisset, si ea de re Canon a magna Synodo fuisset constitutus. Quid quòd ipse Hieronymus Epistolâ 118. ad Chromatium & Heliodorum datâ, ait: *Judith librum legit quidem Ecclesia, sed inter Canonicas Scripturas non recipit?* Et in Epistolâ ad Furiam: *Legimus in Judith, si tamen placet volumen recipere.* Certè in hoc non hæsitasset Sanctus Hieronymus, neque hoc pacto locutus fuisset, si Canonem ea de re in Synodo Nicæna novisset editum.

Ad secundum respondeo, Aliud esse tractatus habere, aliud Canones edere. Sanctus Ambrosius de Bigamis non ordinandis tractatus habitos a Patribus Nicænis testatur: quos tractatus contigisse verisimile est, cùm de mulierum subintroductarum contubernio & familiaritate Clericis interdicenda actum est. At constitutum ea de re Canonem, ex Sancto Ambrosio nusquam evincetur.

Ad tertium respondeo, Canonem illum de sacrificiis post prandium inhibendis, non referri ad Synodum Nicænam, sed ad ipsammet Carthaginensem tertiam, quæ jam Canonem ea de re ediderat. Nam quod præmittitur ab Honorato & Urbano Mauritaniæ Sitifensis legatis; *De fide enim Nicæna tractatus audivimus*, ad illum Canonem de sacrificio a jejunis dumtaxat offerendo, non refertur; sed ad id quod suggerebant illi, & quod in mandatis habebant ab aliis Episcopis suæ Provinciæ, ut scilicet decerni postularent, Ordinationes Episcoporum nonnisi a duodecim celebrandas: quia proximè contigerat, ut duo Episcopi Numidiæ Episcopum inaugurare præsumpsissent. Expositus fuerat Nicænus Canon quartus Episcoporum de Ordinatione decernens, ut a tribus saltem fieret, consentientibus aliis, qui propter locorum distantiam, aut itineris difficultates, venire non possent. Nondum tamen satisfecerat Concilium illorum legatorum petitioni, quia expectabantur alii ex Numidia legati: Sed quia diu expectati non venerant, profitentur se non posse ultra prætermittere, quæ sibi mandata sunt a suis Coëpiscopis. *Atqui adeò*, inquiunt, *Fratres, suggestionem nostram admittite: de fide enim Nicæni tractatus audivimus*: Id est, de Nicæno Canone modum sacrarum Ordinationum celebrandarum statuente. Verùm & de sacrificiis post prandium inhibendis, & tunc, & nunc confirmatum est; id est, & superiùs sancito Canone 29. & nunc illum ratum habendo.

Ad quartum respondeo, Nullum de modo conscribendæ Formatæ Epistolæ Canonem a Nicæna Synodo editum fuisse, & suppositum videri Attici Constantinopolitani testimonium; siquidem Atticus ipse in exemplari Nicænorum Canonum ad Patres Africanos in Synodo sexta Carthaginensi congregatos misso, nullum impressit illius Canonis vestigium. Sed esto, Formatæ Epistolæ exemplar ibi conscriptum sit; inter Canones tamen relatum nego. Nec me Gratiani illud in sua Collectione referentis movet auctoritas. Quis enim nesciat Gratianum spurios Canones a genuinis non satis discrevisse? *Epistola Formata;*

Antiquissimum tamen esse non inficior Formatarum Epistolarum in Ecclesia usum, de quo Optatus Milevitanus lib.1. *Nobis*, inquit, *totus orbis commercio Formatarum in una communionis societate communicat.* Harum & Sanctus Augustinus meminit Epistolâ 163. ubi quærit a Donatistis, *Utrùm Epistolas communicatorias, quas Formatas dicimus, possent, quò vellent, dare.* Harum antea meminit Antiochena Synodus, easque *Canonicas Epistolas* vocat, & pagorum Presbyteris earum concessionem vetat. Easdem vocat *pacificas & commendatitias*. Has Calchedonensis Concilii Canon undecimus *Ecclesiasticas pacificas* appellat, easque a commendatitiis distinguit, priores quibuscumque Christianis communione Ecclesiasticâ fruentibus: posteriores verò honoratioribus tantùm personis dandas esse decernens. De his intelligitur Canon 13. Concilii Cabilonensis secundi prohibens *Abbatibus, Martyrariis,* Reclusis, vel Presbyteris, ne Epistolas dare præsumant.* Quod jus solis etiam Episcopis vendicat Concilii Turonensis secundi Canon sextus. Sed & ante Nicænam Synodum, literas hujusmodi in Ecclesia concedi solitas velut Ecclesiasticæ communionis, & Christianæ atque Catholicæ Fidei tesseram, constat ex Concilio primo Arelatensi Canone 7. quo sancitum est, ut Fideles qui ad Præsidis munus promoverentur, *Literas acciperent Ecclesiasticas communicatorias.* Et ex Canone 9. quo statutum est, ut *Qui Confessorum literas afferrent, sublatis eis, alias acciperent communicatorias*,

** Martyrarii, Clerici erant Oratoriis in quibus quiescebant corpora Martyrum, præfecti.*

Tunc autem hæ Epistolæ vocatæ sunt Formatæ, cùm arcana quarumdam notarum specie formari cœptæ sunt, seu quibusdam characteribus consignari, quorum arcana esset significatio, & solis Ecclesiæ alumnis nota. In iis exarabantur Græca elementa initialia Patris, Filii, Spiritus Sancti, π. υ. α. π. primas etiam literas nominis Episcopi qui eas dabat, ejus ad quem scribebantur, ejus cui dabantur, civitatis e qua mittebantur, & Indictionis, una serie apponi mos erat, & postea vocem AMHN. Harum propterea ex Ecclesia Græca in Latinam derivatam fuisse Formulam, probabile est. Harum exempla initio noni sæculi antiquiora non habemus in Ecclesiæ Latinæ monumentis, ut videre est inter antiquas Formulas relatas in appendice Tomi 8. Concilior. Edit. Patris Labbæi. Videntur decepti Latini Antistites, qui his characteribus π. υ. α. π. nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti, necnon Sancti Petri designari putaverint. Nam si Græcorum istorum elementorum postremum, initiale esset nominis S. Petri in eorum intentione qui hanc Formulam invenerunt, id est, Si Petri nomen etiam designari literis illis voluissent, nomen integrum Spiritus Sancti non expressissent. Siquidem hi characteres ad significanda hæc nomina usu Ecclesiastico de-

stinata sunt: πάτηρ, υἱὸ, ἅγιον πνεῦμα. Qua in re & Viri eruditi, qui hoc de argumento scripserunt, hallucinati fuere. His autem, vel similibus characteribus consignatas ac formatas Epistolas Ecclesiasticas arbitror Eunomianorum occasione, qui notas quasdam ignotas apponebant Epistolis, quas suę Sectæ hominibus tradebant, quibus ab eorum Symmistis agnoscerentur. De his Sozomenus, lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 17. testatur, *Inter ipsos fas non esse in orationis communionem venire cum his qui aliunde adveniunt, nisi literas afferant, quæ ipsos in opinione cum hisce convenire declarent, per notas quasdam Epistolis inscriptas, quas alii non intelligant*. Ne igitur fraus obreperet aliqua, & Hæretici ad Communionem imprudenter admitterentur, forsan Episcopis visum est Epistolas communicatorias, quarum antea forma erat arbitraria, his characteribus consignare.

Objicies tertiò ex Præfatione Sancti Isidori Hispalensis in tomum Conciliorum & Decretorum, asserentis plura esse capitula Nicæna quàm viginti. Primò quia in Decretis Julii Papæ septuaginta capitula ejusdem Synodi esse debere legimus. Secundò, quia Concilium Constantinopolitanum Canone 2. & Innocentius primus in Epiststolâ ad Victricium Rothomagensem, decernunt ut caussæ Clericorum tam majoris quàm inferioris ordinis, a Synodis Provincialibus judicentur, *secundùm Canonem Nicænum*. Qui Canon inter nostros viginti non extat. Tertiò, quia Theophilus Episcopus Alexandrinus meminit in suis Epistolis, statutum esse in Concilio Nicæno, ut Dominica immediatè sequente Lunam 14. Pascha celebraretur. Plures itaque sunt Canones Nicæni, quàm viginti vulgares.

Respondeo, præfationem illam in Concilia immeritò adscribi Sancto Isidoro Hispalensi quæ Isidori Mercatoris est, qui & illam Julii Epistolam, & alias Veterum Pontificum ad Siricium usque supposuit. Unde nulla est ipsi adhibenda fides. Ad secundum respondeo; illum Canonem a Concilio Constantinopolitano laudatum, esse sextum Nicænum, quo sua Ecclesiis privilegia servari jubentur. Privilegium enim Ecclesiarum est, quòd singulæ per Synodos suas Provinciales administrentur. Unde id a Nicæna Synodo constitutum rectè dicere potuerunt Synodi secundæ Oecumenicæ Patres, quia ea disciplina colligebatur, ex Nicænis Canonibus. Innocentius verò Primus laudat Canonem quintum Synodi Nicænæ, quo Synodis Provincialibus caussarum Ecclesiasticarum cognitio & judicium permittitur. Quod autem addit de majoribus caussis ad Sedem Apostolicam, post Episcopale Judicium referendis, *sicut Synodus statuit*, ad Synodum Sardicensem refertur, cujus Canones Nicænos vocavit, sicut & illius Successores Zosimus, & Sanctus Leo, ob rationem superiùs adductam. Respondeo ad tertium, istam de celebrando Paschate regulam non Canone, sed Synodali decreto fuisse constitutam, ut constat ex Epistolâ Concilii ad Ecclesiam Alexandrinam, & ex Eusebio, lib. 3. *De Vita Constantini*.

Objicies quartò. Sanctus Athanasius in Epistola ad Marcum Papam, asserit septuaginta esse Nicæni Concilii capitula. Plures igitur admittendi sunt quàm viginti, Nicænæ Synodi Canones.

Respondeo, Hanc Epistolam suppositam esse Sancto Athanasio. Varias suppositionis rationes afferunt Eruditi. Primò, quòd eo anno quo data fingitur, jam in Galliis exul ageret Sanctus Athanasius, adeòque non potuerit cum Ægyptiis Episcopis scribere ad Marcum Romanum Pontificem. Secundò quòd loquatur de persecutione quam Ecclesia Alexandrina ab Arianis passa est: hæc autem sub Marci Pontificatu non contigit, sed Liberii, cùm Georgius in Sancti Athanasii Sedem auctoritate Constantii intrusus est. Tertiò, quòd ex sententiis Attici, Cælestini Primi, Sancti Leonis, malè consutis concinnata sit. Quartò quòd eumdem auctorem oleat, quem Epistola Marci ad Sanctum Athanasium pariter suppostitia: quippe quæ falsâ Consulatus notâ consignata sit. Data enim scribitur 10. Cal. Novemb. Nepotiano & Secundo Viris Clariss. Coss. At nullus Nepotiani cum Secundo Consulatus, sed cum Facundo, anno Domini 336. quo anno Marcus sedit a 16. Januarii ad 7. Octobris. Proindeque data est Epistola die 16. a Marci obitu.

Objicies quintò. Secunda Synodus Arelatensis confirmat Canonem magnæ Synodi quo falsi fratrum accusatores a communione usque ad obitum suspenduntur. Magna autem Synodus est Nicæna: cùm itaque eo de argumento nullus Canon extet inter viginti vulgatos Nicænæ Synodi Canones, plures admittere oportet.

Respondeo, Magnæ Synodi nomine hìc intelligi Arelatensem primam quæ decimum quartum Canonem sanxit adversùs falsos fratrum accusatores, occasione Donatistarum, qui Cæcilianum & alios Episcopos Catholicos falsò traditionis Sacrorum Codicum accusabant. Meritò autem vocatur Magna Synodus, quia ad eam ducenti Episcopi ex infinitis propè mundi partibus convenerunt.

Objicies sextò. Innocentius Primus, Epistola 23. ad Synodum Toletanam scribit, eos qui post baptisma militarint, caussas egerint, coronati fuerint, Sacerdotium sustinuerint, editiones publicas celebrarint, itemque omnes Curiales, ex Nicæni Concilii decreto irregulares esse. Atqui decretum illud non legitur in aliquo vulgatorum Canonum, plures igitur conditi fuerunt quàm viginti.

Respondeo Decretum illud Nicænum ab Innocentio I. indicatum, esse Canonem partim 10. partim 12. Concilii Nicæni, quibus vetatur ne lapsi admittantur ad Clerum. Hujusmodi enim munia, quæ recenset Innocentius, idololatriæ vitio ut plurimùm pollucbantur.

Objicies septimò. Sanctus Leo Magnus Theodosium urget Epistolâ 24. ut Flaviani Episcopi Constantinopolitani caussam & appellationem a Latrocinio Ephesino Romæ retractari sinat, Canonem Nicænum laudans: qui certè non legitur inter viginti vulgatos; proindeque plures admittendi sunt.

Respondeó Canonem a Sancto Leone inibi laudatum, esse quartum Sardicensem, quem solemni Ecclesiæ suæ more, Nicænum vocavit.

Objicies octavò. Theodosius Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus, Actione 3. Concilii Calchedonensis, Dioscorum accusat prævaricationis in Canones Nicænos, quòd in S. Leonem sit ausus excommunicationem pronuntiare: atqui hoc facinore non videtur violasse aliquem Canonem ex vulgatis: alios igitur admittere necesse est.

Respondeo negando minorem. Violavit namque Nicænum Canonem sextum, quo Ecclesiarum privilegia sarta tecta servantur, adeòque & privilegium Romano Pontifici ratione primatus conveniens, ut ab aliis Patriarchis, extra legitimam & verè Oecumenicam Synodum judicari non possit: & Sardicense decretum adversùs Eusebianæ factionis inauditum hucusque facinus, quo excommunicationem in Julium Primum Pontificem Maximum evomuerat. Quod decretum, quia Nicæni Canonis sexti magnifica interpretatio est, a Theodosio Nicæni nomine Canonis laudatum fuit.

Objicies nonò. Sanctus Cyrillus Alexandrinus in Epistolâ ad Atticum Constantinopolitanum, cujus fragmentum refert Facundus Hermianensis, lib. 4.

lib. 4. cap. 1. Atticum graviter arguit, quòd Joannis Chrysostomi synodaliter de Episcopatu dejecti nomen sacris Ecclesiæ tabulis inseruisset, atque inter Episcopos conscripsisset, Nicænis Canonibus insuperhabitis. Porrò nullus est Canon e viginti vulgatis, cujus observantiam Atticus hoc agendi modo infregerit: Canones igitur plures quàm viginti Nicænæ Syundi sunt agnoscendi.

Respondeo nego, minorem: Qui enimverò a Sancto Cyrillo laudatus est Canon, quintus est inter Nicænos, prohibens ne quis Episcopum excommunicatum ab aliis Coëpiscopis recipiat, ac restituat. Porrò exauctoratum Episcopum sacris post obitum inserere Dyptichis, est ipsum quodammodo restituere. Peccasset igitur contra Nicænos Canones Atticus, ipsumque meritò Cyrillus increpuisset, si legitima Joannis extitisset damnatio. At iniquam fuisse, & deceptum ea in causa Cyrillum, qui Sancti Joannis Chrysostomi memoriæ fuit subinsensus, & a Sancto Isidoro Pelusiota emendatum, notabimus suo loco.

Objicies decimò. Nicolaus Primus, Epistolâ 42. ad Episcopos Galliæ, asserit Episcoporum caussas esse de majoribus Ecclesiæ caussis, ideòque sine prævia ad Sedem Apostolicam relatione deponi non posse Episcopum a Provinciæ Synodo; idque in Concilio Nicæno constitutum: alio utique Canone a vulgatis.

Respondeo Nicolaum Primum spectasse quartum Canonem Sardicensem, quem more suæ Sedis Nicænum vocavit: quamvis judicia Episcoporum inter Majores Ecclesiæ caussas ipsum non rectè numerasse, Viri quidam Eruditi contendant.

Objicies undecimò. Sanctus Gregorius Turonensis, lib. 9. cap. 33. laudat Canonem Nicænum dicentem anathema mulieri virum profitendæ Religionis prætextu relinquentii. Hic autem Canon extra numerum est 20. vulgatorum.

Respondeo, Deceptum fuisse Sanctum Episcopum in hoc, ut in pluribus aliis. Canon ille Concilii Gangrensis decimus-septimus est, contra Eustathium editus, qui matrimonium etiam consummatum, Religionis causâ solvi propugnabat, & nuptias aversabatur.

Objicies duodecimò, a B. Petro Damiani in Epistolâ ad Capellanos Godefridi Ducis Lotharingiæ, Nicænum Canonem laudari qui solis Lectoribus nuptias permiserit. Hic autem alius est a 20. vulgatis.

Respondeo, Sanctum Petrum Damiani spectasse Canonem 3. quo sanxit Nicæna Synodus, non licere alicui omnino qui in Clero est, subintroductam habere mulierem: quamvis Canonis illius sensum vir sanctus assecutus non fuerit.

Objicies decimotertiò. Nicæna Synodus prohibuit ne duo Episcopi in eadem civitate ordinarentur. Quem Canonem se ignorasse dolet S. Augustinus, cùm Valerio adhuc vivente Hipponensis Episcopus superordinatus est. Sic enim habet Epistolâ 110. *Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ Patre & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo: quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat.* Ille autem Canon inter 20. vulgatos non extat; plures igitur conditi sunt in Nicæna Synodo Canones, quàm viginti.

Respondeo, nego minorem. Hic enim Canon est octavus Nicænæ Synodi, quo sancitum est ut Novatiani Episcopi in civitatibus, quibus præerat Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, vel solum Episcopalis nominis honorem, vel Chorepiscopatûs aut Presbyterii locum obtinerent: rationemque sui decreti Concilium addit: *Ne* inquit, *in una civitate duo Episcopi probentur existere.*

Objicies ultimò. Extant 80. Canones Nicænæ Synodi a Francisco Torriano Societatis Jesu Professore de Arabico in Latinum versi, deinde ab Abraamo Ecchellensi Maronita etiam vindicati; quos omnes Orientis Sectæ, nimirum Melchitæ, Jacobitæ, Nestoriani, Cophtæ, Abyssini, Armeni, Græci, & Maronitæ, ut legitimos Nicæni Concilii Canones agnoscunt, & venerantur. Plures igitur admittere quàm viginti, prorsùs necesse est.

Respondeo, Canones Arabicos supposititios esse, & communem esse omnium illarum Sectarum errorem, sive Hæreticæ sint, aut Schismaticæ, sive Catholicæ, & Romanæ Sedi communione conjunctæ, ut Canones illos pro genuinis habeant. Sed mens longè fuit alia veteris Ecclesiç Orientalis, quæ alios Canones a viginti vulgatis ignoravit, ut constat ex exemplaribus Nicænorum Canonum ad sextam Synodum Carthaginensem missis a Sancto Cyrillo Alexandrino Patriarcha, & ab Attico Constantinopolitano, & ex Codice Canonum, quo universa Ecclesia Græca tempore Concilii Calchedonensis utebatur.

Acta Nicæna Synodi scripto commendata, perierunt.

Quæres, utrùm Acta aliqua Nicæni Concilii conscripta fuerint? Respondeo, conscripta fuisse, ut ex Sancto Hieronymo in Dialogo contra Luciferianos, & ex Gelasio Cyziceno constat; sed maximè ex Sancto Athanasio *in libro de Synodis* dicente: *Quòd si ad hanc rem ipsius Synodi desideratur, supersunt Acta Patrum, neque hac in parte negligentes fuere qui Nicæa convenerunt, sed ita accuratè scripserunt*, &c. Hunc locum a Cardinali Baronio perperam intellectum contendit doctissimus Valesius, quòd in Græco textu nulla fiat actorum mentio, & de scriptis Patrum Nicænorum, non de Actis, illum exponit, quæ supersunt, scilicet de Symbolo, Canonibus, & Synodicâ Epistolâ. Sed in Græco textu non habetur etiam scriptorum nomini aliquid respondens potiùs quàm actorum, sed sic tantùm: *ἐς τὰ τῶν πατέρων* quæ ad Acta non minùs, imò convenientiùs, quàm ad scripta referuntur. Certè si vetus Ecclesia Notarios instituit qui Martyrum Acta conscriberent, & omnia ipsorum verba exciperent: verisimile est Nicænos Patres minorem non adhibuisse curam & diligentiam ut singula tam sacri cœtûs gesta, & dicta memoriæ mandarentur; cùm id maximi in Ecclesia momenti futurum ignorare non possent.

Valesii objectionibus respondetur.

Objicit Valesius testimonium Eusebii asserentis, ea tantùm scriptis mandata esse, quæ communi Episcoporum consensu definita fuere, & eorum subscriptionibus confirmata. Sic autem habet, lib. 3. *De Vita Constantini*, cap. 14. *Porrò ea quæ in commune placuerant, scriptis mandata, & singulorum subscriptione roborata sunt.* Sed hic Eusebii locus non probat Acta conscripta non fuisse. Si enim cunctis Patribus in commune placuit ut Acta ederentur, ut placuisse verisimile est, illa scriptis mandata fuisse quis neget?

Objicit secundò vir doctissimus alterum Sancti Athanasii locum ex Epistolâ *De Synodi Nicænæ decretis*, in qua sic ad amicum scribit: *Quandoquidem tua Dilectio ea nosse desiderat quæ in Synodo gesta sunt, minimè cunctatus sum, sed statim tibi significavi quæcumque ibi acta sunt.* Porrò si Acta aliqua Nicænæ Synodi extitissent, non fuisset necesse ut Sanctus Athanasius de rebus ibi gestis ad amicum scripsisset, ad quem mittere Acta illa satis erat, quorum ex lectione res in Concilio gestas pleniùs cognoscere potuisset. Verùm neque hic Sancti Athanasii locus evincit nullâ Synodi Nicænæ Acta conscripta fuisse. Poterat enim Sanctus Patriarcha de singularibus aliquibus circumstantiis, quç scriptis forsan consignatæ non erant, amicum facere certiorem.

SCHOLION I.

In hac Dissertatione, pag. 149. Editionis primæ, Religiosi Censores, hanc Propositionem notant; *Papa potest judicari in Concilio Oecumenico*.

R. Hanc Quæstionem non attigi, hanc Propositionem affirmativè non enuntiavi hoc in loco; sed de *Dioscoro* Alexandrino Episcopo ita sum locutus: *Violavit Nicænum Canonem sextum, quo Ecclesiarum Privilegia sarta tecta servantur, adeòque & privilegium Romano Pontifici ratione primatus conveniens, ut ab aliis Patriarchis extra legitimam & verè Oecumenicam Synodum judicari non posset*, &c. Id asserui de quo omnes Catholici conveniunt, Romanum Pontificem ab aliis Patriarchis vel Episcopis extra Synodum generalem judicari non posse. An verò judicari possit in Synodo Oecumenica, hîc non asserui. Hæc tamen sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ opinio ac doctrina est, multorumque ex aliis regionibus & Academiis Catholicorum Theologorum.

SCHOLION II.

In eadem Dissertatione, pag. 150. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Judicia Episcoporum non sunt majores causæ Sedi Apostolicæ reservatæ, ex viris eruditis*.

R. Hæc Propositio non est mea, quamvis innoxia sit: Sed de *Nicolao I.* loquens, ita scripsi: *Quamvis Judicia Episcoporum inter majores Ecclesiæ causas ipsum non rectè numerasse, viri eruditi contendant*. Propositio mea spectat veterem Disciplinam, quæ *Nicolai I.* vigebat ætate: Propositio Religiosorum Censorum spectat præsentem Disciplinam, Sed [ut dixi] innoxia Propositio est. Viri certè Eruditi erant *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis, aliique Episcopi Gallicani, qui Judicia Episcoporum inter majores causas numeranda negabant, teste ipsomet *Nicolao I.* in Epistolâ ad illos datâ. *Sed dicitis*, inquit, *Judicia Episcoporum non esse majora negotia*. Vir eruditus erat *D. Petrus de Marca*, Parisiensis Archiepiscopus, qui majores causas interpretatur causas Fidei, & dubiæ Disciplinæ, non autem judicia Episcoporum; nisi in judiciis illis incideret difficilis quæpiam quæstio nondùm Canonibus finita, ut adnotavit *Hincmarus* in Epistolâ ad *Nicolaum I.* quam refert *Flodoardus*. Addit *Petrus de Marca*, Presbyterorum causas posse esse majores æquè ac causas Episcoporum, cùm scilicet de fide agitur. Sic majores causas, a *Pelagio Secundo* Pontifice Maximo in Epistolâ 8. ad *Joannem* Patriarcham Constantinopolit. definiri, *Majores & difficiles quæstiones, quas sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit ad Sedem Apostolicam semper referri*. Vigilium Romanum Pontificem ad *Eutherii* Consulta respondentem, Judicia Appellationum Episcoporum, & Majores causas, velut quasdam res prorsus diversas recensere. *Omnium appellantium Apostolicam Sedem Episcoporum Judicia*, inquit, *& cunctarum majorum negotia causarum eidem Sedi reservata esse liquet*.

Lib. 8. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 13.

Nota.

An Papa subsit Judicio Concilii Oecumenici, alibi expendendum.

Nota.

Puto Natalem Vigilii mentem non assequutum, dum credidit judicia appellantium Episcoporum, & majores causas tanquam res diversas descripsisse. Nemo non scit particulam & aliquando inter duas propositiones, ut cum Jurisperitis loquar, *declarativè* apponi, ac tunc quæ diversa sint non innuere. Ita Christus non ablegavit Petrum a numero Discipulorùm, dum Marc. 16. ait: *Dicite discipulis, & Petro*. Dum igitur Vigilius ait omnium appellantium Apostolicam Sedem episcoporum judicia, & cunctarum majorum negotia causarum eidem Sedi esse reservata, innuere voluit unam ex majoribus causis, de quibus ab ea cognoscendum erat, esse judicia episcoporum appellantium; ac a cæteris exprimendis abstinuit, sed in confuso recensuit. Veluti si quis de causa particulari ad tribunal ecclesiasticum delata sermonem habens diceret: Hæc causa, & cæteræ omnes, in quibus de ecclesiæ negocio sententia dicenda est, hujus tribunalis est judicare. De Causis majoribus dixi in Animadversionibus post Dissertationem 4. sæcoli 1. in quibus expendi Papæ potestatem in causis Episcoporum.

DISSERTATIO XIX.

DE HISTORIA PAPHNUTII cum Nicæno Canone III. Concilianda: & de Sacrorum Ministrorum Cælibatu.

Nicænæ Synodi Canon tertius, quo de agimus, his conceptus est verbis, secundùm Dionysii Exigui Versionem. *Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem: nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas, quæ suspicionem effugiunt*. De istius Canonis sensu ultrò citròque ab Eruditis disputatur. Quidam contendunt, illo continentiæ perpetuæ legem Clericis majoribus impositam fuisse. Alii hunccce Canonem uxorum ante Ordinationem ductarum usu sacris Ministris non interdicere contendunt. Quid hac de Quæstione sentiamus, Propositio sequens aperiet.

PROPOSITIO I.

Nicæna Synodi Canon tertius continentiam ab uxoribus ante sacram Ordinationem ductis majoribus Clericis non præcipit, nec proinde Historia Paphnutii ab Auctoribus Ecclesiasticis relata repugnat.

Probatur primò. Canon qui nullatenus de uxoribus intelligendus est, sed de extraneis dumtaxat fœminis, continentiam ab uxoribus ante Ordinationem ductis non præcipit majoribus Clericis: atqui Nicænæ Synodi Canon tertius nullatenus de uxoribus intelligendus est, sed de extraneis dumtaxat fœminis: continentiæ igitur ab uxoribus ante Ordinationem ductis legem majoribus Clericis non imponit.

Probatur minor. Canon ille subintroductarum dumtaxat mulierum contubernium Clericis vetat, quæ suspicionem malam adversùs ipsorum sanctitatem parere possunt: Sed uxores non sunt subintroductæ mulieres, & quæ malam suspicionem adversùs Clericos honestè cum illis degentes parere

rere possint: ille igitur Canon de uxoribos noo est intelligendus.

Probatur minor. Concilia Nicæno posteriora, quæ sancitam in eo Disciplinam circa Clericorum honestatem & convictûs sanctimoniam renovarunt, extranearum dumtaxat mulierum, sive ingenuarum, sive ancillarum, aut libertarum convictu ipsis intordixere, id est, quæ nullo sanguinis jure, vel matrimonii vinculo ipsis conjunctę essent, ut coostat ex Conciliis Ecclesiæ Africanæ, scilicet Carthaginensi I. Canone 3. altero Carthaginensi sub Aurelio, Canone 57. Carthagioensi 4. Canone 46. & ex Conciliis Ecclesiæ Gallicanæ, scilicet Arvernensi Canone 16. Agathensi, Canone 10. Turonensi 1. Canone 3. Turonensi 2. Canone 50. & ex Conciliis Ecclesiæ Hispaniensis, scilicet Ilerdensi, Canone 5. Hispalensi I. Canone 3. Toletaoo IV. Canone 41. Cùm itaque hęc omnia Concilia fœmioarum extranearum nomine easdem intellexeriot, quas Nicænum Concilium subintroductas appellavit, argumento est Nicænum Canonem uxores Clericorum non spectare, quas ante Ordinationem duxeroot.

Confirmatur. Tota retrò Aotiquitas Ecclesiastica subintroductarum nomine mulierum nusquam uxores, aut consanguineas intellexit, sed eas quę nullo sanguinis aut matrimonii fœdere Clericis conjunctæ, in ipsorum obsequio & ministerio essent, ipsisque conviverent sororio, vel quovis alio nomine pietatis & charitatis, unde & Agapetæ nuncupatæ sunt. Id constat primò ex Epistolâ Synodicâ secundi Concilii Antiocheni contra Paulum Samosatenum, in quo Patres perditos istius Hæresiarchæ mores describentes, ajunt: *Quid hic referre attiurt subintroductas, ut Autiocheni vocant, mulierre, tam ipsius, quàm Presbyterorum ejus ac Diacouorum? ...... Neque illud ignoramut, quot ex hujusmodi mulierum contubernio partim in præcepi lapsi fiat, partim iu suspicionem veurrint. Itaque etiamsi quis concesserit nihil ab eo turpe committi, suspicionem tamen quæ inde oriri solet, vitari oportebat; ne quemquam offeuderet, ueve aliquot ad imitationem sui provocaret. Quo enim modo increpabit aliam & admonebit ut a frequentiori mulieris consuetudine abstineat, ne fortè corruat, sicut scriptum est, Is qui uuam quidem jam dimisit, duas vero ætate florentes, & formâ conspicuas secum habet, & quocumque proficiscitur circumducit?*

Subiatroductarum nomiue mulictum, uxores aut consanguineæ-mulieres non significatæ.

Idem constat ex Sancto Basilio in Epistolâ ad Paregorinm Presbyterum, quâ ipsi jubet ut mulierem subintroductam, quam habebat in obsequiis, domo sua ejiciat, & ministerio virorum otatur, ad omnem offensionem vitandam: idque se jubere significat in executionem Niceni Canonis. *Nec primi*, inquit, *aet soli, Paregori, statuimus ne mulieres cum viris cohabitarent. Sed lege Canonem qui a Sanctis Patribus nostris Nicææ editue est, qui apertè prohibet ne fiut subintroductæ. In hoc autem situm est cœlibatus decus & honestas, quòd separati simus a consuetudine & consortio mulierum. Quare si quis id verbo professus revera ea faciat, quæ qui cum mulieribus cohabitant, apertè ostendit se virginitatis laudem nomine tantùm prosequi, sed a turpi voluptate non recedere. Tantò magis ergo oportebat te nostræ postulationi facilè acquiescere, quòd dicis te ab omni corporali perturbatione liberam; neque enim credo eum qui septuaginta aunos natus est, cum muliere ex cupiditate habitare: nec tamquam propter turpem aliquam actionem quæ facta fuerit, statuimus ea quæ statuimus; sed quia ab Apostolo docti sumus, fratri non esse ponendum offendiculum, vel scandalum. Eu de caussa decrevimus, Sanctorum Patrum constitutionem sequentem, ut a muliere separeris ...... Ejice eam a domo tua, & statue ipsam in Monasterio. Sit illa cum virgiaibus, & viri tibi famulentur: ne nomen Dei per vos blasphemetur.*

Idem constat ex Saocto Epiphanio Hæresi 67. ubi de Hieracithis nuptias damnantibus sic loquitor: *Subsannantur autem perfrictissimè propter eas, quas singuli habent, subintroductas mulieres, de quibus gloriari solent, se habere ipsas ad ministerium.* Et Hæresi 63. de turpibus Origenistis ait: *Dilectas appellatas, aliunde subintroductas, & cohabitantes fœminas habent.*

Idem constat ex Sancto Hieronymo, Epistolâ 22. ad Eustochium datâ, ubi has Agapetas, quas Nicæni Patres subintroductas mulieres vocaruot, id est, in locum matrum, sororum, aut filiarum ascitas & quasi adoptatas, disertè ab nxoribus distinguit: *Unde*, inquit, *in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? Immo unde uovum concubinarum genus? Plus inferam, unde meretrices univiræ? Eadem domo, uno cubiculo, sæpe uno tenentur & lectulo; & suspiciosos nos vocant, si aliquid existimemus. Frater sororem virginem deserit, cœlibem spernit virgo germanum, fratrem quærit extraneam: & cùm in eodem proposito esse se simulent, quærunt alienorum spiritaale consortium, ut domi habeant carnale commercium.* Ex quibus omnibus colligitur, nomine subintroductarum mulierum a Patribus nusquam iotellectas esse uxores, aut consanguineas; adeòque Nicænum Canonem quo prohibetur Clericis ne subiotroductas mulieres habeant, nxores ante Ordinationem ductas non spectare, neque continentiam ab ipsarum amplexibus illis præcipere.

Probatur secundò. Canon qui prohibet omnibus & singulis Clericis, etiam inferioris gradus ne subintroductas mulieres secum habeant, uxorum usu sacris Ministris non interdixit. Nusquam enim inferioris ordinis Clericis perpetuæ lex continentiæ imposita est, sive in Ecclesia Græca, sive in Latina: Sed Nicænus Canon, quo de agimus, omnibus Clericis, etiam inferioris gradûs, prohibet ne subintroductas mulieres habeant: *Nec alicui omnino qui in Clero est*, inquit, *licere subintroductam habere mulierem.* Canon itaque Nicænus uxorum ante Ordinationem ductarnm usu sacris Ministris non interdixit.

Probatur tertiò. Nicænus Canon prohibet Clericis non solùm ne subintroductis mulieribus ad voluptatem utantur, sed ne eas in domo sua retineant, simulque cum illis habitent: atqui nusquam prohibitum est Diaconis, Presbyteris, aut Episcopis, ne in eadem domo manerent cum uxoribus quas ante ordinationem duxerant, imò legibus Ecclesiasticis & Imperialibus sancitum fuit ut curam gererent uxorum, & ipsis castè conviverent: & Sanctissimi Viri ad Sacerdotium assumpti, post Nicænæ Synodi tempora, cum uxoribus commorati sunt eadem in domo, sicut Paulinus cum Therasia, Sanctus Hilarius cum uxore, quam ante duxerat quàm Sacerdos & Episcopus inaugurare-tur. Itaque Canon Nicænus non est de uxoribus aote Ordinationem ductis intelligendus, nec imposuit legem Clericis, qua ab ipsarum usu abstinere perpetuò tenerentur.

Probatnr minor. Primò ex Canone sexto inter illos qui falsò Apostolici dicuntur: *Episcopus*, inquit, *aut Presbyter, uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat, si verò rejecerit, excommunicetur: sed si perseveraverit, dejiciatur.*

Secundò. Idem constat ex Concilio Arelatensi 2. Canone 3. *Si quis de Clericis*, inquit, *a gradu Diaconatus, in solatio suo mulierem, præter aviam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conversam secum uxorem, habere præsumpserit, a communione alienus habeatur.*

Ter-

Tertiò. Idem constat ex Sancto Gregorio Magno, lib. 1. Regest. Epistolâ 50. Indict. 9. ad Symmachum Defensorem datâ: *Volumus*, inquit, *ut Sacerdotes qui in Corsica commorantur, prohiberi debeant ne cum mulieribus conversentur, exceptis dumtaxat, matre, sorore, vel uxore, quæ castè regenda est*,

Quartò. Idem constat ex Concilio Turonensi secundo, quod manifestè supponit Episcopum conjugi ante Ordinationem ductæ cohabitare & convivere posse quasi sorori. Sic enim decernit Canone 12. *Episcopus conjugem ut sororem habeat: & ita sancta conversatione gubernet domum omnem, tam Ecclesiasticam, quàm propriam, ut nulla de eo suspicio consurgat*. Et Canone 13. *Episcopum Episcopam non habentem, nulla sequatur turba mulierum, licèt salvetur vir per mulierem fidelem, sicut & mulier per virum fidelem, ut Apostolus ait. Nam ubi talis custodia necessaria non est, quid necesse est ut miseria prosequatur, unde fama consurgat? Habeant Ministri Ecclesiæ, atque Clerici, qui Episcopo serviunt, & eum custodire debent, licentiam extraneas mulieres de frequentia cohabitationis ejicere*. Supponit itaque Concilium Episcopum convivere posse in eadem domo Episcopæ suæ, id est, uxori, quam ante Episcopatum & Sacerdotium duxit.

Quintò. Idem constat ex Legibus Christianorum Imperatorum, nempe ex Rescripto Honorii & Theodosii ad Palladium. P. V. in L. *Eum qui*. Cod. Theodos. & Justin. *de Episcopis & Clericis*, ita decernentium: *Eum qui probabilem sæculo Disciplinam agit, decolorari consortio sororiæ appellationis non decet. Quicumque igitur cujuscumque gradus Sacerdotio fulciuntur, vel Clericatus honore censentur, extranearum sibi mulierum interdicta consortia cognoscant: hac tantùm eis facultate concessa, ut matres, filias, atque germanas intra domorum suarum septa contineant. In his enim nihil sævi criminis existimari fœdus naturale permittit. Illas etiam non relinqui, castitatis hortatur affectio, quæ ante Sacerdotium maritorum, legitimum meruere conjugium: neque enim Clericis incompetenter adjuncta sunt, quæ dignos Sacerdotio viros suâ conversatione fecerunt*.

Sextò. Idem constat ex Justiniano Imperatore in Novella Constitutione de Sanctissimis Episcopis, ita decernente: *Presbyteris & Diaconis, & Subdiaconis, & omnibus in Clero conscriptis, non habentibus uxores, secundùm sacros Canones, interdicimus etiam nos, secundùm Sanctarum Regularum virtutem, mulierem aliquam in propria domo superinductam habere. Tamen citra matrem, aut sororem, aut filiam, & alias personas, quæ omnem suspicionem effugiunt*. Clericos igitur etiam majores, qui uxores habuerint, cum illis in propria domo degere posse supponit Imperator. Cùm igitur ex his omnibus colligatur nusquam prohibitum fuisse Diaconis, Presbyteris, Episcopis, ne cum uxoribus ante Ordinationem ductis unà in domo commorarentur, ipsisque castè convivérent; & Nicænus Canon omnibus Clericis universim prohibeat ne subintroductam habeant mulierem: perspicuum est subintroductæ mulieris nomine uxorem non intelligi: nec eo Canone perpetuam a propriis uxoribus continentiam Clericis præceptam fuisse.

Probatur quartò Propositio ex Historia Paphnutii, qui Nicænos Patres a lege perpetuæ continentiæ ab uxoribus ante Ordinationem ductis, sacris Ministris imponenda, intercessione sua deterruit, cùm eam in legem ferendam maximè propenderent. Quam Historiam ita refert Socrates, lib. 1. cap. 8. *Visum erat Episcopis*, inquit, *legem novam in Ecclesiam introducere, ut qui essent sacris initiati (sicut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi) cum uxoribus, quas, cùm erant Laici, in matrimonium duxissent, minimè dormirent. Et quoniam illis erat propositum de hac re consilium inire, in medio eorum consessu surrexit Paphnutius: ac vehementer vociferatus est, Non grave jugum cervicibus illorum imponendum esse, qui erant sacris initiati: Honorabile esse conjugium inter omnes, & thorum immaculatum. Videndum ne nimis exquisita præscriptione Ecclesiam gravi incommodo afficerent. Omnes enim non posse ferre tam austeram Disciplinam, neque a singulorum uxoribus fortasse eam castimoniæ normam posse servari. Viri autem cum uxore legitima concubitum castimoniam appellavit. Illud satis esse, ut qui in Clerum ante adscripti erant, quàm duxissent uxores, hi secundùm veterem Ecclesiæ Traditionem, deinceps a nuptiis se abstinerent; non tamen quemquam ab illa, quam jampridem, cùm Laicus erat, uxorem duxisset, sejungi debere. Istam in Episcoporum Conventu Orationem habuit Paphnutius, cùm ipse non modò nuptias non expertus esset, sed nec mulierem aliquando contigisset. Nam a puero in Monasterio seipsum severo vitæ disciplinæque generi totum dediderat: qui quidem propter singularem castimoniam, præ cæteris planè in magna famæ celebritate vixit. Itaque cùm totus Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum conventus verbis Paphnutii assensisset, controversia de hac re exorta penitus sedata est, potestasque permissa cuique pro arbitratu ab uxorum consuetudine abstinendi*.

Eamdem Historiam iisdem pene verbis refert Sozomenus, lib. 1. cap. 22. quibus suffragantur Cassiodorus, lib. 2. Historiæ Tripart. cap. 14. & Nicephorus, lib. 8. cap. 19. Porrò hæc Historia cum Nicæno Canone cohærere non potest, si nomine subintroductarum mulierum uxores intelligantur. Itaque Nicæni Patres illo Canone majoribus Clericis continentiam perpetuam ab uxoribus, quas ante Ordinationem duxerant, non præceperunt.

Baronii & Bellarmini Cardinalium. Responsio expenditur.

Hanc Historiam ut falsam & adulterinam rejiciunt eruditissimi Cardinales Baronius & Bellarminus, Socratem & Sozomenum hac in re arguentes mendacii. Socratis testimonium rejiciunt, quia Novatianus erat, adeòque ut Novatianorum faveret errori, hanc ipsum Historiam finxisse verisimile est, quæ cœlibatum Clericorum everteret. Namque Novatiani hac in materia immaniter errabant. Nullum enim verò discrimen, quod attinet ad matrimonii usum, admittebant inter Laicos & Clericos; sed omnia miscentes, nihil Laicis licere, quod Clericis etiam non liceret; nihil prohiberi, quod Laicis etiam non prohiberetur, docebant. Cujus rei testis est omni exceptione major Sanctus Epiphanius Hæresi 59. *Quæ Sacerdotio*, inquit, *propter singularem functionis illius dignitatem præcipuè tributa sunt, ea ad omnes communiter pertinere judicant*. Unde contra eamdem Hæresim disputans sanctissimus Hæreticomastiga, Clericorum cœlibatum propugnat velut Ecclesiæ legibus firmatum. Ex quibus duo colligere facile est: primò falsum esse, ac prorsus fictitium, quod Socrates ait, Nicænos Patres cœlibatum, vel rem uxoriam, arbitrio Sacerdotum, Sacrorumque Ministrorum permisisse. Illa enim magnæ Synodi indulgentia Sanctum Epiphanium Nicæni Concilii temporibus proximum non latuisset. Secundò, Socratem in gratiam Novatianorum, quorum in castris militabat, haud sincerum se Historicum in cœlibatus legibus recensendis præbuisse.

Addunt hujus Historiæ impugnatores, Istud Socrate eò verisimilius credi posse, quòd putidis passim mendaciis scateat ejus Historia: quorum specimen exhibet libri quinti caput 22. in quo scribit primò, licuisse, etiam suo tempore, unicui-

cuique celebrare Pascha quando vellet, nec Ecclesiam ea de re aliquid umquam lege lata sanxisse: cùm tamen ex Sancto Athanasio, ex Eusebio, aliisque Patribos ac Historicis constet editum esse ea de re decretum a Nicæna Synodo, ut nempe Dominica proximè sequente Lunam 14. primi mensis ab omnibus uniformi ritu celebraretur. Secundò, scribit in Romana Ecclesia trium dumtaxat hebdomadum jejunium ante Festum Paschatis observari: cùm ex S. Leone constet solidis diebus 40. jejunium Romæ fuisse observatum. Tertiò, scribit Romæ non fuisse jejunium Sabbato, seu Sabbathum ex numero dierum Quadragesimalis Jejunii exemptum fuisse, quòd ex Sancto Augustino, Epistolâ 86. ad Januarium datâ, convincitur apertæ falsitatis. Quamobrem negant viri illi eruditi Socrati tot mendaciorum Architecto fidem esse adhibendam.

Sozomeni pariter testimonium explodunt, tum quòd Socratem exscribat, tum quòd Sanctus Gregorius, lib. 6. Epistolar. Indict. 15. Epistolà 195. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum datâ, Sozomeni Historiam hoc elogio notet: *Ipsam Sedes Apostolica recipere recusat, quoniam multa mentitur*.

Verùm illustrissimorum & doctissimorum hominum exceptiones adversùs testimonium Socratis & Sozomeni nullius sunt ponderis. Nam quod Socratem spectat, licèt ille Novatianus fuerit, sive faverit Novatianis; non tamen in eo versatur errore quem ipsis Sanctus Epiphanius affingit, ut Laicos & Clericos, in iis quæ matrimonium spectant, pares faciat; siquidem Laicos nondum matrimonii vinculis adstrictos uxorem ducere posse non negat: majores autem Clericos, qui uxorem ante sacram Ordinationem non duxerunt, negat matrimonium jure inire posse. Nec cœlibatum Socrates evertit sacrorum Ministrorum, illam Paphnutii Historiam referendo: cùm perpetuæ continentiæ lege teneri eos asserat, qui cœlibes, aut vidui ad sacros Ordines promoti sunt. Nec verò consequens est, Socratem in Paphnutii Historia mentiri, quia in aliis nonnullis contra Historiæ leges peccavit, alioqui nihil certi in Historia habebimus, quia nullus pene Historicus est, cui error aliquis exprobrari non possit.

Quod etiam contra Sozomenum ex Sancto Gregorio objiciunt, fidem ejus in omnibus non elevat, sed in iis tantùm quæ Eudoxii Constantinopolitanæ Ecclesiæ invasoris, & Theodori Mopsuesteni res gestas spectant, ut constabit legenti integrum Sancti Gregorii locum: *In Historia Sozomeni*, inquit, *de quodam Eudoxio, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narrantur; sed ipsam quoque Historiam Sedes Apostolica recipere recusat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsuestia nimiùm laudat, atque usque ad diem obitus sui, magnum Doctorem Ecclesiæ fuisse perhibet. Restat ergo, ut si quis illam Historiam recipit, Synodo quæ piæ memoriæ Justiniani temporibus de Tribus Capitulis facta est, contradicat; qui verò contradicere non valet, illam Historiam necesse est ut repellat*. Sanctissimi ergo Pontificis & Doctoris censura Historiam Sozomeni universim non perstringit, adeòque veritati Historiæ Paphnutii non incommodat. Quin immo cùm Gregorius Magnus Sozomeni fidem, auctoritatemque elevasset ex eo quòd Theodoro Mopsuesteno faverit, retulisset profectò quod errore tanto de Paphnutio Confessore & Concilio Nicæno impudenter ille confinxerat, aut a Socrate confictum retulerat, si Historiam illam figmenti & fabulæ loco habuisset: cùm tanti videri possit ad fidem Sozomeno derogandam.

Objectio prima petitur ex Sancto Epiphanio, Hæresi 59. & ex Sancto Hieronymo, Epistolâ 50. & in libris adversùs Vigilantium, & in Apologia ad Pammachium, asserentibus Episcopos, Presbyteros & Diaconos non eligi, nisi aut virgines, aut viduos, aut post Ordinationem in æternum pudicos. Falsum igitur est quod Socrates & Sozomenus de Paphnutio referunt, ipsum Nicænos Patres a proposito indicendæ majoribus Clericis continentiæ avocasse, ipsisque permisisse pro arbitratu ab uxorum consuetudine ut abstinerent, vel earum amplexibus fruerentur.

Præterea. Si Clerici majores uxoribus ante Ordinationem ductis convivere potuissent, ex sententia Nicænorum Patrum, æquè excepissent uxorem ex earum numero mulierum, quibuscum eadem in domo versari non debent, sicut exceperunt matrem, sororem, aut amitam: atqui uxorem non exceperunt: argumento est itaque ipsos sacris Ministris nedum usu, sed & contubernio uxorum interdixisse.

Tertiò, verisimile non est Nicænos Patres, qui sacrorum Ministrorum castitati tam sedulò prospexerunt, a subintroductarum societate mulierum ipsos abstrahendo, eisdem uxorios amplexus permisisse. Igitur Canon tertius Nicæni Concilii continentiam ab uxoribus ante Ordinationem ductis majoribus Clericis præcipit: neque cum eo conciliari potest, quæ de Paphnutio refertur Historia.

Respondeo ad primum, nego consequens: nam præterquam quòd Sancti Epiphanius & Hieronymus octoginta circiter annis a Nicæni Concilii tempore sunt remoti, quo temporis intervallo variari potuit Disciplina, ex eorum testimoniis non colligitur sacrorum Ministrorum continentiam aliquo fuisse Canone præceptam in Ecclesia universa, sed id referunt quod ut plurimùm, non ex lege, sed ex pietate observabatur. Quod non impedit quominus intercedere Paphnutius Confessor potuerit, ne Patres Nicæni lege lata perpetuam continentiam Clericis indicerent, quam pia quadam consuetudine dumtaxat plurimis in Ecclesiis servabant. Nec obstat quòd Sanctus Epiphanius ait, *Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos ab uxoris consuetudine se continere, ubi Ecclesiastici Canones accuratè servantur*. Non enim significat his verbis, continentiam ab uxoribus suo tempore fuisse in Ecclesia sacris Ministris aliquo Canone Concilii Oecumenici præceptam: & si id significaret, contra Historiæ leges peccaret, quod ipsi non infrequens est. Nam Subdiaconos æquè ac majores Clericos ab ipsarum consuetudine se continere asserit, ubi Canones vigent: cùm tamen certum sit Sancti Epiphanii temporibus Subdiaconatum non fuisse majoribus Ordinibus & sacris annumeratum: siquidem Sanctus Epiphanius a Pappo Episcopo Diaconus ordinatus est, prætermisso Subdiaconi gradu, & Epiphanius ipse, eodem omisso, Paulinianum Sancti Hieronymi fratrem Diaconum consecravit: Cùm etiam aliunde certum sit continentiæ jugum Subdiaconis in Ecclesia ipsa Occidentali universa fuisse impositum Pelagii Secundi & S. Gregorii Magni temporibus. Cùm enim Pelagius Subdiaconos Siciliæ uxoribus suis permisceri, Romanæ Ecclesiæ legibus prohibuisset, duriorem ejus constitutionem existimans Sanctus Gregorius, sustulit, decernens ut qui matrimonio conjuncti erant, eo liberè uti permitterentur. Illud solùm constituit, ut Subdiaconi deinceps in Sicilia non ordinarentur, nisi priùs castitatem vovissent. Id constat ex ipsius Epistolâ 42. lib. 1. ad Petrum Subdiaconum Siciliæ datâ. *Ante triennium*, inquit, *omnium Ecclesiarum Subdiaconi Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ecclesiæ suis uxoribus nullatenus miscerentur; quod mihi durum atque incompetens videtur, ut qui usum continentiæ non invenit, neque castitatem promisit, compellatur a sua uxore separari*

vari, atque per hoc, quod absit, in deterius cadat. .... Unde videtur mihi ut a præsenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum sacro Subdiaconum præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit, quatenus & præterita mala, quæ proposito mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, & futura cautè caveantur.

Ad secundum respondeo, nego antecedens. Non erat enim necesse uxorem nominatim excipi a Patribus Nicænis illo Canone; siquidem satis intelligebatur excepta, hoc ipso quòd e numero subintroductarum mulierum non esset, ac inter eas, quæ suspicionem omnem effugiunt, jure merito censeretur.

Ad tertium respondeo, nego antecedens. Clericorum enim castitas & fama cum subintroductis mulieribus periclitata fuisset; non autem cum uxoribus ante Ordinationem ductis, quibuscum castitatem servantes conjugalem, nemini erant offensioni, continentiæ perpetuæ lege nondum ipsis imposita.

Objicies, non esse verisimile quòd Paphnutius Christi Confessor Auctor fuerit hujus consilii, quod Clericorum incontinentiæ & libidini favebat; quodque dedecorabat Ecclesiam, ut nimirum rei uxoriæ impunè vacarent sacri Ecclesiæ Ministri; nec rursus verisimile est Nicænos Patres tam ignavâ & fœdâ conniventiâ in ejus sententiam descendisse: conficta itaque videtur, quæ de Paphnutio a Socrate & Sozomeno, refertur Historia.

Respondeo, nego antecedens. Paphnutii namque consilium & Clericorum incontinentiæ medebatur potiùs quàm fræna laxaret; & in Ecclesiæ bonum ac honorem cedebat. Juvenes enim maritos aliquando ad Sacerdotium, aut Diaconatum, aut ad alia Ecclesiæ Ministeria promoveri, exiguus qui tunc erat Catholicorum Christianorum numerus, Ecclesiæ necessitas, & illorum ad hæc obeunda præclaræ dotes postulabant: qui tamen ab uxorum suarum consortio, propter mutuæ incontinentiæ pericula abstrahi sese non patiebantur: imò ante Ordinationem interdum contestabantur, se ab uxoribus continere non posse. Unde Sanctus Paphnutius prudenter omnino suasit Nicænis Patribus, qui novam legem in Ecclesiam introducere volebant de perpetua Clericorum majorum continentia, imò illam Subdiaconis ipsis imponere, ut refert Sozomenus, ut ab eo condendo decreto supersederent, quod Ecclesiæ noxium magis quàm utile futurum esset iis temporibus, quibus conjugati ob sacrorum paucitatem Ministrorum ordinabantur, obedientiâ potius adacti, quàm sponte ad sacra Ministeria convolantes. Prudenter etiam Nicæni Patres Paphnutio auscultavere, & illius intercessionis habita ratione, decretum, quod fuerant meditati, suspenderunt, quod ipsis vitio verti nequaquam potest, sicut nec Ancyranis Patribus similis, qua usi sunt erga Diaconos, qui tempore Ordinationis contestati fuerant de impotentia continendi, Oeconomia. Sic autem habet Canon Ancyranus nonus ex interpretatione Dionysii Exigui: *Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsa Ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt: hi si postmodum uxores duxerint, in Ministerio maneant, propterea quòd eis Episcopus licentiam dederit. Quicumque sanè tacuerint, & susceperint manûs impositionem, professi continentiam, & postea nuptiis obligati sunt, a Ministerio cessare debebunt.*

Eamdem Oeconomiam suasit Pinytho Gnossiæ Ecclesiæ Episcopo Sanctus Dionysius Corinthiorum Antistes, ipsum per Epistolas commonefaciens ne grave servandæ, imò compulsæ castitatis onus, ac necessitatem, Fratrum ac Discipulorum animis imponeret, in quo multorum periclitabatur infirmitas; cujus rationem habere, & suorum imbecillitati ipsum se attemperare necesse erat: quod consilium laudavit, amplexusque est Pinythus, teste Eusebio, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 22.

Nec viris eruditis assentiri possum, qui Sanctum Dionysium deterruisse Pinythum aiunt ab onere castitatis imponendo multitudini Fidelium, non verò a continentia Clericis majoribus præcipienda. Incredibile namque est Pinythum integerrimæ Fidei Episcopum, & divinarum Scripturarum notitiâ atque intelligentiâ conspicuum (ut testatur Eusebius) compellere voluisse plebem omnem Christianam ad professionem castitatis, & tam apertè favisse Hæreticis nuptias damnantibus. Solos itaque Clericos majores, Presbyteros scilicet, & Diaconos adigere voluit ad perpetuam continentiam: quo a proposito ipsum Sanctus Dionysius Corinthiorum Episcopus gravissimâ Epistolâ deterruit. Pari prudentiâ Sanctissimus Confessor Paphnutius Nicænos Patres abduxit a ferenda lege cœlibatûs Clericorum.

Alia ratio Paphnutium impulit ut id Nicænis Patribus suggereret, recens nimirum Eustathii, sive Euctati Monachi Hæresis, qui tanto adversùs nuptias furebat odio, ut in ædibus conjugatorum preces fieri prohiberet, & Sacrificium ac benedictionem Sacerdotum, qui nuptiis implicati erant, execraretur: cujus Hæresiarchæ suasione plures a viris uxores, & ab uxoribus viri discesserant [ut constat ex Concilio Gangrensi, quod istius ad Hæreseos damnationem paulò post celebratum est.] Ne igitur Sacerdotum nuptiæ ante Ordinationem sacram initæ sceleris instar & turpitudinis damnari viderentur, altioresque radices ageret excitata jam Eustathii Hæresis, si Clericis conjugatis uxorum societate & usu matrimonii interdiceretur; piè prudenterque intercessit Paphnutius Confessor legi, quam Nicæni Patres constituere volebant de perpetua sacrorum hominum continentia.

PROPOSITIO II.

Quamvis Nicæna Synodus de Clericorum cœlibatu nihil statuerit, ejus tamen temporibus Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, perpetuam continentiam servabant ex Ecclesiæ Disciplina, diuturno usu & ab Apostolicis temporibus derivato firmata, quam Siricius, & alii deinde Pontifices, Conciliaque, Decretis suis, atque Canonibus roborarunt. Cujus Disciplinæ, legisque sanctimoniam irrito conatu impugnant Heterodoxi.

Probatur prima pars auctoritate Eusebii Cæsareensis, lib. 1. Demonstrationis Evangelicæ, cap. 9. ubi de Doctoribus & Prædicatoribus Verbi divini, id est, de Episcopis, & Presbyteris sic loquitur: *His autem ipsis, ut melioribus studiis vacent liberius, sejunctas a re uxoria victus adamantur, veluti iis, qui divina & incorporea sobole propaganda, occupati teneantur: & non unius, neque duorum liberorum, sed acervatim innumerabilis multitudinis educationem, sanctamque Disciplinam, ac reliqua instituenda vita curam susceperint.*

Et infra: *Verumtamen eos qui sacrati sint, atque in Dei Ministerio cultuque occupati, continere deinceps seipsos a commercio uxoris decet; qui autem non ad tantum assumpti sint Sacerdotii munus, eis idem Sermo divinus indulget, ac palam omnibus prædicat, quòd honorabile sit conjugium, & thorus immaculatus, fornicatores & adulteros judicaturus sit Deus.*

Probatur secundò ex Sancto Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 12. dicente: *Decebat purissimum puritatis Doctorem ex puris prodire thalamis. Si enim*

enim qui apud Jesum bene fungitur Sacerdotio, abstinent a muliere: quomodo ipse Jesus ex muliere prodiisset?

Probatur tertiò ex Sancto Epiphanio, Hæresi 59. quæ est Catharorum seu Novatianorum, ubi cùm Digamos a Sacerdotio Ecclesiam jure meritòque arcere præmisisset, hæc de sacrorum hominum continentia subjungit: *Quin eum insuper, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi Ordinem admittit: Sed eum duntaxat qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut eâ sit orbatus; quod in illis locis præcipuè fit, ubi Ecclesiastici Canones accuratè servantur.*

Deinde objectionem quamdam occupat; quòd scilicet nonnullis in locis Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi adhuc liberos suscipiant: huic porrò objectioni respondet: *Non illud ex Canonis auctoritate fieri; sed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere ac connivere solet, ob nimiam populi multitudinem, cùm scilicet, qui ad eas se functiones applicent, non facilè reperiantur. Quod ad ipsam quidem Ecclesiam attinet, ea, utpote a Spiritu Sancto bene ordinata atque constituta, quod decentius est omnibus in rebus considerans, ei rei studere potissimùm instituit; ut qui divino Numini Ministeria præstantur, nulla re quoad fieri potest, distrahantur; utque spiritalia omnia officia quàm optimâ, lætissimâque conscientiâ gerantur. Hoc igitur dico propter subitas functiones atque officia convenire, ut Presbyter, ac Diaconus, & Episcopus Deo penitus vacet. Nam si illis etiam, qui e populo sunt, id ipsum Apostolus præcipit, Ut, inquit, ad tempus vacent orationi, quantò id magis Sacerdoti præscribit? Nimirum nullis ut impedimentis avocetur; quod in spiritualibus secundùm Deum negotiis, in ipso usu Sacerdotii, administrationeque ferietur.*

Confirmatur ex eodem Patre, in Expositione Fidei Catholicæ, cap.21. *Sacerdotium ex Virginum ordine præcipuè constat, aut si minùs ex Virginibus, certè ex Monachis, aut si minùs ex Monachorum ordine, ex his creari Sacerdotes solent, qui a suis se uxoribus contineant, aut secundùm unas nuptias in viduitate versantur. Secundis verò nuptiis implicitus, in Ecclesia ad Sacerdotium non admittitur, tametsi aut sese ab uxore contineat, aut sit viduus. Ejusmodi*, inquam, *ab Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi gradu rejicitur.*

Probatur quartò ex Sancto Gregorio Nysseno, libro de Virginitate, cap. ultimo. *Quomodo*, inquit, *Dei Sacerdotio fungeris, qui ad hoc ipsum ut munus offerres unctus es? Munus sanè non omnino alienum, neque suppositum ex iis quæ tibi extrinsecùs eveniant, sed verum tuum, quod est homo tuus interior, qui tamquam Agnus innocens & perfectus esse debet, ab omnique macula ac sordibus remotus. Quomodò hæc ipsa Deo offeres, qui legi non obtemperas prohibenti ne sacra impurus faciat? Ac si Deum tibi apparere expetis, quid causæ est cur Mosen non audias, qui populo edicit ut a nuptiis purus sit, quo Dei aspectum comprehendat?*

Probatur quintò ex Origene his omnibus antiquiore, & qui multis annis ante Nicænum Concilium floruit. Is porrò Homil. 23. in lib. Num. hæc habet: *Si oratio Justi sicut incensum offertur in conspectu Domini, & elevatio manuum ejus Sacrificium est vespertinum; dicit autem Apostolus iis qui in conjugiis sunt: Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum in idipsum sitis: certum est quia impeditur Sacrificium indesinens iis qui conjugalibus necessitatibus serviunt. Unde videtur mihi quòd illius est solius offerre Sacrificium indesinens, qui indesinenti & perpetuæ se devoverit castitati.*

Probatur sextò ex Sancto Hieronymo, Epistolâ 50. *Apostoli*, inquit, *vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici.*

Et in libro adversùs Vigilantium sic Hæresiarcham illum insectatur. *Proh nefas! Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos nisi priùs uxores duxerint: nulli cælibi credentes pudicitiam, imò ostendentes quàm sanctè vivant, qui malè de omnibus suspicantur: & nisi prægnantes uxores viderint Clericorum, infantes de ulnis matrum vagientes, Christi Sacramenta non tribuant. Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt? Hoc docuit Dormitantius* * *libidini frena permittens.*

* Sic per antiphrasim Vigilantium appellat.

Et in Apologia ad Pammachium pro libris adversùs Jovinianum editis: *Ecce*, inquit, *perspicuè nuptias diximus concedi in Evangelio: Sed tamen easdem in officio suo permanentes, præmia castitatis capere non posse. Quod si indignè accipiunt mariti, non mihi irascantur, sed Scripturis Sanctis; imò Episcopis & Presbyteris, & Diaconis, & universo Choro Sacerdotali, & Levitico; qui se noverunt hostias offerre non posse, si operi serviant conjugali.*

Et libro primo adversùs Jovinianum, cap.19. *Certè confiteris*, inquit, *non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat: alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Aut permitte Sacerdotibus exercere opera nuptiarum, ut idem sint Virgines, quod mariti: aut, si Sacerdotibus non licet uxores tangere, in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem: sed & hoc inferendum: Si Laicus & quicumque Fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali: Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt Sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Nam & in Veteri Lege, qui pro populo hostias offerebant, non solùm in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus, ab uxoribus separati, & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem provocare.*

Legendus etiam est ejus Commentarius in Epistolam ad Titum, cap.1. Ex quibus omnibus constat, Nicænæ Synodi temporibus, & longè ante Siricium, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos perpetuam continentiam servasse ex Ecclesiæ Disciplina diuturno usu, & ab Apostolicis temporibus firmata.

Probatur secunda pars ex Epistolâ Siricii Pontificis Maximi ad Himerium Taraconensem, cap.7. *Plurimos*, inquit, *Sacerdotes Christi atque Levitas, post longa consecrationis suæ tempora, tam de conjugibus suis propriis, quàm etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac præscriptione defendere, quia in veteri Testamento Sacerdotibus ac Ministris generandi facultas legitur attributa. Dicat mihi nunc quisquis ille est sectator libidinum, præceptorque vitiorum, si æstimat quòd in Lege Mosis passim sacris Ordinibus a Domino laxata sunt fræna luxuriæ, cur eos, quibus committebantur Sancta Sanctorum, præmonet dicens: Sancti estote, quia ego Sanctus sum Dominus Deus vester? Cur etiam procul a suis domibus anno vicis suæ habitare jussi sunt Sacerdotes? Hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus possent carnale exercere commercium, ut conscientia integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerrent. Quibus, etiam expleto deservitionis suæ tempore, uxorius usus solius successionis causâ fuerat relaxatus, quia non ex a-*

rari, atque per hoc, quod absit, in deterius cadat. . . . . Unde videtur mihi ut a præsenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum facere Subdiaconum præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit, quatenus & præterita mala, quæ proposito mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, & futura cautè caveantur.

Ad secundum respondeo, nego antecedens. Non erat enim necesse uxorem nominatim excipi a Patribus Nicænis illo Canone; siquidem satis intelligebatur excepta, hoc ipso quòd e numero subintroductarum mulierum non esset, ac inter eas, quæ suspicionem omnem effugiunt, jure merito censeretur.

Ad tertium respondeo, nego antecedens. Clericorum enim castitas & fama cum subintroductis mulieribus periclitata fuisset; non autem cum uxoribus ante Ordinationem ductis, quibuscum castitatem servantes conjugalem, nemini erant offensioni, contioentiæ perpetuæ lege nondum ipsis imposita.

Objicies, non esse verisimile quòd Paphnutius Christi Confessor Auctor fuerit hujus consilii, quod Clericorum incontinentiæ & libidini favebat; quodque dedecorabat Ecclesiam, ut nimirum rei uxoriæ impunè vacarent sacri Ecclesiæ Ministri; nec rursus verisimile est Nicænos Patres tam ignavâ & fœdâ conniventiâ in ejus sententiam descendisse: conficta itaque videtur, quæ de Paphnutio a Socrate & Sozomeno, refertur Historia.

Respondeo, nego antecedens. Paphnutii namque consilium & Clericorum incontinentiæ medebatur potiùs quàm fræna laxaret; & in Ecclesiæ bonum ac honorem cedebat. Juvenes enim maritos aliquando ad Sacerdotium, aut Diacooatum, aut ad alia Ecclesiæ Ministeria promoveri, exiguus qui tunc erat Catholicorum Christianorum numerus, Ecclesiæ necessitas, & illorum ad hæc obeunda præclaræ dotes postulabant: qui tamen ab uxorum suarum consortio, propter mutuæ incontinentiæ pericula abstrahi sese non patiebantur; imò ante Ordinationem interdum contestabantur, se ab uxoribus continere non posse. Unde Sanctus Paphnutius prudenter omnino suasit Nicænis Patribus, qui novam legem in Ecclesiam introducere volebant de perpetua Clericorum majorum continentia, imò illam Subdiaconis ipsis imponere, ut refert Sozomenus, ut ab eo condendo decreto supersederent, quod Ecclesiæ noxium magis quàm utile futurum esset iis temporibus, quibus conjugati ob sacrorum paucitatem Ministrorum ordinabantur, obedientiâ potius adacti, quàm sponte ad sacra Ministeria convolantes. Prudenter etiam Nicæni Patres Paphnutio auscultavere, & illius intercessionis habita ratione, decretum, quod fuerant meditati, suspenderunt, quod ipsis vitio verti nequaquam potest, sicut nec Ancyranis Patribus similis, qua usi sunt erga Diaconos, qui tempore Ordinationis contestati fuerant de impotentia continendi, Oeconomia. Sic autem habet Canon Ancyranus nonus ex interpretatione Dionysii Exigui: *Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsa Ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt: hi si postmodum uxores duxerint, in Ministerio maneant, propterea quòd eis Episcopus licentiam dederit. Quicumque sanè tacuerint, & susceperint manûs impositionem, professi continentiam, & postea nuptiis obligati sunt, a Ministerio cessare debebunt.*

Eamdem Oeconomiam suasit Pinytho Gnossiæ Ecclesiæ Episcopo Sanctus Dionysius Corinthiorum Antistes, ipsum per Epistolas commonefacicos ne grave servandæ, imò compulsæ castitatis onus, ac necessitatem, Fratrum ac Discipulorum animis imponeret, in quo multorum periclitabatur infirmitas; cujus rationem habere, & suorum imbecillitati ipsum se attemperare necesse erat: quod consilium laudavit, amplexusque est Pinythus, teste Eusebio, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 22.

Nec viris eruditis assentiri possum, qui Sanctum Dionysium deterruisse Pinythum aiunt ab onere castitatis imponendo multitudini Fidelium, non verò a continentia Clericis majoribus præcipienda. Incredibile namque est Pinythum integerrimæ Fidei Episcopum, & divinarum Scripturarum notitiâ atque intelligentiâ conspicuum (ut testatur Eusebius) compellere voluisse plebem omnem Christianam ad professionem castitatis, & tam apertè favisse Hæreticis nuptias damnantibus. Solos itaque Clericos majores, Presbyteros scilicet, & Diaconos adigere voluit ad perpetuam continentiam: quo a proposito ipsum Sanctus Dionysius Corinthiorum Episcopus gravissimâ Epistolâ deterruit. Pari prudentiâ Sanctissimus Confessor Paphnutius Nicænos Patres abduxit a ferenda lege cœlibatûs Clericorum.

Alia ratio Paphnutium impulit ut id Nicænis Patribus suggereret, recens nimirum Eustathii, sive Eustati Monachi Hæresis, qui tanto adversùs nuptias furebat odio, ut in ædibus conjugatorum preces fieri prohiberet, & Sacrificium ac benedictionem Sacerdotum, qui nuptiis implicati erant, execraretur: cujus Hæresiarchæ suasione plures a viris uxores, & ab uxoribus viri discesserant (ut constat ex Concilio Gangrensi, quod istius ad Hæreseos damnationem paulò post celebratum est.) Ne igitur Sacerdotum nuptiæ ante Ordinationem sacram initæ sceleris instar & turpitudinis damnari viderentur, altioresque radices ageret excitata jam Eustathii Hæresis, si Clericis conjugatis uxorum societate & usu matrimonii interdiceretur; piè prudenterque intercessit Paphnutius Confessor legi, quam Nicæni Patres constituere volebant de perpetua sacrorum hominum continentia.

PROPOSITIO II.

Quamvis Nicæna Synodus de Clericorum cœlibatu nihil statuerit, ejus tamen temporibus Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, perpetuam continentium servabant ex Ecclesiæ Disciplina, diuturno usu & ab Apostolicis temporibus derivato firmata, quam Siricius, & alii deinde Pontifices, Conciliaque, Decretis suis, atque Canonibus roborarunt. Cujus Disciplinæ, legisque sanctimoniam irrito conatu impugnant Heterodoxi.

Probatur prima pars auctoritate Eusebii Cæsareensis, lib. 1. Demonstrationis Evangelicæ, cap. 9. ubi de Doctoribus & Prædicatoribus Verbi divini, id est, de Episcopis, & Presbyteris sic loquitur: *His autem ipsis, ut melioribus studiis vacent liberiùs, sejunctus a re uxoria victus adamatur, veluti iis, qui divina & incorporea sobole propaganda, occupati teneantur: & non unius, neque duorum liberorum, sed acervatim innumerabilis multitudinis educationem, sanctamque Disciplinam, ac reliquæ instituendæ vitæ curam susceperint.*

Et infra: *Verumtamen eos qui sacrati sint, atque in Dei Ministerio cultuque occupati, continere deinceps seipsos a commercio uxoris decet; qui autem non ad tantum assumpti sint Sacerdotii munus, iis idem Sermo divinus indulget, ac palam omnibus prædicat, quòd honorabile sit conjugium, & thorus immaculatus, fornicatores & adulteros judicaturus sit Deus.*

Probatur secundò ex Sancto Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 12. dicente: *Decebat purissimum puritatis Doctorem ex puris prodire thalamis. Si enim*

enim qui apud Jesum bene fungitur Sacerdotio, abstinent a muliere: quomodo ipse Jesus ex muliere prodiisset?

Probatur tertiò ex Sancto Epiphanio, Hæresi 59. quæ est Catharorum seu Novatianorum, ubi cùm Digamos a Sacerdotio Ecclesiam jure meritòque arcere præmisisset, hæc de sacrorum hominum continentia subjungit: Quin enim insuper, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi Ordinem admittit: Sed eum duntaxat qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut eâ sit orbatus: quod in illis locis præcipuè fit, ubi Ecclesiastici Canones accuratè servantur.

Deinde objectionem quamdam occupat; quòd scilicet nonnullis in locis Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi adhuc liberos suscipiant: huic porrò objectioni respondet: Non illud ex Canonis auctoritate fieri; sed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere ac connivere solet, ob nimiam populi multitudinem, cùm scilicet, qui ad eas se functiones applicent, non facilè reperiuntur. Quod ad ipsam quidem Ecclesiam attinet, ea, utpote a Spiritu Sancto bene ordinata atque constituta, quod decentius est omnibus in rebus considerans, ei rei studere potissimùm instituit; ut qui divino Numini Ministeria præstantur, nulla eo quoad fieri potest, distrahantur; atque spiritalia omnia officia quàm optimâ, lætissimâque conscientiâ gerantur. Hoc igitur dico propter subitas functiones atque officia convenire, ut Presbyter, ac Diaconus, & Episcopus Deo penitus vacet. Nam si illis etiam, qui e populo sunt, id ipsum Apostolus præcipit, Ut, inquit, ad tempus vacent orationi, quantò id magis Sacerdoti præscribit? Nimirum nullis ut impedimentis avocetur; quod in spiritualibus secundùm Deum negotiis, in ipso usu Sacerdotii, administrationeque fieri ur.

Confirmatur ex eodem Patre, in Expositione Fidei Catholicæ, cap. 21. Sacerdotium ex Virginum ordine præcipuè constat, aut si minùs ex Virginibus, certè ex Monachis, aut si minùs ex Monachorum ordine, ex his creari Sacerdotes solent, qui a suis se uxoribus continent, aut secundùm unas nuptias in viduitate versantur. Secundis verò nuptiis implicitus, in Ecclesia ad Sacerdotium non admittitur, tametsi aut sese ab uxore contineat, aut sit viduus. Ejusmodi, inquam, ab Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi gradu rejicitur.

Probatur quartò ex Sancto Gregorio Nysseno, libro de Virginitate. cap. ultimo. Quomodo, inquit, Dei Sacerdotio fungeris, qui ad hoc ipsum ut munus offerres unctus es? Munus sanè non omnino alienum, neque suppositum ex iis quæ tibi extrinsecùs eveniunt, sed revera tuum, quod est homo tuus interior, qui tamquam Agnus innocens & perfectus esse debet, ab omnique macula ac sordibus remotus. Quomodò hæc ipsa Deo offeres, qui legi non obtemperas prohibenti ne sacra impurus faciat? Ac si Deum tibi apparere expetis, quid causæ est cur Mosen non audias, qui populo edicit ut a nuptiis purus sit, quo Dei aspectum comprehendat?

Probatur quintò ex Origene his omnibus antiquiore, & qui multis annis ante Nicenum Concilium floruit. Is porrò Homil. 23. in lib. Num. hæc habet: Si oratio Justi sicut incensum offertur in conspectu Domini, & elevatio manuum ejus Sacrificium est vespertinum; dixit autem Apostolus iis qui in conjugiis sunt: Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum in idipsum sitis: certum est quia impeditur Sacrificium indesinens iis qui conjugalibus necessitatibus serviunt. Unde videtur mihi quòd illius est solius offerre Sacrificium indesinens, qui indesinenti & perpetuæ se devoverit castitati.

Probatur sextò ex Sancto Hieronymo, Epistolâ 50. Apostoli, inquit, vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici.

Et in libro adversùs Vigilantium sic Hæresiarcham illum insectatur. Proh nefas! Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos nisi priùs uxores duxerint: nulli cælibi credentes pudicitiam, imò ostendentes quàm sanctè vivant, qui malè de omnibus suspicantur: & nisi prægnantes uxores viderint Clericorum, infantes de ulnis matrum vagientes, Christi Sacramenta non tribuunt. Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt? Hoc docuit Dormitantius * libidini frena permittens.

Sic per antiphrasim Vigilantium appellat.

Et in Apologia ad Pammachium pro libris adversùs Jovinianum editis: Ecce, inquit, perspicuè nuptias diximus concedi in Evangelio: Sed tamen easdem in officio suo permanentes, præmia castitatis capere non posse. Quod si indignè accipiunt mariti, non mihi irascantur, sed Scripturis Sanctis; imò Episcopis & Presbyteris, & Diaconis, & universo Choro Sacerdotali, & Levitico; qui se noverunt hostias offerre non posse, si operi serviant conjugali.

Et libro primo adversùs Jovinianum, cap. 19. Certè confiteris, inquit, non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat: alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Aut permitte Sacerdotibus exercere opera nuptiarum, ut idem sint Virgines, quòd mariti: aut, si Sacerdotibus non licet uxores tangere, in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem: sed & hoc inferendum: Si Laicus & quicumque Fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali: Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt Sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Nam & in Veteri Lege, qui pro populo hostias offerebant, non solùm in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus, ab uxoribus separati, & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem provocare.

Legendus etiam est ejus Commentarius in Epistolam ad Titum, cap. 1. Ex quibus omnibus constat, Nicænæ Synodi temporibus, & longè ante Siricium, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos perpetuam continentiam servasse ex Ecclesiæ Disciplina diuturno usu, & ab Apostolicis temporibus firmata.

Probatur secunda pars ex Epistolâ Siricii Pontificis Maximi ad Himerium Taraconensem, cap. 7. Plurimos, inquit, Sacerdotes Christi atque Levitas, post longa consecrationis suæ tempora, tam de conjugibus suis propriis, quàm etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac præscriptione defendere, quia in veteri Testamento Sacerdotibus ac Ministris generandi facultas legitur attributa. Dicat mihi nunc quisquis ille est sectator libidinum, præceptorque vitiorum, si æstimat quòd in Lege Mosis passim sacris Ordinibus a Domino laxata sunt frena luxuriæ, cur eos, quibus committebantur Sancta Sanctorum, præmonet dicens: Sancti estote, quia ego Sanctus sum Dominus Deus vester? Cur etiam procul a suis domibus anno vicis suæ habitare jussi sunt Sacerdotes? Hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus possent carnale exercere commercium, ut conscientiæ integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerrent. Quibus, etiam expleto deservitionis suæ tempore, uxorius usus solius successionis causâ fuerat relaxatus, quia non ex a-

lia, nisi ex Tribu Levi, quisquam ad Dei Ministerium fuerat preceptus admitti. Unde & Dominus Jesus, cùm nos suo illustrasset adventu, in Evangelio protestatur, quia legem venit implere, non solvere; ideò Ecclesiam, cujus sponsus est pretiosus formâ, castitatis voluit splendore radiare, ut in die judicii sine macula & ruga eam posset reperire. Quarum sanctionum Sacerdotes omnes, atque Levitæ insolubili lege adstringimur, ut a die Ordinationis nostræ sobrietati & pudicitiæ, & corda nostra mancipemus, & corpora; dummodo per omnia Deo nostro, in his, quæ quotidie offerimus, Sacrificiis placeamus. Qui autem in carne sunt, dicente electionis Vase, Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis: & ubi poterit, nisi in corporibus sanctis Dei Spiritus habitare? Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ut tua Sanctitas retulit, ignoratione lapsos se esse deflent: his, hac conditione, misericordiam dicimus non esse negandam, ut sine ullo honoris augmento, in hoc, quo detecti sunt, quamdiu vixerint, officio perseverent; si tamen post hac continentes se studuerint exhibere. Hi verò qui illiciti privilegii excusatione nituntur, ut sibi asserant veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni Ecclesiastico honore, quo indignè usi sunt, Apostolicæ Sedis auctoritate dejectos, nec unquam posse veneranda attrectare Mysteria, quibus se ipsi, dum obscœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla præsentia cavere nos præmonent in futurum: si quilibet Episcopus, Presbyter, atque Diaconus deinceps talis fuerit inventus, jam sibi omnem indulgentiæ per nos aditum intelligat obseratum: quia ferro necesse est excidantur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam.

Ante Siricii quidem Pontificatum integro sæculo, majoribus Clericis, imò & Subdiaconis, perpetuæ lex continentiæ imposita fuerat Canone 33. Concilii Illiberritani; sed vel ea lex solos Ecclesiarum Provinciæ Bæticæ Clericos spectabat, nec pro universa Ecclesia Hispaniensi lata fuerat, vel in illa etiam Provincia non fuerat summo consensu recepta, & usu firmata, saltem quoad Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos. Sic porrò habet Canon Illiberritanus: *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus positis in Ministerio, abstinere se a conjugibus suis, & non generare filios; quicumque verò fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* Qui Canon ita non est exponendus, quasi Illiberritani Patres re uxoriâ sacris Ministris interdixerint eo solùm tempore quo Ministerium suum obibant; alioqui reos violati Canonis honore Clericatûs privare non potuissent. Nusquam enim probari, aut saltem difficillimè potuisset, quòd tunc præcisè uxoriis sese polluissent amplexibus, cùm rem sacram peragere ex officio tenebantur. Positis itaque in Ministerio nuptiarum usus prohibitus est, id est, Clericis, ex quo sacros ad Ordines, & divina Ministeria promoti erant.

Confirmatur ex ejusdem Pontificis Epistolâ 4. ad Africanos Episcopos datâ, cap.9. *Præterea*, inquit, *quod dignum, & pudicum, & honestum est, suademus ut sacerdotes, & Levitæ cum uxoribus suis non coëant, quia in Ministerio divino quotidianis necessitatibus occupantur. Ad Corinthios namque sic Paulus scribit, dicens: Abstinete vos ut vacetis orationi. Si ergo Laicis abstinentia imperatur ut possint deprecantes audiri: quantò magis Sacerdos utique omni momento paratus esse debet, munditiæ puritate securus, ne aut Sacrificium offerat, aut baptizare cogatur? Qui si contaminatus est carnali concupiscentia, quid faciet? ..... Qua conscientiâ, quo merito hic exaudiri se credit, cùm dictum sit: Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum!* Sacerdotibus itaque & Diaconis continentiæ perpetuæ legem imposuit Siricius Pontifex: qua Subdiaconos teneri noluit. Quod enim Levitarum nomine Subdiaconos etiam ab eo significatos quidam volunt, nugatorium est.

Siricii decretum iisdem ferè verbis repetit & confirmat Innocentius Primus tum Epistolâ 2. ad Victricium Rothomagensem Episcopum, cap.9. tum in Epistolâ 3. ad Exuperium Episcopum Tolosanum, cap.1.

Probatur secundò ex Epistolâ 84. Sancti Leonis ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem datâ, cap.4. *Nam cùm extra Clericorum ordinem constitutis*, inquit, *nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum: ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur: ut & qui habent, sint tamquam non habentes; & qui non habent, permaneant singulares. Quòd si in ordine, qui quartus a capite est, dignum est custodiri, quantò magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut Levitico Ministerio, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentiâ quisquam idoneus existimetur, qui se a voluptate uxoria necdum frenasse detegitur?* Portò quod de Subdiaconorum continentia statuit, singularem Ecclesiæ Romanæ & quarumdam aliarum disciplinam spectat, non Canone, sed consuetudine solâ sancitam, & ex pietate observatam, nullâ decretâ pœnâ adversùs, eos qui ad Subdiaconatum promoti, matrimonii legitimi juribus uterentur.

Confirmatur ex Epistolâ ejusdem 92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum datâ, cap.3. *Lex continentiæ*, inquit, *eadem est Ministris altaris, quæ Episcopis, atque Presbyteris. Qui cum essent Laici, sive Lectores, licitè & uxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cùm ad prædictos pervenerint gradus, cœpit eis non licere, quod licuit. Unde, ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, & quasi non habeant, sic habere, quo & salva sit charitas conjugiorum, & cessent opera nuptiarum.*

Probatur tertiò ex Concilio Taurinensi, anno 397. celebrato, Canone 8. *Hi autem*, inquit, *qui contra interdictum sunt ordinati, vel in Ministerio filios genuerunt, ne ad majores gradus ordinum permittantur, Synodi decrevit auctoritas.*

Probatur quartò ex Concilio Carthaginensi 2. quod anno 390. sub Genethlio Episcopo Carthaginensi celebratum est, Canone 2. in quo Epigonius Episcopus Bullensium, non Aurelius, ut habent vulgatæ Conciliorum editiones [quas rectè monet emendandas P. Labbæus] sic loquens inducitur; *Cùm in præterito Concilio de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam constricti per consecrationes annexi sunt. Episcopos, inquam, Presbyteros & Diaconos, ita placuit, ut condecet sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, necnon & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare; ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant. Ab omnibus dictum est, Placet ut in omnibus, & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deserviunt.*

Ex quibus constat Trullanæ Synodi Episcopos Canone 13. perperam Africanorum Patrum decreta exposuisse continentiæ legem ab illis impositam Sacerdotibus & sacratis Ministris, ad illud tempus dumtaxat referendo, quo vicem suam in altaris

taris

taris Ministerio, sacrorumque contrectatione implerent. Statuerunt enim Africani Patres absolutè, & absque ulla restrictione, pudicitiam ab Episcopis, Presbyteris, & Diaconis custodiri: *Ab omnibus*, inquiunt, *& in omnibus:* utque se abstineant ab uxoribus, qui Sacramenta contrectant, non verò tempore dumtaxat contrectandorum Sacramentorum.

Confirmatur ex Concilio Carthaginensi V. Canone 3. ita decernente: *Præterea, cùm de quorumdam Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur, placuit Episcopos, & Presbyteros & Diaconos, secundùm priora statuta, etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur Officio, cæteros autem Clericos ad hoc non cogi; sed serandùm uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.* Quo ex Canone constat Subdiaconis continentiæ perpetuæ legem in Ecclesia Africana non fuisse impositam, anno 398. quo Concilium istud celebratum est.

Hanc in Ecclesia Africana viguisse Disciplinam testatur etiam Sanctus Augustinus, lib. 2. de Adulterinis Conjugiis, cap. ultimo, ubi eos qui dimissis uxoribus alias ducere volebant, sibi impossibilem esse continentiam effutientes, Clericorum urget exemplo, qui ad sacros Ordines plerumque rapti vi Christianæ plebis, se tamen servandæ continentiæ necessitati sponte subdunt, ex quo sunt ordinati. *Solemus*, inquit, *eis proponere etiam continentiam Clericorum, qui plerumque ad eamdem sarcinam subeundam capiantur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem Domino adjuvante perducunt.*

Probatur quintò ex Concilio Toletano primo, quod sub Anastasii Pontificatu, anno Christi 400. celebratum est, Canone 1. ita decernente: *Placuit ut Diacones si vel integri, vel casti sint, & continentis vitæ, etiamsi uxores habeant, in Ministerio constituantur; ita tamen, ut si qui, etiam ante interdictum, quod per Episcopos Lusitanos constitutum est, incontinenter cum uxoribus vixerint, Presbyterii honore non cumulentur. Si quis verò ex Presbyteris ante interdictum, filios susceperit, de Presbyterio ad Episcopatum non admittatur.*

Probatur sextò ex Concilio Arausicano primo, anno 441. celebrato, Canone 22. *Deinceps*, inquit, *non ordinentur Diacones conjugati, nisi qui priùs conversionis proposito professi fuerint castitatem.* Et Canone 23. *Si quis autem, post acceptam benedictionem Leviticam, cum uxore sua incontinens invenitur, ab officio abjiciatur.* Et Canone 24. *De his autem, qui priùs ordinati, in hoc ipsum inciderunt, Taurinatis Synodi sequendam esse sententiam, qua jubentur non ulteriùs promoveri.*

Probatur septimò ex Concilio Arelatensi secundo anno 452. Canone 2. decernente, *Assumi aliquem ad Sacerdotium non posse in conjugii vinculo constitutum, nisi fuerit præmissa conversio.* Et Canone 3. ita statuit: *Si quis Clericus a gradu Diaconatus, in solatio suo mulierem, præter aviam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conversam secum uxorem habere præsumpserit, a communione alienus habeatur.* Ex his Canonibus constat, Cœlibatûs legem tunc Subdiaconis nondum fuisse in Galliis impositam, ea verò adstrictos fuisse Diaconos & Sacerdotes, quibus nec propria cum uxore licebat commorari, nisi solemni se continentiæ voto consecrasset. Id enim conversionis nomen passim in Canonibus significat.

Probatur octavò ex Concilio Turonensi 1. anno 461. Canone primo ita statuente: *Si universis Fidelibus, secundùm Apostolicam Doctrinam, castitas custodienda indicitur, ut qui habent uxores ita sint quasi non habentes; quantò magis Sacerdotes Dei ac Levitæ divino mancipati altari custodire debent, ut non solùm cordis, verùm etiam corporis puritatem servantes, pro plebe supplicaturi, preces suas ad divinum introire mereantur auditum.....Cùm ergo Laico abstinentia imperetur, ut possit Orationi vacans, & Deum deprecans exaudiri: quantò magis Sacerdotibus & Levitis qui omni momento parati Deo esse debent in omni munditia, & puritate securi, ne aut Sacrificium offerre, aut baptizare, si id temporis necessitas poposcerit, cogantur? Qui si contaminati fuerint carnali concupiscentiâ, quâ mente excusabunt, quo pudore usurpabunt, quâ conscientiâ, quo merito exaudiri se credent?*

Et Canone 2. ita decernit: *Et licèt a Patribus nostris emissa auctoritate id fuerit constitutum, ut quicumque Sacerdos, vel Levita filiorum procreationi operam dare fuisset convictus a Communione Dominica abstineretur: nos tamen huic districtioni moderationem adhibentes, id decrevimus, ut Sacerdos, vel Levita conjugali concupiscentiæ inhærens, vel a filiorum procreatione non desinens, ad altiorem gradum non ascendat; neque Sacrificium Deo offerre, vel plebi ministrare præsumat. Sufficiat his tantùm ut a communione non efficiantur alieni.* Multitudo Sacerdotum & Diaconorum, qui rei uxoriæ operam dabant, fecit ut Gallicani Episcopi in Synodo Turonensi congregati priorum Canonum severitatem erga illos temperarent, eosque a sacris Ministeriis dumtaxat suspensos, & ad altiorem ordinem ac gradum inhabiles fore decernerent, non autem a communione alienos. Et hi quidem Canones solos Sacerdotes, & Diaconos spectant, non verò Subdiaconos.

Uxores tamen ducere Subdiaconis ipsis non licebat in Ecclesiis Gallicanis, quamvis illo sæculo matrimonii ante Ordinationem initi juribus impunè adhuc, & licitè uterentur. Id constat ex Concilio Venetico, anno 465. celebrato, Canone 2. *Presbyteri*, inquit, *Diaconi atque Subdiaconi, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia, nec eis cœtibus admisceantur, ubi amatoria cantantur & turpia, aut obscœni motus corporum choreis & saltibus efferuntur: ne auditus & obtutus sacris Mysteriis deputatus turpium spectaculorum, atque verborum contagio polluatur.*

Probatur nonò ex Concilio Agathensi, anno 505. Canone 9. ita decernente: *Placuit etiam, ut si Diacones, aut Presbyteri conjugati ad thorum uxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentii Ordinatio, & Siricii Episcopi auctoritas, quæ est his Canonibus inserta, conservetur.* Solis Sacerdotibus & Diaconis prioris usu matrimonii interdicit Synodus, secundùm Siricii & Innocentii Summorum Pontificum decreta; non verò Subdiaconis.

Probatur decimò ex Concilio Arvernensi, anno 535. Canone 13. *Cùm Presbyteri*, inquit, *atque Diaconi sublimi dignitatis apice proregantur, actibus omnino renuntient sæculi, & ad sacrum electi Ministerium, repudient carnale consortium, ac permixtionis pristinæ contubernium permutent germanitatis affectu: & quisquis ille est Presbyter, atque Diaconus, divino munere benedictione percepta, uxoris priùs suæ frater illico efficiatur ex conjuge. Attamen quosdam reperimus ardore libidinis inflammatos, abjecto militiæ cingulo, vomitum pristinum, & inhibita rursus conjugia repetisse, atque incesti quodammodo crimine clarum decus Sacerdotii violasse; quod nati etiam filii prodiderunt. Quod quisquis fecisse cognoscitur, omni in perpetuam, quam admisso jam crimine perdidit, dignitate privabitur.*

Probatur undecimò ex Concilio Aurelianensi tertio anno 538. Canone 2. ita decernente: *Nullus Clericorum a Subdiacono, & supra, qui uxores in proposito suo accipere inhibeatur, propria, si for-*

fertè jam habeat, misceatur axori. Quòd si fecerit, laica communione contentus, juxtà priorum Canonum statuta, ab officio deponatur. Quem si sciens Episcopus sane in vilitate permixtionis viventem, ad Officium postea admiserit: & ipse Episcopus, ad agendam pœnitentiam, tribus mensibus sit a suo Officio sequestratus.

Probatur duodecimò ex Concilio Aurelianensi quarto, anno 541. Canone 17. statuente: *Ut Sacerdotes, sive Diaconi, cum conjugibus suis non habeant communem lectum, & cellulam: ne propter suspicionem carnalis consortis religio maculetur: quod qui fecerint, juxtà priscos Canones, ab Officio regradentur.*

Probatur decimò-tertiò ex Concilio Aurelianensi quinto, anno 540. Canone 4. *Si quis Clericus*, inquit, *post acceptam benedictionem cujuslibet loci, vel ordinis, ad conjugalem thoram jam sibi illicitum, denuo redire præsumpserit, usque in diem vitæ, ab honore accepti ordinis, & sicut habent antiquorum Patrum Canones, ab Officio deponatur, ei tantummodo communione concessâ.*

Probatur decimo-quartò ex Concilio Turonensi secundo, anno 567. Canone 12. *Episcopus*, inquit, *conjugem ut sororem habeat: & ita sancta conversatione gubernet domum omnem, tam Ecclesiasticam, quàm propriam, ut nulla de eo suspicio consurgat. Et licèt, Deo propitio, Clericorum suorum testimonio castus vivat, quia cum illo tam in cella, quàm ubicumque fuerit, sui habitent, eumque Presbyteri, & Diaconi, vel deinceps Clericorum turba juniorum, Deo auctore conservent: sic tamen propter Zelotem Deum nostrum, tam longè absint mansionis propinquitate divisi, ut nec hi, qui ad spem recuperandam Clericorum servitute nutriuntur, famularum propinquâ contagione polluantur.*

Probatur decimò-quintò ex Concilio Matisconensi primo, anno 581. Canone 11. *Episcopi*, inquit, *Presbyteri, vel universi honoratiores Clerici, cùm sublimi dignitatis apice sublimantur, actibus omnino renuntient sæculi, & sacro electi Ministerio, repudient carnale consortium, ac permixtionis pristina contubernium commutent germanitatis affecta. Et quisquis ille est divino munere benedictione perceptâ, uxori priùs suæ frater illico efficiatur ex conjuge*, &c. ut in Concilio Arvernensi primo Canone 13. supra laudato.

Probatur decimo-sextò ex Concilio Lugdunensi tertio, anno 583. Canone primo: *Placuit etiam*, inquit, *ut si quicumque uxoribus juncti ad Diaconatus, aut Presbyteratus ordinem quoquo modo pervenerint, non solùm lecto, sed etiam frequentatione quotidianâ, debeant de uxoribus suis sequestrari. Quòd si (quod Deus avertat) de eorum familiari contubernio, post acceptam benedictionem, infans natus paruerit, ab Officii gradu priventur.*

Probatur decimo-septimò ex Concilio Toletano tertio, sub Gelasii Secundi Pontificatu, temporibus Recaredi Regis celebrato Canone quinto. *Compertum est*, inquit, *a sancto Concilio, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos venientes ex Hæresi, carnali adhuc desiderio uxoribus copulari. Ne ergo de cætero fiat, hoc præcipitur quod & prioribus Canonibus terminatur, ut non liceat eis vivere libidinosâ societate, sed manente inter eos fide conjugali, communem utilitatem habeant, & non sub uno conclavi maneant. Et certè si suffragatur virtus, in aliam domum suam uxorem faciat habitare, ut castitas & apud Deum, & homines habeat testimonium bonum. Si quis verò post hanc conventionem obscœnè cum uxore elegerit vivere, ut Lector habeatur. Qui verò semper sub Canone Ecclesiastico jacuerunt, si contra Veterum imperata, in suis cellulis, mulierum, quæ infamem suspicionem possunt generare, consortium habuerint; illi canonicè quidem distringantur; mulieres verò ipsæ ab Episcopo venundatæ pretium ipsum pauperibus erogetur.*

Probatur decimo-octavò ex testimoniis Sancti Gregorii Magni, lib. 1. Epistolâ 42. & Epistulâ 50. superiùs relatis. Et ex Epistolâ 39. libri 7. ad Romanum Defensorem data, in qua hæc habet: *Pervenit autem ad nos, quosdam Episcoporum, sub prætextu quasi solatii, in una domo cum mulieribus conversari. Et ideo ne per hoc aut subsannatoribus justa obtrectationis detur occasio, aut facilem antiquus humani generis inimicus materiam deceptionis assumat, hujus tibi serie præceptionis injungimus, ut strenuum te studeas, & solicitum exhibere: & si qui Episcoporum, quos commissi tibi matrimonii finis includit, cum mulieribus degunt, hoc omnino compescas, & de cætero eas illic habitare nullo modo patiaris, exceptis eis, quas Sacrorum Canonum censura permittit, id est, matre, amita, germana, & aliis hujusmodi, de quibus prava non possit esse suspicio. Meliùs tamen faciunt, si etiam a talium se cohabitatione contineant. Nam legitur quod B. Augustinus nec cum sorore sua habitare consenserit, dicens: Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt ...... Præterea cura tua sit eosdem fratres nostros Episcopos adhortari, ut subjectos sibi, in sacris videlicet Ordinibus constitutos, quod ipsi servant, ad similitudinem suæ modis omnibus servare commoneant: hoc tantummodò adjecto, ut hi, sicut canonica decrevit auctoritas, uxores, quas castè debent regere, non relinquant.* Legantur ejusdem Epistolæ 42. & 43. lib. 11.

Porrò ex his omnibus constat quàm meritò explodenda sit fabula, quam Centuriatores Magdeburgenses Centuria 9. obtrudunt nomine Historiæ, quam Sanctus Udalricus Augustanus Episcopus ad Nicolaum Primum Pontificem Maximum scribens retulerit, hoc fermè tenore: *Beatus Gregorius suo quodam decreto uxores Sacerdotibus ademit. Deinde cùm paulo post jussisset ex piscina sua pisces aliquot capi, Piscatores infantium suffocatorum capita ad sex millia, piscium loco extraxerunt. Quam cædem infantium cùm intelligeret Sanctus Pontifex ex occultis fornicationibus, vel adulteriis Sacerdotum natam, continuò revocavit decretum, & peccatum suum dignis pœnitentia fructibus purgavit.*

Sed hæc Historia fabulam putidè olet, ut Epistola Sancti Udalrici ad Nicolaum Papam, commentum. Quod luce meridiana clariùs vel ex eo ostendi potest, quòd Sanctus Udalricus creatus sit Episcopus, anno Christi 924. Nicolaus autem primus obierit anno 867. ut notavit Onuphrius in libro de Romanis Pontificibus. Quomodo igitur Sanctus Udalricus jam Episcopus (ut fert initium hujus Epistolæ) ad Nicolaum Primum jam ab annis ampliùs 56. vitâ functum scripsisse dici potest? Nec suspicabitur aliquis auspicatius ad Nicolaum II. Epistolam illam datam esse: cùm Sanctus Udalricus centum circiter annis ante Nicolai Secundi Pontificatum e vivis excesserit. Nec minùs commentitia sunt, quæ illâ in Epistolâ recensentur: quorum in Sancti Gregorii Operibus, vel in ejus Vita a Joanne Diacono conscripta, ne leve quidem vestigium. Quod enim blaterant Magdeburgenses, Sancti Gregorii in Siculos Subdiaconos decretum cædi sex millium infantium occasionem dedisse, veritatis specie prorsus omni destitutum figmentum est. Illa enim carnificina Siciliæ facta procul dubio fuisset, cùm istius tantùm regionis Subdiaconis nova lex fuisset imposita. At quòd tam brevi temporis spatio Subdiaconi qui post Sancti Gregorii decretum ordinati sunt, sex millia infantium genuerint, quòd tanta crudelitate omnes ad unum suffocaverint, fidem omnem superat. Secundò qua ratione infan-

tium

tium in Sicilia cæsorum capita in Piscinam Romanam Sancti Gregorii projecta sunt? Tertiò unde Clericorum potiùs esse filios, quàm Laicorum innotuisset? Fabellam igitur indignissimam apage.

Probatur decimo-nonò ex Concilio Toletano VIII. anno 653. sub Martini Primi Pontificatu celebrato, Canone 5. *Pervenit*, inquit, *ad totius Concilii sacrum auditum, quosdam Sacerdotes & Ministros obliviscentes majorum ac veterum constitutorum, aut uxorum, aut quarumcumque fœminarum immunda societate, & execrabili contagione turpari....... Quibus quantò est pertinacior vis in malis, tantò austerioribus convenit obviare decretis. Propter quod flagitiis detectis specialiter hoc a Sancto Concilio definitur, ut omnes Episcopi idipsum in suis quærere solicitè curent. Et cùm hoc verissimè reperire potuerint, omnes placita cautione taliter distringant, ut numquam ulteriùs tam abominanda committant. Mulieres verò, seu liberæ sint seu ancillæ ac illis turpitudine sociatæ, ita omnimodè separentur & Monasterio tradantur * ut ulteriùs ad conscios sui criminis omnem revertendi aditum habeant denegatum. Illi verò si omnino coërceri nequiverint, usque ad exitum vitæ suæ Monasteriis deputati Pœnitentiæ disciplinis maneant omnino subjecti.*

Alia lectio habet: aut certè vendatur.

Et Canone 6. *Relatum est nobis quosdam Subdiaconos, postquam ad sacri hujus Ordinis pervenerint gradum, non solùm carnis immunditia sordidari, cùm scriptum sit: Mundamini qui fertis vasa Domini: sed etiam, quod dictu quoque nefas est, novis uxoribus copulari; asserentes hoc ideò sibi licere, quia benedictionem a Pontifice se nesciunt percepisse. Proinde omni excusationum discisso velamine, id præcipimus observari, ut cùm iidem Subdiacones ordinantur cum vasis Ministerii, benedictio eis ab Episcopis detur; omni penitus ab illis sorde mulierum, ac familiaritate remota. Quòd si hoc vulnere deinceps fuerint sauciati, mox erunt sub Pœnitentiæ oneribus usque ad extremum vitæ Monasteriis religandi.*

Et Canone 7. Eadem continentiæ lege constringit eos, qui se invitos sacram Ordinationem suscepisse contestabantur. ,, Recedant ergo, *inquit*, talium desideriorum impudorati fautores: & licèt inviti perceperint, quod non merebantur habere, libenter tamen ob cœleste retineant præmium, quod nolendo, per terrenæ necessitatis consecuti sunt eventum: ut tamen inviti appetant bona diligere, quæ sponte videntur desides impugnare. Quòd si quis post hoc perennis dispositionis edictum, non sinceriter sacris inhæserit cultibus, & abjiciens a se gratiam, quam accepit, relabi ad conjugia, moresque sæculi attentaverit, vel eum redire constiterit, mox omni Ecclesiastici Ordinis dignitate privatus, verè ut apostata a Sanctis Ecclesiæ liminibus, & societate Fidelium habeatur prorsus exclusus, Monasterii claustris, donec advixerit, sub Pœnitentia retrudendus.

Probatur vigesimò ex Concilio Toletano IX. anno 655. Canone 10. ,, Cùm multæ, *inquit*, super incontinentiam Ordinis Clericorum usque hactenus emanaverint sententiæ Patrum, & nullatenus ipsorum formari quiverit correctio morum, usque adeò sententiam judicantium protraxere commissa culparum, ut non tantùm ferretur ultio in auctores scelerum, verùm & in progeniem damnatorum. Ideòque quilibet ab Episcopo usque ad Subdiaconum deinceps, qui vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ detestando connubio, in honore constituti filios procreaverint, illi quidem ex quibus geniti probahuntur, canonica censura damnentur: proles autem tali pollutione nata, non solùm hæreditatem parentum numquam accipiet; sed etiam in servitutem ejus Ecclesiæ, de cujus Sacerdotis, vel Ministri ignominia nati sunt, jure perenni manebunt.

Probatur vigesimo-primò ex Concilio Arvernensi secundo, Canone 4. ,, Ministri altaris, *inquit*, si ad conjugalem thorum jam sibi illicitum redire præsumpserint, usque in ultimum vitæ suæ deponantur, communione tantùm concessa.

Probatur vigesimo-secundò ex Verani Episcopi Lugdunensis sententia, quodam in Concilio dicta; quæ refertur tomo primo Conciliorum Galliæ, post Synodum Valentinam secundam, his verbis: ,, Quis præsidentem sacris altaribus, atque ad ipsa Sancta Sanctorum honoris privilegio venientem, indignissimis carnalium voluptatum contaminari illecebris patiatur, ac sub ipso conjugalis licentiæ nomine adquiescat quempiam Clericorum, & Sacerdotis agere officium, & mariti implere personam? Cùm purificatis corporis atque animi motibus perpendendum, quàm idoneus esse debet is, qui ad celebranda Mysteriorum loca, non solùm pro suis, verùm etiam pro alienis peccatis intercessurus accedit. Incongruum siquidem mihi videtur, de conjugali thoro aliquem consurgentem, altariorum septa penetrare. Ipsi utique illuminati, & docti de Spiritu Sancto, optimè nostis oblaturum spiritalis sacrificii victimas, quali oporteat igne flagrare. Si enim in Lege Veteri, ubi dum Evangelicæ perfectionis auctoritas præfulgeat; Sancto David, cùm fugæ necessitate premeretur, Sacerdos Sahdoc non prius panes propositionis tradidit, quàm se & pueros suos, jam die tertio mundos esse a mulieribus fateretur: quis immaculatas Agni carnes ad salutem mundi præstitas, post passionum inquinamenta vel etiam audeat consecrare?

Probatur vigesimo-tertiò ex Zacharia Pontifice Maximo, Epistolâ 1. ad Sanctum Bonifacium Moguntinum Archiepiscopum datâ, anno 743. ita scribente: ,, Quales se esse Sacerdotes existiment, *inquit*, aut quid inde sentiant, dicente Deo, (*Levit.* 21.) Sacerdotes mei semel nubant? Et Apostolus: Unius uxoris virum *&c.* & hoc ante susceptum Sacerdotium, uti licitum est. Nam a die suscepti Sacerdotii, etiam ab ipso proprio conjugio prohibendi sunt.

Probatur vigesimo-quartò ex Canonibus Synodi Romanæ ad Gallos Episcopos transmissis, qui extant Tomo primo Conciliorum Galliæ: in quorum tertio hæc habentur: Primo loco statutum est de Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus, quos Sacrificiis divinis necesse est interesse, per quorum manus & gratia baptismatis traditur, & corpus Christi conficitur: quos non solùm nos, sed & Scriptura divina compellit esse castissimos. Et Patres quoque jusserunt continentiam eos corporalem servare debere. Qua de re non prætereamus, sed dicamus & causam. Quo enim pudore viduę, aut virgini, ausus est Episcopus, vel Presbyter integritatem, vel continentiam prædicare, si ipse sæculo magis instituit filios generare, quàm Deo? Certè Idololatræ, ut impietates exerceant, & dęmonibus immolent, imperant sibi continentiam muliebrem, & ab escis quoque se purgari volunt: & me interrogas, si Sacerdos Dei vivi, spiritalia oblaturus Sacrificia, purgatus perpetuò debeat esse, aut totus in carne carnis curam debeat facere? *Et infra:* Sacerdotes tales possunt habere nomen, meritum habere non possunt. Quod si ita est, & permanet pręsumptio; oportet jam Episcopis, vel Presbyteris, aut Diaconis dici,

,, Ne

,, Ne cum Publicanorum vita socientur. Quamobrem mihi contra hujusmodi homines coinquinatos, & infideles, in quibus sanctitudo corporis per illuviem & incontinentiam videtur esse polluta, negotium est, talibus Mysterium Dei credi non oportere.

Probatur vigesimo-quintò ex Nicolao Primo Pontifice Maximo in Epistolâ ad Adonem Viennensem Archiepiscopum: *De illo Clerico*, inquit, *Alberico nomine, quem per Ordines Ecclesiasticos, usque ad Subdiaconatum, castè vixisse dicitis, cur vestrâ auctoritate uxorem duxerit, miramur; eo quòd nulli umquam, exceptis illis, quibus Ecclesiastica Regula habere permittit, uxorem ducendi licentiam damus.*

Probatur vigesimo-sextò ex Concilio Trosleiano, anno 909. cap. 9. vetera Ecclesiæ, imò & Imperatorum Decreta de sacrorum Ministrorum cœlibatu, recensente, & executioni mandari decernente.

Porrò ex his omnibus constat, Pontifices, & Concilia, a Siricio, legem cœlibatûs, seu perpetuæ continentiæ, majoribus saltem Clericis imposuisse; sed ejus observantiam vix, ac ne vix quidem obtinere potuisse, Clericorum incontinentiâ adversùs Canone toties repetitos ac renovatos prævalente. Sed enim matrimonii spe dejecti, concubinas & ancillas uxorum loco sibi copularunt. Unde severioribus remediis adversùs impotentem ipsorum libidinem opus fuit. Hinc Leo IX. Pontifex Maximus (ut Beatus Petrus Damiani refert in Epistolâ ad Cunibertum Taurinensem Episcopum) *In plenaria Synodo instituit, ut quæcumque damnabiles feminæ intra Romana mœnia reperirentur Presbyteris prostitutæ, ex tunc & deinceps Lateranensi Palatio adjudicarentur ancillæ. Quod videlicet salutare statutum* [inquit Beatus Petrus Damiani] *Nos etiam per omnes Ecclesias propagandum decrevimus: quatenus percepto priùs Apostolicæ Sedis edicto, unusquisque Episcopus Ecclesiæ vendicet famulas, quas in sua Parochia deprehenderit sacrilegâ Presbyteris admixtione prostratas, æquitatis scilicet jure, ut quæ sacris altaribus, rapuisse servorum Dei convincuntur obsequium, ipsæ hoc saltem Episcopo per diminuti capitis sui suppleant famulatum.*

Hinc Romanum Concilium sub Nicolao II. Pontifice Maximo celebratum anno 1059. Canone 3. decernit: *Ut nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. Unde etiam ipsa sancta Synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit, dicens: Quicumque Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, post Constitutionem beatæ memoriæ Prædecessoris nostri Sanctissimi Papæ Leonis de castitate Clericorum, concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, Auctoritate BB. Apostolorum Petri & Pauli, præcipimus, & omnino contradicimus ut Missam non cantet; neque Evangelium vel Epistolam ad Missam legat; neque in Presbyterio ad divina Officia cum iis, qui præfatæ Constitutioni obedientes fuerint, maneat; neque partem ab Ecclesia suscipiat, quousque a nobis sententia super hujusmodi, Deo concedente, procedat.* Quem Canonem Concilium Romanum I. sub Alexandro II. recenset, ac renovat.

Probatur vigesimo-septimò ex Gregorio VII. Pontifice Maximo Epistolâ 62. lib. 2. quâ Sychardum Aquileiensem Episcopum monet de iis, quæ in Concilio Romano, Quadragesimâ proximè elapsâ, contra Clericos uxorios, aut concubinarios sancita erant. *Decrevimus*, inquit, *quòd si quis eorum Ordinum, qui sacris altaribus administrant, Presbyter scilicet, Diaconus & Subdiaconus, uxorem, aut concubinam habet; nisi illis omnino dimissis dignam Pœnitentiam agant, sacris altaribus penitus administrare desistant; nec aliquo Ecclesiæ Beneficio ulteriùs potiantur, vel peritis fruantur.*

Gregorii VII. pietas & zelus vix ullum fructum retulere: imò tumultum horrendorum innocens extiterunt occasio; Clericis incontinentibus calumniæ fræna adversùs Pontificem laxantibus. Qua de re Lambertus Scafnaburgensis Monachus, qui circa annum 158. florebat, suis in Annalibus ita scribit. ,, Hildebrandus Papa cum Episcopis Italiæ conveniens, jam frequentibus Synodis decreverat, ut secundùm instituta antiquorum Canonum, Presbyteri uxores non habeant: habentes aut dimittant, aut deponantur: nec quisquam omnino ad Sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam, vitamque cœlibem profiteatur. Hoc decreto per totam Italiam promulgato, crebras literas ad Episcopos Galliarum transmittebat, præcipiens ut ipsi quoque in suis Ecclesiis similiter facerent; atque a contubernio Sacerdotum omnes omnino fœminas perpetuo anathemate resecarent. Adversùs hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio Clericorum, hominem planè hæreticum, & vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini, quo ait: Non omnes capiunt hoc verbum; qui potest capere, capiat: & Apostoli; Qui se non continet, nubat, Melius est nubere, quàm uri: violenta exactione, homines cogeret vivere ritu Angelorum; & dum consuetum cursum naturæ negaret, fornicationi & immunditiæ fræna laxaret. Quòd si pergeret sententiam confirmare, malle se Sacerdotium, quàm conjugium deserere; & tunc visurum eum cui homines suaderent, unde gubernandis per Ecclesiam Dei plebibus Angelos comparaturus esset. Nihilominus ille instabat, & assiduis legationibus Episcopos omnes socordiæ ac desidiæ arguebat, & nisi ocyùs injunctum sibi negotium exequerentur, apostolicâ se censurâ in eos animadversurum comminabatur. Archiepiscopus Moguntinus sciens non parvo constare operam hanc, ut tanto tempore in olitam consuetudinem revelleret, atque ad rudimenta nascentis Ecclesiæ senescentem jam mundum reformaret, moderatiùs agebat cum eis. Et primò eis in dimidium annum inducias, & deliberandi copiam dedit, hortans eos, ut quod necessariò faciendum sit, sponte faciant. Et tam sibi, quàm Romano Pontifici necessitatem adimant aliquid contra eos, quod secus sit, decernendi. Ad ultimum, congregatâ Synodo in Erpesfurt, mense Octobri pressiùs jam imminebat, ut relegata omni tergiversatione, impræsentiarum aut conjugium abjurarent, aut sacri Altaris Ministerio se abdicarent. Multas e contra illi rationes afferebant, quibus instantis, perurgentisque improbitatem eludere, sententiamque cassare niterentur. Cùmque adversùs Apostolicæ Sedis auctoritatem, qua se ille ad hanc exactionem, præter voluntatem propriam, compulsum obtendebat, nihil argumenta, nihil supplicationes, precesque proficerent, egressi tamquam ad consultandum, consilium ineunt, ut in Synodum non redeant, sed injussi omnes in domos suas discedant. Nonnulli etiam confusis vocibus clamitabant, Melius sibi videri, ut in Synodum regressi, ipsum Episcopum, priusquam execrabilem adversùs eos sententiam promulgaret, Cathedra Episcopali deturbarent, & merita morte mulctato, insigne exemplum ad posteros transmitterent: ne quis deinceps Successorum ejus talem Sacerdotali nomini calumniam struere tentaret.

Por-

Porrò isti Clericorum incontinentium in Germania tumultus adversùs Gregorii VII. Decreta, ipsum impulerunt ut Apologiam pro illis scribi curaret, quæ legem cœlibatûs Ecclesiastici ab undecimo capite ad vigesimum primum tuetur. Extat illa post ejusdem Epistolas, Tomo 10. Conciliorum Edit. P. Lahhæi.

Probatur vigesimo-octavò ex Beato Petro Damiani Cardinali, & Ostiensi Episcopo, qui duo luculentissima Opuscula, *De Cœlibatu Sacerdotum*, & *contra Clericos intemperantes*, edidit, scilicet decimum-septimum, & decimum-octavum: quorum unum ad Nicolaum II. Pontificem Maximum; alterum ad Petrum Cardinalem direxit. Sed & idem vir Sanctus, cùm Pontificiam obiret Legationem, cœlibatûs legem egregiè vindicavit, atque intemperantes in Clericos & uxorios Sacerdntes severiùs animadvertit. Qua de caussa multos habuit adversarios, Clericos in primis Laudensis Ecclesiæ, qui sua matrimonia Concilii nescio cujus Triburiensis auctoritate tuebantur, & illis verbis Apostoli 1. ad Corinth. 7. *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat.* Rem ita narrat Petrus ipse Damiani Opusculo 18. cap. 3. „ Sed cur ego, *inquit*, ad coacervandos Canones ultra progredior, quandoquidem hos ignorare etiam ipsi nequeunt, qui tumidâ adversùs eos cervice confligunt? Aliquando cùm me Laudensis Ecclesiæ tauri pingues armata conspiratione vallarent, ac furioso strepitu vituli multi tumultuantes infrenderent, tamquam ructum fellis in os meum evomere, dicentes: Habemus auctoritatem Triburiensis [si tamen ego nomen teneo] Cncilii, quæ promotis ad Ecclesiasticum Ordinem ineundi conjugii tribuit facultatem. Quibus ego respondi: Concilium vestrum, quodcumque vultis nomen obtineat; sed a me non recipitur, si decretis Romanorum Pontificum non concordat. Aucupantur enim quædam Canonum quasi adulterina sarmenta, eisque præbent auctoritatem, ut authenticam Canonum valeant vacuare virtutem:
Sap. 4. Sed Salomon dicit: * Quia spuria vitulamina non dabunt radices altas. Distant enim adinventiones hominum a sententiis quæ prolatæ sunt per Spiritum Sanctum, & qui sacris Canonibus repugnare non metuunt, ipsum procul dubio Spiritum, a quo promulgantur, offendunt.

Et in eodem Opusculo Dissertatione secunda ad Cunibertum Episcopum Taurinensem directa: Inter nonnullos, *inquit*, virtutum flores, quibus tuæ Sanctitatis vernat ingenium, unum mihi, fateor, valde displicuit..... Permittis enim ut Ecclesiæ Clerici, cujuscumque sint Ordinis, velut jure matrimonii confœderentur uxoribus. Quod sanè, quàm Ecclesiasticæ munditiæ videatur obscœnum, quàm canonicæ sit auctoritati contrarium, quàm certè cunctis Sanctorum Patrum sanctionibus odiosum, absit ut tanta, quæ in te est, possit ignorare prudeotia. Præsertim cùm & ipsi Clerici tui aliàs quidem satis honesti, & literatum studiis sint decenter instructi. Qui dum ad me confluerent, tamquam Chorus Angelicus, & velut conspicuus Ecclesiæ videbatur enitere Senatus. Postquam latentem pestis hujus eluviem didici, protinus lux in caliginem, & lætitia mihi vertitur in mœrorem; atque ad illud Evangelicum mens illico recurrit, Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui similes estis sepulchris dealbatis, &c.

Probatur vigesimo-nonò ex Concilio Melfitano in Apulia, quod anno 1090. sub Urbani Secundi Pontificatu celebratum est, Canone 2. ita decernente: Sacrorum Canonum instituta renovantes præcipimus ut a tempore Subdiaconatus nulli liceat carnale commercium exercere. Quòd si deprehensus fuerit, Ordinis sui periculum sustinebit. *Et Canone* 12. Porrò eos, qui in Subdiaconatu uxoribus vacare voluerint, ab omni sacro Ordine removemus, Officio atque Beneficio Ecclesiæ carere decernimus. Quòd si ab Episcopo commoniti, non se correxerint; Principibus licentiam indulgemus, ut eorum fœminas mancipent servituti. Si verò Episcopi consenserint eorum pravitatibus, ipsi Officii interdictione mulctentur.

Probatur trigesimò ex Concilio Londinensi, quod sob Paschalis Secundi Pontificatu, anno 1102. a Sancto Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo & Britanniæ najoris Primate celebratum est: in quo sacrorum Ministrorum continentia tribus Canonibus præcepta est. Canone 4. statuit; Ut nullus Archidiaconus, Presbyter, Canonicus uxorem ducat, aut ductam retineat. Subdiaconus verò quilibet qui Canonicus non est, si post professionem castitatis uxorem duxerit, eâdem regulâ constringatur. *Canone* 5. Ut Presbyter, quamdiu illicitam conversationem mulieris habuerit, non sit legalis, nec Missam celebret; nec si celebraverit, ejus Missa audiatur. *Canone* 6. Ut nullus ad Subdiaconatum, aut supra, ordinetur sine professione castitatis.

Probatur trigesimo primò ex Concilio Rotomagensi, quod a Goisfredo Archiepiscopo, anno Christi 1119. celebratum est, in quo Provinciæ suæ Presbyteris omni mulierum consortio interdixit, qoamvis infœlici eventu, nec absque seditioone & cædibus. Rem ita narrat Ordericus Vitalis libro 12. Historiæ Ecclesiasticæ. Inter cætera Concilii Capitula, quæ protulit, *inquit*, omne consortium fœminarum penitus eis ioterdixit, & in transgressores terribilem anathematis sententiam vibravit. Cùmque Presbyteri tam grave pondus nimiùm abhorrerent, & inter se pro corporum & animarum discrimine conquerentes mussitarent: Archiepiscopus Albertum quemdam eloquentem, quia nescio quid fari cœperat, jussit comprehendi, & mox in ergastulum carceris retrudi. Præfatus enim Præsul erat Brito, in multis indiscretus, tenax, & iracundus, vultu, gestuque severus, in increpatione austerus, procax, & verbositate plenus. Cùm autem reliqui Sacerdotes, insolitâ re visâ, nimis obstupuissent, nimiùmque perterriti, quod agendum esset, ignorarent, dubitantes utrùm sese defendere, seu fugere deberent: furibundos Præsul de Cathedra surrexit, de Synodo concitus exivit, satellitesque suos, quos ad hoc priùs instruxerat, advocavit. Protinus illi cum fustibus & armis in Ecclesiam irruerunt, & in Conventiculum Clericorum motuò colloquentium irreverenter ferire cœperunt. Purrò quidam illorum ponderibus suis induti, per cœnosos urbis vicos ad hospitia sua cucurrerunt, alii verò podiis, vel lapidibus, quos ibi fortè invenerant, arrectis, repugnare conati sunt. Clientes autem quòd ab inermi coronatorum choro convicti fugissent, erubuerunt: & indignantes coquos, ac pistores, & vicinos asseclas actutum asciverunt & recidivum certamen in sacris temerè penetralibus redintegraverunt. Quoscumque in Ecclesia, vel Cœmeterio repererunt, justos, vel injustos, percusserunt, vel impegetuot, vel alio quolibet modo injurati sunt.

Probatur trigesimo-secundò ex Concilio Oecumenico Lateranensi I. sub Callisto II. Pontifice Maximo, Canone 3. ita decernente: „ Presbyteris, Diaconibus, vel Subdiaconibus, concubinarum, & uxorum contubernia penitus interdicimus, & aliarum mulierum cohabitationem, præ-

„ præter quas Synodus Nicæna per solas necessitudinum caussas habitare permisit; videlicet „ matrem, sororem, amitam, vel materteram, aut „ alias hujusmodi, de quibus nulla valeat justè „ suspicio oriri.

Probatur trigesimo-tertiò ex Concilio Londinensi, anno Christi 1125. convocato auctoritate Joannis Cremensis Cardinalis, & Sedis Apostolicæ per Angliam Legati, Canone 13. *Presbyteris*, inquit, *Diaconibus, Subdiaconibus, Canonicis, uxorum, concubinarum, & omnium omnino fœminarum contubernia, Auctoritate Apostolica inhibemus, præter matrem, sororem, amitam, sive illas mulieres, quæ omni carent suspicione. Qui hujus decreti violator extiterit, confessus, vel convictus, ruinam proprii Ordinis patiatur.*

Probatur trigesimo-quartò ex Concilio Oecumenico Lateranensi secundo sub Innocentio II. anno Christi 1139. Canone 6. ita statuente: *Decernimus etiam ut ii qui in Ordine Subdiaconatus, & supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, Officio, atque Ecclesiastico Beneficio careant. Cùm enim ipsi Templum Dei, vasa Domini, Sacrarium Spiritus Sancti debeant esse, & dici: indignum est eos cubilibus & immunditiis deservire.*

Et Canone 7. *Ad hæc Prædecessorum nostrorum Gregorii VII. Urbani, & Paschalis Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, præcipimus ut nullus Missas eorum audiat, quos uxores, vel concubinas habere cognoverit. Ut autem lex continentiæ, & Deo placens munditia in Ecclesiasticis personis & sacris Ordinibus dilatetur: statuimus quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, & Monachi atque Conversi professi, qui sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam Regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Qui etiam ab invicem separati, pro tantis excessibus condignam Pœnitentiam agant.* Hic Canon repetitus est & confirmatus in Concilio Remensi, quod anno Christi 1148. ab Eugenio Tertio celebratum est. Cujus etiam Concilii Canone 3. Clericorum incontinentia coercetur. *Propterea*, inquit, *quod a Patribus nostris propensiori cura novimus constitutum, nos quoque præcipimus observari: ut qui in Ordine Subdiaconatus, aut supra uxores duxerint, aut concubinas habuerint, Officio atque Ecclesiastico Beneficio careant.*

Idem decrevit Concilium Lateranense tertium sub Alexandro III. Canone 11. *Clerici*, inquit, *in sacris Ordinibus constituti, qui mulierculas in domibus suis incontinentiæ notâ tenuerint: aut abjiciant eas, & continenter vivant, aut ab Officio, & Beneficio Ecclesiastico fiant alieni.*

Tridentinum denique Concilium perpetuam continentiam lege Ecclesiastica illis impositam agnoscit, qui ad sacros Ordines promoti sunt, & eorum matrimonia irrita, pariter ac Monachorum decernit; anathemate feriens eos qui contrarium senserint. Sic enim habet Sessione 24. Canone 9. *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validè esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, & oppositum nihil aliud esse quàm damnare matrimonium; posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiam si voverint, habere donum: anathema sit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari.* De matrimonii antea contracti usu siluit Concilium Tridentinum, propter Ecclesiæ Græcæ inolitam a Trullani Concilii temporibus consuetudinem. Sessione tamen 23. inter conditiones ordinandorum hanc postulat, ut ad sacros Ordines non promoveantur, *Nisi qui sperent se Deo auctore continere posse.*

His legibus sanctissimis continentes Clericos adstrinxit Ecclesia, atque coercuit, adversùs quas Heterodoxi impiè mussitant. Violatæ quidem sunt illæ frequentiùs a Sacerdotibus, & Ministris ad libidinem pronis: Sed malitia hominum, & effusa in voluptates intemperantia legum non derogat sanctitati: imò earum sanctimonia hinc maximè commendatur, quòd intemperantiam illam coerceant.

Porrò castitati & continentiæ suorum Ministrorum consuluit Ecclesia, non tantùm ipsis matrimonii fœdere post sacram Ordinationem, aut contracti antea juribus & usu interdicendo: verùm & ipsos abstrahendo ab earum etiam mulierum contubernio, quibus convivere Nicæna Synodus ipsis permisit: cùm eorum intemperantia etiam consanguineis & affinibus adhinniente gravius illud remedium fuit opus. Quod etiamnum Episcopi quidam sanctissimè observant, ipsis prohibendo ne cum fratrum uxoribus, cum neptibus, & cognatis commorentur. Et hanc justam esse prohibitionem, qui aliquo rerum usu pravos norunt Clericorum quorumdam mores, & occasionum pericula, fatebuntur. Sic Bracarense Concilium, anno 675. Canone 5. ad auferendam Clericis omnem fornicandi occasionem, statuit: *Ut nullus Sacerdotum, sive quisquis ille de Clero, absque honesto & competenti matrimonio, excepta sola matre, cum quibuslibet fœminis secretè se præsumat adjungere; non solùm cum extraneis mulieribus, sed nec cum ipsis etiam sororibus vel propinquis; ac licentia sororum, vel propinquarum mulierum, quisquis ille solutus, familiarior habeatur ad perpetrandum scelus. Hujus ergo præceptionis transgressor, sex mensibus se noverit Pœnitentiæ legibus subjacere.*

Mulierum etiam consanguinearum & affinium contubernia quædam Concilia majoribus Clericis prudenter interdixerunt.

Sic Moguntinum Concilium sub Stephani VI. Pontificatu, anno 888. Cap. 10. *Ut Clericis*, inquit, *interdicatur, mulieres in domo sua habere omnimodis decernimus. Quamvis etiam sacri Canones quasdam personas feminarum simul cum Clericis in una domo habitare permittant, tamen (quod multùm dolendum est) sæpe audivimus per illam concessionem scelera multa esse commissa, ita ut quidam Sacerdotum cum propriis sororibus concumbentes, filios ex eis generassent. Et idcirco constituit hæc Sancta Synodus, ut nullus Presbyter ullam fœminam secum in domo propria permittat, quatenus occasio malæ suspicionis, vel facti iniqui, penitus auferatur.*

Sic Metense Concilium tempore Arnulphi Regis celebratum, Cap. 3. *Sacerdotes*, inquit, *qui vice Mosis iram Domini super populum sævientem precibus suis debent mitigare, attendentes etiam ne illud fiat, quod scriptum est: Maxima ruina populi in culpa Sacerdotum fuit: nequaquam in sua domo secum aliquam fœminam habeant, nec matrem, nec sororem; sed auferentes omnem occasionem Satanæ, Angelicam vitam ducant, & Domino Deo, casto corpore, mundo corde, sine tenus serviant.*

Sic Nannatense Concilium Canone 3. *Probibendum*, inquit, *& modis omnibus interminandum est, ut nullus Sacerdos eas personas feminarum, sicut & in Canone insertum continetur, de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat. Sed neque illas, quas Canones concedunt (quia instigante diabolo, etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis illarum) scilicet matrem, amitam, sororem. Sed si quis habuerit talem, necessitatem patientem, cui sit necessaria sustentatio Presbyteri, habeat in vico, aut in villa domum longè a Presbyteri conversatione, & ibi eis subministret quæ necessaria sunt.*

PRO-

PROPOSITIO III.

Perpetua lex continentiæ nec a Christo, nec ab Apostolis, sacris Ministris imposita fuit.

Probatur primò ex Canone 9. Ancyrani Concilii, cujus verba Propositione prima, in solutione postremæ objectionis descripsimus. Namque qui in ipsa Ordinatione protestati fuerant velle se conjugio copulari, quia continentiam servare non poterant, Ancyrani Patres matrimonio post Ordinationem inito uti non permisissent, si a Christo, aut ab Apostolis continentiæ perpetuæ præceptum illis impositum fuisset.

Observandum tamen est Ancyranam Synodum facultatem illam ineundi post sacram Ordinationem matrimonii ad Presbyteros & Episcopos non extendisse. Imò Neocæsareense Concilium, quod paulò post celebratum est, Canone primo decrevit, *Presbyterum, si uxorem acceperit, ab Ordine deponendum.*

Probatur secundò. Si lex perpetuæ continentiæ majoribus Clericis a Christo, aut ab Apostolis imposita fuisset, semper castitatem tacitè professi fuissent, quicumque Ordines sacros susceperunt: atqui castitatem non sunt semper tacitè professi, ut constat ex Sancto Basilio, qui professiones virorum non novit nisi Monachorum, qui tacitè cœlibatum videntur admittere; quos in posterum expresè profiteri jubet castitatem. Argumento est itaque perpetuæ continentiæ legem a Christo, aut ab Apostolis, non fuisse majoribus Clericis constitutam. Sancti Basilii verba Epistolà 2. Canonica ad Amphilochium, Canone 19. hìc adscribo. *Virorum autem professiones*, inquit, *non novimus, præter quam si qui seipsos Monachorum Ordini addixerint: qui tacitè videntur cœlibatum admittere. Sed in illis quoque illud existimo præcedere oportere, ut ipsi interrogentur, & evidens ipsorum accipiatur professio, ut postquam ad libidinosam & voluptariam vitam se converterint, eorum qui fornicantur, punitioni subjiciantur.*

Probatur tertiò ex Sancto Epiphanio, Hæresi 59. asserente Ecclesiam quibusdam in locis connivere Presbyteris, & Diaconis ut matrimonio antea contracto utantur. Cùm enim sibi objecisset, Presbyteros, & Diaconos nonnullis in locis liberos suscipere, respondet: *Non illud ex Canonis auctoritate fieri: sed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere ac connivere solet, ob nimiam populi multitudinem: cùm scilicet qui ad eas se functiones applicent, non facilè reperiuntur.* Et superiùs, cùm dixisset, *Eum qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi Ordinem admitti; sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris consuetudine se continuerit, aut eâ sit orbatus*, Addit. *Id in illis locis præcipuè fieri, ubi Ecclesiastici Canones accuratè servantur:* Evidenter significans hanc Disciplinam ubique non viguisse. At Ecclesia nusquam hac œconomiâ, vel conniventiâ usa esset, si perpetua continentia majoribus Clericis divino jure, aut Apostolico præcepto fuisset imperata.

Probatur quartò ex Socrate libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 21. in quo testatur Presbyteros, imò & Episcopos in Oriente, nulla lege coactos fuisse perpetuam ad continentiam servandam, sed non paucos etiam in Episcopatu liberos ex uxore legitima procreasse. *Ipse*, inquit, *in Thessalia aliam consuetudinem invaluisse novi; ut ibi qui Clericus sit, si eum uxore, quam, cùm esset Laicus, ducebat, postquam Clericus factus sit, dormierit, Clericatu abdicatus sit: id adeò cùm omnes illustres Presbyteri in Oriente, & Episcopi etiam, modò ipsi voluerint, nulla lege coacti ab uxoribus abstineant. Nam non pauci illorum, dum Episcopatum gerunt, etiam liberos ex uxore legitima procreant. Consuetudinis autem in Thessalia observatæ Auctor fuit Heliodorus Tricæ, quæ est urbs illius regionis. Eadem consuetudo etiam Thessalonicæ, & in Macedonia, & Hellade servatur.* Porrò si Christi, vel Apostolorum præcepto perpetua continentia Episcopis, Presbyteris, & Diaconis imperata fuisset, nusquam passa esset Ecclesia, ut impunè rei uxoriæ operam darent, & filios procrearent.

Probatur quintò ex Ecclesiæ Græcæ Disciplina sancita in Trullano Concilio, anno Christi 692. celebrato: quod matrimonium quidem Clericis majoribus, imò & Subdiaconis contrahere prohibuit, sed iisdem, solis exceptis Episcopis, usum initi ante sacram Ordinationem matrimonii permisit, Canone 13. cujus hæc sunt verba: *Quoniam Romana Ecclesia pro Canone traditum esse cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum vel Presbyteratum, profiteantur se non ampliùs suis uxoribus conjungendos: nos antiquum Canonem Apostolicæ perfectionis ordinisque servantes, hominum qui sunt in sacris legitima conjugia, deinceps quoque firma & stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutuâ, tempore convenienti, consuetudine privantes. Quamobrem, si quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet. Sed neque Ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur se legitima cum uxore consuetudine abstenturum: ne ex eo a Deo constitutas, & suâ præsentiâ benedictas nuptias injuriâ afficere cogamur, Evangelica voce exclamante: Quæ Deus conjunxit, homo non separet: & Apostolo docente, Honorabiles nuptias & thorum immaculatum: &, Alligatus es uxori? Ne quære solutionem. . . . . . Si quis autem fuerit ausus, præter Apostolicos Canones incitatus, aliquem eorum, qui sunt in sacris, Presbyterorum, inquimus, vel Diaconorum, vel Hypodiaconorum, conjunctione cum legitima uxore, & consuetudine privare, deponatur. Similiter & si quis Presbyter, vel Diaconus suam uxorem pietatis prætextu ejecerit, segregetur: & si perseveret, deponatur.*

Probatur sextò ex Innocentio III. in C. *Cùm olim*, de Clericis conjugatis: in quo Acherontino Archiepiscopo quærenti, an filius Sacerdotis Græci ad Episcopatum Angloriensem promoveri posset, ad quem fuerat ab Angloriensibus Canonicis electus, sic respondit: *Nos igitur attendentes, quòd Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit: quoniam Orientales in Minoribus Ordinibus contrahunt, & in superioribus utuntur matrimonio jam contracto: mandamus, quatenus, nisi pro eo quòd Græci hujusmodi inter Latinos conversantur, regionis consuetudo repugnet, & si aliud Canonicum non obsistat, ad confirmationem, & consecrationem sine dubitatione procedas.*

Denique idem constat ex omnium Ecclesiæ Græcæ cum Latina reconciliationum Historia a Photiani Schismatis temporibus: semper enim suscepti fuere Græci cum suis moribus ac Disciplina, nec ullus Pontifex ipsorum Sacerdotibus perpetuæ jugum continentiæ imponere usquam tentavit. * Quos tamen ad eam servandam adegissent, ipsosque abstraxissent ab uxoribus, si divino jure, vel Apostolico Præcepto, majorum Clericorum cœlibatus institutus esset.

In Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. & in Florentino sub Eugenio IV.

Objicitur primò in secundam Propositionem. Tertullianus Africanæ Ecclesiæ Presbyter uxorem duobus libris adhortatus est ut post suum obitum continentiam servaret, aut saltem ne cum ethnico ho-

homine matrimonio jungeretur: at ipsam non fuisset ad continentiam adhortatus post obitum suum servandam, si marito ad Sacerdotium promoto continere coacta fuisset, eò quòd Sacerdotibus usus matrimonii esset prohibitus. In Ecclesia igitur Africana Sacerdotes matrimonio ante Ordinationem contracto utebantur.

Confirmatur. Inter scelera quæ Novato Carthaginensi Presbytero Schismatico Sanctus Cyprianus exprobrat, Epistolâ 49. ad Cornelium datâ, refert quòd uterum uxoris calce percusserit, & abortione properante in parricidium partum expresserit: adeòque temerarie damnet sacrificantium manus, cùm esset ipse nocentior pedibus, quibus filius qui nascebatur occisus erat. Africanæ igitur Ecclesiæ Disciplina Sacerdotibus usum conjugii non prohibebat: alioqui Sanctus Cyprianus Novatum non tantùm immane facinus, verùm etiam intemperantiam & libidinem exprobrasset. Nec respondere juvat, Novatum uterum uxoris prægnantis calce percussisse, cùm nondum esset ad Sacerdotium promotus. Nam istud crimen, ut & alia flagitia, quæ Sanctus Cyprianus ibidem recenset, ipsius Ordinationem impedivissent, si ante eam fuissent perpetrata.

Respondeo ad primum, nego minorem. Poterat enim uxor Tertulliani, quæ continentiæ propositum ante ipsius consecrationem amplexa fuerat, ad secundas nuptias post illius obitum convolare, cùm nullo voto se obstrinxisset, sed simplex iniisset propositum servandæ continentiæ quamdiu vir ejus esset superstes. Quamobrem Tertullianus ipsam a secundis nuptiis avocat. Cæterùm quod jam ipsam ut sororem, potiùs quàm ut uxorem spectaret, ex quo fuerat ad Sacerdotium assumptus, colligitur ex nomine quo ipsam compellat. *Dilectissima*, inquit, *mihi in Domino conserva*. Colligitur etiam ex eo quòd falsorum numinum Sacerdotes continentiam servare notet: *Continent*, inquit, *etiam gehenna Sacerdotes. Sacerdotium viduitatis & cœlibatum est apud nationes.* Quasi innuat a fortiori Christianæ Religionis Sacerdotes continentiæ perpetuæ addictos esse.

Incertum an Sacerdos esset Tertullianus, cùm libros Ad uxorem scripsit.

Respondeo secundò, non esse certum utrùm Tertullianus ad Sacerdotium assumptus esset, cùm libros ad Uxorem scripsit. Neque enim illos scripsit morti proximus, sed persecutione sæviente, ut colligitur ex his verbis capitis 5. *Nam quid gestamus liberos gerere, quos cùm habemus, præmittere optamus, respectu scilicet imminentium angustiarum, cupidi & ipsi iniquissimo isto sæculo eximi, & recipi ad Dominum? Nimirum necessaria soboles servo Dei. Satis enim de salute nostra securi sumus, ut liberis vacemus: quærenda nobis onera sunt, quæ etiam a Gentilium plerisque vitantur, nobis plurimùm importuna, quantùm Fidei periculosa. Cur enim Dominus, Væ prægnantibus, & nutricantibus cecinit, nisi quia filiorum impedimenta testatur in illa die expeditionis incommodum futura? Ea utique nuptiis imputantur. Istud autem ad viduas non pertinebit: ad primam Angeli tubam expeditæ prosilient: quamcumque pressuram, persecutionemque liberè perferent, nulla in utero, nulla in uberibus æstuante sarcina nuptiarum.*

Denique uxor ejus adhuc juvenis erat & formosa, cùm illos ad eam libros scripsit, ut constat ex illis verbis capitis 4. *Carnis concupiscentia ætatis officia defendit, decoris messem requirit, gaudet de contumelia sua: dicit virum necessarium sexui ut auctoritatis & solatii causâ, vel ut a malis rumoribus tuta sit. Et tu adversùs consilia hæc ejus adhibe sororum nostrarum exempla, quarum nomina penes Dominum, quæ nullam formæ, vel ætatis occasionem, præmissis maritis, sanctitati anteponunt. Malunt enim Deo nubere; Deo speciosæ, Deo sunt puellæ, cum illo vivunt, cum illo sermocinantur: illum diebus, & noctibus tractant: Orationes suas velut dotes Domino assignant: ab eodem dignationem velut munera dotalia, quotiescumque desiderant, consequuntur. Sic æternum sibi bonum donum Domini occupaverunt, ac jam in terris non nubendo, de familia Angelica deputantur. Talium exemplis fœminarum ad æmulationem te continentia exercens, spiritali affectione carnalem illam concupiscentiam humabis, temporalia & volatilia desideria formæ vel ætatis, immortalium bonorum compensatione delendo.* Porrò si juvenis erat, & elegantis adhuc formæ uxor Tertulliani, cùm hos ipsi libros nuncupavit, verisimile est Tertullianum ipsum non adeò provectæ fuisse ætatis, nec forsan adhuc Sacerdotio insignitum.

Immane Novati in uxorem facinus, ante illius Ordinationem perpetratum.

Ad confirmationem respondeo, verisimilius esse, quòd facinus istud Novatus ante Ordinationem suam perpetraverit: quod tamen quia tunc Ecclesiæ ignotum erat, non prohibuit quin ad Sacerdotium proveheretur. Tunc autem vulgatum est istud Novati crimen, ut & alia scelera, quorum reus erat, cùm in ejus mores schismatis ab eo facti occasione diligentiùs inquisitum est. Cur autem verisimilius id asseram, ratio est, quia Ecclesia Africana, quæ Sacerdotes negotiis sæcularibus implicari non patiebatur, nec tutores nominari, multò minùs passa esset ipsos rei uxoriæ vacare, quæ longè magis a Deo abstrahit, quàm temporalium procuratio negotiorum. Prohibitum autem fuisse Sacerdotibus in Ecclesia Africana ne tutelam vel curam gererent, probat evidenter Epistola Sancti Cypriani sexagesima sexta, qua prohibet offerri Sacrificium pro dormitione Geminii Victoris, quia Geminium Faustinum Presbyterum tutorem testamento suo nominaverat: *Cùm jam pridem*, inquit Sanctus Cyprianus, *statutum sit in Concilio Episcoporum ne quis de Clericis & Dei Ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat: quando singuli divino Sacerdotio honorati, & in Clerico Ministerio constituti, nonnisi Altari & Sacrificiis deservire, & precibus atque Orationibus vacare debeant. Scriptum est enim: Nemo militans Deo obligat se molestiis sæcularibus, ut possit placere ei cui se probavit. Quod cùm de omnibus dictum sit, quantò magis molestiis & laqueis sæcularibus obligari non debent, qui divinis rebus & spiritalibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos & sæculares actus vocari non possunt?* Et postquam hujus religionis formam Levitas tenuisse dixit in veteri Lege, qui Templo & Altari, Ministeriisque divinis penitus addicti, terrenis curis exempti penitus erant, hæc subjungit: *Quod Episcopi Antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter providentes, censuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes & Ministros voluit avocare. Et ideo Victor cùm contra formam nuper in Concilio Sacerdotibus datam, Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est, quòd pro dormitione ejus apud vos fiat Oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur, ut Sacerdotum decretum religiosè & necessariò factum servetur a nobis: simul & cæteris fratribus detur exemplum, ne quis Sacerdotes & Ministros Dei, Altari ejus & Ecclesiæ vacantes, ad sæculares molestias devocet.*

Clemens Alexandrinus explicatur.

Objectio secunda petitur ex Clemente Alexandrino, l. 3. Stromatum p. 139. dicente: *Quin & unius quoque uxoris virum utique admittit* Apostolus, *seu sit Presbyter, seu Diaconus, seu Laicus, utens matrimonio citra reprehensionem. Servabitur autem per*

filio-

filiorum procreationem. Sob finem igitur secundi Sęculi Sacerdotes & Diaconi matrimonio utebantur.

Respondeo primò, Esto quidam Sacerdotes & Diaconi tunc liberos post sacram Ordinatinnem ex matrimonio antea inito susciperent, quia nondum ullo præcepto, ullove Canone perpetua continentia ipsis præcepta erat: non sequitur tamen quòd maxima pars Clericorum majorum continentiam ex pietate & Ecclesiastica consuetudine non servaret, & quòd cœlibes, aut continentes præ aliis ad sacra Ministeria non seligerentur.

Respondeo secundò, usum matrimonii in illo Clementis Alexandrini loco ad Laicos referri (*seu Laicus utens matrimonio citra reprehensionem:*) non autem ad Diaconos, aut Presbyteros, quos unius quidem uxoris viros admittit Apostolus, non autem filiorum procreationi operam dantes. Id porrò satis erat ad Clementis institutum, qui unum id probandum ibi susceperat contra Tatianum & Encratitas, matrimonium usumque ejus malum non esse, nec ab eo velut a peccato abhorrere homines debere cùm a Deo sit institutum. Ex hoc enim quod Apostolus *Unius uxoris virum*, ad Sacerdotium assumi decreverit, sequitur evidenter, matrimonium non solùm a Lege concessum, ut illi Hæretici contendebant, sed etiam in Novo Testamento. Hinc pag. 344. ejusdem libri sic colligit; *Quid autem ad hæc dicunt, qui in legem invehuntur, & in matrimonium, ut quod sit solùm a Lege concessum, non autem etiam in novo Testamento? Quid ad has leges latas possunt dicere, qui sationem abhorrent, & generationem, cùm Episcopum quoque qui domui rectè præsit, Ecclesiæ ducem constituat? Domum autem Dominicam unius mulieris constituit conjugium.*

Ex Concilio Gangrensi nihil colligi potest contra cœlibatum Sacerdotum.

Objectio tertia petitur ex Concilio Gangrensi, Canone 4. ita decernente: *Si quis discernit Presbyterum conjugatum, tamquam occasione nuptiarum, quòd offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideò se abstinet, anathema sit*. Itaque Presbyteri conjugio in Orientis Ecclesiis utebantur Concilii Nicæni temporibus. Gangrensis enim Synodus non multò post Nicænam celebrata est.

Respondeo, Patres Gangrenses eo in Canone locutos non esse de Presbytero, qui conjugio post Ordinationem sacram uteretur; sed de eo qui uxorem olim habuerat, vel habebat etiamnum sororis loco, non uxoris. Agebat namque Synodus contra Eustathii, seu Euctati Hæretici asseclas, qui quòd nuptias execrarentur, Laicos quidem actu conjugatos a communione repellebant, Presbyteros verò etiam ab usu matrimonii priùs initi temperantes, quòd tamen olim nuptias iniissent, a sacrorum congressu arcebant, indignosque judicabant qui Eucharistiam offerrent, quasi crimine pollutos contracti matrimonii. Quamobrem sacra Synodus nuptiis honorem suum asserens, impium dogma execratur, & anathemate eos ferit, qui inter oblationem Sacerdotis olim conjugati, & cœlibis distinguerent, quasi ille pridem connubium iniens aliquo se crimine infecisset; cùm tamen honorabile connubium, & thorus immaculatus illi notam inurere non deberet. Hanc esse Gangrensium Patrum mentem ostendit versio Dionysii Exigui, qui Canonem illum ex Græco Textu sic Latinè reddidit: *Quicumque discernit a Presbytero qui uxorem habuit, quòd non oporteat, eo ministrante, de oblatione percipere, anathema sit*. Id ostendit etiam vis ipsa Græci verbi γεγαμηκότος, quod significat eum qui uxorem habuit: Unde Gesnerus, Lutheranarum licèt partium Auctor Dionysii Exigui versionem secutus est.

S. Athanasii locus ex Epistolâ ad Dracontium explicatur.

Objectio quarta depromitur ex Sancto Athanasio in Epistolâ ad Dracontium, dicente: *Novimus autem & Episcopos jejunantes, & Monachos comedentes. Novimus & Episcopos non bibentes vinum, & Monachos bibentes. Novimus quoque Episcopos signa facientes, & Monachos non facientes. Multi quoque ex Episcopis matrimonia non inierunt: Monachi contra parentes liberorum facti sunt. Quemadmodum vicissim Episcopos filiorum patres, & Monachos generis potestatem non quæsivisse animadvertas; & Clericos bibisse, & Monachos jejunasse.* Ergo tempore Sancti Athanasii Clerici majores, etiam Episcopi, filios ex matrimonio ante consecrationem suam inito suscipiebant.

Nec respondere juvat, Sanctum Athanasium significare dumtaxat his verbis quosdam Episcopos filios procreasse antequam ad Sacerdotium promoverentur. Nam Dracontius Monasticæ Vitæ Sanctissimus Professor, quem ad Episcopatum suscipiendum eâ Epistolâ Sanctus Athanasius adhortatur, Ordinis illius & gradûs honorem fugiebat, quia ipsi persuasum erat Episcopos Monachorum instituta servare non posse; solitam abstinentiam, jejunia, & in primis continentiam, se violaturum fore statim atque esset Episcopus: atqui id persuasum non habuisset, si Ecclesiæ Antistites perpetuam servare continentiam soliti essent. Matrimonio igitur impunè utebantur.

Præterea. Sanctus Athanasius æquè componit Episcopos cum Monachis, vel iisdem opponit, in potatione vini, vel abstinentia, & in patratione miraculorum, ac in procreatione filiorum: at certum est multos Episcopos non solùm vinum bibisse, & miracula non edidisse ante Episcopatum, sed nec in ipso Episcopatu: itaque & filios procreasse constat nedum antequam Episcopi fierent; verùm etiam postquam sunt inaugurati.

Responden, Sanctum Athanasium intelligendum esse de uxoribus ductis, deque filiis procreatis ante Episcopatum. Huncque sensum esse Sancti Athanasii ex eo colligitur quòd eodem modo de Episcopis, ac de Monachis loquatur. At certum est nusquam permissa fuisse Monachis connubia, & rei uxoriæ usum, ex quo Monasticam Vitam professi sunt: igitur nec Episcopis, ex quo sunt ad Episcopatum promoti. Idem confirmatur ex ipso Sancto Athanasio in Apologia de fuga sua, ubi mores Arianorum Episcoporum, qui eum persequebantur, describens, de quodam Leontio, quem ἀπόκοπον, id est exectum, & Eunuchum appellabant, Ariano Pseudoëpiscopo ita refert: *Leontius cùm argueretur commercium habere cum quadam muliere juvencula, cui nomen Eustolium, jussusque proinde fuisset ut ab ejus contubernio abstineret, ejus causâ seipsum castravit, quò liberè ejus consuetudine uti posset. Neque tamen vel ita suspicionem abluere potuit: quia potiùs ob id ipsum, cùm Presbyter esset, depositus fuit: quamvis Constantius Hereticus vi effecerit, ut eum Episcopum appellarent.* At si Presbyteri & Episcopi, tempore Sancti Athanasii poterant cum uxoribus ante Ordinationem ductis, lege matrimonii postea commisceri: quis credat Leontium hominem salacissimum se abscindere maluisse, ut cum Eustolio securiùs degeret, quàm ante Ordinationem eam uxorem ducere, quâ Presbyter factus jure conjugali uti potuisset?

Ad id verò quod contra hanc responsionem objicitur, respondeo distinguo minorem. Id persuasum non habuisset Dracontius, verè, concedo; falsò, nego. Nam Monachi, qui ipsum ab Episcopatu deterrebant, eumque apud se retinere nitebantur, quod ipsorum societati & exemplo esset, & ornamento, ipsius simplicitate abusi, illi persuaserant Episcopatum esse caussam peccati, & innumeras inde occasiones delinquendi suboriri: deteriorem ipsum proinde evasurum, si dignitatem illam susciperet; non esse huic muneri idoneos Monachos, ad quem conjugati assumebantur: Episco-

pos mensam omnibus per viam habere, & lautas epulas; vinumque bibere ipsos oportere: proindeque Monachos, qui jejuniis, & abstinentiâ se exercent, nullumque conjugium norunt, perpetuę castitati addicti, non posse tutâ conscientiâ Episcopatum suscipere. Horum dictis & consiliis Monachorum vir simplex, & omnium quæ extra Monasterium suum, aut solitudinem gerebantur, inexpertus, facilè crediderat, dixeratque se numquam Episcopatum suscepturum: quamobrem Sanctus Athanasius e bono Ecclesiæ esse videns ut vir integerrimæ Fidei, & sanctissimæ Vitæ, ac in Scripturis Sacris eruditus, ipsius regimini præficeretur, ipsum gravissimâ Epistolâ est adhortatus ad suscipiendum Episcopatum: ad quem electus ordinatusque fuerat, & quem suadentibus Monachis fugiebat: omnesque ipsius scrupulos excussit. Id totam legentibus Epistolam perspicuum fiet. *Oro te*, inquit, *ne istiusmodi quid in mentem admittas, neque Auctores istiusmodi consiliorum sustineas. Non enim ista digna sunt Dracontio. Nam quæ Dominus instituit, ea & firma persistunt, & fratrum ita meticulositas compescitur. Quòd si omnes eamdem mentem habuissent, qualem nunc habent, qui tibi in consilio sunt, quo pacto Christianus factus esset, nullis usquam repertis Episcopis? ... An forsitan ideò tibi consilium suppeditant tui occultandi, quod dixeris, juravisque, non futurum ut fies, si constitueris Episcopus? Istiusmodi enim vocibus audio illos tuas aures circumstrepere, & in ea re se cautos videri velle. Essent illi quidem verè cauti, si Ministerio tibi injuncto cautum voluissent. Quòd si legissent sacras Scripturas, non citra illas consilium darent. Quia jam tempus est ut Jeremiam culpent, & magnum illum Mosem accusent, quòd ipsorum consilium non audierint, sed Deum veriti, officium Ministerii perfecerint, & prophetando adimpleverint..... Quod si verbum locutus es, & verbum Sanctis pro juramento est, reminiscere quæso Jeremiæ, quomodo ipse qui dixerat: Non nominabo nomen Domini: postea metuens illum, qui in se erat, ignem, non pro iis quæ dixerat, fecit, neque ut præoccupatus erat juramento, se in tenebras abdidit, sed veritus Mandatorem, suam Prophetiam absolvit.*

Deinde ostendit multos ante ipsum ex Monastica Vita ad Episcopatum assumptos, sacram dignitatem suscepisse, quamvis eximia sanctitate prædìti essent; proinde ipsum non debere Monachis credere ipsum a regimine Ecclesiæ deterrentibus, neque cum illis inaniter causificari quòd futurus sit deterior; cùm potiùs melior futurus sit, si Sanctum Paulum aliosque Sanctos imitari velit. *Neque enim*, inquit, *tu solus ex Monachis es constitutus, neque solus Monasterio præfuisti, neque solus a Monachis dilectus es. Nosti enim Serapionem Monachum esse, & quot Monachorum Præfectum? Neque a te ignoratur quot Monachorum Pater fuerit Apollonius. Nosti Agatonem, neque ignotum habes Aristonem. Memores Ammonii cum Serapione peregrè profecti. Fortassis etiam audisti de Cue in superiori Thebaide: poteris etiam rescire de Paulo, qui est apud Latos, & de aliis multis. Et tamen isti Episcopi constitui non contradixerunt, sed habentes pro exemplari Helisæum, & conscii quid Helias egerit, & eruditi quid Discipuli Christi, Apostolique fecerint, susceperunt hanc curam, neque Ministerium hoc aspernati sunt; neque propterea seipsis deteriores facti sunt, sed & laboris mercedem expectant, proficientes ipsi, aliosque proficere adhortantes. Quot ab Idolis converterunt? Quot a furiosa, & dæmoniaca consuetudine suis admonitionibus compescuerunt? Quot adduxerunt Christo servos? adeò ut qui signa ista conspiciant, admirentur. An quæso non ingens signum, puellam inducere ut virgo maneat? Et adolescentiorem adhuc ut sit continens? Et Idololatram, ut agnoscat Dominum? Ne igitur te impediant Monachi, quasi solus ad hoc & quasi teipso deterior futurus sis: Poteris enim etiam melior fieri, si Paulum imiteris, & Sanctorum Acta æmuleris. Nosti enim eos qui ita creati sunt dispensatores Mysteriorum, rectiùs secundùm scopum sese incitasse ad bravium supernæ vocationis. Quando autem Paulus contestatus est, & coronam se expectavit accepturum, nisi cùm missus esset ad docendum? Quando Petrus confessus est, nisi cùm evangelizabat, & Piscator hominum factus esset? Quando Helias assumptus est, nisi cùm universam Prophetiam suam adimplevisset? Quando in spiritu dupla obtinuit Helisæus, nisi cum omnibus relictis assectator factus est Heliæ? Cur autem delegit Discipulos Servator, nisi in id ut eos prædicatum emitteret? Quapropter cùm istiusmodi habeas exempla, dilectissime Draconti, nec dicas, nec dicentibus credas, Episcopatum esse caussam peccati, aut quòd inde nascantur occasiones delinquendi. Licebit in Episcopatu esurire, sicuti Paulo: licebit & vinum non bibere, sicuti Timotheus fecit: & jejunare frequenter, ut Paulus solet, ut ita secundùm illum jejunans, alios sermonibus uteias; & sitiens abstinendo a potu, aliis docendo potum præbeas. Ne igitur talia objiciant consiliarii tui. Novimus enim & Episcopos jejunantes, & Monachos comedentes, &c. Sic enim licet, & ad eum modum non prohibetur, sed quisque, ubi volet, decertet: non enim corona pro locis, sed pro factis redditur. Ne igitur sustineas diversa consulentes, sed potiùs propera.*

Et infra: *Sed quid est quòd tibi Auctores sunt ne Episcopatum capessas, cùm illi ipsi cupiant habere Presbyteros? Si enim malus es, ne sint socii & gregales tui: si autem te idoneum norunt, ne invideant aliis. Quoniam si docere & præesse, secundùm illos, caussa peccati est; ne ipsi doceantur, aut Presbyteros habeant. Verùm tu istis humanis vocibus ne intendas, neque sustineas eos qui illa suadent.*

Objicitur quintò. Gregorius Senior Sancti Gregorii Nazianzeni Pater ipsum genuit in Episcopatu: cælibatus itaque tunc temporis non erat sacris Ordinibus annexus.

Probatur antecedens. Ille genitus est a Patre jam ad Episcopatum promoto, quem Pater ad curam Ecclesiæ Nazianzenæ vocans ait, pauciores ætatis annos, quàm se Episcopatûs numerasse; atqui Pater Sancti Gregorii Nazianzeni ipsum ad summum Sacerdotium vocans, ait ipsum pauciores annos ætatis, quàm se Episcopatûs numerare: igitur a Patre jam Episcopo genitus est.

Probatur minor. Sic enim Patrem suum loquentem secum inducit Sanctus Gregorius Nazianzenus in Carmine de Vita sua:

O chare Fili, te Pater supplex rogat,
Senex vigentem, Dominus & famulum suum:
Natura enim te, & lex duplex subdidit mihi.
Non posco nummos, non lapillos fulgidos,
Agrosve, mollis aut quicquid luxus jubet.
Cupio te Aaroni jungere, atque Annæ sato,
Ut præpotenti semper assistas Deo.
Te qui dedit, habet, nate, ne spernas Patrem.
Honesta posco: sin minùs, Pater petit.
Nondum tot anni sunt tui, quot mihi in sacris
Jam sunt consumpti victimis, da quod peto.

S. Gregorium Nazianzenum ante Patris Ordinationem genitum esse, probat Vitę ipsius Chronologia.

Respondeo, Sermonem illum Gregorii Senioris hyperbolicum esse. Constat enim ex Chronologia Vitæ Sancti Gregorii Nazianzeni ipsum non solùm ante Episcopatum, verùm etiam ante Baptismum Patris natum esse. Quod sic ostenditur. Obiit Sanctus Gregorius Nazianzenus anno Christi 389. ut colligitur ex Sancto Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, Cap. 117.

ubi

ubi tempus ipsius mortis sic designat: *Decessit ante hoc fermè triennium sub Theodosio Principe.* Vertebatur autem annus Imperii Theodosii decimus quartus, cum anno Christi 392. concurrens, quando hæc Sanctus Hieronymus scribebat, ut constat ex capite ultimo ejusdem libri. Ad fœliciorem igitur & immortalem Vitam Sanctus Gregorius Nazianzenus translatus est anno Christi 389. Ante septemdecim annos vità functus erat ejus Pater, anno scilicet Christi 372. cùm centum fermè annos vixisset, ex iisque in Sacerdotio quinque & quadraginta exegisset, ut testatur Gregorius ipse Nazianzenus Oratione 10. quæ est funebris in laudem Patris. Anno ad summum ante obitum, Gregorium filium, qui Sasimorum Episcopatu ob turbas hìc obortas cesserat, in partem suæ solicitudinis vocavit, & Ecclesiæ Nazianzenæ ad tempus præfecit. Vix unum intercessisse annum inter ejus vocationem ad Ecclesiam Nazianzenam, & obitum Patris, colligo ex eo quòd ipse in carmine de Vita sua breve admodum fuisse tempus significet, his verbis:

Paterna at Sedis, (quod pii quidam viri
Nullum obsecrandi me sibi statuerent modum)
Ut hospitem aliena, brevi me tempore
Gessisse curam non nego.

Quadraginta igitur & quatuor annos in Sacerdotio exegerat Gregorius Pater cùm Filio Nazianzenæ Ecclesiæ administrationem concredidit, anno Christi 371. itaque inauguratus fuerat Sacerdos anno Christi 327. igitur si tot annos præcisè habuisset ætatis Gregorius Nazianzenus, quot annos Sacerdotii sanctissimus ipsius parens numerabat, hoc ipso anno Christi 327 eum natum esse oporteret. At nequaquam ita se res habet: quod sic demonstratur. Gregorius Nazianzenus trigesimum circiter annum exegerat, cùm Athenis degeret unà cum Basilio literis dans operam, cùmque hinc discessit Basilius, ut testatur ipse in carmine de Vita sua, his verbis:

Nam tempus ingens fluxerat jam in literis
Triginta & annos penè tunc exegeram.

Erat autem id tempus quando Julianus Apostata Athenas se contulit (ut idem Gregorius refert Orat. 4. quæ est secunda in Julianum) Constantio VII. & Gallo III. Coss. anno Christi 354. porrò si tunc annum trigesimum penè exegerat Gregorius Nazianzenus, sequitur natalem ejus contigisse anno Domini 324. anno scilicet ante Concilii Nicæni celebrationem penè integro: quo tempore adhuc ethnicus erat Gregorius parens. Illum enim baptizatum fuisse tradit Gregorius Nazianzenus, * eo tempore quo Nicænum Concilium celebratum est, scilicet anno Christi 325. *Ac proinde*, inquit, *cùm res ita tum nata fuisset: ut complures Episcopi Nicæam contenderent, quò Arii furori obsisterent, Deo sese ac veritatis Præconibus tradit, & desiderium confitetur, communisque salutis auxilium ab iis poscit, inter quos insignis quoque ille Leontius erat, qui tum Metropolim nostram gubernabat.* Porrò certum adhuc est ante illud tempus natum esse Gregorium Nazianzenum. Siquidem ante commemoratam conversionem Patris, scribit Nonnam matrem ipsum Deo ante ortum promisisse, & in lucem editum statim consecrasse. Natus itaque est anno Christi 324. anno penè integro ante conversionem Patris ex ethnicismo. At non statim Gregorius Pater inauguratus est Sacerdos post susceptum Baptismum, sed longo satis temporis intervallo, ut Cæsarium interim juniorem filium generaret. Id colligitur ex ipso Gregorio Nazianzeno Oratione 19. quæ est funebris in laudem Patris. *Sacerdotium autem suscepit*, inquit ille, *non ea facilitate, ac confusione qua nunc viget, sed nonnullo interjecto temporis spatio: quo nimirum ad sui purgationem, aliorum quoque purgandorum peritiam & facultatem adjungeret: quemadmodum videlicet spiritualis ordinis lex poscit.* Tempus illud triennio circumscribimus, & anno Christi 327. ad Sacerdotium ipsum promotum fuisse probamus, ut ex superiùs dictis constat. Certissimum igitur est Gregorium Seniorem nullos a tempore Ordinationis suæ liberos suscepisse.

* Orat. funebri in laudem Patris.

Verùm quamvis hæc responsio probabilis videri possit, meliori tamen ratione solvi hæc difficultas videtur, alium in sensum & quidem convenientiorem flectendo verba Gregorii Patris ad Filium, quæ interpolata visa sunt eruditis *Bollandi* continuatoribus, in Prolegomenis ad *Sancti Gregorii Nazianzeni* Vitam, ad diem nonam Maji. Ubi enim in editis legitur,

Οὔπω τοσοῦτον ἐμμεμέτρηκας βίον,
Ὅσος διῆλθε θυσιῶν ἐμοὶ χρόνος.
Nondum tot anni sunt tui, quot mihi in sacris
Jam sunt consumpti victimis:

Sic Versum ultimum ab Auctore scriptum conjiciunt;

Ὅσος διῆλθεν ἐτησίων ἐμοὶ χρόνος.

Sicque duos illos Versus Latinè reddendos ad mentem Auctoris:

Ætas peracta tam longa nondum est tibi,
Quot Etesiarum transiit tempus mihi.

Cùm enim antiquitus non notarentur ii quos modò usurpamus accentus, & spiritus, facillimum fuit ut malè conjuncta vel divisa verba inveniens Librarius aliquis, quasi esset διῆλθετησίων, vel διῆλθε τησίων nullumque ex sic conjunctis, vel divisis sensum capiens, θυσιῶν substituerit, & pluribus post se dederit occasionem aberrandi. Non ineptè porrò dixerit filio pater, quòd nondum ad suam ætatem pervenerit. Agebatur enim de suscipienda Nazianzeni Episcopatûs administratione, quam refugiens filius annos tum natus duos & septuaginta, si fides adhibeatur *Suidæ* asserenti nonagenarium obiisse, ætatem meritò excusabat suam, quam Deo & sibi deinceps vacuam ab omni alia cura servare magis conveniret. Sed potiori jure pater penè centenarius reponebat, multùm illum abesse a senio suo. Cùm autem patri justa persolvisset, tum demum excusari posse secessum quem meditabatur. Interim tantillam moram concederet seni, quam salva pietate negare non posset. Hunc sensum sequentes Versus confirmant. Præterea, cùm illa statim post Episcopalem Filii Consecrationem id est, anno tercentesimo septuagesimo-primo intelligatur dixisse Gregorius Pater, ut Viri Eruditi observant, non fuisset filius multò major quadragenario, juxtà communem lectionem; qui tamen in Carmine de Vita sua, quod ante id tempus, non diu post *Cæsarii* fratris & *Gorgoniæ* sororis obitum, scripsit, ita queratur:

Jam caput albescit canis, rugosaque membra
Tristis ad occasum vita mihi prona feruntur.

Porrò qui tunc canus & curvus erat (quod in septuagenario sene non mirum, in viro quadragenario portentosum fuisset) decennio post cùm morbo prohiberetur *Olympium* Præsidem per se adire veniam reis civibus exoraturus, eumdem per Epistolam 172. interpellans, meritò his verbis utitur: *Moveat te nostra canities, quæ te jam antehac, & quidem persæpe movit.* Et Oratione 17. pro civibus eidem vel alteri ejus in eodem Munere Decessori supplicans: *Num tibi*, inquit, *supplicis libelli loco canities hæc offerenda erit, atque annorum numerus?* Rursus in Carmine de Vita sua narrans quantum sibi honorem amoremque Constantinopoli exhibuerit Theodosius Imperator, ait:

Pu-

Pudendum foret,
Si gloriarer tam senex ob talia,
Qui cuncta patri deputo, pratee Deum.

Et Oratione 30. ad 150. Episcopos: *Diuturnitate*, inquit, *laboris nos levate ac recreate; moveat vos hac canities*. Epistolâ denique 42. scribit, se patre mortuo Episcopos diu multùmque obtestatum fuisse ut *Eulalius* Ecclesiæ Nazianzenæ præficeretur, *Propter effœtum & emortuum corpus suum*. Videtur autem id contigisse anno 372. vel 373. Si autem anno 324. natus ponatur secundùm primam Responsionem, tunc fuisset quinquagenario minor, nec effœti & emortui jam corporis.

Sed adhuc clariùs ex ætate *Sancti Basilii Magni* elucescit ætas *Sancti Gregorij Nazianzeni*, quandoquidem illi se æqualem dicit ætate, Oratione 20. *Basilius* autem jam ante Episcopatum anno tercentesimo sexagesimo-nono, decimaquarta Junii initum gravi senio premebatur. Ipse enim Epistola 11. *Eusebio* suo olim sodali *Cyriacum* Sympresbyterum commendans, scribit quòd per ejusdem Eusebii præsentiam, si eâ frui licuisset, gravi senio excusso, ex sene juvenis factus esse visus fuisset. Et *Gregorius* noster Epistolâ 20. *Eusebio* Cæsareensi in Cappadocia Episcopo *Basilium* reconciliari petens, vocat eum Sacerdotem & vitâ & sermone, *& canitie*, omnium, quos noverit præstantissimum. Rursumque *Basilius* Epistolâ ad Gregorium nostrum, quæ inter Gregorianas post octogesimam habetur, mortuo Eusebio rogans Gregorium eumdem ut Cæsaream ad novi Episcopi electionem se conferat: *Quomodo*, inquit, *renovabitur senectus mea?* Igitur & Gregorius noster anno tercentesimo sexagesimo-octavo jam gravi senio premebatur, videturque, secundùm *Suidam*, nonagenario major obiisse; adeòque sub sæculi tertii finem natus fuisse. Virum enim de gravi senio tam sæpe conquestum saltem septuagenarium esse oportuit.

Et verò *Gregorii Nazianzeni* pater anno tercentesimo vigesimo-quinto factus est Catechumenus, & forsan etiam baptizatus, non quidem a *Leontio* Cæsareæ Episcopo, ut *Baronio* visum est, sed ab Episcopo Nazianzeno: eùm Episcopus ille qui Gregorium patrem baptizavit, *Eum quem baptizabat, & initiabat, & inungebat, sibi in Episcopatu successurum palam clamaverit*, ut testatur Gregorius Filius Oratione 19. *Sacerdotium* autem *suscepit non ea facilitate ac confusione qua nunc viget, sed nonnullo interjecto temporis spatio, quo nimirum ad sui purgationem, aliorum quoque purgandorum peritiam & facilitatem adjungeret, quemadmodum spiritalis ordinis lex postulat*. Verba sunt Sancti Gregorii Nazianzeni Oratione 20. Ex quibus colligitur, Gregorium Seniorem non ante annum 327. vel 328. Sacerdotium suscepisse. Ipso verò Sacerdotio functus est vir sanctissimus annis omnino quinque & quadraginta, ut testatur ejus filius Oratione 19. obiitque ferme centenarius; adeò ut ejus obitum anno 372. vel 373. contigisse necesse sit. Si igitur ille jam Presbyter aut Episcopus genuisset Gregorium Theologum, hic non ante annum 328. aut 329. natus esset; adeòque vix quadragesimum ætatis annum explevisset anno 368. quo tamen tempore se jam gravi senio confectum querebatur.

Porrò parentes habuit [ut ipse testatur Oratione 11. in laudem *Gorgonia* sororis] *Tum vita longitudine & canitie, tum prudentiâ & splendore inter se certantes, ac reliquos omnes superantes*: quos proinde anno Christi 273. aut 274. natos conjicere licet, & circa ætatis annum 23. aut 24. matrimonio conjunctos, ex iisque prodiisse Gregorium nostrum anno 298. aut 290. Ex quibus omnibus evidens est, ipsum annis plurimis non solùm ante Sacerdotium, sed etiam ante Baptismum patris natum esse.

Quod verò Cardinalis *Baronius* observat, Gregorium Athenis anno Christi 354. *Constantio VII. & Gallo III.* Coss. cum Juliano Apostata congressum esse, eoque tempore explevisse annos ætatis penè triginta, huic Chronologiæ nihil obest; quandoquidem Gregorius id memorans in Carmine de Vita sua, non loquitur de annis totius vitæ, ut putat *Baronius*, sed de iis duntaxat quos in studio Eloquentiæ consumpserat. *Nam tempus ingens fluxerat jam in Literis* [ut reddit Metricus ejus interpres] Continuatores verò *Bollandi* Textum Græcum sic vertunt: *Etenim longum tempus impendebam Eloquentia exercenda, eratque is annus mihi ferme trigesimus*, in illo nempe studio, de quo Gregorius Presbyter in ejus Vita: *Trigesimo jam anno in artium studiis exacto, patria se restituit*.

Falsum etiam videtur quod asserit *Baronius*, Julianum Apostatam *Constantio VII. & Gallo III.* Coss. primùm Athenas venisse. Scribit enim Gregorius Presbyter *Gregorium Nazianzenum* ibi cum *Juliano* admodum adolescente & ludimagistris operam dante congressum fuisse. Anno autem Consulatum Constantii VII. & Galli III. proximè sequente, *Arbetiano* scilicet ac *Lolliano* Coss. cùm, teste *Ammiano Marcellino*, libro 15. Germani Gallias ad internecionem vastarent, æstuaretque diu *Constantius* qua vi propulsaret ærumnas, tandem *Julianum* in consortium Imperii adscitum 8. Idus Novemb. ut scribit *Idacius*, Cæsarem renuntians, eidem tutelam Galliarum demandavit: cui sanè par non fuisset adolescens in tanto rerum discrimine.

Objectioni ex Synesio petita respondetur.

Objectio sexta. Synesius ordinatus fuit Episcopus Ptolemaidis, licèt profiteretur nolle se uxorem dimittere, nec a procreandis liberis cessare: qua de re ita scribit Epistolâ 105. ad fratrem datâ: *Mihi*, inquit, *& Deus ipse, & lex, & sacra Theophili manus uxorem dedit. Quare hoc omnibus prædico ac testor, neque me ab ea prorsus sejungi velle, neque adulteri instar cum ea clanculum consuescere. Alterum enim nequaquam pium est, alterum illicitum. Sed hoc utique cupiam ac precabor, plurimos mihi & quàm optimos esse liberos. Hoc unum ab eo ignorari non oportet, qui creandi vim habet, quod de sodali Paulo ac Dionysio intelligere potest, quos quidem Legatos a populo electos audio..... Hæc si mihi Episcopalis Muneris nostri jura concesserint, subire hanc dignitatem possim*. Addit Synesius, se Philosophiâ imbutum, præconceptas opiniones deponere non posse, nec vulgares sectari: non posse sibi persuadere animum esse corpore posteriorem, mundum cæterasque ejus partes unà interire, & alia similia popularium opinionum dogmata. Nolle se opiniones dissimulare suas, ac prodere veritatem. Addit insuper, ludorum, & venationis se esse amantissimum; ægrè se visurum canes otiosos, vel arcus a teredinibus exesos: se tamen id utcumque laturum, si Deus jubeat. Addit denique, se, quamvis sit a curis alienus, non sine molestia quidem, sed liticulas tamen ac negotia sustenturum, munusque illud, etiamsi grave, Deo præstiturum. Sic omnia pollicetur præter dissimulationem opinionum, & abstinentiam a conjuge, ex qua se liberos velle suscipere contestatur. At non obstante hoc proposito, Synesius consecratus est Episcopus. Itaque perpetuæ votum continentiæ non erat tunc annexum Sacerdotio, imò nec Episcopatui, ex Ecclesiæ Disciplina.

Respondeo, Synesium verè illud propositum non habuisse utendi uxore, & procreandi liberos, cùm Episcopus inauguratus esset, sed simulatè egisse, quasi in illa esset animi sententia, ut ea arte sese ab one-

onere Episcopatus, quo se indignum existimabat, liberaret. Nec verò Ecclesiasticæ Disciplinæ tam adversa dumtaxat inculcavit; sed & quædam Fidei repugnantia sentire se finxit; nempe se de resurrectione, eo quo prædicabatur in Ecclesia Catholica modo facienda, dubitare. *Testam illam*, inquit, *ne decantatam resurrectionem, sacrum quiddam, atque arcanum arbitror, longèque absum ab vulgi opinionibus comprobandis.* Sicut ergo verisimile non est quòd Synesius eo errore imbutus fuerit, ac resurrectionem non credens Episcopus sit inauguratus: ita nec par est existimare ipsum verè in eo fuisse animi proposito, scilicet vacandi rei uxoriæ, & procreandi liberos post susceptum Episcopatum, & illius tenacem propositi fuisse consecratum. Igitur ex simulatione hæc omnia præstitit Synesius, ut Episcopatus honorem & onus effugeret: nec aliud exhibuit verbis, quàm quod factis Sanctus Ambrosius, dum ne Mediolanensis Ecclesiæ crearetur Antistes, adulterum se & sanguinarium ab omnibus publica professione credi voluit. Id ex ipsius Synesii Epistolis eruitur, in quibus testatur se omnem adhibuisse artem ut Episcopatum effugeret. Ita enim scribit Epistolà 11. ad suæ Diœceseos Presbyteros: *Neque ego vobis antea superior eram, omni robore ac machinis Sacerdotium detrectans: atque nunc memet vicistis, sed divinum profectò fuit, quod nondum tunc, & nunc primùm ita sit factum. Equidem non unam mortem pro ea functione subiissem. Neque enim fatis mihi accommodatam rei dignitatem arbitrabar.* Cæterùm quòd perpetuæ continentiæ servandæ necessitas Episcopis imposita esset secundùm Ecclesiæ Disciplinam, colligitur ex Synesii facto, qui nusquam simulasset velle se rei uxoriæ vacare, & procreare liberos, ne ordinaretur Episcopus, nisi summi saltem Sacerdotes continentiam profiteri debuissent. Id ex iis confirmatur quæ in illà Epistolà 105. scribit Synesius, *Episcopum divinum esse hominem oportere, qui ab omni lado perinquè ac Deus ipse sit alienus, & ad nullam voluptatem constringi, atque emolliri possit; & nullà omnino labe pollui debere, tamquam qui aliorum piacula ac sordes abstergat.* Hæ autem dotes illi minimè conveniunt qui sit uxoriis deliciis irretitus. Addit Synesius, *Se apud Deum esse cupere omnis criminis expertem*: Seque Theophili Patriarchæ Alexandrini in omnibus subjicit voluntati. *Sed*, inquit, *tanquam rei totius gnarus Deo charissimus Pater Theophilus, ut quemadmodum probè omnia norit perspicuè mihi significanti, ita de me deliberet. Nec enim meo me in vita statu persistere, ac mecum philosophari permittet, aut judicii de me postea ferendi, neque ex Episcoporum numero expungendi, locum sibi nullum relinquet.*

Et infra: *Sed si postea quàm ista manifesta fuerint, quæ celari minimè volo, in Episcoporum numerum nos adscribat, cui ejus potestas a Deo commissa est, cedam necessitati, ac tamquam divinitus oblatam tesseram accipiam.* Paratus itaque erat Synesius, quicquid exteriùs simularet, ad ea servanda quæ Ecclesiastica Disciplina præcipiebat Episcopis, si Theophilus ipsum ad Episcopatum promoveret, ut omnis apud Deum expers esset criminis: adeòque cùm continentia Sacerdotio per Orientis & Ægypti Ecclesias annexa esset, ut testatur qui tum vivebat Sanctus Hieronymus, verisimile est huic legi Synesium paruisse.

Objicitur septimò. Episcopi Orientis nulla lege coacti erant ad perpetuam continentiam, & filios in Episcopatu plerique procreabant (ex Socrate libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 21.) Perpetuam igitur continentiam Sacerdotes & Episcopi non servabant ex universalis Ecclesiæ Disciplina, etiam post Nicænum Concilium.

Respondeo. Esto, quidam Episcopi filios ex matrimonio priùs contracto post suam inaugurationem susceperint, non tamen id permittente Ecclesiæ Disciplinà fecerunt. Perpetuam namque servabant continentiam, ubi Disciplina Ecclesiastica vigebat, teste Sancto Epiphanio. Hæresi 59.

Respondeo secundò, suspectam esse hac in re Socratis fidem; cùm ipsi Sanctus Hieronymus, qui Gregorium Nazianzenum in Oriente sacrarum literarum Magistrum habuit, quique fuit in Palestina diutissimè versatus, apertissimè refragetur in libro contra Vigilantium, dicens: *Quid facient Orientis Ecclesiæ: quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?* *Socratis Historia suspecta fides.*

Objiciuntur octavò verba Dei ad Adamum & Evam totum genus humanum repræsentantes: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Quibus verbis propagandi generis mandatum continetur perpetuæ oppositum continentiæ.

Respondeo, iis verbis non contineri præceptum, sed benedictionem. Avibus enim & Piscibus, qui Præcepti sunt incapaces, dixit etiam Deus: *Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris; avesque multiplicentur super terram.* Et post diluvium cùm jam Noë filios habuerit, ipsi nihilominus, *Benedixit Deus, & filiis ejus, & dixit ad eos: Crescite & multiplicamini, & replete terram*, ut refertur Genes. 9. Sed etsi Præceptum verba illa continerent, non tamen ad singulos homines, sed ad genus ipsum dumtaxat hominum referretur, ex quo aliqui semper propagationi studere deberent. Nam omnes non spectare, ostendunt Christi verba virgines commendantis. *Sunt Eunuchi*, inquit, *qui se castraverunt propter regnum cælorum.* Et Apostoli dicentis: *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*: &, *Volo omnes vos esse sicut meipsum, sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic. Dico autem non nuptis & viduis: Bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego: quòd si non se continent nubant*, Et, *Qui matrimonio jungit virginem suam, benè facit; & qui non jungit, melius facit* *Objectionibus mulierosorum Hæreticorum ex Scriptura petitis respondetur.*

Objiciuntur nonò verba Christi, Matth. 19. *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ergo Sacerdotes non sunt ab uxoribus priùs ductis avellendi: alioqui jus divinum violabitur.

Respondeo, Hæc Christi verba: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, intelligenda esse de vinculo connubii, non de thoro, & nuptiarum usu: & conjugatos quidem a divortiis deterrere; sed emissum, de consensu alterius conjugis, continentiæ votum irritum non facere.

Objiciuntur decimò Apostoli verba ad Hebræos 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Itaque Sacerdotes conjugio laudabiliter uterentur.

Respondeo, nego consequens. Soli namque Hæretici sic Apostoli textum interpretantur, quasi nullum hominum ordinem a conjugio excludi voluerit, ac proinde omnibus licitum sit & honorabile, etiam eis qui sponte continentiam voverunt, aut cœlibatûs legi collum submisere. Et certè si sic Apostoli verba exposueris, ac vi *In omnibus*, pro singulis personis supponere velis, sequitur etiam inter fratres & sorores, inter matres & filios, honorabile esse connubium: quo quid a natura magis alienum, nedum a veritate fingi potest? Honorabile itaque intelligimus connubium in omnibus

quæ

quæ ad ipsum pertinent, sive prolem, sive fidem, sive Sacramentum spectemus: vel, honotabile in omnibus, id est, apud omnes: quasi dicat Apostolus, interprete Sancto Fulgentio * *Neminem debere conjugium infamare, etiamsi virginitatem sanctè colat*. Vel denique in omnibus legitimè coonjunctis, sive sint juvenes, sive senes, sive pauperes, sive divites, sive Judæi, sive Græci, *Connubium est honorabile, & thorus immaculatus*. Et hæ quidem expositiones commodæ sunt, si locus Apostoli enuntiativè intelligatur. Sed præceptivè [ut ita loquar] esse intelligendum, Interpretes non ignobiles censent, ut hoc modo ad conjugatos referatur: *Conjugium sit in omnibus vobis honorabile, & thorus immaculatus*: id est, præcipio vobis, quicumque in conjugio vivitis, ut ei quem par est honorem habeatis, nec conjugii fidem violetis, nec aliquid perpetretis, quo thori conjugalis puritas inquinari possit. Illa igitur Apostoli verba præceptum continent commendans conjugii fidem, legitimumque usum. Paulum enim hic morum tradere præcepta certum est, quod verba etiam sequentia penè evidenter ostendunt: *Fornicatores*, inquit, *& adulteros judicabit Deus*: quasi rationem reddat cur honestum conjugii usum præceperit his verbis: *Honorabile connubium in omnibus*, &c. Sed quoquo modo accipiatur, certè de Sacerdotibus, aut de his qui virginitatis votum emiserunt, intelligi non posse ex omnium Patrum doctrina colligitur. Sanctus Chrysostomus ad Theodorum lapsum ita scribit: *Legitima & justa res est conjugium; & ipse confiteor: Honorabile connubium*, inquit, *& cubile immaculatum; sed tibi jam non est integrum connubii jura servare. Cælesti enim Sponso semel junctum, illum relinquere, & uxoris laqueis implicari, adulterii crimen incurrere est: quamvis millies hoc ipsum nuptias voces, ego tamen & adulterio illud tanto pejus affirmo, quantò major ac melior mortalibus Deus*. Idem Homil. 10. in Epistolam 1. ad Timotheum hæc habet: *Si qui uxorem duxit, sollicitus est quæ sunt mundi, Episcopum autem hujusmodi sollicitudine tangi non convenit, quomodo superiùs dixit, Unius uxoris virum? Quidam illum, qui post uxoris obitum constituetur Episcopus, significasse intelligunt. Alioqui licet eum qui uxorem habeat, quasi non habentem esse. Tunc nempe ritè illud concessit pro tempore ac pro rei natura, quæ tunc fuerat*. Oeconomię quæ in Ecclesiæ exordiis necessaria erat, tribuit Sanctus Joannes Chrisostomus, quòd ad Episcopatum assumpti sint, qui uxorem duxerant, quamvis debeant esse quasi non habentes, id est, matrimonio non uti, ex quo Episcopi consecrati sunt.

Libro de Fide ad Petrum.

Suffragatur Sancto Chrysostomo Sanctus Isidorus Pelusiota ejus Discipulus, lib. 3. Epistolâ 75. *Exhibete*, inquit, *corpora vestra hostiam viventem. Non ad Sacerdotes solos scribens, ut existimus, hoc mandabat, sed universę Ecclesiæ. Unumquemque enim ipsorum hac in parte Sacerdotem esse jussit. Quòd si castitas & pudicitia subditos sacerdotes ordinat, libido proculdubio ac lascivia Sacerdotibus dignitatem abrogat. Atque hoc quidem Leges & Ecclesiasticæ Instituta sanciunt: Verùm haud admodum tamen illud fit. Quam autem ob causam, non est meum commemorare*.

Objicitur decimò. Apostoli uxores habebant, & secum ducebant cùm Evangelium prædicarent, ut testatur Sanctus Paulus 1. ad Corinthios 9. *Numquid*, inquit, *non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Ecclesię igitur Disciplina de Cœlibatu majorum Clericorum, non est ab Apostolis derivata.

Respondeo, nego consequens. Mulieres enim illę quas Apostoli circumducebant, non erant eorum uxores. Apostolorum siquidem nemo, præter Sanctum Petrum, conjugatus fuit; sed sororum loco ipsis erant, & ut ipsis necessaria ad victum subministrarent ac pararent, eos comitabantur, sed præcipuè ut faciliorem Evangelii prædicationem efficerent iis in locis, quorum aditus solis mulieribus liber erat. Sic expouit hunc locum Clemens Alexandrinus, lib. 3. Stromatum. *Reliqui Apostoli*, inquit, *Prædicationi attendentes, non ut uxores, sed ut sorores circumducebant mulieres, quæ unà ministraturæ essent apud mulieres, quæ domos custodiebant, per quas etiam in Gynaceum absque ulla reprehensione, malave suspicione ingredi posset Doctrina Domini*. Sic etiam exponit Sanctus Isidorus Pelusiota, lib. 3. Epistolâ 179. *Non quòd*, inquit, *ii qui virginitatem suadebant, & castitatem prædicabant ac Virginum Choros moderabantur, cum mulieribus consuetudinem haberent: quis enim eos virginitatem suadentes tulisset, siquidem ipsimet in voluptatum cœno volutantes deprehensi essent?* Sic intellexit & Sanctus Hieronymus, lib. 1. adversùs Jovinianum scribens: *Quamquam excepto Apostolo Petro, non sit manifestè relatum de aliis Apostolis, quòd uxores habuerint. Et cùm de uno scriptum sit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significet*. Sed etsi quosdam ex Apostolis, præter Petrum, conjugatos fuisse concederemus, eos in perpetuum ab uxoribus abstinuisse ex quo vocati sunt, casque reliquisse ut Christo adhærerent, certissimum esset ex illis verbis Sancti Petri ad Christum: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te?* Et ex illo Christi responso: *Nemo est qui dimiserit domum, aut fratres, aut uxorem*, &c. Ex quibus ita concludit Sanctus Hieronymus loco mox laudato: *Assumpti in Apostolatum, relinquunt officium conjugale*.

SCHOLION I.

In hac Dissertatione Religiosi Censores ad pag. 238. hanc notam referunt: *Quidam Cardinalis Legatus in Anglia, dum cœlibatum conatur promovere, ipse inter meretrices inventus est, quicquid dicat Baronius*.

R. Trigesimam-tertiam Propositionis secundę probationem adduxi ex Concilio Londinensi anno 1125., convocato auctoritate *Joannis Cremensis* Cardinalis & Sedis Apostolicæ per Angliam Legati Canone 13. cujus verbis descriptis subjunxi: *Sic Legem cœlibatus solemni Concilio Cardinalis firmavit, quam utinam pessimo exemplo non violasset!* Tum *Matthæi Parisii* verba refero de istius Legati lapsu, quod grave scandalum Ecclesiæ peperit. Non poteram assentiri *Baronio* Matthæum Parisium hac in causa malæ fidei & calumniæ accusanti, quia idem referunt *Henricus Huntindoniensis*, *Rogerius de Heveden*, *& Matthæus Vuestmonasteriensis*. Quatuor Historicos Anglos, antiquiores, & de his quæ in Anglia gesta sunt meliùs instructos quàm *Baronium* recentiorem, & nullum testimonium vel certum documentum opponentem, quo falsitatis convinci possint, præ doctissimo Cardinali audiendos existimabam. Verumtamen Willelmi Malmesburiensis coævi Auctoris silentium, & alia momenta, quæ ad apud *Ciaconium* postremæ Editionis exponuntur, me movent ut Joannem Cremensem calumniam passum lubentissimè credam. Quamobrem quæ de illius lapsu in prima Editione obiter notaveram, nec malo animo, in ista expunxi.

SCHOLION II.

In eadem Dissertatione, pag.257. Religiosi Censores hanc Propositionem notant; *Monachi quemdum Monachum optimum dissuadent mendaciis ne accipiat Episcopatum*.

R. De mendaciis Monachorum ne verbum quidem habeo. De *Dracontio* Monacho loquor, quem ab Episcopatu suscipiendo alii deterrebant, & *ipsius simplicitate abusi, illi persuaserunt Episcopatum esse caussam peccati, & innumeras inde occasiones delinquendi suboriri*, &c. Id a Monachis illis factum *S. Athanasius* testatur in Epistolâ ad *Dracontium*, ipsorumque refellit errorem. Non mentitur certè quisquis errat. Sed si mentitos esse velint Religiosi Censores, quid peccavi rem gestam referens ex qua id colligi posse putant? An Monachi ex illorum numero non sunt, de quibus scriptum est, *Omnis homo mendax*? Ut qui dixerit quosdam Monachos aliquando mentitos esse, aut mentiri posse, reprehensione dignus sit?

SCHOLION III.

In eadem Dissertatione, pag. 265. Religiosi Censores improbant quòd *Mendacia quorumdam Sanctorum, ne eligerentur Episcopi*, commemorem.

R. De Sanctorum mendaciis nullum ibi verbum, sed de *Synesii* simulatione sermo est, cujus non est vindicata sanctitas, necnon de simulatione *S. Ambrosii*. Quod de *S. Ambrosio* observo a *Paulino* in ejus Vita memoriæ proditum est: quæ de *Synesio* ex ejus Epistolis perspecta sunt. Sed nec *Synesium*, nec *Ambrosium* viros tunc perfectos fuisse notum est, & hunc adhuc fuisse Catechumenum; quos proinde simulationis accusare, haud injuriosum fuerit eorum sanctitati.

SCHOLION IV.

In eadem Dissertatione, pag. 271. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Apostoli quasdam mulieres ut uxores circumducebant*.

R. Hæc propositio non est mea, contradictoriam assero: objectionis verba, cui respondeo, pro Doctrina mea acceperunt Indiculi Censorii Auctores. Objectionem sic proponebam: *Objicitur undecimo. Apostoli uxores habebant, & secum ducebant cùm prædicarent Evangelium*, &c. Ad responsionem quàm subjunxi non attenderunt, vel ipsam dissimularunt. *Mulieres illa quas Apostoli circumducebant, non erant eorum uxores Apostolorum, siquidem nemo, præter S. Petrum, conjugatus fuit, sed sororum loco ipsis erant*, &c. Tam non est mea Propositio illa quam mihi Religiosi Censores tribuunt, quàm non est *S. Thomæ* hæc Præpositio quæ initium est Articuli 3. Quæst. 3. Primæ Partis: *Videtur quod Deus non sit*.

Nota.

IN primæ propositionis probationibus omnimodè admittit Natalis Paphnutii historiam, quam ex Socrate describit. Displicet id Thomassioo *Vet. & Nov. Discipl. p.1. l.2. cap.60. n.15.* qui putat Socratem de suo adjecisse Paphnutium pronunciasse *antiqua ecclesiæ traditione* superioribus Clericis solùm interdici, ne ineant matrimonium, non verò jam initi usum. Id re vera non consonum fuisse ecclesiæ traditioni ea demonstrant quæ ipse Natalis ex Eusebio, Cyrillo, Epiphanio, aliisque PP. pro secunda stabilienda propositione in medium profert. Ex iisdem PP. apertè conjicitur Concilii Nicæni temporibus Episcopos, Presbyteros, Diaconosque ita ex diuturno usu ab ecclesiæ incunabulis derivato continentiam servasse, ut etiam ab antea ductis uxoribus abstinerent. Si ergo castissimus Paphnutius PP. Nicænos removit a ferenda lege, ut majores clerici etiam ab antea ductis uxoribus temperarent; omnino credendum est non antiquam traditionem objecisse, sed majoris mali periculum, si antea ductis uxoribus privarentur. Hac sanè ratione, & ob schisma amovendum toleravit postea Ecclesia majores in ecclesia græca clericos ab usu priùs ductarum uxorum non cessare.

Idem Thomassinus, ut alibi etiam innui, Christum vel saltem Apostolos clericorum cælibatus institutores fuisse sentit, quod tamen Natali non placet.

DISSERTATIO XX.

De sensu sexti Canonis Nicæni.

CUm instituto majorum, & antiqua consuetudine receptum esset, ut Alexandrinus Episcopus per singulas Ægypti, Libyæ, & Pentapoleos Ecclesias sacras Ordinationes celebraret, vel celebrari permitteret, eumque ordinem facto schismate perturbasset Meletius, Nicænis Patribus visum est huic malo oportunum afferre remedium, edito sexto Canone, quo & Alexandrino Episcopo, & Metropolitanis sua asserta est dignitas, confirmataque privilegia. En integrum Canonem, secundùm Versionem Dionysii Exigui. *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque Provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis. Illud autem generaliter clarum est, quòd si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magnam Synodus definivit Episcopum esse non oportere. Sin autem communi cunctorum decreto rationabili, & secundùm Ecclesiasticam regulam comprobato, duo aut tres propter contentiones proprias contradicant, obtineat sententia plurimorum*.

Circa istius Canonis intelligentiam Viri Eruditi inter se digladiantur. Cùm enim omnes in eo conveniant, quòd certam institui comparationem eo Canone Alexandrinum inter & Romanum Episcopum concedant; quidam eos inter se dumtaxat componi contendunt quoad jus Metropoliticum Ordinationum, ut Joannes Launoius Parisiensis Theologus: * alii quoad jus Patriarchicum inter se ipsos componi propugnant, scilicet Sirmondus, Valesius, & illustrissimus Archiepiscopus Dominus de Marca. Novatores hoc Canone Romani Pontificis primatum everti asserunt, quòd ejus auctoritas ad regiones Suburbicarias, id est, ab orbe Roma centesimo lapide dissitas coarctetur; eaque confirmetur potestas Alexandrino Episcopo per Egyptum, Libyam, & Pentapolim, quæ Romano Pontifici dictis in regionibus ad singularem Episcopatus Romani, quà privatus Episcopatus est, ditionem spectantibus, convenit. Has opiniones sequentibus Propositioonibus discutiemus.

In Dissert. de recta Nicæni Canonis 6. intelligentia.

Valesius in Ecclesiasticis Observat. ad Socratem, & Sozom.

D. de Marca lib. 1. de Concordia Sacerdotii, & Imperii cap. 3.

PROPOSITIO I.

C*Anon sextus Nicæni Concilii, de Patriarchis intelligendus est: eoque Alexandrinus Episcopus*

cum

rum Romano componitur, non solùm quoad jus Metropoliticum, verùm etiam quoad jura Patriarchica, non tantùm celebrandarum Ordinationum, aut confirmandarum electionum; verùm etiam quoad cætera jura Patriarchica Dignitatis.

Probatur prima pars. Aliud Canone 6. sanxerunt Nicæni Patres, quàm Canone 4. decreverant. Inanis enim ac superflua repetitio in viros tam graves cadere non potest: atqui Canone quarto potestas Metropolitanorum luculentissimè asserta fuerat: Canone igitur sexto rursus eamdem stabilire non erat opus.

Probatur minor recensendo verba Canonis quarti: *Episcopum convenit maximè quidem ab omnibus qui sunt in provincia Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc Ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum quæ geruntur, per unamquamque provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo.*

Probatur secundò. Episcopi qui Diœcesim, id est multas Provincias regunt, non sunt Metropolitani simplices, sed Patriarchæ: atqui Canon sextus Nicæni Concilii agit de Episcopis qui regunt Diœcesim, id est multas Provincias, & quibus subsunt plures Metropolitani: Non agit igitur de simplicibus Metropolitanis, sed de Patriarchis.

Probatur minor. Agit enim hic Canon de Alexandrino Episcopo, cui Ægypti, Libyæ, Pentapoleos, Thebaidis, Mareotæ, Ammoniacæ, & Maræotidis provinciæ parebant, ut ex Sancto Epiphanio, *Heresi 68.* & ex illo Canone colligitur, & cui decem ad minus Metropolitæ suberant, ut colligitur ex Epistolâ Theodosii Imperatoris *ad Dioscorum*, quæ refertur in Concil. Calchedon. Act. Prima. Agit de Antiocheno Episcopo, cui subjiciebantur omnes Orientis Provinciæ, ut colligitur ex Sancto Joanne Chrysostomo, *Homilia 3. ad Populum Antiochenum*, & ex Sancto Hieronymo *in Epistolâ ad Pammachium*: Asiana, Pontica, & Thracica Diœcesibus exceptis, quæ ab Exarchis suis administrabantur, unà cum suis Synodis, ut constat ex Canone 2. Synodi Constantinopolitanæ Oecumenicæ 2. Agit denique de Romano Episcopo, qui toti Occidenti præerat, ut colligitur ex Sancto Basilio *Epistolâ 10.* ex Sancto Augustino, *lib 1. contra Julianum, cap. 2.* ex Sancto Hieronymo in *Epistolâ ad Marcum*, & in *lib. adversùs Vigilantium*, & ex Innocentio I. *in Epistolâ ad Decentium Eugubinum Episcopum*. Agit, inquam, de Romano Pontifice, cui septem vel octo Diœceses subjiciebantur, nimirum duæ in Italia, solidum Illyricum, quod ex una Diœcesi postea in duas discerptum est, Galliæ, Britanniæ, Hispaniæ, & Africa. Itaque Canon sextus Nicæni Concilii agit de Episcopis qui Diœcesim regunt, id est, multas Provincias, & quibus subsunt plures Metropolitani: ac proinde non agit de simplicibus Metropolitanis, sed de Patriarchis.

Probatur tertiò auctoritate Innocentii Primi, qui in Epistolâ ad Alexandrum Antiochenum Patriarcham, hunc Canonem de Patriarchis intellexit. Ait namque Antiochenam Ecclesiam a Nicænis Patribus non supra unam Provinciam, sed supra suam Diœcesim esse constitutam. Deinde addit, Antiochenum Episcopum Metropolitanos præcipuo quodam jure ordinare solitum esse, ex auctoritate scilicet Canonis Nicæni. Cùm igitur soli Patriarchæ Diœcesim habeant, & Metropolitanos jure ordinent: consequens est Canonem illum, juxtà Innocentii Primi sententiam, de Patriarchis esse intelligendum. Ecce tibi Innocentii verba Epistolâ 18. *Revolventes itaque auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ una omnium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia cunctis Fidelibus, ac dixerim Sacerdotibus, esse necessarium custodire, quæ super Diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam Provinciam, recognoscimus constitutam: unde advertimus non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quàm quòd prima primi Apostoli sedes esse monstretur, ubi & nomen accepit Religio Christiana, & quæ Conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quæque urbis Romæ Sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se, consummatumque gauderet. Itaque arbitramur, Frater carissime, sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic & cæteros, non sine permissu conscientiaque tua, suas Episcopos procreari.*

Probatur quartò auctoritate Sancti Hieronymi in Epistolâ ad Pammachium adversùs errores Joannis Hierosolymitani, in qua ipsum perstringit ob jus perperam attributum Alexandrino Episcopo. Scilicet scripserat Joannes Hierosolymitanus ad Theophilum Alexandrinum Patriarcham, multaque apud eum conquestus fuerat de Sancto Epiphanio, qui, ut criminabatur, Paulinianum Hieronymi fratrem Presbyterum in Parœcia sua ordinaverat, multaque adversùs ipsum Hieronymum effutiebat. In illâ autem Epistolâ, Theophilo blandiebatur, quasi qui Hierosolymitanæ Ecclesiæ curam sustineret, ut hac eum adulatione demereretur. Adversùs eum scribens Sanctus Hieronymus, ejusque errores palam traducens, hanc ipsi juris usurpationem etiam exprobrat his verbis: *Tu qui regulas quæris Ecclesiasticas, & Nicæni Concilii Canonibus uteris, & alienos Clericos cum suis Episcopis commorantes tibi niteris usurpare, responde mihi, Ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid attinet? ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palæstinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia.* Ex quibus sic colligo. Juxtà Nicænum Canonem, teste Sancto Hieronymo, totus Oriens Antiocheni Episcopi ditioni subjectus est. At in Oriente solido plures esse Provincias nemo nescit, pluresque Metropolitanos: igitur plures Provincias Antiochenus Episcopus regebat. Plures porrò Provinciæ uni Metropolitano, secundùm Nicænum Canonem, non suberant. Itaque Nicænus Canon sextus de Patriarchis, non verò de Metropolitanis simplicibus est intelligendus.

Respondet Lannoius, Cæsareensem Episcopum non minùs esse Palæstinæ Metropolitanum, quàm Antiochenus Episcopus sit Orientis totius Metropolitanus, secundùm Sanctum Hieronymum, qui ibidem subdit: *Sed novi cur Cæsaream, cur Antiochiam nolueris mittere. Sciebas quid ageres, quid vitares. Maluisti occupatis auribus molestiam facere, quàm debitum Metropolitano tuo honorem reddere.* Sicut ergo Cæsareensis Episcopus, ex Hieronymi sententia, non erat Patriarcha, ita neque Antiochenus. O egregiam viri eruditi ratiocinationem, si aliqua in antecedente esset scintilla veritatis! Sed falsissimum est quòd nomen Metropolitani eodem sensu tribuat Antiocheno & Cæsareensi Episcopis. Cæsareensem enimverò Metropolitanum simplicem agnoscit, qui unam duntaxat regat Provinciam, scilicet Palæstinam: Antiochenum verò, Metropolitanum majorem, cui plures Provinciæ obnoxiæ sint, qui & Metropolitanos plurimos regat: Sic autem acceptum Metropolitani nomen idem significat quod nomen Patriarchæ: quo non est usus Sanctus Hieronymus, quia nondum in Ecclesia invaluerat.

Probatur quintò ex Sancto Leone Magno, Epistolâ 55. ad Pulcheriam Augustam datâ, de ambitu Anatolii, qui Patriarchicam Dignitatem circum-

cim-

cumventione fuerat in Concilio Calchedonensi consecutus: qua in Epistola ejus usurpationem ex eo impugnat, quòd Nicænis Canonibus adversetur, & Metropolitanorum primatus evertat. Cùm igitur, Synodus Calchedonensis non simplicis Metropolitani, sed secundi Patriarchæ honorem & Jurisdictionem Constantinopolitano Episcopo asseruisset, significavit S. Leo Nicænum Canonem, cui Calchedonensem ait esse contrarium, non de simplicibus Metropolitanis, sed de Patriarchis esse intelligendum; quos tamen S. Leo secundùm antiquos mores, Metropolitanos appellat: quia revera sunt Metropolitani majores, seu Metropolitani Metropolitanorum, quo etiam sensu nomen istud a Nicænis Patribus in Canone, quo de agimus, acceptum asserit Zonaras. En porrò verba Sancti Leonis, quæ perperam in suum sensum, id est ab istius Pontificis mente prorsus alienum detorquet Launoius. *Contra statuta paternorum Canonum, quæ ante longissima ætatis annos in urbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuiquam addere conceditur; ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potiùs minuat, quàm illa corrumpat*. Et infra: *Superbum nimis est, & immoderatum, ultra fines proprios tendere, & antiquitate calcata, alienum jus velle præripere, atque ut unius crescat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare Primatus, quietisque Provinciis, & olim sanctæ Synodi Nicænæ moderatione dispositis, bellum nova perturbationis referre, atque, ut venerabilium Patrum decreta solvantur, quorumdam Episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negavit effectum.*

Idem constat luculentius ex ejusdem Pontificis Epistolâ 35. ad Anatolium; *Doleo etiam*, inquit, *etiam in hoc Dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas Nicænorum Canonum Constitutiones conareris infringere, tamquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium Alexandrina Sedes perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit, ut his locis juri tuo subditis, omnes Metropolitani Episcopi proprio honore priventur.*

Probatur sextò ex Joanne Scholastico, qui Justiniano Imperante Patriarcha fuit Constantinopolitanus, in Collectione Canonum, quam Theodoreto quidam tribuunt, Titulo 1. in quo docet de dignitate & juribus Patriarcharum hoc Canone Nicæno agi. En ejus verba: *De tribute per Canones Patriarchis honore. Et non licere eorum alicui Provinciam alteri competentem invadere, pro Ordinatione, aut administratione: sed eas quæ jam invasæ sunt, iis quibus injuria facta est, restituendas. Nicænæ Synodi Canon 6.* &c.

Probatur secunda pars Propositionis. Vel instituta est comparatio in sexto Canone Concilii Nicæni inter Alexandrinum Episcopum & Romanum, ut Episcopus est Romanæ Parœciæ, vel ut est Romanæ Provinciæ Metropolitanus, vel ut est totius Occidentis Patriarcha, vel denique ut est universalis Ecclesiæ Pontifex. Atqui comparationem non instituit Alexandrini Episcopi cum Romano Pontifice, ut Episcopo, ut Metropolita, ut totius Ecclesiæ Rectore: Ipsum igitur componit Canon ille cum Romano Episcopo quatenus est Occidentis totius Patriarcha.

Probatur minor. Episcopus Alexandrinus eamdem in Ægyptum, Libyam, & Pentapolim auctoritatem non habebat, quam Romanus Pontifex in Parœcia sua, seu in singulari Ecclesia urbis Romæ: alioqui nullus alius fuisset in omnibus illis Provinciis, præter Alexandrinum, Episcopus, sicut in Romana Parœcia nullus umquam fuit, nec institui potest Episcopus præter Romanum; vel certè omnes alii Episcopi Vicarii dumtaxat fuissent Alexandrini Patriarchæ: quod falsissimum est. Non componitur itaque in 6. Canone Nicæno Alexandrinus Patriarcha cum Romano Pontifice ut Episcopo. Sed nec cum ipso componitur ut Metropolita; alioqui nullus fuisset in omnibus Provinciis Patriarchæ Alexandrino subditis Metropolita præter ipsum, sicut in Romana Provincia præter Pontificem nullus est, cùm istius Provinciæ jura omnia Metropolitica in ipso resideant: quo nihil fingi potest nedum a veritate, verùm etiam a mente Concilii magis alienum. Metropolitarum enim jura hoc ipso Canone sarta tecta esse jubet sacra Synodus: & Canone 7. quamvis Hierosolymorum sedem novo honore augeat, id tamen præstat *salvâ Metropolis propriâ dignitate*. Denique non comparatur Alexandrinus Patriarcha cum Romano Episcopo ut Summo Ecclesiæ universalis Pontifice & Rectore: Siquidem Alexandrinus Episcopus potestatem in Ecclesiam non est sortitus universam. Superest itaque comparationem in illo Canone 6. Nicænos Patres instituisse Alexandrinum Episcopum inter & Romanum ut totius Occidentis Patriarcham, & quoad jura Patriarchæ.

Probatur tertia pars Propositionis. Comparatur Alexandrinus Episcopus cum Romano ut Patriarcha, sicut mox probatum est; at jus præcipuum Patriarcharum est Metropolitarum Ordinatio: inter eos itaque instituta est comparatio quoad jus Ordinationum. Quo jure Romanus Pontifex in toto Occidentis Patriarchatu potiebatur, quamvis illud omnibus in Provinciis eodem modo non exerceret. Nam in Italia, Insulisque adjacentibus, Metropolitanos per seipsum frequentiùs consecrabat, & interdum etiam Episcopos, jure præventionis. De Metropolitanis res est perspicua ex Epistolâ 3. Symmachi Pontificis, qui id de Aquilejensi testatur, & ex Nicolao I. Epistolâ 1. ad Michaëlem Græcorum Imperatorem, qui de Syracusano idem asserit. *Volumus*, inquit, *ut consecratio Syracusano Episcopo nostra a sede impendatur, ut traditio ab Apostolis instituta, nullatenus vestris temporibus violetur*. De Episcopis verò id constat ex Sancto Gregorio, lib. 4. Epistolâ 34. qua significat se Salonitanum in Dalmatia Episcopum suspendisse, quòd se inconsulto fuisset ordinatus. *Salonitanæ civitatis Episcopus*, inquit, *me ac Responsali meo nesciente, ordinatus est, & facta res est, quæ sub nullis anterioribus Principibus evenit. Quòd ego audiens, ad eumdem prævaricatorem, qui inordinatè ordinatus est, protinus misi, ut omnino Missarum solemnia celebrare nullo modo præsumeret*. Et Epistolâ 13. lib. 5. Lilybetanæ Ecclesiæ in Sicilia Episcopum a se ordinatum fuisse scribit: *Lilybetanæ Clerus Ecclesiæ*, inquit, *hue pro ordinando sibi veniens Sacerdote, licentiam eis de exquirendo sibi Episcopo nos dedisse cognoscas. Qui rapientes Decium Forensem Presbyterum, sibi eum consecrari multis precibus poposcerunt: quorum petitionem necessarium duximus adimplere*. Idem constat ex Joanne Diacono, lib. 3. Vitæ Sancti Gregorii, cap. 7. ubi multos sive Metropolitas, sive Episcopos enumerat, qui tum in Italia, cùm in locis adjacentibus a Sanctissimo Pontifice consecrati sunt. Denique idem constat ex Epistolâ 3. Cælestini I. ad Episcopos Calabriæ & Siciliæ, quâ ipsorum Ordinationes sibi tribuit: *Audivimus*, inquit, *quasdam propriis destitutas Rectoribus civitates, Episcopos sibi petere velle de Laicis, tantumque fastigium tam vile credere, ut hoc his, qui non Deo, sed sæculo militaverunt, æstiment nos posse conferre: non solùm malè de suis Clericis, in quorum contemptum hoc faciunt, judicantes; sed de nobis pessimè, quos credunt hoc posse facere, sentientes*.

In aliis verò Patriarchatus sui Diœcesibus Ro-

mana longiùs distantibus, Metropolitanos, & Episcopos, vel ordinabant, vel confirmabant Pontifices per Vicarios suos, seu per Primates, quos ad id constituebant, ut constat ex Epistolâ 44. S. Leonis ad Anastasium Thessalonicensem Primatem Illyrici, cap.6. *De persona autem consecrandi Episcopi, & de Cleri, plebisque consensu Metropolitanus Episcopus ad Fraternitatem tuam referat, quodque in Provincia bene placuit, scire te faciat, ut ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet auctoritas. Metropolitano verò defuncto, cùm in locum ejus alius fuerit subrogandus, Provinciales Episcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debebunt, ut omnium Clericorum, atque omnium civium voluntate discussâ, ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconis optimus eligatur, de cujus nomine ad tuam notitiam Provinciales referant Sacerdotes, impleturi vota præsentium, cùm quod ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognoverint. Sicut enim justas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præsumi.* Non semper tamen, aut ubique hanc in Ordinationibus potestatem exercebant, sed illam relinquebant Synodis & Metropolitanis Romani Pontifices, quod in Africa præsertim & Galliis præstiterunt, necnon etiam in Hispaniis. Non tamen inde inferri potest, quòd jus illud non haberent: quia juris exercitium ab ipso jure accuratè distinguendum est. Itaque ad normam Romani Episcopi, quatenus Patriarcha est Occidentis, Alexandrino Episcopo jus Ordinationum per universam Libyam, Pentapolim, & Ægyptum secundùm antiquos mores assertum est a Patribus Nicænis: ita ut absque ipsius saltem consensu nullæ Ordinationes ratæ essent. Id constat ex Epistolâ Synodicâ Concilii ad Ecclesiam Alexandrinam, apud Theodoretum, lib.1. cap.9. *Quòd si quis*, inquit, *eorum qui Ecclesiæ funguntur muneribus, diem suum obierit, tum unus ex illis qui nuper in Ecclesiam ascitì sunt* (id est ex iis quos ordinavit Meletius) *modò idoneus videatur, & populus illum eligat, Episcopusque Alexandriæ ei suffragetur & consentiat, in locum succedat demortui.* Hujus quoque possessio juris ab Alexandrino Patriarcha post Nicænam Synodum, probatur ex Synesio Ptolemaidis Episcopo, & Pentapolitanæ Cyrenensium regionis Metropolitano, qui Palæbiscæ Episcopum, suæ subditum Metropoli, legitimam consecrationem adeptum esse negat, quia non fuit Alexandriæ constitutus Episcopus, seu ab Alexandrino Patriarcha confirmatus. *Quamobrem*, inquit Epistolâ 67. ad Theophilum datâ, *unum illum & solum Palæbiscæ Episcopum creatum, sed neque legitimum, contra jura verò omnia, quantùm de Senioribus accepi, cùm neque sit Alexandriæ constitutus; neque tribus hic ut maximè eligendi, illinc signum datum fuerit.*

Et Epistolâ 76. Olbiatis vici cujusdam in Pentapoli Episcopum, cujus electionem suffragio suo ut Metropolitanus probaverat, a Theophilo Alexandrino Patriarcha censet esse necessariò confirmandum: *Meo quoque illum suffragio renuntio, ac pergratum quidem mihi erit, si illum in Episcopatu collegam ac socium habuerim. Unum adhuc superest, sacra tua scilicet manus; hoc uno Olbiatis opus est, mihi verò precibus.*

Idem probatur ex Socrate, lib.6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.7. ubi Dioscorum Monachum a Theophilo Alexandrino Patriarcha Hermopoleos, quæ vel Ægypti primæ, vel Thebaidis primæ civitas est, designatum fuisse Episcopum testatur.

Idem probatur ex Palladio in Historia Lausiaca, cap.12. ubi Ammonium a certæ cujusdam civitatis populis fuisse desideratum Episcopum refert, qui Timotheum Episcopum Alexandriæ rogarunt, ut eum Episcopum consecraret: illum autem respondisse: *Adducite eum ad me, & ego eum vobis ordinabo.*

Denique idem probatur ex Joanne Moscho *in Prato spirituali*, cap.124. ubi hæc habet: *Cùm venissemus in Sina post paucos dies, Abbas misit me, & duos alios in ministerium in Alexandriam, tenensque nos Papa Alexandrinus Appollinaris, omnes tres fecit Episcopos, unum quidem Heliopoleos, alium Leontopoleos, me vero in Babylonem misit.* Ex his autem omnibus colligitur jus Ordinationum, non tantùm Metropolitanorum, verùm etiam aliorum Episcoporum, Alexandrino Patriarchæ, secundùm antiquos mores, fuisse a Nicæna Synodo, Canone VI. confirmatum, & subinde continuâ possessione roboratum: adeòque comparationem institutam esse a Nicænis Patribus, illo in Canone inter Alexandrinum Episcopum & Romanum, quoad jus Ordinationum, quod est potissimum è Patriarchis, nullum est ambigendi locus.

Antiocheno Patriarchæ in sua Diœcesi jus idem convenisse, tum Metropolitanos, tum cæteros Episcopos ordinandi, probat evidenter Innocentii I. ad Alexandrum Antiochenum Epistola. *Itaque*, inquit, *arbitramur, ut sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari; ita cæteros non sine permissu, conscientiaque tua sinas Episcopos procreari. In quibus hunc modum rectè servabit, ut longè positos literis datis ordinari censeat ab iis, qui nunc eos suo tantùm ordinant arbitratu, vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire.*

Probatur postrema pars, quòd nimirum instituatur etiam comparatio inter Alexandrinum Episcopum, & Romanum, quoad cætera jura Patriarchalia. Canon sextus Nicænæ Synodi ne minimum quidem verbum habet, quod Alexandrini & Romani Episcopi potestatem in Diœcesibus illis subditis ad solas Ordinationes coarctet: imò nulla prorsus in eo de Ordinationibus fit mentio, sed generaliter constituit: *Ut Episcopus Alexandrinus horum omnium habeat potestatem, quia & Episcopo urbis Romæ parilis mos est.* Certè nomen potestatis generale est, & ad omnia extenditur, nisi termino aliquo circumscribatur: & qui omnium potestatem alicui tribuit, nihil excipit. Igitur Nicæni Patres comparationem instituerunt inter Alexandrinum & Romanum Patriarcham, non tantum quoad jura Ordinationum, sed quoad omnia jura Patriarchicæ Dignitatis.

Accedit quòd omnes Ægypti Episcopi ita semper hunc Canonem intellexerunt, ut ex Concilii Calchedonensis Actione IV. demonstratur, ubi inducias sibi dari postulant ad subscribendum Epistolæ dogmaticæ S. Leonis, & damnationi Eutychetis; atque per Hierachum Episcopum sanctæ Synodo his verbis supplicant: *De Epistola autem Sanctissimi, & Deo amicissimi Archiepiscopi Romani Leonis, sciunt omnes sancti Patres nostri, quia in omnibus expectamus sententiam beati nostri Archiepiscopi; & petimus vestram clementiam expectare Præsidis nostri sententiam, quia eum in omnibus sequemur. Nam & sanctissimi Patres, qui in Nicæa congregati sunt trecenti decem & octo, hanc regulam dederunt, Ut sequatur omnis Ægyptiaca regio Archiepiscopum magni nominis civitatis Alexandrinæ, & nihil absque ipso agatur ab aliquo ei subjacente Episcopo.* Viden non Ordinationes dumtaxat, sed quævis majoris momenti negotia secundùm Canonem Nicænum, Alexandrino Patriarchæ servata fuisse; ita ut sibi integrum non esse existimarent Ægypti Antistites ali-

quid

quid in Ecclesiasticis alicujus ponderis negotiis absque ejus nutu & auctoritate agere?

Denique Octava Synodus Oecumenica, Patriarcharum inter se comparationem, non tantùm quoad jus Ordinationum, verùm etiam quoad potestatem convocandi Synodos subjectarum sibi Diœcesum institutam agnoscit. Ita enim habet Canone 17. qui „ De potestate Patriarcharum, & Metropolitanorum ad eos adventu, *inscribitur*. Sancta & universalis Nicæna prima Synodus antiquam consuetudinem jubet servari per Ægyptum, & Provincias quæ sub ipsa sunt, ita ut horum omnium Alexandrinus Episcopus habeat potestatem, dicens: quia & in Romanorum civitate hujusmodi mos prævaluit: qua pro caussa & hæc magna & sancta Synodus tam in seniori & nova Roma, quàm in sede Antiochiæ ac Hierosolymorum, priscam consuetudinem decernit in omnibus observari: ita ut earum Præsules, universorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per pallii dationem Episcopalis Dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem, videlicet ad convocandum eos urgente necessitate, ad Synodalem Conventum, vel etiam ad coercendum illos, & corrigendum, cùm fama eos super quibusdam delictis forsitan accusaverit. *Et infra:* Consueverunt autem Metropolitani bis in anno Synodos facere, ideòque, sicut dicunt, ad Patriarchale penitus non posse concurrere Caput. Sed sancta hæc & universalis Synodus, nec Concilia, quæ a Metropolitanis fiunt, interdicens, multò magis illa novit rationabiliora esse, ac utiliora Metropolitanorum Conciliis, quæ a Patriarchali Sede congregantur; & idcirco hæc fieri exigit: a Metropolita quippe unius quidem Provinciæ dispositio efficitur; a Patriarcha verò sæpè tutius caussa Diœceseos dispensatur.

Objectionibus Joannis Launoii respondetur.

Objicies in primam partem Propositionis. Ille Canon de Patriarchis non est intelligendus, sed de Metropolitanis qui nullatenus Patriarcharum meminit, sed Metropolitanorum duntaxat, & ejus post conditionem multo temporis intervallo Patriarcharum nomen usurpari cœptum est: Atqui Canon VI. Nicænæ Synodi, Metropolitanos nominat, non Patriarchas, & multò post Nicænam Synodum usurpari cœptum est Patriarcharum nomen. Itaque de Patriarchis, & juribus Patriarchicis Nicænus Canon VI. minimè intelligendus est.

Præterea, nihil novi statuit Concilium Nicænum, sed solùm antiquos mores servari jussit: atqui ante Nicænum Concilium nulla monumenta Ecclesiastica probant Alexandrinum Antistitem aliis quàm Metropoliticis juribus potitum fuisse: itaque jura dumtaxat Metropolitica, non verò Patriarchica, Nicæni Patres Canone 6. illi vendicarunt.

Hæc summa est probationum Joannis Launoii quas discussit, & solvit doctissimus Valesius. Ad primam respondetur, Nomen Patriarcharum post Nicæni Synodi tempora invaluisse; sed rem ipsam nihilominus extitisse ante Concilium Nicænum. Naturâ enim ita comparatum est, ut nomina rebus ipsis posteriora sint. Ad formam itaque argumenti distinguo majorem: Canon ille non est de Patriarchis intelligendus, qui Patriarcharum non meminit, nec quoad nomen, nec quoad rem ipsam, concedo; quoad nomen solum, nego. Atqui Canon 6. Nicænæ Synodi Metropolitanos nominat, non Patriarchas, distinguo Minorem: quoad proprium nomen concedo; quoad rem ipsam, nego. Metropolitanos namque majores, quibus Metropolitani simplices subditi sunt, & qui non super unam Provinciam, quemadmodum illi, sed super Diœcesim ex pluribus Provinciis conflatam sunt constituti, Nicænos Patres illo Canone intellexisse, superiùs probavimus.

Ad secundum respondetur, Alexandrinum Episcopum ante Concilium Nicænum revera fuisse Patriarcham, cùm ante illud Concilium totam Ægyptum, Libyam, ac Pentapolim rexerit, idque ex vetusta consuetudine, ut testantur Nicæni Patres. Certè ab Apostolicis temporibus, Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus Episcopus Patriarchæ fuerunt, id est, jus Patriarchicum obtinuerunt. Jure illo usus est Sanctus Dionysius Alexandrinus in Pentapoli. Cùm enim Sabellius errorem suum apud Ptolemaidem urbem Pentapoleos disseminare cœpisset, multique statim ex Catholicis illi obstitissent, utraque pars tam Sabellii, quàm Orthodoxorum Legatos misit ad Dionysium Alexandrinum Episcopum, qui auditis partibus, quid sentiendum esset definivit, scripsitque ea de re ad Ecclesiam Ptolemaidis. Id constat ex illius Epistolâ *ad Sixtum Romanum Pontificem*, cujus verba refert Eusebius, lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 6. & ex Sancto Athanasio in libro *De sententia Dionysii Alexandrini contra Arianos*, scribente: *In Pentapoli superioris Libyæ quidam Episcoporum sententias Sabellii amplectebantur, tantùmque eorum commenta invaluerant, ut vix ulteriùs Filius Dei in Ecclesiis prædicaretur. Re cognitâ, Dionysius ad cujus curam ea Ecclesia pertinebant, legatos misit, qui auctores harum rerum a pravis illis opinionibus retraherent.*

Eodem jure usus est Episcopus Alexandrinus in Libya ante Concilium Nicænum. Testatur namque mox laudatus Dionysius *In Epistolâ ad Germanum*, quæ refertur ab Eusebio, lib. 7. cap. 11. se, cùm in Cephron Libyæ vicum relegatus esset, illic verbum Dei incolis prædicasse, multosque sua prædicatione adduxisse ad fidem Christi. At nisi Patriarchica jura in illa regione obtinuisset munus illud, quod proculdubio Episcopale est, exercere non potuisset in aliena Provincia, illæsis Metropolitani juribus.

Denique in Provincia Thebaidis, ante Nicænam Synodum, Alexandrinum Antistitem juribus Patriarchicis potitum esse probat Historia Meletii Episcopi Lycopolis in Thebaïde, qui cùm idololatriæ ac schismatis reus esset, a Sancto Petro Alexandrino Episcopo exauctoratus est, ut constat ex Epistolâ Ursacii & Valentis apud S. Athanasium *Apologia* 2. Idem constat ex S. Epiphanio, *Hæresi* 68. ubi scribit Meletium illum in Thebaide Episcopum subjacuisse Petro Alexandrino Episcopo, ad illumque Ecclesiastica negotia retulisse ex antiqua consuetudine. *Hic enim mos est* inquit, *Alexandrinorum Archiepiscoporum, ut per totam Ægyptum, Libyam, Ammoniacam, Thebaidem, Mareotidem ac Pentapolim, Ecclesiastica negotia administrent.* Ex quibus omnibus colligitur, Alexandrinum Episcopum ante Synodum Nicænam Patriarchica jura obtinuisse.

Objicies in secundam partem: Non componitur Alexandrinus Episcopus cum Romano quoad jura Ordinationum, si Romanus minorem habuerit potestatem in Ordinationibus sacris quàm Alexandrinus. Atqui ita se res habuit inter eos, itaque non est instituta comparatio quoad jura Ordinationum.

Probatur minor. Alexandrinus Episcopus Metropolitanos, & alios Episcopos ordinabat, vel confirmabat in omnibus Provinciis suo Patriarchatui subditis: id verò non præstabat Romanus Pontifex in Occidente universo quo ejus Patriar-

cha-

ebatus continetur: Romanus igitur Pontifex eodem jure non fruebatur in Ordinationibus, quo Alexandrinus.

Probatur minor. Eo enim jure non fruebatur Episcopus Rumanus in Italia, quod probat Sancti Ambrosii Mediolanensis Episcopi electio & Ordinatio, quæ facta est a Synodo totius Italiæ decreto Imperatoris Valentiniani coacta: necnon electiones & Ordinationes Episcoporum Mediolaoensis Provinciæ, quos consecravit Sanctus Ambrosius, istud non facturus, si id juris fuisset penes Romanum Pontificem ut Occidentis Patriarcham.

Eo jure non fruebatur Episcopus Romanus in Africa, ut probant Canones Africanorum Conciliorum, & Cæciliani Ordinatio, qui a vicinioribus Carthagini Episcopis inauguratus est, teste S. Augustino, *In breviculo Collationis diei 3. cap. 16.* ubi respondet Donatistis Ordinationem Cæciliani impugnantibus: *Quòd non expectaverit, ut Princeps a Principe ordinaretur*, id est Episcopus Carthaginis, totius Africæ Primas, a Numidiæ Primate: *Cùm aliud habeat Ecclesiæ consuetudo*, (inquit Sanctus Augustinus) *ut non Numidia, sed propinquiores Episcopi Episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinent: sicut nec Ecclesiam Romanam ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus.*

Eo jure non fruebatur Episcopus Romanus in Hispania, ut constat ex Concilio Toletano IV. quod anno 633. celebratum est: Canone 19. ita decernente: *Quicumque ad ordinem Sacerdotii postulatus, probabilis vita atque doctrina extiterit, tunc secundùm Synodalia, vel Decretalia Constituta, cum omni Clericorum, vel civium voluntate, ab universis Comprovincialibus Episcopis, aut certè a tribus, in Sacerdotium die Dominica consecrabitur, convenientibus cæteris, qui absentes fuerint literis suis, & magis auctoritate vel præsentia ejus qui est in Metropoli constitutus. Episcopus autem Comprovincialis ibi consecrandus est, ubi Metropolitanus elegerit: Metropolitanus autem nonnisi in civitate Metropoli, Comprovincialibus ibidem convenientibus.*

Eo denique jure non fruebatur Episcopus Romanus in Galliis, quod probatur ex Concilio Aurelianensi III. quod anno 538. celebratum est Canone 3. ita decernente: *De Metropolitanorum verò Ordinationibus id placuit, ut Metropolitani a Metropolitanis omnibus, si fieri potest, præsentibus Comprovincialibus, ordinentur; ita ut ipsi Metropolitanos ordinandi privilegium maneat quem Ordinationis consuetudo requirit. Ipse tamen Metropolitanus a Comprovincialibus Episcopis sicut decreta Sedis Apostolicæ continent, cum consensu Cleri, vel civium, eligatur: quia æquum est, sicut ipsa Sedes Apostolica dixit, ut qui præponendus est omnibus, ab omnibus eligatur. De Comprovincialibus verò ordinandis, cum consensu Metropolitani, Cleri & civium, juxtà priorum Canonum statuta, electio, & voluntas requiratur.* Idem constat ex Canone 7. Concilii Aurelianensis II. quod anno Christi 533. celebratum est. *In ordinandis*, inquit, *Metropolitanis Episcopis antiquam institutionis formulam renovamus, quam per incuriam omnimodis videmus amissam. Itaque Metropolitanus Episcopus a Comprovincialibus Episcopis, Clericis, vel populis electus, congregatis in unum omnibus Comprovincialibus Episcopis ordinetur, ut talis Deo propitio ad gradum hujus dignitatis accedat, per quem regula Ecclesiæ in melius aucta plus floreat.* Idem constat ex Hincmaro, ex veteribus Formulis, & ex Ivone Carnotensi, Epistolâ 60. Igitur jure Ordinationum Romanus Pontifex in toto Occidente non fruebatur: proindeque comparatio non est instituta inter Alexandrinum Episcopum & Romanum, ut Occidentis Patriarcham, quoad jura Ordinationum.

Romanus Pontifex jus Ordinationum in toto Occidente habet ut Patriarcha.

Respondeo, nego minorem prioris Syllogismi. Ad ejus probationem distinguo minorem. Id non præstabat Romanus Pontifex, id est, non ordinabat Metropolitanos & Episcopos in toto Occidente, defectu voluntatis, concedo; defectu potestatis, nego. Nolebat autem eo jure uti, quamvis illud obtineret, tum quia illæ Diœceses Româ longiùs aberant: tum quia consuetudines Ecclesiarum quarum ratio semper maxima antiquitus habita est, sartas tectas servare volebat. Sed aliud est jure aliquo semper non uti: aliud jus illud non habere. In quo viri alioquin eruditi hallucinantur, qui substantiam juris a perpetuo & non interrupto ejus usu non distinguunt.

Cæterùm jus illud obtinuisse Romanum Episcopum in Italia, & in ipsa Ecclesia Mediolanensi constat ex S. Gregorio, lib. 2. Epistolarum Indict. 11. Epistolâ 30. ad Joannem Subdiaconum datâ:
„ Quantò, *inquit*, Apostolica Sedes, Deo aucto-
„ re cunctis prælata constat Ecclesiis, tantò in-
„ ter multiplices curas & illas nos valdè sollici-
„ tat, ubi ad consecrandum Antistitem nostrum
„ expectatur arbitrium. Defuncto igitur Lauren-
„ tio Ecclesiæ Mediolanensis Episcopo, sua nobis
„ relatione Clerus innotuit, in electione se filii
„ nostri Constantii Diaconi sui unanimiter con-
„ sensisse. Sed quoniam eadem non fuit subscripta
„ relatio, ne quid quod ad cautelam pertinet omit-
„ tamus, hujus idcirco præcepti auctoritate suf-
„ fultum, Genuam te proficisci necesse est. Et quia
„ multi illic Mediolanensium coacti barbarica feri-
„ tate consistunt, eorum te voluntatem oportet, eis
„ convocatis in commune, perscrutari. Et si nulla
„ eos diversitas ab electionis unitate disterminat,
„ siquidem in prædicto filio nostro Constantio
„ omnium voluntates atque consensum perdurare
„ cognoscis, tunc eum a propriis Episcopis, si-
„ cut antiquitatis mos exigit, cum nostræ aucto-
„ ritatis assensu, facias consecrari.

Et Epistolâ 31. ad Romanum Patritium & Exarchum Italiæ ita scribit: „ Obitum Laurentii Ec-
„ clesiæ Mediolanensis Episcopi Excellentiam ve-
„ stram jam credimus cognovisse: & quia, quan-
„ tùm ex Cleri relatione didicimus, in Constan-
„ tio filio nostro, Diacono ejusdem Ecclesiæ, om-
„ nium consistit electio, necesse fuit pro servan-
„ da consuetudine, militem Ecclesiæ nostræ di-
„ rigere, qui eum, in quo omnium voluntates
„ atque consensum concorditer convenire cogno-
„ verit, a suis Episcopis, sicut vetus mos exigit,
„ cum nostro tamen assensu, faciat consecrari.

Itaque desiderabatur secundùm antiquus mores, confirmatio & assensus Romani Episcopi, ut Mediolanensis Antistes consecraretur. Ac proinde id saltem juris in Ordinationibus obtinebat ab antiquo.

Jus illud Romanum Episcopum, ut Occidentis Patriarcham, obtinuisse in Illyrico, ex eo probatur, quòd in illis regionibus Primates instituerit Thessalonicenses Archiepiscopos, auctoritatis suæ Vicarios, quorum absque assensu & confirmatione celebratæ electiones illegitimæ essent, ut constat ex Epist. 44. S. Leonis ad Anastasium Thessalonicensem & ex Epistolâ Siricii ad Anysium ejusdem Ecclesiæ Antistitem, quæ legitur ad calcem Synodi Romanæ 3. sub Bonifacio II. * Etiam
„ dudum, *inquit*, per Candidianum Episcopum hu-
„ jusmodi literas dederamus, ut nulla licentia es-
„ set sine consensu tuo Episcopos in Illyrico or-
„ dinare præsumere....... Ad omnem hujus-
„ modi audaciam comprimendam vigilare debet
„ istan-

* *Tom. 4. Concil. edit. P. Labbai.*

„ instantia tua, Spiritu in te Sancto fervente: ut vel ipse, si potes, vel quos judicaveris Episcopos idoneos, cum literis dirigas, dato consensu, qui possint in ejus locum qui defunctus, vel depositus fuerit, Catholicum Episcopum, & vitâ & moribus probatum, secundùm Nicænæ Synodi statuta ordinare.

Idem constat ex Epistolâ Bonifacii I. ad Rufum Thessalonicensem & Episcopos Illyrici, in qua de ipso Rufo sic loquitur: „ Nullus alicujus Ordinationem citra ejus conscientiam celebrare præsumat, cui, ut supra dictum est, vice nostra cuncta committimus.

Idem constat ex Epistolâ Cœlestini I. ad eosdem. „ Nec nova hæc, *inquit*, Sedi Apostolicæ cura de vobis est, statutum nostris sæpius experimentum hoc, quod nos agimus, Thessalonicensi Ecclesiæ semper esse commissum ut vobis vigilanter intendat...... Sunt culpæ aliquantæ non leves, quæ illis innatæ Provinciis, ad nos, cùm simus longiùs, non possunt pervenire; aut jam semotis omnibus, non ita ut sunt acta, interposito temporis spatio perferuntur: quas omnes nos intercessione Fratris & Coëpiscopi nostri Rufi, cujus experientiam comprobatam esse in caussis omnibus, & vitæ actibus liquet, volumus resecari. Cui vicem nostram per vestram Provinciam noveritis esse commissam: ita ut ad eum, quicquid de caussis agitur, referatur. Sine ejus consilio nullus ordinetur, nullus usurpet eodem inconscio commissam illi Provinciam. Colligere nisi eum ejus voluntate Episcopos non præsumant: per eum etiam ad nos, si quid est, referatur.

Idem constat ex Epistolâ Xisti Romani Episcopi ad Episcopos in Synodo apud Thessalonicam congregandos, in qua de Anastasio Thessalonicensi Episcopo & totius Illyrici Primate ita scribit: „ Habeant honorem suum Metropolitani, salvo hujus privilegio, quem honorare debeant amplius honorati. In Provincia sua jus habeant ordinandi; sed hoc inscio, vel invito, quem de omnibus volumus Ordinationibus consuli, nullus audeat ordinare.

Denique idem constat ex S. Leone in Epistolâ ad Episcopos Metropolitanos per Illyricum constitutos, quam cum cæteris mox laudatis primus in lucem edidit Holstenius, in qua de Anastasio Thessalonicensi ita scribit: „ Ut verò, *inquit*, vestræ dilectioni Provinciæ suæ Ordinatio permittitur Sacerdotum; ita Fratrem & Coëpiscopum nostrum Anastasium de ordinando Antistite volumus consulatis: cui Metropolitani Episcopi consecrationem statuimus reservari: ut eo inquisitore atque custode, cùm certus licentiæ modus imponitur, Ecclesiasticæ Disciplinæ in omnibus ordo servetur. Ex his autem omnibus perspicuum est, Romanum Episcopum, ut Occidentis Patriarcham, jus Ordinationum vel peragendarum, vel confirmandarum obtinuisse. Alioqui jus illud Thessalonicensibus Episcopis per omnes Illyrici Provincias non commisisset.

Jus pariter illud ipsum obtinuisse in Galliis, probatur ex Epistolâ 67. Sancti Cypriani ad Stephanum datâ, in qua de Marciano, qui ad Novatianos defecerat, ita scribit: „ Dirigantur a te literæ in Provinciam, & ad plebem Arelate consistentem, quibus, abstento Marciano, alius in locum ejus Episcopus substituatur....... *Et infra*: Significabis planè nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus ad quem Fratres nostros dirigere, & cui scribere debeamus.

Idem constat ex Epistolâ Zosimi ad universos Episcopos per Gallias & septem Provincias constitutos, qua decernit, „ Ut præcipuam Metropolitanus Episcopus Arelatensium civitatis, in ordinandis Sacerdotibus teneat auctoritatem. Viennensem, Narbonensem primam, & Narbonensem secundam Provincias ad Pontificium suum revocet. Quisquis verò posthac contra Apostolicæ Sedis statuta, & præcepta majorum, omisso Metropolitano Episcopo, in Provinciis supradictis quemquam ordinare præsumpserit, vel is qui ordinari se illicitè sciverit. uterque Sacerdotii se carere cognoscat. Quomodo enim potest auctoritatem Summi Pontificis obtinere, qui, quæ erant Pontificis, servare contempsit? Hoc autem jus Ordinationum per plures Provincias obtinebat Arelatensis Antistes, non ut simplex Metropolitanus, sed ut Primas & Vicarius Sedis Apostolicæ: sicut & jus concedendi Epistolas Formatas universis Episcopis, Presbyteris, cæterisque Clericis Romam, aliòve iter suscipientibus, eidem Arelatensi Episcopo conveniebat, ut fidem facit illa Zosimi Epistola. Hic Arelatensis Episcopi Primatus a Zosimi Successoribus imminutus est, usque ad Symmachum, qui Cæsario Arelatensi vices suas in Galliis concessit. Deinde Vigilius Auxanio & Aureliano; Pelagius I. Sapaudo; Sanctus Gregorius Virgilio Primatiam in Ecclesias Gallicanas concesserunt. Primates autem jus ordinandorum Metropolitanorum, & cæterorum confirmandorum Episcoporum habebant. Quod proinde Romano Pontifici competebat, a quo illis concedebatur.

Si e Galliis ad Hispanias transeamus, Romanum Episcopum in Diœcesi Hispaniensi jus Ordinationum obtinuisse, perspicuum erit ex institotione Primatum, qui Vicariâ Romani Episcopi, ut Occidentis Patriarchæ. auctoritate Ordinationes Episcoporum in omnibus Hispaniæ Provinciis interdum celebrabant, semper confirmabant. Primò collatus est ille Hispaniensium Ecclesiarum Primatus Hispalensi Episcopo, ut constat ex Epistolâ 1. Simplicii Pontificis Maximi & ex Epistolâ 26. Hormisdæ. Postea Cindasuintho Rege postulante Romanus Pontifex Primatus dignitatem ab Hispalensibus Episcopis ad Toletanos transtulit, teste Roderico, lib. 2. cap. 21. Quibus jus ordinandi Episcopos per solidam Hispaniam propterea convenire agnoverunt illius Ecclesiæ Antistites, quòd Romani Episcopi personam sustinerent, & vices implerent. Id constat ex Concilio Toletano XII. anno Christi 681. celebrato, Canone 6. *Unde placuit*, inquit, *omnibus Pontificibus Hispaniæ, ut salvo privilegio uniuscujusque Provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici quoscumque Regalis Potestas elegerit; & jam dicti Toletani Episcopi judicio dignos esse probaverit, in quibuslibet Provinciis, in decedentium sedibus præficere Præsules, & decedentibus Episcopis eligere successores, sic tamen ut quisquis fuerit ille ordinatus, post Ordinationis suæ tempus, infra trium mensium spatium, propriè Metropolitani præsentiam visurus accedat.*

Denique in Africa Romanum Episcopum jus Ordinationum habuisse ex eo constat, quòd Episcopus Carthaginensis totius Africæ Primas ab Episcopo Romano constitutus fuerit ex omni retrò memoria, & propterea jus consecrandi Episcopos retinuerit, ut testatur Leo IX. Epistolâ 4. Hoc jure potitum fuisse Carthaginensem Episcopum ut Africæ Primatem, certum est ex verbis Numidii Episcopi in Concilio Africano, Canone 22. *Fuit semper*, inquit, *hæc licentia huic Sedi, ut unde vellet, & de cujus nomine fuisset conventus, pro desiderio cujusque Ecclesiæ ordinaret Episcopum*. Et ex verbis Epigonii in eodem Canone: *Tibi non potestatem damus*, inquit, *sed tuam assi-*

assignamus, ut liceat voluntati tuæ semper tenere quem voles, at Præpositos plebibus, vel Ecclesiis constituas, qui postulati fuerint, & unde voles. Hoc jus agnovit Valerius Hipponensis Episcopus, cùm Primatis Carthaginensis auctoritate Sanctum Augustinum sibi in Episcopatu Coadjutorem adjunxit: ut refert Possidius in Vita Sancti Augustini. *Egit secretis literis*, inquit, *apud Primatem Episcopum Sedis Carthaginensis, allegans imbecillitatem corporis sui, ætatisque gravitatem & obsecrans, ut Hipponensi Ecclesiæ ordinaretur Episcopus, qui suæ Cathedræ non jam succederet, sed Consacerdos accederet Augustinus. Quod igitur beatus Valerius optavit, & rogavit, satagens rescripto impetravit.* In toto igitur Occidente Romanus Episcopus ratione Patriarchicæ Dignitatis jus obtinuit semper ordinandi Episcopos; quamvis non semper, nec eodem modo ubique jus illud exercuerit. Enimverò si jus illud non habuisset, quomodo illud suis commisisset Vicariis, id est Primatibus?

Accedit, quòd nulla ratio proferri potest, imò hoc est a ratione penitus alienum, ut Alexandrinus & Antiochenus Patriarcha jus illud obtinuerint in Diœcesibus sibi subditis, & Romanus cæterorum Patriarcharum caput, in omnibus Occidentis Ecclesiis ipsius addictis auctoritati jus idem non obtinuerit.

Objicies in postremam partem Propositionis. Alexandrinus Patriarcha tanta fruebatur in subditis sibi Diœcesibus auctoritate, *Ut nihil absque ipso ageretur ab aliquo ei subjacente Episcopo*; ut testati sunt Ægyptii Episcopi in Concilio Calchedonensi: atqui non ea erat potestas Episcopi Romani in toto Occidente, ut nihil absque ipso agerent Occidentis Antistites, ergo non est instituta comparatio a Nicænis Patribus *in* 6. Canone, inter Alexandrinum Episcopum & Romanum quoad omnia iura Patriarchicæ Dignitatis.

Respondeo, distinguo majorem: Ut nihil absque ipso ageretur, id est, ut majoris momenti negotia, ipso inconsulto, non agerentur, concedo: id est, ut nihil omnino absque ipso ageretur, nego. Non est igitur ita intelligenda contestatio Ægyptiorum Episcoporum in Concilio Calchedonensi, quasi dixerint se nullum prorsus negotium Ecclesiasticum agere posse absque nutu Episcopi Alexandrini: quis enim sibi persuadeat ipsos Clericum, aut Presbyterum ordinare, velare Virginem, baptizare Catechumenum & confirmare, absolvere Pœnitentem non potuisse, nisi jubente aut consentiente Alexandrino Episcopo? Certè si res ita se habuisset, omnes Ægypti Episcopi Vicarii tantùm Alexandrini Antistitis extitissent. Sic ergo eorum intelligenda est responsio, quòd Alexandrinum Episcopum in majoribus negotiis consulere deberent. Magni autem ponderis negotium erat Epistolæ S. Leonis & damnationis Eutychetis subscriptio; ad quam propterea inducias a Synodo postulabant, donec ipsis in Dioscori mox depositi locum ordinaretur Episcopus.

Distinguo pariter minorem. Non ea erat potestas Episcopi Romani, ut nihil absque ipso ageretur ab aliquo Episcopo Occidentis: nihil omnino, concedo: nullum majoris momenti negotium, nego. Uterque igitur Patriarcha, Alexandrinus & Romanus, parem in sibi subditis Diœcesibus obtinebant auctoritatem, non solùm in jure Ordinationum positam: verùm etiam in eo quòd majora negotia ipsis inconsultis finiri non possent. Id significat Innocentius I. in Epistolâ ad Victricium Rotomagensem, cap. 3. *Si autem majores caussæ*, inquit, *in medio fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, post Judicium Episcopale referantur.*

Id significat S. Leo Magnus ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, suum in Illyrico Vicarium scribens: *Si fortè*, inquit, *inter ipsos qui præsunt, de majoribus (quod absit) peccatis caussa nascatur, quæ Provinciali nequeat examine definiri; Fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus curabit instruere, & si coram positis partibus nec tuo res fuerit sopita judicio, ad nostram cognitionem, quicquid illud est, transferatur.* Idem jus Relationum majoribus de negotiis ad Romanum Episcopum faciendarum asseritur ex Epistolis Siricii ad Himerium Taraconensem, & Innocentii I. ad Exuperium Tolosanum: ex quibus etiam constat, Romanum Pontificem Occidentalibus Ecclesiis leges dedisse, ut solidi Occidentis Patriarcham.

Convocabant etiam Synodos totius Occidentis Romani Episcopi, ut constat ex Romana Synodo sub Damaso; & Conciliis, quæ Principes convocaverant consentiente Ecclesia, præerant eorum Legati, ut constat ex Concilio Arelatensi I. & multis aliis. Hinc Vicariis quos per certas Diœceses constituerunt, auctoritatem convocandi Synodos illarum Diœceseon concessere. Id colligitur ex Epistolâ 5. Pelagii I. ad Sapandum Arelatensem Episcopum, qua vices illi suas in Gallia secundùm mores antiquos delegat. *Hinc est*, inquit, *quod & nos Fraternitati tuæ hujusmodi curas injungimus, ut Sedis nostræ Vicarius institutus, ad instar nostrum in Galliarum partibus Primi Sacerdotis locum obtineas; & quicquid ad gubernationem, vel dispensationem Ecclesiastici status gerendum est, servatis Patrum Regulis, & Sedis Apostolicæ constitutis, divini judicii consideratione dispenses.*

Idem constat ex Sancto Gregorio Magno, Epistolâ 52. lib. 4. ad universos Galliarum Episcopos datâ, qua significat se Virgilio Arelatensi Episcopo vices suas commisisse. *Et quoniam*, inquit, *necesse est ut ad eum, cui vices nostras injunximus, quoties oportere perspexerit, pro facienda collatione, aptis debeant Episcopi temporibus convenire; hortamur ut nullus mandatis ejus inobediens esse præsumat, nec communi congregationi interesse postponat, nisi aut corporis infirmitas quempiam fortasse vetuerit, aut cujusdam eum caussa justa excusatio minimè venire permiserit. Hi tamen qui prohibente aliqua necessitate nequeunt in Synodum convenire, loco suo Presbyterum, aut Diaconum dirigant, quatenus quæ a nostro Vicario, Deo auxiliante, fuerint definita, ad eum qui absens est, per ipsum quem miserit, fida relatione perveniant, ut inconcussa firmitate serveatur, & nullius ea quæ constituerit audeat occasionis excusatio violare.* Ex quibus omnibus colligitur, nullum majoris momenti negotium in Diœcesibus Occidentis absque Romani Episcopi nutu, aut assensu agi potuisse, sicut nec in Ægypti, Libyæ, & Pentapoleos Diœcesibus absque auctoritate Alexandrini Episcopi.

PROPOSITIO II.

Romani Pontificis Primatus non destruitur Nicænæ Synodi sexto Canone: imò nec illius Patriarchica auctoritas intra suburbanas Ecclesias, vel suburbicarias, id est mille & centenis passibus dumtaxat ab urbe dissitas, aut intra decem Provincias, quæ Vicario Urbis Romæ parebant, illo Canone coarctata est.

Probatur prima pars. Illo Canone Primatus Romani Pontificis non destruitur, quo potiùs ipsum asseri Synodus Calchedonensis intellexit: atqui sexto Nicænæ Synodi Canone Romani Ponti-

tifi-

tificis asseri Primatum Synodus Calchedonensis intellexit: Illo itaque non destruitur hujusmodi Primatus.

Romani Pontificis Primatus confirmatur.

Probatur minor ex Concilio Calchedonensi Actione 16. in qua Paschasinus Episcopus Sedis Apostolicæ Legatus Canones proferre jussus, quos contra 28. Canonem ejusdem Synodi allegabat, sic Nicænum sextum ex suo Codice recitavit: *Trecentorum decem & octo Patrum Canon sextus. Quòd Ecclesia Romana semper habuit primatum: Teneat autem & Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo. Similiter autem & qui in Antiochia constitutus est, & in cæteris Provinciis, Primatus habeant Ecclesiæ civitatum ampliorum*, &c. Adversùs quam lectionem reclamavit nemo: Judices verò dixerunt: *Perpendimus omnem quidem Primatum & honorem præcipuum, secundùm Canones, antiquæ Romæ Archiepiscopo conservari*. Legitur Canon ille cum eadem epigraphe: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*, in Codice illustrissimi viri Claudii Hardy Senatoris Parisiensis, in Fossatensi, in Codice antiquissimo Henrici Justelli, ex quo exhibetur, pag. 284. Bibliothecæ Canonicæ, aliisque compluribus. An ad corpus Canonis verba illa pertineant, an simplicis inscriptionis habeant rationem, nihil interest. Sufficit, quòd evidentissimè demonstrant, Nicænum Canonem sextum ab antiquis intellectum esse, asserere Primatum Romani Pontificis.

Hoc Canone asserium esse Romani Episcopi Primatum, agnovit etiam Gelasius I. in Epistolâ ad Orientales, de nomine Acacii. *Qua enim ratione*, inquit, *vel consequentiæ aliis sedibus deferendum est, si primæ Beati Petri sedi antiqua & vetusta reverentia non defertur, per quam omnium Sacerdotum dignitas semper est roborata, atque firmata, trecentorumque decem & octo Patrum invicto & singulari judicio vetustissimus judicatus est honor?* Ita etiam hunc Canonem intellexerat Bonifacius I. in Epistolâ ad Episcopos Thessaliæ. *Institutio*, inquit, *universalis nascentiæ Ecclesiæ de Beati Petri honore sumpsit Principium, in quo regimen ejus & summa consistit. Ex ejus enim Ecclesiastica Disciplina, per omnes Ecclesias, Religionis jam crescente cultura, fonte manavit. Nicænæ Synodi non aliud præcepta testantur, adeò ut non aliquid super eum ausa sit constituere, cùm videret nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique huic noverat Domini sermone concessa.*

Probatur secundò. Romani Pontificis Primatus non evertitur illo Canone, quo nullis circumscribitur limitibus ejus potestas; cùm tamen Alexandrini Episcopi auctoritati certi fines assignentur: atqui Canon sextus Nicæni Concilii Pontificis Romani potestatem nullis circumscribit limitibus, cùm tamen Alexandrini Episcopi Diœcesim definiat. *Antiqua*, inquit, *consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est.* Romani itaque Pontificis Primatus illo Canone non evertitur.

Probatur tertiò. Canon qui nihil statuit de Episcopo Romano, cùm tamen de cæteris aliquid statuat Patriarchis, & qui exemplum Romani Episcopi velut caussam profert, cur Alexandrinus Antistes in Ægypto, Libya & Pentapoli auctoritatem sacram exerceat; Canon, (inquam) ille non adversatur Episcopi Romani Primatui: Sed Canon sextus Nicænæ Synodi nihil statuit de Episcopo Romano; cùm tamen de aliis Patriarchis aliquid statuat, puta de Alexandrino & Antiocheno; & profert Episcopum Romanum ut caussam exemplarem auctoritatis sacræ, quam Alexandrinus per Ægyptum, Libyam & Pentapolim exercet: Canon itaque ille Romani Episcopi Primatui non adversatur.

Probatur minor cùm ex verbis Canonis, tum ex Nicolao I. in Epistolâ ad Michaelem Imperatorem ita scribente: *Ecclesiæ Romanæ privilegia Christi ore in Beato Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, & a SS. universalibus Synodis celebrata, atque a cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari: quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus....... Ista igitur privilegia huic Sanctæ Ecclesiæ a Christo donata, a Synodis non donata, sed solummodò celebrata, & veneratione habita...... Denique si instituta Nicænæ Synodi diligenter inspiciantur, invenietur profectò quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum: Sed potiùs ex ejus forma quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret, particulariter sumpsit exemplum.* Tantùm igitur abest ut 6. Nicæni Concilii Canone Romani Pontificis labefactetur Primatus, quin potiùs luculentiùs demonstratur. Cur enimverò Nicæni Patres ad compescendam Meletii procaciam, qui suo parere Patriarchæ, Alexandrino scilicet Episcopo, renuebat, consuetudinem Romani Episcopi, potiùs quàm Antiocheni, ad jurium ipsius tuitionem laudassent? præsens aderat Patriarcha Antiochenus: vicinior erat & Nicænæ urbi in qua Concilium celebrabatur, & Alexandrinæ Sedi in cujus gratiam hic sanciebatur Canon: in quindecim Provincias jus Patriarchicum exercebat: cur igitur in Canone ajunt: *Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & Urbis Romæ Episcopo parilis mos est?* non verò, *quia Episcopo Antiocheno parilis mos est?* Nonne istud loquendi genus Nicæni Patres usurpant, quia Episcopi Antiocheni auctoritas jure positivo definita est, sicut & Alexandrini? Unde pari in utramque temeritate insurgere potuisset perduellis Meletius. At Episcopi Romani œcumenica auctoritas in divino jure fundata est, ut quæ *ex Sacris Scripturis sit deprompta*, ut scribit ad Innocentium I. Sanctus Augustinus. Præterea, cur jurisdictionem & auctoritatem Patriarcharum Alexandrini & Antiocheni confirmat Nicæna Synodus, non verò Episcopi Romani? Certè quia illius auctoritas ex ipso Christi Servatoris ore profluxit, ideòque a Conciliorum non pendet suffragiis. Non igitur illud erat Nicænæ Synodi consilium, nec ea mens, ut Romani Episcopi jurisdictionem certis regionibus coërceret; sed ut ejus auctoritatem in Ecclesiam universam velut typum & exemplar illius proponeret auctoritatis, quæ aliis Patriarchis in Provincias & Diœceses ipsis subditas convenit.

Id luculentiùs ex eo confirmatur, quòd post sancitum Canonem, Romanus Episcopus, & de personis aliorum Patriarcharum, & de sententiis ab ipsis latis judicium tulit: nec ipsum eam ob rem usurpatæ auctoritatis, violatique Nicæni Canonis Sexti coarguit aliquis: cùm tamen vel illi ipsi qui illum condiderunt, vel ipsorum successores id viderent, aut intelligerent. Qua enim ratione Julius Pontifex egregios illos Nicæni Concilii athletas ac defensores, Athanasium Alexandrinum, Marcellum Ancyranum, Asclepam Gazensem, sedibus restituisset, quibus Arianorum vi & malis artibus pulsi erant, si Concilium Nicænum illius auctoritate, vel intra fines unius Patriarchatus, vel ad Suburbicarias Ecclesias coarctasset? aut quomodo restitutionem tantæ Synodi contrariam decretis, Viri Sanctissimi approbassent?

Ex his collige Cardinalem Baronium minùs ap-

positè Canonem Nicænum Sextum, quo de agimus, exponere, cùm hunc ejus esse sensum contendit, ut ratam, firmamque esse jubeat Alexandrini Episcopi in omnes Ægypti Provincias auctoritatem, ex Romanæ Ecclesiæ Primatu, a quâ ea omnia Præsul Alexandrinus accepit. Falsam autem esse & contortam illam interpretationem perspicuum est ex ipsis verbis Canonis, qui hanc assignat caussam jurisdictionis in omnes Ægypti Provincias Alexandrino Episcopo competentis, *quia & Urbis Romæ Episcopo parilis mos est*. Non ait: quia id a Romano Episcopo accepit. Deinde, Nicolaus I. asserit, ex forma Romanæ Ecclesiæ sumpsisse Nicænam Synodum quod Alexandrinæ tribueret. At iste loquendi modus; *ex forma*, imitationem potiùs dicit, quàm caussationem, ut ipsis Grammaticis notum est. Non is ergo sensus est Canonis, Episcopum Alexandriæ horum omnium habuisse potestatem, quoniam sic moris fuit Episcopo Romano illi concedere; sive quòd Romanus Episcopus consuevit per Alexandrinum Episcopum illas Provincias gubernare, ut perperam explicat Spondanus Baronii breviator: alioquin sequeretur cæteros Patriarchas Episcopi Romani Vicarios dumtaxat extitisse: quod tam a veritate, quàm a mente Nicænorum Patrum alienum est, qui Romani Episcopi cum Alexandrino comparationem aliquam his verbis instituere voluerunt: *Quoniam Episcopo Romano parilis mos est*.

Probatur secunda pars Propositionis. Absurda esset comparatio a Nicænis Patribus instituta inter Episcopum Alexandrinum & Romanum, si in eo posita esset, quòd Alexandrinus Episcopus sacram auctoritatem exerceat per omnes Provincias Africæ, (nomen Africæ sumendo prout partem mundi significat ab Asia & Europa distinctam) quia Romano Episcopo concessa est auctoritas in Suburbicarias Ecclesias, id est, in Ecclesias mille & centenis dumtaxat passibus ab Urbe dissitas; vel intra decem Provincias, quæ Vicario Urbis Romæ parebant. Cùm igitur inepta comparatio tantæ gravitatis & sapientiæ Patribus non sit affingenda, colligendum est Romani Episcopi auctoritatem intra Suburbicarias Ecclesias non fuisse sexto Canone Nicæno coarctatam.

Probatur secundò. Auctoritas quæ in universum diffunditur Occidentem, non est intra Ecclesias mille & centenis dumtaxat passibus ab Urbe dissitas, vel intra decem Provincias coarctata. Porrò Patriarchica potestas Episcopi Romani per solidum Occidentem diffunditur: non est itaque a Nicænis Patribus Canone 6. intra illas Ecclesias, aut Provincias coarctata.

Probatur minor. Primò ex Epistolâ Synodicâ Concilii 1. Arelatensis ad Silvestrum, in qua ipsum *Majores Diœceses tenere* scribunt Patres, qui illud ad Concilium convenerant. Majores enim illæ Diœceses sunt septem, vel octo Diœceses Occidentis.

Secundò probatur eadem minor ex Sancto Basilio Epistolâ 10. in qua Romanum Episcopum vocat *Occidentalium Coriphæum*, id est, Occidentalis Ecclesiæ Principem.

Tertiò probatur ex Sancto Augustino, *lib. 1. contra Julianum, cap. 4.* ubi cùm Patrum Occidentalium testimonia adversùs ipsum protulisset, continuò subjungit: *An ideò contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec ullus in eis est commemoratus a nobis Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, cùm illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem Beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses.* Occidentalem cum Orientali Ecclesia componit Sanctus Augustinus, eamque ex eo capite illustriorem facit, quòd Occidens ea sit pars orbis in qua Princeps Apostolorum Martyrio consummatus est. Unde colligit, maximi ponderis contra Pelagianos esse debere Innocentii sententiam, qui Occidentali Ecclesiæ ut Patriarcha præsidebat.

Quartò probatur ex Sancto Hieronymo, in lib. adversùs Vigilantium, ubi Clericorum continentiam asserens, Ecclesiarum Patriarchalium consuetudine velut invictissimo testimonio Hæresiarcham illum opprimit. *Quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ? Quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes: aut si uxores habuerunt, mariti esse desistunt*. His verbis trium Patriarchatuum limites descriptos habemus. Orientis Ecclesiæ Antiocheni Patriarchæ sacræ ditioni subditæ sunt, vel potiùs tota sunt illius sacra ditio: si tamen tres Diœceses, Asianam, Ponticam, & Thraciam exceperis. Ægypti, finitimæque Ecclesiæ, parent Alexandrino Patriarchæ. Quæcumque supersunt Ecclesiæ, id est Occidentales, sunt Sedis Apostolicæ, Romanumque Episcopum ut Patriarcham agnoscunt, & venerantur. Ex quibus omnibus colligitur, Patriarchicam Romani Episcopi potestatem per solidum Occidentem diffusam esse; idque agnovisse Patres Concilii Nicæni temporibus proximos: adeòque illam non fuisse a Nicænis Patribus Canone 6. intra Ecclesias Suburbicarias, id est mille & centenis dumtaxat passibus ab Urbe dissitas, vel decem Provinciis Urbis Vicario parentibus circumscriptas, coarctatam.

Obiicies. Illius destruitur in omnes orbis Ecclesias Primatus, cujus jurisdictio intra Occidentis saltem limites coërcetur: atqui jurisdictio Romani Episcopi intra Occidentis saltem limites coërcetur sexto Nicæni Concilii Canone: alioqui non esset legitima comparatio quam instituerunt Nicæni Patres inter Alexandrinum Episcopum & Romanum. Illius siquidem auctoritas intra Ægyptum, Libyam, & Pentapolim definiretur; istius verò in orbem diffusa esset universum. Itaque Romani Episcopi in omnes orbis Ecclesias Primatus sexto Nicæni Concilii Canone pessumdatur.

Respondeo, distinguo majorem. Si coërceatur ejus jurisdictio intra Occidentis limites, quatenus est Summus Pontifex, Christi Vicarius, & Sancti Petri successor, concedo. Si quatenus est Patriarcha, nego. Porrò cùm instituatur dumtaxat comparatio Canone 6. Concilii Nicæni inter Alexandrinum Episcopum & Romanum, quo ad Patriarchicam Dignitatem, illique annexa jura: non sequitur Primatum Romani Pontificis intra Occidentem coërceri; sed eius Patriarchatum dumtaxat hac orbis parte circumscribi. Enimvero ut Præfectus Urbis duplici ornatus erat dignitate; altera Urbanæ Præfecturę, in qua aliarum Provinciarum Præfectis coæquabatur: altera qua caput Senatus, & Vicarius Imperatoris erat, qua cæteris eminebat Præfectis, quorum a tribunalibus ad ipsum ultimò provocabatur, ut colligitur ex Dione Cassio, lib. 25. & ex illis Statii carminibus, *lib. 1. Sylv.* quibus Urbis Præfectum sic compellat:

Inque sinum persæpè tuum fora turbida questu
Confugiant, legesque, urbesque ubicumque togatæ,
Quæ tua longinquis implorant jura querelis.

Et ex Vopisco in *Vita Floriani*, & ex Rescripto Constantini ad Julianum Urbis Præfectum, relato in Cod. Theodos. tit. 30. L. 13. quo decernit ut appellationes omnes ad ejus auditorium deferantur, cui scilicet Vicariatum suum commiserit.

rit. Ita Romanus Pontifex duplici insignitus est diginitate, imò quadruplici. Episcopus est Urbis Romæ; Romanæ Provinciæ, regionumque Suburbicariarum Metropolita; solidi Occidentis Patriarcha; & totius Christiani orbis Pontifex & Caput. Nicænum porrò Concilium Alexandrini Patriarchæ potestatem & jurisdictionem ad normam Pontificiæ potestatis non mensurat, quæ Romano Episcopo in orbem competit universum; sed ad normam Patriarchici juris, quo fruitur in solidum Occidentem: ut scilicet ad Alexandrinum Antistitem Indictio Synodorum, Ordinationes Episcoporum, judicium denique de majoribus caussis pertineat per universam Ægyptom, Libyam, & Pentapolim; sicut ad Episcopum Romanum ista jure Patriarchico spectant per solidum Occidentem.

Respondetur Hereticorum Objectioni ex Versione Ruffini petitæ.

Objicies in secundam partem Propositionis verba Nicæni Canonis 6. secundùm versionem, aut expositionem Ruffini *lib. 1. Historia Ecclesiastica, cap. 6. Et ut apud Alexandriam, & in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat*. Itaque Romani Episcopi Patriarchica Auctoritas intra Ecclesias Suburbicarias, id est, centum & mille passibus Româ distantes, vel saltem intra decem Provincias Urbis Vicario addictas, Nicœni Concilii 6. Canone coarctatur.

Quæ Ecclesia Suburbicaria.

Probatur consequens. Suburbanæ enim, sive Suburbicariæ Provinciæ dicebantur, quæ erant in Præfecturæ Urbanæ potestate & clientela, & quibus Præfectus Urbi jus dicebat, ut colligitur ex L. 13. C. Theodos. *De Accusat*. Qua Imperatores Valens, Gratianus, & Valentinianus sic decernunt: *Referunt autem de Suburbanis Provinciis Judices ad Præfecturam Sedis Urbanæ, de cæteris ad Præfecturam Prætorio*. Præfectus autem Urbis ultra centesimum ab Urbe lapidem jus non dicebat. Sed esto, latiùs pateat hujus nominis, *Suburbicariam*, potestas & significatio; saltem intra decem Provincias, quas Urbis Romæ Vicarius sub Præfecto Prætorio regebat, coërcebitur. Id colligo ex L. unica C. Theodos. *Si per obrept.* ad Probum Præfectum Prætorio Italiæ data, qua Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius mandant, ut Edictum suum de irritandis privilegiis per obreptionem impetratis, in Provinciis sibi subjectis observet. *Sinceritas*, inquiunt, *tua idipsum per omnem Italiam, tam etiam per Urbicarias, Africanasque regiones, ac per omne Illyricum, prolatâ oraculi hujus auctoritate firmabit*. Hac in lege Italiæ Præfectura quatuor in partes distribuitur, quas Præfectus per quatuor Vicarios regebat; scilicet Diœcesim Illyrici, Diœcesim Africæ, & Diœcesim Italiæ, duas rursus in partes sectam: quarum una Urbicariis Provinciis continebatur, a Præfecto Prætorio per Urbis Vicarium administratis: altera reliquis Italiæ Provinciis constabat. Itaque Urbicariæ Provinciæ dictæ sunt, quæ Urbis Vicario parebant, & Suburbicariæ Ecclesiæ, quæ his Provinciis continerentur. Hæ porrò Provinciæ decem erant, quas Imperii Notitia recenset, nimirum *Campania, Tuscia & Umbria, Picenum Suburbicarium, Sicilia, Apulia & Calabria, Brucii & Lucania, Samnium, Sardinia, Corsica, Valeria*. Cùm igitur Episcopus Romanus Suburbicariarum duntaxat Ecclesiarum curam gereret, ut constat ex Nicæno Canone, secundùm versionem Ruffini: sequitur ejus auctoritatem vel intra centesimum ab Urbe lapidem, vel intra decem Provincias Urbis Romæ Vicario subditas fuisse coarctatam.

Respondeo, nego consequens. Non solùm enim Patriarchatus Romani Episcopi, sed nec ejus Metropolitica Dignitas, regionum ab Urbe Roma centesimo lapide distantium finibus concludebatur, ipso Ruffini ævo, ut constat ex veteri Notitia Vaticana, quam exhibet Eminentissimus Annalium Parens ad annum 1057. in qua sexaginta novem Episcopatus recensentur, ex quibus Romana Provincia conflata erat: qui quidem non solùm Latinam regionem, seu Campaniam recentiorem, ad Sinuessam, Marsos, seu Valeriam, Picenum, & Tusciam suburbicariam complectebantur; sed etiam Tusciam Annonariam, Umbriam, & Picenum Annonarium. Quas regiones Notitia illa vetus *Marchiam Umbræ* vocat. Quæ sententia confirmatur insigni loco Epistolæ Synodicæ Concilii Sardicensis, & altero Sancti Athanasii in Epistolâ ad Solitariam Vitam agentes: ubi earum Provinciarum Episcopi, qui Athanasio communicabant, recensentur, scilicet Romæ, Italiæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, & cæterarum per Occidentem & Orientem Provinciarum. Viden Romanæ Provinciæ circumscriptos limites ad normam veteris Notitiæ Vaticanæ? Hinc eam coërcet Italia, inde Campania Felix & Capuana.

Hoc posito, fatentur Viri quidam Eruditi, Ruffinum Suburbicariarum Ecclesiarum nomine eas intellexisse, quæ decem Provinciis Urbicariis continebantur; & Alexandrinum Episcopum cum Romano composuisse quoad jus Patriarchicum, quod ille per Ægyptum * exercebat, sicut iste in Suburbicariis Ecclesiis, id est quæ decem Provinciis supra recensitis continebantur. Non quòd Patriarchicam Romani Episcopi Auctoritatem; & multò minùs Pontificiam his coërceri Provinciis Ruffinus existimaret: sed quia videbat non eadem ratione illam exercere & explicare in cæteris Provinciis Occidentis, sicut in Suburbicariis. In his enimverò consecrabat Episcopos, Synodos convocabat, majoribus de caussis judicium ferebat: in cæteris autem Provinciis, quamvis idem jus obtineret, non tamen illud eodem modo, & in omnibus, & semper exercebat; sed plura permittebat consuetudinibus Ecclesiarum. Sensus itaque Nicæni Canonis, secundùm expositionem Ruffini, is est: Episcopus Alexandrinus curam gerat Ægypti, seu totam Diœcesim Ægyptiacam administret, Ordinationes Episcoporum celebrando, convocando Synodos, majores Caussas discutiendo: omnia denique Patriarchica munia obeundo; sicut in Suburbicariis Ecclesiis, id est, quæ decem Provinciis Urbis Vicario subditis continentur, hæc omnia præstat Romanus Episcopus. Comparationem porrò hoc modo coërcuit Ruffinus, quia Romanus Episcopus ampliori jure, quàm Patriarchæ cæteri, fruebatur. Nam & plures, majoresque Diœceses tenebat, ut cum Synodi Arelatensis primæ Patribus loquar; & totius gerebat Ecclesiæ principatum: in quibus duobus capitibus Patriarcham Alexandrinum Romano cum Episcopo Ruffinus meritò non censuit componendum: sed in ea dumtaxat potestate quam Suburbicariis in Ecclesiis exercebat. Sic Nicænum Canonem ad mentem Ruffini explicat illustrissimus & eruditus Archiepiscopus Petrus de Marca, lib. 1. *De Concordia Sacerdotii & Imperii, cap. 7.*

Hic sumitur Ægypti nomen latissimè; prout totam Diœcesim Ægyptiacam significat, seu totum illum orbis tractum, qui ab Alexandrino Patriarcha regebatur;

Paulò aliter hunc Canonem explicat ad Ruffini mentem Eminentissimus Annalium Parens, licèt ab hac interpretatione prorsus non abludat. Notat itaque regiones Suburbicarias non eas tantùm dictas esse, quæ propè Urbem positæ essent; sed complures etiam tam in Italia, quàm extra Italiam sitas: quo sensu Julianus Imperator ad Taurum rescribens, lib. 9. *De extraord. Muner.* C. Theodos. ait: *Non enim per Italiam tantùm, sed etiam per Urbicarias regiones, & Siciliam, patrimonialium & emphyteuticorum fundorum vires servandas*

esse perspeximus. Notat secundò, intra Italiam Suburbicarias regiones esse ominatas Picenum & Tusciam. Hinc Honorius & Theodosius, Imperatores, l.12. Cod. Theodos. *De Indulgent. debitor.* ajunt: *Picenam, & Tusciam Suburbicarias regiones, septimam tributorum jubemus agnoscere*. Valentinianus etiam Picenum Suburbicarium nominat, l.9. Cod. Theodos. *De annona, & tribut.* Notat tertiò, Suburbicarias Provincias dictas esse, quæ certo pacto Urbi obstrictæ essent, in eamque certis temporibus annonam conferre tenerentur. Hinc *Urbicarium Canonem*: qui & frumentarius Canon, in Jure dici notat, l.2. Codicis Theodosiani. Regiones itaque Suburbicariæ forsan dictæ sunt, quòd deficientibus regionibus Urbis, ipsi annonam subministrarent, ut etiam notat Pancirolus *Commentario in Notitiam Imperii*. Hinc colligit Annalium Parens, Suburbicarias Ecclesias a Ruffino dictas esse, quæ Romanæ Diœcesi singulariter addictæ essent, ac subjectæ, ita ut Alexandrious Episcopus eodem jure universas Ægypti, Libyæ, ac Pentapoleos Ecclesias administrare posset, quo Romanus supradictas Ecclesias jure Patriarchico regebat.

In eumdem fermè sensum recidit illustrissimi, & doctissimi Cardinalis Perronii explicatio. Notat ille nomen antonomasticum *Urbis*, Romanæ civitati duplici ratione tributum. Primò ut eo nomine a reliquis Civitatibus Imperio subditis distingueretur. Hinc Sanctus Cyprianus, *Epistolâ* 40. Clericos Romanos *Clericos Urbicos* vocat: & Concilium Arelatense Canone 18. Diaconos Romanæ Ecclesiæ *Diaconos Urbicos* appellat: & Optatus Milevitanus, lib. 1. *Contra Parmenianum*, Zephirinum Pontificem nominat *Zephirinum Urbicum*. Isque loquendi modus usurpatus fuit ad significandam Urbis eminentiam, cum qua compositæ urbes cæteræ, pagorum instar & villarum haberentur. Secundò, antonomastica illa Urbis nomenclatio civitatem Romanam ab illis potissimùm urbibus secernebat, quæ Romanæ Præfecturæ subjacebant: Quæ Romana seu Urbica Præfectura ad centesimum dumtaxat ab Urbe lapidem porrigebatur. Quemadmodum itaque nomen istud, *Urbs*, ut Romanam civitatem significans, duplicem exprimebat relationem: unam ad territorium imperiale, alteram ad territorium municipale Urbis Romæ: ita nomen istud, *Suburbicariæ regiones*, spectata etymologiâ, duplex obtinebat significatum: Commune unum, quo civitates universas in territorio Imperiali Urbis Romæ positas designabat, quas veteres uno Romaniæ nomine complectebantur: quo sensu Sanctus Athanasius in *Epistolâ ad Solitarios* Romam nuncupat *Sedem Apostolicam, & totius Romaniæ Metropolim*. Alterum istius complexæ vocis significatum singulare, & Juris peritis familiarius erat, quo eas dumtaxat civitates significabat, quæ in territorio municipali Urbis Romæ positæ essent, quæ Suburbicariæ vocabantur, ut hoc nomine distinguerentur ab urbibus, quæ Præfecto Prætorio Italiæ, cujus sedes erat Mediolanum, subjacebant. Primu itaque, non secundo sensu, Ecclesias Suburbicarias Ruffinus intellexit: unde hic, ad ejus mentem, Nicæni sensus Canonis est: Alexandrinus Episcopus totam Diœcesim Ægyptiacam eadem auctoritate regat, qua Romanus omnes Ecclesias Imperio Urbis Romæ subditas.

Ruffini mentem non longè dissimili modo explicat Morinus Congregationis Oratorii Presbyter, *lib. 1. Exercitationum Ecclesiasticarum, Exercitatione* 30. ubi Ecclesias Suburbicarias, omnes Occidentis Ecclesias interpretatur. Quod acu quisque tanget, si cum eruditissimo viro animadvertat ab Augusto Cæsare ad usqoe Constantini Magni Imperium, universum orbem Suburbicarium fuisse, id est Urbis Romæ potestati & moderamini subditum. Nulla enim alia civitas tunc temporis divisum habuit cum Roma Imperium. Postquam verò Constantinopolim condidit Constantinus, divisum cum Roma Imperium Byzaotium accepit, & exinde Constantinopolis *Regia civitas*, & *Nova Roma*, & *Civitas imperans*, vocata est. Hæc verò Imperii Romani bipartita distinctio maximè enituit sub Constantini filiis, quos inter Imperium divisum est: deinde sub Valentiniano, & Valente fratribus: tertiò sub Valentiniano II. & Theodosio Seniore: postea sub Arcadio & Honorio, quibus imperantibus Ruffinus scribebat. Eo itaque ævo Romanum Imperium in duos orbes separatum erat, Orientalem, & Occidentalem. Orientalis caput Constantinopolis: Occidentalis Roma erat. Unde antiqua Roma de Constantinopoli dicens inducitur apud Claudianum: *Claudianus, de bello Gildonico.*

Cùm subitò par Roma mihi, divisaque sumpsit
Æquales Aurora togas.

Suburbicarius igitur ætate Ruffini totus orbis esse desierat, id est, Urbi Romæ subditus & mancipatus. Tunc solus Occidens suburbicarius erat, id est, Romæ Imperio addictus. Suburbicariæ igitur Ecclesiæ nihil aliud sunt Ruffinn, quàm Occidentales Ecclesiæ, ex quibus Romanus Patriarchatus coalescit. Quamobrem Nicæni Canonis secundùm expositionem Ruffini, sensus iste est: Alexandrinus Episcopus Patriarchica per totam Diœcesim Ægyptiacam jura exerceat, juxtà mores antiquos, sicut Romanus Episcopus omnes Occidentis Ecclesias auctoritate Patriarchica administrat.

Eodem sensu Ruffini expositionem intelligit doctissimus Valesius. Per Suburbicarias Ecclesias, inquit, intelligit Ruffinus eas quæ sunt sub Episcopo Urbis Romæ. Nam Suburbicariæ Ecclesiæ eodem modo dicuntur, quo Suburbicariæ Provinciæ. Ut ergo Suburbicariæ Provinciæ appellantur, quæ erant sub Vicario Urbis Romæ; sic Ecclesiæ Suburbicariæ dicuntur a Ruffino, quæcumque subjacebant Episcopo Urbis Romæ: Et quemadmodum Provinciæ Suburbicariæ peculiarem constituebant Diœcesim Vicarii Urbis Romæ: ita Ecclesiæ Suburbicariæ Diœcesim constituunt Episcopi Romani. Verùm qui fuerint termini hujus Diœceseos temporibus Concilii Nicæni, haud facile fuerit affirmare. Tutissimum tamen mihi videtur sequi sententiam Græcorum interpretum, qui Romano Patriarchæ universum Occidentem adscribunt. Hæc Valesius.

Frustra itaque Heterodoxi Ruffinianam sexti Canonis Nicæni expositionem arripiunt, eàque abutuntur ad Romani Episcopi auctoritatem seu Patriarchicam, seu Pontificiam, impugnandam: perperamque ex Nicæno Canone a Ruffino interpolato colligunt, Pontificis Maximi auctoritatem intra centesimum ab Urbe lapidem coërceri: Græcis schismaticis hac in caussa iniquiores, qui solidum saltem Occidentem Romano Episcopo adscribunt. Sic Zonaras in Canonem VI. Concilii Nicæni: *Antiquas*, inquit, *consuetudines, quod aliis quoque posterioribus Canonum, legumque civilium decretis cautum est, retineri vult Canon. Alexandrinum igitur Episcopum iis qui in Ægypto, Libya, ac Pentapoli sunt, præsidere: Antiochenum subjectis sibi Provinciis, Syria nimirum, Cœlesyria, Cilicia utrique, Mesopotamia: ac alios Episcopos, suis quemque regionibus: quemadmodum & Ecclesia Romana Præses in Occidentales Provincias Principatum diuturna consuetudine obtinet, præesse jubet.*

Sic Nilus libro II. *De Primatu Papæ*, recensito VI. Canone Nicæno, ait: *Audis, quo pacto veterum Patrum decreta Canon amplectenda esse censeat, qui singulis Ecclesiis prærogativas tribuerunt:*

ut

ut nimirum alia gentes Alexandrino subjecta essent, alia Antiocheno: quacumque videlicet Syriam, & utramque Ciliciam incolunt, & Cœlo-Syriam, & Mesopotamiam: quodque Romano Episcopo hoc datum est, ut Occidentalibus præsit.

Sic ante Nilum Balsamon Patriarcha Antiochenus hæc verba Nicæni Canonis VI. *Quoniam Episcopo Romano parilis mos est*, interpretatur: *Quoniam Episcopus Romanus præest Occidentalibus Provinciis.*

Respondeo secundò, Nullam expositionis Ruffini, quæ veriùs Nicæni Canonis interpolatio quàm versio & fidelis interpretatio est, habendam esse rationem: cui enim non sit meritò suspectus Auctor, cui odium in Romanam Ecclesiam, inscitia insuper, & in interpolandis auctoribus projecta audacia & temeritas, fidem omnem derogant? Exclusus erat a communione Ecclesiæ Romanæ Ruffinus per Anastasium Pontif. Maxim. antequam suam conscriberet Historiam. Ad illud enim Opus se non accinxit ante irruptionem Alarici in Italiam, id est Innocentio I. Pontifice, qui Anastasio successit. *De Ruffino* (inquit Anastasius in Epistolâ ad Joannem Hierosolymit.) *scito quòd propria mente Origenis dicta in Latinum transtulit, ac probavit, nec dissimilis est ab eo qui alienis vitiis præstat assensum. Illud tamen scire cupio, ita haberi a nostris partibus alienum, ut quid agat, ubi sit, nescire cupiamus. Ipse denique viderit ubi possit absolvi.* De eodem scribit Sanctos Hieronymus Apologia 2. contra Ruffinum: *Contra Sacerdotes Ecclesiæ disputans, a quibus indignus communione ejus fuerat judicatus, hæc intulit.* Nec perduellio solùm, sed & ignorantia fidem in quibusdam Ruffino derogant, ubi maximè interpretem agit. Inscitiam certè ipsius, prodit quòd ex Jacobo Episcopo Hierosolymorum, Jacobum facit Episcopum Apostolorum. Quod ex Græco nomine μακαρίου quod *beatum* significat, Sanctum Macarium fabricetur. 2. Quòd ex Eusebio Pamphili Episcopo Ariano, Pamphilum Martyrem. 3. Ex Sixto Philosopho ethnico, Sixtum Pontificem & Martyrem. 4. Quòd Quæstionem & querimoniam pro eodem usurpet: 5. Quòd Chorepiscopum, vacantem Episcopatum interpretatur. * Præter alia sexcenta, quæ hominis ineptiam & stoliditatem produnt: quæ Sanctum Hieronymum movit ut de ipso diceret, *Ipsum docere quod nesciat, scribere quod ignoret.* Ipsum *tam putidè & confusè loqui, ut plus in reprehendendo laboraret Hieronymus, quàm ipse in scribendo Ruffinus*, de quo idem Hieronymus ironicè ait: *Tantam habes Græci Latinique sermonis scientiam, ut & Græci te Latinum, & Latini te Græcum putent.* Cujus elocutionem *sordidissimam* vocat: Quem non solùm *solœcistam* ac *barbarum*, sed *mendacem, subdolum, impudentem*, se convicturum spondet. Et sanè barbariem Ruffini satis demonstrat vel illa Canonis 6. Nicæni interpretatio: *Apud Alexandriam, & in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Quodnam enimverò hac in periodo orationis lumen est? Ad quem referuntur ista pronomina, *hic* & *ille*, quem sensum reddit illa disjunctiva, *vel hic?* abstrusum planè & ineptum: adeò ut hujus interpretationis occasione de Ruffino dici possit, quod dixit Sanctus Hieronymus, Apologia 1. *Ego scripta tua relegens, quamquam interdum non intelligam quid loquaris, & Heraclitum me legere putem; tamen non doleo, nec me pœnitet tarditatis: id enim in legendo patior, quod tu pateris in scribendo.*

In Histor. Ecclef. Euseb. lib. 1. cap. 1. Ibid l. 5. c. 24. S. Hieron. in Epist. ad Ctesiph. & Apol. 2. adv. Ruff.

Denique nota Ruffini temeritas omnem ipsi derogat in versionibus fidem. Irreligiosus sanè & infidelis interpres Ruffinus, qui Auctores vertendo interpolavit. Id abundè probat illa Sancti Hieronymi in ipsum animadversio occasione translati Origenis. *Nulli nunc invidiæ subjaceres, si tu translationis servasses fidem. Mihi necessitas non fuisset interpretationem falsam vera interpretatione subvertere. Novit conscientia tua quæ addideris, quæ subtraxeris, quæ in utramque partem, ut tibi visum fuerit, immutaris.*

Sed ne extra Canones Nicænos excurramus, multa in ipsis omisit, addidit, interpolavit pessimus interpres, quorum ecce tibi specimen. In sexto Canone Antiocheni Patriarchæ, cæterarumque Ecclesiarum jura & privilegia confirmantur his verbis: *Similiter autem & apud Antiochiam cæterasque Provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis.* Qua de re nulla mentio apud Ruffinum occurrit. Canone 20. sancitum est ut die Dominico & quotidie a Paschate adusque Pentecostem Christiani stantes orent. *Quoniam*, inquit, *sunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecostes: ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto Concilio, stantes Domino vota persolvere.* Cujus Canonis ne umbra quidem apparet apud Ruffinum. Canonem nonum sic reddit: *Et si qui fortè indiscretè ad Sacerdotium provecti, postmodum vel ipsi aliquid de se criminosum confessi sunt, vel ab aliis revicti, ut abjiciantur.* Sed non est assecutus Nicæni Canonis sensum, qui de confessione criminum ante Ordinationem facta, cùm in mores Clericorum inquireretur, intelligendus est, ut constat ex Versione Dionysii Exigui. *Si qui Presbyteri sine examine sunt provecti, vel cùm discuterentur, peccata sua confessi sunt, & homines contra Canones commoti, manus confessis imponere tentaverunt; tales regula non admittit, quia quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia.* Denique quod de solis Paulianistarum Diaconissis Canone 19. sancitum est, ipsas modis omnibus inter Laicas deputandas esse, ad omnes Diaconissas Ruffinus extendit. Ex quibus omnibus colligendum est, nullam fidem adhibendam esse Ruffino Canonem VI. Nicænum interpolanti potiùs, quàm ingenuè transferenti, & accuratè exponenti,

Objicies. Si Romani Pontificis Patriarchica potestas in Occidentem universum diffunderetur, posset omnia munia Episcopalia obire per se, vel per Legatos, in Ecclesiis Occidentis: atqui id non potest: illius ergo Patriarchica potestas per totum Occidentem non diffunditur, sed coarctatur, vel intra centesimum ab Urbe lapidem, vel intra decem Provincias Urbicarias.

Probatur minor. Gallicani Episcopi nequidem unius Ecclesiæ Dedicationem absque Metropolitani consensu Romano Episcopo licitam esse propugnarunt. Cùm enim Fulco Andegavensium Comes, anno M. X. Ecclesiam & Monasterium de Bello-loco fundavisset in prospectu Castri Lucacensis in pago Turonico, ut voto se exsolveret quod in Hierosolymitana Expeditione Deo nuncupaverat: Hugo Metropolitanus Turonensis ad Templi magnifici Dedicationem invitatus, illam recusavit peragere, donec Fulco ablata ipsius Ecclesiæ prædia & mancipia restituisset. Ejus enim oblationem Deo acceptam esse non posse dicebat qui Ecclesiæ bona usurpasset, ac retineret. Id Fulco indignè ferens, aliud iniit consilium. Romam scilicet profectus est, & Joanni XIII. Pontif. Maxim. datis muneribus, ab ipso obtinuit ut Petrus Cardinalis Ecclesiam illam auctoritate Pontificia consecraret. *Quod audientes Galliarum Præsules, præsumptionem sacrilegam cognoverunt ex cæca cupiditate processisse, dum videlicet unus rapiens, alter raptum suscipiens, exeat in Romana Ecclesia*

schisma

schisma creavissent. Universi etiam pariter detestantes, quoniam nimium indecens videbatur, ut is qui Apostolicam regebat Sedem Apostolicam primitus ac Canonicum transgrediebatur tenorem. Cùm insuper multiplici sit antiquitus auctoritate roboratum, ut non quisquam Episcoporum in alterius Diœcesi istud præsumat exercere, nisi Præsule, cujus fuerit compellente, seu permittente. Ita porrò Deo displicuit ista usurpatio, ut sereno priùs cælo, statim immisso divinitus turbine, ipso Dedicationis die concussa sit & diruta Ecclesia. *Quòd cùm multi per regionem factum comperissent, nulli venit in dubium, quoniam insolens præsumptionis audacia irritum constituisset votum; simulque præsentibus ac futuris quibusque, ne huic simile agerent, evidens indicium fuit. Licèt namque Pontifex Romanæ Ecclesiæ ob dignitatem Apostolicæ Sedis cæteris in orbe constitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem. Sicut enim unusquisque Orthodoxæ Ecclesiæ Pontifex, ac sponsus propriæ sedis, uniformiter speciem gerit Salvatoris; ita generaliter nulli convenit quidpiam in alterius procaciter patrare Episcopi Diœcesi.* Hæc refert Glaber Rodulphus, lib. 2. Historiæ Francorum, cap. 4. ex quibus colligitur Episcopum Romanum per se aut per Legatos munia Pontificia in Gallicanis, cæterisque Occidentis Ecclesiis obire non posse.

Respondeo, distinguo majorem: Posset omnia munia Episcopalia obire in Ecclesiis Occidentis, secundùm Canones, concedo; contra Canones, nego. Custos enim, vindex, & executor Canonum est per universam Ecclesiam Romanus Episcopus. Contra Canones autem esse videbatur, ut ad consecrandam Ecclesiam, quam Turonensis Archiepiscopus legitima de caussa dedicare recusaverat, Legatum mitteret. Juris enim Metropolitici violatio & usurpatio a Gallicanis Episcopis censebatur, qui noverant Episcopum Romanum ut Occidentis Patriarcham, Ordinationum confirmationem, Synodorum Patriarchalium indictionem, & majorum judicia caussarum, sibi jure meritòque vendicare posse; non autem cætera munia Episcopalia in Occidentalibus Ecclesiis sibi arrogare: cùm non sit universalis, id est solus illarum regionum Episcopus.

Sanè sancitæ a Concilio Arausicano I. disciplinæ videbatur adversari factum Romani Pontificis. Prohibuit enim Canone 10. ne aliquis Episcoporum, Ecclesiæ in alienæ civitatis territorio ædificatæ Dedicationem præsumeret. *Quæ illi omnimodis reservatur, in cujus territorio Ecclesia assurgit. Quòd si etiam sæcularium quicumque Ecclesiam ædificaverit, & alium magis, quàm eum, in cujus territorio, ædificat invitandum putaverit: tam ipse cui contra constitutionem ac disciplinam gratificari vult, quàm omnes Episcopi, qui ad hujusmodi Dedicationem invitantur, a Conventu abstinebunt. Sè quis extesserit, in reatum devocabitur, &c.* Idem in Concilio Arelatensi II. decretum fuerat.

Respondeo secundò, quòd Hugo Turonensis Archipræsul, qui Romam profectus est ut jus suum propugnaret, & apud Sedem Apostolicam de imminutis Ecclesiæ suæ privilegiis quereretur, tandem professus est se errasse, & contra omnipotentem Dominum, & sanctam Romanam Ecclesiam nimis deliquisse, & absque ratione litigasse: & Monasterium, tum quoad jus consecrationis, tum quoad alia ad ipsum pertinentia, Sedis Apostolicæ, a qua fuerat immunitate donatum, dispositioni reliquit. Quibus ita compositis, Sergius IV. Pontif. Maxim. Petrum Viterbiensem Episcopum in Gallias misit, qui Ecclesiam illius Monasterii consecraret. Horum fidem facit Rescriptum Sergii IV. Pontificis Maximi quod ex Tabulario Bellilocensis Cœnobii Clarissimi Sammarthani Fratres descriptum exhibent, *Tom. I. Galliæ Christianæ, in Indice Archiepiscoporum Turonensium.*

Quod autem refertur a Glabro miraculum, si tamen verè miraculum fuit, Ecclesiæ scilicet versio ipsa die Dedicationis, a Deo non editum est ut Romani Episcopi usurpationem puniret: sed ut Fulconis Comitis votum sibi acceptum non esse significaret, qui bona Turonensis Ecclesiæ retinens Monasterium ac templum fastu majori, quàm pietate, erigebat.

Objicies ultimò. Qui excommunicationem ferre non potest in Episcopos Gallicanos, non habet auctoritatem Patriarchicam in Galliis, adeòque nec in Occidente solido: Sed Romanus Pontifex non potest excommunicare Episcopos Gallicanos. Unde cùm Gregorius IV. anno Christi 833. in Gallias venisset prætextu conciliandæ pacis inter Ludovicum Pium Imperatorem, & ejus filios; & rumor sparsus esset, ipsum Episcopos & Imperatorem a Communione præscindere velle, nisi Principum morem gererent voluntati: Episcopi contestati sunt, nullo modo parere se velle Summo Pontifici: *Sed si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret, cùm aliter se habeat antiquorum Canonum auctoritas;* ut refert Anonymus in Vita Ludovici Pii quæ extat inter veteres Auctores Historiæ Francorum ab Andrea Duchesnio editos, Tomo II. Romanus ergo Pontifex Patriarchicam auctoritatem non potest in Galliis exercere.

Respondeo, distinguo minorem. Non potest excommunicationem ferre in Episcopos Gallicanos, absque caussa canonica & graviori, concedo; non potest absolutè, nego. Injusta autem fuisset excommunicatio, quam meditari summum Pontificem in Ecclesiæ Gallicanæ Antistites fama mendax jactabat. Unde cùm nossent excommunicationem injustè latam contra Canones, irritam esse, & in ipsum excommunicantem recidere, dixerunt: *Excommunicaturus advenit: excommunicatus abibit.* Quo in responso mentem Sancti Gregorii Magni secuti sunt *Homilia 26. in Evangelia*, ubi de Prælato sic loquitur: *Grandis honor, sed grave pondus istius est honoris. Durum quippe est ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex fiat alienæ, & plerùmque contingit ut hic judicii locum teneat, qui ad locum vitâ minimè concordat. Ac proinde sæpè agitur ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat. Sæpe in solvendis ac ligandis subditis, suæ voluntatis motus, non autem caussarum merita sequitur. Unde fit ut ipse hac ligandi & solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subditorum moribus exercet.*

Secuti sunt mentem Sancti Augustini variis in locis, ex quibus Canon *Illud Planè*, Caussa 24. Q. 5. compositus est; qui sic habet: *Illud planè non temerè dixerim, quòd si quisquam Fidelium fuerit anathematizatus injustè, potiùs ei oberit qui facit, quàm qui hanc patitur injuriam. Spiritus enim Sanctus habitans in Sanctis, per quem quisque ligatur, aut solvitur, immeritam nulli ingerit pœnam.*

Secuti sunt mentem Gelasii, cujus testimonium ibidem refertur, Can. *Cui est*: cujus hæc sunt verba: *Cui est illata sententia, si injusta est, tantò eam curare non debet, quantò apud Deum & Ecclesiam ejus neminem potest iniqua gravare sententia. Ita ergo ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.*

Secuti sunt mentem Sancti Niconis in Epistolâ ad Enclistium * scribentis. *Scias autem, Pater, quòd divina Scriptura cum divinis Canonibus definiunt, quòd injusta, quæ imponuntur, punitiones apud Deum non ligant, etiamsi Pontifex eas imposuerit. Qui itaque inconsiderata sententia, & in-* *Tomo 3. Biblioth. Patrum.*

cum

temperante animo aliquem a Fidelibus separavit, cum non solùm non attingit; sed in ejus etiam caput recurrit, sicut functa quoque Synodi pronuntiant. Sed illæ pœnæ ligant, quæ secundùm Canones & leges sunt imposita, non autem quæ secundùm proprium voluntatem. Qui enim pœnam præter rationem imponit, ipse est segregatus, & ipse debet eam pœnam observare, sicut & divini Canones decernunt. Deus enim, qui injustè alligatus est, defendit & ulciscitur. Horum, inquam, Patrum mentem secuti suot Gallicani Aotistites, cùm de Romano Pontifice, in illa occasione dixerunt: *Excommunicaturus adveniet: excommunicatus abibit*: Non autem negarunt ipsi convenire potestatem excommunicandi, sive Episcopos, sive quoslibet alios in graviori crimine pertinaces, secundùm dispositionem Canonum.

SCHOLION I.

In hac Dissertatiooe, pag. 255. Religiosi Censores primam Propositionem sive Conclusionem notant: *Conclusio 5. Canon Sextus Nicæni Concilii, &c.* Conclusio hæc, inquiunt, cum probationibus destruit Romani Pontificis Primatum amplissimum.

R. Cnnclusionem illam sive Propositionem non intellexere, (pace eorum dixerim) nec propositæ Quæstionis statum Legere potuissent *Valesium*, *Sirmondum*, & *Petrum de Marca* locis notatis. De Patriarchicis juribus, non de Primatu agitur in illa Propositione, & ejus probationibus. Tantùm abest ut Primatum amplissimum Romani Pontificis evertam, ut illum e contra defendam adversùs Hæreticos, qui Sexto Nicæni Concilii Canone concussum fuisse contendunt. Secunda Propositio, & ejus probationes eò collineant.

SCHOLION II.

In eadem Dissertatione, pag. 308. Religiosi Ceosores hanc Propositionem notant: *Papa nihil potest in Gallia contra Canones*.

R. Quamvis, novis causis exigentibus, novas Leges, novas Constitutiones, Decreta Fidei, Morum, Disciplinæ condere possit, quibus omnes Christiani parere tenentur: Quamvis Sacros Canones pro summæ suæ auctoritatis jure interpretari: Quamvis de Canonibus toto orbe Christiano dispensare possit Romanus Pontifex ex causa legitimâ; contra Canones tamen Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, nec in Gallia, oec alibi, aliquid potest, secundùm illam *S. Martini I.* Romani Pontificis sententiam Epistolâ 9. scribentis: *Canones Ecclesiasticos solvere non possumus, qui defensores & custodes Canonum sumus, non transgressores*. Hæc Sacræ Facultatis Parisiensis sententia, in Articulis Regi Christianissimo oblatis anno 1663. expressa, Art.6. quo declarat: *Doctrinam Facultatis esse, non probare nec unquam probasse Propositiones ullas Regis Christianissimi Auctoritati, aut germanis Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus, & receptis in Regno Canonibus contrarias verbi gratiâ, quòd Summus Pontifex possit deponere Episcopos adversùs eosdem Canones*.

SCHOLION III.

Ad eamdem paginam hanc notam apponunt, Religiosi Censores: *De Dedicatione cujusdam Templi insulsè loquitur*.

R. Quæ in Dedicatione Ecclesiæ Monasterii *De Bello-loco* a *Petro* Cardinali facta mandato *Joannis* XIII. Romani Pontificis, contra jus ordinarium *Hugonis* Turonensis Archiepiscopi contigerunt, ipsis *Glabri Rodulfi* verbis retuli, & objectioni ex iis depromptæ contra jura Patriarchica Romani Pontificis in universo, quà latè patet, Occidente, respondi. *Glabrum Rodulfum* insignem Historicum falsò scripsisse probent quod scripsit; virum religiosum, pium, pro sua ætate doctum, Sancto *Odiloni* Cluniacensi Abbati, cui suum Opus dicavit, charum, insulsitatis accusent. In hunc enim recidit convitium mihi impactum.

SCHOLION IV.

In eadem Dissertatione pag.310. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa non potest excommunicare Episcopos sine causa canonica & graviori*.

R. Non solùm Episcopos, sed nec infimi Ordinis Laicos, absque causa canonica & graviori excommunicare Summus Pontifex potest. Nemo est Canonici Juris & Theologiæ fœdâ & supinâ ignorantiâ non laborans, qui nesciat neminem Christianum excommunicari posse, nisi pro peccato mortali, nec tamen omni, sed cui adjuncta sit contumacia; ut docet *S. Thomas*, Quæstione 21. Supplementi, Art. 3. An Religiosis Censoribus placet ut Papa nulla habita Canonum jurisque ratione, pro levi culpa, aut pro suo arbitrio excommunicare possit Episcopos, & alios quoscumque Fideles? Id certè sibi non tribuunt Pontifices ipsi.

Nota.

PApam non ita sacris canonibus subjacere, ut veluti subditus iis obsequi teneatur ostendi *tom.3. pag.129*. Sicut verò, si expostcat justa causa ex sui primatus jure ab iis, quæ sacri canones statuere, recedit, ita oeque attendit collata privilegia, meritò non servanda, ubi temporum circumstantiæ vel suspendenda exigant, vel abroganda.

Nota.

QUæ Natalis refert ex Glabro Rodulpho de dedicatione Ecclesiæ Monasterii de Bello-loco a veritate aliena putat Thomassinus *Vet. & Nov. Discipl. p.1. cap.6. n.2.* Narrat ibi chartas illius Abbatiæ a Petro de Marca diligentissimè inspectas perspicuè docere monasterium illud ab Andino Comite conditum, ab ipso sui initio tuitioni, & potestati romanæ ecclesiæ subditum fuisse; ac proinde Episcopis vetitum ne quid jurisdictionis in eo exercerent. Ægerrimè id ferente Ugone Archiepiscopo Turonense, Romam profectus a Sergio IV. Joanni XIII. suffecto expetiit, ut juxta canones, ac Justiniani leges Ecclesia a Fulcone Andegavensi Comite constructa, a semetipso dedicanda permitteretur. Verùm, referente de Marca ex iisdem chartulis ita colligitur: *Repulsus fuit Ugo hac exceptione quòd Fulconi liberum fuerit in fundo suo, propriaque hæreditate monasterium construenti, monasterium, ipsiusque consecrationem Romanæ Ecclesiæ conferre; quia cujus est hæreditas, ipsius & consecratio. Quare Hugo jus omne, quod sibi competebat in Romanam Ecclesiam transtulit. Sergius verò Petrum Episcopum in Gallias direxit, monasterium illud sua vice consecraturum*. Dicit Bossuet *in Defens. Declar. p.2. lib.11. cap.7.* Rodulphum Glabrum a de Marca non confutatum, sed illustratum; quod tamen non rectè dixisse

dixisse ex prædictis ex monasterii chartulis erutis palam fit: omnia enim etiam ex ipsius Hugonis consensu peracta adinvenit, & nihil adnotatum de illis tam acribus Gallicanorum Præsulum querelis, quas ipse Bossuet, ac Natalis referunt, nihil de turbine, Templique ruina, quapropter ea ex falsis rumoribus Glabrum accepisse dicendum est.

In eo verò capite totus est Thomassinus in demonstrando Romanum Pontificem in toto orbe ecclesias dedicasse, ac alia quæcumque immediatæ jurisdictionis insignia explicasse; utpote quia universa Ecclesia ipsius est Diœcesis, cùm Christus Dominus ipsi in persona Petri universum suum ovile crediderit. Quòd si aliquando talis jurisdictionis usui aliquis ex Episcopis sese opponere tentavit, numquam tamen jure se opposuisse potuit ostendere. Porrò, qui immediatam possidet jurisdictionem, aliis delegare posse indubium est, atque ita Romani Pontifices suis Legatis in omnes christiani orbis partes destinatis, quamcumque ibi jurisdictionem exercendi potestatem largiri potuere. Optabat tamen S. Bernardus, ut videre est in libris de Consideratione ad Eugenium, ita romanum Pontificem suam coërcere potestatem, ut passim episcoporum jura, auctoritatisque usus è medio tolli non videretur.

Nota.

Bossuet *in defens. declarat. p.2. lib.12. cap.7.* ut probet etiam ex Nicæna prima Synodo ab Ecclesiæ consensione fidei decreta robur habere, affert illius Synodi verba, quibus dicuntur hæretici ab ipsa damnati *a catholica, & apostolica ecclesia anathematizari*; sicut & verba Ruffini *l.10. hist. cap.5.* quibus decreta Synodi appellantur *sacerdotalis concilii sententia*; atque ita trecentis Episcopis tribuuntur a Constantino *ep. ad Alex.* & a Sulpitio *hist. lib.2.* qui etiam decretum, quo damnati sunt Ariani, *episcopale* nuncupat. Cùm igitur nihil legatur, quo appareat Pontificem Sylvestrum Synodi sententiæ præivisse, vel postea firmasse, totam vim in ipsa ecclesiarum, seu episcoporum consensione reponendam, ex hac Synodo demonstratum putat Bossuet; ac solùm Apostolicæ Sedis singularem potestatem enituisse, quia sola sufficiebat, ut communis decreti executionem urgeret.

At pace tanti Præsulis dixerim, hoc est ludere verbis. An fortasse decreta communibus Episcoporum suffragiis sancita, appellanda non erant *sacerdotalis concilii sententia*, *Episcopale decretum*? nec dicendum erat eos, quos damnaverat Concilium *ab Ecclesia anathematizari*, etsi Papæ solemnes definitiones etiam ante ecclesiæ consensum omnem obtineant firmitatem? Hujusmodi nominibus appellari debuerunt nicæna decreta, ut ipsorum auctores exprimerentur, non verò talia fuere usurpata nomina ad designandum absque ecclesiæ consensu Pontificis definitiones infallibilitate exutas. Ita etiam bene exprimitur *ab Ecclesia* anathematizatos eos, in quos Synodus sententiam pronunciaverat, cùm Synodus œcumenica universalem ecclesiam repræsentet. An verò ante Synodum Sylvester suis decretis Arianos damnaverit, ignotum; neque tamen omnino licet negare, cùm multa illorum temporum monumenta interierint. Indubium sane est PP. Concilii Italiæ *tom.4. Concil. Labb. pag.1126.*, postquam dixerunt Romani Pontificis esse cuncta constituere, cùm sit omnium caput, etenim ad Petrum Dominus dixerat super ipsum suam ecclesiam esse fundandam, ita subdidisse: *Quam vocem sequentes trecenti decem, & octo sancti PP. apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt: quam utramque usque ad ætatem nostram successiones omnes, Christi gratiâ præstante custodiunt.* Cùm etiam illi Synodo adfuerint nomine Sylvestri tres Legati *cum potestate Actis assentiendi*, ut dicit Theodoretus, quem refert Natalis *dissert.12.* non abs re erit si dicamus Pontificis vice assentiendo Actis firmitatem tribuisse. Cæterùm inusitatum forte erat in ecclesia romanos Pontifices ante Synodum Nicænam hæreses proterere? S. Clemens non paucas turbas Corinthi excitatas, statim sua auctoritate sedavit, ita referente S. Irenæo lib.3. adv. hæres. c.3. *Dissensione*, ait, *non modica inter eos, qui essent Corinthi, fratres facta, scripsit quæ est Romæ Ecclesia potentissimas literas Corinthiis, ad pacem eos congregans, & fidem eorum reparans, & annuntians, quam ab Apostolis receperant, traditionem.* Higinus Papa Cerdonem, & Valentinum hæresiarchas damnavit; atque ad suas ejurandas hæreses coëgit, teste Irenæo cit. *cap.4.* & Eusebio *lib.4. hist. cap.10.* Victor Theodotum hæresiarcham ab ecclesia ejecit. Zephirinus Montanistas, & Cataphrygas anathemate percussit; De quodam ipsius decreto Tertullianus & ipse ab eodem damnatus, *de jejun. cap.1.* hæc habet: *Audio etiam decretum esse propositum, & quidem peremptorium; Pontifex Maximus, Episcopus episcoporum dicit; ego & mœchiæ, & fornicationis delicta functis pœnitentiâ dimitto.* Dum *peremptorium* dixit, voluit sanè significare post Pontificis sententiam nil aliud esse inquirendum. Cæterum *de præscript. c.36.* ad veritatem dignoscendam inspiciendum affirmavit quid diceret, doceretque Ecclesia Romana, unde de illa ait: *Stata felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum suo sanguine profuderunt: videamus quid dixerit, quid docuerit.* Sicut ergo tot Sylvestri Decessores sua sola auctoritate hæreses eliminarunt, ita & ipse præstare potuisset. Quare autem in synodo Nicæna iterum actum sit de tempore paschatis celebrandi dixi *tom.3. pag.425.* sicut & cur repetita fuerint decreta de non iterando hæreticorum baptismo, explicavi *pag.753.* Sed nova lux superiùs dictis addetur, dum suis locis expendam quem auctoritatis gradum Pontificis definitiones in aliis Conciliis obtinuerint.

DISSERTATIO XXI.

De Synodo Tyria.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Synodi Tyriæ judicium contra Sanctum Athanasium legitimum fuerit? Et an fuerit legitima ipsius de illius Synodi sententia ad Constantium Imperatorem appellatio?

PROPOSITIO I.

Sententia quæ contra Sanctum Athanasium in Synodo Tyria lata est, multiplici de caussa nulla & irrita fuit.

Probatur. Sententia lata in Episcopum ea in Synodo cui sæcularis Magistratus tyrannicè dominatur, & in qua præripitur Orthodoxis Episcopis suffragiorum libertas, nulla & irrita est: quia conventus istiusmodi Conciliabulum potiùs est, quàm veri nominis Concilium: atqui Synodo Tyriæ sæcularis Magistratus tyrannicè dominabatur, & in ea libertas omnis suffragandi Catholicis Episcopis

Ata-

adempta est: sententia igitur contra Sanctum Athanasium lata in Synodo Tyria, nulla prorsus & irrita fuit.

Probatur minor ex Epistolâ Synodicâ Concilii Alexandrini apud Sanctum Athanasium, Apologia 2. in qua hæc habentor: *At peaclari Eusebiani, quò veritatem, scriptaque sua obliterent, nomen Synodi suis Actis prætexunt, cùm eos ipsa negotium Imperatorium, non Synodale haberi debeat, quippe ubi Comes præsideat, & militer Episcopos sub satellitio cingant, & Imperatoriu Edicta, quos ipsi volunt, coire compellant. Jam, quæso, vel hinc incredibiles eorum insidias animadvertite, & quàm in audendo vaeii sunt, & versipelles, modò quucumque ratione hominem e medio tollant. Si enim veluti Episcopi sese judices volebant esse, quid opur erat vel Comite, vel militibus, aut Edictis ad coeundum Imperialibus? Quòd si Cæsare indigebant, & ab eo Actu robae accipere voluerunt, quo jure ipsi judicium Cæsaris ieeitum fecere? Aut qua de caussa cùm Cæsae Meletianos & calumniatores & nefarios non sine detestatione, ob cadem de vivo homine confictam, Athanasium verò innocentissimum suis scriptis pronuntiarit, ipsi Meletianos verum dicere, & Athanasium reum esse definiunt, nulla eam verecundia hominem vivum pro occiso imputantes?*

Et rursus: *Quâ jure igitur isti contra nos Synodum ullam constituere potuerunt? Aut qua fronte talem conventum Synodum appellare audent, cui Comes præsedit, & ubi speculator apparebat? & Commentariensis, sive Carcerarius pro Diaconis Ecclesiæ adventantes introducebat? ubi Comes verba faciebat, cætei præsentes in silentio erant, vel potiùs Comiti obsequium suum accommodabunt? ubi quod communiter Episcopis placuit, ab illo impediebatur? ille Imperio utebatur, nos a militibus ducebamur, vel potiùr jussis Eusebianorum, sententiisque, ipse Comes inserviebat? In summa, dilectissimi, qua species ibi Synodi, ubi vel cædes, vel exilium, si Cæsari placuisset, constituebatur?*

Probatur secundò. Sententia contra omnem juris ordinem lata, irrita est. Sed sententia, quam Tyria Synodus adversùs Sanctum Athanasium tulit omni judiciorum ordine insuperhabito lata est. Nullam igitur & irritam fuisse colligitur.

Probatur minor. Eo enim in judicio tria peccata fuerunt contra juris naturalis præscriptum. Primum est, quod a recusatione suorum hostium Athanasius exciderit. Qua de injustitia Ægyptii Episcopi, in contestatorio Libello quem isti Synodo obtulerunt, ita scripsere: *Non arbitramar ulteriùs Eusebii, Theognii, Maris, Narcissi, Theophili, & Patrophili conspirationem incertam, dubiamque haberi. Principio quidem omnes exclamabamus per comministram nostrum in sacris Athanasium, ne illis, cùm adessent, caussæ cognitio permitteretur; ut non ignari, vel unius inimici præsentia, nedum plurium, judicia turbari & lædi posse. Neque vobis in occulto est odium eorum, non solùm in nos, sed in omnes Orthodoxos & quàm Ariana eoi furioso & immani studio, & zelo impiæ ejus Doctrinæ omnibus immineant, & adversus omnes conspirent. Hìc tamen nos veritate freti, ubi Meletianorum calumnias refellere cuperemus, nescio quibus actibus Eusebiani nostros conatus interturbare studuerunt, magnamque operam impendere, ut nostra dicta rejicerentur, nunc ferociè judicantibus interminantes, nunc etiam nonnullis contumeliam inferentes, non alio scopo, quàm ut id quod contra nos molirentur, progressum haberet.* Idem constat ex Libello contestatorio ab iisdem oblato Dionysio Comiti, necnon ex Libello Alexandri Thessalonicensis eidem oblato.

De eodem gravamine Synodica Alexandrini Concilii supra laudati Epistola sic habet: *Quis ibi conventus Episcoporum, aut consessus veri studiosus? Quis non ex plerisque noster inimicus? Nonne Eusebius, Eusebianique, studio Arianismi adid Concilium perrexerunt, reliquis ejusdem secum sententiæ adductis? Nonne & nos contra eosdem homines, eo nomine quòd Arianicæ opinionis essent, scripta evulgavimus?*

Secundum eo in judicio peccatum fuit, quòd delegatio in regionem Mareoticam ad inquirendum in præsumpta Athanasii crimina, data sit ejus adversariis, & conjuratis hostibus. Qua de re Orthodoxi Ægypti Episcopi in Libello contestatorio queruntur. *Quotquot enim*, inquiunt, *ex toto grege suspectissimi erant, Mareoten ablegarunt ut per nostram absentiam, quibus hîc harendum est, populos perturbent, & studia sua perficiant. Ecce enim Arianos, Colluthianos, & Meletianos hostes Catholicæ Ecclesiæ ideò potissimùm emittere studuerunt, ut per præsentiam hostium nostrorum fatelas, quas vellent, adversùs nos facerent. Certè Meletiani, qui hîc Tyri apud nos sunt, ante quatriduum, quasi certi essent hoc in Concilio decretum iri, quosdam ex suis vesperi per veredarios ablegarunt, qui Meletianos etiam ex reliqua Ægypto Mareoten, cùm ibi nulli essent, convocarent, eodemque Colluthianos, & Arianos ex aliis locis contraherent, ut eos instruerent, quid contra nos dictum vellent.*

De eodem gravamine Julius I. ad Orientales ita scribit: *Addebat præterea in sua querela*, [Athanasius] *eos qui Mareoten profecti sunt, se invito eò profectos esse: misere enim eò Theognium, Marim, Theodorum, Ursacium, Valentem & Macedonium homines suspectos: neque hoc ita esse solummodò verbis suis, sed literis quoque Alexandri Thessalonicensium Episcopi demonstrabat.*

Tertium eo in judicio peccatum fuit, quòd absente Athanasio, nec vocato, aut ejus Clericis, testimonia recepta fuerint. Id constat ex Libello contestatorio Alexandrinorum Clericorum perfidis inquisitoribus a Synodo Tyria delegatis oblato. *Decuit in primis*, inquiunt, *cùm huc veniebatis cum ipso accusatore, adducere quoque vobiscum Presbyterum Macarium. Ita enim judicia constitui debent, secundùm Sacram Scripturam, ut reus & accusator simul appareant. Postquam autem nec Macarium adduxistis, neque Reverendissimus Episcopus noster Athanasius ad judicium acceptus est, postulavimus ut saltem nobis interesse liceret; ut nobis præsentibus certa inquisitio haberi posset, ut ad istum modum rebus actis, jure fidem vestris judiciis haberemus. Verùm & hoc nobis pernegatum, & soli cum Præfecto Ægypti, unà cum accusatore, id agitis quod libet. Profitemur igitur nos videre in vestris actis malitiæ suspicionem, animadvertimusque vestrum adventum nihil aliud in se habere, quàm conspirationem & insidias: eaque de caussa Epistolam hanc vobis dedimus monumentum, testimoniumque istius rei aliquando futuram in vera & legitima Synodo; ut omnibus innotescat, quòd inaudita altera parte, ea quæ libuit, inter vos egeritis & nihil studuisse, nisi ut conspiratione nos opprimeretis.*

De eodem Tyrii Judicii vitio ita scribit Julius I. Pontifex Maximus in Epistolâ ad Orientales: *Quin & Arsenius aliquando dictus ab Athanasio interfectus, quem jam cognovimus in vita esse, & cum Athanasio amicitiam fovere, ut ipse affirmat, ea quæ acta sunt Mareote, in absentia alterius partis acta fuisse; neque enim ibi adfuisse Macarium Presbyterum, qui reatum sustinebat, neque Episcopum ejus Athanasium; & hoc non solùm ex verbis ejus, sed ex monumentis Actorum, per Martyrium & Hesychium allatis cognovimus. Ea enim perlegentes, invenimus accusatorem Ischyram*

bi præsto fuisse: Macarium autem, & Athanasium nequaquam adfuisse, neque Athanasii Presbyteros, quamquam hoc ipsum magnoperè sollicitantes, admissos esse. Oportebat autem, dilectissimi, siquidem sinceriter illud judicium agebatur, non solùm accusatorem, sed & reum præsentem sisti. Et ut Tyri Macarius aderat reus, & Ischyras accusator, ubi nihil criminum docere potuit: ita quoque in Mareoten non solùm oportuit accusatorem, sed & reum quoque unà proficisci, ut vel præsens convinceretur, vel si victus non esset, appareret eum calumniis petitum fuisse: jam verò cùm hoc factum non sit, sed solùm ibi accusator steterit, cum iis quos ut suspectos Athanasius rejiciebat, Actorum illorum monumenta suspicione carere non possunt.

De eodem Alexandrini Concilii Patres in Epistolâ Synodicâ: *Imparee ergo veritati, quamquam se omnibus modis communierant, eò quòd Ischyras Tyri pro calumniatore habitus nihil probare posset, & ipsa calumnia suâ vanitate corrueret, judicium caussa suspensum voluere, donec de probationibus constaret. Promittunt igitur se aliquot ex suis Mareoten amandaturos, qui rem curiosè scrutarentur, quos nos evestigio multis de caussis rejiciendos docuimus, in primis quòd & Ariani essent, & propter Arianismum nobis propalam infensi. Verùm illi potentiâ Magistratuum freti, clam emittunt Diognium, Marim, Theodorum, Macedonium, duos annis ingeniisque putidos & venales; his addunt Ursacium & Valentem homines Pannonios, qui ab ultimis illis finibus Tyrum profecti sunt, ut sententiam in adversarium dicerent, & post tantum itineris e Tyro Alexandriam contenderunt, nullo cum pudore, quòd se ex judicibus testes facerent. Quin potiùs omnibus insidiandi rationibus propalam susceptis, quosvis labores, itineraque subiere, ut calumniam semel initam absolverent. Hostes ergo Athanasii, Athanasio peregrè detento, Alexandriam in populum, Ecclesiamque debacchaturi contendunt. Imò quod absurdius est, Ischyra accusatore secum adducto, Macarium reum custodiis Tyri inclusum non permiserunt in comitatu hærere, quem antea sub prætextu ejus criminis sursum deorsumque raptaverant. Soli igitur Alexandriam cum accusatore Ischyra ipsorum contubernali, sodale, compotatore ingressi, assumpto unà Præfecto Ægypti Philagrio, in Mareoten abscedunt, atque illi soli pro libidine sua cum Philagrio quæstionibus incumbunt, nullâ permissâ Presbyteris adeundi facultate, quamquam id multis precibus requirerent. Erant autem illi qui hæc postulabant, omnes tum Alexandrinæ civitatis, tum universæ Provinciæ Presbyteri, potentes ut sibi ostendere liceret, quosnam testes Ischyras subornasset, & quale hoc hominum genus & civitates essent. Sacrorum igitur Ministris exclusis, coram ethnicis hominibus Quæstiones de Ecclesia, de calice, de mensa Domini, de Sanctis Sanctorum habuere, & quod gravius est, ethnicos in Quæstione de mystico poculo in testes citaverunt.*

Et infra: *Eadem enim denuò apud Mareoten, quæ Tyri designata sunt. Ut enim illic Comes erat cum militari satellitio, nihil quod ipsis displiceret aut dici, aut fieri permittens; ita quoque & hic Præfectus Ægypti manu militari succinctus, omnes Ecclesiasticos terrefaciens, nulli permisit ex vero testimonium dicere; & quod absurdius est, in ipsis ædibus accusatoris & commorabantur, & quæstionibus operam dandam, prout libuit, decernebant, eòque tam judices, quàm testes, cæterique ejusdem studii, vel, quod verius est, Eusebianæ factionis administri conveniebant.*

Probatur tertiò Propositio. Sententia quæ meris calumniis nititur, & quæ fertur in hominem criminis purum, irrita est: Sed sententia in Synodo Tyria adversùs Sanctum Athanasium lata, meris calumniis nitebatur, & purus ipse criminum erat, quæ ipsi affingebantur ab Eusebianis, fracti calicis, occisi Arsenii, exactionis tributi, &c. ut constat ex iis quæ in Synopsi, Cap. 3. Articulo 3. §. 6. diximus. Sententia itaque in Sanctum Athanasium lata in Synodo Tyria irrita erat.

PROPOSITIO II.

Legitima fuit Sancti Athanasii de sententia Tyrii Conciliabuli ad Constantinum Imperatorem appellatio.

Probatur. Appellatio de sententia contra Juris ordinem lata, de vi manifesta, de notoria oppressione, ad eum qui Legum & Juris supremus tutor est & custos, necnon Ecclesiæ defensor, legitima est: Sed sententia in Sanctum Athanasium lata erat in Conciliabulo Tyrio contra juris naturalis ordinem, vim manifestam ab Eusebianis patiebatur; ejusque innocentia eorum calumniis opprimebatur & persecutionibus: ejus itaque ad Constantinum Imperatorem, qui Legum, & Juris supremus tutor erat, & custos, necnon Ecclesiæ defensor, legitima fuit appellatio.

Probatur secundò ex sanctitate, & Doctrina Sancti Athanasii, qui Disciplinam Ecclesiasticam, cujus tanto zelo accensus erat, violare noluisset, appellatione illegitimâ.

Probatur tertiò ex Libello contestatorio Ægyptiorum Episcoporum, qui se Sancti Athanasii appellationi adjunxerunt, Dionysio Comiti oblato. *Cùm animadvertamus*, inquiunt, *multa ad gratiam Meletianorum, multa rursus ad insidias Catholicæ Ecclesiæ sub nostris criminibus agitari: necessariò ob id quoque Libellum hunc tibi porrigimus, cum multis obsecrationibus, ut Dei metu in animo servato, qui Imperium augustissimi, & pientissimi Imperatoris Constantini tuetur, cognitionem caussarum nostrarum ipsi augustissimo Imperatori reserves. Æquum est enim te ab Imperatore missum, negotium hoc integrum Imperatori retinere. Quandoquidem tolerare non possumus compositas istas calumnias, quibus insidiosè ab Eusebianis premimur: ideòque postulamus caussam istam pientissimo & religiosissimo Imperatori reservari, apud quem licebit & jura Ecclesiæ, & nostra proponere.* Porrò Ægyptii Episcopi ad Constantinum Imperatorem cum Sancto Athanasio non appellassent, si violanda fuisset ea appellatione Ecclesiastica Disciplina.

Confirmatur ex Libello contestatorio Mareoticorum Clericorum, in caussa Sancti Athanasii Præfectis oblato, quo se ad Imperatorem pariter provocare significant. *Quoniam*, inquiunt, *Theognius, Maris, Macedonius, Theodorus, item Ursacius & Valens missi ab Episcopis, qui Tyri in Concilium coierunt, ad nostram Parœciam profecti, dixere sese in mandatis habere, ut inquirerent in quædam Ecclesiastica facinora, & inter cætera de Calice confracto, cùm jam antea ad id Ischyram quemdam subornassent, quem secum adduxerunt, hominem minimè Presbyterum, tametsi eo se nomine jactitet, quippe ordinatum a Colutho quodam, non vero, sed imaginario Episcopo ...... Ea res in caussa est ut hoc testimonio utendum putaremus, vos religiosè adjurantes per omnipotentem Deum, & per Dominos nostros Constantinum Augustum, & liberos ejus illustrissimos Cæsares, ut hæc in cognitionem eorum pietatis referatis.*

Probatur quartò ex Rescripto Constantini, quod referunt Athanasius Apol. 2. & Socrates lib. 1. cap. 34. *Ego ignoro*, inquit, *quid sibi velint ista, quæ a Synodo per tumultum & potestatem judicata sunt. Mihi sanè videtur nescio quo pacto veritas per immodestiam opprimi, dum per vestram contentionem*

quam

quam invictam cupitis, ea quæ Deo placeat non considerati. Sed erit divina providentia officium, & explorare scelera istius contentiositatis, & explorata dissipare, vobisque clarè ostendere, quantam in vestro congressu veritatis curam habueritis, & an vestra judicia citra gratiam, & odium calcalam suum prompserint.

Et post nonnulla, *Ingredienti mihi cognominem & felicem patriam meam Constantinopolim, subitò Athanasius Episcopus in media via cum nonnullis aliis quos circa se habebat, ita inexpectatus occurrit, ut non levem mihi caussam admirationis praberet. Cùm autem ille se audiri postularet, & hoc recusarem, magna libertate nihil aliud postulavit, quàm ut vos huc evocari juberem, quò vobis præsentibus, quæ per vim passus esset, conqueri posset; quod cùm mihi æquum, & temporibus meis congruum videretur, scripto vobis denuntiatum volui, ut quotquot Synodum Tyri absolvistis, sine omni tergiversatione ad Prætorium nostra Clementia conveniatis, reipsa quantum sinceritatis integritatisque sit in vestris sententiis, eorum me ipso declaraturi.* Non suscepisset autem illam appellationem pientissimus Princeps Constantinus, nisi ad ipsius tribunal fuisset legitimè interjecta.

Probatur quintò. Principes sunt tutores, & defensores Canonum, ac vindices Ecclesiasticæ Disciplinæ: cùm itaque Canonibus vulnus aliquod infligunt Ecclesiastici Judices, ac Disciplinam violant usu diuturno firmatam; imò cùm peccant in ipsa juris naturalis principia, legitimum est ad Principem perfugium: Porrò violatos Canones, imò gravissimè peccatum fuisse in ipsa juris naturalis principia ab Episcopis Eusebianis, qui sententiam contra Sanctum Athanasium in Synodo Tyria dixerunt, superiùs probavimus. Itaque Sanctus Athanasius ad Constantinum Imperatorem legitimè appellavit.

Probatur antecedens. Reges tenentur procurare Christianæ Reipublicæ pacem, ac tranquillitatem, quà Reges Christiani sunt: atqui pax & tranquillitas Christianæ Reipublicæ procurari non potest absque executione Canonum, & Ecclesiasticæ Disciplinæ, ac multò minùs sine juris naturalis observantia: Reges itaque tenentur prospicere executioni Canonum, & observationi juris naturalis: ac proinde si illos infringant, illudque violent Ecclesiastici Judices, Princeps legitimè appellatur.

Major patet ex Apostolo 1. ad Timotheum 2. scribente: *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate.*

Probatur secundò idem antecedens ex illis verbis Psalmi secundi: *Et nunc, Reges, intelligite. erudimini qui judicatis terram, servite Domino in timore*, &c. Quæ verba hunc in sensum explicat Sanctus Augustinus, Epistolà 50. ad Bonifacium datà: *Quomodò ergo Reges Domino serviunt in timore, nisi ea quæ contra jussum Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo, atque plectendo? Aliter enim servit quà homo est, aliter quà Rex est. In hoc ergo serviant Domino Reges, in quantum sunt Reges, cùm ea faciunt ad serviendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges.*

Et lib. 3. contra Cresconium, cap. 51. *In hoc Reges, sicut eis divinitus præcipitur, Deo serviunt in quantum Reges sunt, si in Regno suo bona jubeant, mala prohibeant, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam quæ pertinent ad divinam religionem.*

Probatur tertiò idem antecedens ex S. Leone Epistolà 81. quæ data est ad Leonem Imperatorem, in qua ipsum his verbis alloquitur: *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed etiam maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam; ut ausus nefarios comprimendo, & quæ benè sunt statuta defendas, & veram pacem iis quæ sunt turbata restituas.* Et Epistolà 33. Sanctissimus idem Pontifex ait, *Res humanas aliter tutas esse non posse, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, & Regia, & Sacerdotalis defendat auctoritas.* Hinc Sanctus Isidorus Hispalensis, *lib. 3. Sententiarum*, seu *de Summo Bono*, relatus 23. Q. 5. *cap. Principes*, ait: *Cognoscant Principes sæculi, Deo debere se reddere rationem propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.*

Objicies. Appellatio ad superius tribunal deferri debet, atque ad judicem, cui conveniat auctoritas cognoscendi caussam qua de agitur, & eam finiendi. Atqui Tribunal Imperatoris non est superius Concilio, nec Principi sæculari convenit auctoritas cognoscendi caussam Ecclesiasticam, qualis est caussa Episcopi, ob violatos Canones, & ob crimina depositi. Itaque Sanctus Athanasius in Synodo Tyria damnatus, ad Constantinum Imperatorem legitimè non appellavit.

Probatur minor ex definitione limitum utriusque potestatis, Pontificiæ, & Regiæ, quam egregiè explicat Gelasius I. in Epistolà ad Anastasium Imperatorem. *Duo sunt*, inquit, *quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. In quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus Domino in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, quòd licet præsideas humano generi Dignitate, rerum tamen Præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis caussas tuæ salutis expetis, inque sumendis cælestibus Sacramentis, eisque [ut competit] disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine, potiùs quàm præesse .... Si enim, quantùm ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes Imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites; quo te decet affectu eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi Mysteriis?*

Respondeo ad minorem: Principi sæculari non convenire quidem auctoritatem cognoscendæ ac judicandæ caussæ, quæ merè Ecclesiastica est, in qua scilicet, de Fide, vel de Sacramentis agitur: sed hanc ipsi auctoritatem convenire contendo, cùm caussa non est merè Ecclesiastica, sed mixta; & agitur de cognitione criminum, in qua judiciorum publicorum ordo servari debet, ac non tantùm secundùm Canones Ecclesiæ auctoritate conditos & usu consecratos, sed maximè secundùm naturalis æquitatis præscriptum lis instrui, ventilari, judicari. In his enim caussis jus est Principis, qui Canonum tutor est, vindex Legum, custos æquitatis, judicare, utrùm ordo judiciorum servatus fuerit: utrum in vim ac tyrannidem non degeneraverit judicium: utrùm auditi testes, & tales, quales Leges admittunt: utrùm reo datus defensionis locus: utrùm judices legitimi nec suspecti, &c. Si autem in his peccatum sit, suspendere potest Princeps executionem sententiæ, donec novo judicio Ecclesiastico discussa sit, in quo nullus sit injuriæ locus, & omnia ritè fiant.

Hinc Gelasius in objectione laudatus ait. *Quantùm ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, legibus Principis parere ipsos Religionis Antistites.* In iis itaque quæ hunc ordinem spectant, superius est Tribunal Principis. Cùm igitur in Synodi Ty-

Tyriæ judicio contra Canones & Leges, contra naturalem ipsam æquitatem, multipliciter peccatum fuisset: ac Athanasium afflictis criminibus Eusebiani per calumniam oppressissent, poterat ipse Imperatorem appellare, ut executionem tam informis judicii prohiberet; poterat & Imperator hujusmodi caussæ cognitionem suscipere. Quod quàm æquum esset, ex usu perpetuo Ecclesiæ facilè ostendi potest, quæ recursum Ecclesiasticorum ad Principes sæculares in caussa violatorum Canonum probavit: cui recursui appellationes tamquam ab abusu in Galliis respondent. Sic S. Leo Theodosii junioris auxilium imploravit, ut Latrocinii Ephesini Acta rescinderet, aut suspenderet Decreto suo, donec Eutychetis, Flavianique caussa, necnon Dioscori violentum judicium, in Synodo numerosiori expendi possent. Sic Legati Apostolici in Concilio Calchedonensi de Canone 28. graviter expostularunt coram illustrissimis Judicibus, qui Marciani auctoritate Concilio aderant, ad Fidei & Canonum tuitionem, & ad eurandum ut judiciorum ordo servaretur: expostularunt, inquam, ac si per minas Anatolii Canon ille extortus fuisset. Prolatis utrinque Canonibus & Episcopis viritim se Canoni liberè consensisse profitentibus, Judices, de Concilii sententia, Legatorum petitionem repulerunt. Sic Zeno Imperator Petrum Moggum in Sedem Alexandrinam intrusum, Timotheo, quem Basiliscus Tyrannus per vim deturbaverat, adhuc in vivis agente, misso ad Anthemium Ægypti Præfectum Rescripto, depulit: ut refert Liberatus in *Breviario*, cap.16. Sic Adrianus, Thebarum Episcopus, a Diaconis suis, de pecuniariis criminalibusque capitulis accusatus, & ab Episcopo Larissæ Metropolitano suo damnatus, Mauritium Imperatorem appellavit; qui Honoratum Romanæ Sedis Diaconum & Apocrisiarium, & Sebastianum unom ex Magistratibus Imperii, ad caussæ revisionem delegavit: ac denique sua auctoritate judicium reddidit in articulo appellationis. Id refert, nec improbat Sanctus Gregorius Magnus, lib.2. Epistolà 46. ad Joannem Larissæum Episcopum datà. Sic Francofordiense Concilium Canone 6. statuit, ut si partes, post judicium Metropolitani, rebus judicatis non consentirent, caussam suam deferre possent ad Principem, cum relatione Metropolitani. Sic Leo 4. Pontifex Maximus Ludovico Imperatori arbitrium detulit, ut si quid a se incompetenter, id est, ultra fines jurisdictionis suæ actum esset, suo, Missorumque suorum judicio emendaret. (Apud Gratianum Canone, *Nos si incompetenter* 2. Q. 7.) Sic Sanctus Ludovicus Regum Christianissimorum Sanctissimus, expostulantibus Episcopis contra gravissimos abusus, qui in collationibus Beneficiorum irrepserant, collationes illas, provisiones, & dispositiones Prælaturarum, Dignitatum, & aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, in Galliarum regno, *Secundùm ordinationem juris communis, Sacrorum Ecclesiæ Dei Conciliorum, atque institutorum SS. Patrum* fieri decrevit, Edicto dato anno 1268. Sic Martinus V. Pontifex Maximus, jus tuitionis Canonum Christianissimis Regibus conveniens, ad possessionem Beneficiorum extendit Diplomate quod incipit, *Apostolica Sedis* dato anno 1431. Ex quo constat, ipsam Sedem Apostolicam approbasse confugium ad Regem in casu violationis Canonum. Recentiora exempla omitto. Hinc Joannes Parisiensis Theologus Ord. Præd. & hujus Academiæ tractatu *De Potestate Regia & Papali*, cap.22. scripsit, *Abusum gladii spiritualis, quo seditio excitaretur, repellendum esse per gladium temporalem Principis, cum moderamine*. Usus igitur Ecclesiæ perpetuus probat Sancti Athanasii appellationem a Synodo Tyria ad Constantinum Imperatorem, fuisse legitimè interjectam.

SCHOLION I.

Tota hæc Dissertatio, Religiosorum Censorum Judicio, *expungenda, ut tribuens auctoritatem Imperatoribus judicandi de rebus definitis in Conciliis.*

R. Ipsorum pace dixerim, hanc auctoritatem Imperatoribus non tribuo. Hæc propositio nullibi in operibus meis legitur, neque ex hacce Dissertatione inferri quovis modo potest. Non de Fide, non de Sacramentis, non de Sacris Ritibus, non de Ecclesiæ Disciplina in Synodo Tyria actum erat: neque verum ac legitimum erat Concilium, sed Conciliabulum, in quo lata erat contra juris naturalis ordinem in *Sanctum Athanasium* sententia, cujus innocentiam Ariani calumniis atrocissimis opprimebant, contra Canones, contra Disciplinam Ecclesiæ, contra Leges publicas omnia acta erant. Quamobrem legitima erat *Sancti Athanasii* ad *Constantinum* Imperatorem, Legum & Juris supremum tutorem & custodem, Ecclesiæque Defensorem Appellatio. Putantne Religiosi Censores *Sanctum Athanasium*, illique adjunctos Ægypti Episcopos, & Mareotidis Clericos injustè *Constantinum* appellasse? An existimant ignota illis fuisse Ecclesiæ Imperatorumque jura?

SCHOLION II.

In hac Dissertatione Religiosi Censores hanc Propositionem, pag.326. speciatim notant: *Principi sæculari, non competit jus cognoscendi caussas merè Ecclesiasticas. At verò quando agitur de violatione Canonum, de periculo perturbationis Regni etiam Romana Ecclesia agnoscit id fieri posse.*

R. Hæc exceptio, hæc verba, *At verò quando agitur de violatione Canonum*, mea non sunt; sed ita scripsi: *Cùm agitur de cognitione criminum, in qua judiciorum publicorum ordo servari debet ...... in his caussis jus est Principis, qui Canonum tutor est, vindex Legum, custos æquitatis, judicare utrùm ordo Judiciorum servatus fuerit, &c. Si autem in his peccatum sit, suspendere potest Princeps executionem sententiæ*, DONEC NOVO JUDICIO ECCLESIASTICO DISCUSSA SIT, *in quo nullus sit injuriæ locus & omnia ritè fiant.* Id fecit Constantinus Magnus in causa Sancti Athanasii ab Eusebianis in Conciliabulo Tyrio oppressi, & ad ejus tribunal confugientis; quod quàm æquum esset ex usu perpetuo Ecclesiæ facilè ostendi posse dixi, idque revera multis Historiæ Ecclesiasticæ Monumentis confirmavi.

ANIMADVERSIONES in illam Natalis propositionem: *Legitima fuit S. Athanasii de sententia Tyrii Conciliabuli ad Constantinum Imperatorem appellatio.*

CUM hanc appellationem Athanasii legitimam fuisse putet Natalis, & correspondere appellationibus ab abusu, quæ apud Gallos in usu sunt sentiat, ideo operæ pretium est hìc easdem appellationes ad examen revocare; ac deinde videndum quid de Athanasii ad Constantinum appellatione judicare æquum sit.

§. I.

§. I.

Appellationes ab abusu meritò & ab ipsis ex Gallia DD. respuuntur.

UT satis intelligatur quale appellationum genus hìc examinandum aggrediar, omittendum haud est Gallos duplicem distinguere appellationem. Primam, quam simplicem vocant, tunc intervenire affirmant, quando ab inferiori judice ad superiorem provocatur, non quia judicando ordinem omiserit, quem jus sive naturale sive positivum præscribunt, sed quia cum in inferioris judicis sententia injustitia contineri reputetur, emendanda superiori judici per hujusmodi appellationem exhibetur. Altera quam *ab abusu* appellant, tunc dari asserunt quando opponitur ecclesiæ judicem in judicando legitimum ordinem non servasse, ut si testes legitimos non audierit, non sufficientem reo defensionis locum consenserit, seu ipse Judex meritò potuerit recusari. In his similibusve casibus appellationum ab abusu Assertores dicunt integrum esse reo ab Episcopo, aliisve Ecclesiæ judicibus ad Principem appellationem interponere; utpote quia cùm sit tutor Canonum, vindex legum, æquitatis custos, & omnium protector, potest executionem suspendere, donec judicium, si opus sit, reformetur. Cæterùm non intra istos solùm cancellos appellatio ab abusu continetur, ut §. sequenti ex de Marca adnotabo. Audiamus modo quid & ipsi ex Gallia DD. de hujusmodi dixerint appellationibus ab abusu, quibus causæ, quas ecclesiæ tribunal judicavit, novo subjiciuntur examini in foro sæculari.

Aufrerius in Senatu Tolosano Præses *in addition. ad repetit. Clementina 1. de offic. ordin. reg. 2. n. 30.* se sæpe dubitasse dicit, *ubi fundari possent in jure appellationes ab abusu*. Petrus Rebuff. *super procm. Concordat. v. summus* asserit appellationes ab abusu solùm in iis casibus locum habere, in quibus Rex jurisdictionem a Papa delegatam habeat, vel a canone, vel in casibus dumtaxat a jure expressis, *alioquin*, ait, *& is abusus multos deducet ad inferos*. Scio D. de Marca *de concord. sacerd. & Imper. l. 4. cap. 19.* videri angustis nimis finibus has appellationes coercitas fuisse, quod tribuendum putat, quia ea solùm Rebuff fuerit scrutatus, quæ aliqui enerviter ad has tuendas appellationes scripsere. Sed id gratis dictum judico de Scriptore, cui cordi erat non relinquere absque præsidio suæ gentis consuetudines; quique ita asseruit accuratè tractans de appellationibus ab abusu super ipsamet rubrica regiarum constitutionum, ac publicè quæ sentiret in scholis tradidit. Auctor Tractatus *de jurisdict. eccles.* quem Clerus Gallicanus inter Acta sua retulit, ut videre est *tom. 1. cap. 9. ult. Collect.* postquam vehementer indoluit apud regia tribunalia has appellationes invaluisse, ita habet: *Omnium autem malorum, ac vulnerum ecclesiasticæ jurisdictioni ac disciplinæ illatorum, maximum est appellatio tanquam ab abusu; quæ ideo a Magistratibus est excogitata, ut ad se traherent quaslibet controversias, quarum judicium nullo pacto ad ipsos pertinet. Nulla enim omnino res est, cui prætendere non possint speciem abusus, ut ad se supplices venire compellant viros ecclesiasticos cujuscumque gradûs, & in servitutem redigant antiquam illam libertatem, quæ olim & ornamentum Franciæ conferebat, & orbi universo præbebat exemplum. Hinc superiori sæculo Ecclesia Gallicana decore spoliata est, atque auctoritate, ejusque disciplina labefactata. Quapropter metuendam est, ne respublica evertatur, quemadmodum videmus oppressam ecclesiam.*

Cosmas Guymerius in Senatu Parisiensi consiliarius, & præses inquisitionum *in præfat. Pragmat. sanct. §. Cum itaque v. libertatis*, postquam statuta, & consuetudines ecclesiasticæ libertatis læsivas ex utroque jure nullas demonstravit, atque ob diminutam, vel subtractam ecclesiasticam jurisdictionem non paucos judices excommunicatione innodari, ita ait: *Cùm autem Rex Franciæ sit pugil ecclesiæ, & inter omnes christianos christianissimus, debet custodire jurisdictiones, & libertates ecclesiasticas: sed Officiarii ejus in multis hodie turbant ecclesiam in prædictis, ita quòd, nisi Deus provideat, tandem jurisdictio, & libertates ecclesiæ evanescent.* Per has appellationes ab abusu nuncupatas eò tandem laicam jurisdictionem pervenisse, ut etiam causarum mere spiritualium cognitionem ad se traxerit, narrat Jacobus Duhamel *in opusc. inscrip. politia regia in personas, & res ecclesiasticas*, quodque habetur *tom. 1. Libert. Gallicar.* his verbis. *Si contra has regulas, edicta, constitutiones, & placita curiarum supremarum; si contra libertates, & immunitates regni; si contra sacra decreta, & concilia recepta in Gallia; si contra jurisdictiones regias, & temporales aliquid a judicibus ecclesiasticis fieri, vel attentari contigerit, remedium est appellatio quasi ab abusu. Idque non solùm de causis criminalibus, regiis, & privilegiatis intelligo; sed etiam de rebus civilibus, sæcularibus, & profanis, imo etiam spiritualibus, & sacramentalibus. Est enim appellatio quasi ab abusu via ad tribuendam Curiis Parlamentorum rerum spiritualium cognitionem, quæ aliàs non pertinet ad ipsas.* Has demum appellationes ab abusu, utpote ecclesiasticæ jurisdictionis omni ex parte injuriosas, sæpius proscriptas optavit Clerus Gallicanus teste Thomassino *Vet. & Nov. Discipl. p. 2. l. 3. cap. 150. n. 10.* quapropter in oratione habita ab Episcopo Ambianensi nomine Cleri ad Regem Christianissimum an. 1666. quæque habetur *tom. 5. Actor. Cler. Gallican.* inter alia hæc habentur: *Longe major oritur ex appellationibus tamquam ex abusu perturbatio, atque confusio. Novum est captionis genus, Galliæ ante postrema sæcula incognitum, cujus veneno non sunt infectæ reliquæ nationes christianæ.*

Et quidem ubi perpendatur qua ratione PP. ipsique Imperatores dixerint, ut expendi superiùs *pag. 9. & seqq.* non alios Judices, quam ecclesiæ Antistites ecclesiastica negocia admittere, non aliam fuisse inveniemus, nisi quia ecclesiastica jurisdictio nobilior laicâ abs dubio est, quapropter hæc corpori, illa animæ a PP. assimilatur. Quòd si ecclesiæ jurisdictio & ex PP. auctoritate, & quia nobiliorem finem intendit, sæculari quammaximè supereminet, statim dignoscitur eam, quæ est ignobilior, jus vindicare sibi non posse nobilioris acta novo examini subjicere. Atque huic rationi novum ex eo additur robur, quòd Ecclesiæ potestati numquam concedent appellationum ab abusu propugnatores inspicere, an laica potestas juxta æquitatis regulas sententiam pronunciaverit; sed illud servandum inviolabiliter dicunt, quòd contra inferiorem judicem solius superioris, Senatûs nempe, seu Principis, fas est auxilium implorare: & si neque hac via reparandæ injuriæ locus daretur, patienter injustitiam esse perferendam. At cur non licet tribunal ecclesiæ pro removendo gravamine adire? Non aliter possent respondere, nisi quia in rebus, quæ non sunt spirituales, potestas laica superiorem, cui illam emendare tribuatur, non agnoscit; vel nisi quia, ubi hæc aperietur via, potiùs incommoda multiplicarentur, quia e. g. lites nimis protraheren-

tur

tur &c. Hæ verò rationes tam aperte appellationes ab abusu rejiciunt, ut meritò tot Scriptores dixerint eliminandas. Si laica igitur jurisdictio in rebus non spiritualibus ecclesiasticam sibi esse superiorem non patitur, ac proinde quæ ipsa judicavit denuo inspicere, multò magis hæc, quia nobilior, laicæ imperium non debet admittere: sicut æquum non est corpus animæ vicem usurpare, ac pedem capitis officia. Quis verò non videat, quæ oriantur inconvenientia, ex appellationibus ab abusu? Fortasse hac via minus protrahuntur lites, quàm si a judice laico ad ecclesiasticam provocaretur? Fortasse minus periculi est laicos judices muneribus &c. excæcari, quàm ecclesiasticos? Nonne inconveniens non est ipsos ecclesiæ Pastores, ut coram sæculare tribunal se sistant, cogere, quò per appellationem ab abusu fuerunt vocati? Quis non ingemiscat, si ita etiam causæ purè spiritales ad judices sæculares pertrahantur, teste Jacobo Duhamel supra citato, quasi ecclesia nec in iis sibimet non sufficiat? Nemo etiam non videt facillimè his mediis justissima ecclesiæ præcepta eludi posse, eorumque executionem vel retardari, vel penitus impediri. Quapropter, si etiam ob vitanda quæ oriri possent inconvenientia, congruum naturæ rerum visum est, ut Ecclesia de judicis sæcularis sententia non cognoscat, profecto multò magis conveniens esset, quæ facit Ecclesia, judicem sæcularem revereri potius, quàm in novo judicio ad examen revocare.

Non infirmum etiam adversùs appellationes ab abusu ex ipsarum novitate desumunt argumentum: quippe si hoc medio juste declinare datum esset tribunal ecclesiæ, & sæcularis opem exposcere, non potuisset tamdiu ignotum remanere tot ex Gallia Jurisperitis, a quibus non solùm probatum non fuit, sed improbandum expressè judicarunt. Id videre est apud Petrum de Cuneriis, qui quamvis ecclesiasticæ jurisdictionis æmulus *art. 14.* ita ait: *Nullus a curia prælatorum appellat ad curiam regiam.* Mansferius *tit. de appellat. §. 22.* dicit: *a judice ecclesiastico non est appellandum ad judicem sæcularem.* Sed aliis omissis, animadvertendum Joannem Gallum regium advocatum, qui placita Senatûs Parisiensis usque ad an. 1414. per quæstiones digessit, quod hucusque dictum est variis Senatus-consultis demonstrare *q. 161.* ita dicendo: *Fuit ante longum tempus dictum per arrestum, dominum Jo: Lappostole non esse appellantem recipiendum ab officiali curia ecclesiastica Lingonensi ad Parlamentum; quia curia ecclesiastica non sortitur ad temporalem. Idem fuit pariter dictum contra dominum Guillelmum Creveil, qui ab Officiali curia ecclesiastica Lingonensis appellaverat ad Parlamentum.* Vult de Marca *l. 4. cap. 19. §. 5.* antiquus Jurisperitos loquutos de simplici appellatione, non de appellatione tamquam ab abusu. Verùm ex eo quòd hujusmodi appellationis species ipsis fuerit incognita, audiri enim cæpit apud Tribunalia, ipso D. de Marca fatente *loc. cit. §. 4.* initio sæculi decimi sexti, semper supra positum restauratur argumentum; putandam nempe a jure alienam hanc ab abusu appellationem, non etenim oculatissimis antiquis Jurisperitis latuisset, si illam ex jure naturali, vel divino eruere datum esset. Hinc fatendum est, quòd dum ab Ecclesiæ tribunale ad sæculare absque ulla exceptione appellationem dari non posse unanimiter affirmant, omnem excogitabilem excludunt appellationem, ea semper invicta ratione nobiliorem jurisdictionem ignobiliori non esse subdendam; eò maximè quòd hæc alterius judicium, & examen undequaque respuit.

§. II.

Respondetur iis, quibus appellationes ab abusu a jure alienas non esse sustinetur.

EX duplici capite videtur Natalis, qui his patrocinatur appellationibus, eas defendere, nimirum quia Principes canonum sunt custodes, & executores; & quia aliena vi oppressos tueri tenentur. Sed quod attinet ad primum caput, nullus, ut puto, negabit ad eamdem ecclesiam pertinere pro suarum legum executione insistere. Si negare quis non audeat ecclesiæ potestatem ferendi leges, ei utique etiam concedendum exequi quod suis legibus cautum est; etenim adeo inutila visa est sola potestas rogandi leges, absque potestate animadvertendi in transgressores, ut utramque secerni posse nulli umquam visum sit. Ita Judici, cui data sit jurisdictio, id quoque concessum intelligitur, sine quo, ut ait Javolenus explicari non potest: *l. 2. ff. de jurisd.* unde non obtemperantes potest punire, carceri tradere, sicut & in possessionem rei mittere, manu militari rem auferre &c. ut omnibus Jurisperitis compertum est. Ob hanc rationem ipsa ecclesiastica collegia, quamvis subjecta, possunt suorum statutorum contemptores multis quamvis modicis pænis coercere. Ita etiam viro privato, cui mandata sit jurisdictio, imperium, quod merum non est, mandatum intelligitur, ut enim Paulus ait, jurisdictio sine modica coercitione nulla est: *l. ult. ff. de offic. Jud. cui mand. est jurisd.* quod probans Innoc. III. *cap. pastoralis de off. Jud. Deleg.* dixit: *Jurisdictio illa nullius videretur momenti, si coercitionem aliquam non haberet.* Hanc propterea potestatem omni ævo sibi ecclesia vindicavit; unde cùm tam sub ethnicis, quàm sub christianis Imperatoribus plures tulerit canones vel ad animarum salutem, vel ad ecclesiarum earumque ministrorum regimen, varias etiam pænas in transgressores sancivit; atque ita ipsas primas ecclesiæ synodos legimus ecclesiasticorum canonum executionem promuvisse, episcopos ipsos, & clericos suo gradu movendo, ab ecclesiæ communione secernendo, aliisque etiam pœnis inobedientes coercendo. Nec considerare referret in Regnis ac Rebuspublicis id dari posse, ut alii ferant leges, alii verò urgeant executionem; nam ultraquamquòd id nullatenus probet utramque potestatem in eodem regimine secerni, ii etenim quibus commissa esset executio vel jure proprio, vel ex commissa sibi potestate agerent, & ita in eodem regno, ac republica utramque potestatem conjunctam conspiceremus, adhuc de ecclesiæ potestate diversimodè loquendum foret. Ubi igitur utramque potestatem secretam in aliquo regno, vel republica videremus, id factum esset quia liber populus Principi auctoritatem tribuendo voluisset alios a Principe legum ab ipso latarum executionem promovere; sicut etiam liberi cives potuissent in Republica ita officia secernere, ut pro executione, quæ ad omnes pertineret, aliqui duntaxat instarent. Verùm cùm Ecclesia a Deo suam potestatem jurisdictionemque obtinuerit, nec ullibi legatur suarum legum executionem aliis demandare debuisse, fateri oportet in ea, ut natura rerum exposcit, indivisam esse ferendarum legum, earumdemque executionem promovendi potestatem; cùm semper nullius momenti habita sit potestas, quæ cogere non possit ad suis mandatis obtemperandum.

Quòd si hæc vera sint, cur (aliquis exposcet) Principes canonum constituti sunt custodes, & exe-

executores? Hoic verò interrogationi respondendum evenire posse, ae non semel evenisse, ipsammet ecclesiam obtinere non posse, quod latis legibus, vel pronunciandn in aliquem sententiam intendebat. Hinc aliquando episcopi in justam pœnam gradu moti locum cedere renuerunt, ac hæretici ab ecelesia proscripti non solùm hæresim non ejurarunt, sed & io suis falsis dogmatibus disseminandis perseverarunt. Cùm igitur ecclesia hos compescere non valeret, Principes ab eadem in auxilium acciti, majoribus quibus pollebant viribus, ecclesiæ canonum, latarumque sententiarum executionem promovere tenebantur. Ita Valentinianus sua lege sancivit, ut episcopi renuentes romano Pontifici obedire, dum illos Romam vocaret, a provinciarum Præfectis Romanum Pontificem convenire cogerentur: *Novel. Valeat. in t.4. Conc. edit. Venet. p.646. & in appendic. Cod. Theodos. tit.24.* Justinianus & ipse legem rogavit, qua jubebatur ne episcopus sententiâ episcoporum in ordinem redactus, hujusmodi sententiæ contradicere auderet, ac Monasterio in regione extra suam diœcesim constructo traderetur, ibi acturus pœnitentiam: *Novel. 123. c.11.* Similem legem etiam tulere Areadius & Honorios, ut videre est *l. quicumque 14. C. de epis. & cleric.* Ad hoc etiam officium spectat Principes tot pænas in hæreticos decrevisse; eùm etenim ecclesiæ vocem non audiant, ejusque spirituales pçnas contemnant, Principum vi solummodo illos compescere dabatur. Nec tantum latis legibus huic muneri Principes satisfeceruut, sed & re ipsa; unde Fleury *disc.7. super hist. eccl. n.3. & 4.* id non destitit adnotare, ut constat ex ipsius verbis latine redditis: *Quamvis*, ait, *ecclesia lateâ potestate pro exercitio suæ jurisdictionis non indiguerit, attamen suppetias recipere non renuit ab ethnicis licèt principibus ferendas. Id nescimus in causa Pauli Samosateni ab Antiochena sede dejecti, eamque, regina Zenobia protegente, retinentis, nam Imperator Aurelianus Christianorum precibus ab episcopali sede extradit. Hoc Principum patrocinium christianis Imperatoribus frequens fuit, vi contumaces ad obediendum sacris canonibus compellendo. Ita Arium a PP. Nicænis condemnatum proscripsit Constantinus, ejusque scripturas igni tradi voluit, easque clam conservari sub pœna capitis vetuit. Eadem in Nestorium sancivit Theodosius. Atque hic alter status est ecclesiasticæ jurisdictionis, quo nimiram a Principibus patrocinium consequi capit.*

Hæc itaque concedenda, ut quæ ecclesia vi sua obtinere non potest, Principes sua potestate ad ecclesiæ obtemperandum cogant; propterea S. Leo ep.81. ita Leonem Imperatorem alloquitur: *Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed etiam maximè ad ecclesiæ præsidium esse collatam.* Id jam adnotaveram in Animadversionibus post caput II. historiæ sæculi IV.; sed juvat hìc Isidori Hispalensis verba repetere: *Sub religionis*, ait l.3. de Sum. Bon. c.51. *disciplina sæculi potestates subjectæ sunt. Principes sæculi nonnunquam intra ecclesiam potestatis adepta culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Cæterùm intra ecclesiam Potestates necessaria non essent, nisi ut quod non prævaleat sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, Potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem.*

Verùm quod attinet ad vulgaria judicia, quid opus est Principum ministerio? Et si fortasse ejusdem indigerent, judices ecclesiastici exposcerent, iisque exposcentibus, Principes, qui canonum custodes sunt & executores, præstò esse debent. Et quando etiam Judices ecclesiastici in canones peccarent, cùm ipsi canones mandaverint Superiorem esse adeundum, qui illatas injurias corrigat; si Principes velint esse canonum custodes & executores, in hoc incumbere debent, ut qui de inferioribus judicibus jure queruntur, ad superiores ecclesiæ judices confugiant.

Interim hìc monitum velim lectorem cavendum esse a Petro de Marca, qui fortè cognoscens Principes non esse canonum proximos executores, atque id munus ab eis præstandum, ubi Ecclesia ipsorum auxilium imploret, dixit *l.4. c.7. n.6.* Principes, etsi canonum executores non sint, *attamen exactores esse debere*. Verùm, ni mea me fallat opinio, iste auctor verbis ludit. Sane illud est canonum Executoris officium, ut quod canones ipsi præcipiunt, omnino observetur: *arg. l. executorem 8. C. de execut. rei judicat.* Cùm verò executionem *exigere*, nil aliud sit quàm velle canones suo effectu non frustrari, quod, quæso, discrimen adinvenire est inter hoc quod Princeps sit canonum vel executor, vel exactor? Si proinde ad Principem, ejusque judices canones exequi non spectat, tum quia cuilibet reipublicæ id juris tribuendum, ut ipsa suarum legum executioni incumbat, tum quia Princeps non debet quæ potestatis ecclesiasticæ sunt, sibi tribuere; neque ad ipsum pertinet canonum exequtionis esse exactorem. Quòd si exemplo velimus rem ipsam sub oculos ponere, palam fiet, admissis appellationibus ab abusu, ipsos dumtaxat Principes fieri canonum executores, Judices verò ecclesiæ executionis tantùm ministros. Demus e. g. latâ ab ecclesiæ Judice inter duos clericos sententiâ, alterum appellare ab abusu, quia affirmat contra receptos canones peccare. Si tunc Princeps, vel ex ipsius auctoritate inferior Judex abusum intersuisse pronunciet, certe nil aliud præstat quàm cogere, ut Judex ecclesiæ sacris canonibus obediat, atque in integrum restituat quidquid in legem actum est. Quid est autem exequendi potestatem, sive, ut ajunt, executivam habere, nisi posse ad obediendum eos compellere, quibus lata lex est? Interim verò dum Princeps totum executionis munus sibi assumit, ecclesiæ Judices executionis vult tantùm esse ministros, ab eisdem canonum executionem exigendo.

Quod attinet ad alterum caput, ad defensionem scilicet, quam etiam clericis Princeps potest impertiri, si opprimantur, obvia est responsio. Illud igitur animadvertendum non aliud agere posse, qui aliquem defendit, quàm quod agere ipsi oppresso liceret, si viribus polleret; nam illum defendens defensi juri innititur. Sicut verò unicuique conceditur præsentem injustam vim vi repellere, ut dum quis gladio petatur, vel velit aliquis rem ipsius ab illo auferre; ita post inflictum vulnus, vel post rem ablatam nemini licet sibimet jus dicere, civium enim salus reipublicæ Moderatori commissa est, ne si quisque sibi jus diceret, vel injurias ulcisceretur, quies publica turbaretur: *l. non est singulis 176. ff. de reg. jur. l. nullus 14. C. de Judic.* Si proinde non licet civi injuriam jam passo ab altero cive vim adversùs illum adhibere, seu aliorum etiam auxilium implorare, sed debet, ut sibi consulat, superiorem judicem adire; multò minus id præstare valet sæculi adscitis viribus adversùs ecclesiæ tribunalia, a quibus injuriam passus esset, sed debet a superiore ecclesiæ judice expetere, ut ab eo, quod inferior male gesserit, corrigatur. Idem dicendum non solùm si agatur de injuria jam illata resarcienda, sed & si de injuria inferenda sermo sit, ut dum Judex, spreto juris ordine, aliquem a sua possessione dejiciendum cogitet. Cùm & in hoc casu remedium a sacris canonibus constitutum illud sit quòd injustitiam sibi inferendam timens, appellet

su-

ſuperiores eccleſiæ judices, tunc etenim non amplius locum habet executio, ut ex *cap. 16. & 55. de appellat. & cap. 7. eod. tit. in 6.* non valet extraneam vim contra eccleſiæ judicem adhibere. Illud addendum quòd quamvis de injuſtu damno, quod impediri, nec deinde reparari poſſit, agatur, difficile permittendum eſt, ut quiſque vel propriis, vel adſcitis viribus Judici ſe opponat, ſemper etenim verum eſt non pati cujuſcumque reipublicæ conditionem ut cives ſibi jus dicant, vel remedia, quæ leges non docuerint, adhibeant: potius etenim alicujus particularis civis damnum permittendum eſt, quàm legum canonumque mandata omittendo, bono publico officere. Et quidem facilè tunc quiſquis ſibi manifeſtam injuſtitiam illatam judicaret, atque ita cum magna reipublicæ perturbatione ſuperiora tribunalia non adeundo, in Judicem inſurgeret: *Puffendorf. de jur. nat. l. 1. c. 5. §. 16. & 17.* Sed & conſulendi Theologi ſcribentes in propoſitiones 17. & 18. ab Alexandro VII. damnatas. Quòd ſi Princeps ſuo civi non permitteret, ut conſuetis juris remediis omiſſis, ab eccleſia remedium expoſceret, ut injuriam ſibi a ſæculari Judice illatam redimeret, cur quæſo clericus licitè opem ſæcularis judicis expoſtulabit, ut ita ſententiæ emendationem ab eccleſiaſtico judice conſequatur, quando ſacri canones jubent id a ſuperiore eccleſiaſtico tribunale expoſtulandum? Ipſe Petrus de Marca *de Concord. l. 4. c. 20. n. 4.* fateri videtur appellationes ab abuſu ſub defenſionis obtentu ſuſtineri non poſſe, *non expectata Metropolitani, vel ſummi Pontificis cognitione, qui res contra canones ab episcopis judicatas emendare potuiſſet*. Quamvis autem aliter agendi praxim inniti dicat *fori triturâ*, & ut celeriùs lites abſolvantur, nihilominus non video cur ab eadem eccleſia aptior modus abſolvendi lites non eſſet expetendus, ſi nimis longa via eſſet, quam ſacri canones calcandam volunt: & eò magis quia cùm Judex laicus de abuſu cognoſcens, non debeat de negotio eccleſiaſtico ſententiam ferre, ut ait ipſe de Marca *loc. cit. n. 2.* hoc remedio lites potiùs protrahi mihi videntur.

Reſtat videre quid clerico agere fas ſit, ſi ſuperiora eccleſiæ tribunalia ab ipſo appellata judicis inferioris vim non comprimant. In hoc autem caſu, ſi quorumdam Gallorum placitis adhærendum eſſet, nempe M. Nicol. Eſſais *de Moral. vol. 5. de la Grand. p. p. cap. 5.* cum quibus ſentit Grotius *de jur. bell. & pac. l. 1. c. 4. a n. 5.* appellationes ab abuſu forent omnino reiciendæ. Cùm etenim doceant ſuperioris vim vi retundi non poſſe, ac patienter illatam injuriam ſuſtinendam, dicere oporteret æquum eſſe credere eam, quam expoſcunt in laico erga ſuum Principem patientiam, potiore jure in clerico deſiderare. Sed demus & ipſius ſummi Pontificis vim vi poſſe repelli, ut etiam docent Anton. Charlas *de Libert. eccl. gallic. l. 2. c. 3.* ac Duvallius *de ſup. rom. Pontif. in eccl. poteſt. p. 4. q. ult.* certum eſt nullum poſſe adversùs ipſum Principis defenſionem implorare, niſi ſequentia concurrant. Oportet primò abuſum eſſe *apertiſſimum, notorium, & manifeſtum juxtà veterem harum appellationum formulam, quæ, (ab abuſu notorio) inſcribebatur*, ut fatetur ipſe de Marca *l. 4. c. 50. §. 2.* & jam adnotaverat *Fevret c. 2. §. 5.* Oportet deinde quòd Pontifex certior redditus ſuâ ſententiâ vel mandato aliorum jura violaſſe, nolit a ſua ſententia, vel mandato recedere, iniquum etenim eſſet extraneam opem implorare, quando ipſe Pontifex alterius læſum jus in priſtinum vellet reſtituere. Id autem æquum eſt credere ſemper perſtiturum, ut enim ait S. Bernardus ep. 180. *Apoſtolica ſedes hoc ſolet habere præcipuum, ut non pigeat revocare, quod a ſe forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum*. Oportet demum ne ex reſiſtentia Pontifici facta reipublicæ chriſtianæ tranquillitas perturbetur, debet etenim privatus vir non ſolùm rerum ſuarum, ſed & ipſius vitæ jacturam pati ne publico bono officiat. Verùm, ut obſervat Antonius Faber *l. 7. in Cod. tit. 28. definit. 18. n. 3. in alleg.* hic appellationum uſus *plerumque magnas inter utriuſque juriſdictionis magiſtratus rixas, interdum etiam tragœdias excitat: non ſine magno totius reipublicæ chriſtianæ & ſcandalo & detrimento. Quam ob cauſam fuit hæc appellandi ſpecies antiquis omnibus Jure conſultis incognita*. Cæterùm ſi præfatæ concurrant conditiones, adverſus eccleſiam Principis opem expoſcere fas eſſe dixi in Animadverſionibus poſt caput 2. hiſtoriæ ſæculi 4. §. 3. quamvis ſi in hoc tantùm caſu appellationes ab abuſu probentur, vix una aut altera vertentibus pluribus ſæculis audiretur.

At quia non ſolùm ob non ſervatum juris ordinem, ſed etiam putet de Marca *l. 4. c. 20. n. 1.* locum eſſe appellationi ab abuſu, *ſi conſtanti uſu recepti canones, vel inveterata conſuetudines, adjecta in fundandis beneficiis conditiones, privilegia eccleſiis legitime indulta, vel cætera, in quibus libertates eccleſiæ Gallicanæ conſtitui ſolent, violantur*, ſeu pariter, ut habet n. 6. ſi regiæ conſtitutiones violentur, *quæ aut canones confirmant, aut de beneficiis decernunt, aut litium inſtituendarum tam in cauſis civilibus, quàm criminalibus ordinem* præſcribunt, juvat adhuc in hujuſmodi appellationibus examinandis immorari. Et primò obſervo ipſum de Marca *c. 19. n. 5.* affirmare a judice eccleſiaſtico numquam dari *ſimplicem & meram appellationem* ad judicem laicum, quia hic non poteſt litem ipſam decidere, & dirimere, ſed tantùm pronunciare an judex eccleſiaſticus ſuâ abuſus ſit poteſtate. At quid eſt ita pronunciare, niſi dicere judicem eccleſiæ dixiſſe ſententiam adversùs canones receptos, conſuetudines, privilegia? Ita expreſsè habetur ex citato de Marca. Ubi ergo Judex laicus pronunciet judicem eccleſiæ abuſum eſſe ſua poteſtate, tacitè ſaltem litem dirimit, cùm declaret illius ſententiam in canones, receptas conſuetudineſque peccaſſe. Cùm prætcrea difficile ſit aliquam adinvenire cauſam, in qua victus ſub prætextu violatorum canonum, receptarumque conſuetudinum non valeat appellationem ab abuſu interponere, eò redacta res eſt ut *omnes quotquot appellare poſſunt, poſſint etiam provocare tamquam ab abuſu, quod eſt ridiculum. Eſt enim hæc appellationis ſpecies omnium odioſiſſima, tanquam quæ exprobret ei a quo appellatur, quòd abuſus ſit ſua juriſdictione, adeoque numquam niſi ex neceſſitate eſt permittenda*, ait Faber in Cod. l. 7. 28. defin. 3. n. 2. in alleg. Quid refert ergo dicere numquam Judicem laicum poſt judicium eccleſiæ ſimplici appellatione appellari, quoties difficile excogitare ſit caſum, in quo appellatione ab abuſu adiri non poſſit? Expendamos modò quas de Marca rationes affert *c. 20. n. 3.* pro appellationibus ab abuſu vindicandis.

Dicit igitur ex cauſa ſcandali & offenſionis publicæ laicam poteſtatem de judiciis canonicis cognoviſſe. Verùm ſuppoſito ſcandalum juſte oriri non poſſe niſi ſententiæ a judice eccleſiæ latæ aperta ſit injuſtitia, inquiro an meliùs ſcandalum auferatur, ſi hæc ſententia a ſuperiore eccleſiæ judice, quàm a judice laico corrigatur? Et quidem, ſi judex laicus ſententiam eccleſiaſtici judicis vel corrigere, vel proferendam impedire aggrediatur, jam ſi cauſa criminalis ſit, dum in curia laica de ea aperte judicium inſtituatur, clericorum facinora magis apud ſæcu-

li

li personas innotescunt, quod sane non est removere scandalum, sed augere. Sed & dum id muneris judex sæcularis sibi arrogat, videtur tacite dicere etiam superiores ecclesiæ judices, ad quos juxta canonicas sanctiones pertineret, tales esse, ut nolint apertam injustitiam removere, quod non sine communi esset offensione. Quòd si superior ecclesiæ judex injustam latam sententiam corrigat, iniquæ sententiæ magis quàm necesse sit non vulgabitur cognitio, undèque apparebit Superiores ecclesiæ semper hujusmodi sententiis refragari; atque ita fiet scandalum, si quod fuerit, removeri. Prudentissime itaque Justinianus *Novell. 83. c. 1.* ita ait *Si ecclesiasticum sit delictum egens castigatione ecclesiastica & mulctâ, Deo amabilis episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis provinciæ judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino scire civiles judices. Cùm oporteat talia ecclesiastice examinari, & emendari animas delinquentium per ecclesiasticam mulctam secundùm sacras & divinas regulas, quas etiam nostra sequi non dedignantur leges.* Sed & videnda quæ dicam in Animadversionibus de appellationibus ad romanum Pontificem post dissert. 28. sæcul. 4. Quòd si scandalum tale esset, ut illud ecclesia removere non valeret, eadem ecclesia Principum opem implorabit; unde non solùm removebitur scandalum, sed omnes de ecclesiæ Præsidibus bene loquendi argumentum capient.

Addit de Marca *loc. cit.* judices sæculares iterum de judiciis in ecclesia latis agnovisse causa tuendi clerici, vel episcopi oppressi. At quoad illud caput videnda quæ supra dicta sunt.

Ut verò nil omittat, quod sibi videtur ostendere sæcularem jurisdictionem posse ad ecclesiæ judicia se extendere, quædam etiam affert *d. cap. 20. n. 6.* ex S. Gregorio, Hincmaro &c. quibus docemur irrita tunc fuisse ecclesiæ judicia, in quibus contra Imperatorum leges actum esset. Ultrò id fateor; at verum id non erat quia Imperatorum esset leges ferre pro ecclesiæ judiciis dirigendis, qua de re legenda quæ dixi in Animadversionibus post caput 2. hist. sæculi 4. sed quia cùm nondum ecclesia sibi proprias leges tulisset, Principum leges judiciis instituendis accomodatissimas sibi adoptaverat. Hujus rei signum evidens est, quòd si hujusmodi non servabantur leges in sententia proferenda, non erat adeundus Imperator, quasi ipse potuisset ecclesiam ad suas leges servandas adstringere, sed post episcopi sententiam appellandum erat concilium provinciale, sive Metropolitanus, sive Patriarcha &c. sicut & a conciliorum sententiis summus Pontifex, ut constat etiam ex epistola S. Gregorii quam citat de Marca *§. de persona Stephani*, & uberius dicam differendo de appellationibus. Imò tunc temporis Principes loco suspendendi judicia ecclesiæ ob appellationem judicis laici, volebant episcoporum sententiam inter ipsos laicos latam irrefragabilis esse firmitatis, unde Sozomenus *l. 1. hist. c. 9.* scripsit *Episcoporum sententiam ratam esse, & aliorum judicum sententiis plus habere auctoritatis, tanquam ab ipso Imperatore prolatam &c.* Consulendus Thomassinus *Vet. & Nov. eccl. disc. p. 2. l. 3. c. 103. & seqq.* Iis addendum lapso Imperio ipsius etiam leges jacuisse; unde sicut particularia Regna, particularesque Principatus sibi proprias leges tulerunt, ita & præstitit ecclesia ut videre est in Decretalium libris, unde libro secundo habentur leges pro ecclesiasticis judiciis instituendis, ubi etiam quædam Imperatorum leges corriguntur. Ipsi laici ut fatetur de Marca *in fin. cap. 20.* a Decretalium canonibus modum judiciorum instituendorum didicerunt, & in sua transtulerunt Prætoria, quod & scripsit Fleury *p. 3. Instit. can. jur. c. 4.* Cùm igitur ecclesia, prout sibi expediens judicaverit, a sæculi legibus (quas tamen, ut dixi, nonnisi quia & ipsa probaverat, observavit) se exemerit, atque in sua per plura sæcula steterit libertate, potissimum in Gallia, ut observat Thomassinus *Vet. & nov. eccl. discipl. p. 2. l. 3. c. 110.* nescio quomodo tam diuturna, tam justa ab ecclesia sibi asserta libertas externis legibus jure potuerit violari.

Demum de Marca appellationes ab abusu admittendas docet, quoties jurisdictio sæcularis violaretur; cùm etenim ipsa ecclesia nolit laicorum jura ab ecclesiasticis invadi, ut ex *can. 42. Conc. Later.* jure naturalis defensionis dabitur hujusmodi appellationibus eadem tueri. Et quidem puto eas primò adinventas ad propriam jurisdictionem conservandam, ut colligo ex Fabro *in Cod. loc. cit. defin. 1. & seqq.* At convenientiùs videretur, si moneretur ipse judex ecclesiasticus, qui incaute sæcularem jurisdictionem læsisset, ut res in integrum restitueret. Quòd si concedamus judici sæculari illatam ab ecclesiastico vim vi repellere, cur non concedendum etiam ecclesiæ quibus potest viribus propriam servare jurisdictionem, dum a laica læderetur potestate? Si ecclesia regnis comparata se habet ut anima respectu corporis, ut observavi in Animadversionibus superiore §. citatis, si summus Pontifex regum Pater est, eorumque mater ecclesia, quo nomine Basilius Imperator ecclesiam romanam appellabat apud Fleury *hist. eccl. l. 51. n. 26. §. les Legatos*, nulla ratio est ut ea, quæ nobiliori potitur potestate, ab ignobiliore expectet ut sua jura sarta tectaque conserventur. Et tamen de Marca *d. c. 20. n. 5.* & Fleury *instit. can. p. 3. c. 24. t. 2.* asserunt judicem laicum ecclesiæ jura invadentem ab aliis regni judicibus esse cohibendum. At cur id asseruere? Quia cum potentiore certandum non est, cùm exinde majora mala in grave publici boni detrimentum soleant oriri. Verùm id non probat juris non esse ecclesiæ suam tueri potestatem, sed dumtaxat hoc jus multoties non esse prosequendum, quando nempe ex ejus prosequutione mala valde graviora imminerent. Ita jus habens res suas adversùs grassatorem defendendi ab hoc jure abstinet, si ex defensione pejora se passurum cognoscit. Videtur etiam de Marca harum controversiarum judex Princeps esse debere, quia ad ipsum spectat favere ecclesiæ, ejusque paci consulere: atque ita concedit laicæ potestati limites ecclesiasticæ imponere jurisdictioni. Quis, quæso, hujusmodi probabit consectarium? Ita sancitum putat a Justiniano *Novel. 123. c. 21. §. 1.* nam ibi decernit, quòd si judex laicus & episcopus in eamdem sententiam adversùs clericum ferendam non conveniant, negotium ad ipsum referatur. Id ipsum confirmasse scribit Carolum M. ejusque filium Ludovicum, volentes ad ipsos referendas esse controversias, quas Episcopi, & Proceres componere non valerent. At observare de Marca debebat non actum ab iis de controversiis, quæ ad jurisdictionem spectarent; neque unquam sancitum a laicis Principibus sententiam expectandam, ut dignosceretur quousque ecclesiæ potestas se extenderet. Animadvertendum proinde Justiniani ætate clericos pro criminibus, quæ non dicebantur ecclesiastica, non fuisse prorsus immunes, ut observat etiam Thomassinus Vet. & Nov. eccl. disc. p. 2. l. 3. c. 103. & seqq. & habetur *ex cit. Novel. c. 21.* ubi habetur clericum & apud episcopum & apud laicum judicem potuisse ab accusatore advocari. Si poterat ergo clericus ad judicem laicum rapi, cujus tamen sententiam probare debebat episcopus, consequens erat ut etiam Princeps posset sententiam dicere, dum episcopus laico judici non consentiret.

Affert tandem de Marca eanonem *Nos si incompetenter* 41. 2. q. 7. quo Leo Papa Ludovico scribens ita ait: *Nos si incompetenter aliquid egimus, & subditis justa legis tramitem non conservavimus, vestro, ac Missorum vestrorum volumus emendare judicio.* Sed primò credo falsò laudatum canonem præfato adscribi Pontifici, non solùm quia Gratianus multis pseudocanonibus suam syllogem inserfit; sed etiam quia in nulla Leonis IV. epistola citata verba leguntur. Pręterea verba hujusmodi id innuere videntur, quòd Leo apud Lodovicum accusatus eadem se defensurus seriberet; cujus accusationis seu defensionis neque Auctor Vitæ Leonis, neque alter eorum temporum scriptor meminere. Potiùs ergo putarem illa verba Leoni III. eonvenire, qui, ut refert Anastasius in Vita ipsius voluit sponte coram Carolo M. Episcopis, & Proceribus suam vindicare innocentiam, cui tamen responderunt Episeopi: *Nos Sedem Apostolicam, qua est eaput omnium Dei ecclesiarum, judicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes & Vicario suo judicamur, ipsa autem a nemine judicatur, quemadmodam antiquus mos fuit: sed sicut ipse summus Pontifex consuevit, jubeat eanonicè, obediemus.* Sed esto sint verba Leonis. De re loquutum ecclesiastica gratis diceremus; neque etenim quid sibi in negociis ecclesiasticis conveniret ignurabat Pontifex, neque il'us ævi Principes judicia ecclesiastica emendandi potestatem obtinere sibi unquam suaserunt. Potiùs ergo eredendum cives romanos de Leone quoad jus, ut par erat, nnn redditum conquestos esse, cùm, ut nonnuliis placet, tunc temporis dominium apud Pontificem æque ac penes Reges Galliæ staret; a qua accusatione ut se Pontifex tueretur, Missos credere est expostulasse, & Ludovicum eosdem se missuros asseruisse, ut etiam ex ejus legibus possumus intelligere. Hæc si ita essent, perperam sane inferremus contentiones de jurisdictione ecclesiastica ad Principem pertinere. Observatum tandem hìc volo noluisse Pontificem ipsos Missos suas sententias corrigere, sed tantùm dixisse, quòd, dum ei ostendissent non satis æquè judicasse, se ex ipsorum judicio male judicata emendaturum; unde non ait *volumus ab ipsis emendari*, sed *volumus emendare.* Plura dicere res non postulat, cùm de jurisdictionis controversia non ageretur, cujus judicium dixisset Pontifex Principis esse debere.

§. III.

Expendantur exempla, quæ pro defendendis appellationibus a judice ecclesiastico ad sæcularem refert Natalis.

ANtequam hujusmodi examen aggrediar, duo duxi observanda. Primum est semper in maximo errandi versari periculo illum, qui ex factis quid juris sit velit stabilire. Hanc viam ingressus est Petrus de Marca, ut ex ipsius admonitione ad Lectorem *art.* 2. Vidit nihilominus, quę oriri possent incommoda, dum hac ratione detegere veritatem quis præsumat, quamvis ea a se declinanda speraret: *Attamen*, ait, *dissimulandum non est viam istam publicam multis insidiis, & veluti latronam prætenturis expositam esse: quia scilicet in expansa illa sæculorum serie varia occurrunt exempla hinc & inde usurpatæ jurisdictioni, quæ ancipitem animum ad desperationem inveniendæ veritatis adigant.* Non diffiteor exempla juris regulas evadere posse, quoties quæ acta sunt, vel omissa, jure adsavente, vel etiam, ut ita dicam, impellente acta, vel omissa posset demonstrari. Ita facilè judicandum de eis, quæ gesserunt viri sanctitate eximii, unàque doctrinâ conspicui; etenim suæ potestatis fines non ignorant, eosque prætergredi religioni ducunt. At ita sane credendum non est, ubi vel ex rerum inscitia, vel ex propria, seu aulicorum malitia aliena aliquem invasisse inverisimile non sit: quapropter optimè sancitum est non exemplis, sed legibus esse judicandum *l. nemo judex* 13. *ff. de sent. & interloc.* Audiendus etiam Jo: Major *in* 4. *sent. dist.* 24. qui certe in dimetienda sæculari potestate non fuit illiberalis: *Ex talibus*, ait, *factis singularibus, quæ ex devotione ad Ecclesiam, & non debito juris fiunt, non est trahendum aliquid in consequentiam, quemadmodum nec ex multis aliis. Ut ubi Imperatores elegerunt Maximos Pontifices, similiter quòd aliqui Maximi Pontifices depositi sunt per Imperatores. Et sicut recitat historia ecclesiastica, multi sacerdotes apud Constantinum magnum querelas suas deponebant. Ex quibus nullum sumi potest argumentum.*

Secundò observandum multa Principes egisse, ipso Pontifice, & ecclesiæ præsulibus exposcentibus, ut suadent plura exempla, quæ ipse Natalis refert in responsione ad objectionem in secundam propositionem. In iis planum est Principes jure proprio nihil præstitisse, sed ecclesiæ tantùm ministros, ae defensores se demonstrasse: & hoc facere tenentur, ut docent S. Leo, & S. Isidorus Hispalensis apud ipsum Natalem in tertia probatione. Quòd si quæ Principes ad ecclesiæ preces aggressi sunt, sua potestate exequutos esse velit quis judicare, fateri oportebit & ad Ecclesiæ potestatem pertinere sæcularibus se immiscere: cùm & ipsa Principibus opitulata sit, ne illis fidem, & obsequium subditi subtraherent. Hujus rei varia profert exempla de Marca *l.* 4. *cap.* 12. §. 4. ubi sic ait: *Exempla petere licet è Synodo apud Lauriacum habita an.* 843. *relata in Synodo Meldensi, & apud Ivonem, qua eos, qui contra regiam dignitatem aliquid machinantur, vel potestati regiæ per summam contumaciam non obtemperant, anathemate plectendos decernit. Synodus Suessionensis an.* 866. *rogat Nicolaum I. ut Salomonem Britanniæ Ducem moneat, quo Domino suo Carolo regium obsequium præstet, annuosque census persolvat; alioqui gladio Apostolatus vestri se percellendum debito cognoscat libramine. Ludovicus ultramarinus Rex Francorum ab Hugone comite vexatus, subsidium postulat a Synodo Engelenheimensi, ubi aderat Legatus Romani Pontificis, & Otto Imperator an.* 948. Sicut igitur, quamvis Ecclesia ad Principum preces curaverit, ne subditi a debita deficerent fidelitate, ac census persolverent, non proinde admittunt Politici eisdem opem ferendi proprio jure de sæcularibus causis cognovisse; æqua ratione idem de Principibus affirmandum, dum ecclesia expostulante, in iis quæ ad eamdem pertinebant, visi sunt suam protendere potestatem. Hæc profectò manifeste innuunt non esse ab exemplis de Principum jurisdictione judicandum: nihilominùs principaliora, quæ exhibet Natalis, inspiciamus.

Præcipue se offert exemplum S. Athanasii, quem de sententia Tyrii Conciliabuli ad Constantinum dicit appellasse. Verùm ipsum Constantinum cognovisse de episcoporum causis, non a se, sed ab episcopis esse judicandum, ostendi in Animadversionibus post Dissertationem V. sæculi IV.: nec ibidem demonstrare omisi ob improbas Donatistarum preces, & quia ita sperabat ecclesiæ pacem restituendam, tandem ad suum tribunal Cæciliani causam traxisse, *veniam tamen ab episcopis petiturum*, quia nempe in iis sese immiscebat, quæ solius ecclesiæ judicio erant discutienda. Hìc autem perperam ab Athanasio appel-

pellationem interpositam fuisse dicitur, cùm solùm Constantini opem imploraverit, ut vim sibi in Conciliabulo inferendam declinaret; atque ita ipsum non ut judicem, sed ut defensorem adiit. Nemo igitur non scit Imperatorem Arianorum precibus victum, tandem nt Synodus Tyri haberetur ex suo libito decrevisse, quò non solùm episcopos Arianis addictos vocavit, nt habetur ex S. Athanasii secunda apologia, sed etiam Dionysium Comitem misit, a cujus nutu omnia pendebant: eam proinde non appellandam Synodum dixerunt PP. Concilii Alexandrini apud Natalem in primæ propositionis probatione. Cùm igitur in hoc non judicio, sed latrocinio, apertissimi Athanasii hostes sederent, neque ulla justitiæ, aut religionis species servaretur, S. Præsul causam suam integram Principi reservavit; unde in libello Dionysio Comiti oblato hæc leguntur: *Cognitionem causarum nostrarum ipsi augustissimo Imperatori reserves. Æquum est enim te ab Imperatore missum negotium hoc integrum retinere.* Dixerunt quidem Episcopi orientales, Eusebiani scilicet, qui se a legitimo Sardicensi Concilio separaverant, Athanasium a Synodo ad Imperatorem appellasse, ut videre est in ipsorum epistola synodica apud S. Hilarium in fragmentis. Revera tamen hìc nec umbra legitimæ appellationis intervenit; neque etenim Athanasius Conciliabuli expectavit sententiam, sed Constantinopolim confugiens Imperatoris imploravit auxilium adversùs suos hostes, qui ipsius auctoritate freti contra illum debacchabantur: *Nos autem*, ait apol.2. *adito Principe, qui Synodum indixerat, in qua ipsius Comes præsederat, Eusebianorum scelera patefecimus.* Non adiit ergo per appellationem Imperatorem ut legitimum judicem, a quo sententia, cùm lata non fuisset, esset rescindenda, sed ut suum defensorem, postquam illi datum esset Eusebianorum dolos, sceleraque patefacere. Bene sciebat Athanasius ab Episcoporum judicio extraneam esse debere laicam potestatem; quapropter in Constantium invehitur *apol. 2.* quia in hujusmodi causis auctoritatem suam immisceret. Ipse Constantinus pro Athanasii causa cognoscenda aliam synodum indixit: *Imperator*, ajunt PP. Concilii Alexandrini apud S. Athanasium apol.2. *rei indignitate motus, scriptis suis accusatores citat, suamque ipsis audientiam promittens, simulque synodum indici jubet.* Sicut Athanasius Constantini imploravit auxilium adversùs suorum hostium violentiam; ita S. Leo Theodosii junioris ad acta Ephesini Latrocinii rescindenda, & Legati Apostolici in Concilio Chalcedonensi Marciani Imperatoris. Porrò ex his falsò putat Natalis causas ecclesiasticas ad Imperatores fuisse per appellationem delatas, cùm laicam auctoritatem ad sui solummodo tutelam Præsules desideraverint.

Illud etiam demonstrat Athanasium verè per appellationem ad Imperatorem non confugisse, quia ex hoc Cyrillus Jerosolimitanus reprehenditur, quòd dejectus ab Episcopatu ab Acacio Cæsareæ episcopo homine ariano, primus, & solus ad Imperatorem appellaverit: *Qui*, ait Socrates l.2. hist. c.40. *simulque atque de gradu esset dejectus, appellationis libello ad eos, qui eum dejecerunt, misso, ad majores judices provocavit. Cui quidem appellationi Constantius Imperator suffragatus est. Atque a Cyrillo solo, ac primo, perinde ac si res apud laicos judices ageretur, contra canonis ecclesiastici consuetudinem proventum est.*

Prosequens Natalis variis exemplis appellationes a Præsulibus ecclesiæ ad Principes propugnare, dicit Mauritium Imperatorem de causa Adriani Thebarum episcopi in articulo appellationis judicasse. Primò autem putat in hac causa Principis delegationem intervenisse, quia cùm Adrianus de quibusdam criminibus a suis Diaconis accusaretur, Mauritius voluit illius judicem esse Joannem episcopum Larissæ, & Joannem Episcopum primæ Justinianæ, ea tamen ratione ut de pecuniariis objectis criminibus sententiam dicerent, de criminalibus verò ad ipsum referrent. Verùm cùm Jo: Larissæ episcopus esset Adriani metropolitanus, putandum haud est ex Principis delegatione in hac causa Judicis munus obiisse, sed jure proprio, atque ad ipsum hanc causam Mauritium remisisse, ut sacris canonibus obsequeretur. Quòd verò in hac causa de Principis mandato etiam episcopus primæ Justinianæ judex esset, cùm ad ipsum de jure non pertineret, improbavit S. Gregorius *l.2. ep.7. indict.11.* ita dicendo: *Nescio quibus machinationibus alia rursus est Principalis jussio elicita, ut de cunctis ante factis capitulis Joannes primæ Justinianæ episcopus requirens subtiliter judicaret.* Non rectè deinde quis potaret judicium delictorum criminalium Mauritium ad se traxisse, quia voluerit post ipsorum examen de eisdem ad se referendum. Animadvertere namque est illa undequaque ecclesiastica fuisse, reum enim dicebant Adrianum de neglecta correctione Diaconi turpem vitam agentis, & de denegato infantibus Baptismo, absque hoc sacramento defunctis, ut constat ex epistola citata S. Gregorii: de delictis verò merè ecclesiasticis unicè ecclesiæ judices potuisse cognoscere, non semel & ipse fatetur Natalis. Ea ergo ratione de hujusmodi criminibus ad se deferendum credere est Imperatorem voluisse, ut si fortè ille episcopus esset deponendus, romani Pontificis sententiam exquireret: & de facto de illis criminibus judicium instituit Honoratus S. Sedis Diaconus. Nec refert Imperatorem illi adjunxisse unum ex Imperii Magistratibus; ita etenim voluisse dicendum est ne episcopus accusatus falsis criminationibus opprimeretur: & si ista fuit Mauritii mens, S. Gregorius ipsius jussiones meritò *rectas* potuit nuncupare. Illud demum ostendit Mauritium in hac causa tamquam per legitimam appellationem vocatum non se immiscuisse, quia, quamvis eo adnuente Metropolitanus, & primæ Justinianæ episcopus in Adrianum sententiam tulissent, Gregorius postea irritam declaravit, ac in ipsos Judices animadvertit, ut constat ex epistola citata, & ex præcedente. Non ergo eos ut Imperatoris delegatos consideravit, sed ut Judices sibi subjectos, atque ita ostendit harum rerum supremum judicium ad se, non ad Imperatorem pertinuisse.

Neque etiam suffragatur appellationibus, quas tuetur Natalis, canon Concilii Francofordiensis. Quæcumque eo canone concessa fuerit Regi potestas de causis ecclesiasticis ultimò cognoscendis, illam a S. Synodo obtinuit, unde non jure proprio, sed ex ecclesiæ indulgentia possidebat: *A Domino Rege*, ita sonat canon, *& S. Synodo statutum, ut si tandem neque metropolitanus cum suffraganeis suis poteruat ob rei difficultatem de aliqua causa judicare, accusatores cum accusato cum literis metropolitani Regem adeant, ut sciat veritatem rei.* Deinde non una est Auctorum sententia, an nempe romana Ecclesia suo consensu firmaverit solùm quæ in ea Synodn pro fide ortodoxa contra errores Felicis & Elipandi sancita sunt, an etiam cæteris in eadem decretis adhæserit. Sed & lamentabilis status, in quem Carolus Martellus, & Raginfredus de regiæ domus Majoratu disputantes Gallias redegerant, sicut & describit Hincmarus in vita S. Remigii, plura dissimulare cogebat, quæ extra canones fiebant. Ita contigit, ut etiam Rege Carolo imperante ab eodem

præfatæ causæ, cùm in Gallia Apostolicus Vicarius non degeret, suo Archi-capellano relegarentur; atque ita rerum agnita veritate, earumdem definiendarum meliorem modum inspiceret. Demum advertendum ita Ecclesiam hoc tribunal tolerasse, ut tamen liberum esset a quocumque elerico ad Romanam Sedem appellare. Nemo id negabit, quia eo tempore summo in honore in Gallia habebatur caoonum codex per Isidorum mercatorem ex Hispania deportatus; & quia eisdem appellationibus Caroli Magni, ac Ludovici pii Capitularia patrocinabantur. Non ergo hujusmodi exempla prosunt Natali pro suis appellationibus vindicandis. Quod verò vulgo dicitur de Leone IV. in superiore paragrafo expendi.

Refert etiam Natalis privilegium Martini V. ut appellationes *ab abusu* legitimas esse tueatur. Verùm, ultraquamquod quæ ex privilegio fiunt, non jure proprio agantur, Martini V. concessio non impertitur Regi post judicium ecclesiæ ecclesiasticas causas ad suum trahere tribunal, sed solummodo invigilare ut in beneficiorum collatione canonom sanctiones sanctè observarentur. Cùm tamen Sedes Apostolica quas Galliæ consuetudines probare intenderit, in Concordatis expresserit, e re præsenti erit illorum verba hìc apponere excerpta ex tit. 33. qui est de perpetua stabilitate coocordatorum, atque ea ita se habent: *Cùm omnium, quæ in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis agantur, notitiam non habeamus, consuetudines, statuta, seu usus libertati ecclesiasticæ, & auctoritati Sedis Apostolicæ quomodolibet præjudicantia, si quæ in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis, aliàs quàm in præmissis existant, non intendimus nobis, & eidem Sedi in aliquo præjudicare, seu illa tacitè, vel expressè approbare.* Cùm igitur Pontifex nil aliud a se ratum esse voluerit, nisi quod in Concordatis continebatur, cæteras omnes consuetudines irritas habendo, nulla superest Sedis Apostolicæ vel tacita approbatio illarum appellationum, quas Natalis propugnat. Claudant has animadversiones verba Basilii Imperatoris relata actione ultima Synodi octavæ. Vehementer optabat Basilius, ne executio retardaretur tam definitionum *quoad terminum*, nempe Fidei, quàm quod canones, quoad scilicet alias ecclesiasticas causas; unde ut ipse protestatus est, ad obstruendum ora iniqua, ipsis etiam laicis facultatem indulsit, si quæ haberent adversùs easdem objiciendi, quamvis ipsorum id non esse manifestè expresserit: *Quisquis*, ait, *habet aliquid adversùs hanc sanctam, & universalem Synodum dicendum, vel contra hujus canones, aut terminos stet in medio, & quæ sibi videntur dicat, sive episcopus sit, sive quisquam de ecclesiastico clero, sive laicus, aut ex iis, qui civilibus officiis muncipatui existat, quamquam non datum sit istis secundùm canonem dicere quidquam penitus de ecclesiasticis causis. Opus enim hoc Pontificum, & Sacerdotum est.*

DISSERTATIO XXII.

De Sancti Athanasii ad Julium Romanum Pontificem confugio.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Sanctus Athanasius Julium Pontificem Maximum appellaverit?

PROPOSITIO I.

Sanctus Athanasius a Synodo Tyria damnatus, & sede sua exturbatus, Julium Pontificem Maximum non appellavit.

Probatur contra doctissimos Cardinales Baronium & Bellarminum: Primò ex statu in quo res Athanasii erant, cùm Romam ad Julium confugit. Tunc enim ab exilio revocatus erat, Constantis & Constantini junioris mandato, Constantio etiam consentiente, quod anno Christi 338. contigit: Eusebiani autem anno tantùm 339. querimonias contra ipsum ad Julii tribunal detulerunt; & eodem anno vertente, ipse ad Julium profectus est, cùm novum contra ipsum Judicium Ecclesiasticum nullum latum esset. Igitur ad Julium Pontif. Maxim. non appellavit Sanctus Athanasius. Omnis enim appellatio ab aliquo judicio fieri debet.

Probatur secundò. Qui Romæ ad Julii tribunal non stetit, nisi ejus literis vocatus, ut se ab hostium calumniis purgaret, cùm antea Eusebiani contra ipsum ad Pontificem scripsissent, ille ad Julium propriè non appellavit: Sed Sanctus Athanasius Romam non est profectus, nec ad Julii Romani Episcopi tribunal stetit nisi vocatus a Julio, ut impactas sibi ab Eusebianis calumnias coram dilueret: cùm antea Eusebiani contra ipsum ad Pontificem scripsissent: igitur Sanctus Athanasius ad Julium Pontificem Maximum propriè non appellavit.

Probatur minor ex Epistolâ Julii ad Orientales, quam refert Sanctus Athanasius Apologia 2. *Scripsere priùs*, inquit, *Eusebius cum suis contra Athanasium, scripsistis & vos impræsentiarum: scripsere etiam plurimi ex Ægypto & ex aliis Provinciis Episcopi pro Athanasio: nam quod ante omnia observari oportet, literæ vestræ adversùs Athanasium inter se pugnant, & primæ cum secundis nullum concentum habent; sed in plerisque primæ a secundis destruuntur, & secundæ a primis redduntur suspectæ: ex discrepantibus autem literis nulla certitudo constitui potest. Quòd si vestris literis fidem dari postulatis, æquum est & literis eorum qui pro eo scribunt, fidem non negare.* Ex quibus colligitur, si aliqua ad Julium Pontificem Maximum interjecta esset appellatio, eam potiùs ab Eusebianis, qui priores scripserunt, quàm a Sancto Athanasio interjectam fuisse.

Probatur tertiò ex silentio Julii Romani Episcopi, qui suis in Epistolis nullatenus meminit appellationis a Sancto Athanasio suam ad Sedem interjectæ: cujus tamen mentionem facere debuisset, si verè appellasset.

Probatur quartò ex Theodoreto, lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 4. ubi testatur Sanctum Athanasium Romam a Julio vocatum fuisse, velut præsumtum reum, ab Eusebianis accusatum: ex quo ipsum ad Pontificem propriè non appellasse consequens est. *Julium Episcopum*, inquit, *qui tum Romanam rexit Ecclesiam, Eusebiani de criminibus,*

quæ

qui fulsò contra Athanasium confinxerant, per literas certiorem fecerunt. Ille Ecclesiæ Canonem secutus, & eos jussit Romam venire: & divinum Athanasium, quò pro se in judicio ipse responderet, vocavit.

Objicies testimonium Liberati in Breviario caussæ Nestorianæ & Eutychianæ, cap. 18. scribentis: *Joannes Talaia ejectus de sede Alexandrina, propter Petrum Moggum, profectus est Antiochiam, ut videret Illum Magistrum: cui cùm narrasset quæ sibi evenerunt, ejus consilio ingressus est ad Calendionem Antiochenum Patriarcham. Et sumptis ab eo intercessionis Synodicis literis, Romanum Pontificem Simplicium appellavit, sicut beatus fecit Athanasius.* Igitur Sanctus Athanasius non minùs ad Julium Pontificem, quàm Joannes Talaia ad Simplicium appellavit.

Respondeo primò, Fidem adhibendam esse majorem SS. Athanasio & Julio, quàm Liberato, qui post ducentos annos scripsit. At ex illius Apologia, ex istius verò literis ad Orientales, constat Athanasium non appellasse Romanum Pontificem, sed ab eo Romam fuisse vocatum, ut ab objectis criminibus coram Occidentalium Synodo se purgaret. Vocatus autem ideò fuit, quòd ipsi, vel ejus adversariis Sedis Apostolicæ communio concedi non posset, nisi constaret illos & rectæ esse Fidei, & ab iis criminibus alienos, quibus communio negaretur.

Respondeo secundò, Nec Joannem Talaia ad Simplicium Romanum Episcopum propriè appellasse, sed solùm confugisse, ut ejus patrocinium imploraret, ac literas ad Acacium Constantinopolitanum Archiepiscopum, cujus consiliis Alexandrina sede pulsus fuerat, ab ipso Pontifice impetraret. Nec Joannem sedi suæ restituit Simplicius, nec Acacium Romam vocavit ut rationes illius exauctorationis proferret? quod in negotio per appellationem ad se devoluto præstitisset; sed simplices ad eum literas scripsit, quibus eum ut Joanni faveret, & cum eo ceu cum Episcopo communicaret, adhortabatur; a Petri verò Moggi communione recederet. Id constat ex ipsomet Liberato, post verba in argumento laudata, statim addente: *Et suasit scribere pro se Acacio Constantinopolitano Episcopo: & quidem ad hoc Simplicius præparati animi & voluntatis fuit. Acacius verò susceptis Epistolis Simplicii, rescripsit eis, quia Joannem quidem Alexandriæ ignoraret Episcopum, Petrum verò Moggum suscepisset in Communionem in Zenonis Principis Unitivo, & quòd hoc contra ejus gessisset sententiam, propter unitatem Ecclesiarum, Principis jussione. Simplicius verò suscipiens hujusmodi literas, contristatur adversùs Acacium, eique rescribit, quòd non bene fecerit, contra sententiam Apostolicæ Sedis ad communionem Hæreticum hominem suscipiens. Oportebat enim communi decreto damnatum tamquam adulterum, communi consilio a damnatione liberari.*

Denique quòd non fuerit veri nominis appellatio, sed confugium solùm tum Joannis Talaia, tum Sancti Athanasii ad Sedem Apostolicam aditus, constat ex Auctore Breviculi Eutychianistarum, qui de Joanne ita scribit: *Nam & priores ejus, similiter Romana Ecclesia tempore persecutionis, suffugium poposcerunt.*

Contra. Sanctus Athanasius sponte stetit ad Sedis Apostolicæ tribunal, non verò Julii literis vocatus: non comparuerunt autem Eusebiani, Athanasii hostes, etsi Pontificis literis vocati essent: igitur Sanctus Athanasius caussam suam prior detulit ad Julii Romani Episcopi tribunal, proindeque ad ipsum appellavit.

Probatur antecedens ex Epistolâ Julii ad Orientales, in qua de Athanasio ita scribit: *Præter hoc omnia, annum totum, & integros sex menses apud nos hæsit, vestram præsentiam expectans, aut quotquot comparere auderent, suaque præsentia pudefecit omnes: non enim judicio stetisset, nisi sui fiduciam habuisset, neque sponte, sed literis nostris ad judicium vocatus comparuisset, quemadmodum vos per literas citavimus: & tamen post tanta argumenta nos veluti insolitum quoddam agentes reprehenditis.*

Respondeo. Sanctum Athanasium ad Sedis Apostolicæ tribunal stetisse sponte, nec Julii literis vocatum, quia necesse non fuit, ut semel iterumque vocaretur, tum per Legatos a Latere Julii in Orientem missos, tum per Epistolas quæ ipsi diem dicerent, ut caussam suam coram Synodo propugnaturus occurreret: quemadmodum vocati sunt Eusebiani. Sed non ita Romam sponte confugit, ut eò profectus fuerit, miseritve Legatos, aut scripserit prior. Id enim minimè præstitit, nisi Eusebianorum calumniis sollicitatus. Ipsi nempe scripserunt priùs contra Sanctum Athanasium, ut Julium ab ipsius communione deterrerent; miserunt Legatos Macarium Presbyterum, & Hesychium, Martyriumque Diaconos qui calumnias contra Athanasium illis in literis exaratas propugnarent. Qua de re certior factus Athanasius, legatos etiam ad Julium misit qui suam innocentiam tuerentur. Perlectis Eusebianorum literis, & auditis partis utriusque Legatis, Pontifex Romanæ Ecclesiæ Presbyteros Elpidium & Philoxenum, a Latere suo Legatos in Orientem misit, qui Catholicos Antistites Eusebianorum persecutione impetitos consolarentur, & ipsos Eusebianos vocarent ad Concilium, Romæ ad caussæ totius examen celebrandum. Rediere Julii Pontif. Maxim. Legati, de Catholicorum Antistitum oppressione, cujus testes fuerant mœstissimi, & Eusebianorum literas ad eum detulerunt, multiplicem de Pontificis ipsius agendi modo querimoniam continentes. Postulantibus Eusebianorum Legatis, utramque partem Julius ad Synodum vocaverat, sed Julii literas prævenit Athanasius, Romamque inexpectatus appulit octodecim mensibus Eusebianos frustra expectans, qui temporis constituti brevitatem, & itineris intervallum, ut perendinationem suam excusarent, inaniter causificabantur. Quibus perspectis, B. Julius de Sancti Athanasii fide & innocentia, necnon de Eusebianorum dolis, malis artibus & calumniis convictus, cum ipso ceu legitimo sanctoque Episcopo communionem junxit, quam antea suspenderat, causâ nedum plenè discussâ.

Hæc autem eo ordine acta esse, constat ex S. Athanasio Apologia 2. *Quia & Eusebiani*, inquit, *ad Julium literas misere, & ut nos terrerent, Synodum jusserunt convocari, & ipsi Julio, si vellet, arbitrium caussæ detulerunt. Cùm igitur Romam pervenissemus, Julius contrà ad Eusebianos literas scripsit, missis eò duobus ex suis Presbyteris Elpidio & Philoxeno. Illi verò ubi nostrum Romæ præsentiam audivissent, plurimùm conturbati sunt, quòd contra spem eorum Romam me contulissem, &c.*

Hæc omnia etiam constant ex Epistolâ Julii ad Orientales. *An non dilectionis indicium erat, nos Presbyteros misisse, qui compaterentur patientibus, & incitarent eos qui judicium scriptis postulaverant, ut præstò esse vellent, quò primùm omnia componerentur, & emendationem acciperent, ne diutius aut Fratres nostri injuriam, aut vos calumnias pateremini?*

Et infra; *Siquidem vestri Legati, Macarius Presbyter, & Hesychius, Martyriusque Diaconi, nullo modo cùm huc venissent, pares fuerunt Presbyteris ab Athanasio missis, ac semper ab illis convicti, refu-*

ta-

tatique, Concilium ludici u uobis postularunt, literasque & ad Eusebianos, & ad Athanasium Alexandriam, quibus convocarentur, mitti ut coram omnibus justo judicio de caussa cognosci posset: tum enim se de Athanasio probaturos esse, quod jam nequirent. Publicè enim coram uobis Martyrius & Hesychius refellebantur, Athanasii Presbyteris bona cum fiducia alacriter resistentibus. Martyrius verò cum suis, si vera dicenda sunt, ubique profligabatur ac proinde Concilium Generale postulavit:

Et infra: *Oportuit igitur vos, dilectissimi, huc accedere, & nequaquam tergiversari ut res ad finem deduceretur, id enim ratio requirit. Sed fortasse dies constituti temporis, brevior quàm par erat, impedimento fuit: (nam hujusmodi in literis vestris querimoniam facitis) Atqui illud, dilectissimi, pro mera cavillatione putandum est. Si enim aliquos in itinere dies oppressisset, arctitudo brevitasque temporis accusari potuisset. Jam cùm illi qui nec ipsi venire voluerunt, & Presbyteros suos usque ad mensem Januarii, ne venirent, detinuerunt, liquidò apparet istam caussificationem eorum hominum esse, qui sibi non satis confidunt: venissent enim, ut dixi si de sua caussa bene sperassent, non respectantes ad intervallum itineris, aut temporis constituti spatium, sed ex jure suo & rationibus fiduciam collegissent.*

Et infra, ubi omnia momenta, quæ pro sui defensione Athanasius allegaverat, recensuit, hæc subjungit: *Cùm igitur istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam justa pro se afferret, quid (quæso) nos oportuit facere? Annon quod Ecclesiastici Canonis est? Hominemque proinde non condemnaremus, sed potiùs reciperemus; eumque pro Episcopo, quemadmodum est, haberemus?*

Objicies Epistolam Synodicam Concilii Italiæ ad Theodosium Imperatorem, in qua de Orientalibus Episcopis, & de Maximo Cynico, qui a Constantinopolitana Synodo communione & Episcopatu privatus, Romanum Pontificem appellaverat, ita scribunt Itali Antistites: *Nam cùm cognovissent ad hoc partium venisse Maximum, ut caussam in Synodo ageret suam, quod etiamsi indictum Concilium non fuisset, jure & more majorum, sicut & Sancta memoriæ Athanasius, & dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi, & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse judicium viderentur; cùm eum, sicut diximus experiri velle adversùm eos qui Episcopatum ejus abnuerant, comperissent, præstolari utique etiam nostram super ea sententiam debuerunt.* Atqui confugere ad Ecclesiæ Romanæ judicium, est ad Summum Pontificem appellare, Sic igitur Athanasius ad Julium Pontif. Maxim. appellavit.

Respondeo, distinguo minorem: Si querimonias adversùs prius judicium deferat ad Sedem Apostolicam, qui ad ipsam confugit, concedo: si nullas deferat, nec suæ cognitionem caussæ ab ea suscipi prior ipse postulet, nego. Porrò Sanctus Athanasius apud Julium Pontificem Maximum conquestus non est prior de aliqua sententia Ecclesiasticis ab Judicibus in se lata, nec suam caussam ejus ad tribunal detulit: Sed ab Eusebianis eò tractus est, qui Pontifici persuadere, compositis calumniis, conati sunt, ne eum in communionem susciperet, ac Episcopi loco ipsum haberet. Ejus itaque ad Julium I. aditus confugium tantùm fuit, non veri nominis appellatio. Deinde Sanctus Athanasius, & ante ipsum Petrus Alexandrinus, aliique Orientales, non magis ad Romanæ Ecclesiæ, quàm ad Italiæ & totius Occidentis Episcopos confugerunt: ad quos tamen ipsos propriè appellasse, nemo dixerit; sed tantùm confugisse, ut eorum communione muniti, validiùs se ac feliciùs ab hostium insidiis tuerentur. Hinc Alexandrinæ Synodi Patres in Epistolâ Synodicâ cùm ad Julium Romanum Episcopum, tum ad omnes orbis Christiani Episcopos transmissa, postquam ipsos obsecrarunt, ut Athanasio dextras communionis porrigerent, ejus de injuria dolerent, justam indignationem suam adversùs mali auctores expromerent, ista subjiciunt: *Vos certè vindices hujus injustitiæ appellamus, citantes illud Apostolicum verbum: Auferte mala ex vobis.* Græcus textus sic habet: ὑμᾶς γὰρ ἐκδίκους κατα τῆς ταύτης ἀδικίας ἐπικαλούμεθα. Quod verbum Latinus interpres vertit, *imploramus*, quamvis ejus vis sit ac potestas ut significet, *appellamus*, ut constat ex Actis Apostolorum, c. 25. ubi Paulus ait, Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι quod Latinus interpres vertit: *Cæsarem appello.* Patres autem Alexandrinæ Synodi propriè non appellarunt ad omnes orbis Catholici Episcopos, sed solùm ab ipsis auxilium postularunt contra Eusebianos, & ipsos adhortati sunt, ne sibi a Sycophantis illis imponi paterentur, & ut Athanasio communione conjuncti manerent. Non est itaque semper in rigore sumendum appellationis nomen, nec semper fuit ab antiquis in strictiori illa significatione usurpatum, qua evocationem caussæ ab inferioris judicis subsellio ad superioris tribunal significat: sed sæpe ad merum perfugium, & auxilii implorationem exprimendam: quod maximè in caussa Sancti Athanasii videre est, de quo Cœlestinus I. ad Clerum Constantinopolitanum ita scribit: *Fugatus illinc*, scilicet ex Oriente, *& in nostris partibus roboratus est. Denique hic illi redintegratus est status, & in hac Sede quietem communionis invenit, a qua semper Catholicis subvenitur.*

PROPOSITIO II.

Julius Pontifex caussa Athanasii cognitionem suscepit, deque illa judicavit summo jure, & Apostolicæ primæ Sedis auctoritate, non verò ut arbiter dumtaxat a partibus electus.

Probatur primò. Si Julius Pontif. Maxim. de caussa Athanasii judicasset ut judex ab Eusebianis electus, conquesti non fuissent quòd hujus cognitionem caussæ suum ad tribunal traxisset, quòdque ipsos Romam vocasset suorum gestorum, querelarum, & accusationum rationem reddituros: non dixissent Romanum Episcopum Orientalium negotiis ingerere sese non debere, sicut nec ipsi de Occidentalium causis satagebant. Novatiani & Novati damnationem in Occidente factam ab Orientalibus receptam fuisse, non discussam, non impugnatam, non rescissam: adeòque nec damnationem Athanasii ab Orientalibus factam in Occidente retractari debere. Atqui hæc querelarum capita Eusebiani protulerunt: igitur Julius de Athanasii caussa non judicaverat ut arbiter ab Eusebianis electus.

Probatur minor ex Epistolâ Julii ad Orientales: *Quid enim*, inquit, *actum est dignum offensâ? Aut qua in re vobis, quibus scripsi, caussam successionis præbui? An quia adhortati vos fuimus ut ad Synodum occurreretis? Atqui illud potiùs cum gaudio excipi oportuit. Qui enim bene sentiunt de iis quæ egerunt, & in quibus ipsi, ut ajunt, judices fuere, non indignanter ferre solent, si quod ab ipsis judicatum est, ab aliis excutiatur, quippe qui securi sint, ea quæ ipsi justa judicaverunt, injusta numquam fieri posse. Quocirca Episcopi in magna Synodo Nicææ congregati, non sine Dei consilio permiserunt prioris Synodi acta in alia Synodo examinari, ut & illi qui judices erant, præ oculis habentes secundum de ea ipsa re judicium futurum,*

cum omni diligentia caussam expenderent, & illi qui sententiam acceperant, certò cognoscerent, se non per simultatem priorum Judicum, sed jure & meritò condemnatos esse. Quòd si ejusmodi consuetudo olim fuit, ejusque memoria renovata est, & scripto prodita in magna Synodo, eamque apud vos valere non sinitis, rem profectò indecoram facitis. Hic certè locus erat dicendi ad inanitatem querelæ Eusebianorum ostendendam, ipsos immeritò conqueri de retractatione caussæ Athanasii in Synodo Tyria judicatæ: siquidem Julium illius arbitrum constituerant ac judicem elegerant. Quod cùm ne per umbram quidem ipsis objiciat laudatus Pontifex, argumento est ipsos potestatem & auctoritatem judicandi, qua non polleret antea, illi non detulisse, eum hujus caussæ arbitrum constituendo.

Pergit Julius: *Si igitur Martyrio & Hesychio nullam Synodum postulantibus, adhortatus fuissem, ut ad Synodum qui ad me scripsissent, convocarentur, idque in gratiam fratrum, qui se injuriam pati conquerebantur, etiam vel ita æqua & justa fuisset nostra cohortatio, cùm ea sit & Ecclesiastica, & Deo grata: jam ubi iidem illi, qui a vobis pro gravibus viris, & fide digni habiti fuere, auctores mihi fuerint, ut vos convocarem, certè id a vobis ægrè ferri non debuit, sed potiùs alacriter ad citationem occurrere. Quapropter indignatio eorum, qui hac citatione offenduntur, temeraria, & tergiversatio sistendi se in judicio inhonesta & suspiciosa videtur.* Sed qui citare poterat ad Synodum Eusebianos, etiamsi ipsi Synodum non postulassent, non judicavit ipsorum, Athanasiique caussam solùm ut arbiter ab ipsis electus: Julius itaque Pontifex non suscepit cognitionem caussæ Athanasii & Eusebianorum, jure dumtaxat arbitrii sibi ab ipsis delati, & precaria auctoritate, sed summo jure, & Apostolicâ primæ Sedis potestate.

Probatur secundò ex Socrate & Theodoreto, qui jus Romani Episcopi in caussæ Sancti Athanasii cognitione ac judicio, vocant legem antiquam, Ecclesiæ Canonem, privilegium Ecclesiarum: quod certè de arbitraria cognitione dici non potest. Socrates lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 15. exponens qua ratione gesserit se Julius Pontifex erga Episcopos ab Eusebianis accusatos, & sedibus suis exturbatos, hæc habet: *Ille verò, quoniam Ecclesia Romana privilegium præ cæteris obtinebat, literis suis ad Episcopos Orientis liberiùs perscriptis, illorum partes tueri studet: in Orientem literas mittit, quò & suus cuique locus restitueretur, & eos qui illos temerè abdicaverant, graviter reprehenderet. Illi discedunt Roma, literisque Julii Episcopi confisi, ad suas ipsorum Ecclesias redeunt: literas ad quos scriptæ erant, mittunt. Hi, ubi eas acceperunt, Julii reprehensionem contumeliæ loco ducunt: Concilium Antiochiæ convocant. Ibi simul atque convenerant, de communi omnium sententia Epistolam conscribunt, per quam Julium contra acriùs insimulant: ostenduntque, si qui eorum arbitrio Ecclesiâ fortè expulsi essent, rem ab eo non debere decerni. Nam quando ille Novatum Ecclesiâ exturbaverit, ipsos minimè contradixisse.*

Et cap. 17. *Julius Episcopis, qui Antiochiæ convenerant, per literas respondet. Ac primùm docet quantum molestiæ & acerbitatis eorum Epistola ipsi attulisset: deinde eos contra Ecclesiæ Canones egisse, quòd illum ad Concilium non vocassent: quippe cùm Canon Ecclesiasticus vetet, ne decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesiis sanciantur. Tum fidem ab illis clam depravari: item quæ erant jampridem Tyri perversè gesta, ex vi ac dolo, propter commentarios quosdam in Mareotâ ex una parte solùm maliciosè confectos, omnino transacta esse, &c.*

Theodoretus lib. 2. cap. 4. de Julio Pontifice cognitionem caussæ Sancti Athanasii suscipiente ita scribit: *Ille Ecclesiæ Canonem secutus, & eos jussit Romam venire, & divinum Athanasium, quo pro se in judicio ipse responderet, vocavit. Qui ut primùm fuit accersitus, eò maturè contendit. Tragœdiæ autem auctores Romam ideò non sunt profecti, quòd intellexerant sua mendacia manifestò fore deprehensa.* Sozomenus lib. 3. cap. 10. de eodem ita scribit: *Julius certior factus, non tutam esse Athanasio in Ægypto vitam agere, eum ad se accersivit. Ad illos autem, qui Antiochiam unam convenerant, scripsit, atque adeò incusavit, quòd clam contra fidem Concilii Nicæni novas res molitii fuerant, quòdque contra leges Ecclesiæ ipsum ad Concilium non vocaverant. Nam legem esse ad Sacerdotii Dignitatem spectantem, quæ pronuntiat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur. Ea autem quæ Tyri, & in Mareote adversùs Athanasium decernebantur, iniqua esse. Atque calumniam de Arsenii brachio confictam in illis criminatur: in his autem Athanasii in Mareote absentiam. Postremò literarum pertinaciam reprehendit. Quibus omnibus rationibus adductus est, ut Athanasio & Paulo opem ferendam judicaret.*

Objicies verba Sancti Athanasii Apologia 2. scribentis: *Quin & Eusebiani ad Julium literas misere, & ut nos terrerent, Synodum jusserunt convocari; & ipsi Julio, si vellet arbitrium caussæ detulerunt.* Itaque Julius de caussa Athanasii judicavit, quia delata ad ipsum fuerat ab Eusebianis arbitraria hujus caussæ cognitio.

Confirmatur testimonio Socratis, lib. 2. cap. 11. *Eusebius*, inquit, *simul atque ea quæ volebat, confecerat, Legatum ad Julium Episcopum Romanum oratum misit, ut ipse in caussa Athanasii judex esse vellet, litisque dijudicationem ad se transferret. Verùm ea quæ erant a Julio de Athanasio judicata, ad aures Eusebii neutiquam pervenerant. Nam paulò post dimissum Concilium, exivit e vita.*

Confirmatur ex Sozomeno, lib. 3. cap. 7. ubi postquam Episcoporum Orthodoxorum exauctorationem ab Eusebianis factam exposuit, hæc subjungit: *At Ecclesiæ Romanæ Præsul, & Episcopi ac Sacerdotes versùs Occidentem solem habitantes, hanc injuriam & contumeliam Ecclesiæ factam, suam ac propriam duxerunt. Itaque Athanasium ad se accedentem benevolè exceperant, & criminationem illi objectam in se receperunt. Quibus de caussis graviter commotus Eusebius, scripsit ad Julium, ut ipse decretorum Tyri de Athanasio sancitorum judex esset. Attamen non ita diu post Concilium Antiochiæ celebratum, antequam de Julii sententia certior factus esset, de vita discessit.*

Respondeo, nego consequens: Nam & Sancti Athanasii, & Socratis, Sozomenique testimonia, fidem solùm faciunt, Eusebianos consensisse ut Julius de caussa Athanasii, secundùm acta Synodi Tyriæ judicaret; ad ipsumque caussam illam detulisse, ut ad primæ Sedis Episcopum, & controversiarum hujusmodi judicem Apostolicæ Auctoritatis jure: non autem evincunt Julium eo tantùm nomine hac de caussa judicasse, quòd Eusebiani arbitrariam caussæ cognitionem ipsi detulissent, eumque constituissent judicem, sicut sæpe eligitur judex a partibus, qui nullam judicandi obtinet auctoritatem, nisi quam ex mutuo ipsarum consensu & condicto accipit. Nisi enim caussæ hujus cognitio ad Julium summo jure pertinuisset, eum proculdubio judicem non agnovissent, aut constituissent Eusebiani, qui noverant ipsum Nicænæ Fidei propugnatorem acerrimum, & in Athanasium propensissimum esse; quique indignissi-

simis tergiversationibus dicti Pontificis judicium declinare sunt conati. Jus autem Romani Episcopi quo istius caussæ cognitio & arbitrium ipsi competebat, eo fundamento nitebatur. Athanasius secundæ Sedis erat Episcopus: Patriarchicarum autem, & Apostolicarum Sedium Antistites judicari non poterant, & Episcopatu atque communione privari, nisi de sententia in ipsos lata ad primæ Sedis Episcopum, & ad Occidentales Ecclesias referretur, rataque ab ipsis haberetur sententia, quam Orientales suis in Synodis contra ipsos tulissent: maximè cùm eorum caussa Fidei caussæ connexa erat, ut erat caussa Sancti Athanasii, aliorumque Episcoporum sanctissimorum, qui persecutionem patiebantur ab Arianis, quia eorum communionem execrabantur, & Nicænam Fidem contra eorum perfidiam ac dolos acerrimè propugnabant: quamvis confictorum specie criminum ipsis negotium facesserent. Jus illud suæ Sedi asserit Sanctus Julius in Epistolâ sæpe jam laudatâ ad Orientales, his verbis: *Nam si, ut dicitis, omnino in culpa fuerunt* (Athanasius & Marcellus Ancyranus) *oportuit secundùm Canonem, & non isto modo judicium fieri: oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quod justum esset decerneretur. Episcopi enim erant, & non vulgares Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quas ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerunt. Cur igitur & in primis de Alexandrina civitate nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primùm nobis scribatur, ut hinc quod justum est definiri posset? Quapropter si istbic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt, postquam jam egerint quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse volunt. Non ita se habent Pauli ordinationes, non ita Patres docuerunt; sed fastus iste, & novum studium est.*

Objicies ultimò. Julius Pontifex non poterat summo jure suscipere cognitionem caussæ Sancti Athanasii, & retractare Orientalium judicium, secundùm Canones, & mores Ecclesiæ: igitur id præstitit dumtaxat ut arbiter a partibus electus.

Probatur antecedens: Nullum enim Canonem fuisse, qui Romano Episcopo permitteret refricare Orientalium judicia, contestati sunt Orientales in Philippopolitani Concilii Synodica, quam Sanctus Hilarius describit, in *Fragmentis*. Quâ in Epistolâ sic de Julio Pontifice & Occidentalibus loquuntur: *Non enim Ecclesiis consulunt, qui leges juraque divina, caeterorum decreta dissolvere conantur. Propterea hanc novitatem moliebantur inducere, quam horret vetus consuetudo Ecclesiæ, ut in Concilio Orientales Episcopi quicquid fortè statuissent, ab Episcopis Occidentalibus refricaretur: similiter quicquid Occidentalium partium Episcopi, ab Orientalibus solveretur.*

Præterea nullibi legitur hujusmodi Canon ante Synodum Sardicensem editus.

Tertiò. Caussæ Orientalium, ante Julii tempora, fuerant in Synodis Orientis finitæ, depositique fuerant Episcopi, etiam violatæ Fidei rei, inconsulto Romano Pontifice. Sic Pauli Samosateni caussa in Synodis Antiochenis judicata fuerat, & finita, inconsultis Occidentis Episcopis: sicut caussa Novatiani judicata in Occidente, inconsultis Episcopis Orientis. Julius itaque vel novum sibi jus arrogavit, vel de Athanasii caussa judicavit tantùm ut arbiter.

Respondeo, nego primum antecedens. Ad cujus probationem dico, Fidem adhibendam potiùs esse Julio sanctissimo Pontifici, quàm Arianis, qui in illo suo Conciliabulo, ex quo Synodicam misere ad Donatum, aliosque Episcopos, eò progressi sunt insolentiæ, ut Julium ipsum, cum Athanasio, Hosio, Maximino Trevirensi, Paulo Constantinopolitano, Asclepa Gazensi, Protogene Sardicensi, egregiis Nicænæ Fidei defensoribus, anathemate configerent. Porrò Julius Pontifex hunc in Ecclesia viguisse Canonem asserit, in Epistolâ suâ ad Orientales. *Oportuit*, inquit, *secundùm Canonem, & non isto modo judicium fieri: oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quod justum esset decerneretur. Episcopi enim erant, & non vulgares Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quas ipsi Apostoli suâmet operâ ad fidem instruxerunt. Cur igitur & in primis de Alexandrina civitate nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum est definiri posset? Quapropter si istbic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit.*

Respondeo ad 2. Non fuisse necesse ut hujusmodi Regula Ecclesiastica scripto mandata esset: satis fuisse ut antiquis Ecclesiæ moribus esset instituta, firmataque. Jus autem illud cognoscendi de causis Episcoporum primarum sedium, Romanæ Sedis Episcopo Julius vindicat ex consuetudine majorum, potiùs quàm ex Canone scriptis edito.

Ad tertium respondeo: Pauli Samosateni caussam in Synodis Orientis finitam fuisse, nec illius judicium ad Romanum Episcopum delatum; quia nullum erat periculum Schismatis, & comprimi poterat solâ Orientalium Synodorum auctoritate Pauli Samosateni Hæresis: nec adjunctos sibi habebat Episcopos, aut Cleri partem maximam: nec primariæ alicujus Sedis Episcopus erat. Sed in caussa Sancti Athanasii, Schismatis erat periculum: contra ipsum enim stabant plurimi Episcopi, sub Catholici nominis larva Ariani: pro ipso stabant longè plures, & probatæ Fidei, Nicænæque Synodi defensores egregii: Athanasius præterea secundæ Sedis Episcopus erat. Unde cùm ad Romanum Pontificem ratione Primatus a Christo S. Petro collati, & in ejus Successores transfusi, pertineat invigilare ne schisma in Ecclesia oriatur, quia Ecclesiasticæ unitatis centrum est & custos; Julius Pontifex jure suo utebatur, suscipiendo cognitionem caussæ Sancti Athanasii, & retractando judicium Orientalium. Maximè enim ubi periculum Schismatis est, *Necesse est ad Ecclesiam Romanam, propter potentiorem Principatum, omnem Ecclesiam convenire* [ut Sanctus Irenæus loquitur.] Adire *Petri Cathedram & Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est* [ut ait Sanctus Cyprianus.]

Denique Pauli Samosateni caussam retractare, & sententiam in eum latam discutere Pontifex Romanus jure suo poterat: idque non ignotum fuisse videtur ipsi Aureliano Imperatori, licèt ethnico: siquidem *Cùm Paulus è domo Ecclesiæ nullatenus excedere vellet; interpellatus Imperator rectissimè hoc negotium dijudicavit, iis demum tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ Religionis Antistites, & Romanus Episcopus scriberent.* [Ex Eusebio lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 30.]

PROPOSITIO III.

Sanctus Julius Pontifex Maximus communionem & Episcopatum Sancto Athanasio non restituit, nisi suffragante quinquaginta Patrum Synodo: quod Ecclesiasticæ Disciplinæ congruebat.

Probatur ex Epistolâ Julii ad Orientales, in quâ ubi acta Tyri & Mareotæ contra Athanasium, nullarum virium esse, & suspecta haberi ostendit, hæc subjungit: *Nos tamen quamquam ita actum esset, pro re certiùs cognoscenda, neque*

vo-

vobis qui contra eum, neque illis qui pro eo literas misere, præjudicium facientes, cohortati sumus omnes quotquot scripserunt, ut præsentes se judicio sisterent, quò omnia ad amussim, quin quamplurimi pro utroque scribant, in Synodo examinari possent, ne vel innocens condemnetur, aut qui rei sunt, puri habeantur.

Et infra: *Nam tametsi solus sim qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Episcoporum scripsi. Ego autem omnes nolui scribere, ne a multis gravarentur: certè ad constitutum tempus convenere Episcopi, & ejus sententiæ fuere, quam vobis iterum significo. Quapropter, dilectissimi, etiamsi solus scribo, scribere me tamen communem omnium sententiam vos scire volo.*

Et rursus: *Non enim solùm Athanasius & Marcellus Episcopi cum querimoniis de illatis injuriis, sed & plurimi alii Episcopi ex Thracia, Cœlesyria, Phœnicia, Palæstina huc convenere: Presbyteri item non pauci, partim ex Alexandria, partim aliunde huc ad Concilium occurrerunt, & coram omnibus Episcopis ibi congregatis, inter reliqua dicta sua conquesti sunt, vim & injuriam Ecclesiis illatas esse, suasque Ecclesias eadem, qua Alexandrina, passas esse, & in aliis Ecclesiis similia designata. Ex Ægypto autem & Alexandria cùm adhuc supervenissent Presbyteri, literas secum attulere, quibus plurimorum Episcoporum, & Presbyterorum querimonia continebantur, se cùm huc ad Concilium pergerent, decretos fuisse, atque etiamnum detineri........ Et hæc potissima mihi scribendi caussa fuit ut huc veniretis, quò vobis præsentibus omnia corrigi & sanari possent: ac propterea alacriùs a vobis & sine recusatione occurrendum fuit, ne qui hactenus infamiâ istorum scelerum laborant, contumaciâ non comparendi in judicia Libellos contra se datos videantur refellere non potuisse.*

Hujus autem Synodi celebrationem a Julio postulaverant Eusebianorum Legati Martyrius & Hesychius. *Consilium*, inquit Julius, *indici a nobis postularunt, literasque & ad Eusebianos, & Athanasium Alexandriam, quibus convocarentur, mitti, ut coram omnibus justo judicio de caussa cognosci posset.*

Probatur secundò ex Sancto Athanasio Apologiâ 2. *Presbyter deinde Vitos*, inquit, *plures Episcopos quàm quinquaginta in Concilium adduxit, ubi & nostra defensio recepta fuit, nosque digni habiti sumus Communione & Agape, magnaque indignatio exorta est contra Eusebianos, quibus Julium, cùm ab eis literas acceperat, rescribere jusserunt.*

Et initio ejusdem Apologiæ; *Judicatum est*, inquit, *non semel secundùm nos, sed sæpius. Primùm quidem in nostra Provincia, cùm ad id coiissent propemodum centum Episcopi. Secundò Romæ nobis cæterisque adversariis Eusebii, ad ejus criminosas literas in judicio comparentibus. Tertiò iterum in magno Sardico Concilio.*

Et in Epistolâ ad Solitarios. *Romæ verò*, inquit *congregati Episcopi propè quinquaginta Eusebianos ut suspectos, & timentes se sistere, non receperunt & qua ab ipsis scripta essent, pro vanis habuerunt: nos autem receperunt, nostramque communionem amplexi sunt.*

Probatur tertiò ex Epistolâ Synodicâ Pseudo-Concilii Sardicensis, seu Philippopolitani Conciliabuli, quam refert Sanctus Hilarius in Fragmentis. *Denique*, inquiunt, *Athanasius ad Julium Romam perrexit, sed & ad Italia quosdam ipsius partis Episcopos, quos seducens per Epistolarum falsitatem, ab eisdem per facilè in communionem receptus est...... Novam legem introducere putaverunt, ut Orientales Episcopi ab Occidentalibus judicarentur*, Non itaque solus Julius Romanus Episcopus, sed ipse cum Italiæ Synodo, Communionem & Episcopatum Sancto Athanasio restituit. Ut autem ita se gereret, postulabat Ecclesiastica Disciplina. Cùm enim in Synodo Tyria damnatus fuisset Athanasius, congruum erat, ut illius Conciliabuli errorem, iniquitatem & tyrannidem, legitima Synodus, ipsum absolvendo, emendaret.

Objicies verba Gelasii I. Epistolâ 13. ad Episcopos Dardaniæ, quibus innuit Sanctum Athanasium solius Romani Pontificis judicio absolutum, absque ulla Synodo. *Apostolica Sedes*, inquit, *frequenter, more majorum, etiam sine ulla Synodo præcedente, & absolvendi quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi, nullâ existente Synodo, quos oportuit, habuit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit.*

Respondeo, Ex his Gelasiii I. verbis solùm colligi quòd absque Synodo Generali Sanctum Athanasium in Communionem ac Dignitatem restituerit Apostolica Sedes: non autem absque Synodo Italiæ. Namque propositum Gelasii illa in Epistola est ostendere, Acacium solius Apostolicæ Sedis judicio rectè damnatum: nec Synodo Generali ad illius damnationem fuisse opus. Quod cùm multis confirmet exemplis Episcoporum, qui ab Apostolica Sede, absque Synodo, vel absoluti sunt, vel damnati; & imprimis exemplo Sancti Athanasii: perspicuum est ipsum solam Synodum Oecumenicam excludere.

SCHOLION I.

In ista Dissertatione Religiosi Censores Propositionem istam notant, pag. 329. Editionis primæ: *Sanctus Athanasius a Synodo Tyria damnatus Julium I. Romanum Pontificem non appellavit*. Conclusio, inquiunt, emendanda in toto.

R. Historiæ & meri facti Quæstio est. Propositionem sive Conclusionem firmis argumentis probavi contra Cardinales *Bellarminum & Baronium*: Purpuratorum Auctorum confutatio Religiosis Censoribus displicuit; sed salvâ quæ tantis nominibus debetur reverentia, magis amica veritas.

SCHOLION II.

In eadem Dissertatione Religiosi Censores hanc Propositionem notant, pag. 348. Editionis primæ: *Julius Pontifex Communionem & Episcopatum Sancto Athanasio non restituit, nisi suffragante quinquaginta Patrum Synodo, quod Ecclesiasticæ Disciplinæ congruebat.*

R. Hanc Propositionem ipsius Julii Primi & Sancti Athanasii testimonio, necnon totius Conciliabuli Philippopolitani probavi. Ad facti probationem, quod SS. Julium I. & Athanasium spectat, testesne, quæso, locupletiores & majores sive digni proferri possunt? Quibus & ipsi Sancti Athanasii adversarii consentiunt in rei gestæ asseveratione.

ANIMADVERSIONES in illam Natalis propositionem. *S. Julius communionem & episcopatum S. Athanasio non restituit, nisi suffragante quinquaginta PP. Synodo.*

§. *Unicus.*

S. JUlius in restituendo communionem, & episcopatum S. Athanasio, non pendebat a Synodi suffragiis, quia in hujusmodi Synodo unicè considerabatur romani Pontificis auctoritas.

Suffragante Synodo communioni restitutum S. Athanasium affirmat Natalis, quia ita exposceret ecclesiæ disciplina. Dupioios verò *de antiq. eccl. discip.* potius Synodi quàm Julii Pontificis auctoritate Athanasium communioni & episcopatui restitutum affirmat, obique cupiens romani Pontificis potestati detrahere: *Julius*, ait *in epistola sua, ut factum suum adversùs Eusebianorum expostulationes defendat, non suum, sed concilii a se ad illorum preces congregati jactat auctoritatem; nec dicit sibi licuisse causam in Synodo terminatam iterum tractare, sed synodi ulcujus acta posse in alia synodo examinari.* Dum hæc scripsit Dupinius saoe non animadvertit unius Julii auctoritati Athanasii restitutionem tributam, ita etenim de eadem scribit Socrates *hist. l. 2. cap. 15. Porrò Athanasius post diuturnos labores ægre tandem in Italiam pervenit . . . Eodem tempore Paulus quoque Constantinopolis episcopus, Asclepas Gaza &c. in urbem regiam adventant. Ubi cùm Julio romanæ urbis episcopo causam suam exposuissent, ille, qua est romana ecclesia prærogativa, liberioribus litteris eos communitos in Orientem remisit, singulis Sedes suas restituens.* En speciali romani Pontificis prærogativæ tributum, quòd Episcopis ejectis suas sedes restitueret. Sozomenus *hist. l. 3. c. 8.* Socrati adstipulatur his verbis. *Athanasius Alexandriâ profugus Romam venit. Eodem tempore Paulus quoque Constantinopoleos episcopus eò accessit . . . . Episcopus igitur romanus cùm singulorum causas cognovisset, omnesque in Nicana Fidei doctrina consentientes reperisset, in communionem accepit. Et quoniam propter sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat, suam cuique ecclesiam restituit.* Ipse Julius non omisit Eusebianos increpare, eò quòd injussu suo Athanasium deposuissent, non Concilii sed suam ipsis auctoritatem objiciendo. *An ignoratis*, ita illos alloquitur apud S. Athanasium apol. 2. *hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, & hinc quod justum est decernatur. Sane siqua hujusmodi suspicio in illius urbis* nempe Alexandrinæ *episcopum cadebat, ad hanc ecclesiam illud rescribendum fuit.* Ex iis autem interim animadvertendum male Natalem respondere auctoritati Gelasii, cujus verba sibi objicit, quasi, dum Gelasius extollebat S. Sedis auctoritatem, referendo S. Athanasium a Synodo orientali damnatum ab eadem fuisse absolutum, solùm dicere voluerit suam exercuisse auctoritatem absque generali quidem synodo, non verò absque suffragio synodi particularis. Cùm tam aperte restitutionem Athanasii unios Julii Pontificis auctoritati Socrates, Sozomenus aliisque tribuant, unice S. Sedis auctoritatem commendasse Gelasium putandum est; itaut nullius Synodi suffragio indigeat ad absolvendum, vel damnandum.

Sed ut hoc faciliùs innotescat operæ hìc pretium est addere ad unum Pontificem illorum judiciorum summam pertinoisse, quæ agitabantur in Conciliis Romanis, dum Orientalium causæ agnoscebantur. Id statim liquet, si observetur quòd sicut episcoporum unius Provinciæ juris non erat de alterius provinciæ rebus quidquam statuere, ita Occidentalium non erat episcoporum de Orientalium causis judicare, & è contra. Cùm igitor quinquaginta illi præsules, de quibus Athanasius *apol. 2.* ipsum ad communionem receperunt, ex Italia fuissent, ut habetur ex epistola synodica Conciliabuli Philippopolitani, quam refert Natalis in tertia probatione, nulla illis inerat auctoritas de Athanasio judicandi; sed tota potestas erat io summo Pontifice pro suo universali spirituali principatu; qui tamen in hujusmodi judiciis plures Antistites convenire jubebat, ut etiam ex ipsorum consilio sententiam pronunciaret. Hujus rei diversa exempla suppeditat antiquitas. Cùm in concilio Romano S. Hilarus S. Leonis successor discuteret, an probandum esset Nundinarii factum, qui in Barcinonensi ecclesia sibi designaverat successorem, Probus episcopus ait: *Successores Deus dat. Auctoritate vestra resistite huic rei per apostolatum vestrum.* Uoicè Pontificis auctoritas ad resistendum interpellatur; neque etenim erat episcoporum Italiæ de aliarum regionum causis judicare. Cùm postea apud eumdem Pontificem episcopi provinciæ Tarraconensis conquesti fuerint Silvanum Calaguritanum antistitem contra Patrum regulas episcopum ordinasse, episcopi in eodem Concilio Hilarum Pontificem rogarunt, ut hæc emendarentur, disciplina, & antiquitas servarentur, canonesque custodirentur, sicut & quòd in præsumptores animadverteret. Porrò qui rogat, nulla potiri auctoritate demoostrat. Facto etiam ipso Hilarius Papa demonstravit omnia, quæ in iis Conciliis gerebantur, unicè a sua pendere auctoritate; nam quamvis PP. illius Synodi præsumptores punitos peroptassent, Hilarus omnes absolvit, quod certum est non ideo præstitisse, quia in omnibus falsò accusatos comperisset, quia re vera, inscio Metropolitano, Silvanus episcopos ordinaverat.

Synodus quoque Italiæ Romæ coacta sub Gelasio, cùm ageretur de venia indulgenda Miseno, antea Sedis Apostolicæ legato, & a S. Felice III. deposito, eidem Gelasio ipsius consilium exposcenti respondit: *Quod Deus vobis dedit in potestate, præstate . . . . . Ut indulgeas rogamus.*

Illud demum addam, quòd ipsi Italiæ Episcopi in epistola ad Clericos, & Monachos Orientales ita habeot: *Quotiens intra Italiam propter ecclesiasticas causas, præcipue fidei, colliguntur domini sacerdotes, consuetudo retinetur, ut successor Præsulum sedis Apostolica ex persona cunctorum totius Italia sacerdotum, juxta solicitudinem sibi ecclesiarum omnium competentem, cuncta constituat, qui caput est omnium: Domino ad B. Petrum Apostolum dicente: Tu es Petrus, & super hunc Petrum adificabo ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam. Quam vocem sequentes trecenti decem & octo Sancti Patres apud Nicaam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem Sancta Romana Ecclesia detulerunt: quam utramque usque ad ætatem nostram successiones omnes, Christi gratia præstante, custodiunt.* Scio Tillemontium tom. 16. præfata verba ita interpretari, quasi Italiæ episcopi nihil aliud significare voluerint, quàm moris fuisse romanæ Synodi sententias unius romani Pontificis nomen præseferre. Quæ tamen interpretatio abs dubio a veritate aberrat, cum etenim dixerint Romani Pontificis esse omnia constituere; cùmque consuetudo esset, ut Synodi PP. rogarent tantùm, constat omnia ab ipsius pependisse auctoritate. Sed ut hæc magis in aperto essent, ita episcopi se sobscripsere, ut Sedis Apostolicæ auctnritatem sequi profiterentur, ita dicendo: *Candidus Tiburtina civitatis episcopus Petro alexandrina ecclesia pervasori, & Acacio quondam ecclesia Constantinopolitana, necnon etiam Petro Antiocheno, ab episcopatu, & christianorum numero olim jure, & merito segregatis, omnibusque sequacibus eorum, sequens auctoritatem Sedis Apostolica, secundùm nostrum juxta ecclesia statum catholicu deliberatione prolatum, anathema dicens, subscripsi.*

Ex hucusque dictis quisquis facilè conjiciet meritò unius Julii Pontificis auctoritati Athanasii restitutionem attributam, quamquam pro illius causa examinanda, ex Italis Præsulibus Synodum Romæ convocasset. Ita etiam nullus falsi arguet PP.

PP. Sardicenses, qui de sententia in eadem Synodo secundùm Athanasium lata, ita dixere: *Jam ergo* Eusebiani *diffisi suis fabulis, & vanis rumoribus, ac etiam intuentes, quàm non possent de iis rebus vera documenta afferre, quam essent in urbe Sardica, non ausi sunt in Concilio sanctorum episcoporum apparere. Qua ex re aquitas judicii fratris, & coepiscopi nostri Julii liquidissima apparuit, qui non temerario consilio, sed cum matura deliberatione sententiam tulit, adeo ut nihil relinquatur dubii de communione fratris nostri Athanasii.*

DISSERTATIO XXIII.

Dissertatio de Baptismo Constantini Imperatoris.

Constantinum Imperatorem Romæ a Sancto Silvestro Pontifice baptizatum anno Christi 324. Imperii sui 19. ineunte Baronius Cardinalis, Tomo III. Annalium Ecclesiasticorum, & ejus pedissequi contendunt. Hujus opinionis falsitatem hac in Dissertatione demonstrabimus, & momenta, quibus nititur, diluemus.

PROPOSITIO.

Constantinus Nicomedia sub finem vita baptizatus est.

Probatur primò testimonio Eusebii Cæsareensis, lib.4. *De Vita Constantini*, cap.61. & 62. ubi de Constantino ita scribit. *Principio quidem inaqualis corporis intemperies; postbac morbus eum invasit. Itaque ad aquas calidas civitatis sua progressus, inde Helenopolim delatus est: ibique in templo Martyrum diu commoratus, supplicationes & preces obtulis Deo. Cùmque extremum vita diem sibi jam imminere sentiret, tempus tandem adesse existimavit, quo totius vita delicta expiaret; firmissimè credens, quacumque humanitùs peccavisset, arcanorum verborum efficaciâ, & salutari lavacro penitus esse delenda. Hac cùm apud se reputasset, genu flexo humi procumbens, veniam a Deo supplex poposcit, peccata sua confitens in ipso Martyrio: quo in loco manuum impositionem cum solemni precatione primùm meruit accipere.* Tunc primùm Constantinum factum esse Catechumenum inde patet. Nam Catechumeni per manus impositionem ab Episcopis fiebant, ut constat ex Concilio Illiberitano, Can. 39. ex Arelat. 1. Can. 6. ex Severo Sulpitio, *Dialogo 1. & 2. de miraculis Sancti Martini*; ex S. Augustino, lib.2. de Peccator. meritis & remiss. cap.26. ex Sancto Petro Chrysologo, *Sermonibus 52. & 105.*

Pergit Eusebius: *Hinc ad suburbana Nicomedia digressus, convocatis Episcopis, sic ad eos verba fecit. Hoc erat tempus quod jamdudum sperabam, cùm incredibili cupiditate arderem, votisque omnibus desiderarem salutem in Deo consequi. Jam tempus est, ut signum illud quod immortalitatem confert, nos quoque percipiamus; tempus est ut salutaris signaculi participes fiamus. Equidem olim statueram id agere in flumine Jordane, in quo Servator ipse ad exemplum nostrum, lavacrum suscepisse memoratur. Sed Deus, qui optimè novit ea qua nobis utilia sunt, hoc in loco nobis idipsum exhibere dignatur. Proinde omnis removeatur dubitatio.* Id est, cessent omnes dubitare de me, utrùm revera Christianus sim. Nemo in posterum suspicetur me verbis dumtaxat, non ex intimo cordis affectu, fidem Christi amplexum fuisse. *Nam siquidem Deus vita mortisque arbiter, hîc me diutiùs vitam agere voluerit; idque semel decretum est, ut in posterum unà cum populo Dei permiscear, & in Ecclesiam adscitus, cum reliquis omnibus orationum particeps fiam; eas vivendi leges mihi prascripturum me esse spondeo, qua sint Deo digna. Hac cùm dixisset, illi solemni ritu divinas ceremonias peregerunt; injunctisque ei quacumque necessaria erant, sacrorum Mysteriorum participem eum fecerant. Solus igitur ex omnibus, qui umquam fuerunt, Imperatoribus Constantinus, in Christi Martyriis renatus & consummatus est; & divino donatus signaculo, exultavit spiritu, renovatusque est, hac divina luce repletus.*

Respondent aliqui, secum ipso pugnare Eusebium, qui antea scripserit, Constantinum & Nicæno Concilio interfuisse, & tot leges ac rescripta pro Christianis edidisse, tot Ecclesias extruxisse; Gentiles ad Fidem Christi suscipiendam modis omnibus invitasse, & Hæreticos ac Schismaticos Basilicis suis spoliavisse: jejuniis etiam atque orationibus vacasse in Tabernaculo Crucis imagine insignito, quod habebat in castris, & Dominicos dies, & Martyrum festa celebrasse, & *sacrorum Mysteriorum participem, Pontificis atque Hierophanta munere functum, & in Pascha vigiliis cum cateris* Fidelibus *pernoctasse* (cap. 22. & 57. lib.4.) Denique omnibus Christiani hominis officiis perfunctum. Pugnantia scripsisse Eusebium luculentiùs probant ex cap.32. lib.1. *De Vita Constantini*, cui titulus iste præfixus est: *Quomodo Constantinus Catechumenus factus Sacras Scripturas legerit.* Ex quo colligitur, Constantinum, statim post illam Crucis in cælo visionem, factum esse Catechumenum: sui igitur oblitus est Eusebius, cùm sub vitæ finem, in templo Martyrum Helenopoli, hunc Imperatorem per manus impositionem, & solemnem precationem, tunc primùm Catechumenum factum esse scribit.

Sed quamvis adoratio crucis, preces, jejunia, Christianarum solemnitatum celebratio, Hæreticorum & Schismaticorum compressio, præsentia in Conciliis, extructio Ecclesiarum, Episcoporum veneratio, legum latio Sanctissimarum in Christianæ Reipublicæ bonum, Constantinum Gentilem non fuisse convincant, sed ad Christi Fidem conversum, & non tantùm animo, sed externa professione Christianum; ea tamen non arguunt ipsum fuisse Christianum Sacramentorum Communione & Baptismi præsertim consecratione; imò necdum solemni ritu inter Catechumenos conscriptum fuisse probant. Certè quamtumvis in Tabernaculo crucem erexisse, orasse, & jejunasse Constantinum, antequam Nicomediam sub finem vitæ veniret, Eusebius referat, nusquam tamen legitur, in Ecclesia, sive cum Fidelibus, sive cum Catechumenis preces fecisse, & Sacramenta vel Fidelium, vel Catechumenorum percepisse: cùm tamen de Helena Augusta Constantini Matre disertè affirmet, eam in Ecclesia cum reliquis mulieribus constitisse. Quòd autem Constantinum Sacrorum Mysteriorum participem fuisse scribit Eusebius, lib.4. cap.22. non innuit ipsum fuisse baptizatum, & ad Sacramentorum Communionem cum Fidelibus admissum, sed Mysteriorum, quæ ad generis humani salutem Christus Servator operatus est, cognitione imbutum, & fide sua jam eorum participem. Scribit etiam hunc Imperatorem Pontificis atque Hierophantæ munere functum, quia suo imperio & exemplo augustiorem Paschatis solemnitatem, quantùm ad externum apparatum, efficiebat, ut Gentiles ad Christianæ Religionis venerationem tam sanctâ, tamque magnificâ pompâ invitaret: ideò cereorum columnas & lampades tota urbe jubebat accendi nocte sacra Paschatis; illucescente verò die, largas e-

leemosynas erogabt. Hoc tantùm modo Festum sacratissimum celebrasse Constantinum refert Eusebius, nec alibi ipsum orasse notat, quàm in Palatio, ubi quotidie preces Deo fundebat, non autem in Ecclesia; aut Sacris Mysteriis communicasse, sicut Fideles, die maximè Paschatis, communicabant. Quæ certè non omisisset Eusebius, si tunc Baptismo initiatus fuisset Imperator. Auctoris istius verba lubet adscribere: *Ipse verò, utpote sacrorum Mysteriorum particeps, in intimis Palatii sui penetralibus quotidie statis horis sese includens, remotis arbitris, solus cum solo colloquebatur Deo; & in genua provolutus, ex quibus opus haberet, supplici prece postulabat. In ipsis autem salutiferæ Festivitatis diebus, disciplinæ atque exercitationum vigorem intendens, cunctis animi & corporis viribus collectis, Pontificis, atque Hierophantæ munere fungebatur. Et ipse quidem cæteris omnibus præibat ad Festi celebrationem. Sacram autem Vigiliam in diurnum splendorem converterat, accensis totâ urbe cereorum quibusdam columnis per eos quibus id operis erat injunctum. Lampades quoque accensæ cuncta passim loca illustrabant; adeò ut hæc mystica Vigilia quovis vel splendidissimo die splendidior redderetur. Simul verò ac dies illuxerat; Servatoris nostri beneficientiam imitari studens, universis gentibus, Provinciis, ac populis largam manum porrigebat; opulentissima donans omnibus munera.* Cap. verò 57. scribit quidem Constantinum pernoctasse cum cæteris, & vota Deo persolvisse, sed non exprimit an in Ecclesia, an verò in Palatio, ubi Deum precari solebat intimis in penetralibus, pernoctaverit. Qui enim eamdem noctem, quam Fideles in Ecclesia transigebant, & ipse in Palatio orationi vacans consumebat, dici potuit cum cæteris pernoctasse: *Aderat jam Paschalis festi solemnitas* (inquit Eusebius) *in qua Imperator vota Deo persolvens, unà cum cæteris pernoctavit.* Sed etsi in Ecclesiis oravisset, non sequeretur eum fuisse baptizatum. Ecclesias enim ingredi licebat etiam Gentilibus, excepto Missarum tempore, quanto-magis Imperatori, qui se Christianum profitebatur? Valentem Imperatorem Arianum ab Ecclesiæ ingressu non prohibuit Sanctus Basilius: quin etiam passus est ut dona ad altare offerret (ex Theodoreto lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 18.)

Antiocheno Concilio in celeberrimi templi Dedicatione celebrato interesse Constantium adhuc Catechumenum, Episcopi passi sunt. Quidni igitur erga Constantinum tam integræ Fidei, tamque insignis pietatis Imperatorem, cui tot nominibus obstricta erat Ecclesia, eâ indulgentiâ usi sint Antistites, ut Ecclesias ingredi, & in illis preces fundere, licèt nondum Catechumenus posset: necnon Conciliis interesse ad Fidem & unitatem Ecclesiæ contra Hæreticos & Schismaticos protegendam? Hanc dispensationem & indulgentiam exemplo Theodosii Magni firmat Arnaldus Pontacus, in *Notis ad Eusebii Chronicon*: qui Conciliis & Mysteriis interfuit, & tamen sub finem vitæ, Sancto Ambrosio teste, baptizatus est. Sed hallucinatus est vir eruditus, qui ad Theodosium retulit, quod nusquam de Theodosio, quem multis ante obitum annis baptizatum esse constat, sed de Constantino Magno dixit Ambrosius. In templo quidem Martyrum Helenopoli diversatus fuisse, & ibi preces fudisse refertur ab Eusebio; Sed hac tantum vice Ecclesiam ingressus Constantinus ante Baptismum memoratur, non ut Mysteriis sacris interesset, aut Christianis Sacramentis communicaret: sed ut ritu solemni per manus impositionem Episcoporum & orationem, Catechumenus fieret. Denique ad inscriptionem capitis 32. lib. 1. *De Vita Constantini*, respondeo, titulos istos non ab ipso Eusebio, sed ab aliquo recentiore compositos fuisse. Id probat Henricus Valesius in Annotationibus, primò ex eo quòd indices horum capitulorum insulsi ferè sunt ac barbari: secundò, quòd de Eusebio semper loquantur in tertia persona; cùm tamen in titulis capitum Ecclesiasticæ Historiæ seipsum semper Eusebius in prima persona nominet. Tertiò, quòd distinctiones capitum nimis crebræ ac frequentes sunt: quodque una interdum Imperatoris Epistola & Constitutio plura in capita dividitur, & quasi discerpitur: Quæ res inter legendum sæpè fastidium & nauseam lectori parere solet. Præterea, Eusebius in toto illo capite 32. Constantinum Catechumenum factum esse non dicit, sed tantùm Episcopos ab illo evocatos, rationem cælestis illius visionis ei aperuisse: ipsum verò exinde lectioni sacrorum Voluminum operam dedisse.

Respondet secundò Baronius, Nullam hac in Quæstione fidem adhibendam esse Eusebio, quòd Arianorum signifer extiterit, atque Imperatori Constantino collatum Romæ a Silvestro Baptismum subticuerit in gratiam Constantii Imperatoris: ne scribens Constantinum a Sancto illo Pontifice baptizatum, filium ejus Constantium paternæ Fidei desertorem & transfugam, impietatis & apostasiæ redarguere videretur.

Verùm, pace Eminentissimi Auctoris dixerim, levissima est illa conjectura. Fuerit enim Arianorum signifer Eusebius: an ideò verisimile est ipsum in Historia mendacem esse, ubi de Ario & Arianorum causa non agitur? An existimandum est ipsum res proximè gestas, quarum adhuc recentissima esset memoria, planè aliter ac gestæ essent, scriptis prodere ausum fuisse, spirantibus testibus rerum illarum oculatis, a quibus tam insolentis tamque putidi mendacii convinci cum summo suo dedecore potuisset? Sanè si Baptismum Constantino Romæ a Sancto Silvestro collatum siluisset tantummodo Eusebius, sicut & alia multa damnationem Arianæ Hæresos, & Nicæni Concilii celebrationem spectantia silentio præteriit (quam ob caussam ejus Historia Ecclesiastica a Gelasio in Romana Synodo ex parte improbata est, & a Photio censoriâ virgulâ notata, si (inquam) de Baptismo Constantini Romæ siluisset tantùm Eusebius, alicujus esset ponderis Baronii conjectura. Verùm cum asserat ita luculenter, Constantinum sub finem vitæ in suburbio Nicomediæ Baptismo initiatum: præter omnem fidem est quòd infidus hâc in parte fuerit Historicus. Adhuc enim superstites erant, qui Romæ baptizatum nossent, ac ejus Baptismi adfuissent spectatores: spirabant sexcenti testes, qui negassent illum Nicomediæ baptizatum, quique Eusebium imposturæ palam convicissent.

Præterea. Eusebio derogare fidem in rebus Historicis Arianorum causam nullatenus spectantibus, nec juvantibus, quia Arianus fuit, ineptum & ineruditum est: cùm Eusebium tamquam Historiæ Ecclesiasticæ Parentem venerata sit antiquitas: cùm ejus Historiam *præclarè contextam & laude dignam*, Sanctus Hieronymus senserit, Epistolâ 65. & lib. 1. *Apologiæ adversùs Ruffinum*: Cùm Gelasius ejus Historiæ Libros, *propter rerum notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent, usquequaque non esse renuendos* decernat: Cùm Pelagius II. Romanus Pontifex, Epistolâ 3. ad Episcopos Istriæ, ipsum hoc encomio exornet, *Quid in Historiographis inveniri Eusebio honorabilius potest?* Cùm Gelasius Cyzicenus, lib. 2. cap. 1. vocet Eusebium *Ecclesiastici fundi præstantissimum aratorem, veri studiosissimum, & inter veteres Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores fide dignissimum.* Cùm Chronicon Alexandrinum *prudentissimum scripto-*

rem

rem vocet; quo elogio & Sanctus Hieronymus, Epistolà 65. ipsum commendavit: Cùm denique ipsi vitiu vertendum plurimi ex eruditis non censeant, silentium de rebus Arii, & de Nicænæ Synodi adversùs ipsum decretis, Socratem secuti, qui Ecclesiasticæ Historiæ, lib.1. sic ipsum excusat. *Eusebius Pamphili res in Ecclesia gestas decem libris complexus, Principatu Constantini Historiam suam terminavit, quo tempore persecutio Diocletiani adversùs Christianos finem accepit. Idem in libris quos de Vita Imperatoris Constantini conscripsit, ea qua ad Arium pertinent, singillatim minimè est executus, quippe qui, ut in encomiis fieri solet, Imperatoris laudes & Panegyricam Orationem contexere magis in animo haberet, quàm res gestas accuratè commemorare* Quamquam iis non assentiamur, qui silentium ejus excusant.

Tertiò; parum intererat Constantii, quandò, ubi, & a quo fuisset baptizatus Constantinus, ut in illius gratiam hoc mendacium fabricasse Eusebius sopponatur. Satisque aliunde notum erat, Constantinum Ariani dogmatis hostem acerrimum extitisse, ut ab ejus fide & vestigiis alienus & transfuga censeretur Constantius. Sed esto, Eusebius tam impudenter mentitus sit; cur nullus veterum Scriptorum mendacium illud subodoratus est? cur omnes in Eusebii sententiam descenderunt, & cum ipso affirmarunt Constantinum morti proximum in suburbanis Nicomediæ baptizatum fuisse?

Ita Socrates, lib.1. cap.39. *Constantinus quintum & sexagesimum ætatis ingressus annum, in morbum incidit. Relicta ergo Constantinopoli, navigio delatus est Helenopolim, ut aquis calidis, quæ juxtà urbem illam sita sunt, uteretur. Sed cùm morbum ingravescere sensisset, lavacrum quidem distulit. Helenopoli autem abscendens, Nicomediam profectus est. Illic in suburbano degens: Christianum Baptisma suscepit.*

Ita Sozomenus lib.2. cap.34. *Cùm morbus ingravesceret, Nicomediam deportatus est. Ibi in suburbano degens, Baptismi Sacramenta suscepit.*

Ita Theodoretus, lib.1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.32. *Imperator Nicomedia degens, morbo corripitur. Cùmque incertum esse exitum vitæ animadverteret, divini lavacri gratiam suscepit. Quod quidem ad id usque temporis distulerat, cùm in Jordane illud suscipere desideraret.* Istud Theodoreti testimonium refert & approbat Evagrius, lib.3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.41.

Ita Sanctus Hieronymus in *Chronico*, ad annum ultimum Constantini Imperatoris *Constantinus*, inquit, *extremo vitæ suæ tempore baptizatus*. Addit quidem, ipsum *in Arianum dogma declinasse*: quod falsum esse contendimus: sed non ideò falsum est, quod ejus de Baptismo refert. In eo enim Veteres omnes consentientes habet: at in altera assertionis parte eosdem habet adversarios, & præcipuè SS. Athanasium, Hilarium, & Epiphanium, ut infra videbimus.

Probatur etiam ex Sancto Ambrosio in Oratione habita in funere Theodosii Imperatoris, *Nunc se*, inquit, *augustæ memoriæ Theodosius regnare cognoscit, quando in regno Domini Jesu est, & considerat templum ejus. Nunc sibi Rex est, quando recipit etiam filium Gratianum, & pulcherrima ac dulcissima sibi pignora quæ hic amiserat, quando ei sua Placilla adhæret, quando Constantino adhæret. Cui licèt Baptismatis gratia in ultimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen quòd primus Imperatorum credidit, & post se hæreditatem Fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.*

Probatur insuper auctoritate totius Concilii Catholicorum Episcoporum, qui edicto Constantii compulsi, Ariminum convenere. Hi enim in Epistolà ad Constantium Imperatorem datà ita scribunt: *Fuit nobis persuasissimum, iniquum esse, cùm Imperator Constantinus, ab obitu suo dignus omni memoria, hanc fidem omni curâ & diligentiâ conscriptam promulgârit, tum demum, ex quo ille baptizatus, ex hominibus in requiem sibi debitam translatus est, aliquid novi in ea fide moliri velle.* Hæc Epistola extat apud Sanctum Athaoasium, *lib. de Synodis Arimini & Seleutia*, & apud Socratem, lib.2. cap.37. Suzomenum, lib.4. cap.18. Theodoretum lib.2. cap.19. Cassiodorum in fine lib.3. *Historia Tripartita*, & Sanctum Hilarium in *Fragmentis*.

Depravatum Epistolæ textum inclamant Baronius, & ejus pedissequi, & in textu Sancti Athanasii, loco Constantini, Constantem haberi. Verùm legi non animadvertit Auctor Eminentissimus in Græco textu Κωνσταντῖνον, cùm apud Sanctum Athanasium, tum apud tres Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores mox laudatos, idque in MSS. omnibus codicibus & excusis, quos legit, & inter se contulit Valesius, qui & Constantinum ubique vertit: licèt in Latina Sancti Athanasii versione, Interpretis aut Typographi oscitantiâ, legatur *Constantis Imperatoris* nomen. Et sanè de Constantino Magno, non de Constante, aut Constantino Juniore scripsisse Patres Ariminenses, cnnstat ex iis quæ eadem in Epistolâ paulò superiùs scribunt. *Indecens enim & nefarium aliquid ex rectè & justè decretis, & ex rebus Nicaæ publicè cum Illustrissimo Principe Constantino patre tuo per accuratam deliberationem constitutis, aliquid immutare velle.*

Præterea, primitivus istius Epistolæ textus, qui Latinus fuit, teste Sancto Athanasio, *Constantinum* habet, non *Constantem*, ut patet ex illius exemplari apud Sanctum Hilarium, in *Fragmentis*.

Somniarunt aliqui, ad Concilium Mediolanense referri Fidem illam, cujus de conscriptione loquitur Patrum Ariminensium Epistola: ac proinde Imperatorem, quo præsente conscripta dicitur, & qui post Baptismum ad quietem Dei commigravit, non fuisse Constantinum, sed Constantem.

Verùm neque Concilio Mediolanensi Catholicorum anno Christi 347. celebrato, Constantem interfuisse leginius; & quamvis interfuisset, laudata Patrum Ariminensium verba referri ad ipsum non possunt. Imbecille namque fuisset argumentum ab exemplo Constantis petitum, ad suadendum Constantio ut nihil in Fide innovari pateretur. Constans enim frater erat Constantii natu minor, quem reveritus nusquam fuerat, imò a quo semper, tum ob Religionem, tum ob Imperii negotia dissenserat. Quid igitur sperare potuissent se a Constantio impetraturos Patres Ariminenses, scribendo, absurdum esse aliquid innovare in fide quæ sub juniore ejus fratre constituta fuerat? Certè Sardicensi, & Mediolanensi Conciliis, sub Constantis patrocinio celebratis, Philippopolitanum, & Antiochenum, sua auctoritate convocata & peracta, opponere Constantius putuisset. Et aliundè tantùm abest ut absurdum & iniquum videatur fratrem natu majorem assensum non præbere, iis quæ a fratre juoiore approbata sunt: ut potiùs majoribus minorum improbare consilia, & eos imprudentiæ arguere solemne sit. Quamobrem Sanctus Athanasius Constantio nusquam exprobrat junioris fratris contemptum, aut ejus exemplum ipsi proponit; sed Religionem & Fidem Patris, Nicænique Concilii decreta ipsi statuit ob oculos, ut constat ex Epistola ipsius *ad Solitarios*, & ex Theodoreto, lib.2. Historiæ cap.5. Denique cùm octavus tantùm annus a nece Constantis numeraretur, Ari-

minensis tempore Concilii, & quod sub eo constitotum fuerat, adhuc recens esset; quomodo ad ipsum referri hæc laudatæ Epistolæ verba possunt? *Nefas putamus aliquid inde mutilare, & tot Sanctos, & Confessores, & Successores Martyrum, ipsius tractatus conscriptores in aliquo removere, cùm & ipsi præteritorum Catholicæ Ecclesiæ Scriptorum cuncta servaverint. Mansitque usque in hæc tempora, quibus Pietas tua a Deo Patre per Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum, potestatem regendi orbis accepit.* Perspicuum est Patres Ariminenses de Constantino Constantis Constantiique patre, & de Concilio Nicæno fuisse locutos, cujus Fidem palam impugnari nusquam permisit religiosissimus Imperator. Porrò quæ interjacent de Ursacio & Valente, & de Concilio Mediolanensi in Epistolâ Patrum Ariminensium, * ab his verbis, *Ideò Ursacius & Valens*, usque ad ista exclusivè, *Constantino præsente in hoc*, per parenthesim intelligenda sunt, vel certè transposita meritò possunt videri, vel casu, vel industriâ: quia nimirum incidens de Valente & Ursacio mentio priorem de Nicæna Synodo sermonem interturbavit: qui post unam periodum resumptus est. Id legenti illam Epistolam perspicuum erit. *Nefas enim ducimus rectè & justè sancitorum aliquid mutilare, & eorum qui in Nicæno tractatu consederant, unà cum gloriosæ memoriæ Constantino patre Pietatis tuæ. Qui tractatus manifestatus est & insinuatus mentibus populorum, & contra Hæresim Arianam tunc oppositus invenitur, ut non solùm ipsa, sed etiam reliquæ Hæreses inde sint expugnatæ. A quo si aliquid demptum fuerit, venenis Hæreticorum aditus panditur.* Post hæc Patres Valentis & Ursacii incidenter meminerunt. *Ideò*, inquiunt, *Ursacius & Valens in suspicionem ejusdem Hæreseos venerunt aliquando, & suspensi erant a communione, & rogaverunt veniam, sicut eorum continent scripta: quam meruerunt tunc temporis a Concilio Mediolanensi, adsistentibus etiam Legatis Romanæ Ecclesiæ.* His interjectis, resumitur sermo interruptus de Nicæna Synodo. *Constantino præsente in hoc*, Nicæno scilicet tractatu [ut clariùs exprimit Sozomenus] *cùm magno examine fuisset conscriptum, quòd recèns baptizatus, ad quietem Dei commigravit, nefas putamus inde aliquid mutilare, & tot Sanctos, & Confessores, & successores Martyrum ipsius Tractatus* [Nicæni] *conscriptores in aliquo removere; cùm & ipsi præteritorum Catholicæ Ecclesiæ Scriptorum cuncta servaverint. Mansitque usque in hæc tempora, quibus Pietas tua a Deo Patre per Deum & Dominum nostrum Jesum Christum potestatem regendi orbis accepit.* Post hæc si adjuncta essent, quæ de Valente & Ursacio intertexta sunt, magis esset connexa, & meliùs flueret oratio, ut splendescit ex iis quæ sequuntur. *Verùm miseri homines* (Ursacius nimirum & Valens) *& infelici sensu præditi, iterum nunc temerario se præcones impiæ doctrinæ renuntiarunt: & nunc etiam conantur convellere, quod fuerat positum ratione*, &c. Hanc transpositionem odoratus est vir eruditus Henricus Valesius, in *Annotationibus ad Socratem*. Hunc itaque locum de Constantino Magno intelligendum esse palam est: adeòque cùm Patres Ariminenses ejus Baptismum & commigrationem ad quietem Dei nullo intervallo sejungant, locupletissimum testimonium præbent de Baptismo paulò antè mortem ab illo Imperatore suscepto.

Apud Socrat. & Theodoret.

His suffragatur Sanctus Isidorus Hispalensis in *Chronico*. Ex recentioribus verò hanc sententiam propugnant Aeneas Sylvius in Dialogis biennio ante Pontificatum suum editis, Cardinalis Cusanus, *lib. 3. Concordantiæ Catholicæ, cap. 2.* Vir doctissimus Hermannus Doctor Sorbonicus in Observationibus ad Vitam Sancti Athanasii, quam Gallico sermone tam accuratè, quàm eleganter conscripsit, & quotquot sunt, ut plurimùm, eruditi.

Contra pugnatur Baronii Cardinalis momentis Acta Silvestri fidem faciunt Constantinum Romæ baptizatum a Silvestro. Quæ Acta quantæ fuerint ac esse debeant in Ecclesia auctoritatis, testis est Hadrianus I. Pontifex Maximus, qui ea ad vindicandum sanctarum imaginum cultum laudavit in Epistolâ ad Constantinum & Irenem. Testis & Gelasius Pontifex apocryphorum severissimus & accuratissimus censor, qui in Concilio Romano testatur Acta illa Silvestri a multis Catholicis tum Romæ, tum alibi legi. Non igitur baptizatus est Nicomediæ sub vitæ finem Constantinus.

Cardinalis Baronii, & P. Nicolai argumentis respondetur.

Confirmatur ex Concilio Romano sub Silvestro, anno Christi 324. in cujus exordio hæc habentur: *Eodem tempore cùm multi nobiles gauderent, quòd Constantinus baptizatus a Silvestro Episcopo Urbis Romæ, & mundatus fuisset a lepra pro beneficio quod acceperat a Domino nostro Jesu Christo, per Silvestrum Episcopum cœpit integrè prædicare Dominum Jesum Christum, & confiteri ejus beneficia*, &c. Igitur Constantinus Imperator Romæ a S. Silvestro baptizatus est.

Respondeo ad primum, Ex Actis Sancti Silvestri nullum erui posse alicujus ponderis argumentum, quæ (vel ipso Baronio teste) putidis infarta sunt mendaciis. Narrant illa factam esse Romæ Synodum anno Christi 325. cui diversarum Provinciarum Episcopi numero 75. interfuere, Sacerdotes Judæorum 109. exceptis iis 12. qui ab Isachar Pontifice disputationis gratiâ missi fuerant, ut coram ipsorum patrona Helena Augusta, & Constantino Imperatore de Religione dissererent. Helena enim tunc adhuc Gentilis, sed a Judæis penè Judæa effecta, & commota in Constantinum filium, quòd Christianam Religionem sectaretur, ad eumdem infenso animo scripsit, multasque in Christum blasphemias evomens, ipsum ad Judæorum amplectendam religionem invitavit. Hæc præclara illa, & adeò laudata Silvestri Acta. Quæ in narratione, quot verba, tot ferè mendacia sunt. Quis enim credat in unum Concilium convenisse Christianorum Antistites, & Judæorum Sacerdotes ad disputationem de Religione ineundam? Quis duodecim Rabbinos ab Isachar Summo Sacerdote delectos, sibi fingat, qui contra Christianam Fidem disputarent, cùm exploratissimum sit a tempore excidii Hierosolymitani desiisse creari Summos Pontifices, prorsusque exolevisse apud eos Pontificis nomen? Quis Helenam adhuc Gentilem, & in Judæorum Religionem propensam credat, Constantino jam Christiano, reclamante Sancto Paulino Epistolâ 11. *Ad Severum*, & nemine Veterum id memorante? Nonne immane mendacium est, quod in iisdem Actis legitur, Sanctum Silvestrum jejunium Sabbati abrogasse; quod constat ab aliis Pontificibus Silvestri successoribus summa religione observatum? Nonne pariter impostura est, quod in iisdem Actis legitur, Silvestri institutum esse, ut dies hebdomadis prima, *Dominica* dicatur, cùm ex Apocalypsi constet, ipsis Apostolorum temporibus ita fuisse nuncupatam? Cur ergo Baronius & Baroniani velint ut mendacibus Actis adhibeamus fidem, ubi de Constantini Baptismo agitur, quibus ipsi fidem derogant in aliis, quæ ipsis non placent? Quid quòd in ipsa narratione de Constantini Baptismo Acta illa mendaciis inspersa sunt? Asserunt Silvestrum in Soracte monte latitasse, ut Constantini adhuc Patrita sectantis persecutionem fugeret. Qua fide Constantinus ostenso cœlitus signo Crucis ante multos annos ad Christia-

Acta S. Silvestri apocrypha.

nam

nam Religionem vocatus: Constantinus qui Religione tanta Crucem deinceps coluit; qui tot in Ecclesiæ utilitatem ac gloriam leges condidit; qui tot pias voces passim protulit; qui omnes ad Fidem Christianam invitabat, licèt cogeret neminem; qui adversùs Donatistarum Schisma & nefarios ausus Ecclesiam curâ adeò vigili, animo ita generoso, pietate adeò mirabili protexit: qua, ioquam, fide ille Constantinus repente ad ethnicam superstitionem defecisse, idololatriam amplexus esse, persecutionem movisse dici potest, præter omnium Veterum fidem? A vero pariter abhorret, quod eadem Acta referunt, Constantinum leprâ divinitùs percussum, cujus ad curationem balneum ex recenti infantium cruore parare decreverat ex Aruspicum consilio. Non leve certè mendacii indicium est, quòd Veterum Scriptorum nemo tantum miraculum literis commendaverit. Sed luculentiori argumento tota hæc fabula subvertitur. Julianus Apostata Christianis objiciebat (apud Sanctum Cyrillum Alexand. lib. 7. *contra Julianum*) Baptisma neminem a lepra mundasse, aut ab aliis corporis morbis sanavisse; adeòque stultè credi quòd morbos animi, scilicet peccata expungat. *Et leprosi quidem lepram Baptisma non adimit* (inquit) *nec impetigines, aut vitiligines, nec verrucas infestat, nec podagram, nec dysenteriam*, &c. *Adulteria verò, rapinas, & omnia omnino peccata eximet?* Quid ad hæc Sanctus Cyrillus? Respondet-ne Juliano, falsum esse quod Baptisma Christi nullum leprosum sanaverit, siquidem Constantinus fuerat a lepra Baptismate sanatus? Hac certè responsione Cyrillus Juliano silentium imposuisset: nec eam neglexisset ita obviam, si tam celebre in Constantini Baptismate contigisset miraculum.

At non ita respondet Cyrillus, sed Baptismi virtutem curandis etiam corporis morbis parem futuram, si Deus vellet. *Si Christus annuerit, ad hoc etiam aqua nobis sufficiet, nec impedimento quidquam fore facilè videbimus, si vim ejus ineffabilem & supra omnem naturam positam reputaverimus. Quod enim miraculi genus ab eo factum non est? Nutu enim præpotenti leprosos purgavit, hydropicos morbo liberavit, claudo sola voluntate gradiendi officium restituit: cæco præcepit aquis Siloë oculos abluere, quo facto insolitum ei lumen affulsit. Qui ergo res tam eximias nullo labore perfecit, & aquis ipsis sua potestatis efficacitatem indidit, numquid planè gratiam, quæ per Sanctum Baptisma tribuitur, omni morbo corporeo potentiorem effecerit? Sed in alios usus ipsam nobis datam esse contendimus*. Propter hanc itaque de lepra Constantini Baptismo purgata fabulam, explodi meritò debent Acta Silvestri.

Præterea, quid hæc sibi volunt verba, quibus Apostoli Petrus & Paulus compellasse Constantinum finguntur: *Hanc vicissitudinem Salvatori tuo compensa, ut omnes jussu tuo per orbem totum Romana Ecclesia restaurentur?* Quàm putida & barbara locutio! denique nullam veri speciem præfert illa Constantini a Silvestro percontatio, *Qui essent Dii Petrus & Paulus?* Scilicet Constantinus, qui toties unum Deum professus fuerat: qui Christianæ Religionis dogmata edoctus fuerat, qui in suo comitatu Episcopos habuerat, subitò in Christiana Religione tam rudis evasit, ut ignoraret an Petrus & Paulus Dii essent.

Nec verò majoris apud nos fidei & auctoritatis esse debent Acta illa Silvestri, quod ipsa Hadrianus I. laudaverit. Ea enim laudavit, quòd ob suam antiquitatem, ad asserendam sacrarum imaginum venerationem conferre aliquid possent: unde solùm inferri ex Hadriani testimonio potest, Catholica in illis Actis dogmata contineri. Sed non sequitur propterea, gestis quæ ibidem referuntur, fidem esse adhibendam. Hadrianus *Epistolâ 3. ad Carolum Magnum* ex Actis Silvestri narrat mirabile illud ex Christianis Judæisque Sacerdotibus conflatum Concilium, cui S. Silvester cum plurimis Episcopis præfuit. Nec tamen hac in re Hadriano assensum præbet Eminentissimus Cardinalis, aut sincera esse quoad hoc caput Silvestri Acta profitetur; imò fabulosum esse agnoscit illud Concilium. Nobis igitur quoad alia, quæ magis certa non sunt, imò æquè evidenter falsa idem licere, Baronii Sectatores non graventur.

Nec obstat rursus, quòd in Septima Synodo Oecumenica lecta sit illa Hadriani Epistola, ex qua Acta Silvestri vindicari videntur. Non enim certæ ac indubiæ sunt auctoritatis Scriptorum Ecclesiasticorum libri omnes, ex quibus testimonia aliqua proferuntur in Conciliis ad Fidei dogma confirmandum, ut omnia facta in iis recensita negari absque temeritate non possint. Alioqui sequeretur temerarium esse, qui Origenem cum dæmonibus damnatum inficiaretur, & alia hujusmodi negaret, quæ referuntur in *Prato Spirituali*, vel in quibusdam Sanctorum Vitis, quibus ex Operibus in eadem 7. Synodo testimonia pro sacrarum imaginum cultu prolata sunt.

Non obstat denique quòd Gelasius Acta illa Silvestri in multis Ecclesiis recipi asserat, nec ea censurâ percellat suâ. Id enim solùm probat nil in eis Fidei contrarium reperiri, quo ex eorum lectione metuendum sit Fidelibus: & aliunde non immeritò dubitari potest, num Acta illa Silvestri quæ habemus, eadem sint cum illis quæ sunt a Gelasio probata.

Concilium Romanum sub S. Silvestro fictitium & apocryphum.

Ad confirmationem respondeo, Concilium illud Romanum fictitium esse. Id patet primò ex Prologo illius Concilii, qui damnatum ibi Photinum ait. At Photini Hæresis longè postea emersit, nec ante Sirmiense Concilium damnata est. Secundò, ex falsa consignatione Consulum. Dicitur enim celebratum Constantino Augusto III. & Prisco Coss. quod Fastis Consularibus repugnat. Anno enim 324. in quem incidisse fertur illud Concilium, non Priscus sed Crispus cum Constantino iniit Consulatum. Tertiò, quia dicitur collegisse Concilium Silvester intra Thermas Trajanas *Compresbyteros vel Coepiscopos, vel Diaconos suos, cives Romanos*. Quasi credibile sit ducentos octoginta quatuor Episcopos cives Romanos fuisse; aut saltem centum triginta novem quos recenset, post tot Ecclesiæ persecutiones, idololatria adhuc dominante. Æquè incredibile est quod ait, cæteros Episcopos ex Græcia advenisse. Ad Concilium scilicet Occidentis, & Provinciale dumtaxat, in quo nulla de Fide futura erat Quæstio, tot Episcopi adventassent. Quartò, suis nominibus recensentur fictitii illi Antistites, non addito nomine Episcopatus, præter antiquum Ecclesię morem. Quintò quia dicuntur stetisse in illo Concilio Presbyteri ad terga Episcoporum, quod Romanæ Ecclesiæ moribus repugnat, in quâ solemne fuisse, ut sederent Presbyteri scribit Sanctus Hieronymus Epistolâ 80. Sextò, Helena Constantini mater subscripsisse dicitur Concilio, quod ridiculum est, & ab Ecclesiæ moribus penitus alienum, cùm nullæ umquam mulieres, etsi Reginæ, vel Imperatrices, ad sacros illos cœtus admissæ fuerint, multò minus Ecclesiasticis decretis subscripserint. Septimò, in hoc Concilio constituti leguntur inepti & Scripturæ Sacræ Ecclesiasticæ Disciplinæ, imò & sensui communi repugnantes Canones. Talis est ille: *Nullus Episcoporum Virginem sacratam maritali consortio expetierit benedicere, nisi eam probaverit 72. annorum esse constitutam*. Quis umquam

qnam audivit facrari virgines maritali consortio aut 72. annum expectari ut benedicerentur, aut mulieres matrimonio junctas in Virginum ordinem referri?

Ejusdem farinæ est ille Canon: *Non damnabitur Præsul, nisi in 72. Presbyter autem nisi in 44. testimoniis non damuabitur.* At constans fuit in Ecclesia Disciplina, ut a duodecim Episcopis posset Episcopus judicari. Nec usquam auditum est 44. testimonia ad sententiam in Presbyterum ferendam necessaria esse, dicente Christo: *In ore duorum, vel trium, stat omne verbum.* Pergit præclarus ille Canon: *Subdiaconus, Exorcista, Lector, nisi (sicut scriptum est) in septem testimoniis, filios & uxores habentes, & omnino Christum prædicantes*, Ubi illud scriptum? Præterea, ad quos illa verba referuntur, *Filios & uxores habentes, & omnino Christum prædicantes?* An ad Subdiaconos, Acolythos, Exorcistas, & Lectores? An ad illos qui testimonium adversùs ipsos ferre possunt? Si primum, istud quoad Subdiaconos, repugnat alteri Canon ejusdem Concilii, prohibenti ne Subdiaconi ad nuptias transeant. Quoad alios verò, ineptum sensum parit, quòd nimirum Clerici minores nedum uxores & filios habere possint, sed debeant. Si secundum, absurdus pariter fit sensus, quòd scilicet debeat quis uxorem & filios habere, ut idoneus in Clericos testis esse possit.

Sic Canone 11. sancitur ut nemo fiat Acolythus, nisi fuerit Lector annis triginta. Quis hoc umquam legit in Ecclesia observatum? Item Actione 2. postulantibus Presbyteris, Diaconibus, & universo Clero, ut Silvester Priscum & Theodorum Diaconos ordinaret, dicitur Silvester eos subordinasse, non ordinasse. Quid sibi vult illa subordinatio?

Canon 13. sic habet: *Nemo enim, nisi velamen cæleste acceperit primùm conjugii per manus Sacerdotis, ad Clericatûs honorem accedat.* O egregium Canonem, qui ineundum conjugium sanciat ante susceptionem Clericatûs. Denique Concilium illud barbaris locutionibus, & crassam redolentibus ignorantiam, totum scatet. Sic *Curiam dici* notat *a cruore*. Sic dicit, *Silvestrum fixisse Canonem, & omnibus Episcopis aspersisse*. Sic dicitur *Episcoporum chirographus cucurrisse*. Præter alia plurima, quæ fictitium ac supposititium Concilium arguunt, cujus proinde nulla sit auctoritas ad probandum Constantinum Romæ baptizatum a Silvestro.

Objiciuntur secundò Acta Liberii, quæ Cresconii Collectioni inserta sunt, in quibus refertur ex libro quodam Silvestri, Constantium a lepræ morbo in Baptismo crucis signaculo liberatum; indignatum verò esse Constantinum ejus filium longè post mortem patris, quòd Liberius sparsisset in vulgus, Constantinum a Silvestro mundatum olim a lepra sacro Baptismate: ob eamque caussam, gravia in eum comminatum fuisse. Constantinus igitur a Sancto Silvestro Romæ baptizatus est, & a lepra vi sacri Baptismatis mundatus.

Confirmatur ex Gregorio Turonensi, lib. 2. Histor. Francor. cap. 31. ubi Clodovei Baptismum describens, ait: *Procedit novus Constantinus ad lavacrum deleturus lepra veteris morbum, sordentesque maculas gestorum antiquorum recenti latice deleturus.* Spiritalem peccatorum lepram, quam in anima Clodovei sacrum Baptisma detersit, cum lepra corporea, a qua Constantinus Baptismatis virtute mundatus est, comparat Gregorius Turonensis.

Respondeo, Acta ista Liberii ex eadem officina prodiisse, atque Acta Silvestri: eorum suppositionem arguere altissimum Veterum silentium, qui in Liberii gestis & colloquiis cum Imperatore Constantio colligendis diligentissimi fuerunt, ut constat ex præclaro illo Dialogo, quem Theodoretus refert, lib. 2. Histor. Eccles. cap. 15. Illa Acta multis obsita mendis agnosci a Baronio, adeoque perperam ut monumentum certæ & inconcussæ auctoritatis laudari. Non esse denique verisimile, quòd Liberii tempore, quo recens adhuc erat Baptismi Constantini memoria, nec evanescere potuerat ex hominum animis tam celebre de curatâ ejus lepra miraculum, si verum fuisset, Constantium Liberio fuisse indignatum, quòd illud sparsisset in vulgus: aut facti illius famam a Liberio primùm fuisse vulgatam, quæ (si verum illud fuit, & in Urbis, orbisque totius luce patratum) omnium aures & animas invaserat.

Ad confirmationem respondeo, Gregorium Turonensem, vel ex Actis Silvestri jam confictis deceptum: vel de peccatorum lepra intelligi: cæterùm de Baptismatis Constantini loco & tempore non loqui.

Objicies tertiò testimonium Nicolai I. in Epistolâ ad Michaelem Græcorum Imperatorem; ubi quoddam Silvestri decretum laudans ait: *Consonat huic necessaria sententia S. Silvester & Magni Constantini baptizator.*

Confirmatur ex Anastasio Bibliothecario in Chronico; ubi Constantinum Baptismum Romæ suscepisse narrat, anno Imperii sui 18.

Confirmatur secundò ex Nicephoro, *lib. 7. Historia Ecclesiastica*, capp. 33. & 34. baptizatum pariter a Silvestro Romæ Constantinum asserente, idque satis probare baptisterium Constantini, quod in testimonium ejus rei certissimum Romæ asservatur. Addit, Arianorum figmentum esse quòd morti proximus Baptismum Nicomediæ susceperit: idque ex eo facilè refelli, quòd Ecclesia a Silvestro eum Romæ baptizatum esse certò prædicat. Idem ante Nicephorum scripserat Theophanes.

Responden ad primum, Nicolaum I. vocasse Silvestrum Magni Constantini baptizatorem, pseudepigraphis Silvestri & Romani Concilii Actis falsò persuasum. Unde sicut nullus eruditorum jam diffitetur suppositas esse veterum Pontificum Epistolas, quamvis istas vindicaverit Nicolaus I. ut nova sibi contra antiquam disciplinam in exauctoratione Episcoporum jura vindicaret: ita nec ipsius auctoritas tanti hac in Quæstione fieri debet, ut contra Veterum omnium fidem, Romæ baptizatus a Silvestro Constantinus asseratur, quia id obiter Nicolaus Pontifex scripsit.

Iisdem Pseudepigraphis Silvestri Actis deceptus Wandalbertus Diaconus, de Sancto illo Pontifice, in Martyrologio, ita scripsit:

Pontificum Primus tranquillam cernere pacem
Qui meruit, Dominosque orbis purgare lavacro.

Ad utramque confirmationem respondeo, majorem fidem adhibendam esse antiquis Auctoribus, nimirum Eusebio, Socrati, Sozomeno, Theodoreto, Evagrio, Gelasio Cyziceno, Ariminensis Concilii Patribus, & SS. Hieronymo, Ambrosio, Isidoro, quàm recentioribus, Anastasio, Theophani, Nicephoro. Baptisterium porrò Constantini, ex quo argumentum sumit Nicephorus, non probat quòd Romæ Baptismo initiatus fuerit. Quidni enim Constantini baptisterium dicatur, quia ipsius magnificentiâ in aliorum usum extructum est?

Objicies quartò. Ethnici ipsi Auctores Baptismum a Constantino Romæ susceptum non obscurè significant. Zosimus enim, lib. 2. Historiæ cùm Constantini scelera, Crispi scilicet filii, & Faustæ conjugis necem retulisset, ait: *Horum ipse sibi conscius & propterea contempta Sacramentorum Religionis, ad flamines accedens, admissorum lustrationes*

nes poscebat. Illis respondentibus, Non esse traditum lustrationis modum, qui tam fœda piacula posset eluere, quidam Ægyptius ex Iberia venerat, Romam delatus, Palatinisque mulierculis familiaris factus, & ad Constantini colloquium admissus, sententiam Doctrinæ Christianorum habere vim abolendi quodcumque peccatum confirmavit, & idipsum adeò polliceri: nimirùm acceptantes eam homines impios mox omni delicto liberari. Eum orationem cùm non gravatè Constantinus accepisset, ac Patrita missa faceret, perceptis iis, quæ hic Ægyptius offerebat, principium impietatis hoc dedit, ut divinationem suspectam haberet.

Zosimus Historicus falsi convincitur.

Respondeo, Narrationem Zosimi ab Ecclesiasticæ Historiæ Scriptoribus convinci falsitatis, præsertim a Sozomeno & Evagrio. Multis rationibus ipsam velut in odium Christianæ Religionis ab Ethnicis confictam explodit Sozomenus, lib. 1. cap. 5. Prima est, quòd *Crispus, cujus causâ Constantinum lustratione opus habuisse, dicunt, anno Imperii Patris sui* 20. *mortem obiit: qui dum adhuc superstes esset, utpote secundum Imperii obtinens locum & Cæsaris dignitate decoratus, multas unà cum Patre leges pro Christianis tulerit, sicut temporum nota singulis Legibus subjecta, & Legislatorum nomina etiamnum testantur.* Cùm itaque anno Imperii sui 19. lustrationem expetiisse Constantinus fingatur, falsum est quòd ob Crispi necem lustrationem desideravit. Crispi mortem post Nicænum Concilium etiam consignant Chronicon Alexandrinum, & Fasti Idacii. Cùm itaque annis quindecim ante istius Concilii celebrationem, nedum quo tempore celebratum est, ad Christianam Religionem conversus esset Constantinus, falsum est quod Zosimus asserit, ipsum occasione cædis Crispi, & lustrationis propterea quæsitæ, Christianorum esse doctrinam amplexum.

Secunda ratio Sozomeni est, quòd verisimile non sit, *Sopatrum* (quem de modo expiandi criminis consuluisse fertur Constantinus) *in colloquium cum illo venisse, qui tunc temporis in illis dumtaxat partibus, quæ circa Oceanum ac Rhenum posita sunt, Imperio potiebatur. Nam ob dissidiam ejus cum Maxentio, qui tum in Italia degebat, perturbata erat Romana respublica: nec facile tunc cuiquam erat, in Gallias ac Britannias, easque orbis partes penetrare, in quibus Constantinum Christianam Religionem primùm suscepisse constat, antequam Maxentio bellum intulisset, & in Italiam, atque Urbem Romam pervenisset. Cujus rei fidem iterum faciunt, tum tempora ipsa, tam leges quas ille pro Religione sanxit.*

Tertia ratio Sozomeni est, quòd etsi cum Sopatro collocutus Imperator supponatur, vel per Epistolam eum de quibus volebat consuluisse: *Haudquaquam tamen credibile est, Philosophum ignorasse, Herculem Alcmenæ filium post cædem liberorum & post necem Iphiti, quem licèt amicum atque hospitem iniquè interfecerat, Cereris sacris Athenis expiatum fuisse.* Igitur hujusmodi scelerum expiationem Græci pollicebantur. Non est igitur verisimile Sopatrum, qui eruditionis causâ inter Græcos eâ ætate nobilissimus habebatur, Constantino respondisse, nullam ipsi, post illatam conjugi & filio necem, expiationem superesse.

Respondet Baronius, Sopatrum Sectæ Platonicæ Philosophum, ex Doctrina Platonis respondisse, qui non alio modo expiari posse censebat cædium facinora, quàm nece. Sed hoc falsum est; nam Plato in Gorgia & in Phædone, crimina quidem aliqua post mortem esse irremissibilia asserit: Sed non negat quin expiari in hac vita possint. Verùm etsi ex Platonis sententiâ nulla esset expiatio pro cædibus injustis; pro justis tamen expiationes erant institutæ: neque id ignorare poterat tanti nominis Philosophus. Atqui justa erat Faustæ & Crispi cædes. Igitur denegari ipsi non poterat expiatio...... Justam autem fuisse probatur ex Actis Artemii Martyris, * qui cùm Christianæ professionis reus coram Juliano Apostata sisteretur, ac perfidus Imperator memoriæ Constantini detraheret, multa in eum objiciens, ac præsertim propinquorum necem; Constantini patrocinium suscepit Artemius, atque Faustam justè admodum interfectam respondit. Crispum enim calumniata erat [ut ipse ait] quòd ejus amore captus esset, vimque ei conatus esset inferre. Uxori citiùs credens Imperator, filium occidit. Postea verò cùm illius calumniam detexisset, ipsam occidi jussit. An injuriâ? Eamdem necis Faustæ & Crispi causam refert Suidas. Cùm igitur Constantinus justè cædes illas imperasset, quantùm in ipso erat, ipsarum expiationi supererat locus, secundùm antiquos Gentilium, & Romani præsertim populi mores. Atque id respondendum ex hypothesi quòd Faustam & Crispum revera jusserit interfici Constantinus, ut Sanctus Hieronymus existimat in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum*, *cap.*91. At Evagrius, *lib.*3. *Historia Ecclesiastica*, *cap.*40. & 41. inter probra & calumnias quas Zosimus adversùs Constantinum scripsit, refert hanc de Faustæ & Crispi nece narrationem, de expiatione apud ethnicos Sacerdotes frustra quæsita, & de accepta lustratione ab Ægyptio quodam qui ex Iberia venerat. *Quòd autem*, inquit, *nec Faustam, nec Crispum idem Constantinus occiderit, nec ob eam causam ab homine Ægyptio Sacramentum nostræ Religionis acceperit, audi, si placet, testantem Eusebium Pamphili, qui iisdem temporibus floruit, quibus Constantinus & Crispus vixere, & qui cum iisdem sæpe versatus est. Tu enim* [Zosimum alloquitur] *ex auditione quidem abs te accepta scribis, verùm vera. Quippe qui Principatu Arcadii & Honorii, ad quorum usque tempora Historiam tuam perduxisti, aut etiam post illos vixeris.* Refert deinde hæc Eusebii verba in fine Historiæ Ecclesiasticæ. *Constantinus verò omnibus religionis virtutibus ornatus, & victor maximus, unâ cum filio Crispo Cæsare, Deo carissimo, & Patri undequaque simillimo, Orientem suum recepit.* Ex quibus sic colligit Evagrius. *Certè Eusebius, qui Constantino superstes vixit, numquam Crispum adeò laudasset, si is a Patre interfectus fuisset.* Tum refert testimonium Theodoreti asserentis, Constantinum sub exitum vitæ salutari lavacro initiatum fuisse Nicomediæ. Denique ubi Zosimi in Constantinum & Christianos maledicta uberiùs confutavit, suam his verbis concludit orationem. *Porrò nemo existimet, hæc ab instituto Historia Ecclesiastica aliena esse: quin potiùs utilissima, ac prorsus necessaria, propterea quòd Gentiles Historia Scriptores accuratam rerum cognitionem de industria obscurare nituntur.* Tandem Photius in Biblioth. Zosimum *piorum Principum calumniatorem* vocat. Ex fonte igitur impurissimo suam de Baptismo Constantini Romæ opinionem hausit Baronius, cùm ex Zosimo ejus probationem petiit.

Acta Martyris Artemii ex Metaphraste refert Surius ad diem 20. Octobris.

Objicies quintò. Incredibile est adeò superstitiosum fuisse Constantinum pientissimum Imperatorem, ut propter Baptismum in Jordanis flumine suscipiendum, regenerationem in Christo suam ad finem usque vitæ distulerit. Ergo perperam fingitur Baptismum ideò suum tamdiu distulisse, ut in Jordane baptizaretur.

Præterea. Quonam exemplo majorum Constantinus persuasus ad decrepitam senectutem Baptismum dilaturus erat, quem nonnisi urgente morte suscepit?

Tertiò. Si, (quod ait Eusebius) optabat in Jordane baptizari: quando id facere potuisset op-

portuniùs, quàm anno ante obitum, cùm Hierosolymam ex omnibus Orientis partibus ab eo vocati ad templi dedicationem Episcopi convenere; cùm præsertim imminens in Persas profectio ad executionem propositi eum impellere debuisset?

Quartò. Numquam-ne antea, ex quo Christianus esse cœpit Constantinus, post viginti-sex annos, in morbum incidit, ut expiandi per Baptismum peccata oportuerit eum iniisse consilium? Sed esto. Potuitne homo tot parricidiis cruentatus, sic inexpiatus ad extremam usque senectutem perdorasse, conscientiâ penitùs consopitâ, ne dicam emortuâ?

Respondeo ad primum, nego consecutionem antecedentis, quòd scilicet superstitionis reus esset Constantinus optando baptizari in Jordane. Istud enimverò votum ex pietate conceptum erat in Baptismum Christi, qui in Jordane peractus est: & quia sacri Corporis sui contactu Jordanis aquas ratione quadam singulari sanctificavit. Unde non solus Constantinus, sed plerique ejusdem ætatis Catechumeni, eodem pietatis motu in Jordane baptizari ambibant, ut Eusebius in lib. *de locis Hebraicis*, quem Sanctus Hieronymus latinitate donavit, testatur. *Bethabara*, inquit, *trans Jordanem, ubi Joannes in pœnitentiam baptizabat: unde & usque hodie plurimi de fratribus, hoc est de numero credentium, ibi renasci cupientes, vitali gurgite baptizantur*. Et diu post Eusebii ac Hieronymi ætatem, Fideles in eo ipso loco lavare soliti sunt, precipoè Festo die Epiphaniæ, post Baptismum parvulorum, ut ex Itinerario Antonini probat Valesius in Notis ad lib. 4. Eusebii de Vita Constantini. Cujus Itinerarii hæc suot verba: *Juxtà Jordanem verò, ubi baptizatus est Dominus Jesus, est tumulus cancellis circumdatus. Et in loco ubi redundat aqua de alveo suo posita est crux lignea intus in aqua & ex utraque parte rupes strata, marmore. Et in Vigilia Theophaniæ magnus ibi fit conventus populorum. Et quarta, aut quinta vice gallo canente, fiunt Vigiliæ. Completis Matutinis, prima diluculo surgentes procedunt ad sacra Ministeria celebranda sub dio. Et Diaconi tenentes Sacerdotem, descendit Sacerdos in flumen. Et horâ quâ cœpit benedicere aquam, mox Jordanis cum magno rugitu post se revertitur; & stat aqua superior in se usque dum Baptismus perficitur: inferior autem fugit in mare*. Et paulò post: *Baptisma autem completa, descendunt omnes in fluviam pro benedictione, induti sindonibus, quas sibi ad sepulturam servant*.

Idem constat ex Hodœporico Sancti Willibaldi, quod edidit Canisius. *Ad Jordanem* inquit, *ubi Dominus fuit baptizatus, ibi nunc est Ecclesia in columnis lapideis sursum elevata: & subtus Ecclesiam est nunc arida terra, ubi Dominus baptizatus fuit. In ipso loco & ibi nunc baptizant: ibi stat crux lignea in medio, & parva derivatio aqua stat illic; & unus funiculus extensus super Jordanem hinc & inde firmatur. Tunc in solemnitate Epiphaniæ infirmi & ægroti venientes habebant se cum funiculo, & sic demerguntur in aquam. Episcopus noster Vuillibaldus balneavit se ibi in Jordane*. Sicut ergo Fideles, non ex superstitione, sed ex pietate, quam Ecclesia laudabat, ad Jordanem vel Baptismi, vel balnei causâ confluebant; ita Constantinus, pietatis, non superstitionis impulsu, Baptismum in Jordane suscipere optabat.

Ad secundum respondeo, Non referre quo exemplo Baptismum tamdiu distulerit Constantinus, cùm certum sit ipsum revera ad finem distulisse. Quo exemplo, quæram ego a Baronio, Valentinianus Baptisma tamdiu distulit, ut Catechumenus moreretur? Quo exemplo Constantius, qui multos annos Catechumenus egit? Quo exemplo Nectarius, Sanctus Ambrosius, Sanctus Augustinus, provecta ætate baptizati sunt? Lege Sanctum Augustinum, *lib. 5. Confess.* cap. 10. ubi hanc Baptismi dilationem sua ætate communem fuisse testatur. Quo exemplo illi omnes quorum excusationes de Baptismo tam citò non suscipiendo, sed ad senectutem etiam differendo SS. Patres refellunt, præsertim Sanctus Gregorius Nazianzenus *Oratione 40. in Sanctum Baptisma*, Sanctus Basilius *Homilia 13. de exhortatione ad Baptismum*, Sanctus Gregorius Nyssenus, vel sub nomine ejus alius Auctor, *Oratione in eos qui Baptisma differunt*? Quo exemplo Clinici, qui Baptismum nonnisi lethali morbo correpti suscipiebant? Hanc Constantini in suscipiendo Baptismate moram, nemo quidem laudaverit, sed excusatione dignam nemo non judicaverit, qui persuasum fuisse noverit Fidelibus, satiùs esse differre Baptisma, quàm a gratia per illud collata excidere: ac propterea illud in eam frequenter distulisse ætatem, quâ cupiditatum æstus non adeò vehementes essent, nec tanta esset ad vitium propensio. Quam persuasionem evellere nititur Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione laudata. Baptismum præterea differebant, quòd persuasum haberent Baptismo non peccata dumtaxat omnia, sed omnem pœnæ reatum expungi. Quòd Ecclesiæ severior esset Disciplina erga eos qui post Baptismum, quàm qui ante Baptismum peccassent. Denique Baptismum differebant nonnulli ut ad tanti Sacramenti gratiam se diligentiùs disponerent, & omnia interim Christianæ pietatis officia exequebantur, iis exceptis, quæ initiatorum propria erant. Non mirum itaque quòd Constantinus tamdiu Baptismum distulerit.

Ad tertium respondeo, Non referre quòd tempore Hierosolymitani Concilii Baptismum in Jordane suscipere potuisset Constantinus, prout in votis habebat. Non enim quærimus quid potuerit, sed quid fecerit. Esto, tunc suscipere potuerit Baptismum in Jordane; nec tunc, nec antea suscepisse, sed in fine vitæ, & in Nicomediæ suburbanis, ex Historia certum est.

Ad quartum respondeo, Quòd etsi in morbum forsan incidisset antea Constantinus, tamen quia lethalem non esse morbum intelligebat, Baptismum in aliud tempus distulit, quem de victo Maxentio jam in voto susceperat. Nec verò tot sceleribus inquinatus erat Constantinus, quot Baronius fingit. Nec ad morales confugiendum est conjecturas, & quærendum an potuerit tot annos inexpiatus perdurare, consopitâ conscientiâ; cùm Historiæ veritas, & omnium veterum Scriptorum unanimis consensus, absque Baptismo in re suscepto, ipsum ad finem usque vitæ mansisse comprobet.

Objicies sextò. Eusebius, lib. 3. *De Vita Constantini*, *cap. 3.* testatur ipsum ante vestibulum Palatii sui tabulam suspendisse, in qua ipsius effigies depicta erat cum Cruce capiti superpositâ, & dracone telis per medium ventrem confixo sub pedibus, qui in profundos maris gurgites projectus esset. Quo significabatur dæmonem sub ejus pedibus conculcatum jacere, ut idem Eusebius interpretatur. At quomodo hæc applicari Constantino possunt, si nondum baptizatus erat; cùm constet omnem Catechumenum esse energumenum, & tantùm abesse ut ipsum conculcet draconem, ut potiùs ei subjaceat, donec per Baptismum (quod est mare in quod serpens demergitur) ab ejus potestate liberetur?

Accedit quòd Dalmatianus Cyzicenus, qui collegit Acta nonnulla Concilii Nicæni, describit Orationem a Constantino coram Patribus Nicænis habitam, qua se planè Christianum esse, & sacro Baptismate initiatum, sæpius profitetur.

Res-

Respondeo, Tabulam illam, quæ draconem sub pedibus Constantini cruce confixum, & in mare demersum exhibebat, non significasse Baptismum Constantini, sed de ejus idulolatria victoriam, & profligatum vi Crucis, quam adorandam Gentibus universis proposuerat, dæmonem. Id ex laudato loco Eusebii compertum est. *Idcirco*, inquit, *Imperator draconem telis per medium ventrem confixum, & in profundos maris gurgites projectum, sub suis suorumque liberorum pedibus cerâ igne resolutâ depingi proponique omnibus voluit; hoc videlicet modo designans occultum humani generis hostem, quem salutaris illius Trophæi, quod capiti ipsius superpositum erat, vi ac potentiâ in exitii barathrum detrusum esse significabat ..... Mihi verò eximiam Imperatoris intelligentiam mirari subit, qui divino quodam afflatu impulsus, ea pingendo expressit, quæ Prophetarum vocibus de bestia illa multò ante prædicta fuerant; Deum scilicet machæram ingentem & terribilem adacturum esse in Draconem Serpentemque fugientem, & occisurum esse draconem qui est in mari.*

Ad Dalmatianum Cyzicenum respondeo, Ipsum a Gelasio Cyziceno redargui, qui Acta Nicæni Concilii exscripsit ex ipso Dalmatiani Codice. Nam in Sermone Prosphonetico Constantini, quem ille describit, ne verbulum quidem est de ejus Baptismo. Et aliundè Eusebium in omnibus sequitur Gelasius Cyzicenus.

Objicies. Si in suburbanis Nicomediæ imminente obitu, baptizatus est Constantinus, sequitur ipsum ab Eusebio Nicomediensi baptizatum esse, atque adeò in Arianorum perfidia initiatum. Nam interfuisse tunc ibi Eusebium Nicomediæ Episcopum Theodoretus affirmat. Sed & ab ipso Eusebio baptizatum Constantinum SS. Hieronymus & Isidorus in *Chronico* testantur. Quamobrem si Eusebio Cæsareensi de Constantini Baptismo credimus, affirmare necesse erit hunc Imperatorem in extremo vitæ cursu ab Ariano Episcopo baptizatum, impium ex hac vita migrasse, & ab Ecclesia penitus alienum, quod repugnat ipsius Ecclesiæ testimonio Constantini sanctitatem commendantis.

Respondeo, Non sequi quòd baptizatus sit ab Eusebio Nicomediensi Constantinus, quia Nicomediæ baptizatus est. Nec assentior SS. Hieronymo & Isidoro asserentibus ab Ariano sacris Mysteriis fuisse initiatum. Ne assentiar, movet me Eusebii Cæsareensis silentium, & cæterorum Scriptorum, qui non dicunt a quo fuerit baptizatus. Secundò, quia Photius in *Bibliotheca Cod.* 88. eam opinionem refellit Gelasii Cyziceni testimonio, quod ipse approbat. Sic enim de Gelasii Historia scribit. *Desinit in Constantini Magni obitum, quando divino remissionis peccatorum lavacro suscepto, vita hujus maculas, quas communi mortalium sorte contraxisse oportuerat, unà eluit. Baptismate verò tinctum esse ab Orthodoxo Sacerdote, sacroque ritu, non (ut quidam prodiderunt) ab Hæreticorum aliquo. Longiorem autem hanc Baptismati obvenisse moram, quòd ipsis Jordanis fluminis aquis tingi vehementer optasset.* Tertiò cur ab Osio, qui in comitatu frequens versabatur, & qui adeò ipsi charus erat, totque meritis spectabilis, non dicatur baptizatus Constantinus? præsertim cùm nomine Ægyptii, id est Magi cujusdam ex Iberia oriundi, a quo lustrationem suscepisse ipsum dicit Zosimus, Auctor maximi apud Baronium pretii, designatus videri possit. Quartò. Etsi baptizatum fuisse ab Ariano concederemus, Hieronymum & Isidorum secuti, non sequeretur ipsum Arianum factum fuisse: quia Eusebius Nicomediensis Catholicum sese simulabat, & Concilio Nicæno subscripserat. Unde Constantinus decipi potuit, ut ab ipso Baptismum susciperet, quem existimabat Orthodoxum.

Objicies ultimò, Historicos veteres cum Actis Sancti Silvestri, & cum Scriptoribus recentioribus facilè conciliari posse, dicendo Constantinum a Silvestro baptizatum fuisse anno Imperii sui 19. morti verò proximum, rebaptizatum fuisse ab Eusebio Nicomediensi. Anselmum Havelburgensem Episcopum, *lib.* 3. *Dialogorum*, * quos Eugenio III. Romano Pontifici nuncupavit anno MCXLV. huic conciliationi viam aperire. His namque verbis Græcos compellat: *Si ita est quòd nostros Latinos, vel etiam aliquos * Christianos sub invocatione sanctæ Trinitatis baptizatos quoquo modo judicetis rebaptizandos, planè juxtà quamdam Arianorum sectam, manifestissima Hæresis est; nec Concilia vobiscum, sed contra vos sunt celebranda, & sine ulla Quæstione vel audientia estis anathematizandi.* Et infra: *Eusebius quondam Nicomediæ Episcopus, totus Arianâ Hæresi fermentatus, sicut narrat Historia a Theodoreto venerabili Episcopo Græco sermone conscripta, & a Cassiodoro per Epiphanium Scholasticum in Latinam nostram translata, Magnum Constantinum Imperatorem in Arianum dogma rebaptizavit. Ita enim ibi legitur: Constantinus ægritudine captus, ex Urbe Constantinopolitana quasi ad calidas aquas egressus est, qui cùm Nicomedia degeret, languore gravatus, nec ignorans vitæ hujus incertum, gratiam sacri Baptismatis est adeptus. Hunc eumdem Constantinopolitanum Imperatorem, sicut narrat Historia Ecclesiastica ab Eusebio Cæsareensi Palæstinæ Episcopo conscripta, beatissimus Papa Silvester priùs in initio suæ conversionis Romæ intra Palatium Lateranense baptizaverat.* Floruit autem Anselmus Havelburgensis Episcopus tempore Lotharii Imperatoris, cujus extitit Apocrisiarius ac Legatus Constantinopolim missus ad Græcorum Imperatorem, ubi a Græcis Episcopis provocatus, celebrem Conventum institui curavit, in quo de Controversiis Græcos inter & Latinos ultrò citròque disputatum est: quod Eugenio III. narrat ipse Anselmus.

Anselmi Havelburgensis Episcopi figmentum rejicitur.

* *Tom. 13. Spicilegii.*

* *Annon legendum, alios?*

Nec incredibilis videri debet rebaptizatio Constantini ab Arianis, cùm iterationem Baptismi a Catholicis collati inter eorum errores Sanctus Augustinus memoret, *lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum.*

Respondeo, Nullius ponderis esse Anselmi Havelburgensis testimonium, qui circa medium Sæculi 12. dumtaxat floruit. Ipsum falsò laudare Eusebium Cæsareensem ut testem Baptismi Constantino Imperatori Silvestri Papæ ministerio collati. Falsò item laudare Theodoretum velut asserentem in Historia Ecclesiastica, *Constantinum in Arianum dogma fuisse rebaptizatum.* Hunc Episcopum in Historia Ecclesiæ, & Arianæ Hæreseos peregrinum & hospitem fuisse. Actis Pseudepigraphis Silvestri fidem imprudenter adhibuisse, illisque adductum ad novum illud systema de Constantini rebaptizatione fingendum, quo Acta illa cum veteribus Auctoribus Ecclesiasticis conciliaret. Nullo antiquorum testimonio nixum commentum illud, sponte sua ruere. Falsum esse quòd Ariani Constantini & Constantii Imperatorum temporibus rebaptizarint, cùm nec Sanctus Athanasius, nec Sanctus Hilarius, nec Sanctus Epiphanius, nec SS. Gregorius Nazianzenus, Basilius, Hieronymus id ipsis exprobrent, aut inter eorum errores iterationem Baptismi referant. Ex Concilii Nicæni & cæterarum Synodorum contra ipsos habitarum silentio colligi, nusquam ipsos rebaptizasse iis temporibus, cùm nullo Canone hic eorum error & usus percellatur ac damnetur.

Constantinum M. rebaptizatum fuisse, falsum est

Tempore primùm Wandalicæ persecutionis rebaptizationem hujusmodi ab Arianis Wandalis, & Hunnis tentatam & usurpatam, legi apud Victorem Vitensem in libris *de Persecutione Vvandalica*. Wandalorum, Hunnorumque Arianorum morem Sanctum Augustinum spectasse, cùm hunc errorem Arianis tribuit. Non esse verisimile quòd Constantinus, cujus auctoritate compressi fuerant Schismatici Donatistæ rebaptizantes, se rebaptizari passus esset. Non esse etiam verisimile quòd Eusebius Nicomediensis, aliique Ariani, qui ab Ecclesia, externa professione, non recesserant, ejusque fidem se sectari exteriùs mentiebantur, Baptismum in Ecclesia collatum iterarint. Itaque Anselmi Havelburgensis figmento nulla fides.

SCHOLION I.

Religiosi Censores Dissertationem istam in Indiculo suo hunc in modum notarunt: *Tota Dissertatio de Baptismo Constantini expungenda & abolenda*.

R. In eamdem mecum de baptismo *Constantini* sententiam descendit *P. Daniel Papebrochius* in Commentario Historico *De Sancto Constantino Magno*, ad diem 21. Maji capp. 2. & 4. Dissertationemque hancce meam laudat, n.36. *His Scriptis*, inquit, *venit in manus meas insigne Opus selectorum Historiæ Ecclesiasticæ Capitum, Parisiis editum a P. Natali Alexandro Ordinis Prædicatorum, ubi Dissertatio 22. & 23. tota est de Baptismo & Fide semper Orthodoxa Constantini, accuratèque refelluntur etiam minutissima quæque Baronii instantia, & Silvestrinorum Actorum fabulositas evidentiùs demonstratur, &c. Poterit hæc omnia lector in prædicto Opere selectorum pleniùs explicata invenire, nec inutiliter cum nostris conferre, siquidem lucem mutuò accipient & dabunt*. Eamdem sententiam propugnat *P. Antonius Pagi*, tametsi nulla mei mentione facta, & *Papebrochii* Dissertationem exscribere se profitetur, in Critica Historico-Chronologica Annalium *Baronii*, ad annum Christi 324. Eamdem opinionem confirmant Eruditi Congregationis S. Mauri Monachi Benedictini in Notis ad Orationem Sancti Ambrosii, *De obitu Theodosii*, in ora paginæ 1209. *Non potuit Ambrosius clarioribus verbis suam de Constantini Baptismo sententiam promere. Sed nihilo obscuriùs eumdem Principem in extremis tantùm eo Sacramento initiatum esse alii Scriptores contestantur, Eusebius lib. 4. De Vita Constantini, cap. 61. & 62. Hieronymus in Chronico, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, & alii; ut mirum videatur adhuc extare, qui Constantinum a Silvestro Papa baptizatum ex Actis apocryphis obstinatiùs defendant*. Quando & ubi Constantinus Magnus fuerit baptizatus, meri facti & Historiæ Quæstio est. Hæc tamen Propositio, *Constantinus Nicomediæ sub finem vitæ baptizatus est*; quamvis Eusebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Sancti Hieronymi, Ariminensis Concilii, Sancti Isidori Hispalensis testimoniis confirmata; quamvis ab Ænea Silvio Cardinali Cusano, Henrico Valesio, Daniele Papebrochio, Godefrido Hermanoo, Antonio Pagi, penèque omnibus Reipublicæ Literariæ Quiritibus defensa, *expungenda est & abolenda*, Religiosorum Censorum Judicio, quia contraria est sententiæ Cardinalis *Baronii*.

SCHOLION II.

Ad eamdem Dissertationem, pag. 376. Editionis primæ, hanc notam Religiosi Censores apponunt: *De Nicolao Primo repetit indigna, quæ dixit primo Sæculo*.

R. Quàm indigna sint, judicet eruditorum hominum Senatus. Scripsi Nicolaum I. vindicasse veterum Pontificum Epistolas, ut nova jura contra antiquam Disciplinam in exauctoratione Episcoporum sibi vindicaret. Id porrò eruditis hominibus perspectum atque exploratum est. Cardinalis *Palavicinus*, Historiæ Concilii Tridentini, libro 23. cap. 10. scribit, *Neminem inficiari antiquitus Episcoporum causas in Provinciis cognosci*. Et tamen illarum cognitionem ad unum Romanum Pontificem pertinere Nicolaus Primus contendebat, falsis Decretalibus delusus.

Nota.

UT faciliùs se ab illis expediret difficultatibus, quas enodare tot sapientes Critici non valentes, Constantinum non Romæ, sed Antiochiæ Baptismi lavacro renatum asserunt, aliam viam iniit Blanchinius in Notis historicis ad Anastasium Bibliothecarium, ubi de S. Sylvestro varia expenduntur: quapropter ipsius placita hìc sub oculos legentium exponere duxi. Ut primò testem omni fidem dignum de Baptismo a Constantino Romæ recepto exhibeat, profert verba vetustissimi Chronographi Nestoriani, quem in sua Chronographia transcribit Jo. Malila scriptor Antiochenus sub Justiniano, cùm Nestorianus sæculo Constantino proximo floruerit. Ibi igitur apertè asseritur quòd Constantinus *baptizatus est cum Matre Helena a Sylvestro episcopo romano: baptizati etiam sunt propinqui ejus omnes, & amici. Romanorumque insuper aliorum multitudo ingens*. Ubi verò quæ prope Constantini mortem Antiochiæ evenisse narrat, nec verbum habet de Baptismo ibi Constantino collato. Cùm verò Malila ex Nestoriano tam Constantini ætate proximo, Baptismo Romæ lotum fuisse scribat, nec videatur in re, quæ necessariò in toto orbe vulgatissima esse debebat, falsis rumoribus decipi potuisse, remanebat Blanchinio Malilam cum Eusebio componere.

Ut id præstet, non dicit Eusebium mala fide scripsisse, seu ipsius historiam fœdè fuisse interpolatam; sed putat Eusebium nil aliud significare voluisse, quàm Constantinum Antiochiæ, instante morte, primò sacramento Pœnitentiæ sua peccata expiasse, ac deinde Confirmationis Sacramento nomen Christi militiæ dedisse. En verba Eusebii: *Cùm extremam vitæ diem sibi jam imminere sentiret, & tempus adesse duceret, quo totius vitæ delicta expiaret, firmissimè credens quæcumque humanitùs peccavisset arcanorum verborum efficaciâ, & salutari lavacro penitus esse delenda &c.* Hæc verba videntur Blanchinio nobis exhibere Constantinum, ut se ad delenda omnia anteactæ vitæ peccata pararet, in suo corde excitantem fidem Sacramenti Pœnitentiæ, quo peccata post Baptismum patrata dimittuntur, & arcanorum verborum efficaciâ administratur, unàque fidem Baptismi, quo salutari lavacro scelera ante ipsum commissa abluuntur. Hac excitata fide, Eusebius videtur illum describere accusantem sua peccata, ait enim: *Genu flexo, humi procumbens, veniam a Deo supplex poposcit, peccata sua confitens in ipso Martyrio*. Cùm verò addat Eusebius: *Quo in loco manuum impositionem cum solemni precatione meruit accipere*, putat Blanchinius hujusmodi verbis innuere illam manuum impositionem, quæ ex Morino *l.8. cap.8. & l.9. cap.9.* in administratione Sacramenti Pœnitentiæ adhibebatur; maximè cùm existimet Constantinum quoddam genus publicæ pœnitentiæ imitari voluisse.

Inde verò Constantinus ad suburbana Nicomediæ digressus, cùm voluerit ibi *signaculi salutaris*

esse

esse participem, Confirmatione se communiisse dicit Blanchinius, familiare etenim est apud PP. maximè græcos, hoc Sacramentum *divinum signaculum* appellare. Statuerat quidem, ut putat Blanchinius, Confirmationem, quæ tamquam complementum Baptismi consideratur, in Jordane recipere, at cum morbo correptus in Palæstinam contendere non posset, non ampliùs differendam agnovit. Quòd si dicatur ex antiqua ecclesiæ praxi statim post Baptismum Confirmationem dari consuevisse; respondet exempla non deesse, quibus pro episcopi providentia non semper adultis post Baptismum illico Confirmatio conferebatur: nec inverosimile putat Sylvestrum, cùm æquum non judicaret adnuere Constantino peroptanti aquâ Jordanis baptizari, saltem concessisse ut ibi complementum Baptismi, Confirmationem scilicet reciperet, ubi eò pervenisset.

Hanc etiam amplexus est opinionem Blanchinius, quia si Eusebii verba de Baptismo Constantini intelligantur, statim secummet pugnans apparere videtur. Tam igitur in historia *l.6.c.34.* quam in Chronico ad an.1. Philippi Imperatoris, Olimpiadis verò 255. dicit quòd Philippus *primus omnium ex romanis Imperatoribus christianus fuit*. In vita verò Constantini *l.4. cap.61. & 62.* ita scribit: *Solus ex omnibus, qui umquam fuerunt Imperatores, Constantinus in Christi Martyriis renatus, & innovatus est, & divino donatus signaculo.* Ubi atuem hæc verba de Baptismo Constantini intelligantur, statim conspicitur ante ipsum nullum Imperatorem per Baptismum in causas Domini ingressum esse, ac proinde Philippum inter Christianos non accensendum. Unica ergo via hujusmodi conciliandi ea esse videtur, si ita Eusebius intelligatur, ut primus Imperatorum Constantinus Confirmatione Christi miles conscriberetur; Philippus verò primus fuerit, qui Baptismo fieret christianus.

Considerat pariter Blanchinius Nestorianum apud Malilam disertissimè narrare Helenam Augustam unà cum Constantioo filio Baptismo initiatam. Teste autem ipso Eusebio, cùm Helena antea obierit adstante Constantino Filio, ejus baptismus ad annum emortualem ejusdem Constantini non potest differri; unde ne turbetur chronologia, dicere necesse est Eusebium, ubi agit de Constantino donato prope mortem divino signaculo, ipsius, jam antea cum Matre baptizati, Confirmationem describere voluisse.

Addit demum difficillime hæc posse in Eusebio componi, nempe Constantinum usque ad obitum Baptismum distulisse, alia verò ex parte illum describere ita pietati addictum, ut semper in suo Comitatu Episcopos, aliosque Dei Ministros haberet, non pauca Templa pro divioo cultu extruxerit, zelo propagandæ religionis semper flagraverit; sacrorum librorum lectioni, ac orationi sedulò incubuerit &c. Hæc ex iis, quæ fuse affert Blanchinius, excerpsisse sufficiat.

Quòd si mihi, quæ sentiam, liceat hìc adnotare, Blanchinii interpretationem verba Eusebii pati non videntur. Si Eusebius apud Natalem sedulò perpendatur, statim apparet Constantinum in Suburbanis Nicomediæ signum illud recepisse, *quod immortalitatem confert*, nempe quo vitam immortalem possumus obtinere, istud autem non dat Confirmatio, quæ eamdem vitam auget, sed non confert, sicut præstat Baptismus. Id deinde ex Eusebio excepisse Constantinum discimus, quod *statuerat agere in Jordane, in quo Servator ipse ad exemplum nostrum lavacrum* susceperat, quę verba dubio procul innuunt Constantinum aquis Jordanis ad Christi imitationem ablui peroptasse: nec quare ibidem Confirmatione roborari voluerit, facilè est intelligere, cùm ipsius materia non aqua sed manus impositio, & chrisma extent. Accepit demum Nicomediæ id, quo in posterum cum populo Dei posset permisceri, & in Ecclesiam adscisceretur, atque sacrorum particeps factus mysteriorum, *renatus est, renovatus est*: quæ omnia sicut Baptismo perfectissime aptantur, ita Confirmationi omnino extranea sunt, neque enim dat populo Dei *commisceri, renasci, renovari &c.*

Viderunt, puto, Binius, & Labbæus clarissimè Eusebium Constantini Baptismum describere; unde in Notis ad textom Anastasii, hujusmodi narrationem, impium ejusdem Eusebii figmentum esse dicunt, quod tamen dici non patitur Natalis Barunio respondendo.

Nota.

JAM aliàs innui, quæ ante Siricium circumferuntur decretales, passim ab Eruditis supposititias haberi; adeoque Nicolaum I. deceptum fuisse, dum eas pro authenticis habens, ad Pontificum auctoritatem stabiliendam attulit. Variam verò fuisse disciplinam quoad episcoporum judicia adnotavi.

DISSERTATIO XXIV.

De Fide iu qua Constantinus Imperator mortuus est.

IN suspicionem Arianæ Hæreseos adductus est a nonnullis Constantinus, eò quòd Sanctum Athanasium, aliòsque Nicænæ Fidei Defensores in exilium amandaverit; eò quòd Arianis familiariter usus sit; quòd denique testamentum suum Ariano Presbytero commendaverit. Hinc Sanctus Hieronymus in *Chronico* hæc habet: *Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus, in Arianum dogma declinat.* Hinc Lucifer Calaritanus, lib.1. ad Constantium Imperatorem pro Sancto Athanasio scribens, ait; *Quòd enim propter fidem, quam semper tenuit Ecclesia, & tenet, quòd eam damnare noluerit, missus fuerit ad exilium, qui videlicet noluerit esse Arianus. Idcirco namque Athanasium perosum habitum a Patre tuo non te fugit, quandoquidem & tu in ea dignosceris cum persequi causa, in qua fuerit & tuus Pater eum persecutus.* Et ibidem Constantium sic loquentem inducit: *Nisi Pater meus bene fecisset conferre se ad Arianos, non ejus filii regnaremus.* Hinc Severus Sulpitius, lib.2. Historiæ Sacræ: *Duobus*, inquit, *Arii acerrimis perfidiæ hujus auctoribus, Imperator etiam depravatur: dumque sibi Religionis officium videtur implere, vim persecutionis exercuit: actique in exilium Episcopi, sævitum in Clericos, animadversum in Laicos, qui se ab Arianorum communione secreverant.* Hinc denique Ruffinus, *lib.1. Historiæ Ecclesiasticæ*, cap.17. recensitâ Sancti Athanasii in Concil:abulo Tyrio damnatione, scribit: *Et gesta in hunc modum facta per orbem terræ mittentes, ad sceleris sui consensum, Imperatore cogente, ceteros Episcopos pepulerunt.*

His non obstantibus, Constantinum ab Arianæ Hæreseos labe vindicamus, his argumentis. Primum ex eo petitur, quòd inter vivos agente Constantino, nihil usquam mutire ausi sunt Ariani in Fidem Nicænam. Eam primùm convellere tentarunt imperante Constantio, in Synodo Antiochena; in qua tamen se neque novam fidem trade-

re

se nec Arii discipulos esse professi sunt, teste Sancto Athanasio in lib. de Synodis. *Nos certè*, inquiunt, *Arii Acoluthi non sumus; nec enim sumus Episcopalis Ordinis, Presbyterum sequimur, neque aliam fidem, præter quam ab initio traditam recipimus*. Et Sozomenus, lib. 2. cap. 32. refert quòd *Eusebius Nicomediæ, & Theognis Nicææ, expositionem Fidei ab his qui Nicææ convenerant, promulgatam, scriptis innovare cœperunt. Et apertè quidem caput illud rejicere non audebant, quo Filius Patri consubstantialis asseritur. Norant enim Imperatorem in ea esse sententia*. Si igitur Eusebiani ipsi Constantino imperante, & diu postea sub Constantio, se Arii sectatores nec dici, nec videri passi sunt: nullâ specie veri Constantinus ab ipsis in Arianam Hæresim tractus dici potest.

Alterum argumentum eruitur ex testimonio S. Athanasii in *Epistolâ ad Solitarios*, ubi conqueritur quòd Constantius paternæ Fidei ac pietatis non sectetur vestigia. *Idem*, inquit, *ob sceleratam & Christo odiosam Hæresim, nec quid juris sit, novit, & erga fratres se inofficiosum præbet, propter quam ne Patris quidem sui voluntatem integrè observari permittit, sed quod voluptas est Hæreticis, observat; Quod autem illis grave est, ibi nequit Patris sui reverentiam taceri. Siquidem Pater ex calumniâ Eusebianorum Athanasium in Gallias ad tempus amandavit, quò liber esset ab eorum crudelitate, qui illi per insidias imminebant. Hoc enim a beato Constante ejus fratre post mortem Patris scriptum fuit, ut ex illius literis patet...... Quòd si Pater ejus Arium sub oculos suos admisit, eum tamen cùm perjurum, ac proindè effusis visceribus disruptum jacere cognovisset, nullâ benevolentiâ prosecutus est; sed eum re cognitâ damnatum, & pro Hæretico habuit*.

Tertiò id convincitur ex gestis Sancti Athanasii, qui post obitum Constantini, filium ejus Constantem adiens, eum rogavit ut paternæ Fidei custos & vindex esset. Rem gestam narrat Theodoretus, *lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. 4. *Athanasius verò ad Constantem profectus, Arianæ factionis insidias coram eo deploravit, & Apostolicam Fidem bello appeti conquestus est. Simul Patrem suum ei in memoriam revocavit, & Magnam Synodum, quam ille convocaverat: & quemadmodum ea quæ ab Episcopis conscripta fuerant, ille, utpote eorum particeps, lege lata confirmavisset. His eum lamentis prosecutus, Imperatorem ad Patris sui æmulationem excitavit. His enim auditis, statim ille ad fratrem literas dedit, quibus eum hortabatur, ut paternæ pietatis hæreditatem integram atque inviolatam custodiret*.

Quartò. Idem probatur ex Sancto Hilario, qui lib. 1. ad Constantium, ipsum vocat *Paternæ pietatis hæredem rebellem*.

Quintò, ex Sancto Epiphanio, *Hæresi 69* ubi Constantium Imperatorem cum Constantino ipsius Patre comparans, ait: *Qui cùm cæteris in rebus perhumanus ac bonus esset, utpote magni illius, in omni virtutis genere perfecti, religiosique Constantini filius, qui sinceram ex animo fidem constanter retinuit: sed & Constantius ipse pius alioquin, ac multis probitatis ornamentis præditus, hac una re aberraverit, quòd non impressa a Parente Fidei vestigia secutus est*.

Sextò, Ecclesia Græca Constantinum inter Sanctos adscripsit, ejusque memoriam celebrat die 21. Maji, ut in Menologiis videre est. Ejus etiam nomen ex sacris Dyptichis *Inter sacra Mysteria impratermissè commemoratur cum aliis Orthodoxis Imperatoribus, qui Ecclesiam Dei exaltaverunt*: inquit Nicolaus I. Pontifex. Maxim. in Epistolâ ad Michaelem Græcorum Imperatorem. Denique Calchedonensis Concilii Patres Marciani Imperatoris fidem ac pietatem magnificentiùs a se prædicari non posse existimarunt, quàm si *Marciano Novo Constantino* acclamarent. Ex quibus omnibus colligitur, Constantinum Imperatorem nusquam in Arianum dogma declinasse.

Inficias tamen ire non possum, quin plus æquo faverit Arianis Constantinus, & in Sanctum Athanasium, aliosque Orthodoxos Antistites aliquandò fuerit iniquior. Sed hæc Arianum fuisse non evincunt. Quis enim vel religiosissimus Princeps non decipiatur quandoque ab impiis, dum sanctitatem præ se ferunt? Eusebiani vivente Constantino se Catholicos mentiebantur, Nicænam Fidem venerabantur extrinsecùs, licèt Arium, corde gererent, ac intimis in medullis Arianæ Hæreseos virus occultarent. Imperatorem commovebant in Sanctum Athanasium, non ejus fidem incusantes, sed ejus detrahentes sanctitati, Vindices ac zelatores Ecclesiasticæ se simulabant Disciplinæ: atque ita Constantino, cujus facilior erat & ad credendum levior animus, imponebant. Hæc causa cur Athanasium Treverim relegaverit, cur Presbytero Ariano, qui Sorori suæ Constantiæ gratissimus, qui filio suo Constantio charissimus erat, suum commendaverit testamentum. Quod primus omnium scripsit Ruffinus, lib. 10. & ex eo hausit Socrates. Eam tamen narrationem suspectam habet Valesius in Annotationibus ad lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ Socratis. Primùm, quia Sanctus Athanasius, qui omnes Arianorum fraudes detegere ac traducere solet, ejus rei nuspiam meminit. Deinde quia nomen illius Presbyteri supprimitur: atqui si Presbyter ille gratiâ & auctoritate tantùm valuit apud Constantinum, ut testamentum suum moriens ei traderet, dignus profectò fuit, cujus nomen commemoraretur. Ruffini verò levem esse auctoritatem ait Valesius, quippe qui Historiam suam negligenter admodùm conscripserit, non ex monumentis rerum gestarum, sed ex fabulosis narrationibus.

Ad momenta initio Dissertationis opposita respondeo, hæc omnia testimonia uni Sancti Athanasii auctoritati, qui testis horum oculatus extitit, quique horum pars magna fuit, postponenda esse. Lucifer Calaritanus, qui sub Constantio floruit, scripsit Sanctum Athanasium exilio damnatum a Constantino, *quòd Arianus esse noluerit*: Quia revera hæc erat causa cur eum persequerentur Eusebiani, eumque Constantino invisum redderent; licèt alio prætextu hæc adversùs ipsum omnia molirentur. Scripsit etiam Constantinum ad Arianos se contulisse, quia ipsis nimiùm favit. Hæc, de qua loquitur Severus Sulpitius, *depravatio*: Nimia illa Constantini facilitas & propensio in Arianos sub Catholici nominis larva delitescentes, Sanctum Hieronymum impulit ut scriberet ipsum in *Arianum dogma declinasse*. De Ruffino idem dicendum est. Sed his præter SS. Athanasium, Hilarium, & Epiphanium supra laudatos, opponimus adhuc Socratem, *lib. 1. Historia Ecclesiastica, cap. 38.* ubi postquam narravit infamem Arii obitum, qui in latrinis Constantinopolitanis impiam animam cum visceribus effudit, hæc de Constantino subjungit: *Imperator verò Christianæ Religioni eò magis adhæsit, cùm Nicænæ Fidei veritatem Dei ipsius testimonio confirmatam esse intelligeret*. Opponimus & Sozomenum, *lib. 2. Historia, cap. 30.* ubi refert, Constantinum qui ab Ario exegerat, ut juramento confirmaret se nihil in mente claudere præter illa, quæ in Fidei Formula scripserat, audita infami Arii nece, cognovisse impium Hæresiarcham divino judicio *perjurii convictum esse*. Et manifestè tunc omnibus patuisse, adeòque & Constantino ipsi, & Eusebianorum minas infirmas, & spem Arii vanam fuisse: &

Aria-

Arianam vesaniam, & hic, & in Ecclesia primogenitorum Dei, a Servatore nostro excommunicatam esse. Denique testatur Sozomenus, cap. 31. post Synodum Tyriam, quo tempore Sancti Athanasii hostibus aures faciliùs commodabat Constantinus, nec ipsius ab exilio revocationem Sancti Aotonii, Clericorumque, ac Virginum Alexandrinarum precibus concedere volebat, utpotè hominis quem contumeliosum, arrogantem, discordiæque & seditionis auctorem credebat: Testatur, inquam, Sozomenus, tunc *Arii dogma, licèt in disputationibus multorum studio ac favore defenderetur, nondum tamen in peculiarem sectam ex auctoris nomine distinctum fuisse. Sed cunctos simul Collectae egisse, atque inter se communicasse.* Quæ cùm ita sint, excusandus est Constantinus Imperator, quòd Arianis, qui externa Fidei professione & Communione Catholici videbantur deceptus faverit: nec propterea Arianæ Hæreseos suspicione ejus gloria violanda est.

Ad hos Auctores accedit Theodoretus, qui *lib. 1. Historia Ecclesiastica, cap. 32.* testatur Constantinum testamento suo *Magnum Athanasium Alexandriam redire jussisse, idque præsente Eusebio, & ne hoc fieret magnopere dissuadente.* Et cap. 33. ejusdem Imperatoris defensionem suscipit his verbis: *Nemini porrò mirum videatur, quòd fraude circumventus, tantos Viros in exilium egerit. Episcopis enim decipientibus credidit, qui malitiam quidem suam tegebant, sed alioqui clari atque illustres erant. Sciunt autem sacrarum Literarum periti, divinum Prophetam Davidem perinde deceptum fuisse. Decepit autem illum non Pontifex, sed servus vernaculus ac furcifer, Siba scilicet, qui adversùs Miphibosetb mentitus est Regi, & agrum illius ita obtinuit. Atque hæc dico, non ut Prophetam incusem, sed ut Imperatoris nostri defensionem proponam, & humanæ naturæ imbecillitatem ostendam: doceamque credendum non esse accusatoribus solis, quamvis fide digni videantur, sed aurium alteram reis esse reservandam. At Imperator, quidem a terreno regno ad alterum longè præstantius migravit.*

SCHOLION.

In hac Dissertatione, pag. 398. Editionis primæ Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Princeps non debet habere unam solam aurem pro Accusatoribus, sed semper audiendi sunt rei.*

R. Religiosorum Censorum judicio malè scripsit *Theodoretus*, libro 1. *Historia Ecclesiastica*, cap. 33. *Credendum non esse Accusatoribus solis, quamvis fide digni videantur, sed aurium alteram Reis esse reservandam.* Verba *Theodoreti* dumtaxat hìc retuli, de meo nihil addidi. Mirum est quòd Religiosi Censores expungendam censeant juris ipsius naturalis Regulam, quam ne ipsa quidem idololatria in Ethnicorum animis delevit, Unde *Festus* Præses (ut refert S. Lucas *Act.* 2.) ajebat: *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priùs quàm is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Hinc Seneca Tragicus: *Qui statuit aliquid parte inaudita altera, æquum licet statuerit, haud æquus fuit.*

DISSERTATIO XXV.

De Constantini Donatione.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Constantinus Urbes, & Provincias, aut Romanam saltem civitatem Sedi Apostolica donaverit?

PROPOSITIO I.

Edictum Donationis Constantini, quod refertur, Tomo I. Conciliorum, suppositum esse, multa demonstrant.

Primò styli dissimilitudo cum aliis Constantini Edictis, quæ elegantia majori conscripta sunt, & passim verborum leporibus conspersa.

Secundò, inscriptio Edicti, qua se *Fidelem, mansuetum, beneficum, Alemanicum, Gothicum, Sarmaticum, Germanicum, Britannicum, Hunnicum, Pium, Felicem, Victorem, Triumphatorem, semper Augustum* nuncupat. Tot sanè titulorum ambitiosa congeries maximè aliena est a moribus Constantini, qui aliis edictis hunc solùm titulum præfixit, *Constantinus Augustus*: vel, *Victor Constantinus Maximus Augustus*, ut apud Eusebium in libris *de Vita Constantini* videre est.

Tertiò, ex nominibus seu honorificis epithetis, quibus Silvestrum exornat, *Patrem Patrum, Summum Pontificem, universalem Papam* appellans: quæ vel tunc in usu non fuere, ut ex omnibus Veterum monumentis constat; vel certè a Constantino usurpata non sunt, qui Epistolam ad Melchiadem, seu Miltiadem Pontificem Romanum datam sic inscribit: *Constantinus Augustus, Miltiadi Episcopo Romano*, ut apud Eusebium, lib. 10. videre est. Nec pompaticos illos titulos ipsi defert, quos Edictum commentitium habet. Quid prætere sibi vult, quòd Constantinus Silvestrum *Oratorem suum* vocat?

Quartò. In illo Edicto Symboli Nicæni verba passim inseruntur, quod tamen nonnisi post annum conditum est: Ad annum enim 10. Constantini refertur illa Donatio: Nicænum autem Concilium ad ipsa Constantini vicennalia.

Quintò. Quia in illo Edicto de Baptismo Constantini Romæ collato, de lepra, de balneo ex infantium sanguine mox parando, afferuntur fabolæ.

Sextò. Quia decernit ut principatum teneat Romana Ecclesia super quatuor præcipuas Sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam, & super omnes in universo orbe Ecclesias. At non a Constantino principatum illum Romana accepit Ecclesia, sed a Christo: & jam initio secundi sæculi ad ipsam ex omnibus Ecclesiis Fideles concorrebant *propter potentiorem Principatum*, ut ait Sanctus Irenæus. Neque inter præcipuas Sedes recensere potuit Constantinopolitanam Constantinus, cùm necdum Byzantium in Constantinopolim auctum fuisset, ac Imperatoris nomine insignitum: cùm insuper nec Synodi Calchedonensis tempore jus Patriarchale ab Anatolio usurpari tulerit Sanctus Leo.

Septimò. Quia illud Edictum donat Silvestro Urbem Romam, & omnes totius Italiæ, & Occidentalium regionum Provincias, loca & civitates. At constat primò, nusquam Pontifices totius Occidentis dominos extitisse. Quòd verò Italiam spectat ac Romam, ea tributa est Constantino junio-

niori, cùm Imperium inter filios Constantinus divisit, teste Victore, in *Constantino*; Socrate, lib.2. & Zonara, *Tomo* 3. *Annalium*. Porrò Constantino juniori tributa non fuisset Italia & Urbs Roma paterno testamento, si jam in Ecclesiæ ditionem transiisset.

Octavò. Constantinus hoc Edictum tulisse fingitur cum omnibus suis Satrapis & universo Senatu; Optimatibusque, & cuncto populo Romanæ gloriæ Imperio subjacente. At neque ex consilio populi, neque ex suffragio Senatûs, & Optimatum, Imperium regebat Constantinus, penes quem unum totius Imperii summa erat. Nec verisimile est Senatum & populum maximam partem infidelem, & idolorum cultui addictum, consensisse ut dominium Urbis, totiusque Italiæ, Christianorum Pontifici, ejusque Successoribus traderetur.

Nonò. Romanæ Ecclesiæ Clericos, Patritios atque Consules effici, & cæteris dignitatibus Imperialibus decorari constituit. At nusquam legitur Ecclesiæ Romanæ Clericos illis dignitatibus effulsisse. Imò absurdum videtor ut sæculares dignitates Clericis, qui in Domini sortem vocati sæcularibus curis nuntium remiserant, iis temporibus collatæ fuerint.

Decimò. Quàm absurdum est, quod illâ Donatione decernitur, ut Romanæ Ecclesiæ Clerus ornetur sicut Imperialis Militia. Quæ cognatio Clericorum cum militibus?

Undecimò. Absurdius illud quod iisdem conceditur Clericis, ut eorum equi manipulis & linteaminibus, id est, candidissimo colore decorentur, & ita equitent. Quis credat tunc temporis Romanæ Ecclesiæ Clericos haleratis equis osos fuisse, & tantum in Ecclesia fastum viguisse? Et quis rursus sibi persuadeat equos linteaminibus & manipulis fuisse ornatos instar altarium, & sacrorum Ministrorom?

Duodecimò. Præcipit Edictum ut Silvester & ejus successores Pontifices Romani, coronâ ex auro purissimo & gemmis pretiosis uti debeant, sicut ipse Constantinus utebatur. At nec apud Græcos, & Romanos coronâ tunc utebantur Reges & Imperatores, sed diademate tantùm, quod erat fascia candida, vel purpurea caput cingens, ut constat ex Silio Italico, lib.7. ex Seneca Epistolâ 81. ex Valerio Maximo lib.6. cap.2. ex Quinto Curtio, lib.6. cap.2. Nec diadema, nec coronam Romani Imperatores gestarunt ad Constantinum usque, quòd Romanis regiæ dignitatis insignia exosa essent. Primus omnium Constantinus diademate gemmis intertexto caput ornavit, non coronâ aurea, ut ex alia materia: quæ non fuit insigne Majestatis, nisi duobus circiter post Constantinum sæculis, ut ex antiquis Auctoribus & vetustis Numismatibus facilè potest ostendi. Priscis enim temporibus, Victorum merces, & Sacrificantium ornamentum corona erat. 3. Primis Ecclesiæ sæculis coronas gestare Christiani non solebant, ut ab ethnicorum moribus se magis alienos probarent. aut constat non solùm ex Tertulliano lib. *de Corona*, sed etiam ex Sancto Cypriano, lib. *de Lapsis*, & ex Minutio Felice, in *Octavio*. Falsum igitur est, quòd Constantinus jusserit ut Romani Pontifices coronam ex auro purissimo, & gemmis pretiosis in capite gestarent, quali ipse ornabatur.

Decimo-tertiò. Consulum consignatio, istius Edicti falsitatem arguit. Dicitur enim datum Romæ Flavio Constantino Augusto quater, & Gallicano viris clarissimis Coss. at Constantinus quartùm Consul collegam haboit Licinium, non Gallicanum. Præterea, quartus Constantini Consulatus in annum Christi 315. incidit. Quo tempore nondum ipsum baptizatum fuisse fatetur Baronius. At in istius Donatioois Edicto, Baptismus illius memoratur.

Decimo-quartò. Imperator Constantius in Dialogo suo habito Mediolani, antequam Liberius in exiliom mitteretur, vocat illum suæ civitatis Episcopum: ergo Constantinus ejus Pater Urbem Romam Ecclesiæ dono non dederat. En Constantii verba ab Liberium: *Nos, quoniam & Christianus es, & Episcopus nostræ civitatis, idcirco te evocandum duximus, & admonendum, ut nefariæ dementiæ impii Athanasii communionem abjicias.* [Apud Theodoretum, *lib.2. Historiæ Ecclesiasticæ*, cap.16.]

Decimo-quintò. Evagrius, lib.2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.16. ita scribit: *Per idem tempus cùm Romani Occidentales legationem ad Leonem misissent, Anthemius a Leone missus est ut Romanis imperaret, cui Marcianus Imperator propriam filiam desponderat.* Cùm verò Anthemium Imperii consortem Romam misit Leo Augustus, annus vertebatur quadcingeotesimus sexagesimus septimus. Nondum igitur eo tempore in Ecclesiæ ditionem Roma transierat; sed subdita adhuc erat Imperio.

Decimo-sextò Leontius, *lib. de Sectis*, *Actione* 4. ea referens quæ post Ephesinum Latrocinium gessit S. Leo, hæc scribit: *Ille rebus hisce cognitis, excandescere, Romanum Principem Valentinianum adire, quò vindictam caperet. Quippe temporibus iis unus Romæ Imperator erat, alter Byzantii.* Romana igitur civitas eâ tempestate suberat Imperatoribus.

Decimo-septimò. Silverio Romano Pontifici malis Theodoræ Augustæ artibus objectum fuit, quòd Romam Regi Gothorum tradere decrevisset, anno Christi 538. atque illo prætextu a Sede Apostolica deturbatus, & in exilium amandatus est, teste Liberato Diacono, in *Breviario*, cap.22. atqui non potuisset ob id accusari velut læsæ Majestatis reus, nisi Roma adhuc Imperatorum ditioni subjecta fuisset. Tunc igitur Imperatoribus parebat.

Decimo-octavò. Pelagius II. Epistolâ 5. datâ ad Sanctum Gregorium Magnum adhuc Diaconum, anno Christi 584. ipsi jubet ut agat eum illustrissimo viro Decio Patritio, ut suggerat Imperatori quatenus Magistrum aliquem Militum, aut Ducem Romam mittat cum miliiari præsidio, quo civitatem & vicina loca contra Longobardos tueatur. *Imperet ergo illi Deus*, inquit, *nostris velociter periculis subvenire, antequam nefandissimæ gentis exercitus loca, quæ adhuc a Republica detinentur, prævaleat occupare.* Atqui Roma censeri non poterat inter loca adhuc ad Rempublicam pertineotia, nisi subdita esset Imperatoribus. Illo igitur ævo nedum in Ecclesiæ transierat ditionem.

Summum fuisse Imperatoris in ipsos Pontifices, Romanamque civitatem dominium probatur rursus ex Epistolâ Sancti Gregorii 62. lib.2. *Ad Mauritium Imperatorem* datâ. *Ego quidem*, inquit, *jussioni subjectus, eamdem legem per diversas terrarum partes transmitti feci: & quia lex ipsa omnipotenti Deo minimè concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis Dominis nuntiavi. Utrobique ergo quod debui exsolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi, minimè tacui.*

Ultimò, Agatho Romanus Pontifex in Epistolâ ad Constantinum Pogonatum Imperatorem datâ, & relecta Actione 4. Synodi Sextæ, vocat Romam Servilem Urbem Imperii. *Sed dum*, inquit, *de diversis Provinciis familiare nobiscum Concilium congregatur, & dum personas quasdam de hac ser-*

vili

vili vestri serenissimi Principatus Romana Urbe, vel de proximo dirigere procuramus, &c. Igitur Agathonis tempore, anno scilicet 680. quo hęc data est Epistola, Roma nondum erat Ditionis Pontificiæ.

PROPOSITIO II.

Donationis Constantiniana falsitas lucalentiùs ex eo demonstratur, quòd nulla fuerit Romanorum Pontificum auctoritas temporalis in Urbem & Italiam, a Constantino usque ad Odoacram Regem Herulorum.

Id evincitur tribus momentis. Primum petitur ab exilio Liberii Pontificis, quod a solo Constantio decretum est. Cùm enim S. ille Pontifex in Sancti Athanasii damnationem subscribere nollet; Constantius, qui tunc Mediolani degebat, jussit Leontio Romæ Præfecto, ut Liberium apprehenderet, atque Mediolanum ad se mitteret. Mandatis Imperatoris statim paruit Leontius. Constantius verò promissis illicere tentavit Liberium, minis frangere, ut Sancti Athanasii damnationem ratam haberet. Quem cùm ad iniquissimæ sententiæ confirmationem trahere non posset, Bæroeam Thraciç in exilium amandavit. Id testatur Sanctus Athanasius in Epistolâ ad Solitarios his verbis: *Scribit igitur Imperator Romam, rursumque Palatini & Comites emittuntur, & litera ad Prafectum, ut Liberium aut per dolum e Roma seductum, aut in castra ad se mitterent, aut vim in eo persequendo adhiberent*, &c. Id testatur & Theodoretus, *lib.2. Historia Ecclesiastica*, cap.16. & 17. Tunc igitur Imperatoribus subdita erat Roma: siquidem illam regebat Pręfectus Imperatoris nomine: subditi erant Pontifices Romani Imperatori in temporalibus, siquidem ab eo exilio plectebantur.

Secundum momentom petitur ex electione Damasi Pontificis, in qua dirum schisma exortum est, parte Romani Cleri ad Ursicinum Pseudo-Pontificem deficiente. Qua de re ita scribit Ruffinus, *lib.2. Historia Ecclesiastica*, cap.10. *Damasus post Liberium per successionem Sacerdotium in Urbe Roma susceperat. Quem Prælatum sibi non ferens Ursicinus quidam ejusdem Ecclesia Diaconus, in tantum furoris erupit, ut persuaso quodam satis imperito & agresti Episcopo, collecta turbulentorum, & seditiosorum hominum manu, in Basilica, qua Sicinni appellatur, Episcopum se fieri extorqueret, legibus, & ordine, & traditione perversis. Quo ex facto tanta seditio, imò verò tanta bella coorta sunt, alterutrum defendentibus populis, ut replerentur humano sanguine orationum loca. Qua res factione Maximini Prafecti savi hominis, ad invidiam boni & innocentis versa est Sacerdotis, ita ut causa Clericorum usque ad tormenta duceretur. Sed assertor innocentia Deus adfuit, & in caput eorum qui intenderant dolum, pœna conversa est.* Maximo subrogatus est in urbana Præfectura Prætextatus a quo Ursicinus Antipapa Româ pulsus est [teste Ammiano Marcellino, lib.27.] Porrò Prætextatus hæc egit auctoritate Valentiniani Imperatoris, qui ea de re plura dedit Rescripta ad Prætextatum, quæ refert Eminentiss. Annalium Parens, *Tom.4. Annalium* ad annum Christi CCCLXVIII.

Tertium momentum petitur ex electione Bonifacii, in qua alterum schisma exortum est, Eulalio Romanæ Ecclesiæ Archidiacono Pontificatum ambiente. Symmachus Urbis Præfectus Eulalio favit, in ejusque gratiam scripsit ad Imperatorem Honorium, his verbis: *Statim populum alloquendo commonui, ut cum quiete Clericorum tractatu omnia finirentur, nec se rebus disponendis misceret turbatio popularis: siquidem certum esset, in eligendo Episcopo, Dei omnipotentis expectandum esse judicium, Domini Impp. Honori, & Theodosi Pii, felices & incliti, victores semper Augusti Admonui & Corporates officii quoque interminatus sum, ac Majores deterrui Religionis, ne quis quietem Urbis vestra turbare tentaret: quod ita custoditum est, ut sine strepitu omnia finirentur.* Et infra, cùm exordium schismatis retulisset, subdit: *Quod ubi comperi, omnes qui pariter erant, ad me ut venirent, Presbyteros depoposci: ac residens cum Clarissimo viro Tribuno Sereniano, eos admonui ne quid temerè fieri pateretur, aut contra sacra legis ordinem venirent, aut contra consuetudinis rationem. Sed tantâ pertinaciâ restiterunt, ut quidquid minatum fuerit, facere minimè dubitarent.*

Ea relatione deceptus Honorius Augustus, rescripsit pro Eulalio ad Symmachum, ac jussit Bonifacium Urbe expelli. *Absoluta itaque decernimus Jussione*, inquit, *extraordinaria præsumptione submota, Bonifacium interdicta confestim Urbe prohiberi. (Erit verecundia ejus ut morem gerens cœlestibus Constitutis, sponte discedat.] Pertinaciùs resistentem, invitum præcipimus expelli. Plebeja sanè seditionis auctores cum sociis suis, sublimitas tua, Symmache parens charissime atque amantissime, statuat, attineri, atque in eos congruè vindicari, ut res temerè præsumpta non transeat impunita.*

Imperatoris mandata executioni lubens mandavit Symmachus, pulsoque extra urbem Bonifacio, quatuor apparitores disposuit, qui observarent ne occultè ad Urbem remearet, ac rursus in Ecclesiam convolaret. Id constat ex altera Symmachi relatione ad Honorium data 6. Idus Januarii. Post hæc, cùm Imperator de rebus in electione Bonifacii gestis ex relatione Romani Cleri certior factus esset, utramque partem Ravennam advocavit ad diem 6. Iduum Februar. indixit etiam Concilium ex diversarum Provinciarum Episcopis, in quo controversia circa jus Bonifacii exorta disceptaretur, ac dirimeretur. Ista patent ex Rescripto Honorii ad Symmachum Pręfectum Urbis dato Ravennæ 18. Kalend. Februar. Verùm quia futura Synodus, & causæ gravioris examen, temporis moras postulabat, edixit Imperator ut Spoletinus Episcopus nomine Achilleus, Romam se conferret, ibique in solemnibus Paschatis diebus, qui mox imminebant, loco Pontificis sacra perageret, Bonifacio interim & Eulalio æquè ab urbe pulsis. Ista patent ex Rescriptis Honorii ad Symmachum Urbis Prefectum, ad Achilleum Spoleti Episcopum, ad Senatum, ad populum denique Romanum, relatis a Baronio, Tom.5. Annal. ad annum 419. At cùm prolixioris moræ impatiens Eulalius, Romam contra Imperatoris mandatum ingressus esset, multorumque ibi tumultuum fuisset occasio: cognita ejus perduellione, Honorius ipsi urbe interdixit, Bonifacii electionem sacra sanctione firmavit, illumque in Urbem admitti, ac restitui in Ecclesiam præcepit, dato ad Symmachum Præfectum Rescripto, III. Nonas Apriles anno Christi 419. Rebus ita pacatis Bonifacius gratulatorias ad Honorium Imperatorem literas dedit, grates ipsi rependens, ipsiusque Majestati Ecclesiam commendans; quibus in literis vocat Romam Urbem Imperialem, *In Urbe*, inquit, *vestra Mansuetudinis*. Ex quibus omnibus evidenter probatur, Romam Summis Pontificibus, quoad temporale dominium, non fuisse subditam, neque ad hæc usque tempora in Ecclesiæ ditionem transiisse.

PROPOSITIO III.

AB Odoacro Ariano Rege Herulorum, usque ad Justinianum, Roma Regibus servivit, nullaque fuit Pontificum ea in Urbe temporalis auctoritas. Ex quo falsitas Constantiniana Donationis amplius probatur.

Annn Christi 475. Odoacer Rex Herulorum Romam & Italiam universam invasit, Augustulo Imperatore pulso, & in quoddam Campaniæ Castellum relegato, ut testatur in *Chronico suo* Marcellinus. Tredecim annis Romæ & Italiæ præfuit Rex ille barbarus; donec Theodoricus Gothorum Rex ipsum iterato certamine profligatum Ravennæ obsedit, regnique ac lucis usura privavit. Porrò quantam Romæ exercuerit auctoritatem Theodoricus, aliique Gothorum Reges, multa demonstrant Ecclesiasticæ Historiæ monumenta, fuisseque planè supremam probant.

Primò. Orto schismate in electione Symmachi Romani Pontificis, viris etiam primariis ad Laurentium Antipapam deficientibus, anno Christi 498. schismatis causa ad Regis Theodorici tunc Ravennæ degentis tribunal delata est, qui Pontificatum Symmacho asseruit. Verùm non quievit Schismaticorum factio. Festus scilicet ac Probinus Senatores, Symmachum apud Theodoricum Regem falsis testibus conductis accusarunt, obtinueruntque ut Visitatorem Sedis Apostolicæ mitteret Petrum Altinæ civitatis Episcopum. Extingui non potuit schisma nefarium nisi in 4. Synodo Romæ convocata anno 502. quæ Palmaris dicta est, vel quòd irrefragabilis esset, vel quòd in Regia, quæ Palma aurea dicebatur, congregata fuisset. Verùm quanta fuerit tunc temporis Theodorici Regis in Urbe auctoritas Acta ipsa Synodi testantur his verbis: *Sancta Synodus apud Urbem Romam ex præcepto gloriosissimi Regis Theodorici diversis e regionibus congregata in Christi nomine, dixit: Cùm ex diversis Provinciis ad Urbem Romam convenire Sacerdotes regia præcepisset auctoritas, ut de his quæ venerabili Papa Symmacho Apostolicæ Sedis Præsuli ab adversariis ipsius dicebantur impingi, Sanctum Concilium judicaret legitimè*, &c. Addunt Acta illa, visum fuisse Concilio, ut priùs in pristinum statum restitueretur Symmachus, eique redderentur omnia, quæ ipsi a Visitatore præter jus ablata erant, quàm ejus causa discuteretur. *Decernere tamen aliquid Synodus sine Regia notitia non præsumpsit. Sed suggestio facta per legatorum negligentiam non meruit secundùm vota responsum. Jussus est Regis præceptionibus Papa Symmachus, ante Patrimonii, vel Ecclesiarum, quas amiserat, receptionem, cum impugnatoribus suis in disceptatione confligere.*

Anno Christi 525. cùm Justinus Imperator omnes Ecclesias Arianis abstulisset, Theodoricus ea de causa vehementer iratus Italiæ universæ minatus est excidium, ni Imperator Edictum suum revocaret. Id ut significaret Justino, liberamque Arianæ Religionis professionem obtineret, misit Joannem I. Pontif. Maxim. Theodoricus cum viris Consularibus [ut Anastas. Bibliothecar. testatur.] Joannes, æger licèt, paruit Theodorici mandatis, & Constantinopolim profectus, ab Imperatore honorificè exceptus est. Verùm legationis suæ finem urgere noluit pius Pontifex, quem Religionis Catholicæ splendori, & Dei obsequio noverat contrarium (ut refert Gregorius Turonensis *lib. de gloria Martyrum, cap.* 40.) Quapropter Ravennam redux, ut de sua rationem redderet legatione, a Theodorico in carcerem conjectus est cum illustrissimis Patritiis, ubi vitâ excessit.

Exinde Theodoricus, ejusque successores, auctoritatem confirmandorum Pontificum usurparunt, ut ex Epistolâ Regis Athalarici ad Senatum Romanum, de Felicis IV. electione, colligitur, quam refert Cassiodorus, *lib.* 8. *Epistolâ* 15.

Denique Theodorici in Urbem populumque Romanum auctoritatem supremam in dubium revocare non poterit, qui legerit Theodorici Epistolas a Cassiodoro conscriptas. Ibi enim videbit Regem illum Gothorum, imperare Senatui, Populo, Præfecto Urbis, Judices Romæ designare; ingressum in Urbem exitumque concedere, de publicis ædificiis, ac murorum locorumque publicorum instauratione decernere. Quæ sanè omnia summam potestatem arguunt & Imperium, cui & Pontifices ipsi subessent.

Theodorico successit Athalaricus, qui 4. dumtaxat annis regnum tenuit. Successit Athalarico Theodatus, Athalarici matre favente: quam cùm in balneo strangulari non multò post jussisset, Agapetum Pontificem Maximum Constantinopolim misit, ut Justiniani Imperatoris ob eam crudelitatem vehementer offensi leniret animum. Verùm nihilo pacatior ea Legatione Justinianus, bellum adversùs Theodatum movit, multisque Belisarii Ducis ope reportatis victoriis, & Vitige debellato Romam recuperavit 9. Decemb. anno Christi 537. cùm 60. annorum spatio sub barbarorum tyrannide gemuisset: ut scribit Evagrius, *lib.* 4. *Historia Ecclesiastica, cap.* 19.

PROPOSITIO IV.

SUB Imperatoribus Græcis, ad Pippinum usque & Carolum Magnum, nulla fuit Romæ temporalis Pontificum auctoritas. Quod argumento est falsam esse Constantini Donationem.

Româ Imperio vindicatâ, novam regiminis formam in ea Græci constituerunt Imperatores. Extinctis quippe muneribus Præfecti Prætorio, duorum Vicariorum Italiæ, Censorum, Præsidum, & Consularium; qui justitiam in Provinciis administrabant, Exarchum Ravennæ crearunt, qui universæ Italiæ præesset, omniaque negotia tum civilia, cùm bellica summo jure moderaretur, uni Imperatori subditus. In primariis verò civitatibus Duces designarunt, qui Exarcho parerent, Romæ scilicet, Spoleti, Beneventi, &c. Hac vigente Imperii forma, Longobardi potiorem Italiæ partem occuparunt, nec bello finem posuere, donec Exarchatum Ravennæ suæ ditioni subjecissent, Romanosque in suam penè redegissent potestatem. Illo in statu rerum, tantùm abest ut temporalem auctoritatem in Romanos habuerint Pontifices Maximi, quin potiùs Imperatorum servi extitere. Justinianus siquidem confirmandorum auctoritatem Pontificum nedum usurpavit, verùm & auri pondus exegit, ut confirmationis regiæ beneficium obtinerent.

Agatho Pontifex a Constantino Pogonato sacram Jussionem impetravit, qua remissa est pecunia pro Romanorum Pontificum consecratione dari solita: hac tamen conditione, ut electionis decretum ad Imperatorem semper mitteretur, secundùm antiquam consuetudinem, ac nonnisi ipso annuente Ordinatio perageretur (ut testatur Anastasius Bibliothecarius, in *Agathone*.) Consecrari non potuisse, nisi cujus electio grata esset Imperatori, colligere licet ex Joanne Diacono in *Vita Sancti Gregorii*, *lib.* 1. *cap.* 40. ubi piam industriam recenset, quâ usus est ut Pontificatûs fastigium fugeret, *Ubi*, inquit, *decretum generalitatis evadere nequivit, consensurum se tamen aliquando simulavit: & Imperatori Mauritio, cujus filium ex lavacro sancto susceperat, latenter literas destina-*

vit, adjurans, & multa prece deposcens, ne umquam assensum praberet populis, ut se hujus honoris gloriâ sublimaret. Sed Prafectus Urbis Germanus nomine, ejus Nuntium anticipavit, comprehensumque, ac disruptis Epistolis, consensum, quem populus fecerat, Imperatori direxit. At ille gratias agens Deo pro amicitia Diaconi, eo quòd locum deferendi ei honoris, ut cupiebat, reperisset, datâ Praceptione, ipsum ordinari pracepit.

Illam confirmandæ electionis Romanorum Pontificum potestatem Imperatores Exarchis subinde contulerunt, ut constat ex Anastasio Bibliothecario, *In Canone*: qui cùm electus esset post obitum Joannis V. anno Christi DC. LXXXVI. Justiniani junioris 2. Clero, exercitu, populoque Romano ejus electioni suffragantibus, selecti ex tribus Ordinibus viri ad Theodorum Exarcham, ut moris erat, directi sunt, ut electionem ratam haberet. Juris hujus in Exarchas transmissio, Romanorum Pontificum electionem tumultibus, ac schismatibus obnuxiam magis effecit. Eveniebat enim persæpe ut Clerici ambitionis ingenio ducti, Exarchum pecuniâ sibi devincirent, ut ejus patrocinio in Sedem Apostolicam eveherentur: unde vel intrusiones violentæ, vel tumultus nascebantur gravissimi. Hujus rei illustre præbuit testimonium electio Sergii anno Christi DC. LXXXVII. Paschalis Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus Pontificatum cùm ambiret, Joannem Exarcham Ravennatem ingentis pecuniæ sponsione sibi conciliavit. Ille muneribus inhians, ad Romanos Judices literas dedit, Paschali ut patrocinarentur, eumque eligi Pontificem curarent. Non ita res cessit ut optabat. Clerus enim, populusque Romanus duas in partes discessit. Alii Paschalem: alii Theodorum Archipresbyterum elegerunt. Utraque pars Lateranensem Ecclesiam occupavit. Porrò cùm una alteri non cederet, pertinaciorque in dies fieret dissensio, Cleri, Senatûs, militiæ, populique primates, Schismatis antevertendi consilio, in electionem tertii, nimirùm Sergii, unanimi consensu convenerunt. Quod ubi novit Theodorus, Sergio confestim se adjunxit. Paschalis obstinatior importunis adeò precibus fatigavit Exarcham, ut se Romam ipse conferret Sergii consecrationem prohibiturus. At cùm electionem Sergii canonicam agnovisset, ei refragari noluit, imò eam confirmavit hacce conditione, ut auri pondus a Paschali sibi promissum persolveret. Ut se improba exactione liberaret Sergius, contestatus est, se neque aliquid promisisse, neque facultatem sibi suppetere ingentis adeò pecuniæ persolvendæ. Et ut populum universum sive ad commiserationem, sive ad iram contra Exarcham commoveret, vasa aurea & coronas, quæ sacris Apostolorum altaribus appensæ erant, deponi jussit ac oppignoravit. Verùm nihil profecit Pontifex piâ industriâ: flecti namque non potuit Exarchæ durities, donec pecuniam a Paschali promissam, centum scilicet librarum auri pondus ei Sergius numerasset.

Præterea, Romam Græcis Imperatoribus subditam fuisse, probat Historia persecutionum, quas Romanis Pontificibus intulerunt. Anno Christi DXXXVIII. Theodora Augusta Eutychianæ Hæreseos infecta fuligine, Silverio Pontifici Maximo jussit, ut Anthimum Patriarcham Constantinopolitanum ab Agapeto Decessore suo ob Hæresim depositum, in communionem sedemque restitueret. Acceptis ab Imperatrice literis, ait Silverius: *Modò scio, quia hac causa finem vita mea adducit*. Nec ipsum sua fefellit expectatio. Jussit enim Augusta Belisario Patritio, ut Silverium e Sede Pontificia dejiceret, in ejusque locum Vigilium intruderet suæ in obsequia propensiorem. Belisarius Imperatricis mandato iniquè obtemperans, falsis testibus conductis Pontificem insequitur velut reum conjurationis initæ cum Gothis contra Imperium. Illum Pontificiis insignibus exutum & veste indutum Monasticâ in exilium amandat, ubi Confessor obiit. Lege Liberatum, in *Breviario*, *cap.22*.

Vigilius in Silverii Sedem intrusus, post ejus obitum, ex Antipapa verum Pontificem se præstitit, Decessori suo, zelo & odio in Hæresim, non imparem. Cujus quidem zeli argumentum dedit, cùm ab Imperatrice Constantinopolim accersitus est, ut promissa impleret, Anthimumque restitueret. Impœnitentem Hæreticum nusquam a se restituendum respondit Vigilius; se non ad Justinianum & Theodoram piissimos Principes, sed ad Diocletianum & Eleutheriam vocatum esse. Non impunè tulit verba parum modesta. Pontifici alapam impegit satelles: fugit ille in templum Sanctæ Euphemiæ, & altaris columnas velut sacrum azilum amplexus est. Hinc avulsus, de mandato Imperatricis, fune in collum injecto, per civitatem raptatus, in carcerem detrusus est; ubi modico pane & aqua vitam ægrè sustentabat.

Martinum I. anno DCXLIX. electum Pontificem Theodorus Ravennatum Exarcha Romæ in Basilica Salvatoris, jubente Constante Imperatore Monothelita apprehensum, Constantinopolim misit: unde in Pontum relegatus, inter Barbaros obiit.

Non absimilia molitus est Justinianus Junior in Sergium, Trullanæ Synodi confirmationem renuentem. Sed Ravennatis Exarchæ militia ad commiserationem inflexa, Zachariam Imperatoris Protospatharium ex Urbe ejecit, Sergiumque servavit incolumem. Idem Imperator adversis rebus sapientior factus, Constantino Pontifici electo, anno Christi DCCVIII. jussit ut Constantinopolim, inde Nicomediam ad se veniret; quem honorificè excepit, ad sacra etiam pedum oscula prostratus. *Misit* (inquit Anastasius Bibliothecarius) *supra fatus Imperator sacram ad Constantinum Pontificem, per quam jussit eum ad regiam ascendere urbem; qui Sanctissimus Vir jussis imperialibus obtemperans, illico navigia fecit parari*, &c. Quæ omnia evidenter probant supremam fuisse Imperatorum in Urbem Romam, in ipsosque Pontifices auctoritatem.

Gregorius II. electus est anno DCC XIV. huic Leo Isauricus Imperator infensissimus fuit. Primùm itaque Marino Spathario Romano Duci, deinde Paulo Patritio & Exarcho jussit Gregorium ut interficerent, teste Anastasio Bibliothecario. Paulus verò Exarchus, inquit, Imperatoris jussione eumdem Pontificem conabatur interficere. Misso deinde Edicto contra sacras imagines, Summo Pontifici gratiam suam pollicetur Isauricus Imperator, si nefariæ jussioni acquiesceret. Alioqui gradu suo movendum minatur. Gregorius statim se adversùs hostilem Imperatoris animum zelo Apostolico armat, ad Christianos ubique scribens, ut ab ejus sibi caveant impietate. Subitam rerum conversionem, fecit dextera Excelsi. Pentapoleos enim & Venetiarum exercitus ad Pontificem tuendum inclinati, ab Imperatore defecerunt, spretoque Exarcha, sibi Duces præficere, qui Rempublicam summo jure administrarent. Verùm licèt adversùs impium Imperatorem exercitus, populusque Romanus rebellasset, Gregorius II. rebellionem non fovit; imò nullum non adhibuit conatum, ut eos sub Imperatoris obedientia contineret, quicquid Græci Auctores in contrarium scribant. Id testatur Anastasius Bibliothecarius. *Cognitâ Imperatoris nequitiâ*, inquit, *omnis Italia consilium iniit ut sibi* eli-

eligerent Imperatorem & Constantinopolim ducerent. Sed compescuit tale consilium Pontifex, sperans conversionem Principis. Et infrà: *Ne desisterent ab amore vel fide Romani Imperii, admonebat.* Denique hortatu Luitprandi Longobardorum Regis in amicitiam rediit cum Eutychio Exarcho; eique suam in Romana civitate auctoritatem restituit, teste Anastasio.

Ad Probationum cumulum adjicienda est Epistola Gregorii II. ad Ursum Venetiarum Ducem, qua disertè testatur Urbem Romam subditam esse Imperatoribus. Sic autem habet: *Quia, peccato faciente, Ravennatum civitas, quæ caput extat omnium, a nec dicenda gente Longobardorum capta est, & filius noster eximius Dominus Exarchus apud Venetias, ut cognovimus, moratur: debeat Nobilitas tua ei adhærere, & cum eo nostra vice pariter decertare, ut ad pristinum statum Sancta Respublica in Imperiali servitio Dominorum filiorum nostrorum Leonis & Constantini Magnorum Imperatorum ipsa revocetur Ravennatum civitas, ut zelo & amore sanctæ Fidei nostræ, in statu Reipublicæ, & Imperiali servitio firmi persistere, Domino cooperante valeamus.*

PROPOSITIO V.

Romam & Exarchatum Ravennæ Pippino & Carolo Magno Christianissimis Regibus accepta refert Ecclesia Romana: ipsorumque, necnon Ludovici Pii, & Caroli Calvi munificentiæ debet, quòd Urbium & Provinciarum sit domina, quæ solis ante oblationibus, prædiis, & latifundiis erat dives.

Historicâ demonstratione, seu expositione Historiæ illorum temporum, Propositio probatur. Anno Christi DCCL. cùm Rachis Longobardorum Rex, cum Thesia uxore, & Ratrude filia, Majestatis insignia cum Monasticæ Professionis veste ad pedes Zachariæ Pontificis maximi commutasset, Aistulphus Rachis frater Longobardorum Rex coronatus fuit. Is anno DCCLII. Ravennam obsessam ad deditionem compulit, & Eutychium Exarchorum ultimum, cæteris Exarchatus urbibus captis, fugavit in Græciam. Occupatâ Ravennâ, Romam sibi putavit eodem iure obnoxiam, quo Exarchis paruerat. Pacem ab Aistulpho postulavit Stephanus II. qui Romanæ tunc præerat Ecclesiæ, missis ad eum finem Paulo Diacono germano suo, & Ambrosio Primicerio. Oblatis Regi superbo muneribus, belli inducias in annos quadraginta impetrarunt. At fœdifragus Aistulphus, post quatuor menses Romanæ civitati numeroso cum exercitu imminebat, singulos auri solidos viritim exigens pro tributo. Pacem iterum, sed inaniter flagitavit Stephanus, missis Abbatibus Sancti Vincentii & Sancti Benedicti. Misit interim Græcorum Imperator Joannem Silentiarium, qui unà cum Summo Pontifice ageret apud Aistulphum, ut Exarchatum restitueret Imperio. Sprevit legationem Aistulphus. Rescripsit ad Imperatorem Stephanus, Potenti exercitu potiùs quàm Legationibus opus esse: imminere hostem Romanis arcibus, nec satis esse in Urbe ad illum depellendum præsidii, ni ipse missis copiis succurreret. Neglexit Imperator. Quapropter Stephanus in extremas redactus angustias, Pippini Regis arma imploravit. Acceptis Summi Pontificis literis, Pippinus Rodigangum Abbatem Romam misit, qui Stephano præsidium omne suo nomine polliceretur. Misit & alium Legatum, qui Pontificem in Gallias secum deduceret. Interea Romam pervenerunt Legati Constantini Copronymi Imperatoris Græcorum, sacram jussionem Stephano porrecturi, qua imperabatur ipsi, ut Aistulphum iterum conveniret, aliquam pacis viam tentaturus.

Româ itaque exiit Pontifex 14. Octobris anno Christi 753. & comitibus Galliarum, necnon Constantinopoleos Legatis, Longobardici regni Metropolim, ubi tunc degebat Aistulphus, Papiam cogitavit. Præcessit ipsum Pippini Regis Legatus Dux Autcharus, ut Regem barbarum ad excipiendum, quo decebat honore, ac benevolentiâ, Summum Pontificem hortaretur. Statim ut accepit adventum Stephani superbus Aistulphus, misit ipsi Legatos obviam, qui suo nomine significarent, ne de Exarchatûs, aliarumque urbium restitutione verbum facere auderet. Papiam nihilominus properavit Pontifex. Conciliare sibi muneribus conatus est Aistulphum: obsecravit ut pacem Romanis concederet, atque restitueret Exarchatum Græcorum Imperatori. Sed incassum omnia. Pippini tandem Regis Legati petierunt ab Aistulpho, ut Summo Pontifici liceret in Gallias proficisci, ubi sacram ejus præsentiam votis maximis præstolabatur Rex Christianissimus. Ægrè admodum annuit Aistulphus, illud Pontificis iter, ne sibi foret exitiosum, vehementer metuens.

Papiâ igitur discessit Stephanus 15. Novembris, cum Legatis Galliarum: trajecit Alpes, in Galliamque citò pervenit. A Christianissimo Pippino Pontiniaci summâ pietate ac benevolentiâ exceptus est. Qui ad tria milliaria ipsi obviam ivit cum Serenissima Conjuge, filiis, ac regni proceribus: ad pedes ejus prostratus, Apostolicam benedictionem flagitavit, ac vice stratoris ipsi aliquamdiu ministravit, teste Anastasio Bibliothecario. Ductus deinde Parisios Stephanus, ibidem hyemavit in regali Sancti Dionysii Abbatia, ubi Pippinum ac filios coronavit, unxitque. Sic regnum sibi firmare voluit Pippinus, quod ipsi, abdicato Chilperico legitimo Gallici sceptri hærede, Optimatum populique suffragia, consentiente Zacharia Pontifice, detulerant.

Interea Carlomanum Pippini fratrem, qui in Montis Cassini Abbatia Vitam profitebatur Monasticam, annuente Abbate, in Gallias misit Aistulphus, ut Pippinum a bello Longobardis inferendo, & a repetendo Exarchatu averteret. Verùm Regem Christianissimum ista nihil movit legatio. Misit semel, iterùm & tertiò Legatos ad Aistulphum, qui suo illum nomine obsecrarent, ut prædia & latifundia Ecclesiæ Romanæ, quæ invaserat, Stephano restitueret, Exarchatum verò, aliasque Provincias Imperatori. Quod cùm obtinere non posset a superbo Longobardorum Rege, illatâ in Italiam expeditione, Papiam obsedit, Aistulphoque ad modestiam redacto, & pacem postulante, eâ conditione solvit obsidionem, ut Romanæ Ecclesiæ non solùm restitueret patrimonia, quæ nefariè invaserat, sed etiam Exarchatum Ravennæ, & adjunctas Provincias, quas subegerat, sibique proprias fecerat iure belli. Sancita pax est, ac utrinque acceptæ, obsignatæque conditiones: dati demùm obsides ab Aistulpho 40. primariæ nobilitatis viri.

Sancita pace, hostilem animum non deposuit Aistulphus, & posthabita terribilis Sacramenti Religione, collectis copiis Romam properavit, obsedit Urbem, excidium Romanis minatus est. Summo Pontifici his in angustiis nullum fuit, nisi ad Gallicæ pietatis arma perfugium. De perfidia itaque Aistulphi Pippinum certiorem fecit. Rex Christianissimus ad Aistulphum direxit Garnerium maximi nominis Abbatem, qui ipsum ad servandam fidem hortaretur, & ad restituendum Exarchatum; quod nisi præstaret quantociùs, regno suo imminere Pippinum cum ingenti exercitu certò sciret. Nihil promovit apud Longobardum pius Abbas. Quapropter Pontifex quinquagesimo quin-

quinto obsidionis die, gravissimas ad Pippinum literas dedit, quibus illum Apostoli Petri nomine obtestabatur, ut iterum Ecclesiæ Romanæ ac civitati soccurreret. Extant inter Epistolas Stephani, *Tomo 3. Conciliorum Galliæ*. In quibus hæc inter alia leguntur: *Unde & Dilectissimi nobis, peto vos, & tamquam præsentialiter assidens eam divinis Mysteriis, conjuro coram Deo vivo & vero, & ejus Principe Apostolorum B. Petro, ut sub nimia festinatione nobis subveniatis, ne pereamus: cùm post Deum, in manibus vestris nostras omnium Romanorum commisimus animas...... Ne elongetis a nobis auxilium vestrum, Christianissimi. Peto vos, ne pereamus: ne quando dicant gentes, quæ in cunctæ terrarum orbe sunt: Ubi est fiducia Romanorum, quam post Deum, in Regibus, & in gente Francorum habebant?..... Audite nos, Dilectissimi, audite nos, & subvenite nobis: Salvate nos antequam pereamus, Christianissimi. Omnes etenim gentes, quæ circumquaque sunt positæ, & ad vestram per Dei potentiam Francorum fortissimam gentem refugiam fecerunt, salvæ factæ sunt. Et si omnibus auxilium impartire non differtis, multò ampliùs sanctam Dei Ecclesiam, & ejus populum de inimicorum impugnationibus debueratis liberare.*

His motus literis Pippinus, atque in Aistulphi perfidiam vehementer accensus, alteram expeditionem in Italiam intulit. Id ut primùm novit Longobardus, Romanæ Urbis solvit obsidionem, atque in regni sui fines se recepit, ut aditum Gallicis copiis occluderet. Verùm obsistere Pippini exercitui cùm non posset, in Papienti munivit se civitate, quam statim obsedit Pippinus.

Interim duo Imperatoris Copronymi Legati ad Pippinum missi Constantinopoli, Romam appulerunt. Accepere a Stephano, illatum esse Longobardis bellum a Christianissimo Rege, qui jam Alpes trajecisset. Id ægrè sibi persuadentes, Massiliam navigio festinarunt. Ibi de rei veritate certiores facti cùm essent, alter illic mansit cum Summi Pontificis Apocrisiario: Alter verò perrexit ad Pippinum jam Papiensi urbi imminentem: ipsi Legationis suæ causam exposuit, oblatisque nomine Imperatoris muneribus, rogavit ut Ravennæ Exarchatum, aliasque Provincias, urbes, & territoria, quæ Longobardis erat jure belli erepturus, restitueret Imperio, non verò Sedi Apostolicæ & Romano Pontifici. Verùm generosus Princeps pietatem circumveniri suam passus non est, neque a liberandæ Ecclesiæ Romanæ proposito dimoveri, quàm Græci Hæresibus infames æquè premebant, ac Longobardi Tyranni. Quare, postquam Imperatoris Oratori denuntiasset, se bellum adeò arduum non suscepisse, nisi in B. Petri honorem; donationem scriptam Exarchatus Romam transmisit anno 755. De his audiamus Anastasium Bibliothecarium. *At nequaquam*, inquit, *firmissimum Christianissimi atque benignissimi, fidelis Dei, & amatoris B. Petri Apostoli, Pippini Francorum Regis inclinare cor, ut easdem civitates & loca imperiali tribueret ditioni: asserens iisdem Dei cultor mitissimus Rex, nulla penitus ratione easdem civitates a potestate B. Petri, & jure Ecclesiæ Romanæ, vel Pontificis Apostolicæ Sedis, quoquo modo alienari: affirmans etiam sub juramento, quod per nullius hominis favorem sese certamini sæpiùs dedisset, nisi pro amore B. Petri, & venia delictorum: asserens & hoc, quòd nulla ei thesauri copia suadere valeret, ut quod semel B. Petro obtulit, auferret.*

Discessere irritis conatibus Græcorum Legati: Pippinus verò Aistulphum undique premens, ad veniam fracti fœderis petendam adduxit: & ad restitutionem Exarchatûs, aliarumque civitatum, de quibus in primo fœdere pepigerant, adjecta Commachin urbe. *De quibus omnibus receptis civitatibus*, (inquit Anastasius Bibliothecarius) *Donationem in scriptis, a B. Petro, atque a Sancta Romanâ Ecclesia, vel omnibus in perpetuum Pontificibus Apostolicæ Sedis misit possidendam: quæ & usque hactenus in Archivio sanctæ nostræ Ecclesiæ recondita tenetur.* Civitates Regis nomine recepit Fulraldus Sancti Dionysii Abbas, datosque a singulis obsides, unà cum clavibus, Sedi Apostolicæ, cum supra scripta Donatione, Pippini nomine obtulit. Complectebatur Pippini Donatio tres Provincias, Picenum, Flaminiam, & Æmiliam; & in iis 20. præcipuas civitates, in quibus Ravenna, Ancona, Bononia, & Ferraria eminebant. Post has, Imola, Faventia, Ariminum, Cæsena, Forum-Pompilii, Forolivium, Pisaurum, Senogallia, Urbinum &c. Æmilia Ducatus Parmensem, Placentinum, & Mutinensem continebat.

Pippini porrò in Romanam Ecclesiam liberalitas magnifica publicis conscripta Monumentis, ad hanc usque diem omnium oculis subjecta est. Siquidem teste Papyrio Massono, lib. 2. Annal. & Cardinali Baronio, ad annum DCC.LXVIII. legitur etiamnum Ravennæ vetus inscriptio hisce verbis exarata: PIPPINUS. PIUS. PRIMUS. AMPLIFICANDÆ ECCLESIÆ. VIAM. APERUIT. ET EXARCHATUM RAVENNÆ. CUM AMPLISSIMIS, &c. Reliqua inscriptionis verba, injuria temporum, & exterorum in Gallicam gentem invidia deleverunt.

Anno Christi DCC.LIX. Paulus I. Decessorum suorum exemplo Pippini Regis auxilium imploravit contra tyrannidem Desiderii Longobardorum Regis, qui aliquot urbes ab ipso Sedi Apostolicæ dono datas invaserat. Eximia sunt quæ ad Pippinum scribit Pontifex Epistola 2. *Unde perspicuum est*, inquit, *Vos præ omnibus Regibus & potentibus, piis pollere operationibus: quia assumpto cælesti triumpho, ultro te, Excellentissime Fili, spiritalis Compater, ad liberandam Dei Ecclesiam adhibuisti. Et ideò ut ipsum piæ operationis vestræ certamen effectui manciparetur, crebrò nos congruit, sicut Liberatori ipsius sanctæ Dei Ecclesiæ, & ejus peculiaris populi, Apostolicos dirigere apices.* Exponit deinde hostiles Desiderii in terras Ecclesiasticas incursus. *Præfatus*, inquit, *Longobardorum Rex, Pentapolensium per civitates transiens, quas B. Petro pro magna anima vestra mercede contulistis, ferro & igne omnia sata, & universa quæ ad sumptus hominum pertinent consumpsit: sicque Spoletanum, & Beneventanum, qui se sub vestra a Deo servatâ potestate contulerunt, ad magnum sprætum regni vestri desolavit: atque ferro & igne eorumdem Ducatuum loca, & civitates devastavit: & comprehensum Albinum Ducem Spoletinum, & cum eo Satrapas, qui in fide B. Petri & vestra, Sacramentum præbuerunt, infixis pessimis vulneribus, in vinculis detinet.*

Et infra, Christianissimum Regem etiam atque etiam orat, ut Desiderium compellat ad restitutionem civitatum, quas invaserat. *Post verò dissolutionem eorumdem Ducatuum*, inquit, *conjunxit hic ad Nos Romæ idem Longobardorum Rex: & eum eo loquentes, nimis eum adhortati sumus, & per sacratissimum corpus B. Petri, atque etiam per tuam a Deo protectam Excellentiam, fortiter illum conjuravimus, ut civitates illas, id est Imolam, Bononiam, Auximum, & Anconam, quas nobis præsentialiter, simul per vestros Missos, id est Fulraldum Deo amabilem Abbatem atque Robertum, Excellentissimæ Christianitati tuæ & per Te etiam B. Petro Apostolorum Principi pollicitus est redditurum, restituere deberet. Quod minime acquiescere inclinatus est.... Unde petimus Te & obnixè depre-*

ca-

cimur, ut jubeas perfectam liberationem Sanctæ Dei Ecclesiæ, & ejus peculiaris populi exercere: & ita id quod magna anima tua mercede B. Petro pollicitus es, firmiter permanere; ipsumque Desiderium Longobardorum Regem fortiter constringere digneris ut prolatam a Deo promissionem B. Petro protectori vestro restituere debeat, atque in omnibus adimplere.

Et infra: Omnes enim omnino gentes, quæ super faciem universæ terræ consistunt, compertum habent tuum certamen, quod ad defensionem Sanctæ Dei Ecclesiæ adhibuisti, & magnum te ac præcipuum Regem laudabiliter afferunt. Sed & nos bonam tuam famam longè latèque protelare atque dilatare non desistimus, in eo quòd certè post Deum, sicut murum inexpugnabilem, tuam firmissimam fidem, in nostro pectore conferimus, magnam in Te, post Dei præsidium, possidentes spei fiduciam.

Idem Pontifex Epistolâ 10. ad Francos universos data anno Christi DCC. LXVII. impensè commendat Pippini zelum in Sede Apostolica protegenda; & Gallorum invictam fortitudinem, qui Ecclesiam a Tyrannis & Hæreticis non semel liberaverint. Miserat enim Pippinus præsidium potentissimum in Italiam adversùs Græcos, quorum invasionem Exarchatus Ravennæ, & Provinciæ adjacentes metuebant: ut constat ex Epistolâ 7. Pauli I. ad Pippinum. Grati itaque animi testimonium rependens Paulus, his eos verbis affatur. Verè enim elevatum est nomen Gentis vestræ super multas generationum nationes, & regnum Francorum vibrans emicat in conspectu Domini: quod talibus benignissimis Catholica & Apostolica Sancta Dei Ecclesia liberatoribus præornatur Regibus. Novus quippe Moyses, novusque David in omnibus operibus suis effectus est Christianissimus, & a Deo protectus Filius, & Spiritalis Compater Dominus Pippinus, Dei nutu victoriosissimus Rex, per quem exaltata Dei Ecclesia triumphat, & Fides Catholica ab Hæreticorum telo illibata consistit. Et vos quidem, charissimi, gens sancta, regale Sacerdotium, populus acquisitionis, cui benedixit Dominus Deus Israel, gaudete & exultate, quia nomina vestra, Regumque vestrorum, exarata sunt in cælis, & merces vestra magna est coram Deo, & Angelis ejus. Extant illæ Pauli I. Epistolæ, Tomo 2. Conciliorum Galliæ.

Stephanus III. ad Carolum & Carlomannum Francorum Reges, Pippini filios literas dedit anno Christi DCC.LXIX. quibus eos ad Ecclesiæ defensionem contra Longobardos, Parentis exemplo hortabatur. His in literis, postquam illis ob mutuam concordiam gratulatus est, hæc subjungit: Nam & in his ipsis vestris ferebatur apicibus, tota vestra virtute vos esse decertaturos pro exigendis justitiis protectoris vestri B. Petri, & S. Dei Ecclesiæ, atque in ea promissione amoris, quæ a vestro progenitore sanctæ recordationis Domno Pippino eidem Principi Apostolorum, & ejus Vicariis facta est, polliciti estis esse permansuros, & plenarias justitias sanctæ Dei Ecclesiæ, atque ejus exaltationem esse operaturos. Et quidem Nos, excellentissimi filii, Christianissimi Magni Reges, omnino de hoc certi, atque in omnibus satisfacti sumus, quòd nulla hominum suasio, aut thesaurorum copiosa datio, vos poterit declinare, aut ab eadem vestrâ promissione, quam B. Petro spopondistis, quoquo modo immutare. Et infra; Obtestamur vos per tremendum diem judicii, etiam B. Petrus per nos adhortatur atque obtestatur, ut sub nimia velocitate ipsas justitias ejusdem Principis Apostolorum exigere a Longobardis jubeatis, fortiter eos cum Dei virtute distringentes, ut suas propria idem Princeps Apostolorum, atque sancta Romana Ecclesia recipiat.

Anno Christi DCC.LXXIII. Carolus Magnus Rex Galliarum, Hadriani Pontificis Maximi precibus annuens, trajecto trans Alpes exercitu, Longobardis Ecclesiam Romanam vexantibus arma intulit, nec ante destitit, quàm illorum Regem Desiderium, longâ Ticini obsidione fatigatum, ad deditionem compelleret. Capto Rege, ac filio ejus Adalgiso ex Italia pulso, novum regnum adeptus, in Gallias victor cum hoste captivo regressus est anno 774. Longobardorumque Rex exinde appellatus, Hadriano Papæ & Ecclesiæ Romanæ non solùm res a Longobardis ereptas restituit, & quas Pippinus Pater Provincias concesserat, ratas habuit; sed territorium prætereà Sabinense, Ducatum Spoletinum, & Beneventanum, aliaque plurima paternæ Donationi adjecit. De qua Donatione scribit Anastasius Bibliothecarius in Vita Hadriani I. his verbis. At verò quarta feria egressus prænominatus Pontifex cum suis judicibus tam Cleri, quàmque Militiæ, in Ecclesia B. Petri Apostoli, pariterque cum eodem Rege se ad loquendum conjungens, constanter eum deprecatus est, atque admonuit, & paterno affectu adhortari studuit, ut promissionem, quam ejus sanctæ memoriæ Genitor Pippinus quondam Rex, & ipse præcellentissimus Carolus, cum suo germano Carlomanno, atque omnibus Judicibus Francis fecerant B. Petro, & ejus Vicario sanctæ memoriæ Domno Stephano juniori Papæ, quando in Franciam perrexit, pro concedendis diversis civitatibus, ac territoriis istius Italiæ Provinciæ, & contradendis B. Petro, ejusque omnibus Vicariis in perpetuum possidendis, adimpleret in omnibus. Cùmque ipsam promissionem, quæ in Francia, in loco qui vocatur Carisiacus, facta est, sibi relegi fecisset, complacuerunt illi & ejus Judicibus, omnia quæ ibidem erant adnexa: & propria voluntate, bono ac libenti animo, aliam Donationis promissionem, ad instar anterioris, ipse antedictus præcellentissimus, & revera Christianissimus Carolus Francorum Rex adscribi jussit per Ætherium religiosum ac prudentissimum Capellanum & Notarium suum: Ubi concessit easdem civitates & territoria B. Petro, easque P. Pontifici contradi spopondit, per designationem confinium, sicut in eadem Donatione continere monstratur. Id est, a Lunis *, cum insula Corsica, deinde in Suriano *, deinde in Monte Bardone. Inde in Verceto *, deinde in Parma, deinde in Regio, deinde in Mantua, atque in Monte Silicis *. Simulque & universum Exarchatum Ravennatium, sicut antiquitus erat, atque Provincias Venetiarum, & Istriam, necnon & Ducatum Spoletinum, & Beneventanum. Factaque eadem Donatione, & propriâ suâ manu ipse Christianissimus Francorum Rex eam corroborans, universos Episcopos, Abbates, Duces etiam, & Grafiones * in eâ adscribi fecit. Quam priùs super Altare B. Petri & postmodum intus in sancta ejus Confessione ponentes, tam ipse Francorum Rex, quamque ejus Judices, B. Petro & ejus Vicario Sanctissimo Hadriano Papæ, sub terribili Sacramento sese omnia conservaturos, quæ in eadem Donatione continentur, promittentes tradiderunt. Apparem ipsius Donationis per eumdem Ætherium adscribi faciens ipse Christianissimus Rex Francorum, intus super corpus B. Petri, subtus Evangelia, quæ ibidem osculantur pro firmissima cautela, & æterna nominis sui, ac regni Francorum memoria, propriis suis manibus posuit. Aliaque ejusdem Donationis exempla per Scriniarium hujus sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ descripta, ejus Excellentia secum deportavit.

Anno Christi DCC. LXXVI. cùm Leo Archiepiscopus Ravennas jura Ecclesiæ Romanæ in Exarchatu & Pentapoli sibi arrogaret, ea de re scripsit ad Carolum Magnum Hadrianus I. ejus insolentiam ut coerceret, Pippinique & Caroli ipsius Donationem laudat, non verò Edictum Constantini

* Lunæ civitas Pisis distans 34. milliar. jamdiu diruta, cujus loco extructa est Lerice.

* Surianum territorium, ubi Sarzana civitas Episcopalis est fluvium Magram.

* Vercetum, seu Bercetum, civitas in vertice montis Bardonis, inter Apenninum & Tusciam.

* Mons Silicis infra veterem urbem Estensem, à Patavina civitate 10. mill. distans.

* Grafiones juridicundo in causa rerum repetundarum, & Fiscalibus debitis exigendis præerant.

tioi, quod contra illum Archiepiscopum majoris fuisset roboris. *Postquam*, inquit, *vestra Excellentia a civitate Papia in partes Franciæ remeavit, ex tunc tyrannico, atque protacissimo intuitu rebellis B. Petro & nobis extitit, & in sua potestate diversas civitates Æmiliæ detinere videtur, scilicet Faventiam, Forum-populi, Forum-livii, Casenas, Bobium, Comiadum, Ducatum Ferrariæ, seu Imolas, atque Bononias; asserens quòd a vestra Excellentia ipsæ civitates, unà cum universa Pentapoli, illi fuissent concessæ. Et continuò direxit Theophilactum Missum suum per universam Pentapolim, hoc ipsum denuntians, cupiens eosdem Pentapolenses a nostro servitio separare. Sed ipsi nullo modo se illi humiliare inclinati sunt, nec a servitio B. Petri & nostro recedere maluerunt: magis autem firmi in nostris Apostolicis mandatis, quemadmodum extiterunt sub nostro Prædecessore Domno Stephano Papa, cui sanctæ recordationis Genitor tuus, simulque & præclara Excellentia tua, ipsum Exarchatum sub jure B. Petri permanendum tradidit, in omnibus firmiter permanere noscuntur.*

Anno Christi DCC. LXXXVI. Carolus Magnus Romam tertiò profectus est, atque illud obeundo iter, adversùs Arigisum Beneventanum Ducem expeditionem intulit, teste Aimoino Monacho, *lib. 4. Histor. Francorum, cap. 78.* Arigisus nomine, armisque Caroli perterrefactus, relictâ Benevento, Salernum urbem maritimam atque munitissimam confugit; filiumque interim suum natu minorem Grimnaldum nomine ad Carolum misit, qui se illius ditioni subjiceret. Illa Ducis deditio Christianissimum Regem aliquatenus mitigavit: non ita tamen quin Beneventum & potissimam Ducatûs partem ipsi ereptam, Sedi Apostolicæ dono daret. Receptis itaque ad Fidei Sacramentum Beneventanis, & Arigisi Ducis obsidibus XII. cum Grimoaldo filio, Romam rediit, Pascha cum Pontifice Maximo celebraturus. Verùm non statim traditus est Romano Pontifici Beneventi Ducatus. Restitere etenim Beneventani in Ducem suum bene affecti: cum Græcis contra Carolum, & Papam conspirarunt, & jugum Pontificiæ dominationis meditati sunt excutere. Qua de re certiorem fecit Carolum M. Hadrianus, ut eos misso exercito in officio contineret. *Beneventani*, ioquit, *illud tempus vernum transire patiuntur, ut æstivo tempore, Deo illis contrario, vobis in perjurii reatum incurrant. Sed vestra regalis Potentia sic illis in triumphis præire satagat, ut & illorum protervíam procul dubio imminentem sub pedibus suis conculcet, & sua exaltatio in toto profametur mundo, tam de sua prudentissima regali victoria, quàmque de sacratissima oblatione, quam in partibus ipsis Beneventanis B. Petro fautori suo, puro corde, ob nimium amorem, atque sempiternam memoriam condonavit.* Hæc habentur in Epistolâ 31. ad Carolum Magnum, *Tomo II. Conciliorum Galliæ.*

Anno Christi DCCC. XVII. Paschalis Pape I. Ludovicus Pius Augustus quartum regni sui annum agens, solemni Donationis Edicto confirmavit quæcumque a Decessoribus suis Romanæ Ecclesiæ oblata essent, adjecitque integram Sardiniam. Hujus Donationis meminit Leo Ostiensis in *Chronico Casinate, lib. 1. cap. 18.* cùm ait: *Ultimo hujus Abbatis,* (Theodemari scilicet) *anno, Ludovicus Imperator, qui cognominatus est Almus, vel sanctus, hujus Caroli filius, quarto imperii sui anno, Aquisgrani* in Palatio, cum pluribus totius Franciæ Episcopis, Abbatibus, religiosisque Monachis Concilium faciens, utilissima nostri Ordinis observationi octo generalia capitula constituit, quæ omnia apud nos perinde ferè ac Regula Sancti Benedicti, observantur. Hic pactum Constitutionis & confirmationis fecit B. Petro Apostolo, ejusque Vicario Domno Paschali, parentes suos Pippinum & Carolum imitatus, manûsque sua ac filiorum subscriptione corroborans, X. Episcopos, VIII. Abbates, & Comites XV. Bibliothecarium, Mansionarium, & Ostiarium unum subscribere fecit; & per Legatum S. R. E. Theodorum Nomenculatorem Domno Paschali Papa transmisit.*

** Aquisgranum,*
vulgò Aix
la Chapelle,

Extat illius Donationis fragmentum in corpore Juris Canonici Distinct. 63. Cap. *Ego Ludovicus.* Inserta est verò integra *Tomo II. Conciliorum Galliæ.* Ita iocipit: *Ego Ludovicus Imperator Augustus, statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ, tibi B. Petro Principi Apostolorum, & pro te Vicario tuo Domno Paschali Summo Pontifici, & universali Papæ, & Successoribus ejus in perpetuum, sicut a Prædecessoribus vestris usque nunc, in vestra potestate, & ditione tenuistis, & disposuistis, civitatem Ravennam cum Ducatu suo,* &c. Singulis deinde civitatibus recensitis, addit de Ravennæ Exarchatu: *Necnon & Exarchatum Ravennatensem sub integritate, cum urbibus, civitatibus, oppidis, & castellis, quæ pia recordationis Domnus Pippinus Rex, ac bonæ memoriæ Genitor noster Carolus Imperator, B. Petro Apostolo, & Prædecessoribus vestris jamdudum per Donationis paginam restituerunt,* &c. Addit inferiùs, *Insulas Corsicam, & Sardiniam, & Siciliam sub integritate, cum omnibus adjacentibus, & territoriis maritimis, littoribus, portubus, ad supra dictas civitates & insulas pertinentibus.*

Et quidem quod spectat ad Sardiniam, * singularis illa ac propria Ludovici Pii beneficentia fuit. Nondum enim in Ecclesiæ ditionem fuerat reposita. Quod verò ad Siciliam attinet, rectè notat vir eruditissimus Joannes Morinus, Siciliæ nomen in Edictum Donationis mendosè irrepsisse. Illud etenim regnum nusquam in Caroli Magni, aut filiorum ejus potestate fuit, Siciliæ principatus semper fuit penes Græcos ad annum usque DCCC. XXVII. qoo Euphemius quidam aliquarum hac in insula urbium, nomine Michaelis Balbi Græcorum Imperatoris Prorex, Africanis Saracenis aditum aperuit, qui in Calabriam etiam irruperunt, testibus Joanne Curopalate & Cedreno. Exinde Siciliæ & Calabriæ Principatus Græcos inter ac Saracenos divisus fuit, donec Normanni utrisque expulsis, Siciliæ Neapolisque regna instituerunt. His Imperatores Teutonici ex Sueviæ domo successere, istis domus Andegavensis Principes; istis Aragoniæ domus, tum Castellæ, demum Austriaca.

** L'Isle de*
Sardaigne.

Carolus Calvus Ludovici Pii Augusti filius, Decessorum suorum in Romanam Ecclesiam beneficia confirmavit, ut testatur Joannes VIII. Epistolâ 9. ad Landulphum Capuanum Episcopum. *Nosse volumus*, inquit, *tuæ Religionis intentionem: quoniam Domino cooperante, Leone venerabili Episcopo nepote nostro, ac S. R. E. eximio Apocrisario, aliisque nostris Legatis, quos nuper direxeramus, a charissimo filio nostro Carolo Imperatore Augusto reversis, vobis, ut pote a secreto Consiliariis nostris ratum ducimus animi ejus, Deo inspirante, circa Ecclesiarum, præsertim Romanæ, quæ caput est omnium, exaltationem, affectum patefacere. Omne sanè jus potestatis antiquitus attributum capitulariter renovans in conventu Episcoporum, ac Optimatum inviolabiliter concessit habendum. Inter quæ de terra vestra pacta, prout Christo duce voluissemus statuere, nostro juri, potestatique committit.* Ex quibus constat, Capuanam civitatem, totumque Ducatum a Carolo Calvo Galliarum Rege & Imperatore donatum esse Romanæ Ecclesiæ. Sed & Samnitum & Calabriæ Provinciis, aliisque urbibus, Decessorum suorum erga Romanam Ecclesiam liberalitatem magnificam cumulavit, ut testatur

Eutropius

Eutropius Longobardus Presbyter, coævus Auctor, quamvis in Carolum Calvum iniquior, quem malè parta Pontificibus Romanis donasse scribit, & quorum se possessione diu gavisurum esse non sperabat.

Ex his omnibus probatur evidenter, Ecclesiam Romanam Regum nostrorum munificentiæ debere, quòd Urbium & Provinciarum sit domina, quæ solis antea latifundiis, & prædiis erat dives.

PROPOSITIO VI.

Supremi Dominii consortium fuit inter Gallorum Reges, & Pontifices Maximos in Romana civitate usque ad Carolum Calvum, qui solidum jus in Urbem Joanni VIII. *ejusque Successoribus concessit.*

Patritiatum Romanum a Stephano & Proceribus Romanis Pippino collatum, testantur ejusdem Pontificis Epistolæ. Collatam quoque Patritiatûs dignitatem a Pippino Summis Pontificibus, unà cum Exarchatu Ravennate, id est, summam in Urbem & Provinciam Romanam jurisdictionem, qualem Exarchæ habuerant: ita ut duobus in solidum Patritiis exinde Roma pareret, constat ex Epistolâ Hadriani I. 85. in Codice Carolino, qua Pontifex Carolum obsecrat ne Ravennianos, vel Pentapolenses ad se commeantes, sine Pontificiis literis susciperet: & si qua de re conquererentur, eos ad judicium Romanæ Sedis remitteret, ut integer & illibatus permaneret Patritiatus a Pippino collatus. *Sed quæsumus*, inquit, *vestram Regalem Potentiam, nullam novitatem in holocaustum, quod B. Petro sanctæ recordationis Genitor vester obtulit, & vestra Excellentia ampliùs confirmavit, imponere satagat: quia, ut fati estis, honor Patritiatûs vestri a nobis irrefragabiliter conservatur, etiam & plus ampliùs honorificè honoratur. Simili modo ipse Patritiatus B. Petri fautoris vestri, tam a sanctæ recordationis Domino Pippino Magno Rege Genitore vestro in scriptis in integro concessus, & a vobis ampliùs confirmatus, irrefragabili jure permaneat.*

Plenam itaque post ista tempora in rebus civilibus administrationem Romæ exercuerunt Summi Pontifices. Unde Hadrianus I. statim atque electus fuit, quosdam Proceres exilio damnatos per tumultum, revocavit in Urbem, alios carceribus solvit teste Anastasio Bibliothecario. Hinc etiam Ludovicus Pius in sua Donatione Romam in potestate & ditione Pontificum, qui Paschalem primum præcesserant, fuisse testatur.

Consortium vero Dominii in Urbem Romam habuisse Reges Christianissimos, multa probant. Primò, honorifica Caroli Magni receptio, cùm Romam a Papiæ obsidione reversus est. Illum enim Pontifex, Proceresque Romani velut Exarchum & Patritium susceperunt, ut testatur Anastasius. *Obviam illi ejus Sanctitas*, inquit, *dirigens venerandas Cruces, id est, signa, sicut mos est ad Exarchum aut Patritium suscipiendum, eum cum ingenti honore suscipi fecit.*

Defuncto Hadriano, Leo III. statim atque creatus est Pontifex, de sua electione Carolum Magnum certiorem fecit, & obedientiam illi atque fidelitatem spopondit, quod constat ex Epistolâ Caroli Magni ad Leonem ipsum, quæ apud Alcuinum extat ordine 84. *Perlectis*, inquit, *Excellentiæ vestræ literis, & auditâ Decretali Chartula, valdè, ut fateor, gavisi sumus, seu in electionis unanimitate, seu in humilitatis nostræ obedientia, & promissionis ad nos fidelitate.*

Confirmatur testimonio Eginhardi in Annalibus, ad annum DCC. LXXXXVI. ita scribentis. *Romæ Hadriano defuncto, Leo Pontificatum suscepit; & mox per Legatos suos claves confessionis B. Petri, ac vexillum Romanæ Urbis, cum aliis muneribus, Regi misit: Rogavitque ut aliquem de suis Optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem per Sacramenta firmaret. Missus est ad hoc Angilbertus Abbas Monasterii Sancti Richarii.* * Fides itaque & S.Riquier
subjectio populi Romani Carolo Magno debebatur jure Patritiatûs, quæ ut novo firmaretur sacramento, fœdusque cum Decessoribus initum renovaretur a Leone, missus est Angilbertus.

Confirmatur testimonio Caroli Magni in laudatâ ad Leonem III. Epistolâ: *Angilbertum Manualem nostræ familiaritatis, vestræ direximus Sanctitati*, inquit, *illique omnia injunximus, quæ vel nobis voluntaria, vel vobis necessaria esse videbantur: ut ex collatione mutuâ conferatis quicquid ad exaltationem sanctæ Dei Ecclesiæ, vel ad stabilitatem honoris vestri, vel Patritiatus nostri firmitatem necessariam intelligeretis. Sicut enim cum beatissimo Prædecessore vestro sanctæ Paternitatis pactum inii, sic cum Beatitudine vestra ejusdem fidei & charitatis inviolabile fœdus statuere desidero: quatenus Apostolicæ Sanctitatis vestræ, divinâ donante gratiâ, Sanctorum advocata precibus, me ubique Apostolica benedictio consequatur; & sanctissima Romanæ Ecclesiæ Sedes, Deo donante, nostrâ semper devotione defendatur.*

Id luculenter confirmant antiquæ Lateranensis Palatii picturæ. Sanctus Petrus in solio sedet: a dextris Leo III. a sinistris Carolus Magnus Apostolorum Princeps dextrâ porrigit Orarium Leoni; sinistrâ vexillum tradit Carolo. Leguntur quoque istæ inscriptiones: hinc, SANCTISSIMUS DOM. NOSTER LEO PAPA. Illinc; DOM. N. CAROLO REGI; quibus summa utriusque in Urbem dominatio ac jurisdictio significabatur. Ubi etiam notandum est nullum Pontificum ante Leonem III. *Dominum nostrum* inscriptum fuisse.

ANNO CHRISTI DCCC. cùm Romam quartò profectus esset Carolus, ut injuriam Leoni III. illatam ulcisceretur, vicem tanti beneficii rependens Pontifex, ejus capiti coronam imposuit, populo ter unanimi voce acclamante: *Carolo piissimo Augusto a Deo coronato, Magno, pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria.* Ita ab omnibus salutatus Imperator, oleo sancto a Pontifice unctus est, ab eoque more antiquo Principum adoratus: & qui antea Rex Francorum, ac Patritius Romanorum vocabatur, exinde ablato Patritii nomine, Imperator & Augustus est appellatus. Id testantur Ademarus in Vita Caroli Magni, & Anastasius Bibliothecarius in Vita Leonis III. Id etiam habetur ex Eginhardo in Vita Caroli Magni: *Nec ille*, inquit, *toto regni sui tempore quidquam duxit antiquius, quàm ut Urbs Roma suâ operâ, suoque labore, veteri polleret auctoritate: & Ecclesia Sancti Petri non solùm per illum tuta ac defensa, sed etiam suis opibus præ omnibus Ecclesiis esset ornata atque ditata. Quam cùm tanti penderet, tamen intra 47. annorum, quibus regnaverat, spatium, quater tantùm illò votorum solvendorum, ac supplicandi causâ profectus est. Ultimi adventus sui non solùm hæ fuerunt causæ, verùm etiam quòd Romani Leonem Papam multis affectum injuriis, erutis videlicet oculis, linguaque amputatâ, fidem Regis implorare compulerant. Idcirco Romam veniens propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, Ecclesiæ statum, ibi totum hyemis tempus protraxit, quo tempore, & Imperatoris, & Augusti nomen accepit. Quod primò in tantùm aversatus est, ut affirmaret se eo die, quamvis præcipua festivitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset. Constantinopolitanis tamen Imperatoribus super hoc indignantibus, magnâ tulit*

pa-

patientiâ, vicitque eorum invidiam magnanimitate, quâ eis procul dubio longè praestantior erat, mittendo ad eos crebras legationes, & in Epistolis Fratres eos appellando.

Suscepto Imperio, Carolus Magnus summam Romæ jurisdictionem exercuit. Tunc enim contigit, quod veteres Annales Francorum referunt his verbis: *Post paucos autem dies, jussit eos qui Pontificem anno superiore deposuerant, exhiberi: & habitâ de eis Quæstione, secundùm legem Romanam, ut Majestatis rei capitis damnati sunt. Pro quibus tamen Papa pio affectu apud Imperatorem intercessit. Nam & vita, & membrorum integritas eis concessa est. Caeterùm pro facinoris magnitudine, exilio deportati sunt.*

Idem confirmatur ex Paulo Diacono, qui in Epistolâ Dedicatoriâ Festi ad Carolum Magnum vocat Romam ejus civitatem: *& præcipuè civitatis vestræ Romuleæ.*

Denique Reges Francorum summum Romæ Dominium exercuisse, probat Constitutio Lotharii Imperatoris, qua decrevit ut populus Romanus delectum unius legis faceret, ex cujus præscripto judicia peragi possent. Perturbata enim erat ratio judiciorum propter multitudinem populi e variis regionibus in urbem confluentis, qui Longobardicâ, Francicâ, vel Romanâ lege, pro suo quisque arbitratu judicia sibi reddi contendebat. Quamobrem hocce tulit Edictum Lotharius, lib. 2. Leg. Longobard. Titul. 57. *Volumus ut cunctus populus Romanus interrogetur quali lege vult vivere: ut tali lege, quali vivere professi sunt, vivant; illisque denuntietur, ut hoc unusquisque, tam Judices, quàm Duces, vel reliquus populus sciat, quòd si offensionem contra eamdem legem fecerint, eidem legi qua profitentur vivere, per dispositionem Pontificis ac nostram, subjaceant.* Quæ ultima verba consortium Dominii Pontificem inter ac Imperatorem extitisse, manifestè evincunt.

Verùm illud potestatis consortium amovit Carolus Calvus, solidumque jus in Urbem Joanni 8. ejusque Successoribus concessit, anno circiter DCCC. LXXVI. Unde Eutropius Longobardus Presbyter post aliquot annos scripsit de Carolo Calvo: *Renovavit pactum suum Romanis, perdonans illis jura regni, & consuetudines illius... .... Cuncta illis contulit quæ voluerunt.*

Ex supremo Pontificum in Urbem, annexasque Regum nostrorum munificentiâ Provincias, fluxit mos ille Pontificum ferendæ Coronæ, ut insigne temporalis Principatus. Hac primùm usus legitur, qui Caroli Calvi temporibus sedebat, Nicolaus I. teste Anastasio Bibliothec. Duplici corona Tiaram ornare cœpit Bonifacius VIII. Tertiam addidit Urbanus V.

Ex eodem supremo Dominio a Regibus nostris Romanæ Sedi in Urbes & Provincias collato ortum habuit mos ille adnotandi Pontificum annos in subscriptionibus Diplomatum. Quod ut percipiatur, advertendum est, solis Consulum annis rationem temporum constitisse in Romano Imperio ad Justiniani usque tempora. Tunc Consulum nomen & dignitas extincta est. Deinceps anni consignati sunt ab ultimo Consulatu. Plures Pelagii I. leguntur Epistolæ hoc modo consignatæ: *Anno 15. post Consulatum Basilii Viri clarissimi.* Ex hoc tempore, Imperatorum anni cum ultimo Consule adnotari cœperont, ut patet ex omnibus Actionibus Concilii 5. Oecumenici, quæ ita sunt consignatæ: *Imperii Domini Justiniani perpetui Augusti anno 27. post Consulatum Basilii, anno 12. Non. Maii. Indict. 1.* Idem patet ex fragmento damnationis illatæ Theodoro Cæsareæ Cappadociæ Antistiti a Vigilio Romano Pontifice, quæ sic consignata est: *Data 19. Cal. Septembr. Imperante Domino Justiniano perpetuo Augusto 25. post Consulatum Basilii Viri Clarissimi, anno 11.* Hanc publica instrumenta consignandi Formulam præscripsit Justinianus Imperator *Novella* 47. Non diu servata est hæc subscribendi ratio, sed ultimi Consulatus omissa mentione, mos obtinuit ut soli Imperatorum anni, cum Indictione, publicis privatisque Actis apponerentur. Concilium Romanum Præside Sancto Gregorio Magno celebratum, consignatum est anno Mauritii Imperatoris XIII. Epistolæ Gregorii II. Gregorii III. & Zachariæ, Imperatorum annos similiter subjiciunt. Verùm ex quo summam in Exarchatum Ravennæ in Pentapolim, in Urbem Romam auctoritatem Regum nostrorum beneficiis consecuti sunt Pontifices, hanc e suis diplomatibus servitutis notam expunxerunt, Indictionem dumtaxat, & mensis labentis diem adscribentes. Quod patet ex omnium Pontificum Epistolis a Paulo I. ad Joannem XV. Tandem ut supremam auctoritatem suam testarentur, Regum Imperatorumque æmuli, annos Pontificatûs sui in publicis Diplomatibus, necnon in privatis Epistolis adnotarunt. Hunc primò usum reperire est in Actis Synodi Romanæ pro Canonizatione S. Uldarici habitæ a Joanne XV. Pontifice Maximo, cujus hoc tenore exarata subscriptio est: *Data III. Cal. Februarii per manum Joannis Episcopi sanctæ Nepesinæ Ecclesiæ, & Bibliothec. S. Sedis Apostolicæ, anno Pontificatus Domini nostri Joannis Sanctissimi XV. Papæ octavo, mense dicto, & Indictione 6.* Eodem tenore Clemens II. diplomati subscripsit, quo Salernensis Archiepiscopi translationem confirmat: *Datum 12. Cal. Martii, per manus Petri Diaconi, & Bibliothecarii, & Cancellarii Sanctæ Apostolicæ Sedis anno Domini Clementis II. Papæ primo, Indictione 14.* Leo IX. Clementis successor annos etiam sui Pontificatus apponit Epistolæ, quam scribit ad Thomam Episcopum Africanum. Nicolaus II. Privilegium S. Felicitatis Monasterio propè Florentiam concessum eadem notâ consignat. Alexander II. Nicolai successor in Epistolâ ad Dioclensem in Dalmatia Archiepiscopum hanc subscriptionem infra sigillum apponi jussit: *Pontificatus Domini Alexandri II. Papæ secundo, Indictione 12. Datum Romæ 15. Cal. Aprilis.* Gregorii VII. Epistolæ Pontificatus ipsius annos adscriptos quidem non habent: sed Acta 8. aut 9. Conciliorum Romanorum, quæ ipso Præside celebrata sunt, post annos Christi, & alias temporis notas, annos Pontificatus ipsius adjunctos habent. Qui Gregorium VII. secuti sunt Pontifices, hanc supremi Principatus notam insignem diligenter conservarunt.

Objicies in Propositionem V. Constantinus Sardiniæ Insulam Romanæ Ecclesiæ dono dedit, ipsiusque censum adscriptum esse voluit Basilicæ S. Martyrum Marcellini Presbyteri, & Petri Exorcistæ, in qua Helena ejus Mater sepulturam sibi delegerat. Igitur Constantinus Urbes & Provincias Ecclesiæ Romanæ dedit: proindeque ante Regum nostrorum munificentiam, non solis prædiis & latifundiis, sed etiam Urbibus & Provinciis dives & potens erat. Antecedens constat ex Anastasio Bibliothecario seu alio Auctore, in Vita Sancti Silvestri.

Respondeo, nego consequens: Non enim Sardiniæ Insulæ nomine magna illa & celebris Maris Mediterranei Insula designatur ab Anastasio. Nemo enim persuadere sibi poterit Constantinum Ecclesiæ Romani suburbii tantam contulisse Provinciam, qui tribus præcipuis Urbis Ecclesiis sola prædia & latifundia donavit. Id demonstrat & series narrationis Anastasianæ. Si enim de Insula illa quæ Italiam inter & Hispaniam interja-

cet, locutus esset eruditus Bibliothecarius, Donationem illam cum aliis non involvisset, sed singillatim commemorasset, laudeque singulari tantum extulisset beneficium. Denique incredibile est quòd regio tam latè patens, totque civitatibus, arcibus, oppidis, pagis, & agris nobilitata & ditata, Libellas tantùm 1024. annui census Dominis suis referret, quot civium Romanorum cuilibet villa sua, aut prædium facilè suppeditabat. Itaque Insulæ nomen terram continentem in medio mari, in flumine, aut in lacu non significat, sed domum a cæteris avulsam, cujus angulos viæ seu vici undequaque cingant, sicut insulas maritimas undequaque pelagus ambit: quamobrem domibus hujusmodi metaphoricè delatum est insulæ nomen. Quæ nominis hujus significatio apud Veteres non infrequens est. De hisce nimirum insulis loquitur Suetonius in Vita Tiberii Cæsaris, cujus commendat munificentiam, cap. 48. Quòd *Quibusdam Dominis insularum, quæ in Monte Cælio deflagraverant, pretium restituerit*. Et in Vita Neronis, cap. 16. ubi scribit, ipsum *Formam ædificiorum Urbis novam excogitavisse, & ut ante insulas ac domos porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur, easque sumptu suo extruxisse*. Ita Insulæ nomen usurpat Spartianus; cùm scribit, Romæ ter centum & triginta quinque insulas uno fuisse consumptas incendio. Eodem sensu nomen illud sumunt Sextus Rufus & P. Victor, qui sub Imperatoribus Valentiniano & Valente florebant, cùm Urbem Romam describentes, in prima duntaxat urbis regione ter mille ducentas quinquaginta insulas numerant. Denique Pancirola in antiqua Romæ descriptione, quadraginta millia insularum, & septingentas tantùm supra mille domos recenset. Insula igitur Sardiniæ, qua de loquitur Anastasius, erat domus, quæ hortos quosdam, agellos, aut vineas muris septas complectebatur & quæ viis undique cingebatur, ita ut undequaque pateret aditus. Et hanc domum cui nomen erat Sardinia, & quæ Romano more Insula vocabatur, Basilicæ, quam in honorem SS. Petri & Marcellini in uno ex Romanæ civitatis suburbiis erexerat, Constantinus assignavit in dotem.

Objectio secunda petitur ex Privilegio quodam Dagoberti Francorum Regis Abbatiæ & Ecclesiæ Sancti Dionysii concesso, in quo ait Rex Christianissimus, Constantinum Sancto Petro *Arcem Romani Imperii cum omni integritate* donasse. Constantini igitur munificentiæ debent Pontifices quòd sint Urbis Domini.

Respondeo, nego consequens. Non enim per arcem Romani Imperii Roma ibi intelligitur, sed Palatium duntaxat Lateranense, in quo magnificam extrui curavit Ecclesiam, quæ ex ejus nomine *Constantiniana Basilica* nuncupata est, & quæ præcipua semper Urbis Ecclesia fuit, & Sedes Romani Patriarchatûs. Unde ab antiquis Auctoribus *Patriarchium Lateranense* vocatur. Id colligitur ex Anastasio Bibliothec. in Vita Silvestri.

Objicies tertiò. Quod Reges Christianissimi Romanæ Ecclesiæ restituerunt ut proprium ipsius patrimonium a Constantino collatum, eorum munificentiæ acceptum primò referri non debet, sed ad Constantini Donationem referendum est. Atqui Romani Pontifices Urbes & Provincias Romanæ Ecclesiæ a Regibus Christianissimis restitutas testantur, quas Imperator Constantinus contulerat. Itaque Constantini munificentiæ, non verò Galliarum Regibus debet Romana Ecclesia quòd Urbium & Provinciarum sit Domina.

Probatur antecedens ex Epistolâ Hadriani I. ad Carolum Magnum datâ anno DCC.LXXV. *Et sicut*, inquit, *temporibus B. Silvestri Romani Pontificis, a sanctæ recordationis piissimo Constantino Magno Imperatore per ejus largitatem sancta Dei Catholica & Apostolica Romana Ecclesia elevata atque exaltata est, & potestatem in his Hesperiæ partibus largiri dignatus est; ita & in his vestris felicissimis temporibus atque nostris, sancta Dei Ecclesia, id est, B. Petri Apostoli, germinet atque exultet, & amplius exaltata permaneat, ut omnes gentes quæ hæc audierint, edicere valeant: Domine salvum fac Regem, & exaudi nos in die quâ invocaverimus te. Quia ecce novus Constantinus Christianissimus Imperator his temporibus surrexit, per quem omnia Deus sanctæ suæ Ecclesiæ beatorum Apostolorum Principis Petri largiri dignatus est. Sed & cuncta alia, quæ per diversos Imperatores, Patritios etiam, & alios Deum timentes, pro eorum animæ mercede, & veniâ delictorum, in partibus Tusciæ, Spoleto, seu Benevento, atque Corsica, simul & Sabinensi patrimonium B. Petro Apostolo, sanctæque Dei, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ concessa sunt, & per nefandam gentem Longobardorum per annorum spatia abstracta atque ablata sunt, vestris temporibus restituantur. Unde & plures Donationes in sacro nostro scrinio Lateranensi reconditas habemus. Tamen & pro satisfactione regni vestri, per jam fatos Viros, ad demonstrandum eas, vobis direximus: & pro hoc petimus eximiam Præcellentiam vestram, ut in integro ipsa patrimonia B. Petro, & nobis restituere jubeatis*.

Respondeo, nego minorem. Ad probationem respondeo, verbum *restituendi*, quo interdum utuntur Pontifices, cùm de Regum nostrorum loquuntur erga Sedem Apostolicam munificentiâ, non referri ad Urbes, & Provincias, sed ad patrimonia, quæ Ecclesiæ eripuerant Longobardi. His enimverò temporibus Regum nostrorum beneficia solebant ab Ecclesiæ Romanæ patrimoniis distingui. Quod enim Ecclesiæ contulerant, adeò aliorum Principum dona & oblationes superabat, ut nefas existimarent Summi Pontifices, ea communi cum aliis bonis nomine designare. Nomine igitur Patrimoniorum Ecclesiæ, nihil intelligebant aliud, quàm prædia, possessiones, latifundia, quæ Imperatores, Patritii, necnon privatæ personæ, Ecclesiæ Romanæ liberaliter obtulerant: horum partem maximam referebant acceptam Constantino, ut constat ex Anastasio Bibliothecario in Vita Silvestri. ea omnia singillatim recensente, quæ religiosissimus Imperator Ecclesiæ contulit. Verùm aliis verbis Regum nostrorum munificentiam exprimebant, dicendo, ipsos arces, Urbes, Provincias, Sancto Petro tradidisse. Sicut ergo in Monarchia aut quovis Principatu, Dominium Principis, id est, prædia, & latifundia quæ possidet, a Provinciis quibus dominatur, distingui solent; & in Imperio fiscus, qui propriè Imperatoris erat, ab ærario, quod erat Reipublicæ, distinguebatur: ita Summus Pontifex Hadrianus patrimonia Ecclesiæ distinguit a Provinciis & Urbibus: & illa quidem a Carolo Magno restituta: Provincias verò & Urbes oblatas, & dono datas profitetur. Id constat ex illius Epistolâ *Ad Constantinum & Irenem*, quæ refertur Actione 2. Synodi 7. *Filius* inquit, *& spiritalis compater noster Dominus Carolus Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patritius Romanorum, nostris obtemperans monitis, atque adimplens in omnibus voluntates, omnis Hesperiæ, occiduæque partis barbaras nationes sub suis prosternens conculcavit pedibus, omnipotentatum illarum domans, & suo subjiciens regno, adunavit. Unde per sua laboriosa certamina eidem Dei Apostoli Ecclesiæ, ob nimium amorem, plura dona perpetuò obtulit possidenda, tam Provincias, quàm civitates, seu castra, & territoria: imò & patrimonia, quæ a perfida*

Lon-

Longobardorum gente detinebantur, brachio forti eidem Dei Apostolo restituit, cujus & jure esse dignoscebantur. Provincias, civitates, castra, & territoria Ecclesiæ Romanæ dono data scribit a Carolo Magno. Patrimonia verò quæ Longobardi invaserant, ab eodem Romanæ Sedi restituta. Et in Epistolâ ad Carolum Magnum, de imaginum cultu, de Græcis Imperatoribus conqueritur, qui plurium Episcoporum consecrationem, imò & Patrimonia Ecclesiæ Romanæ eripuerant. In quo autem sita essent ista patrimonia satis innuit, cùm ipsa data fuisse ait *pro luminarium continuatione, atque alimoniis pauperum*. Verbum itaque restitutionis, quo utitur aliquoties Hadrianus, refertur ad vetera patrimonia, quæ Longobardi invaserant, non ad Urbes & Provincias, quas simpliciter dicit oblatas ac datas a Christianissimis Regibus Pippino & Carolo. Id ex ipsâ Epistolâ Hadriani in objectione laudatâ perspicuum est, qua Carolum Magnum impensè quidem rogat ut Patrimonia Ecclesiæ a Longobardis erepta restitui jubeat: & tamen omnia ab eo Ecclesiæ donata profitetur. *Ecce novus Christianissimus Dei Imperator Constantinus his temporibus surrexit, per quem omnia Deus sanctæ suæ Ecclesiæ Beatorum Apostolorum Principis Petri largiri dignatus est*.

Respondeo secundò, Provincias etiam ipsas & Urbes dici potuisse restitutas a Carolo Magno & Pippino, post primam illarum donationem. Longobardi namque Exarchatum Ravennæ, & Pentapolim, statim post primam expeditionem Pippini in Italia, Summis Pontificibus tradere noluerunt, quamvis id spopondisset Aistulphus sub fortissimo & terribili sacramento (ut cum Anastasio Bibliothecario loquar) imò nec post alteram expeditionem, alteramque victoriam a Pippino reportatam, omnes civitates ab ipso datas Apostolicæ Sedi tradidere. Unde veteres Auctores restitotas fuisse illas Provincias a Regibus nostris scribere potuerunt. Quæ tamen restitutio primam Donationem supponit, non evertit. Id iterum patet ex Epistolâ 3. Stephani II. ad Pippinum. *Etenim*, inquit, *sicut primitus Christianitati vestræ ediximus, iniquus Aistulphus Rex, ingresso in ejus corde perfido diabolo, omnia quæ per Sacramentum Beato Petro per Missos vestros restituenda promisit, irrita fecit, & nec unius palmi terræ spatium Beato Petro reddere voluit*. Verùm illum spectasse primam Donationem, cùm restitutionis verbo usus est, patet ex sequentibus. *Pro quo peto vos*, inquit, *Excellentissimi, & a Deo protecti Filii, & nimis obsecro, doleat vobis pro sancta Dei Ecclesia, & B. Petri causa: & quæ per Donationem B. Petro offerenda promisistis, ei contradere debeatis... Decertate bonum opus, quod cœpistis implere, & quæ per Donationem manu vestrâ confirmastis, Protectori vestro B. Petro reddere festinate: quoniam scriptum est: Melius est non vovere, quàm vovere, & votum non reddere*. Certè Stephanus Pontifex nusquam ab Aistulpho petiit ut Ravennatem civitatem & Exarchatum, necnon loca adjacentia Romanæ Ecclesiæ restitueret, ad quæ nullum jus habere aut habuisse umquam Pontifices noverat, sed ut illa restitueret Imperio; Patrimonia verò Ecclesiæ, [ut testatur Anastasius Bibliothecarius in Vita Stephani II.] Secundò idem Pontifex Pippinum supplex rogavit ut pacem iniens cum Aistulpho *causam B. Petri, & Reipublicæ Romanorum disponeret. Qui de præsenti jurejurando eidem beatissimo Papæ satisfecit, omnibus mandatis ejus & admonitionibus sese totis nisibus obedire, & ut illi placitum fuerit, Exarchatum Ravennæ, & Reipublicæ jura, seu loca reddere modis omnibus*. Causam B. Petri, quæ Patrimoniorum a Longobardis ereptorum restitutionem spectabat, a causa Reipublicæ, quæ redditionem Ravennatis Exarchatus, distinguit.

Objicies quartò. Luitprandus Rex Longobardorum quatuor Ducatus Romani civitates Zachariæ Romano Pontifici reddidit anno Christi 742. ut testatur Anastasius Bibliothecarius in ejus Vita. Ergo ante Pippini & Caroli Magni Donationes, Ecclesia Romana temporalem habebat in civitates plurimas principatum.

Respondeo, nego consequens. Cùm enim Zacharias Pontifex inter Imperatores Græcos, qui Romæ & totius Italiæ erant Domini, & Longobardos, qui maximam Italiæ partem usurpaverant, mediator & sequester esset, nec earum civitatum restitutionem pro Romana Ecclesia urgeret, sed pro Imperio: evidens est, Luitprandum eas Urbes Romani Ducatûs imperio restituisse, cùm eas Zachariæ reddidit.

Objicies ultimò. Malè parta donari non possunt, sed legitimis Dominis restitui debent. Cùm itaque Ravennæ Exarchatus, aliæque Italiæ Urbes & Provinciæ, Roma denique, ad Orientis Imperatores pertinerent, eas Pippinus & Carolus Magnus donare non potuerunt Ecclesiæ Romanæ, sed Græcis Imperatoribus restituere debuerunt. Si quid igitur donaverunt, quod suum non erat donavere.

Respondeo, Quòd etsi hæ Urbes & Provinciæ ad Imperatores Græcos primitus pertinerent, propriæ tamen factæ fuerant Pippini & Caroli Magni jure belli. Nam eas Imperatores Græci a Longobardorum tyrannide eripere non curabant, quod Reges Christianissimi victricibus armis fecere. Unde cùm dominium alicujus rei amittat, qui ipsam invasoribus permittit ac deserit, eamque sibi ereptam recuperare negligit; Græci Imperatores, qui Italiæ Urbibus ac Provinciis, & ipsi Romanæ civitati in angustiis constitutæ suppetias ferre neglexerunt, & ipsas a Longobardorum servitute eripere, vel ab incursibus tueri, ab illarum exciderunt Imperio, quod Reges Christianissimi Pippinus & Carolus Magnus debellatis Longobardorum Ducibus, illisque Provinciis & Urbibus, quæ sub eorum tyrannide gemebant, occupatis, jure victoriæ legitimè consecuti sunt. Adeòque non res alienas, sed suas, Ecclesiæ Romanæ donavere.

ARTICULUS II.

Qui primùm Donationis suppositæ Constantini meminerint?

Hincmarus Archiepiscopus Remensis, omnium primus istius Donationis meminit Epistolâ 3. cap. 13. his verbis. *Constantinus Magnus Imperator, Christianus effectus, propter amorem & honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli, sedem suam, Urbem scilicet Romanam, Papæ Silvestro Edicto privilegii tradidit, & sedem suam in civitate sua, quæ antea Byzantium vocabatur, nominis sui civitatem ampliando ædificavit*.

Post Hincmarum, hujus Donationis meminit Leo IX. in Epistolâ ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum; eamque integram refert, ut jurisdictionem suam tam in spiritualibus, quàm in temporalibus supremam probet. Electus est porrò Leo IX. anno Christi M.XLIX. hancque Epistolam scripsit Pontificatûs sui anno V.

Eadem tempestate florebat Petrus Damiani, qui in Opusculo, quod inscripsit *Disceptationem Synodalem inter Regis Advocatum, & Romanæ Ecclesiæ Defensorem*, Edictum quoque Constantinianæ Donationis laudat.

Anſelmus Epiſcopus Lucenſis, qui 14. annis poſt Petrum Damiani obiit, ejuſdem Donationis Edictum Collectioni ſuæ inſeruit.

Ivo Carnutenſis Epiſcopus Decreti ſui parte 5. cap.49. & Gratianus in corpore Juris Canonici, Diſt.96. eamdem deſcripſerunt.

Verùm eloquentius eſt hâc in cauſa Adriani I. ſilentium horum Auctorum teſtimoniis. Hic enim in Capitulis Angilramno Epiſcopo Metenſi datis, quæ ex antiquis Canonibus Græcis ac Romanis, necnon ex decretis Principum collegit, cùm Romanæ Eccleſiæ privilegia ac jura ſtabiliat frequentiſſimè, ne verbum quidem habet de Conſtantini Donatione. Quid quod Nicolaus I. in Epiſtolâ ad Michaelem Græcorum Imperatorem valdè prolixâ, qua Sedis Apoſtolicæ majeſtatem extollit quantùm poteſt, congeſtis ad hunc finem Conciliorum, veterumque Pontificum Decretis, recenſitis Imperatoribus qui de Romana bene meriti ſunt Eccleſia, hujus Donationis ne ullum quidem ſubjicit oculis veſtigium?

Anaſtaſius Bibliothecarius, vel quiſquis eſt Auctor Vitæ Sancti Silveſtri Pontificis, qui certè antiquiſſimus eſt, cùm omnia Conſtantini Magni in Eccleſiam beneficia minutatim recenſeat, Donationis illius Edictum ſilentio premit.

Luitprandus Epiſcopus Cremonenſis, qui ab Imperatore Othone I. Legatus miſſus eſt Conſtantinopolim ad Græcorum Imperatorem Nicephorum Phocam, cùm beneficia Conſtantini Magni in Romanam Eccleſiam coram illo Græcorum Imperatore recenſeret, nihilque horum retinere Othonem Principem ſuum conteſtaretur, neque Romanæ civitatis, neque Italiæ ſuppoſitâ Donatione conceſſæ, meminit uſquam.

Idem de Burchardo Wormatienſi Epiſcopo dicendum, qui in ea, quam adornavit, Canonum Collectione, initio decimi ſæculi, Conſtantinianam Donationem non inſeruit.

Gregorius VII. qui nullum non movit lapidem ut temporalem Pontificum Romanorum auctoritatem tueretur, omniaque ad eum finem antiquitatis rudera effodit; qui tot pro ejus conſervatione excommunicationes in Principes ipſos jaculatus eſt, Conſtantini Donationem nuſquam ad ſuorum, Romanæque Sedis jurium defenſionem protulit.

Henricus I. Teutonicus Imperator, in Edicto Donationis ſuæ, quod refert Eminentiſſimus Baronius XI. Annal. Tomo ad ann. M.XIV. ait, ſe *concedere B. Petro Exarchatum Ravennatem ſub integritate, cum urbibus, civitatibus, oppidis, caſtellis, qua piæ recordationis Dominus Pippinus, Dominus Carolus, & Dominus Ludovicus, & Otto, & itidem Otto filius ejus B. Petro Apoſtolo, per Donationis paginam contulerunt.*

Sanè ſi Conſtantini Donatio illo ævo ut germana ac legitima habita fuiſſet, illam non prætermiſiſſet Henricus, dixiſſetque ſe exemplum ac munificentiam Conſtantini Magni imitari.

Edictum Conſtantinianæ Donationis exploſerunt viri doctiſſimi, Æneas Silvius, *in Dialogis*, Hieronymus Paulus Canonicus Barcinonenſis, Camerarius Alexandri VI. in libro qui inſcribitur, *Praxis Cancellaria Apoſtolica* S. Antoninus *I. P. Hiſtoria, Tit.8. cap.2.* Cardinalis Cuſanus *lib.3. Concordantia Catholica, cap.2.* Cardinalis Baronius, *Tom. XII. Annal. ad Ann. MC.LXXXXI.* Gloſſa Decreti ad *Diſtinct.96. cap. Conſtantinus*, quæ addit ad marginem: *Palea iſta non legitur in Scholis*, Spondanus, Morinus in Hiſtoria *De origine & progreſſu temporalis Principatus Romanorum Pontificum*; D. de Marca Pariſienſis Archiepiſcopus, lib.3. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*: & quem ante recentiores illos laudare debueram, Laurentius Valla, qui ſingulari libro Conſtantinianæ Donationis Edictum exploſit.

ARTICULUS TERTIUS.

Quis Donationem Conſtantini ſuppoſuerit?

Eminentiſſimus Cardinalis Baronius exiſtimavit hoc Edictum a Græcis confictum fuiſſe, ut Romanæ Eccleſiæ Principatum ab Imperatoribus conſtitutum, non a Chriſto probarent. Verùm multæ ſuppetunt contra Baronium conjecturæ, quarum iſta præcipua eſt, quod ſuprema Romani Pontificis in cæteros Patriarchas juriſdictio, quam tantâ pervicaciâ negant Græci ſchiſmatici, hoc Edicto ſtabilita ſit. In quam ſententiam a Leone IX. adversùs Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum prolatum eſt.

Secunda conjectura eſt, quòd hoc Edicto Imperatorum Orientalium jura in Provincias Occidentis ita convelluntur, ut nemo ſuſpicari poſſit, qui illud expenderit attentiùs, fabricatum a Græcis fuiſſe in apertum Principum ſuorum detrimentum. Cùm enim Imperatores Græci Romanæ Urbis Principatum, Exarchatum Ravennæ, aliaſque civitates ac Provincias a Regibus noſtris tam frequenter ſibi reſtitui poſtularint: quis ſibi perſuadeat Græcos Conſtantini Donationem procudiſſe, ut ſpem omnem recuperandi Occidentalis Imperii ipſis adimerent?

Tertia conjectura eſt, quòd centum & quinquaginta annis antequam a Theodoro Balſamone homine ſchiſmatico transcriberetur hujus Donationis Edictum, a Latinis laudatum eſt, nempe a Leone IX. anno M.LIV. a Petro Damiani anno M.LXII. ab Anſelmo Lucenſi, & ab Ivone Carnotenſi: imò ante illos omnes ab Hincmaro.

Vir doctiſſimus Joannes Morinus ait, Joannem Romanæ Eccleſiæ Diaconum hujus commenti Auctorem fuiſſe, nixus verbis Ottonis III. Imperatoris in Diplomate quod extat in Bibliotheca PP. Tom. 3. poſt Epiſtolas Gerberti. Hæc itaque habet Otto in Edicto ſuo: *Romam caput mundi profitemur; Romanam Eccleſiam matrem omnium Eccleſiarum eſſe teſtamur, ſed incuriâ, inſcientiâ Pontificum, ſua claritatis titulos obfuſcaſſe. Nam non ſolùm quæ extra urbem eſſe videbantur, vendiderunt, & quibuſdam colluviis a lare Sancti Petri alienaverunt, ſed quod abſque dolore non dicimus; ſi quid in hac noſtra urbe regia habuerunt, ut majori licentia evagarentur, omnibus judicante pecunia in commune dederunt; & Sanctum Petrum, & Sanctum Paulum, ipſa quoque altaria ſpoliaverunt. Confuſis verò Papaticis legibus, & jam abjectâ Eccleſiâ Romana, in tantum quidam Pontificum irruerunt, ut maximam partem Imperii noſtri Apoſtolatui ſuo conjungerent, jam non quærentes quæ & quanta ſuis culpis perdiderunt, non curantes quanta ex voluntaria vanitate effuderunt, ſed ſua propria, utpote ab illis ipſis dilapidata dimittentes, quaſi culpam ſuam in Imperium noſtrum retorquentes, ad aliena, id eſt, ad noſtra & noſtri Imperii maximè migraverunt. Hæc enim ſunt commenta ab illis ipſis inventa, quibus Joannes Diaconus cognomento digitorum mutius* [vel potiùs, digitis mutilis] *Præceptum aureis litteris ſcripſit, ſub titulo Magni Conſtantini, longi mendacii tempora finxit. Hæc ſunt etiam commenta quibus dicunt, quemdam Carolum Sancto Petro publica noſtra tribuiſſe. Ad hæc reſpondemus, ipſum * Carolum nihil dare jure potuiſſe, utpote jam a Carolo meliore fugatum, jam Imperio privatum ... Ergo quod non habuit, dedit. Sic dedit, ſic nimirum dare potuit, utpote qui malè acqui-*

Carolum Calvum intelligit, qui a ſuo nepote Carolomanno ex Italia fugatus eſt anno 877. ut teſtantur Aimoinus, Annales Francorum Fuldenſes, Entropius, &c. Carlomanni autem & Caroli nomina confudit Otto, ut & Eutropius & Gaguinus, unde Carolum ab altero Carolo ex Italia fugatum & debellatum ſcripſerunt.

quisivit, & diu se possessurum non speravit. Porrò hunc Joannem Diaconum conjicit Vir Eruditus in tempora Ottonis I. idest in annum 963. quòd tunc Joannes XII. Pontificia Sede ab Ottone dejectus, injuriam suam ultus est adversùs quemdam Joannem Diaconum, naso linguâ, & duobus digitis truncatum; quem designare videtur Diploma Ottonis, mutilos digitos tribuendo Auctori suppositii Edicti Constantiniani. Verùm se ipsâ corruit illa conjectura. Primò quia illud Edictum laudavit Hincmarus anno DCCLXXXVII. illud Collectioni suæ inseruit Isidorus Mercator: quæ Collectio tempore Caroli Magni lucem aspexit. Illud igitur Edictum non procudit Joannes ille Diaconus anno Christi 963, ante 80. annos jam fabricatum.

Secunda conjectura est quòd non sit verisimile hominem Ottoni addictissimum & a Pontifice crudeliter exceptum, qualem fuisse Joannem illum Diaconum nemo nescit, Edictum supposuisse, quod in Pontificum utilitatem, ac Sedis Apostolicæ splendorem, in perniciem verò Imperatoris vergeret.

Auctoritas autem Ottonis Imperatoris movere nos non debet, qui Edictum illud suum eum in finem protulit, ut Regum nostrorum beneficia in Romanam Sedem obliteraret: quique non illud unum profert mendacium: Sed quod minùs ferendum est, ait Pontifices Apostolicos maximam Imperii partem usurpasse, concessas ab Imperatore civitates vendidisse, altaria spoliasse, & alia istiusmodi egisse nefanda.

Illustrissimus Dominus de Marca, lib.3. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, cap.12. existimat illud Edictum jussu Romanorum Pontificum procusum fuisse pia quadam industria. Anno etenim DCC. LXVII. Legatis Constantinopolitanis repetentibus Pippino regiones Italiæ, quas Rex Ecclesiæ Romanę attribuerat, Joannes Subdiaconus, & Pamphilus, Legati Apostolici mentionem injecerunt Hæreseos a Græcis fotæ contra traditionem Patrum, & de omnibus hujus legationis capitibus cum Græcis coram Pippino disceptarunt, quæ deinde in Conventu Gentiliacensi discussa sunt. Verisimile itaque videtur doctissimo Præsuli tunc de consensu Pippini Regis excogitatam fuisse Donationem Constantini, quâ pertinacia Constantinopolitanorum retunderetur.

Verùm quis credat Pippinum consensisse figmento, quod suam in Romanam Ecclesiam munificentiam deleturum erat ex hominum memoria? Quis sibi persuadeat Paulum I. piissimum Pontificem fraudem istiusmodi imperasse? Quis suspicetur illum, qui Pippino omnia accepta refert, voluisse supponere Edictum, quod Pippini beneficia obliteraret?

Meliùs itaque, meo judicio, in Quæstione quæ tota nititur conjecturis, asseremus Edictum illud Donationis Constantinianæ suppositum esse ab Isidoro Mercatore, cum aliis Epistolis Pseudepigraphis veterum Pontificum. Convenit enim Isidori celeberrimi impostoris ingenio. Convenit rationi temporis, quo primùm venundari cœperunt Isidori merces, Carolo scilicet Magno Imperante. Laudat siquidem illud Edictum paulò post Hincmarus. Convenit denique stylo & characteri scribendi planè squallido, quo Isidorus usus est.

SCHOLION I.

Hanc Dissertationem Religiosis Censoribus hunc in modum notare placuit: *Tota Dissertatio de Donatione Constantini, titulo, & capite plectenda, stigmatizanda per singula*.

R. Actum est, lata sententia, stigmate inuretur, titulo & capite plectetur Dissertatio eversi figmenti, conscissique Instrumenti Apocryphi rea. Sex Propositiones sive Conclusiones, in quas Dissertationem partitus sum, expungendæ, quamvis inconcussis Historiæ Ecclesiasticæ & profanæ Monumentis demonstratæ sint, earumque veritas ipsis penè oculis subjecta, quia Religiosis Censoribus non placent. Meræ Criticæ, Historiæ, & facti Quæstio est. Nihil refert. Sanctus Antoninus Æneas Silvius, Cardinalis Cusanus, Joannes Morinus, Spondanus, Petrus de Marca, qui Constantinianæ Donationis Edictum exploserunt, censoriam animadversionem non effugient. Nec tua ab ea immunis erit Eminentia, Annalium Ecclesiasticorum Doctissime parens *Baroni*, qui scripsisti ad annum 1191. Num. 73. *Quamquam plerique Romanorum Pontificum ut Sanctus Gregorius & Hadrianus, necnon etiam Nicolaus, vel alii, meminerint beneficentia Constantini erga Sanctam Romanam Ecclesiam...... Nullus tamen ante Leonem Nonum ejusdem Donationis Edicti aliquo modo mentionem fecisse reperitur, quo etiam tempore fit mentio ejusdem Edicti in Disputatione qua asseritur Petri Damiani cum Advocato Regio. Postea verò de ipso aliquandiu altum silentium, cùm tamen in iisdem cum Principibus controversiis ejus occupati fuerint Successores, præsertim verò Gregorius Septimus atque Alexander Tertius, ut appareat friguisse apud eos Edicti auctoritatem, a cujus citatione abstinendum putarint, quòd illo non indigerent...... Sed nec Imperatores ejusdem Edicti meminisse certum est, quantumlibet Ottones pater & filius antecessorum Principum, qui donarunt Ecclesiæ Romanæ, Pippini & Caroli videlicet, mentionem habuisse inveniantur, & Henricus Imperator eorumdem & prædecessorum Ottonum. Sed nec qui Diplomata ab ipsis acceperunt Romani Pontifices, de prætermissa mentione Edicti Constantini questi inveniuntur; cùm nec damnum aliquod ex ejus omissione sentirent: quandoquidem quicquid Constantiniana Donationis continere tur expressum, jam certiori titulo Romana possideret Ecclesia, existentibus integris ipsis Pippini, & Caroli, ac successorum Imperii Diplomatibus in his, quæ spectant ad diversarum civitatum atque Provinciarum Donationem*. Tu pariter vapulabis, Pater *Pagi*, qui in Critica Annalium *Baronii*, ad annum 324. Num. 13. scribere non es veritus: *Donatio Constantini prorsus supposititia, ut fere inter Eruditos convenit*.

SCHOLION II.

In eadem Dissertatione, pag. 430. Religiosi Censores hanc speciatim Propositionem notant: *Carolus Magnus donavit Provincias Venetiarum & Italiæ Papæ*.

R. Non legitur ibi, *Venetiarum*, *& Italiæ*, sed *Venetiarum*, *& Istria*: nec mea solùm, sed *Anastasii Bibliothecarii* verba sunt in Vita *Hadriani Primi*, recensentis civitates & territoria a Christianissimo *Carolo* Francorum Rege Beato Petro concessa, eidemque Pontifici contradita. Scribebat olim ad *Lucium* Romanum Pontificem *Philippi Augusti* nomine *Stephanus* Tornacensis Episcopus: *Si oblivisci potuerit mater filiorum uteri sui, & Ecclesia Romana Regni Francorum oblivionem assumet, cùm utrumque de jure sit impossibile, de natura difficile, de facto enorme*. Voluntne Religiosi Censores possibilem, facilem, piam efficere oblivionem Donationum magnificarum a Christianissimis Regibus Ecclesiæ Romanæ factarum, earumque memoriam obliterare?

SCHO-

SCHOLION III.

In eadem Dissertatione, pag. 442. Editionis primæ Religiosi Censores, hanc Propositionem notant: *Pontifices Dignitatis Imperatoriæ æmuli annos sui Pontificatus in Diplomatibus posuerunt.*

R. Romanos Pontifices, Imperatorum imitatione, annos Pontificatûs in Diplomatibus suis & privatis etiam Epistolis annotasse, ut supremam auctoritatem suam in temporali ditione testarentur; res est ex Historiæ Ecclesiasticæ Monumentis certissima, & notissima, & a me probata. Censores Religiosos fortè movit vox illa, *æmuli*, quia non attenderunt æmulationem a Latinis dupliciter dici, ut & in laude & in vitio nomen istud sit; Nam & imitatio virtutis æmulatio dicitur: & est æmulatio ægritudo, si eo quod concupierit alius potiatur, ipse careat. Vitiosam illam æmulationem quæ rivalitati similis est, hìc non intellexi, sed primam: Siquidem ea in re jure suo Pontifices utuntur non minùs quàm Imperatores.

Nota.

COmmunis est nostra ætate temperantioris etiam criticæ auctorum opinio Constantini donationem ut commentitiam habendam, ita enim suadent quæ ad eam explodendam proferuntur argumenta. Verùm, ut rectè advertit Thomassinus *Vet. & Nov. Eccl. Disc. l.* 1. *cap.* 5. *n.* 14. eadem donatio, quamvis commentitia mirè conducit ad demonstrandum Romanum Pontificem specialibus potiri prærogativis. Id palam fit considerando ejusdem donationis famam Alcuini ætate non minùs Occidentem, quàm Orientem pervasisse; adeoque universam Ecclesiam non ut supposititiam tunc habuisse. Et quidem, si ab opinione Latinorum Græci tunc discrepassent, nec Æneas Parisiensis Episcopus in Opere, quod adversùs ipsos elucubravit, ex hac donatione contra eosdem argumenta derivasset. Nec Balsamon in suis Commentariis ad Photii Nomocanonem *tit.* 7. *cap.* 1. de eadem verba fecisset.

Porrò hujus donationis, quæ vera tunc credebatur, virtute, non solùm Romani Pontificis ditioni plures subdebantur provinciæ, sed pontificia majestas emicabat. In ea quippe Pontifex imperatoriis insignibus ornandus dicitur, diademate nempe, imperatorio superhumerali, purpureâ chlamide &c. Ut postea ostenderetur quanti Imperator faceret pontificiam dignitatem, in eadem narratur Imperatorem Pontifici in equum conscendenti tamquam Ministrum adfuisse: atque ibidem protestatur Constantinus Imperii sedem Constantinopolim transtulisse, quia parum religiosè in ea dominari civitate videretur, ubi cœli arbiter sacerdotalis imperii thronum erexerat; addens supra Imperium S. Petri Cathedram gloriâ afficiendam, ac extollendam. Ad hæc magnificentissimis verbis in conficta Constantini donatione expressa, præcipuè Heterodoxi animadvertant, & statim conspicient pontificiam majestatem summis honoribus prosequendam, nec incongruum esse temporali etiam dominio fulciri; ubi etenim prædicta romano Pontifici essent extranea, illico Constantini dunationem figmentum esse Ecclesia conspexisset, nec Occidens, Oriensque veram judicassent.

DISSERTATIO XXVI.

De Synodi Antiochenæ Canonibus.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Canones Antiocheni ab Ecclesia recepti sint.

PROPOSISITIO.

Canones Antiocheni sunt ab Ecclesia recepti.

PRobatur unico, sed ineluctabili argumento. Canones qui in Codicem Ecclesiæ sunt adscripti, & a Concilio Oecumenico laudati ut regulæ SS. Patrum, ab universali Ecclesia recepti sunt. Atqui Canones Antiocheni in Codicem Canonum Ecclesiæ, prolatum in Synodo Calchedonensi, relati sunt; eosque laudaverunt istius Concilii Episcopi, ut Regulas Sanctorum Patrum, ut constat ex Actione 4. & 11. & ex Canone 1. Igitur Antiocheni Canones ab Ecclesia recepti sunt universa.

Confirmatur ex Collectione Dionysii Exigui, qui ex Codice Canonum Ecclesiæ Græcæ, quem in gratiam Ecclesiæ Occidentalis latinitate donavit, Antiochenos excerpsit Canones quod argumento est illos & in Ecclesiæ Græca viguisse, & a Latina fuisse susceptos atque probatos.

Respondet David in libro Gallicè conscripto *De Judiciis Canonicis Episcoporum*, Collectionem illam Græcam, cujus fidem Dionysius Exiguus secutus est, adornatam sibi videri ab aliquo Schismaticorum Orientalium, qui Joanni Antiocheno adhæserant. Quam conjecturam hoc argumento fulcit; quòd Ephesini Concilii Canones illi Codici inserti non fuerint: fraus autem hujusmodi ab aliis proficisci non potuerit, quàm ab iis, quibus Concilium illud exosum erat, quòd ab eo Damnationis sententiam retulissent. Porrò schismaticos Ephesini sub Joanne Antiocheno Conciliabuli Episcopos, Canones Antiochenæ Synodi propugnasse, nedum ex præjudicato erga suum Patriarcham, ac Decessorum suorum statuta affectu, conjicit Auctor laudatus: verùm etiam probat ex Actis Concilii Ephesini, part. 3. cap. 13. Ab hac autem vitiata origine horum Canonum virus in Collectionem Dionysianam colligit esse transfusum.

Verum ariolatur vir doctus. Nam schisma illud Joannis Antiocheni & Orientalium breve fuit, redintegrata paucos post annos pace inter ipsos & Sanctum Cyrillum: nec varia fuit illorum Episcoporum a cæteris disciplina tempore Concilii Calchedonensis, in quo prolatus est Codex continens Antiochenos Canones cum cæteris præcedentium Conciliorum, ut juris Canonici Orientalis Collectio, omnium Ecclesiarum Orientalium usu recepta & probata; non verò ut solius Antiochenæ Ecclesiæ propria: unde quamvis ab aliquo Schismaticorum Orientalium adornata illa esset Collectio, quod asserit & non probat laudatus Auctor; nihilominus Antiocheni Canones ab Ecclesia recepti essent: quia Collectionem illam recipiendo ac probando, Calchedonensis Synodus, & Ecclesia universa suam fecerunt. Quòd autem Ephesini Canones in Dionysii Exigui Collectione desiderentur, non probat ipsos abfuisse a Codice Ecclesiæ Græcæ quo usus est: illos enim exhibet Codex vetus Ecclesiæ universæ a Justello editus: Sed colligitur dumtaxat Dionysium aliqua ratione motum illos neglexisse. Ratio

tio autem ea verisimiliter fuit, quòd universalis Ecclesiæ Disciplinam illi Canones non spectarent; sed Nestorianos tantùm, eorumque, ac Pelagianorum fautores, qui contra sacram Synodum Schisma fecerant; contra quos pro re nata decreta illa edita sunt.

Objicies. Canon 12. Antiochenæ Synodi, quo sancitum est, ut *Si quis a proprio Episcopo Presbyter, aut Diaconus, aut a Synodo fuerit Episcopus fortè damnatus, & Imperatoris auribus molestus extiterit, oporteat ad majus Episcoporum converti Concilium, & quæ putaverint habere justa, plurimis Episcopis suggerant, eorumque discussionem ac judicia præstolentur. Si verò hæc parvipendentes molesti fuerint Imperatori, hos nullâ veniâ dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutionis penitus opperiri*. Ille, inquam, Canon a Sancto Joanne Chrysostomo, necnon ab Innocentio I. rejectus est. Cùm enim Sanctus Chrysostomus iniquo adversariorum judicio depositus, in altero Catholicorum Episcoporum Concilio absolutus & restitutus esset: ejus hostes illam sententiam absolutionis irritam esse contendebant, quòd contra Canonem 12. Antiochenæ Synodi fuisset decreta. Excepit Chrysostomus non ad Catholicam Ecclesiam, sed ad sectam Arianorum, Canonem illum pertinere, quem nimirum in Antiochena Synodo, præ odio adversùs Sanctum Athanasium concepto edidissent, ut refert Socrates, *lib.6. Historia Ecclesiastica*, cap.16. Idem testatur Palladius Diaconus in *Dialogo de Vita S. Joannis Chrysostomi*. Refert nempe, Theophilum Alexandrinum quosdam Episcopos Constantinopolim misisse Joanni infensissimos, *Unà & Canones quosdam ab Arianis contra beatissimum Athanasium factos, quibus nectentes Joanni calumnias stimerent, quòd post depositionem suam sine Episcopali decreto redire ausus esset*. Addit, Leontinum Ancyræ Galatiæ, Hammonio Laodiceæ adustæ Episcopo adjunctum, unà cum Acacio & Antiocho contra Sanctum Chrysostomum conspirasse, *Obtrectere sancientes Theophili indiscretum judicium, ut locus purgandi se Joanni nullus omnino daretur, vigore scilicet Canonum eorum, quos Theophilus miserat a quadraginta complicibus Arii editos, atque ita continentes: Si quis Episcopus aut Presbyter injustè, vel justè depositus, ex seipso, absque Synodo in Ecclesiam redierit, hic jam excusationis non habeat locum, sed omnino expellatur. Et ista quidem Regula, ut nequam, & a nequissimis edita, in Sardicensi Concilio a Romanis, & Italis, Illyricisque, & Macedonibus, & Græcis, eliminata est, quando Liberius, aut Julius, sub Constantis Imperio, Athanasium & Marcellum Galatam admisit ad Communionem, quorum gratiâ etiam Canon ille fuerat editus*.

Idem constat ex Innocentio I. Epistolâ 29. ad Clerum & populum Constantinopolitanum datâ, quam referunt, Sozomenus, *lib.8. Historia Ecclesiastica*, cap.26. & Nicephorus, lib.13. cap.32. *Canonibus porro*, inquit, *obsequendum esse scribimus, qui Nicææ sunt decreti: quos solos consectari decet Ecclesiam Catholicam, & juxtà eos judicare. Sin alii a quopiam proferuntur, a Nicænis Canonibus dissonantes, & Hæreticos auctores referentes, ii a Catholicis Episcopis rejiciuntur. Hæreticorum namque inventa Catholicis Canonibus non sunt adnectenda. Semper enim illi per contraria nefaria decreta, Patrum Nicænorum Concilium minuere intendunt. Quapropter non solùm hoc dicimus, illos sequendos non esse, verùm etiam cum Hæreticis, & Schismaticis, seu dissidiosis dogmatibus condemnandos: quemadmodum antea in Sardicensi Concilio, ab Episcopis qui nos præcesserunt, factum est*. Quibus verbis Innocentius I. Antiochenæ Synodi Canones perstringit. Canones itaque illi non sunt ab Ecclesia recepti.

Confirmatur ex Julio I. in Epistolâ ad Episcopos Antiochenæ Synodi, illam & ejus decreta universim improbante, velut edita a 36. dumtaxat Episcopis Catholicæ Fidei, & Sancti Athanasii ejus propugnatoris acerrimi hostibus. *Qui solùm*, inquit, *ad 36. suffragia eorum qui Antiochiæ fuere, externum hominem Episcopum salutarunt. .... Prorsus ignoro quanam ratione facta sunt, quæ facta sunt ..... Tamquam Deo præsente, cum veritate loquimur, non est istud piè factum, non ex jure, non Ecclesiasticè*. Quibus verbis omnia in ista Synodo contra rationem, contra pietatem, contra disciplinam tentata esse profitetur; adeòque & Canones malè conditos.

Respondeo, Canonem illum 12. a Sancto Chrysostomo, & ab Innocentio constanter explosum fuisse, quia nec Antiochenæ, nec aliarum Synodorum Orientis Canones ab Occidentis Ecclesiis adhuc recepti erant; nec etiam ab Ecclesia Constantinopolitana, quæ cùm Thracicæ Diœcesi addicta esset, Ancyranæ Synodi, Neocæsareensis, Gangrensis, Antiochenæ, vel Laodicenæ Canonibus ab aliis Diœcesibus editis non tenebatur: Unde nec Sanctus Chrysostomus, qui Constantinopolitanus Episcopus erat, nec Innocentius, qui Occidentis Diœceses regebat, hos Canones admittere voluerunt, maximè propter odium Auctorum, quia ab Arianis in Antiocheno Conciliabulo dominantibus editi fuerant, & inter alios duodecimus promulgatus fuerat ad Sanctum Athanasium opprimendum. Objectionem ex illo Canone contra se factam dupliciter excepit Sanctus Chrysostomus. Primò, se majori Episcoporum numero fultum, Sedem repetiisse suam respondit, ut hac etiam in parte Canoni Antiocheno, cujus adversùs ipsum urgebatur auctoritas, faceret satis: Secundò Canonem illum rejecit, quòd ab Arianis conditus esset. Verùm Canones illos universa in Concilio Calchedonensi recepit Ecclesia, nec existimavit in odium Arianorum rejiciendos: tum quia nihil est in illis, quod fidei repugnet, nihil quod Ecclesiasticam lædat Disciplinam, nihil quod Arianis ullo pacto faveat: tum quia incertum est an soli Ariani hisce Canonibus condendis operam dederint. Quamquam porrò Ariani duodecimum Canonem condidissent ad Sanctum Athanasium opprimendum, nihil tamen nocere caussæ Athanasii, Catholicis Episcopis videri potuit, nec aliquid contra æquitatem decernere, eùm futuris dumtaxat negotiis formam dare censendus esset, non præteritis, qualis erat Sancti Athanasii caussa. Sic respondet eruditus Antistes Dominus de Marca.

Ad confirmationem respondeo, Emendandam esse hoc in loco versionem Epistolæ Julii ex Græco textu, quo significatur Gregorium Alexandrinæ Ecclesiæ invasorem in illam Sedem evectum fuisse, 35. mansionibus ab Alexandria, id est Antiochiæ, quod malè vertit interpres, *ad 36. suffragia*. Deinde etsi 36. dumtaxat Episcopi Ariani, vel 40. ut ait Palladius, Antiocheno Concilio interfuissent, non sequitur ab illis solis editos fuisse Canones illos: siquidem nonaginta Episcopi, teste Sancto Athanasio, huic Synodo interfuerunt, e quibus 50. fuere Orthodoxi. His autem cur non etiam editio Canonum tribuatur? Denique Julius Pontifex Antiochenam Synodum non improbat, nisi quoad ea quæ in Sanctum Athanasium gesta sunt ab Arianis, & quoad Gregorii intrusionem in Sedem Alexandrinam, ut ex verbis ipsius patet, quæ a Davide, in lib. *De Judiciis Canonicis Episcoporum*, alienum in sensum detorquentur.

Obje-

Objectio secunda petitur ex iis quæ in Concilio Romano sub Hilaro Pontifice Maximo, S. Leonis successore gesta sunt, annis circiter sexdecim post Calchedonense Concilium. Episcopi scilicet Hispaniæ Sedem Apostolicam circa quatuor disciplinæ capita consuluerunt. Duo spectabant Sylvanum Episcopum, qui duos Episcopos contra Canones ordinaverat, unum non expectata electione & assensu plebis: alterum extra Provinciæ suæ fines positum. Duo postrema capita spectabant Nundinarium & Irænenm Episcopos, quorum primus, imminente obitu, alterum sibi in Episcopatu Barcinonensi designaverat successorem. Porrò cùm Hispaniensium Episcoporum Epistolæ in Concilio Romano legerentur, Episcopi inibi congregati lectionem illius, quæ Sylvani factum spectabat, interturbarunt frequentibus acclamationibus, quibus violatam a Sylvano Disciplinam conservari postulabant. *Ut disciplina servetur, rogamus*, inquiebant, *Ut Canones custodiantur, rogamus*. At quod spectabat designationem successoris a Nundinario factam, licèt 23. Canone Concilii Antiocheni, hujusmodi designationes prohibitæ ac damnatæ essent, nemo tamen Episcoporum illam auctoritate Canonum rescindendam contendit. Sed hac una ratione nituntur: *Quæ Dei sunt, ab homine dari non possunt: successores Deus dat*.

Præterea Synodus illa de facto Nundinarii loquitur velut novo & in Ecclesia hactenus inaudito: *Novum*, inquit, *& inaudita in quibusdam locis perversitatum semina nascuntur. Nam plerique Sacerdotes in mortis confinio constituti, in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare*. At si Canones Antiocheni ab Ecclesia universa probati essent, Patres Concilii Romani, & Hilarus Pontifex, proculdubio laudassent Canonem 23. Antiochenum, successoris designationes damnantem: neque novum & inauditum dixissent malum, quod jam olim Canonibus Ecclesiasticis cohibere necessum fuisset. Illud itaque argumento est, Canones Antiochenos in Codicem Ecclesiæ universæ tunc temporis non fuisse relatos.

Respondeo, Argumentum illud nullius esse ponderis, quia negativum est. Non sequitur [inquam] Romani Concilii Patres nullos Canones legitimos agnovisse, quibus designatio successoris Episcopis prohiberetur: quia nullos laudarunt. Imò rectè colligitur, ipsos factum Nundinarii improbaturos non fuisse, nisi sancitæ Canonibus Ecclesiasticis Disciplinæ vulnus intulisset gravissimum. Cùm itaque solis Antiochenæ Synodi Canonibus disertè illud vetitum esset, consequens est Canones illos notos fuisse & acceptos Romani Concilii Patribus, & Hilaro Pontifici Maximo. Novum autem dici potuit malum, quod hucusque in Occidente penè inauditum fuerat, quamvis olim in Oriente grassatum esset, ac Antiochenæ Synodi Canonibus repressum.

PROPOSITIO II.

ANtiochenos Canones ejusdem Synodi fœtus non esse, verisimile est.

Probatur primò ex convenientia decimi tertii, & vigesimi secundi Canonis. Cùm enim idem omnino decernant, non videntur eadem in Synodo editi. Hæc porrò convenientia utriusque lectione innotescit. Sic enim habet 13. *Nullus Episcopus audeat ab una Provincia in aliam transire, & aliquos in Ecclesiis ordinare ad sacrorum celebrationem, nec si alios unà secum inducat, nisi venerit litteris accersitus Metropolitani, & Episcoporum qui sunt cum ipso, in quorum regionem accedit. Si autem nullo vocante, ad aliquorum Ordinationem, & Ecclesiasticarum rerum ad se non pertinentium constitutionem inordinatè insolenterque processerit; sint quidem irrita, quæ ab ipso geruntur, ipse autem suæ insolentiæ, & præter rationem factu aggressionis det pœnas, a sancta scilicet Synodo exinde depositus.*

Vigesimus verò secundus sic habet: *Episcopus in alienam civitatem, quæ ei subjecta non est, non ascendat, nec in regionem quæ ad eum non pertinet, ad alicujus Ordinationem, nec Presbyterum, vel Diaconum constituat in locis alii Episcopo subjectis, nisi cum voluntate proprii illius regionis Episcopi. Si quis autem tale quid ausus fuerit, infirma sit Ordinatio, & ipse a Synodo puniatur.*

Probatur secundò. Plures ex Canonibus Antiochenis sanctioris disciplinæ studium spirant: non est igitur verisimile quòd ab hominibus Spiritu Sancto destitutis, & a veræ pietatis sensu alienis, quales erant Eusebiani, conditi fuerint. Gregorii namque Ordinatio & intrusio Canone 19. disertè damnatur, quo irrita decernitur Ordinatio Episcopi, quæ facta fuerit præter Synodum & præsentiam Metropolitani, cui Comprovinciales Episcopi, vel omnes, vel plurimi assensum non præbuerint. Deinde, variæ Eusebii Nicomediensis ab uno Episcopatu ad alium migrationes Canone 21. luculentiùs percelluntur, quam ut in Concilio cui dominabantur Eusebiani, conditus existimari possit. Denique incredibile videtur Canonem 11. quo Aulæ Imperatoriæ aditus absque consilio & literis Metropolitani, & Comprovincialium Antistitum, Episcopis prohibetur, ab Episcopis Aulicis, quales erant Eusebiani, fuisse promulgatum. Probabile igitur est Canones in variis Conciliis Antiochenis editos, in unam transcriptos fuisse, confusosque Synodum, & sanctissimas illas leges Eusebianorum ita adversas moribus, ab ea Synodo editas non fuisse, quæ anno 341. celebrata est, & in qua ipsorum factio superior erat: Sed in alia fortè, quæ sub Sancto Eustathio celebrata sit. Quæ conjectura ex Theodoti Laodiceni, & Anatolii Emiseni subscriptionibus confirmatur, quorum prior anno saltem 335. obierat, posterior verò fato functus fuerat ante Synodum Antiochenam anni 341.

DISSERTATIO XXVII.

De Concilii Sardicensis convocatione; Præsidibus, & auctoritate.

ARTICULUS PRIMUS.

A quo fuerit convocata Synodus Sardicensis?

PROPOSITIO.

SYnodus Sardicensis ab Imperatoribus convocata est.

Probatur contra Cardinalem Baronium, & Lupum Christianum, primò ex Epistolâ Synodicâ Concilii Sardicensis ad omnes Episcopos. *Quapropter*, inquit, *cooperante Dei gratia, ipsi quoque religiosissimi Principes nos ex diversis Provinciis & civitatibus in unum convocarunt, cupientes ut sancta Synodus in Sardorum civitatem conveniret, quò omnis controversia præcideretur, & ejecto quicquid pravæ Fidei esset, sola in Christum pietas ab omnibus retineretur. Venerunt quoque ex Oriente Episcopi, ut id & ipsi instigati a religiosissimis Imperatoribus.*

Probatur secundò ex Sancto Athanasio Apologia

gia 2. ubi recitatâ Julii Pontificis Maximi ad Eusebianos Epistolâ, ait: *Hac cùm Roma Synodas per Julium Romanum Episcopum scripsisset, improbâ iterum audaciâ Eusebiani in Ecclesiis perturbandis, insidiisque tendendis usi sunt; quod cùm rescitum esset a religiosissimis Imperatoribus Constantio & Constante, jussi sunt Episcopi Orientis & Occidentis Surdiram convenire.*

Et in Epistolâ ad Solitarios: *Missa igitur litera*, inquit, *a Constante ad fratrem suum Constantium, ibique, de amborum sententia, placuit ut Synodus celebraretur.*

Probatur tertiò testimonio veterum Historicorum. Socrates namque, lib. 2. cap. 20. ita scribit: *Edicitur ergo Concilium Generale, ut omnes Sardicam conveniant, idque de sententia duorum Imperatorum, alterius per literas illud flagitantis, alterius, qui in Oriente regnabat, alacri & parato animo eisdem obtemperantis.*

Theodoretus, lib. 2. cap. 4. ubi literarum meminit, quas Constans ad Constantium fratrem suum dedit ob Concilii convocationem, subdit: *Quibus literis persuasus Constantius, mandatum dedit, ut Episcopi tam Orientis, tum Occidentis, Sardicam, qua est in Illyrin urbs gentis Dacia primaria, adventarent. Nam multis morbis vexabatur Ecclesia, ad quos curandos Concilium necessariò requirebatur.*

Sozomenus, lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 11. idem testatur. *Cùm autem*, inquit, *Constans Imperator postularet a fratre beneficii loco, ut Athanasius, reliqui, qui in eadem caussa erant, ad Sedes proprias restituerentur: & Athanasius ac Paulus ad eam accedentes peterent ut Concilium cogeretur, propterea quòd ipsis, quò vera sanaque doctrina tolleretur, parata fuissent insidia; fraterntiâ utriusque Imperatoris decretum est, ut Episcopi partis utriusque ad statam diem Sardicam Urbem Illyrici convenirent.*

Severus Sulpitius, *lib. 2. Historia Sacra*, idem asserit, quamvis erret in Imperatoris nomine & in epocha Sardicensis Concilii, & Constantino tribuat, quod ab ejus filiis factum est. *Res*, inquit, *ad Constantinum refertur. Jubet ex toto orbe apud Surdiram Episcopos congregari, atque omne judicium quo Athanasius damnatus fuerat, retractari. Inter hac Constantinus moritur: Synodus congregata jam Constantino Imperatore, Athanasium absolvit.*

His assentitur Nicephorus, *lib. 9. Histor.* cap. 12. *Paulus & Athanasius*, inquit, *rursum Constantem adiere, & ut universalis Synodus cogeretur, petiere, ut de professione Fidei, & de eorum caussis accuratiùs res explorari posset. Quapropter de duorum Imperatorum istorum sententia statutum, ut utriusque Imperii Episcopi ad diem certum Sardicam, qua Illyrici civitas est convenirent. Id quod Constans sic petierat, Constantius autem assenserat, ut videlicet seditio solveretur.*

Objectio prima petitur ex Sancto Athanasio, in *Epistolâ ad Solitarios*, dicente: *Episcopus Romanus Julius Synodum jussit fieri ubicumque vellemus.* Sardicensis igitur Synodus indicta est a Julio.

Respondeo, Sancti Athanasii verba ad Synodum Romanam, non ad Sardicensem esse referenda. Loquitur enim ea de Synodo ad quam Julius Eusebianos vocavit, eaque de caussa Legatos suos Elpidium & Philoxenum in Orientem misit; at ea Synodus Romana est, non Sardicensis. Totum id ex contextu patet. Postea enim addit: *Athanasius autem priusquam ista fierent, semel re cognita Romam profectus est, non ignarus Haretici furoris. Julius verò Presbyteros suos Elpidium & Philoxenum cum literis ad Eusebianos misit, certum diem definiens, ut aut prasentes se sisterent, aut cognoscerent se omnibus modis suspectos haberi. Caterùm Eusebiani ubi semel audissent Ecclesiasticum consessum fore, ubi nec Comes adfuturus esset, neque satellites pro foribus excubarent, nec ex Casaris prascriptis omnia fierent..... Ita inhorruerant & metu contracti sunt, ut Presbyteros detinerent ultra diem condictam, excusationem interim turpem fingentes, se ob bella Persarum venire non posse: Sed in eare nihil verè, metus enim conscientia eos impediebat. Quid enim negotii Episcopis cum bello? Aut quid obstaculi illis oriebatur, quominus Romam, quamvis longinquam & transmarinam urbem proficiscerentur?* Hallucinatur itaque Lupus Christianus, cùm illud Sancti Athanasii testimonium ad Concilium Sardicense referendum putat.

Objectio secunda petitur ex Socrate, lib. 2. cap. 20. scribente: *Quosdam Episcopos Orientales Sardicam non convenisse propter corporis infirmitatem: alios temporis prastituti causatos angustiam, culpamque illius rei in Julium Episcopum Romanum contulisse:* Atqui ea querimonia incepta fuisset, nisi Julius eos ad certam diem vocasset ad Concilium: ergo Concilium Sardicense a Julio Pontifice Maximo indictum est.

Respondeo, illos Julio tribuisse temporis constituti brevitatem, quia existimarunt illum egisse cum religiosissimo Imperatore Constante, & Constantem deinde cum fratre suo Constantio Augusto, ut intra definitum tempus Concilium celebraretur.

Respondeo secundò, Socratem ista ex Sancto Athanasio exscripsisse, sed perperam ad Sardicensem retulisse Synodum, quod Sanctus Athanasius de Romana dixerat, sive potiùs Julius in Epistolâ suâ ad Eusebianos relatâ a Sancto Athanasio, *Apologia 2.* ibi enim Julius Pontifex illorum querimoniam refellit, qua brevitatem temporis ab ipso præstituti, ut Romam venirent, causabantur. *Sed fortasse*, inquit, *dies constitutæ temporis brevior, quàm par erat, impedimento fuit, (nam hujusmodi in literis vestris querimoniam facitis) atqui istud, Dilectissimi, pro mera cavillatione putandum est*, &c. Et post multa, ait: *Athanasium annum totam & integros sex menses Roma hasisse Eusebianorum prasentiam expectantem:* Quæ verba fere exscribit Socrates, & ad Synodi Sardicensis celebrationem refert, cùm post ea quæ in argumento laudata sunt, ait: *Cùm tamen ex eo tempore quo tum Concilium editum fuerat, tum Athanasius Concilium expectans Roma commoratus erat, annus & sex menses jam prateriissent.* Verùm ista (ut jam animadverti) ad Concilium Sardicense referri non possunt: neque enim octodecim effluxere menses ab ejus convocatione ad celebrationem, sed annus ad summum intercessit, ut ex Fastis Consularibus colligere licet: neque Romæ post indictum Concilium Sardicense mansit Sanctus Athanasius, sed partim Mediolani, partim in Galliis, ut constat ex ejus Apologia ad Constantinum Augustum.

Objectio tertia eruitur ex Sozomeno, lib. 3. c. 10. ubi innuit hanc Synodum a Julio Pontifice fuisse convocatam, cùm de illo ita scribit: *At cùm literis apud Episcopos Orientis de rebus propter quas scripsisset, nihil proficeret, caussam Athanasii & Pauli ad Constantem retulit, qui quidem dedit literas ad fratrem Constantium*, &c.

Respondeo, Illud testimonium Sozomeni nihil prorsus probare, nisi quòd Julius caussam Athanasii & Pauli Constanti Imperatori commendarit ut apud fratrem suum Constantium pro ipsorum in Sedes suas restitutione ageret, cùm iniquè depositi essent, & a Synodo Romana canonicè jam restituti: vel rogasse Imperatorem, ut ipse cum Constantio sacrâ Jussione Concilium indiceret. Hoc autem non probat quòd Julius Pontifex Synodum Sardicensem convocaverit, sed quòd con-

senserit ut ab Imperatoribus, si ita ipsis videretur convocari posset.

ARTICULUS SECUNDUS.

Qui Concilio Sardicensi præfuerit?

PROPOSITIO.

Osius Cordubensis Episcopus Concilio Sardicensi præfuit, quo nomine, incertum est: Archidamus verò & Philoxenus Presbyteri, ut Julii Pontificis Romani Legati, eidem Synodo præfuerunt.

Probatur primò ex Sancto Athanasio, *Apologia* 2. ubi postquam descripsit Epistolam Synodicam Concilii Sardicensis ad Ægyptios & Africanos Episcopos statim subdit; *Osius Episcopus subscripsit, quod & cæteri fecere. Hæc ita scriptis mandata sacrum Sardicense Concilium ad eos qui interesse non poterant, misit, qui ipsi quoque suis suffragiis decreta Synodi approbarunt. Eorum autem qui in Synodo subscripserunt, cæterorumque aliorum ista sunt nomina; Osius ab Hispania, Julius Roma per Archidamum & Philoxenum Presbyteros suos Protogenes Sardica*, &c. Certè cùm Sanctus Athanasius Osium inter eos, qui Synodo Sardicensi subscripserunt, primum nominet, etiam ante Presbyteros Julii Pontificis Romani legatos, argumento est ipsum Concilio Sardicensi præfuisse.

Idem probatur ex eodem Sancto Athanasio in Epistolâ ad Solitarios, ubi Osium Synodi Sardicensis *Patronum*, vocat: *Synodus*, inquit, *cujus Patronus erat Osius, illic disertè scripsit, ut aut occurrerent responsuri, & de suis in alios, aliorumque criminibus in ipsos, aut certò scirent se pro reis a Synodo condemnandos, Athanasium cum suis ut puros ab omni crimine liberandos.*

Probatur secundò ex Epistolâ Synodicâ Conciliabuli Philippopolitani Orientalium, quam falsò Concilii Sardicensis nomine inscripserunt, in qua ita scribunt Eusebiani: *Et quoniam Catholicam & Apostolicam Fidem voluerunt infringere ii qui cum Osio erant*. Et de Osio passim ut de Synodi duce loquuntur.

Probatur tertiò ex Allocutione Concilii Calchedonensis ad Marcianum Imperatorem, in qua hęc habentur: *Illis qui apud Sardicam contra reliquias Arii convenerunt, Osius ad proferendam sententiam præerat.*

Probatur quartò ex Theodoreto, *lib.*2. *Historia Ecclesiastica*, cap.15. *Osius*, inquit, *Corduba fuit Episcopus: qui sicut in celebri illo Concilio Nicæno magnam laudem adeptus est, sic in Sardicensi omnium, qui eo conveniebant, facilè primas obtinuit.*

Probatur quintò ex Sozomeno, lib.3, cap.12. ubi Osium Concilii ducem ac Præsidem fuisse non obscurè significat his verbis: *Ex altera parte autem Osius, & qui cum eo in unum convenerant, culpâ vacuos esse declararunt tum Athanasium, cui Episcopi Tyri coacti injuriam per insidias fecissent, tum Marcellum*, &c.

Probatur sextò ex Hadriano I. in Epitome Canonum; ubi viginti Canones Sardicenses disertè tribuit Osio tamquam Concilii Præsidi. *Sunt*, inquit, 20. *Regulæ, quæ per Osium Cordubensem Episcopum currunt, quæ titulantur tamquam* 40. *Episcoporum apud Sardicam.*

Probatur secunda pars. Nullum antiquitatis Ecclesiasticæ monumentum testatur, quo nomine Concilio Sardicensi præfuerit Osius: itaque quo præfuerit nomine incertum est. Contendit tamen illustrissimus & doctissimus Parisiensium Antistes Petrus de Marca, lib. 5. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, *cap.* 4. Osium isti Concilio præfuisse ut Julii Romani Pontificis Legatum; quia, inquit, constituta Legatione quam in Concilio Nicæno Osius obivit, superfluum videtur laborare de secunda in Concilio Sardicensi. Etenim dignitas illa Legati, judicio Pontificis semel collata in Osium, & ab eo in florentissimo Ecclesię cœtu cum summa laude obita, sine gravi injuria in alium transferri non potuit. Obtinebat namque eà tempestate æquitas illa juris, quam lege deinde firmarunt Imperatores, ut is qui dignitatis alicujus meruerit missionem, ejus obtineat insignia, & aliis omnibus in ordine & consessu præferatur, qui postea illis dignitatibus ornantur. Quare ad exemplum Synodi Nicænæ tribus Legatis vices suas Romanus Episcopus commisisse censendus est, Osio Episcopo Cordubensi, & Archidamo & Philoxeno Presbyteris. Vel, si quis novam Legationem Osii pertinaciter rejiciat, dicendum prærogativam consensùs illi competivisse ex veteri dignitate, quam in Synodo Nicæna ex Silvestri delegatione obtinuerat. Neque enim aut Apostolicæ Sedis dignitas, vel etiam Synodi generalis, patitur ut illustris Legatio, quæ Metropolitis & Patriarchis præesse debebat, duobus Presbyteris sine Episcopo, qui caput esset Legationis, imponeretur. Hæc doctissimus Antistes.

L. ult. de privil.cor. qui in sacro Palat. milit. *L.*2. Ut dignit. ordo serv. *L.* 12. *Codicis*.

Alii has illustrissimi Archipræsulis rationes levioris putant esse momenti, quàm ut iis assensus deferri debeat, maximè cùm obesse videatur Epistola Synodica Sardicensis Concilii, cui Episcopi subscripserunt hoc ordine: *Osius ab Hispania, Julius Roma per Archidamum & Philoxenum, Protogenes Sardica, &c.* Ex quibus rectè colligitur, solos Archidamum & Philoxenum Legationis Pontificiæ munere fuisse ornatos. Nam si Osius ut Julii Legatus præfuisset, æquè diceretur Julius Romæ Episcopus subscripsisse per Osium, ac per Archidamum & Philoxenum.

Præterea Hadrianus I. supra laudatus in Epitome Canonum, postquam 20. Canones Sardicenses Osio tribuit ut Concilii Præsidi, subdit: *Sciendum autem est hunc Osium inter* 318. *Patres Concilii Nicæni honorabilem fuisse, atque ab Apostolica Sede cum Victore & Vincentio destinatum.* Certè si Osium Concilio Sardicensi præfuisse ut Julii Pontificis Legatum existimasset Hadrianus, postulabat occasio ut assereret ipsum ad Sardicensem Synodum ab Apostolica Sede, cum Archidamo & Philoxeno pariter fuisse destinatum.

Ab argumento quod petitur ex ordine subscriptionum, se expedit Dominus de Marca respondens, Osium proprio nomine subscripsisse, quia ex se jure suffragii gaudebat in Concilio, cùm Episcopus esset, & aliunde constabat de ejus dignitate: at Archidamo & Philoxeno, qui Presbyteri tantùm erant, nulla ratio suffragabatur alia præter Legationem cur Synodo interessent: ideò Julii nomine subscripserunt. Eum scilicet ordinem servabant Patres in Conciliis, ut Episcopi Legationis suæ literas proferrent in ipso Concilii exordio: Unde constare poterat an suo tantùm, vel etiam alieno nomine sententiam essent dicturi; quod in Acta referebatur. Deinde suo tantùm nomine subscribebant, minùs de Legatione soliciti, quia jure proprio suffragium ferre liberum sibi esse existimabant. Hunc ordinem tenuisse Osium veteris Legationis jure fretum, quæ forsan etiam renovata erat a Julio, contendit Dominus de Marca, ideòque ipsum satis habuisse proprium nomen inscribere, de cujus Legatione aliunde constabat. Hoc pacto se gessisse addit Flavianum Philippensium in Macedonia Episcopum, in Concilio

cilio Ephesino. Is enim, quamvis Actione I. dicatur vices gessisse Rufi Thessalonicensis Episcopi, qui morbo detentus, accedere ad Concilium non potuerat, sententiæ adversùs Nestorium subscripsit, nullâ mentione factâ Legationis, quam ab illo Episcopo, & a Synodo Illyriciana susceperat: *Flavianus Philippensium Episcopus, unà cum sancta Synodo decernens, subscripsi*. Cui verisimilis videbitur ea eruditi Archipræsulis responsio, ipsius sententiam sequi poterit, & asserere Osium Julii Romani Episcopi nomine Synodo Sardicensi præfuisse.

Addit illustrissimus Antistes, Osium maximè alienum fuisse a minuenda Sedis Apostolicæ dignitate & auctoritate, idque ex eo manifestissimè constare, quòd eo referente, in hoc ipso Sardicensi Concilio de Appellationibus dejectorum Episcoporum ad Episcopum Romanum ex tota Ecclesia deferendis, & de Legatis ad judicia retractanda mittendis sancitum est: eoque subscribente, Patres Concilii omnia negotia ad Sedem Apostolicam, tamquam ad caput Ecclesiarum referenda esse professi sunt. Atqui Sedem Apostolicam læsisset Osius, ejusque jura minuisset, si præfuisset Concilio Sardicensi nullâ Romani Pontificis Legatione adauctus: præfuit itaque ut Legatus Julii Pontificis.

Verum negari minor jure potest. Nam si a Concilii Sardicensis Patribus, & a Legatis ipsis Apostolicis, jus præsidendi Osio delatum est, ob obsequia Ecclesiæ impensa in Concilio Nicæno & deinceps, ob defensionem invictam Orthodoxæ Fidei, & Catholicorum Antistitum, ob diuturnam rerum Ecclesiasticarum experientiam; quod forsan factum fuit: dici non potest ipsum Sedem Apostolicam læsisse, aut ejus jura violasse: maximè cùm præfuerint unà cum ipso Romani Pontificis Legati.

ARTICULUS III.

Utrùm Concilium Sardicense sit Oecumenicum?

PROPOSITIO.

S*ardicense Concilium verè Oecumenicum est.*

Probatur. Magna Synodus, ex orbe universo convocata & congregata, est verè œcumenica: Sed Synodum Sardicensem Sanctus Athanasius initio Apologiæ 2. vocat *Magnam Synodum*: Severus Sulpitius, *lib. 2. Historia*, scribit ipsam *ex toto orbe convocatam*; Vigilius Tapsensis, *lib. 5. contra Eutychetem*, testatur Episcopos *ex omnibus Provinciis Sardicam convenisse*; Socrates, *lib. 2. cap. 20.* hoc Concilium disertè Oecumenicum vocat: *Edicitur*, inquit, *Concilium Generale, ut omnes Sardicam conveniant*. Justinianus Imperator in Edicto Fidei, ipsum etiam *Oecumenicum* appellat: itaque Sardicense Concilium verè Oecumenicum est.

Respondet Dominus de Marca, * Synodum Sardicensem convocatione fuisse quidem œcumenicam, non tamen celebratione & exitu: convocationem hujus Concilii eà mente factam esse ut Concilium Oecumenicum celebraretur, id est, compositum ex Legatis omnium Diœceseon & magnarum Provinciarum Imperii Orientalis, & Occidentalis: Sed quia divortium ante contigit inter utriusque Imperii Episcopos, quàm Concilium foret ex ipsis constitutum, Res in eo definitæ spectari non possunt nisi tamquam a Concilio Occidentali decretæ, quandoquidem decretæ sunt absentibus Episcopis Orientalibus.

* *Lib. 7.* De Concordia Sacerd. & Imp. *cap. 3.*

Contra. Divortium illud quorumdam Orientalium prohibere non potuit quin Concilium Sardicense verè Oecumenicum esset, etiam celebratione & exitu: est itaque ipsi absolutè asserenda Oecumenici Concilii dignitas.

Probatur antecedens. Secessio octoginta Episcoporum Hæreticorum, vel Hæreticis faventium, absque legitima caussa factâ, impedire non potest quin Concilium ex orbe universo Christiano convocatum, sit Oecumenicum: atqui octoginta Episcopi Orientis, qui divortio facto Philippopolim secesserunt, vel erant Hæretici, vel Hæreticorum partibus addicti, & divortium fecerunt absque ulla caussa legitima: eorum itaque secessio prohibere non potest quin Sardicensi Concilio Oecumenici dignitas asseratur.

Probatur minor ex Sancto Athanasio in *Epistolâ ad Solitarios* ita scribente: *Occidentales unum dumtaxat Osium secum habuere; Orientales contra succincti pædagogis, & advocatis, & Musoniano Comite, & Hesychio Castrensi, advenere: eorumque fiduciâ nixi, audacter sese præsentes obtulerunt, sperantes eorum viribus iterum omnia confici posse. Horum enim operâ se, quibus volebant, terribiles ostendebant, & insidias quibus libitum erat, struebant; caeterùm ubi jam reipsa experiebantur Ecclesiasticum morem tantummodo observari, & ex singulis Ecclesiis, civitatibusque accusatores sibi præsto esse, & documenta rerumque probationes adversùs se in promptu esse.... Etsi alacriter advenerant, arbitrati nos metu conterritos minimè occursuros, tamen cùm animadverterent nostram fiduciam, intra Palatium se recluserunt; atque ibi inter se consusurrabant: Ad alia venimus, & alia conspicimus: accessimus cum Comitibus, & sine Comitibus res agitur; prorsus futurum est ut condemnemur. Nostis qualia sint decreta, ordinationesque. Athanasio in manu sunt monumenta omnium Mareota actorum, quibus ille quidem purgatur, nos autem confundimur. Quid igitur hesitamus? quid moramur? Fingamus aliquam caussificationem, & discedamus, ne, si manserimus, condemnemur. Melius est de fuga erubescere, quàm convictos de sycophantia condemnari. Si fugerimus: poterimus aliquo modo Hæresim propugnare. Quòd si nos fugientes condemnaverint, habemus Cæsarem propugnatorem, qui non permissurus est ut a populis de Ecclesiis ejiciamur. Ad istum modum isti inter se disceptabant, Osius autem, cæterique Episcopi, crebrò illis renuntiabant Athanasii fiduciam, & quàm promptus ad caussam dicendam esset, & quantoprere jactaret se eos sycophantiæ convicturum*; &c. Ex quibus colligitur, octoginta Episcopos Orientis, qui divortio facto Philippopolim secesserunt, vel fuisse Hæreticos, vel Hæreticorum partibus addictos, & divortium fecisse absque caussa legitima.

Præterea. Falsum est, quod Dominus de Marca supponit, omnes Orientis Episcopos Philippopolim secessisse: nam Thraciæ, Palæstinæ, Arabiæ, Ægypti, & Constantinopoli vicini Episcopi, Concilio Sardicensi adfuerunt, in eoque suffragati sunt, quos Orientales esse nemo negaverit. Id constat ex inscriptione Epistolæ Synodicæ illius Concilii ad Ecclesiam Alexandrinam: *Sacra Synodus per gratiam Dei Sardicæ congregata e Roma, Hispaniis, Galliis, Italia, Africa, Sardinia, Pannoniis, Mysiis, Dacia, Norico, Tuscia, Dardania, & secunda Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiro, Thracia, Rhodope, Palæstina, Arabia, Creta, Ægypto, Presbyteris & Diaconis, & universæ Ecclesiæ Dei per Alexandrinam Parochiam, dilectis fratribus in Domino salutem.*

Confirmatur ex Epistolâ Synodicâ Philippopolitani Concilii, in qua Eusebiani sic scribunt: *Immensa multitudo Episcoporum adventantium de Constantinopoli, & de Alexandria, confluxit Sardicam,*

& eos omnes secum collectos in suo Concilio habuerunt Osius & Protogenes. Itaque Synodus Sardicensis constata fuit ex Episcopis Orientis & Occidentis, solique ab ea secesserunt turpi omnino fugâ Eusebiani, & qui ipsorum partibus, aut personis favebant, omnes 80. dumtaxat numero, ut constat ex ipsorum Epistolâ. Porrò ipsos fuisse Arianos, aut Eusebianorum partibus addictos, ipsorum decreta & gesta in Sanctum Athanasium, aliosque Orthodoxos Antistites, necnon in Julium ipsum Romanum Pontificem, & Epistola ipsorum Synodica luculentiùs ostendunt, quàm ut alterâ probatione indigeat.

Falsum est secundò quod supponit Dominus de Marca, 80. tantùm Episcopos adfuisse Concilio Sardicensi, sicut 80. dumtaxat adfuerunt Conciliabulo Philippopolitano. Constat enim ex Sancto Athanasio *Apologia* 2. Episcopos 284. ad minus decretis Concilii Sardicensis subscripsisse, quos verisimile est nullam aliam habuisse illis subscribendi occasionem, quàm in ipso Concilio. Et in *Epistolâ ad Solitarios*, ait: *Synodus autem ex pluribus quàm triginta quinque Provinciis coacta, cognitâ Arianorum malitiâ, permisit Athanasio cum suis ut caussam diceret*. At ex 35. Provinciis longè major numerus Episcoporum collectus est, quàm 80. qui Philippopolitano Conciliabulo aderant.

Præterea, non scripsissent Eusebiani in sua Synodica, immensam multitudinem Episcoporum adventantium de Constantinopoli & de Alexandria collectos fuisse Sardicæ cum Osio & Protogene, si tum ex illis partibus, tum ex Occidente universo, 80. tantùm Episcopi adfuissent.

Objicies auctoritatem SS. Hilarii, & Epiphanii, qui vocant Concilium Sardicense *Concilium Occidentalium*. Ille in lib. *contra Constantium*, ubi sic ipsum alloquitur: *Damnas quoque & substantia nomen, quo te & Sardicensi Concilio, & Sirmiensi, pium esse Occidentalibus mentiebaris*. Hic verò, *Hæresi* 61. ubi de Photino sic loquitur: *Infœlix doctrina sua lolium Constantio Imperante disseminavit, & ad hæc usque tempora superfuit, cùm in Sardicensi Occidentis Synodo ob execrandas blasphemias depositus esset*. Synodus itaque Sardicensis ex Episcopis Orientis & Occidentis non fuit conflata, proindeque nec Oecumenica.

Respondeo, Laudatos Patres Synodum Sardicensem ideò Occidentalem vocasse, ut illam a Pseudo-Sardicensi, seu Philippopolitana distinguerent. Enimverò Sardica Urbs erat Imperii Occidentis: Philippopolis autem Urbs Orientis: & aliunde Conciliabulum illud ex Episcopis Antiocheni Patriarchatûs, qui propriè Patriarchatus Orientia dictus est, conflatum erat. Quo sensu Orientis nomen Canon secundus Constantinopolitani Concilii I. usurpat iis verbis: *Orientis autem Episcopi solius Orientis curam gerant*.

Contra. Illud Concilium non fuit ex Episcopis Orientis & Occidentis constitutum, ex quo secesserunt Episcopi Orientales: atqui Orientales Episcopi ex Sardicensi Synodo Philippopolim secesserunt: Synodus itaque Sardicensis non fuit ex Episcopis Orientis & Occidentis constituta.

Respondeo, distinguo majorem: si ex eo Concilio secesserint Orientales omnes, & ex caussa legitima, concedo: si secesserint Orientales aliqui, scilicet Eusebiani, vel ipsorum partibus addicti, absque ulla caussa legitima, nego. Porrò ex Concilio Sardicensi non secesserunt omnes Orientales Episcopi Philippopolim, sed octoginta tantùm, sive Eusebiani, sive ipsorum partibus addicti, & ad ipsorum nutum omnia agentes; nec legitimam caussam secessionis habuere. Unde ipsorum divortium schisma fuit, & ipsorum discessio turpis fuga. Non sequitur ergo Synodum Sardicensem Oecumenicam non esse, quia huic non interfuerunt Orientales illi, aliàs nec Oecumenica dici posset Constantinopolitana I. Synodus, quia illi non adfuerunt Macedoniani Episcopi; nec Ephesina, quia Joannes Antiochenus ab illa absuit suis cum Orientalibus: nec denique postrema omnium Tridentina, quia Græci Schismatici ad illam non accesserunt.

Disparem forsan dices esse rationem, quia Eusebiani Hæresim palam non profitebantur, neque communionem exteriùs abruperant. Sed futilis est ea responsio: sufficit enim quòd agnoscerentur Ariani, quales erant, ab Episcopis Orthodoxis, & a Synodis celeberrimis, licèt Hæresim dissimulando fucum Fidelibus facerent. Et quamvis ante Sardicensem Synodum communionem cum Orthodoxis Episcopis non abrupissent exteriùs, sufficit quòd schisma fecerint in ipso Concilio Sardicensi, ut eorum discessione non obstante, Oecumenicum asseratur.

Objicies secundò. Si Conciliis Oecumenicis Sardicensis Synodus annumeraretur, Concilium I. Constantinopolitanum perperam diceretur Oecumenicum II. quod nomen ipsi hucusque omnium Eruditorum consensu servatum est.

Præterea, si Concilium Sardicense Oecumenicum existimasset Sanctus Gregorius Magnus, non quatuor dumtaxat Concilia Generalia laudasset, quibus eumdem honorem vult haberi ac IV. Evangeliis: Sed quinque recensens, aliam instituisset comparationem. Hac enim ratione primum foret Nicænum, Sardicense secundum, tertium Constantinopolitanum, quartum Ephesinum, quintum Calchedonense.

Respondeo. Synodum Sardicensem spectatam semper fuisse ut appendicem quamdam Concilii Nicæni, quia Nicænam Fidem propugnavit confirmavitque, nec aliud Fidei Symbolum, seu aliam Professionem Fidei edidit a Nicæna. Caussa autem Sancti Athanasii, Marcelli Ancyrani, Asclepæ Gazensis, & aliorum Antistitum, ob quam retractandam ista Synodus convocata est, non debuit efficere ut per se spectaretur velut Synodus Oecumenica propriè distincta a Nicæna; quia illi Episcopi ob Nicænæ Fidei defensionem exauctorati fuerant, & persecutionem passi. Denique Canones Sardicenses ob eamdem rationem laudati fuerunt a Summis Pontificibus Zosimo, Bonifacio, Cœlestino, & Leone, sub nomine Nicænorum Canonum.

ARTICULUS IV.

Utrùm Canones Sardicenses ante Concilii Trullani tempora fuerint ab Ecclesia universa recepti?

Quidam contendunt Sardicensis Concilii Canones statim ab universa Ecclesia non fuisse receptos, sed Concilii dumtaxat Trullani tempore. Horum agmen ducit illustrissimus & doctissimus Parisiensium Antistes Petrus de Marca, lib. 7. *De Concordia Sacerdotii, & Imperii, cap.* 5. alii contrariam post eminentissimos, eruditissimosque Cardinales Baronium, & Perronium, propugnant sententiam, quibus lubentiùs adhæremus.

PROPOSITIO.

Sardicenses Canones ante Concilii Trullani tempora fuerunt ab Ecclesia recepti.

Probatur primò ex Palladio Helenopolitano Episcopo qui Sancti Joannis Chrysostomi Vitam accuratissimè conscripsit. Testatur ille Canonem 12. Concilii Antiocheni, quem Orientales, contra Sanctum Joannem Chrysostomum adducebant,

in

in Synodo Sardicensi a Romanis,* Italis, Illyricis, Macedonibus, & Græcis abrogatum fuisse: ergo jam tunc, Palladii scilicet ætate, qui Theodosio Magno Imperante vixit, Canones Sardicenses recepti erant ab Ecclesia universa. Non enim objici potuisset adversùs Sancti Joannis Chrysostomi hostes Sardicensis Concilii auctoritas, & Canonum Antiochenorum auctoritati opponi, nisi Sardicense Concilium, ipsiusque decreta fuissent in Ecclesia Orientali recepta. Cùm itaque eodem tempore ab Innocentio I. Synodi Sardicensis auctoritas adversùs Antiochenos Canones urgeretur, ut constat ex ejus Epistolâ ad Clerum Constantinopolitanum, argumento est Sardicenses Canones tunc etiam in Ecclesia Occidentali receptos fuisse.

Probatur secundò ex Collatione Canonum in 50. Titulos distributa, quæ nomen Theodoreti præ se fert in Codice qui asservatur in Bibliotheca Regis Christianissimi, & quam Joanni Scholastico Patriarchæ Constantinopolitano aliàs vindicavimus. Illa namque Collectio 21. Canones Sardicenses exhibet. In Ecclesia itaque Orientali recepti erant ante Concilium Trullanum.

Respondet Dominus de Marca, Theodoretum, vel quisquis est illius Collectionis antiquus Auctor, illam ad usum privatum studiosorum concinnasse, ut in numerato haberent Canones omnes, qui ad unum negotii genus referuntur, quorum sententiam & numerum tantùm adnotavit: Sed in judiciis, ubi solidæ & integræ Leges, non verò Synopses legum, vel Canonum proferebantur, nulla ratio habebatur istius Collectionis.

Verùm id gratis asserit Illustrissimus Antistes, & absque legitima probatione. Præterea, quamvis ad usum dumtaxat privatum studiosorum Collectio illa adornata esset, ejus Auctorem eos tantùm Canones collegisse verisimile est, qui in Ecclesia Orientali recepti erant.

Denique Trullana Synodus non videtur Canones illos fuisse receptura, qui jus Appellationum Romano Pontifici asserebant, & Synodos Orientis supremâ in Judiciis Canonicis Episcoporum minuebant auctoritate, nisi jam antea fuissent in auctoritatem recepti. Non enim ita erant comparati eâ ætate Episcopi Orientales, ut Romano Pontifici tantùm juris tribuerent.

Objicies primò. Sardicenses Canones ignoti fuere Innocentio I. vel certè ab eo non sunt recepti, quasi vim Ecclesiasticæ Legis haberent: tunc itaque recepti non erant ab Ecclesia universa.

Probatur antecedens. Innocentius I. in Epistolâ ad *Clerum Constantinopolitanum*, disertis verbis scribit, nullos esse Canones præter Nicænos, quorum ad observationem Ecclesia teneatur: *Canonibus porrò obsequendum esse credimus*, inquit, *qui Nicææ sunt decreti; quos solos consectari decet Ecclesiam Catholicam, & juxtà eos judicare*. Et in Epistolâ *ad Theophilum Alexandrinum*, quam refert Palladius in Vita Sancti Joannis Chrysostomi, de Nicænis Canonibus ait: *Alios quippe Canones Romana non admittit Ecclesia*. Canones igitur Sardicenses nullius tunc erant auctoritatis in Ecclesia Romana, proindeque in Ecclesia universa recepti non erant.

Respondeo, Innocentium I. nomine Canonum Nicænorum Sardicenses non excludere: nam cùm dixisset de Canonibus Nicænis; *Quos solos consectari decet Catholicam Ecclesiam*, statim Sardicensis Concilii meminit, ejusque decretis nititur ad vindicandam S. Joannis Chrysostomi innocentiam. *Quapropter*, inquit, *non solùm hoc dicimus, istos sequendos non esse, verùm etiam cum Hæreticis, & Schismaticis, seu dissidiosis dogmatibus condemnandos, quemadmodum antea in Sardicensi Concilio ab Episcopis, qui nos præcesserunt, factum est. Nam quæ sic perperam inducuntur, magis damnare convenit, quàm ut quæ directè contra Canones statuuntur, aliquam habeant firmitatem*.

Ideò autem solos Canones Nicænos Ecclesiam Romanam admittere, scripsit Innocentius, quia toto intervallo temporis quod a Siricio Pontifice ad Gelasium effluxit, solemnis viguit consuetudo laudandi quoslibet Canones in Ecclesia receptos sub nomine Nicænorum, Siricius namque, *Epist. 3. cap. 1*, ait: *Ut hâc vestrâ subscriptione firmata Ecclesiastica Canonis dispositio, quæ apud Nicæam tractata est, confirmata, suo merito fundatissima permaneret, at tales videlicet ad Ecclesiasticum Ordinem permitterentur accedere, quales Apostolica auctoritas jubet, non quales dico; vel eos qui cingulo militiæ sæcularis adstricti, olim gloriati sunt, qui postea quàm pompa sæculari exultaverant, aut negotiis Reipublicæ optaverunt militare, aut mundi curam tractare, adhibita sibi quorumdam manu, & proximorum favore stipati, hi frequenter ingeruntur auribus meis, ut Episcopi esse possint*. At nihil ejusmodi in Concilii Nicæni Canonibus legitur: quosvis itaque Canones Nicænorum nomine intellexit.

Eodem loquendi modo utitur Innocentius I. *Epistolâ 25. ad Concilium Toletanum*, cap. 3. *Et quamvis*, inquit, *Dilectioni vestræ, Fratres Charissimi, Regulæ Nicænæ sint cognitæ, secundùm quas Ordines esse faciendos per sententiam decernitis; tamen aliquam partem, quæ de Ordinationibus est provisa, instruendam putavi ..... Ac primùm quæ sunt prohibita dirigantur, ne quispiam, qui post Baptismum militaverit, ad Ordinem debeat Clericatûs admitti, neque qui causas post acceptum Baptismum egerint; aut qui post acceptam Dei gratiam administraverint; neque de Curialibus aliquem ad Ecclesiasticum Ordinem venire posse*. At nullus istorum Canonum inter Nicænos legitur, sed Canones sunt 13. Sardicensis, & 8. Concilii Toletani I. quos Pontifex more tunc solemni Nicænos appellat.

Idipsum suadetur exemplo Zosimi, qui ad Episcopos Africanos scribens, Canones Sardicenses negotium Appellationum spectantes, Nicænos nuncupavit.

Confirmatur ex S. Leone, qui, *Epistolâ ad Theodosium Imperatorem* contra Latrocinium Ephesinum, agens de appellatione Flaviani Episcopi Constantinopolitani, cujus examen novum Concilium postularet, ita scribit: *Quam autem post appellationem interpositam hoc necessariò postuletur, Canonum Nicææ editorum decreta testantur, quæ a totius mundi Sacerdotibus sunt constituta*. At certum est hac de re nihil in Nicæna, sed in Sardicensi dumtaxat Concilio sancitum.

Radix autem istius moris atque usus ea fuit. Ecclesia suis in Codicibus aliorum Conciliorum Canones, post Nicænos, describebat: unde in Concilio Calchedonensi Leontius Magnesiæ Episcopus Canones 16. & 17. Concilii Antiocheni in Encæniis, legit sub titulo Regulæ 95. & 96. istius Codicis. Qui numerus ut constet, necesse fuit ut Gangrensis, Neocæsareensis, Ancyrani, Nicæni Concilii Canones, Antiochenos illo in Codice antecederent: ex iisque & aliis unum corpus Canonum resultaret, qui Nicæni vocabantur a præcipua & sacratissima illius Codicis parte, quæ Nicænis Canonibus constabat: & quòd alii Canones ab Ecclesia recepti non essent, nisi quatenus Canonibus Nicænis consentiebant, aut illorum velut expositiones censebantur.

Objicies secundò. Codici Canonum quo utebatur Ecclesia Græca, qui prolatus est in Concilio Calchedonensi, in caussa Bassi, & Stephani, adscripti non erant Canones Sardicenses: ergo tunc temporis recepti non erant ab Ecclesia universa.

Pro-

Probatur antecedens. In hoc enim continebantur solùm Canones Nicæni, Ancyrani, Neocæsareenses, Gangrenses, Antiocheni, Laodiceni, & Constantinopolitani, numero 165. ut constat ex ipso Codice, quem in lucem edidit Christophorus Justellus.

Respondeo primo. Duos Codices Canonum in Concilio Calchedonensi fuisse prolatos; unum scilicet in quo Concilia sub propriis nominibus laudabantur, Canonesque sub propriis numeris descripti erant, ut constat ex Actione 4. & 15. ipsius Concilii Calchedonensis, in qua Canones 4. & 6. Nicæni Concilii lecti fuerunt sub titulis 4. & 6. Canonis trecentorom decem & octo Sanctissimorum Patrum Nicææ congregatorum; & 3. Canon Concilii Constantinopolitani lectus fuit sub titulo Synodicæ secundi Concilii Constantinopoli a 150. Patribus sub Nectario celebrati. Alter Codex Canones continuâ numerorum serie complectebatur, absque titulis Conciliorum ex quibus excerpti erant, ut ex Actione 4. & 2. ejusdem Concilii Calchedonensis colligitur; in quibus 3. 4. 16. & 17. Canones Concilii Antiocheni lecti fuere sub simplici titulo Canonum 84. 95. & 96. nullâ factâ mentione aut Concilii ex quo deprompti erant, aut Ordinis, seu numerorum singularium, sub quibus illo in Concilio legebantur. Porrò esto, in posteriori illo Codice Sardicenses Canones non fuerint adscripti: evinci tamen non potest, quòd in priorem relati non essent.

Respondeo secundò, Probari etiam non posse quòd in Codice isto posteriori Sardicenses Canones non extarent. Nam quòd quatuor Canones, qui ex hoc Codice proferuntur, scilicet 4. 5. 16. & 17. Concilii Antiocheni, laudentur sub titulo Regulæ 84. 85. 95. & 96. probat quidem evidenter ante hos Canones in isto Codice fuisse tantùm descriptos viginti Nicænos, viginti Ancyranos, quindecim Neocæsareenses; viginti & unum Gangrenses, quod editus a Justello Codex confirmat: Sed colligi inde non potest, Sardicenses Canones, qui post Antiochenos editi fuerant, in eodem Codice non extitisse. Certè Sardicenses Canones Concilii Calchedonensis tempore auctoritatem in Ecclesia Orientali obtinuisse, constat ex Epistolâ Valentiniani III. Imperatoris ad Theodosium juniorem datâ, pro Concilii Calchedonensis celebratione, in qua scribit, Flavianum Episcopum Constantinopolitanum Romanum Pontificem appellasse *secundùm solemnitatem Conciliorum*: quod ad Synodi Sardicensis Canones potissimùm referebatur. Præterea, Theodoretum Cyri Episcopum, qui S. Leonem appellaverat, gloriosissimi Judices, qui Judiciorum ordini servando in sacro illo cætu nomine Marciani præsidebant, in Concilium recipi, in eoque sedere & suffragari debere decreverunt. *Quia & restituit ei Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo, & piissimus Imperator jussit eum adesse sanctæ Synodo*: quæ sententia Sardicensibus Canonibus nitebatur. Tunc itaque Sardicenses Canones in Judiciis Ecclesiasticis obtinebant apud Ecclesias Orientales, illorumque auctoritatem Patres Calchedonenses, & Judices ipsi Cæsarei reverebantur. Verisimile est itaque illos in Codicem Orientalis Ecclesiæ fuisse adscriptos.

Nec obstat quòd Codex a Justello editus illos non exhibeat. Codicem enim illum a Justello editum, quis probare possit eumdem esse cum illo qui in Synodo Calchedonensi prolatus est, nequaquam depravatum aut mutilum, sed integerrimum, & omni ex parte inviolatum? Duplex hæc responsio est illustrissimi & doctissimi Cardinalis Perronii in *Replica ad Responsionem Serenissimi Regis Magnæ Britanniæ, cap.53.*

Objectio tertia petitur ex Dionysio Exiguo, qui sub Justiniano floruit. Is in sua Collectione Canonum consequentiam per numerorum seriem a primo Nicæno ad tertium usque Canonem Constantinopolitanum, qui est ultimus Canon & 165. Codicis Ecclesiæ Græcæ, cujus fidem secutus est, accuratè observat. Tum omissis Canonibus Concilii Ephesini, Canones Concilii Calchedonensis subjungit, atque testatur, in his Græcorum Canonum finem esse. Addit verò huic Collectioni L. Canones Apostolicos, Concilii Sardicensis Canones, & Conciliorum Africanorum, quos Latinè editos fuisse ait: igitur Justiniani temporibus, & ante Justinianum, Canones Sardicenses recepti non erant ab Ecclesia universa.

Respondeo, Codicem Ecclesiæ Græcæ, quo in Collectione sua adornanda usus est Dionysius Exiguus, integrum non fuisse, sed mutilum, quod omissio Canonum Concilii Ephesini luculenter probat; qui tamen in Ecclesia Orientali recepti erant, ut colligitur ex Novella Justiniani 131. Unde etiam illos exhibent omnes Collectiones Græcæ. Quamobrem immeritò infertur Sardicenses Canones non fuisse in Codicem Ecclesiæ Græcæ relatos ex eo quòd ab eo abessent Codice, quo Dionysius Exiguus usus est.

Objicies quartò. Ecclesia Africana Sancti Augustini ætate Sardicenses Canones non agnoscebat: non erant igitur in Codicem Ecclesiæ universæ relati, aut ab universa Ecclesia recepti.

Probatur antecedens ex Sancto Augustino, cui cùm Cresconius Donatista, & Fortunius ejusdem Schismatis Episcopus objecissent Concilium Sardicense ad Donatum Carthaginensem scripsisse, respondet, Concilium illud fuisse Arianorum, utpote quòd Sanctum Athanasium, & Julium Pontificem Maximum damnaverit; nec usquam alterius Synodi Sardicensis Orthodoxorum meminit. Sic autem habet, lib.3. *contra Cresconium*, cap.34. *Sed Orientales*, inquit, *quos modò nostros esse concedis, non latuisse hoc facinus dicis. Atque ut hoc probes, inseris principium Epistolæ Concilii Sardicensis, ubi Donati Carthaginis Episcopi vestri nomen invenitur adscriptum. Quod ideò factum putas & affirmas, quòd videlicet Orientalibus, qui de Concilio suo hæc scripta miserunt, facinus displicuerit Traditorum, & ab eorum communione se retraxerint, & ideò Donato vestro communicabant. Disce ergo quod nescis. Sardicense Concilium Arianorum fuit, quod notum jamdiu est, ut habemus in manibus, contractum maximè contra Athanasium Episcopum Alexandrinum Catholicum, qui eorum errorem ex ipsa civitate ortum, præ cæteris acriter arguebat & refellebat. Non igitur mirum si illi Hæretici Donatum sibi adsciscere tentaverunt, quos per totum orbem Catholica damnabat Ecclesia.* Idem fermè repetit, libro 4. Epistolâ 44. & Epistolâ 163. *Tunc*, inquit, *accepto ipso volumine, ejusdem Concilii statuta considerans, legi Athanasium Episcopum Alexandrinum Catholicum, cujus maximè adversus Arianos acerrimarum disputationum conflictus eminuit; & Julium Ecclesiæ Romanæ Episcopum, nihilominus Catholicum, illo Concilio Sardicensi fuisse improbatos. Unde apud me constitit Arianorum fuisse Concilium, quibus isti Episcopi Catholici vehementissimè resistebant.*

Respondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem dico, Sanctum Augustinum meritò explosisse Concilium istud, cujus Synodica ad Donatum Carthaginensem & alios Episcopos proferebatur, ut Conciliabulum Arianorum. Istud enim est Pseudo-Sardicense, seu Philippopolitanum. Sed perperam ex hoc colligitur S. Augustinum legitimum Concilium Sardicense ignorasse, aut in Africana Ecclesia illius Canones non fuisse receptos.

Non

Non enim necesse erat ut de vero & Orthodoxo Concilio Sardicensi loqueretur ibi Sanctus Augustinus, qui & ad illud fortasse non attendit, Donatistarum caussæ, atque confutationi totus intentus. Certè Concilium Catholicum Sardicense tam notum fuit, tamque ejus perspecti Canones in Ecclesia Africana, quàm Cnncilium Carthaginense primùm & ejus decreta: siquidem Canones Sardicenses a Grato Episcopo Carthaginensi, qui Sardicensi Concilio interfuerat, in illa Synodo laudantur Canone 5. *Nam & memini*, inquit, *in sanctissimo Concilio Sardicensi statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet. Sed si fortè erit necessarius, petat a Collega suo, & per consensum habeat*. Hoc autem Canone 15. Concilii Sardicensis, secundùm textum Græcum; Canonibus verò 18. & 19. secundùm versionem Dionysii Exigui sancitum est.

Objicies quintò. Hadrianus I. Pontifex Maximus, in Epitome Canonum quos Carolo Magno dedit, Concilii Sardicensis Canones apud Græcos non inveniri testatur. Et Nicolaus I. ad Photium Constantinopolitanæ Sedis invasorem & ad Constantinopolitanos scribens, ait ipsos asserere, Canones Sardicenses apud se non haberi. Non sunt itaque recepti ab Ecclesia universa.

Respondeo. Hadrianum I. deceptum fuisse Collectione Dionysii Exigui, quam solam inspexit. In eum autem errorem non incidisset, si Trullanam legisset Synodum, vel ad secuodum illius Canonem attendisset, quo Sardicensium Canonum firmatur auctoritas.

Ad testimonium Nicolai I. respondeo; Photium, si dixit Sardicenses Canones apud Græcos non haberi, vel ab Ecclesia Græca receptos non esse, contra propriam scientiam fuisse locutum, ut Canones illos intrusioni suæ repugnantes eluderet. Nam Photius ipse Nomocanoni suo Canones Sardicenses plerumque inseruit, & eos potissimùm, quibus jus Appellationum ad Sedem Apostolicam asseritur.

Præterea, Nicolaus I. hanc vel Photii, vel aliorum responsionem, *Canones Sardicenses in Ecclesia Græca non haberi, aut receptos non esse*, disertis verbis confutat: *Quomodo*, inquit, *penes vos non sunt Canones Sardicenses, quando inter 50. Titulos, quibus concordia Canonum apud vos texitur, ipsi quoque reperiuntur?*

Objicies sextò, Usum Appellationum Episcopalium ad Romanam Sedem, quarum jus Sardicensibus Canonibus 3. 4. & 7. asseritur, diu in Ecclesia Orientali, imò in quibusdam Ecclesiis Occidentis incognitum fuisse, quod multis momentis probari facilè potest. Canones itaque Sardicenses non sunt ab universa Ecclesia recepti.

Respondeo, nego antecedens. Ad momenta verò quæ proferri contra nos possunt, Dissertatione sequenti respondebimus.

SCHOLION I.

Dissertationis hujus Articulo primo, Religiosi Censores hanc Propositionem notant, pag. 469. Editionis primæ: *Synodus Sardicensis ab Imperatoribus convocata est*. Tota Dissertatio, inquiunt, expungenda.

R. Erravit scilicet Synodus ipsa Sardicensis, cùm in Epistolâ Synodicâ scripsit, se a Religiosissimis Imperatoribus convocatam? Erravit Sanctus Athanasius, in Apologia secunda, & in Epistolâ ad Solitarios, scribens: *Ab Imperatoribus Constantio & Constante jussos esse Episcopos Orientis & Occidentis Sardicam convenire?* Erraverunt Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Severus Sulpitius, quorum expressa testimonia fideliter refero. Ut ut est, tota Dissertatio expungenda, quia *Baronii* Cardinalis opinionem impugnat.

SCHOLION II.

In fine ejusdem Articuli, pag. 474. Editionis primæ, Religiosi Censores, hanc Propositionem notant, quæ tamen nec iisdem verbis, nec eodem sensu, quo ipsam referunt, enuntiatur: *Romanus Pontifex rogat Imperatorem pro restitutione Episcoporum in Sedes suas*.

R. Causam *S. Athanasii* & *Pauli* Julium I. Pontificem Maximum Constanti Imperatori commendasse observavi, ut apud fratrem suum *Constantium* pro illorum in Sedes suas restitutione ageret, *Cum iniquè depositi essent, & a Synodo Romana canonicè jam restituti*. Verba mea sunt. Hoc est, Sanctum Julium I. rogasse Imperatores, ut auctoritate sua eos de facto in Ecclesias suas restitui juberent & curarent, qui jure jam erant a Synodo Romana & Sede Apostolica canonicè restituti. Displicetne Religiosis Censoribus, ut Romani Pontifices precibus unquam usi dicantur, cùm ad Imperatores & Reges scripserunt?

SCHOLION III.

In Dissertationis ejusdem Articulo 3. pag. 480. Religiosi Censores, hanc Propositionem notant: *Concilium Sardicense verè Oecumenicum*.

R. Convocatione saltem Oecumenicum fuisse, nemo negat, qui Ecclesiasticam Historiam vel a limine salutavit. Exitum etiam Oecumenicum fuisse, probabilius mihi visum est. Sic ante me sensit Cardinalis *Baronius* ad annum Christi 347. N. 7. *Quòd igitur ex totius ferme Orbis Christiani Provinciis Episcopi ad Synodum fuerint a Romano Pontifice convocati, interfueruntque & Apostolicæ Sedis Legati ab eodem Julio Papa missi, meritò censendum est Concilium Oecumenicum*. Et Num. 9. *Quod igitur ex Oriente & Occidente ac Septemtrione Sardicam accersiti sunt Episcopi, & præfuit Synodo illi Legatio Apostolicæ Sedis, his saltem ex causis Sardicense Concilium Oecumenicum dici debet. Certè quidem nonnisi Oecumenicum esse & appellari oportet, secundùm recitata nuper Augustini verba: in quo Julii Romani Pontificis sententiam Roma pro Athanasio latam, ipso Julio id volente, contigit iterum examinari atque probari.*

Nota.

JAm satis docuerat Natalis, ubi de Concilii Nicæni convocatione Dissertationem instituit, ecclesiasticæ jurisdictionis proprium esse Synodos cogere: quapropter etsi ab Historicis in conciliorum convocatione aliquando solius Imperatoris mentio fiat, indubitatum est ideo legitima esse non desiisse, vel quia ex Romani Pontificis mandato PP. ad Synodum convenere, vel quia, postquam eos Imperator vocavit, Pontifex ut celebrarentur, consensit. Ea ratione PP. sextæ Synodi Oecumenicæ *act. 15.* alloquentes Constantinum Imperatorem, qui eam indixerat, omnium præcedentium Synodûm convocationem etiam Summis Pontificibus adscribunt.

DISSERTATIO XXVIII.

De jure Appellationum Episcopalium ad Sedem Romanam, quod Sardicense Concilium suis Canonibus asseruit.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Canones Sardicenses Romano Episcopo concesserint potestatem judicandi Appellationes ab Episcopis depositis factas ad Romanam Sedem: & utrùm usus Appellationum ante sextum sæculum, invaluerit in Ecclesia?

ILlustrissimus Parisiensium Archiepiscopus Dominus de Marca, libro 7. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, *cap.*3. asserit jus in Synodo Sardicensi quæsitum Episcopo Romano, diversum prorsus esse a judicio Appellationis, cùm nihil aliud ei concessum sit, quàm ut decernere possit caussæ retractationem. Quippe, inquit, Synodus statuit, ut si Episcopus damnatus Pontificem Romanum appellaverit, in potestate ejus sit appellationem respuere, quo pacto sententia Episcoporum Provinciæ confirmabitur, aut eam admittere. Quo casu, debet Episcopus Romanus judicium integrum remittere ad Episcopos Provinciæ, & ad finitimos, ut illi caussæ cognitionem suscipiant, præsente Legato Summi Pontificis, si is existimaverit mittendum esse.

Idem Antistes, sequentibus capitibus probare nititur usum Appellationum Episcopalium tardiùs invaluisse tum in Ecclesia Orientali, cùm in Occidentali. In Orientali quidem ante Concilii Trullani tempora non viguisse: in Occidentali verò universim non obtinuisse ante sæculum 8.

Tertiò, censet Illustrissimus Archipræsul, hujus juris institutionem deberi Concilio Sardicensi, ita ut ante hanc Synodum, ad Summum Pontificem Episcopis depositis appellare non liceret. In his doctissimi Archiepiscopi opinionibus multa sunt, quæ nobis non probantur, & quæ sequentibus Propositionibus refellemus.

PROPOSITIO I.

JUs appellationum ad Sedem Romanam a Synodo Sardicensi non est institutum, sed confirmatum.

Probatur. Quod est appendix primatûs Sancto Petro & ejus successoribus a Christo collati, non est a Synodo Sardicensi, aut quavis alia institutum: atqui jus appellationum ad Sedem Romanam est appendix primatûs Sancto Petro & ejus successoribus a Christo collati: non est igitur a Synodo Sardicensi institutum, sed confirmatum.

Probatur minor. Hoc ipso quòd Romanus Pontifex est jure divino omnium Episcoporum primus, & cæteris jurisdictione superior, Ecclesiæ caput, Vicarius Christi, consequens est ut ad ipsum Episcopi cùm injuriam patiuntur, appellare possint. Ipsa enim juris naturalis æquitas ab inferiorum judicum sententiis ad supremum judicem appellari posse dictat & persuadet. Cùm itaque Romanus Pontifex ratione sui primatûs sit superior Episcopis omnibus divisim sumptis, & Conciliis etiam Provincialibus, ac Nationalibus ad ipsum appellare posse Episcopos, Metropolitanorum, Primatum, Patriarcharum; aut Conciliorum, sive Provincialium, sive Nationalium, sive Patriarchalium judiciis depositos, necessariò sequitur: ac proinde jus appellationum Episcopalium ad Romanam Sedem, Pontificii primatûs est appendix.

Prætetea, Romanus Pontifex ratione primatûs tenetur invigilare executioni Canonum, eorumque observantiam urgere ac promovere: quo munere fungi non potest, nisi ipsorum infractores plectere possit. Si igitur violati fuerint Canones in Episcoporum depositione, ipsi ad Romanum Pontificem provocare possunt, ut in irritum mittat sententiam iniquiorem, ut eorum qui injuriam passi sunt, jura resarciat, ut eos qui contra Canones peccarunt, inflictis etiam pœnis Canonicis ad eorumdem compellat observantiam & executionem. Jus itaque suscipiendi appellationes Episcoporum dejectorum, & eas judicandi, Romano Pontifici conveniens, appendix est primatûs Sancto Petro, & ejus successoribus a Christo collati. Cùm igitur privilegia sanctæ Romanæ Ecclesiæ primatum spectantia, vel ex eo consequentia, *a Christo donata sint, a Synodis non donata, sed solummodo celebrata*; ut scripsit Nicolaus I. *Epistolâ* 8. *ad Michaelem Orientis Imperatorem:* sequitur jus appellationum Episcopalium ad Romanam Sedem, non esse a Synodo Sardicensi institutum. Inter alia itaque Romanæ Sedis privilegia, jus appellationum suscipiendarum & judicandarum numerandum est, de quibus mox laudatus Pontifex eadem in Epistolâ scribit: *Ecclesia Romana privilegia Christi ore in Beato Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, & a sanctis universalibus Synodis celebrata, atque a cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari; quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus....*. *Privilegia, inquam, istius Sedis, vel Ecclesia perpetua sunt, divinitus radicata atque plantata sunt: impingi possunt, transferri non possunt: trahi possunt, evelli non possunt.*

Objicies 1. Ætate Sancti Cypriani, Conciliorum Provincialium suprema erat auctoritas, nec ab eis provocare licebat. Jus itaque Appellationum judicandarum non est Pontificii primatûs appendix, nec Romana Sedes eo semper gavisa est, sed illud Synodo Sardicensi refert acceptum.

Probatur antecedens. Cùm Sanctus Cyprianus, ex sententia Concilii sui, a communione rejecisset quosdam Clericos, & quemdam Pseudo-Episcopum Hæreticorum, irascitur adversùs Cornelium Episcopum Romanum, quòd cùm illi Romam accessissent, hæsitasset aliquantulum Pontifex an eos in communionem suam reciperet. Hanc ob rem Cyprianus apud Cornelium apertè edisserit jura Episcoporum uniuscujusque Provinciæ; quæ in eo versantur, ut ad eos pertineat discussio, judiciumque caussarum, & regimen gregis, rationem administrationis suæ Deo reddituros; neque licere Romam, aliòve appellare. Neque enim minorem esse auctoritatem Episcoporum Africanorum, quàm reliquorum. Damnatos porrò, si ad Cyprianum accedere voluerint, auditurum se lubenter, & Pœnitentiam eorum amplexurum, si crimine ullo fuerint involuti. Id constat ex Epistolâ ipsius 55. ad Cornelium Episcopum Romanum datâ. *Post ista*, inquit, *adhuc insuper Pseudo-Episcopo sibi ab Hæreticis constituto, navigare audeat, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, (quorum fides Apostolo prædicante laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum..... Nam cùm statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujus-*

jusque caussa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus; oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem suâ subdolâ & fallaci temeritate collidere, sed agere illic caussam suam, ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possint; nisi si paucis desperatis & perditis minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui jam de illis judicaverunt; & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam judicii sui nuper gravitate damnarunt. Jam caussa eorum cognita est: jam de eis dicta sententia est, nec censura congruit Sacerdotum mobilis atque inconstantis animi levitate reprehendi.

Et infra: *Si judicium*, inquit, *iterum voluerint experiri, veniant. Denique si qua illis excusatio, & defensio potest esse; videamus quem habeant satisfactionis suæ sensum, quem afferunt Pœnitentiæ fructum.* Illo itaque ævo suprema erat Conciliorum Provincialium auctoritas, & appellationes ad Apostolicam Sedem erant illicitæ.

Respondeo. Distinguo Majorem. Conciliorum Provincialium suprema erat auctoritas in caussis simplicium Presbyterorum, concedo: in caussis Episcoporum, nego. Simplicium Presbyterorum caussæ in Synodis Provinciæ finiebantur, nec ipsis licitum erat ad Romanum Episcopum provocare. Fortunatus autem, Felicissimus, & alii de quibus Sanctus Cyprianus illâ in Epistolâ loquitur, meri erant Presbyteri: *Maximè*, inquit, *quando & Fortunati nomen jam satis nosses, qui est unus ex quinque Presbyteris jampridem de Ecclesia profugis, & sententia Coëpiscoporum nostrorum, multorum & gravissimorum virorum nuper abstentis.* Deinde Sanctus Cyprianus eos, de quibus loquitur, sibi inferiores ac subditos fuisse ait: *Oportet eos, quibus præsumus, non circumcursare.* Non mirum itaque quòd de ipsis dicat: *Jam caussa eorum cognita est, jam de eis dicta sententia est.* Et quòd illorum caussam audiri debere contendat, ubi crimen admissum est, ubi schisma conflatum; nec posse ipsos ad alia tribunalia confugere.

Nec obstat quòd Fortunatus iste *Pseudo-Episcopus* a Sancto Cypriano vocetur. Nam ex eâdem Epistolâ constat ipsum post excommunicationem duntaxat suam, & ejectionem ab Ecclesia a paucis Hæreticis, & schismatis sui sociis fuisse Pseudo-Episcopum constitutum: *Illi quinque*, inquit, *cum paucis vel sacrificatis, vel malè sibi consciis Fortunatum sibi Pseudo-Episcopum cooptarunt, ut criminibus in unum convenientibus, talis esset Rector, quales qui reguntur.* Unde nullam consecrationis Fortunati rationem habere poterat Sanctus Cyprianus; nec ipsum aliter quàm ut simplicem Presbyterum spectare, qui proinde semel damnatus a Synodo Provinciali, ad alios judices secundùm Ecclesiæ Disciplinam appellare non posset. At longè alio modo loquitur Sanctus Cyprianus de judiciis Episcoporum. Ipsa namque interdum tribuit Romanæ Sedi, ut constat ex caussa Marciani, qui ad castra Novatiani defecerat. De ipso scribit ad Stephanum Romanum Episcopum S. Cyprianus, ut eum jam ab universis Episcopis in persona Novatiani prædamnatum ex

Epist., 67. Episcopatu deponat, aliumque in locum ejus substitui jubeat Antistitem. *Quapropter*, inquit, * *facere te oportet plenissimas literas ad Coëpiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem & superbum, & divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum, Collegio nostro insultare patiantur, quòd necdum videatur a nobis abstentus, qui jampridem jactat & prædicat, quòd Novatiano studens & ejus pervicaciam sequens, a communicatione se nostra segregaverit, cùm Novatianus ipse, quem sequitur, olim abstentus, & Ecclesiæ hostis judicatus sit.*

Et infrà: *Dirigantur*, inquit, *in Provinciam & ad plebem Arelate consistentem a te literæ, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur, & grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur.* Viden, ut Sanctus Cyprianus Marciani caussam a Synodo Provinciæ judicari non postulat, quod tamen postulasset, si supremam Conciliorum Provincialium in judicandis Episcoporum caussis agnovisset auctoritatem: Sed ad Romanum Pontificem scribit, ab eoque deponi optat Novatianum Episcopum.

Respondebit forsan quispiam Caussam Marciani fuisse caussam Fidei & Schismatis, non meræ Disciplinæ: privilegium autem esse singulare & perpetuum Romanæ Sedis, & in quo maximè Primatus effulgeat, ut decernat remedia adversùs Schismata & Hæreses: unde Fidei caussas Romanus Pontifex ad se evocare poterat, vel ad Sedem suam per appellationem delatas judicare, & deponere Episcopos Hæresis aut Schismatis convictos, cùm fides, aut unitas Ecclesiæ periclitabatur, nisi ipse hocce remedio succurreret. In caussis autem meræ disciplinæ rem se aliter habuisse, quia testes & accusatores erant necessarii, qui Romam deduci commodè non poterant, unde caussarum hujusmodi judicium Synodis Provincialibus, velut supremis judicibus, secundùm veteris Ecclesiæ mores servatum est.

Contra. Non ideò Marciani depositionem Romani Episcopi judicio servandam existimavit Sanctus Cyprianus, præcisè quòd de Fidei caussa ageretur: itaque hanc ad ipsum pertinere arbitratus est, secundùm illius ævi disciplinam, quòd Episcopus esset maximi criminis reus, proditæ scilicet Fidei, & scissæ unitatis.

Probatur antecedens. Caussa Fortunatiani, Felicissimi, & sociorum, erat caussa fidei, vel saltem caussæ fidei connexa, non minùs quàm caussa Marciani; siquidem absque satisfactione Lapsos recipi debere, & Deo reconciliari posse propugnabant, adeòque Pœnitentiam tollebant e medio, ut ad Deum placandum inutilem. Unde Sanctus Cyprianus ipsos ut fidei eversores, ut hostes Pœnitentiæ, ut Hæreticos exagitat, omnibusque Ortodoxis fugiendos proponit. *Persecutio hæc est alia*, (inquit, Epistolâ 55.) *& alia tentatio, & quinque isti Presbyteri nihil aliud sunt quàm quinque Primores illi, qui edicto nuper Magistratibus fuerant copulati, ut fidem nostram subruerent, ut gracilia fratrum corda ad lethales laqueos prævaricatione veritatis averterent. Eadem nunc ratio, eadem rursus eversio, per quinque Presbyteros Felicissimo copulatos, ad ruinam salutis inducitur, ut non rogetur Deus, nec qui negavit Christum, eumdem Christum, quem negaverat, deprecetur; post culpam criminis tollatur & Pœnitentia, nec per Episcopos & Sacerdotes Domino satisfiat, sed relictis Domini Sacerdotibus, contra Evangelicam Disciplinam nova traditio sacrilegæ institutionis exsurgat.* Et infra: *Si quis autem Pœnitentiam agere, & Deo satisfacere detrectans, ad Felicissimi & satellitum ejus partes concesserit, & se Hæreticæ factioni conjunxerit; sciat se postea ad Ecclesiam redire, & cum Episcopis & plebe Christi communicare non posse.* Caussa itaque Felicissimi & Symmistarum erat caussa fidei. Nec tamen propterea S. Cyprianus illam ad Romanum Episcopum existimavit deferendam, ut ejus judicio damnarentur: imò ipsos in Concilio Carthaginensis Provinciæ judicari debere contendit, quia caussa illic audiri debet, ubi crimen admissum est. Eccur? Quia simplices erant Presbyteri. Itaque Marciani caussam non ideò præcisè ad Ste-

phanum Romanum Pontificem detulit Saoctus Cyprianus, quòd esset caussa fidei, sed quòd esset caussa Episcopi ad castra Hæreticorum ex Ecclesia Christi transfugæ.

Objicies secundò, Sanctus Cyprianus ab Episcopis Hispaniæ consultus in causa Basilidis & Martialis Episcoporum, qui depositi fuerant ob crimen idololatriæ ab Episcopis Provinciæ Bæticæ (quæ tum complectebatur civitates Legioneosem,
Leon, Astorga, Merida. * Asturicensem & Emeritensem) quinque Stephanum Papam fallentes gestæ rei ac tacitæ veritatis ignarum, ab eo se in communionem recipi obtinuerant; consultus, inquam, Cyprianus respondit, debere Episcopos Hispanos primo judicio firmiter adhærere, quandoquidem depositio facta erat ob justam caussam, aliique Episcopi ordinati erant ab Episcopis Provinciæ in loco depositorum. Sanctus igitur Cyprianus agnovit supremam Conciliorum Provincialium auctoritatem in Judiciis Canonicis Episcoporum, nec licitas esse eorum ad Romanam Sedem appellationes arbitratus est: ac proiode jus appellationum hujusmodi judicaodarum non est Pontificii primatûs appendix.

Respondeo. Distinguo hanc Propositionem. Consultus Cyprianus respondit, debere Episcopos Hispanos primo judicio firmiter adhærere, quòd obrepsisset Stephano Basilides ac ipsum fefellisset, concedo: quòd non posset Stephanus caussæ Basilidis cognitionem suscipere, nego. Non conqueritur itaque Sanctus Cyprianus de usurpatione Stephani, quasi adversùs supremam Conciliorum Provincialium auctoritatem egisset, quia jure suo usum Summum Pontificem agnoscit, suscipiendo Episcopum ad Apostolicum tribunal confugientem, & caussam ejus cognoscendo: Sed conqueritur de uno Basilide, qui Stephano imposuerat, ipsumque fefellerat, res aliter exponendo ac gestæ essent, & veram depositionis suæ caussam dissimulaodo. Id constat ex Epistolâ 68. Sancti Cypriani ad plebes in Hispania consistentes datâ. *Nec rescindere*, inquit, *Ordinationem jure perfectam potest, quòd Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propriâ confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum Collegam nostrum longè positum, & gesta rei ac tacita veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injustè in Episcopatum, de quo fuerat justè depositus. Hoc eò pertinet, ut Basilidis non tam abolita sint, quàm cumulata delicta, ut ad superiora peccata ejus etiam fallacia & circumventionis crimen accesserit. Neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quàm hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit*. Ex quo Sancti Cypriani loco evidenter colligitur, non fuisse supremam, ejus ætate, Conciliorum Provincialium auctoritatem in caussis Episcoporum. Nisi enim penes Romanum Episcopum fuisset auctoritas de caussis Episcoporum judicandi, & eos restitoendi in Episcopatum, qui injustè a Synodis Provincialibus depositi ad Romanam Sedem confugissent, & appellassent, Basilides ad Romanum Episcopum non accessisset, ut in Episcopatum reponeretur; nec Stephanus vir sanctissimus & Disciplinæ Ecclesiasticæ vindex acerrimus hoc auctoritati supremæ Conciliorum Provincialium vulnus intulisset.

Accedit, quòd Basilides non fuerat a Synodo Provinciæ Bœticæ exauctoratus, sed ipse malæ conscientiæ stimulis compulsus, Episcopatu se abdicaverat, & ad Communionem Laicam sponte se demiserat: quòd cùm Episcopis illius Provinciæ fuisset renuntiatum, in civitatem convenientes, præsente plebe, Sabinum in locum Basilidis libellatici & blasphemi ordinarunt. Id constat ex Sancto Cypriano in Epistolâ suprà laudata. *Quapropter*, inquit, *cùm Basilides & Martialis nefando idololatriæ libello contaminati sint: Basilides adhuc insuper, præter libelli maculam, cùm in infirmitate decumberet, in Deum blasphemaverit, & se blasphemasse confessus sit; & Episcopatum pro conscientia sua vulnere sponte deponens, ad agendam Pœnitentiam conversus sit, Deum deprecans, & satis gratulans, si sibi vel Laico communicare contingeret*. Caussa itaque Basilidis finita erat; ipsomet judicante, & sententiam adversùs se ipsum proferente, atque executioni mandante; nec Quæstio erat de Synodi Provincialis judicio, quod nullum habitum, latumque fuerat: unde Sanctus Cypriaous non ait Stephanum rescindere non potuisse sententiam contra Basilidem a Syoodo Provinciæ Bæticæ latam, sed restitutionem Basilidis ab ipso, per obreptionem impetratam, non potuisse rescindere Ordinationem secundùm Ecclesiæ Regulas factam. *Nec rescindere*, inquit, *Ordinationem jure perfectam potest*, &c. Quæ cùm ita sint, elumbe prorsus argumentum est, quod ex caussa Basilidis Viri Eruditi conficiunt ad probandam Conciliorum Provincialium, in Episcoporum caussis, supremam, illo ævo, auctoritatem.

Objicies tertiò. Osius & Gaudentius Episcopi, cùm appellationes Episcoporum ad Sedem Apostolicam deferendas proponunt, deque ea re edendum Canonem a Patribus Concilii Sardicensis, de hac non loquuntur disciplina, ceu de re antiqua, & Ecclesiæ usu frequentata; sed jus illud impræsentiarum instituendum esse innuunt, & in futurum stabiliendum in honorem Sancti Petri, *Quòd si aliquis Episcopum judicatus fuerit in aliqua causa* (inquit Osius Canone 3.) *& putat se bonam caussam habere, ut iterum Concilium renovetur; si vobis placet, Sancti Petri memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui caussam examinarunt, Julio Romano Episcopo*, &c. Præterea nomen ipsum Julii Pontificis insertum Canoni, indicat jus appellationum sub ipsius dumtaxat Pontificatu institutum fuisse. Jus itaque istud a Synodo Sardicensi primùm institutum est.

Respondeo, Nego consequens. Mos enim solemnis est veteribus Conciliis, cùm antiquas Ecclesiæ consuetudines, legesque non scriptas renovant, illas proponere quasi de novo instituerent, & re in deliberationem vocatâ, ipsas communibus Patrum suffragiis firmare, observandasque decernere verbis futuri temporis. Hoc modo prohibitiones Episcopis factæ in Concilio Sardicensi ne ex uno Episcopatu ad alium migrarent, & ne Clericum ab alio Antistite excommunicatum in communionem susciperent, Patribus propositæ sunt, ab iisque decretæ, quamvis tunc primùm institutæ non sint, sed usu diuturno ab ipsis Apostolorum temporibus in Ecclesia stabilitæ sacræ illæ leges, & in Nicæna Synodo confirmatæ. * Can. 16.

Quòd autem Canoni 3. Sardicensi Julii Pontificis nomen insertum est, non probat jus appellationum Episcopalium ad Romanum Pontificem, sub ejus dumtaxat Pontificatu, fuisse institutum. Nam Julii nomen consultò inseruerunt Patres Sardicenses illi Canoni, ut non solùm appellationes Episcoporum depositorum ad Romanum Pontificem, generatim spectatas, hoc Canone ratas haberent; Sed ut Julium, ad quem pro tempore scribendum esse ab his, qui caussam discusserunt, decrevere, meritò restituisse Sanctum Athanasium, Paulum Constantinopolitanum, Marcellum Ancyranum, Asclepam Gazensem, aliosque in Arianorum Conciliabulis depositos Antistites, pro jure Pontificii Primatûs, significarent. Adde quòd Julii nomen abest a veteri Codice, ex quo excerpti Canones illi prolati sunt in Concilio Africano Sancti Augustini ætate in caussa Apiarii, quæ

gra-

gravem inter Africanam Ecclesiam & Zosimum Pontificem, ob appellationum negotium, controversiam excitavit. Sic respondet illustrissimus & doctissimus Cardinalis Perronius in *Replica ad Responsionem Serenissimi Magnæ Britaniæ Regis*, *cap.* 3. Et revera, inquit, si jus appellationum Episcopalium ad Sedem Romanam a Concilio Sardicensi institutum esset, qua ratione Julius Romanus Pontifex, pluribus annis ante illud Concilium, ad Eusebianos ita scripsisset? *Oportuit secundum Canonem, & non isto modo judicium fieri: oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod justum esset, decerneretur. Episcopi enim erant, & non vulgares Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quos ipsi Apostoli suam & operâ ad fidem instruxerunt. Cur igitur & in primis de Alexandrina civitate nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primùm nobis scribatur, ut hinc quod justum est, definiri possit? Quapropter si isthic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit*. Qua ratione Socrates, lib. 2. *Historiæ Ecclesiasticæ*, *cap.* 15. scriberet, Julium Episcopum Romanum tuitum esse partes Episcoporum, quos Eusebiani deposuerant, & edixisse ut suus cuique locus restitueretur, necnon eos qui laudatos Antistites temerè abdicaverant, graviter reprehendisse: *Quoniam Ecclesia Romana privilegium præter cæteras obtinebat?* Vel, ut scribit Sozomenus, lib. 3. cap. 8. *Quia, propter Sedis dignitatem, cura omnium ad ipsum spectaret*. Certè si Romanus Episcopus Synodos Orientales a Canonum observantia deviantes corrigere potuit; si dictæ Synodi Episcopum deponere ipso inconsulto non potuerunt; si ad ipsum scribere debuerunt & referre de ejusmodi caussis, ut ipse cum suo Concilio statueret quod justum erat; si confugientes ad Sedem suam Episcopos injustè depositos, in pristinam restituere potuit dignitatem, secundùm antiquos Ecclesiæ mores; si, inquam, hæc omnia præstare potuit Romanus Pontifex, [prout Julius, Socrates, & Sozomenus testantur,] non erat suprema Conciliorum Provincialium auctoritas in Judiciis Canonicis Episcoporum. Si non erat suprema, poterat ab ipsis appellari ad Romanum Episcopum; siquidem ejus Ecclesia supra cæteras privilegium habet, & ad ipsum cura omnium spectat, propter Sedis dignitatem. Si appellari eâ ætate potuit ad Romanum Pontificem, jus appellationum Episcopalium suscipiendarum & judicandarum non fuit collatum Romano Episcopo a Synodo Sardicensi.

Contra. Canones de appellationibus ad Romanam Sedem a Concilio Sardicensi editi, jure divino non nituntur, sed religioso tantum desiderio honorandi memoriam Sancti Petri. Jus itaque illud nun est appendix primatûs Sancto Petro & ejus Successoribus a Christo traditi, nec perpetuum Romanæ Ecclesiæ privilegium, sed a Synodo Sardicensi institutum est.

Respondeo, Nego antecedens. Idem enim est asserere appellationes Episcoporum ad Summum Pontificem esse deferendas, ut honoretur memoria Sancti Petri, ac dicere, ipsum esse Sancti Petri in totius Ecclesiæ regimine successorem, & ratione istius successionis ac primatûs jus appellationum Episcopalium judicandarum ipsi convenire, ut Ecclesiæ universæ capiti. Unde quod Patres Sardicenses Canone 3. exprimunt his verbis: *Si vobis placet, Sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui caussam examinarunt, Julio Romano Episcopo*, &c. Iidem in Epistolâ Synodicâ ad Julium, efferunt his verbis: *Hoc enim optimum, & valde congruentissimum esse videbitur, si ad Caput, id est, ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque Provinciis Domini referant Sacerdotes*. Honorare itaque in Romanis Pontificibus memoriam Sancti Petri, & agnoscere Petri Sedem ut caput omnium Ecclesiarum, idem omnino est. Ex quo sequitur, jus appellationum Episcopalium ex tota Ecclesia suscipiendarum, & judicandarum, quod illa capitis Ecclesiæ dignitas implicitè complectebatur, jure divino, & ex omni retrò antiquitate Romani Pontificis proprium fuisse, quamvis nulla lege scripta jus illud explicetur ante Concilium Sardicense.

PROPOSITIO II.

Synodus Sardicensis non solùm jus concedendi Revisionem, sed potestatem judicandi Appellationes ab Episcopis depositis factas ad Romanam Sedem, Romano Pontifici, asserait & confirmavit.

Probatur. Synodus quæ Romano Pontifici asserit potestatem confirmandi judicia lata in Synodo Provinciæ, non solùm ipsi tribuit jus concedendi revisionem, sed potestatem judicandi appellationes ab Episcopis depositis factas ad Romanam Sedem de sententia Synodi Provincialis: atqui Synodus Sardicensis Romano Pontifici asserit potestatem confirmandi judicia lata in Synodo Provinciæ: igitur non solùm ipsi tribuit jus concedendi revisionem, sed potestatem judicandi appellationes ab Episcopis depositis factas ad Romanam Sedem.

Probatur minor ex verbis tertii Canonis. *Quòd si aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua caussa, & putat se bonam caussam habere, ut iterum Concilium renovetur; si vobis placet, Sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui caussam examinarunt, Julio Romano Episcopo & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem caussam esse ut non refricentur ea quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt*. Ergo Synodus Sardicensis Romano Pontifici asserit potestatem confirmandi judicia lata in Synodis Provinciæ. Ergo de illis judiciis ipse judicare potest, secundum Canones Sardicenses: Ergo & caussas, in quibus lata sunt, per se ipsum cognoscere, discutere, ac finire, secundùm eorumdem Canonum dispositionem. Deinde si potestatem confirmandi judicia lata in Synodis Provincialibus, Romano Pontifici asseruit Synodus Sardicensis, eidem asseruit potestatem illa in irritum mittendi: siquidem utraque hæc potestas indivisibilis est. Non igitur detulit ipsi solùm jus concedendi revisionem.

Confirmatur ex S. Leone ad Episcopos Provinciæ Viennensis scribente, Juris esse sui caussarum Episcopalium revisionem decernere, cùm ad Sedem Apostolicam provocatum erat, aut judicia in Synodis lata confirmare. *Nobiscum itaque Fraternitas vestra recognoscat*, inquit, * *Apostolicam Sedem, pro sui reverentia, a vestra etiam Provincia Sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam & per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem caussarum, aut retractata, aut confirmata fuisse judicia*. Vetus autem illa consuetudo, de qua S. Leo, loquitur, ipsa est quam Synodus Sardicensis confirmavit. Epist. 89

Probatur secundò. Concilium quod asserit Romano Pontifici potestatem dandi judices, nominandique Episcopos ex vicinis Provinciis, qui caussam discutiant, & sententiam priorem confirment, rescindant, aut temperent; necnon mittendi Legatos, qui auctoritate Sedis Apostolicæ cum illis Episcopis judicent; Concilium, inquam, illud Romano Pontifici potestatem asserit, non solùm decernendæ revisionis, verùm etiam judicandi appellationes ab Episcopis depositis factas

ad Romanam Sedem: Sed Concilium Sardicense Romano Pontifici asserit poteitatem dandi judicees, nominandique Episcopos ex vicinis Provinciis, qui caussam discutiant; necnon mittendi Legatos, qoi aoctoritate Sedis Apostolicæ com illis Episcopis judicent: Igitur Synodus Sardicensis Romano Pontifici asserit potestatem nedum revisionis decernendæ, sed judicandi appellationes ab Episcopis depositis factas ad Romanam Sedem.

Probatur minor ex Canone 7. cujus hæc sunt verba: *Placuit autem, ut si Episcopas accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de grada sao eam dejecerint: si appellaverit qui dejectus est, & confagerit ad Episcopam Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri: si justum putaverit at renovetur judicium, vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxtà fidem veritatis definiant. Quòd si is qui rogat caussam suam iteram audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, at de latere suo Presbyterum mittat: erit in potestate Episcopi quid velit, & quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, a quo destinati sunt; erit in suo arbitrio.*

Major verò evidens est. Nam si judicandi auctoritatem Romanus Pontifex committere potest Episcopis vicinarum Provinciarum, hanc ipse per seipsum potest exercere: si Legatos mittere potest qui judicent cum illis Episcopis, auctoritate Sedis a qua destinantur, Sedes illa auctoritatem habet per seipsam retractandi prioris judicii, illudque in irritum mittendi, vel confirmandi. Neque enim servus supra dominum, aut discipulus supra magistrum est; nec rivus est fonte fœcundior, aut radius lucidior sole.

Probatur tertiò. Concilium quod asserit Romano Pontifici auctoritatem, non solùm dandi novos judices, nempe Episcopos ex viciniori Provincia, sed etiam discutiendi eorum sententiam, si ab ea Episcopus provocaverit, & de ea judicandi, non concedit ipsi merum jus decernendi revisionem: Sed Concilium Sardicense Romano Pontifici auctoritatem asserit, non solùm dandi novos judices, Episcopos nimirum ex vicinori Provincia, sed etiam discutiendi sententiam ab eis latam, & de ea judicandi, si Episcopus depositus ab eis provocaverit. Igitur Concilium Sardicense non tribuit Romano Pontifici merum jus decernendi revisionem.

Probatur minor ex Canone IV. qui sic decernit; *Cùm aliquis Episcopus depositus fuerit, eorum Episcoporum judicio qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Roma: alter Episcopus in ejus cathedra, post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi caussa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.*

Ita hunc Canonem intellexere Græci interpretes Zonaras & Balsamon, qui secundam appellationem a Romano Pontifice judicari posse, secundùm istius Canonis sensum agnoscunt, eam nimirum quam ab Episcopis viciniorum Provinciarum, & ab eorum sententia Episcopi depositi interjecerint. *Cùm dixissent Patres*, inquit Balsamon, *Provincialium sententiam appellationi subjici, & a propinquis Episcopis jussu Papæ examinari, non dicunt quid fieri debeat, si is qui appellavit, condemnatus fuerit, & se rursus gravari dicat. Statuunt ergo ut res in integro maneant, & in ejus, qui est condemnatus, Ecclesia, alius non eligatur, nisi secunda appellatio a Papa examinata fuerit.*

Objectio prima petitur ex discrimine quod revisionem inter & appellationem intercedit. Appellatio namque integram caussæ cognitionem transfert ad judicem superiorem, qui Quæstionem excutit & definit io suo tribunali. At revisio definitivum judicium relinquit priori jurisdictioni, ea ratione, ut prioribus judicibus novi etiam adjungantur: ut constat ex quadam Constitutione Græca quam Cujacius restituit in suis Observationum libris. Appellationis ea vis est, ut priore interim sententiâ sopersedendum sit, quod aliter obtinet in revisione: atqui Canones Sardicenses integram caussæ cognitionem ad Romanum Episcopom non transferunt, ut eam in suo tribunali definiat, sed ad judices quos ipse prioribus judicibus adjunxerit. Neque priore sententiâ supersedendum esse decernunt. Licèt enim suspendi executionem prioris judicii velint, quoad novi Episcopi Ordinationem: nontamen vetant quin sententia depositionis executioni mandetur: Ergo Synodus Sardicensis solùm jus decernendi revisionem in caussis Episcoporum confugientium ad Apostolicam Sedem, & apud ipsam de sententia Synodi Provincialis conquerentium, Romano Pontifici attribuit. *Objectionibus D. De Marca respondetur.*

Respondeo, Nego minorem. Canones enim Sardicenses integram caussæ cognitionem ad Romanum Episcopum transferunt, si eam suscipere voluerit ac finire, non verò aliis judicibus discutiendam & judicandam committere. *Si autem probaverit talem caussam esse, ut non refricentur ea quæ acta sunt; quæ decreverit, confirmata erunt:* (inquit Canon 3.) Præterea falsò supponit argumentum, Episcopum Romanum teneri vi Canonum Sardicensium ad committendam caussæ retractationem prioribus judicibus a quibus Episcopi depositi appellarunt, quibus alios e vicinis Provinciis adjungat: quod ad rationem simplicis revisionis necessum esset secundùm ejus descriptionem a Domino de Marca allatam. Canones enim Sardicenses explicantes quid facto sit opus, si Episcopus exauctoratus Romanum Pontificem appellaverit, absolutè dicunt: * *Si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices.* Et Canon VII. Addit: *Scribere his Episcopis dignetur qui in finitima & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, & juxtà fidem veritatis definiant.* At ne per umbra quidem decernit Sardicense Concilium illis Canonibus, ut priores judices caussæ cognitionem in Provinciam a Romano Episcopo transmissam iterum suscipiant, judicioque instaurato adsint: Et certè si priores judices meritò suspecti fuerint Episcopo accusato, ab eoque jure recusati, si ejus conjurati hostes, Canones in priori judicio violaverint; iisdemne secunda caussæ cognitio committi debet? Id sanè tam a mente Patrum Sardicensium, quàm ab æquitate alienum est. Porrò Concilium Sardicense, priore sententia supersedendum esse satis superque decernit, cùm novum Episcopum ordinari prohibet, * post appellationem ejus qui videtur depositus, nisi caussa foerit in judicio Episcopi Romani determinata. Canon 3. Can. 4.

Contra. Concilium Sardicense decernit *Canone 3.* ut *renovetur Concilium, renovetur judicium;* itemque *Canone 7.* ut *renovetur examen.* Ergo Episcopi Provinciales, qui judicium tulerunt, interesse debent secundo judicio. Unde Dionysius Exiguus in lemmate hujus Canonis: *Retractandi* vocabulum usurpat. *De Provinciali Synodo retractanda per Vicarios Episcopi Urbis Romæ si ipse decreverit.* Vox autem illa Revisioni competit.

Respondeo, distinguo antecedens: Et hæc verba Canonum 3. & 7. significant solùm aliud Concilium congregandum esse, caussam rursus discutiendam, & instaurandum judicium, concedo:

&

& significant priorea judices a quibus appellatum est, secuodo judicio adesse debere, in eoque unà cum vicioarum Provinciarum Episcopis, & Romani Episcopi Legatis suffragari, nego. Qua distinctione positâ, nego etiam consequens. Imò hæc verba Caoonis 3. *Det judices*; evidenter contrarium osteodunt. Enimverò si eligi ac designari debebant a Romano Pontifice judices, qui secundam caussæ cognitionem susciperent, Auctores prioris judicii non debebant in hoc secundo suffragium dicere. Non eoim designari judices illi debuissent, quia judicandi munus in eadem caussa jam exercuerant, non mutuatitiâ, sed nativâ, ut ita dicam, & iositâ auctoritate. Deinde Canon decernit simpliciter ut Romanus Episcopus *det Judices*, non, verò ut novos judices prioribus adjungat: quod dixisset, si Episcopi Provinciales, qui judicium tulerant, interesse debuissent secundo judicio. Verbum autem *Retractandi*, quo Dionysius Exiguus utitur, non meræ dumtaxat revisioni; sed etiam ultimæ cognitioni caussæ ad superiorem judicem appellationis beneficio devolutæ convenit: quo sensu illud usurpat Dionysius Exiguus.

Objectio secunda petitur ex insigni loco Hincmari Remensis Archiepiscopi, asserentis io Epistolâ ad Joannem VIII. Pontificem Maximum nomine Caroli Calvi Imperatoris datâ, auctoritatem a Concilio Nicæno tributam Synodis Provincialibus ad judicandos Episcopos, violatam non esse, sed potiùs confirmatam in Synodo Sardicensi; quæ præcipit ut caussa Episcopi depositi terminetur in ejus Provincia, secundùm sententiam nimirum eorum Episcoporum, qui ipsum priùs judicaverant, itemque Episcoporum, qui in finitima Provincia commorantur, coram Legato Summi Pontificis: *Cujus sanctæ Synodi* (Nicæoæ) *Constitutionem*, inquit, *Sardicenses Canones non convellunt, qui cùm Pontificis Romani Vicario, vel arbitrio, causam Episcopi in Provinciali Synodo judicati, etiam Episcoporum arbitrio, vel judicio qai eum judicaverant, cum Episcopis qai in finitima & propinqua Provincia sunt, præcipiant terminari; quatenus sive in manenda, sive in immutanda sententia, juxtà Canones Nicanos, commune sit placitum.* Ergo Synodus Sardicensis, ex Hincmaro, decrevit ut Romanus Pontifex novos judices prioribus adjungeret, qui caussam Episcopi depositi simul retractarent. Istud porrò est merum jus concedendi revisionem: Synodus itaque Sardicensis nihil aliud tribuit Romano Pontifici, quàm jus concedendi revisionem.

Respondeo, Hincmarum non fuisse assecutum sensum Canonum Sardicensium, ut ex probationibus Propositionis perspicuum est.

PROPOSITIO III.

APpellationum usus, cùm in Ecclesia Orientali, tam in Occidentali, frequens fait post Concilium Sardicense. Ejus initia vel ad Concilii Trullani tempora, in Ecclesia Græca, vel ad 8. sæculum, in Latina, perperam a Viris quibusdam Eruditis detradantur.

Probatur prioa pars, quæ spectat Ecclesiam Orientalem, compluribus factis, & Appellationum exemplis. Primò, exemplo Eustathii Sebasteni Episcopi, qui cùm in Concilio Melitinensi Arianorum fuisset depositus, Romanum Pontificem * appellavit, ejusque sententiâ Sedi suæ restitutus est, teste Sancto Basilio, *Epistolâ* 74. & porrectâ ejuidem Pontificis Epistolâ, susceptus a Patribus Concilii Tyanensis, quamvis antea Hæreseos Arianæ suspectus fuisset. *Quæ verò*, inquit Sanctus Basilius, *sint illi a Beatissimo Episcopo Liberio proposita, & ad quæ consenserit, nobis clam est: nisi quòd Epistolam attulit, per quam restitueretur. Hanc ubi Synodo Tyanensi exhibuit, in suum locum restitutus est.*

Appellatio Eustathii Sebasteni.

* *Liberium.*

Nec verò illod tantùm suæ adversùs Apostolicam Sedem venerationis argumentum dederunt omnes Episcopi Diœceseos Ponticæ in Synodo Tyanensi congregati: verùm cùm postea pristinos in errores esset relapsus Eustathius, hominem Apostolicę protectionis munitum præsidio ita sunt reveriti, ot ipsum damnare ac exauctorare priùs noluerint, quàm Romanum Pontificem de ejua relapsu monuissent, eumque rogassent ut illum Canonum oltioni permitteret, ut constat ea laudatâ Sancti Basilii Epistolâ: *Quoniam igitur isthinc vires accepit lædendi Ecclesias, ac publicanda sua impietatis fiduciâ, quàm vos dedistis, ad subversionem multorum usus est; necesse est, ut isthinc quoque veniat malorum istorum correctio, scribaturque Ecclesiis, quibus quidem conditionibus ad communionem susceptus sit: simul verò adjiciatur, quomodo jam, immutatâ sententiâ, gratiam a Patribus, qui tum erant, acceptam, irritam reddat.*

Respondent Viri quidam Eruditi, confugium Eustathii ad Sedem Romanam, Appellationem propriè non fuisse. Certum enim est, inqoiunt, Eustathii depositionem irritam & nullam fuisse, eo quòd ab Hæreticis facta esset: certum est rursus ita seosisse Catholicos Orientis Episcopos in Synodo Lampsacena congregatos, anno 365. qui spreto judicio illu Eustathium in suam communionem receperunt; & Synodo interesse consenserunt, atque Legatum insuper in Occidentem misere. Quia tamen suspicio adversùs eum orta erat in caussa Fidei, magni ponderis ad confirmandam executionem rerum decretarum fuit Epistola illa Liberii, & jussio ejus pro restituendo Eustathio data post judicium Synodorum Orientis & Occidentis. Ob hoc igitur Synodus Tyanensia, eum, insuperhabitis suspicionibus de Fide, recepit, in vim decreti Pontificii, tametsi ignoraret quibus eum conditionibus Liberius recepisset in suam communionem.

Contra. Sola Liberii Romani Pontificis Epistola caussa foit restitutionis Eustathii: quę ergo gessit hac in causa Pontifex, spectari non debent ut confirmatio restitutionis ipsius factæ in Concilio Lampsaceno, sed ut restitutio in integrum, post judicium Appellationis ad Sedem Apostolicam per ipsum interjectæ a sententia Concilii Melitinensis.

Probatur antecedens, primò ex Epistolâ Sancti Basilii, quæ ipsum in pristinum statum atque dignitatem non fuisse restitutum testatur, nisi ubi Romani Pontificis Epistolam Synodo Tyanensi exhibuit: Antea igitur ab omnibus Catholicis ut excommunicatus & depositus habebatur, Lampsacenæ Synodi nulla habita ratione.

Secundò, Eustathii restitutio in Lampsacena Synodo facta nulla erat, spectatis caussæ meritis, siquidem ipse Eustathius Hæreticus erat. Contra verò ejus damnatio in Concilio Melitinensi, nulla quidem erat secundùm ordinem & formulas juris, sed legitima erat spectatis meritis caussæ, siquidem Eustathius Hæreticus erat, & aliorum criminum reus. Sic porrò hominem describit S. Basilius in Epistolâ superiùs laudatâ: *Est itaque unus ex illis qui plurimùm excitant turbarum, Eustathius ex Sebastia minoris Armenia. Hic olim institutus ab Ario, cùm is Alexandria floreat, impias adversùs Unigenitum Dei blasphemias strueret, sectator illius, & inter selectissimos discipulos connumeratus fuit. Postquam verò ad suos reversus, a Beatissimo Hermogene Cæsareæ Episcopo propter impiam opinionem condemnaretur, confessionem illi obtulit sanæ Fidei, atque ita manus impositionem ab*

ipso

ipso obtinuit. Ubi verò dormitionem accepit Hermogenes, mox ad Eusebium Constantinopolitanum sese contulit: qui & ipse nihilominus impium Aetii dogma tuetur. Inde post quibusdam de caussis pulsus, ad patriam sese recepit: illique denuò erroris purgationem obtulit: sed ita ut celatâ & obtectâ mentis impietate, quamdam exhiberet verborum rectitudinem: mox verò ubi fortuitò adeptus esset Episcopatum, anathematismum contra ὁμούσιον in Synodo Ancyræ habita scripsisse deprehenditur. Ex illa ad Seleuciam profectus cum illis, quos ejusdem habet opinionis, ea gessit quæ omnes norunt. Constantinopoli verò iterum ad ea quæ ab Hæreticis proposita sunt, consensit. Atque ita Episcopatu ejectus, propterea quòd Melitinæ depositus esset, viam sibi ipsi, per quam restitueretur, excogitavit, eam videlicet ut ad vos proficisceretur. Non itaque immeritus in Concilio Melitinensi depositus fuit Eustathius, & ob Arianæ Hæreseos professionem ipso facto depositus erat. Nulla verò fuit ejus restitutio facta in Concilio Lampsaceno. Non est igitur in communionem ac sedem restitutus, nisi vi Decreti Pontificii a Liberio dati.

Appellatio S. Joannis Chrysostomi.

Probatur 2. exemplo Sancti Joannis Chrysostomi, qui in Synodo ad Quercum a Theophilo Alexandrino iniquè damnatus, Innocentium I. Romanum Pontificem appellavit. Constat namque ex Epistolâ Imperatoris Honorii ad Arcadium Orientis Imperatorem, cùm Sanctum Chrysostomum, tum Theophilum ipsum, Legatos ad Innocentium misisse, qui ejus super judicio in Chrysostomum lato sententiam referrent. *Missi*, inquit, *ad Sacerdotes Urbis æternæ, atque Italiæ, utraque ex parte Legati. Expectabatur ex omnium auctoritate sententia informatura regulam disciplinæ. Integrum nempe esse debuerat, nec quidquam novari, dum definitio deliberata procederet; cùm interea nimium quoddam præcipitium festinationis exarsit, ut non expectatis literis Sacerdotum, qui fuerant mutuâ partium Legatione consulti, non examinatis rebus, in exilium truderentur Antistites, animadversioni priùs addicti, quàm sententiam Judicii Episcopalis expectarent. Denique quàm immatura illa damnatio fuerit, eos probavit. Namque hi quorum expectabatur auctoritas*, (nempe Romanus Pontifex, & ejus Assessores) *pacificâ Joanni Episcopo communione permissa, faciendam concordiam censuerunt, nec quemquam putarunt ante judicium consortio expellendum.*

Porrò sententiam depositionis a Theophilo Alexandrino, ejusque partiariis latam rescidit, & in irritum misit Innocentius I. ut constat tum Palladii Helenopolitani Episcopi, tum Innocentii ipsius testimonio. Et Palladius quidem in Dialogo de Vita Sancti Joannis Chrysostomi, ita scribit: *Ad hæc rescripsit Beatus Innocentius Papa, communioneque utriusque partis admissâ, Theophili judicium cassum, atque irritum esse decrevit, dicens, Oportere confiari aliam irreprehensibilem Synodum Occidentalium & Orientalium Sacerdotum, cedentibus Concilio amicis primùm, deinde inimicis; neutrarum quippe partium ut plurimùm certam esse judicium.* Innocentius verò primus, *Epistolâ 31. ad Theophilum* data, quam idem Palladius refert: *Frater Theophile*, inquit, *nos & te, & fratrem nostrum Joannem, communionis nostræ esse decrevimus, sicuti & in prioribus literis apertè satis expressimus, & nunc in sententia nostrâ, & voluntate perdurantes, rursus eadem scribimus. Et quoticscumque scripseris, nisi debitum sequatur, conveniensque judicium, propterea quæ magno cum dedecore gesta sunt, possibile non est nos a Joannis communione discedere.*

Nec obstat primò, quòd Innocentius I. *Epistolâ 29. ad Clerum & populum Constantinopolitanum* datâ scribat: *Cæterum quid contra istos in præsentia agendum? Synodali cognitione peropus est, quam dudum etiam cogendam esse censuimus. Sola enim illa talium procellarum motus sopire potest.*

Hæc, inquam, non obstant. Nam hæc verba non indicant Sanctum Chrysostomum ad Concilium appellasse, sed Innocentium optasse ut Concilium congregaretur, ut hoc remedio pax Ecclesiæ redderetur Orientali, quæ in schismatis versabatur periculo: cùm interim Innocentius ipse fiduciario decreto Chrysostomum in communionem & dignitatem restituisset.

Nec obstant secundò hæc ipsius Chrysostomi verba in Epistolâ ad Innocentium I. scribentis: *Sed licèt absentes essemus, & ad Synodum appellaremus*, &c. Non enim hæc significant Sanctum Joannem Chrysostomum verè & propriè ad Synodum appellasse, sed legitimum dumtaxat postulasse Concilium, in quo accusationes adversùs ipsum factæ judicari secundùm ordinem juris, præscriptaque Canonum possent. Cùm enim appellatio latam supponat sententiam, eo tempore ad Concilium verè appellare non poterat Sanctus Chrysostomus, quo nulla adhuc adversùs ipsum instructa lis fuerat, nullum judicium celebratum, nulla sententia lata. Porrò verba mox laudata ad illud tempus referuntur, quò nondum ipsum communione & sede privaverat Theophilus, sed quo imaginem quamdam Concilii adversùs ipsum dumtaxat congregabat. Ait itaque Sanctus Chrysostomus, tunc se Theophilum, & Episcopos Theophili invidiæ servientes recusasse, quòd hostes ejus essent infensissimi; & aliunde Alexandrinus Episcopus nullam in Episcopos Diœceseos Thraciæ, e quibus erat Constantinopolitanus, exercere jurisdictionem posset, secundùm Canones Concilii Secundi Oecumenici: Tunc se tamen paratum ad caussam dicendam, suæque ad probationem innocentiæ, coram legitima Synodo, profitetur. *Cùm autem contestaremur*, inquit, *paratos nos ad diluenda crimina, & ad innocentiam, sicut & innocentes sumus, declarandam coram centum vel mille Episcopis, non assensit*, (Theophilus) *sed licèt absentes essemus, & ad Synodum appellaremus, & judicium inquireremus, & non auditorium, sed manifestas inimicitias fugeremus; ipse tamen accusatores suscepit, meos excommunicavit, & de illis qui nondum se de suis purgaverant criminibus, libellos collegit; quæ omnia Legibus & Canonibus prohibita sunt. Et quid opus est multum dicere? Non destitit omnia facere, & tractare, donec nos vi & potentiâ, e civitate, & Ecclesia ejiceret.* Verba itaque supra laudata, primam litis contestationem spectant, non verò significant appellationem propriè dictam, quæ, indiscussâ lite, interjici non potest.

Nec verò de judicio dumtaxat Theophili ad Romanum Pontificem appellavit Sanctus Chrysostomus; sed etiam de judicio, quod alii Episcopi, incentore Theophilo, in illum tulerant, cùm revocatus esset Constantinopolim, ob tumultum populi ejus exilium & exauctorationem impatienter ferentis. Cùm enim Acacius Beroënsis, Antiochus Ptolemaidis, Severianus Gabalitanus, & Cyrinus Calchedonensis, omnes Chrysostomi hostes conjurati, cum aliis vicinarum civitatum Episcopis Constantinopolim congregati, duodecimum Canonem Antiochenæ Synodi in Chrysostomi perniciem intorsissent, eumque damnassent iterum, quòd a Synodo Episcoporum depositus, in Sedem regredi suam absque majoris Concilii auctoritate ausus esset: Innocentii I. Pontificis Maximi tribunal iterum ille appellavit. Numquid enimverò interjectam ab illo appellationem evidenter non significant illa ipsius verba, in Epistolâ ad Innocen-

tium

tium, prout a Palladio refertur? *Scribite, precor & auctoritate vestrâ decernite, hujusmodi iniquè gesta, nobis absentibus, & judicium non declinantibus, nullius esse roboris. Porrò qui talia gessere, ex Ecclesiæ censura subjicite. Nos autem insontes, neque convictos, neque deprehensos, neque ullius criminis reos comprobatos, Ecclesiis nostris jubete restitui, ut charitate frui, & pace cum fratribus nostris consuetâ possimus.*

Porrò sententiam in illo secundo judicio adversùs Sanctum Chrysostomum latam æquè rescidit Innocentius, ac priorem. Id constat primò ex Dialogo Palladii, ubi Theodorus Romanæ Diaconus Ecclesiæ refert verba Commonitorii ab Innocentio I. dati Legatis, quos a suo latere misit Constantinopolim, ut adessent Concilio, quod ad istius causæ pleniorem disceptationem, & ultimam definitionem fieri peroptabat, In hoc enim Commonitorio isthæc inter alia leguntur: *Non oportere Joannem judicium aggredi, nisi illi prius Ecclesia, communioque redderetur, ut omnis dilationis occasione sublatâ, suâ sponte Concilium ingredi posset.*

Idem colligitur ex Theodoreto, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 34. *Episcopi Occidentis*, inquit, *non priùs cum Episcopis Ægypti, & Orientis, & Bosphori, atque Thraciæ communicare voluerunt, quàm nomen illius Sanctissimi Viri* (Sancti Joannis Chrysostomi) *in tabulas, in quibus nomina Episcoporum mortuorum continebantur, retulissent; atque Arsacium ejus successorem ne salutare quidem dignati sunt*, At decernere non potuit Romanus Pontifex, ut nomen Sancti Joannis Chrysostomi decreto Concilii Orientalis ex tabulis Ecclesiæ expunctum, eisdem restitueretur, nisi rescissâ sententiâ quam in illum tulerant Episcopi illi Orientales. Igitur sententia illa rescissa fuit a Romano Pontifice.

Hinc Innocentius I. Alexandrum Antiochenum Patriarcham, & Acacium Beroensem Episcopum, Apostolicæ communionis gratiâ priùs non donavit, quàm memoriæ Sancti Joannis Chrysostomi fecissent satis, ejusque nomen in sacra Dypticha retulissent. His namque verbis ad Alexandrum scribit, Epistolâ 17. *Multùm in gestis* [*ut subscripta testantur*] *sollicitus inquisivi, utrùm omnibus esset conditionibus satisfactum, in causa beati & verè Deo digni Sacerdotis Joannis. Et cùm per singula assertio Legatorum ex voto completa esse fateretur, gratias agens Domino, communionem Ecclesiæ vestræ recepi.*

Et Epistolâ 19. ita scribit ad Acacium Beroënsem Episcopum: *Unde has ad præstantissimum fratrem, & Coëpiscopum nostrum Alexandrum reddendas, tuæ transmisimus Unanimitati; videlicet ut si omnes inimicitia, omnis æmulatio, tum de nomine S. Joannis memorandi Episcopi, quàm de omnibus ejusdem communionis participibus, a tua animositate discessit, has nostra societatis receptas literas, frater charissime: modò ut omnia quæ his actis firmata sunt, apud mediatorem nostrum amabilem Alexandrum ore proprio, ut communicantem conveait, fatearis.* Non aliâ etiam conditione Atticum in communionem suscepit.

Hinc Gelasius Romanus Pontifex ad Episcopos Dardaniæ scribens, *Epistolâ* 13. Sanctum Chrysostomum solius Sedis Apostolicæ judicio absolutum testatur, absque ulla Synodo. *Sed nec illa præterimus*, inquit, *quòd Apostolica Sedes frequenter more majorum, etiam sine ulla Synodo præcedente, & absolvendi quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. Sanctæ memoriæ nihilominus Joannem Constantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præsulum certè damnarat, quem simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit. Itemque sanctæ memoriæ Flavianum, Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam Sedes Apostolica non consensit, absolvit.* Hinc Facundus Hermianensis, lib. 6. pag. 261. edit. Sirmondi, ait Joannis Chrysostomi damnationem ab Innocentio I. fuisse rescissam. *Theophili*, inquit, *sui Decessoris B. Cyrillus, sententiam sequens, ipse etiam postea, contra judicium quoque Sedis Apostolicæ, quæ per beatissimum Papam Innocentium, prædicti S. Joannis in exilio constituti damnationem solverat, nomen ejus post mortem inter Dei Sacerdotes in sacrificio recitari prohibuit.*

Hæc porrò probatio ex appellatione Sancti Joannis Chrysostomi deprompta, eò majoris est roboris, quòd ejus caussa non esset Fidei, sed meræ Disciplinæ. Quapropter evanescit in auras distinctio, quam Viri quidam Eruditi excogitarunt inter caussas Fidei & Ecclesiasticæ Disciplinæ, dum priores ad Sedem Apostolicam semper deferri potuisse confessi sunt per appellationem Episcoporum dejectorum; non autem posteriores: neque hunc invaluisse usum in Ecclesia pluribus sæculis post Concilium Sardicense.

Appellatio Eutychetis.

Probatur tertiò, exemplo Eutychetis, quem appellasse ad Apostolicam Sedem a sententia quam in Constantinopolitana Synodo tulerat in ipsum Flavianus, constat ex Epistolâ 8. S. Leonis ad eumdem Flavianum datâ. *Accepimus enim*, inquit, *libellum Eutychetis Presbyteri, qui se queritur, accusante Eusebio Episcopo, immeritò communione privatum: maximè cùm evocatum se adfuisse testetur, nec sui præsentiam denegasse; adeò ut in ipso judicio libellum Appellationis suæ se asserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptum, qua ratione compulsus sit, ut contestatorios libellos in Constantinopolitana urbe proponeret.* Appellationem verò illam Eutychetis factam fuisse ad Apostolicam Sedem, colligitur ex Epistolâ Flaviani ad B. Leonem. *Literæ nobis data sunt*, inquit, *vestræ Sanctitatis, per quas sumus edocti, quia idem Eutyches Libellos direxit vobis plenos omni fallacia atque calliditate, dicens: Judicii tempore libellos se dedisse appellationis, & nobis, & hic convenienti sancto Concilio, & appellasse vestram Sanctitatem, quod nequaquam ab eodem factum est.*

Nec obstat quòd Sanctus Flavianus neget Eutychetem appellasse, dicens, *quod nequaquam ab eodem factum est*. Non enim diffitetur absolutè Flavianus Eutychetem appellasse, sed solùm inficiatur ipsum Appellationem significasse suam, *judicii tempore*. Ignota itaque erat Sancto Flaviano Appellatio Eutychetis ad Apostolicam Sedem, cùm damnationis in ipsum sententiam protulit in Synodo Constantinopolitana; sed eam postea cognitam habuit. Unde & rogavit S. Leonem, ad cujus tribunal causa Eutychetis delata fuerat, ut quæ in ipsum Constantinopoli decreta fuerant, confirmaret. *Commotus itaque, Sanctissime Pater*, inquit, *in his omnibus quæ ab eo præsumpta sunt, & ob ea quæ in nos & sanctissimam Ecclesiam facta sunt, atque fiunt; pro consueta fiducia fiducialiter age, propriamque faciens communem caussam, & sanctarum Ecclesiarum Disciplinam, simul decernere damnationem adversùs eum regulariter factam, & per propria scripta dignare.*

Præterea, constat ex laudatâ S. Leonis Epistolâ, Eutychetem a Sancto Flaviano damnatum, ad S. Leonem transmisisse accusationum in se ab Eusebio Dorilæi factarum summa capita, simul & media suæ defensionis. *Quamvis enim*, inquit

S. Leo

S. Leo, *Epistolâ 7. ad Theodosium Imp.* datâ, *prædictus Presbyter ad Sedem Apostolicam per libellum doloris sui querimoniam miserit: breviter tamen aliqua prælibavit, asserens se Nicænæ Synodi constituta servantem frustra de Fidei diversitate culpatum. Eusebii autem Episcopi accusatoris ejus libellus, cujus exemplaria ad nos prædictus Presbyter misit, de objectionis evidentia nihil habebat.* Eutyches itaque agnoscebat S. Leonem caussæ suæ judicem & arbitrum, Synodo Orientis superiorem: ad quem idcirco provocaverat.

Denique Patres Concilii Calchedonensis in Epistolâ Synodicâ ad S. Leonem, testantur ipsum de Eutychetis appellatione judicium tulisse, & depositionis sententiam in illum a Sancto Flaviano latam confirmasse. De Dioscori namque nefario ausu sic loquuntur: *Eutychem pro impietate damnatum, sua tyrannidis decretis innoxium statuit, & dignitatem, quæ a vestra illi ablata fuerat Sanctitate (quippe ut ab eo qui hac gratia erat indignus) ille restituit.*

Objiciunt Viri Eruditi, Constantini Monachi verba in 2. Concilio Constantinopolitano, quod Theodosii jussu in caussa Eutychetis actum est, quo in Concilio hic Monachus illius Hæresiarchæ procuratorem agebat. Is enim testatur Eutychetem non magis ad Romanum Episcopum, quàm ad Alexandrinum Patriarcham, imò quàm ad Hierosolymitanum, & Thessalonicensem Episcopos appellasse: *Eutyches*, inquit, *dum legeretur damnatio, appellavit sanctum Concilium Episcopi Romani, & Alexandrini, & Hierosolymitani, & Thessalonicensis.*

Act. 1. Concil. Calchedon.

Verùm quæ fides Constantino Monacho Eutychiano? Certè eum mendacii arguunt Episcopi omnes qui laudato Concilio Constantinopolitano aderant. Siquidem uno ore inficiantur, Eutychetem toto temporis intervallo, quo illius causæ instaurata cognitio est, aliquid hujusmodi protulisse. *Magnificentissimus Patritius dixit: Si cognoverunt appellantem virum religiosum Monachum, cæteri sanctissimi Episcopi, dicant. Julianus reverendissimus Episcopus dixit: Coram Deo dico, Nihil tale ab Eutyche Monacho audivi in consessu. Seleuciæ reverendissimus Episcopus dixit; Dum esset Concilium & interrogatio proveniret, nihil tale cognovimus dictum ab Archimandrita Eutyche de appellatione. A reverendissimis Episcopis dictum est: Et nos eadem confitemur.*

Præterea, vel ipso Florentii Patritii testimonio, quem ab Imperatore judicem postulaverat Eutyches, mendax probatur Constantinus Monachus. Nam iste appellationem ab Eutychete interjectam asserit, *dum legeretur damnatio*. At Florentius *nonnisi absoluto Concilio* interjectam ait: *Turbâ factâ*, inquit, *& dissoluto conventu*. Monachus Constantinus palam appellasse Eutychetem contendit, siquidem conqueritur quòd illius appellatio Actis Concilii non fuerit inserta: Florentius verò inseri non potuisse innuit, siquidem sibi uni in aurem significatam fuisse testatur. *Dixit ad me silenter*, inquit, *appellans Romanum, & Ægyptium, & Hierosolymitanum Concilium*. Monachus ait, Eutychem appellasse Thessalonicensem Episcopum: at nihil de Thessalonicensi Episcopo Florentius. Ad hæc, quo exemplo ad Thessalonicensem Episcopum, Romani Pontificis Vicarium appellasset Eutyches, qui ad Pontificem ipsum Romanum provocabat?

Denique etiamsi Florentius Patritius dicat, Eutychetem appellasse Romanum, & Ægyptium, & Hierosolymitanum Concilium, meritò tamen ipsum ad solam Sedem Romanam appellasse contendimus, quia Libellum appellationis suæ, & querimoniarum, ipsum detulisse ad Synodum Ægyptiacam, aut Hierosolymitanam, aut Thessalonicensem, & apud ipsas appellationem suam persecutum esse, nulla Antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta testantur, sed apud Romanum dumtaxat Pontificem S. Leonem.

IV. Probatur exemplo Sancti Flaviani Patriarchæ Constantinopolitani, qui appellavit ad S. Leonem de sententia in se lata ab Episcopis Latrocinii Ephesini. Hujus appellationis testis est locupletissimus S. Leo, *Epistolâ 25. ad Theodosium Imperatorem* datâ, in quâ de suis Legatis ita loquitur: *Quia & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flavianus Episcopus dedit.* Nonne enimverò hæc verba significant Flavianum ad Sedem Apostolicam appellasse? Omnis certè appellatio ad judicem aliquem dirigi debet. Cùm itaque Flavianus appellationis suæ instrumentum dedit Legatis Apostolicis, aliquam in iis agnovit jurisdictionem, qua hanc appellationem suscipere possent. Nullâ juritdictione ornati erant, nisi quatenus Legationem gerebant Pontificiam. Itaque Flavianus appellationem suam direxit ad S. Leonem per ejus Legatos.

Appellatio Flaviani. Contra Joannem Launium Epist. p. 2. Epist. 3. negantem Flavianum usquam ad S. Leonem appellasse.

Præterea, S. Leo convocationem Concilii Generalis urget apud Theodosium, post Appellationem a Flaviano interjectam. *Quàm autem*, inquit, *post appellationem interpositam hoc necessariò postuletur, Canonum Nicææ habitorum decreta testantur.* Proculdubio Canones Sardicenses intelligit S. Leo, quos Nicænorum nomine laudat, secundùm Sedis suæ morem: nam in Canonibus Nicænis nulla mentio appellationum. At Concilium Sardicense decernit de appellationibus Episcoporum dejectorum ad Romanum Pontificem. Itaque vel S. Leo Concilii istius auctoritate abusus est, quod cogitare nefas, vel Flavianus ad illum appellavit.

Idem suadent verba Valentiniani Imperatoris ad Theodosium pariter Imperatorem scribentis: *Quam* (Fidem) *nos a majoribus traditam, debemus cum omni competenti devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis Beato Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare: quatenus beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de Fide & Sacerdotibus judicare. Hujus enim rei gratia, & Constantinopolitanus Episcopus Flavianus eum per libellos appellavit, propter contentionem quæ orta est de Fide.*

P. Concil. Calchedon. n. 25.

Nec obstat quòd Imperatrix Placidia ad Theodosium Imperatorem scribens, dicat Flavianum appellationem suam ad S. Leonem, & ad omnes Episcopos Occidentis misisse: *In Synodo*, inquit, *Ephesinæ civitatis, odium & contentiones potiùs exercuisse narratur* (Dioscorus) *militum præsentia & metu impetens Constantinopolitanæ civitatis Episcopum Flavianum, eò quòd libellum ad Apostolicam Sedem miserit, & ad omnes Episcopos harum partium.* Id, inquam, non obest. Nam ad Concilium Occidentis provocare non potuit Flavianus, quin ad Summum Pontificem illius Concilii caput provocaret.

P. 1. Concil. Calchedon. num. 26.

Præterea, Appellationem suam ad S. Leonem dumtaxat detulit, velut ad supremum judicem (salva Concilii Oecumenici auctoritate:) ad Episcopos verò Occidentis, velut ad Summi Pontificis assessores, vel suos apud ipsum mediatores, jurisque sui promotores. Nam Flavianum non existimasse Concilium necessarium esse ut similes controversiæ dirimerentur, constat ex ejus Epistolâ ad S. Leonem. *Caussa enim*, inquit, *eget solummodo vestro solatio atque defensione, quæ debeatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere; sic enim Hæresis & turbæ, quæ propter eam factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante per vestras sanctissimas literas, removebitur*

autem & Conciliorum quod fieri divulgatur.

Respondent Viri Eruditi, S. Flavianum appellasse ad Romanum Pontificem, quia de caussa Fidei agebatur ejusque depositio Quæstioni Fidei connexa erat. Nam Dioscorus, qui Flavianum deposuit impedierat ne S. Leonis Epistola legeretur, ac per consequentiam ne ejus sententia adversùs Hæresim Eutychetis publicaretur. Hinc S. Leo cum Synodo Romana ad Theodosium Imperatorem scribens * *Talem* a Dioscoro ait *prolatam esse sententiam, ut dum homo unus*, idest Flavianus, *impetitur, in omnem Ecclesiam sæviretur*. Ob hoc ipsum Valentinianus Imperator in Epistolâ superius laudatâ, ait depositionem Flaviani processisse *ex Quæstione Fidei*, intelligens videlicet Orientales, si ratio hæc abesset, non concessuros appellationi Flaviani, neque causæ ejus revisioni consensuros.

* In Epist. qua habetur P. 1. Concil. Calchedon. num. 29.

Verùm futilis ea responsio videtur, & falsa. Non enim ob eam tantùm rationem S. Leo suscepit appellationem Flaviani suum ad tribunal delatam, quod ejus caussa Quæstioni de Fide connexa esset, sed etiam quòd causa esset Episcopi depositi, qui secundùm Ecclesiasticam Disciplinam, & Canones Sardicenses Romanam Sedem appellare poterat. Id suâ in Epistolâ ad Theodosium indicat Valentinianus, cùm utramque illam rationem apertè distinguens, ait: *Quatenus beatissimus Romanæ civitatis Episcopus locum habeat & facultatem de Fide, & Sacerdotibus judicare*. Non igitur solæ Fidei Quæstiones, sed caussæ omnes Episcoporum dejectorum, & Sedem Apostolicam appellantium, ad Romanum Pontificem, eâ ætate, velut ad judicem legitimum deferebantur.

Præterea, licet causa Flaviani fuerit causa Fidei, vel Quæstioni de Fide connexa, ejus Appellatio ad S. Leonem nihilominus probat tunc viguisse Canones Sardicenses. Illi enimverò Canones inter caussas Fidei & Disciplinæ non distinxerunt, ut constat ex illis verbis Canonis III. quæ utriusque generis caussas complectuntur: *Si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua caussa, & putat se bonam caussam habere, &c.*

Tertiò. Si Orientales concesserunt appellationi Flaviani, quia ejus depositio ex Quæstione Fidei processerat, illiusque judicandæ auctoritatem in Romano Pontifice agnoverunt; æquè eidem concessissent, si ejus caussa meræ Disciplinæ fuisset. Siquidem Romanus Pontifex, vi Primatus quem agnoverunt, & venerati sunt, non minùs tutor est, vindex, & executor Canonum per universam Ecclesiam, quàm judex controversiarum Fidei: nec minùs est Ecclesiasticæ promotor & judex Disciplinæ, quàm assertor & conservator Fidei. Unde non solùm in caussis Fidei, verùm etiam in caussis Disciplinæ, consuluere semper Sedem Apostolicam totius orbis Christiani Episcopi, & relationes ad eam miserunt.

Respondent secundò idem Viri Eruditi, necessarium prorsus fuisse ut Quæstio illa Fidei, ex qua depositio Flaviani processerat, ac proinde Flaviani caussa ipsi connexa, a Summo Pontifice judicaretur & finiretur in Concilio Oecumenico, adhibitis suffragiis Episcoporum ex universo orbe. Ait enim Valentinianus Imperator: *Huic itaque postulanti* (id est Romano Episcopo Leoni) *& conjuranti salutem nostram communem annuere non negavi; quatenus ad tuam Mansuetudinem petitionem meam ingererem, ut prædictus Sacerdos, congregatis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdotibus intra Italiam, omni præjudicio submoto, a principio omnem causam qua vertitur, sollicita probatione cognoscens, sententiam ferat, quam Fides & ratio vera Divinitatis expostulat*.

Idem colligitur ex Epistolâ S. Leonis & Romanæ Synodi ad Theodosium: *Cui Sacramento*, inquiunt, id est, veræ divinitatis & veræ humanitatis in Christo, *quia impiè nunc a paucis imprudentibus obviatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes Mansuetudini vestræ cum gemitibus & lacbrymis supplicant Sacerdotes, ut quia & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flavianus Episcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, qua omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in Fide dubium, vel in Charitate divisum; convenientibus utique Orientalium Provinciarum Episcopis*.

Verùm mirum est quod ex his locis absolutam Synodi necessitatem hac in caussa Viri Eruditi colligant, cùm S. Leo, Epistolâ 26. ad Flavianum datâ, disertis verbis hanc propositionem refellat: *Clementissimus Imperator*, inquit, *pro Ecclesiæ pace sollicitus, Synodum voluit congregari, quamvis evidenter appareat, rem, de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatu*. Et Epistolâ 27. *Ad Theodosium Augustum* datâ, ait, tam evidentem Fidei caussam esse, *Ut rationabilibus caussis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum*. Falsò igitur asserunt Viri Eruditi, S. Leonem Romanum Pontificem non potuisse judicare caussam Fidei, nisi in Concilio Oecumenico.

Probatur 5. exemplo Theodoreti Episcopi Cyri, qui cùm in Latrocinio Ephesino a Dioscoro depositus esset, S. Leonem appellavit. Hujus facti Theodoretus ipse testis est in Epistolâ ad Sanctissimum illum Pontificem datâ. *Oro*, inquit, *atque obtestor Sanctitatem tuam, ut rectum ac justum tribunal vestrum invocanti opem ferat, jubeatque ad vos venire, & doctrinam meam Apostolicis vestigiis inhærentem ostendere..... Ante omnia, ut a vobis docear, oro, an me oporteat in hac injusta depositione acquiescere, an non; vestram enim sententiam expecto: quòd si in judicatis manere me jusseritis, manebo, neque alli hominum deinceps molestus ero, sed rectum Dei Salvatorisque nostri judicium expectabo*.

Appellatio Theodoreti.

Nec obstat quòd Theodoretus scribat ad Renatum Romanæ Ecclesiæ Diaconum: *Oro Sanctitatem tuam, Sanctissimo ac Beatissimo persuadeat, ut Apostolica Auctoritate utatur, & ad Concilium vestrum advolare præcipiat*. Hæc, inquam, non obsunt, nec probant Theodoretum ad Concilium provocasse, non verò ad Romanum Pontificem. Quia enim Romanus Pontifex gravioris momenti causas nonnisi convocato ex Romana saltem Diœcesi Concilio judicare solebat, consequens erat ut quiad Romanum Episcopum appellasset, ejus Concilio se sisteret.

Respondent Viri Eruditi, Provisorio dumtaxat, non definitivo decreto, restitutum fuisse a Leone Papa Theodoretum. Etenim Quæstio præcipua, ex qua profecta erat ejus depositio, in Concilio Calchedonensi retractata est, & in fidem ejus inquisitum. Et post emissam ab eo Fidei professionem, & anathema dictum Nestorio, sedi suæ definitivo decreto restitutus fuit a Patribus illius Synodi: unde Paschasinus S. Leonis Legatum dixit: *Hoc judicio Sanctissima & reverendissima Synodus, insuper verò & nostra Humilitas, reddi ei Ecclesiam propriam definivit*. Unde & gloriosissimi Judices dixerunt: *Secundùm Decretum sancti Concilii, Theodoretus sanctissimus Episcopus Ecclesiam civitatis Cyri recipiat*. Id etiam patet ex Epistolâ 63. S. Leonis ad Theodoretum datâ, in quâ de illius restitutione agens, hæc scribit: *Gloriamur in Domino, qui nullum nos in fratribus detrimentum habere permisit; sed quæ nostro priùs ministerio definierat, universæ Fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut verè a se prodiisse ostenderet, quod priùs a prima omnium Sede formatum, to-*

tius Christiani orbis judicium recepisset.

Contra. Definitivo decreto Sedi suæ restitutus est Theodoretus a S. Leone, si Calchedonensis Synodus ipsum receperit, quia restitutus erat a S. Leone: atqui Synodus Calchedonensis ideò recepit Theodoretum, quia restitutus erat Sedi suę a S. Leone: ergo restitutus est ab ipso, decreto definitivo.

Probatur minor ex Actione I. ubi religiosissimi Judices, & amplissimus Senatus dixerunt: *Ingrediatur & reverendissimus Episcopus Theodoretus, quia & restituit ei Episcopatum Sanctissimus Archiepiscopus Leo, & sacratissimus & Pissimus Imperator sanxit eum adesse sancta Synodo.* Et Actione 8. iidem Judices aiunt: *Omnis jam dubitatio de Theodoreto reverendissimo Episcopo est soluta; quippe & Nestorium coram nobis anathematizavit, & a sanctissimo & Dei amantissimo Archiepiscopo Senioris Urbis Romæ Leone susceptus est, & Definitionem Fidei a vestra Religiositate prolatam libenter suscepit; & insuper Epistolæ memorati sanctissimi Archiepiscopi Leonis subscripsit. Deest igitur ut sententia proferatur a Reverentia vestra, ut Ecclesiam suam recipiat, sicut & sanctissimus Leo Archiepiscopus judicavit. Omnes reverendissimi Episcopi clamaverunt: Theodoretus dignus est Sede: Ecclesia Orthodoxum. Ecclesia Pastorem recipiat.* Equidem non diffiteor caussam Theodoreti adhuc retractatam fuisse in Synodo Calchedonensi, quia & id juris Concilio conveniebat, & S. Leo Decreta sua Concilii subjecerat examini, *Ut veritas clariùs eniteſceret, & fortiùs retinerentur dum quæ Fides priùs docuerat, hæc postea examinatio confirmaret. Ad majorem enim Dei gloriam proficit finis examinis quando ad hoc se accipit exercendi fiduciam ut vincatur adversitas, ac quod per se probatur reprobum, silentii præjudicio videatur oppressum:* Ad hoc (inquam) S. Leo Decreta sua misit ad Synodum, ut illis in Concilio receptis, & omnium subscriptione firmatis, causa Fidei nulli esset obnoxia retractationi, caussæ personarum eidem connexæ, nulli contradictioni subjacerent. Concilium igitur Calchedonense Theodoretum Sedi suæ restituit, non ut retractans caussam Theodoreti, si propriè loqui velimus; siquidem nihil relegi Patres voluerunt ex Actis coram S. Leone in ipsius caussa; quod tamen in revisione caussarum fieri solebat, in qua sententia non proferebatur, nisi prolatis omnibus instrumentis, quæ in instructione litis coram primis judicibus confecta fuerant, & omnibus Actis prioris judicii; *Nihil relegi volumus*, inquiunt Actione 8. *Modo anathematiza Nestorium.* Sed Theodoretum Sedi suæ restituit sancta Synodus, ut subscribens sententię S. Leonis in ejus caussa latæ, *Ut in hoc quoque Capiti membra concordarent*, quemadmodum S. ille Pontifex loquitur, Epistolâ 63. ad Theodoretum datâ. Enimverò si ipsum Patres Calchedonenses ut depositum habuissent, passi non essent ipsum in Concilio sedere, & suffragari. Licèt enim Episcopi Ægyptii tumultuatim clamaverint: *Nolite eum dicere Episcopum, non est Episcopus. Impugnatorem Dei foras mittite, Judæum foras mittite:* Tamen Episcopi Orientis, Asiæ, Ponti, & Thraciæ, qui numero longè plures erant, in seditiosas illas voces non eruperunt, nec in Theodoretum ita fuerunt iniqui: imò exclamaverunt universi, postquam sedit ut judex in medio Synodi, & inter cæteros Patres Theodoretus: *Dignus, dignus; Orthodoxum Synodo.*

Verba S. Leonis in Epistola ad Theodoret.

Contra. Judices Actione I. Concilii Calchedonensis dixerunt, Theodoretum, tametsi locum suum recepisset auctoritate Leonis, venisse tamen ut Accusatorem tantùm, injurias suas ulturum, & expurgaturum, si quid adversùs eum proponeretur. Nam uniuscujusque partis jus integrum esse. Unde colligere licet, absolutam non fuisse restitutionem Theodoreti, sed interim tantùm valituram, donec Quæstio principalis, ex qua profecta erat ejus depositio, retractata fuisset. Quod factum est in Concilio Calchedonensi.

Probatur antecedens ex illis verbis gloriosissimorum Judicum, Actione I. *Theodoretus reverendissimus Episcopus recipiens locum a sanctissimo Episcopo inclytæ Urbis Romæ, in locum nunc accusatoris ingressus est.*

Respondeo. Nego antecedens. Nec id probant modò laudata Judicum verba; sed solùm Theodoretum duplici jure adesse Synodo. Primò vi restitutionis a S. Leone factæ; secundò ut gerentem personam accusatoris: & addiderunt, Præsentiam Theodoreti in Synodo, & concessum ipsi suffragandi jus inter Patres, nulli nocere posse, cùm utrique parti servata esset libertas querimonias accusationesque suas ad Synodum deferendi, ubi Quæstio præcipua finita esset, & caussa fidei judicata: sufficere ad recipiendum Theodoretum inter Patres, quòd Fidem Orthodoxam profiteretur; maximè cùm Antiochenus Patriarcha, cui subjacebat, locuples eâ de re testimonium perhiberet. *Præjudicium*, inquiunt, *ex persona reverendissimi Episcopi Theodoreti, nulli generabitur, reservata videlicet post hæc omni accusatione & vobis, & illi, & quæ invicem exercere volueritis, quia rectam tenet fidem, maximè cùm & sine scriptis appareat, & testimonium Catholicæ Fidei perhibens reverendissimus Episcopus Antiochiæ magnæ civitatis.* Unde & antea decreverant iidem Judices, ut in sacrum illum cœtum Theodoretus ingrederetur, rerum gerendarum futurus particeps, non verò ut accusator dumtaxat. *Ingrediatur & Reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps Synodi.*

Probatur secunda pars propositionis, quæ spectat Ecclesiam Occidentalem, primò ex caussa Cæciliani Carthaginensis Episcopi, quem a Donatistis exagitatum, & in multis eorum Conciliis damnatum, ad Apostolicam Sedem appellare potuisse, & ad ejus tribunal causam suam dicere, Sanctus Augustinus agnoscit: cùm tamen de causa Fidei non ageretur, sed de causa meræ Disciplinæ, & de Cæciliani Ordinatione, quem a Traditore, Felice nimirum Aptungitano consecratum, Episcopali honore & dignitate frui non posse contendebant, Quæstio esset. En verba Sancti Augustini, *Epistolâ 162.* ubi de Carthagine ait: *Erat Carthago civitas ampla & illustris, unde se per totum Africæ corpus malum quod ibi esset exortum, tanquam a vertice diffunderet: Erat etiam transmarinis vicina regionibus & famâ celeberrimâ nobilis: unde non mediocris utique auctoritatis habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum, ubi paratus esset causam suam dicere, si adversarii ejus ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.* Illam verò consuetudinem appellandi ad Ecclesias Apostolicas, & maximè ad Romanam, quæ princeps est cæterarum, inde repetit Sanctus Augustinus, quòd Cæcilianus non esset ex ordine Presbyterorum, Diaconorum, aut inferiorum Clericorum, quorum caussæ in Provinciis finiebantur, & qui in judicio Metropolitani, & Synodi Provincialis acquiescere debebant, nec ad Romanum Pontificem poterant secundùm Canones appellare; sed ex Ordine Episcoporum, quibus appellatio hujusmodi permittebatur. *Neque enim*, inquit, *de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris Ordinis Clericis, sed de Collegis agebatur*

Argumentum pro Appellationibus ex causa Cæciliani.

tur, qui possent aliorum Collegarum judicio, præsertim Apostolicarum Ecclesiarum, caussam suam integram reservare. Itaque etiam ante Concilium Sardicense, usus appellationum in Ecclesia Occidentali invaluerat. Multò magis igitur obtinuit post illud Concilium: adeòque perperam istius Disciplinæ initia ad 7. aut 8. sæculum a Viris quibusdam Eruditis detruduntur.

Appellatio Cælestii.

Probatur secundò ex appellatione Cælestii in Synodo Carthaginensi anno 412. damoati, ad Innocentium I. cujus testes sunt Marius Mercator in *Commonitorio*, Paulinus Diaconus in Libello ad Zosimum Papam, Zosimus ipse Epistolâ 3. ad Africanos. De causa quidem Fidei agebatur. Sed si in decernendis fidei causis superior fuit Romani Pontificis auctoritas Nationalibus Conciliis, ideòque ad ejus Sedem jure appellatum est: quidni & in causis meræ Disciplinæ appellari eodem jure potuit?

Appellatio Chelidonii.

Probatur tertiò ex S. Leone, qui appellationem Chelidonii suscepit, atque judicavit. Chelidonius Provinciæ Viennensis Episcopus, in Synodo cui præerat Saoctus Hilarius Arelatensis, accusatus est quòd aote Episcopatom viduæ maritus erat, quòdque olim, dum sæculari administratione fungeretur, sedens pro tribunali, reum morti addixerat, & nihilominus ordinatus fuisset Episcopus. Visum id contra Leges Ecclesiæ, eoque nomine loco motus est, privatusque Episcopatu. Chelidonius Romam appellavit, testesque secum eò deduxit, qui crimen aut verum, aut confictum a se depellerent. S. Leo restituit Chelidonium in sedem: eaque de re Viennensis Provinciæ Episcopos certiores fecit. Sanctus Hilarius Arelatensis Chelidonii appellationem a sententia Synodi Provincialis injustam non existimavit: imò Romam & ipse profectus est ut judicium suum tueretur. Coram S. Leone causam egit. Sed sententiam secundùm Chelidonium a Pontifice dicendam ex præjudiciis præsentiens, ipso insalutato, Româ secessit. Cui in pœnam S. Leo Episcoporum Ordinationibus, congregatione Synodorum, & omni jure Metropolitico in Provincia Viennensi interdixit. Nihil porrò novi se tentasse asserit S. Leo, cùm appellationem Chelidonii suscepit, judicavitque; sed veteris Disciplinæ regulas & mores antiquos secutum. *Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat,* [inquit] *Apostolicam Sedem, pro sui reverentia, a vestra etiam Provincia Sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultum, & per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, Appellationem caussarum, aut retractata, aut confirmata fuisse judicia: adeò ut servatâ unitate spiritûs in vinculo pacis, commeantibus hinc inde literis, quod sanctè agebatur, perpetua proficeret charitati.*

Confirmatur ex Novella Valentiniani III. Augusti cum S. Leonis Epistolâ missâ in Gallias ad Aëtium Comitem, & utriusque Militię Magistrum: in quâ sententiam a S. Leone in caussa Chelidonii & Hilarii latam, *per Gallias etiam sine imperiali sanctione valituram* testantur: & sancit in executionem Canonum, *Ut quisquis Episcoporum ad judicium Romani Antistitis evocatus venire neglexerit, per Moderatorem ejusdem Provinciæ adesse cogatur.*

Nonnulli splendidum addunt argumentum ex caussa Lupicini, quem excommunicari non debuisse ait S. Leo [*Epistolâ 87. ad Africanos Episcopos* datâ] pendente caussa coram Apostolica Sede, quam appellaverat: nec alium ipsi superordinari Episcopum. Sed cùm ea pars Epistolæ, quæ Lupicini caussam spectat, in pluribus venerandæ antiquitatis & probatæ fidei MSS. Codicibus non legatur, suppositionis suspecta est, ut ostendit Vir doctissimus Quenellius in Notis ad illam S. Leonis Epistolam, quæ in ejus Editione prima est. Quamobrem tam incerto monumento relicto,

Probatur quartò auctoritate Vigilii Pontificis Maximi, in Epistolâ ad Eutherium, quæ anno 450. data est, in qua judicia appellationum Episcopalium Sedi Apostolicæ reservata esse docet. *Omnium*, inquit, *appellantium Sedem Apostolicam Episcoporum judicia, eidem Sanctæ Sedi reservata esse liquet.*

Appellatio Contumeliosi.

Probatur quintò exemplo Contumeliosi Episcopi Rejensis, quem Cæsarius Arelatensis suo Synodique judicio exauctoravit. Missa deinde Relatio est ad Joannem II. Pontificem Maximum, qui judicium illud confirmavit, literis ad Gallicanos Episcopos datis, anno 534. Cùm verò Contumeliosus ad Sedem Romanam provocasset, Agapetus Papa anno 536. caussæ ejus examen atque judicium instaurari jussit in Provincia, eumque in finem delegavit Judices. Id constat ex Epistolâ Agapeti ad Cæsarium Arelatensem. *Delegaturi enim* (inquit) *Deo nostro adjuvante, sumus examen, ut secundùm Canonum venerabilium Constituta, sub consideratione justitiæ omnia quæ apud Fraternitatem tuam de ejusmodi negotio acta sunt, diligentissima vestigatione flagitentur.* Et infra: *Melius autem fecerat Fraternitas tua, si postea quàm Sedis Apostolicæ appellatione interposita, desideravit examen, circa personam ejus, a tempore sententiæ, nihil permisisset imminui; ut esset integrum negotium, quod interposita provocatione quæreretur. Nam si in executionem mittitur prima sententia, secunda non habet cognitio quod requirat.* Tunc igitur Appellationum usus in Ecclesia Gallicana invaluerat.

D' Ambrun. De Gap. Appellatio Salonii & Sagittarii.

VI. Probatur, exemplo Salonii Episcopi Ebredunensis, & Sagittarii Vappicensis, * qui de violentia, homicidio, adulterio, & de gravi quodam facinore adversùs Trecensem Episcopum accusati, depositi sunt in Synodo Lugdunensi, jussu Guntramni Regis convocata anno 567. Damnati, Regem adierunt, de iniquo judicio sunt conquesti, appellarunt Romanum Pontificem, petieruntque licentiam a Principe eundi Romam, ut appellationem suam persequereotur. Eorum precibus Rex annuit. Joannes tandem III. Sedibus eos suis restituit, scriptâ eam ob rem ad Guntramnum Regem Epistolâ. Rem totam narrat Gregorius Turonensis, lib. 5. Historiæ Francorum, cap. 20. *Ad Regem accedunt*, inquit, *implorantes se injustè dimotos: sibique tribui licentiam ut ad Papam Urbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus eorum, datis Epistolis, eos abire permisit. Qui accedentes coram Papa Joanne, exponunt se nullis rationis existentibus causis dimotos. Ille verò Epistolas ad Regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui jubet. Quod Rex sine mora, castigatis priùs illis verbis multis, implevit.*

Appellationes Episcopales a S. Gregorio M. judicata.

VII. Probatur ex gestis Sancti Gregorii Magni variis in causis: primò in causa Hadriani Episcopi Thebani, qui nullo juris ordine servato, depositus fuerat ab Episcopo primæ Justinianæ, qui deinde Archiepiscopus Bulgariæ dictus est. Gregorius ergo Romæ, appellationem judicans, rescidit sententiam, Hadrianumque restituit; Archiepiscopum verò a communione suspendit ad triginta dierum spatium. Id constat ex ipso Sancto Gregorio *lib. 2. Regesti Indict. 11. Epistolâ 6.* qua ad Joannem primæ Justinianæ Episcopum ita scribit: *Sed nec aliud in gestis ipsis, sive per depositionem testium, sive per Hadriani professionem, quod ei potuisset obesse, reperimus. Sed tantùm Fraternitas tua, nescio quo mentis motu, divino humanoque jure contempto, abruptam protulit in ejus damnatione sententiam: quæ licèt non esset appella-*

tione suspensa, contra Leges tamen Canonesque prolata, ipso non poterat jure subsistere. Postquam autem ex abundanti appellationem tibi constat esse porrectum, mirati sumus cur nec homines tuos secundùm cautionem Honorato Diacono nostro per Responsales tuæ Ecclesiæ expositam, qui tui judicii rationem potuissent reddere, transmisisti. Et infra: *Cassatis prius atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis: ex Beati Petri Principis Apostolorum auctoritate decernimus, triginta dierum spatio te sacra communione privatum..... Præfatum verò Hadrianum fratrem & Coepiscopum in suum locum atque ordinem revocari, Christo comitante disponimus*. Legenda & sequens ejusdem Sanctissimi Pontificis Epistola ad Joannem Larissæum data.

Secundò, potestatis suæ in suscipiendis & judicandis Episcoporum dejectorum appellationibus insigne exemplum præbuit Sanctus Gregorius in caulis Januarii Episcopi Malacitani, & Stephani Episcopi. Depositus uterque fuerat; iste ab Episcopis Provinciæ finitimæ, ille ab Episcopis Provinciæ suæ: uterque Sedem Apostolicam appellaverat. Eam ob rem Sanctus Gregorius Joannem Defensorem, Ecclesiæ Romanæ Ministrum, in Hispaniam misit, cum summa potestate; ita ut ille in vim Pontificiæ Legationis causæ cognitionem suscipere solus posset, eamque finire, & eorum confirmare depositionem vel ipsos in sedes suas restituere, & præterea Episcopos qui in illorum locum alios ordinaverant [si injustè depositi probarentur) sex mensibus Dominici Corporis & Sanguinis Communione privare, & ad agendam Pœnitentiam in Monasterium detrudere. Ita constant ex ipso Sancto Gregorio, *Epistolâ 52. Libri 11. Indict. 6.*

Objicies primò. Canones Sardicenses non vigebant in Oriente, quo tempore celebrata est Synodus Constantinopolitana I. neque etiam tunc vigebant in Occidente: statim igitur non invaluit ipsorum usus.

Probatur antecedens quoad primam partem: Canones Sardicenses repugnant supremæ Conciliorum Diœcesanorum auctoritati: Siquidem ab iis appellari posse, & revisionem causarum, quæ ab eis terminatæ sunt, postulari decrevere. Atqui prima Synodus Constantinopolitana supremam Conciliorum Diœcesanorum auctoritatem in Episcoporum judiciis asserit: tempore igitur Synodi Constantinopolitanæ primæ recepti non erant Canones Sardicenses.

Probatur minor ex Canone secundo, in quo, distributis Diœcesibus Ecclesiasticis ad normam civilium Diœcesum, sui singulis Exarchis, seu Primatibus ponuntur limites, ipsisque prohibetur, ne in rerum Ecclesiasticarum administratione, aut causarum Ecclesiasticarum judicio ultra suam Diœcesim se ingerant: ita tamen ut prima causarum contestatio, primumque judicium [quod spectat Episcopos [in Synodis Provincialibus fieri debeat; ultima verò sententia supremumque judicium, in Synodis Diœcesanis. En verba Canonis: *Non invitati Episcopi ultra Diœcesim accedere non debeant super ordinandis aliquibus, vel quibuscumque disponendis Ecclesiasticis causis, servata Regula, quæ supra scripta est de unaquaque Diœcesi. Manifestum namque est, quòd per singulas Provincias Synodus Provincialis administrare & gubernare omnia debeat, secundùm ea quæ sunt in Nicæa definita.*

Id luculentiùs confirmatur ex Canone 6. *Sed si nonnulli*, inquit, *nec Hæretici, nec excommunicati fuerint, nec priùs damnati, vel aliquorum criminum accusati, dicant autem se habere aliquas adversùs Episcopum criminationes; eos jubet sancta Synodus primùm quidem apud Provinciæ Episcopos accusationem persequi, & apud eos probare crimina Episcopi qui accusatur. Quòd si evenerit, ut Provinciales Episcopi crimina, quæ Episcopo intentata sunt; corrigere non possint, tunc ipsos accedere ad majorem Synodum Diœcesis illius Episcoporum, pro hac causa convocatorum*. Diœcesis nomen eo sensu hic usurpatur, quem obtinet in legibus Imperatorum, pro tractu quodam & diversarum Provinciarum Collectione, quæ Præfecto Prætorio, aut ejus Vicario parebat in causis civilibus; Exarcho verò seu Primati in rebus Ecclesiasticis; Quo sensu Imperium Orientis divisum erat in quinque Diœceses, Ægyptiam scilicet Orientalem, Thracicam, Ponticam & Asianam.

Probatur idem antecedens quoad secundam partem, scilicet quod tempore Synodi Constantinopolitanæ I. in Occidente non vigerent Sardicenses Canones. Id, inquam, probatur ex Historia depositionis Maximi Episcopi Constantinopoleos, qui in secunda Synodo Oecumenica depositus ad Romanam Sedem accessit, ibique expostulavit de sua depositione, ac de Nectarii suum in locum Ordinatione. Occidentales Romæ in Synodo cum Damaso Pontifice congregati, nihil in causa Maximi, absentibus Episcopis Orientalibus decernere voluerunt, Quòd si Concilii Sardicensis auctoritas ea tempestate valuisset, occasio aderat oportunissima, ut in usum revocaretur. At nullam ejus mentionem faciunt Episcopi Occidentales; nihilque aliud contendunt, quàm ut unà cum Orientalibus de causa depositionis Episcopi Constantinopolitani cognoscere possint. Id totum patet ex Epistolâ Synodicâ Concilii Italiæ ad Theodosium, in qua de Orientalibus Episcopis hæc scribuntur: *Nam cùm cognovissent ad hoc partium venisse Maximum, ut causam in Synodo ageret suam: quod, etiamsi indictum Concilium non fuisset, jure & more Majorum, sicut & sanctæ memoriæ Athanasius, & dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi, & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse judicium viderentur; cùm eam, sicut diximus, experiri velle adversùm eos qui Episcopatum ejus abnuerant, comperissent, præstolari utique etiam nostram super ea sententiam debuerant. Non prærogativam vindicamus examinis; Sed consortium tamen debuit esse communis arbitrii.*

Et infra: *Nec quidam nos angit de domestico studio & ambitione contentio; Sed communio soluta & dissociata perturbat. Nec videmus eam posse aliter convenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus; aut certè super duorum Ordinatione sit in Urbe Roma nostrum, Orientaliumque judicium. Neque enim indignum videtur (Auguste) ut Romanæ Ecclesiæ Antistitis, finitimorumque & Italorum Episcoporum debeant subire tractatum, qui unius Acholii Episcopi ita expectandum esse putaverunt judicium, ut de Occidentalibus partibus Constantinopolim evocandum putarent. Si quid uni huic reservatum est; quantò magis pluribus reservandum est? Nos autem a beatissimo Fratre tuæ Pietatis admoniti, ut tuæ Clementiæ scriberemus imperio, postulamus ut ubi una communio est, commune velit esse judicium, concordantemque consensum.*

Respondeo, Nego primum antecedens. Ad probationem primæ partis, nego minorem. Namque secundus Canon Constantinopolitanus, supremam fuisse Conciliorum Diœcesanorum auctoritatem non probat, ut contendunt Viri quidam Eruditi; Sed suos tantùm singulis Patriarchis & Exarchis limites præscribit, nullos verò Episcopo Romano. An igitur ex illo Canone colligi potest, Sardicenses Canones receptos in Ecclesia non fuisse tempore Concilii Constantinopolitani primi? En verba Cano-

nonis, in quo nec de Episcopo Romano, nec de appellationibus, nec de ultima caussarum Episcopalium cognitione, neque de suprema, quam Viri quidam Eruditi commenti sunt, Conciliorum Provincialium, vel Diœcesanorum auctoritate, vel levissimum verbum est: *Episcopi qui super Diœcesim sunt, non accedant, neque confundant, & permisceant Ecclesias, secundùm regulas constitutas. Alexandriæ quidem Episcopus ea quæ sunt in Ægypto tantùm gubernet: Orientis autem Episcopi solius Orientis curam gerant, servatis honoribus Ecclesiæ Antiochenæ, qui in Regulis Nicænæ Synodi continentur. Sed Asianæ Diœcesis Episcopi ea, quæ sunt in Asia, & ad Asianam tantummodo Diœcesim pertineat, gubernent: Ponti autem Episcopi, Pontica tantùm Diœcesis habeant curam: Thraciæ verò, ipsius tantummodo Thraciæ. Non invitati Episcopi ultra Diœcesim accedere non debent*, &c. prout. in objectione laudata sunt.

Sextus Canon minimè etiam evincit quod Viri Eruditi contendunt, scilicet supremam esse Conciliorum Provincialium, vel Patriarchalium auctoritatem. Non inhibet enim Canon ille, ne Episcopi depositi & injustè vexati, a Synodo Patriarchali appellent; sed ne ipsa insuperhabita, & omnibus Episcopis Diœceseos contemptis, vel ad Imperatoris tribunal, vel ad Concilium Oecumenicum provocent. *Si quis autem*, inquit, *iis, quæ decreta fuerunt, contemptis, ausus fuerit vel Imperatoris aures molestia afficere, vel sæcularium Principum judicia, vel universalem Synodum perturbare, neglectis Diœcesis Episcopis; eum nullo modo esse ad accusationem admittendum, ut qui Canonibus injuriam fecerit, Ecclesiasticum Ordinem everterit*. Deinde, non Episcopis, sed accusatoribus dumtaxat Episcoporum id prohibet Synodus Constantinopolitana (ut ex tenore Canonis perspicuum est). Decrevit itaque, ne a Concilio Provinciali ad Oecumenicum interjiciatur immediatè appellatio; quia hoc est Canonibus injuriam inferre, & Ecclesiasticum Ordinem evertere; sed non prohibuit ne a Concilio ipso Diœcesano, seu Patriarchico, vel ad Romanum Pontificem, vel ad Concilium Oecumenicum provocaretur.

Adde, Canones Constantinopolitanos multorum spatio sæculorum ab Ecclesia Romana probatos non fuisse, ut constat ex Epistolâ 53. S. Leonis ad Anatolium datâ, & ex Sancto Gregorio, lib. 6. Epist. 2.

Denique negari potest sextum Canonem esse Decretum Synodi Oecumenicæ Constantinopolitanæ primæ, quæ tres dumtaxat Canones edidit ut Viri Eruditi contendunt, freti auctoritate Codicis Ecclesiæ Græcæ, qui in Concilio Calchedonensi Actione 16. lectus est; item versione Dionysii Exigui, Cresconii Collectione, Ferrandi Breviario, aliisque minimè spernendis momentis: propter quæ eorum sententiæ subscribimus, quam suo probabimus loco, in una nostrarum Dissertationum in Historiam hujus sæculi, ubi de Canonibus Concilii 2. Oecumenici disceptabimus.

Ad probationem secundæ partis antecedentis, quæ spectat Ecclesiam Occidentalem respondeo, Sedem Apostolicam jure potuisse suscipere cognitionem causæ Maximi & de ea ferre judicium absque Concilio Generali & Orientalium concursu, quod ex Epistolâ ipsâ Synodicâ Concilii Italici in objectione laudatâ, evidenter probatur. *Nam cùm cognovissent*, inquit, *ad hoc partium venisse Maximum, ut causam in Synodo ageret suam, quod etiamsi indictum Concilium non fuisset, jure & More Majorum, sicut & sanctæ memoriæ Athanasius, & dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse judicium viderentur*. Porrò jus hujusmodi auctoritatis exercendæ in causa Maximi a sententia Orientalium appellantis convenire non poterat Ecclesiæ Romanæ, nisi jure appellationum Episcopalium ad Apostolicam Sedem, in Synodo Sardicensi confirmato. Falsum itaque est quòd tunc non viguerint Canones Sardicenses.

Neque verò se de Maximi causa judicium ferre posse agnoverunt dumtaxat Italici Concilii Episcopi, imò & revera tulerunt, eum in communionem & pristinam dignitatem restituentes, ut in eadem Epistolâ testantur (si quæ tamen huic Epistolæ fides, quam in appendice Codicis Theodosiani edidit Sirmondus.) *Nihil habuimus*, inquiunt, *in quo de ejus Episcopatu dubitare possemus...... Itaque Maximum Episcopum in communionem receperunt nostra consortia....... Nec ab Episcopatus Constantinopolitani putavimus petitione removendum*. Certè si nihil de causa Maximi, absentibus Orientis Episcopis, decernere se posse existimassent Italici concilii Patres, ipsum non restituissent suæ Sedi extra Concilium Oecumenicum ex Episcopis utriusque Ecclesiæ congregatum.

Fateor nihilominus Occidentales Episcopos paratos fuisse cum Summo Pontifice, ad aliquid remittendum de juribus Ecclesiæ Romanæ, quærendo unà cum Orientalibus media restituendæ pacis, & Schismatis in Ecclesia Constantinopolitana extinguendi. Sic enim Imperatorem alloquuntur: *Clementiam tuam, datis literis putavimus instruendam, ut ei consuleretur ex usu publicæ pacis atque concordiæ. Nec videmus eam posse aliter convenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus, aut certè super duorum Ordinatione, sit in Urbe Roma nostrum, Orientaliumque Concilium*.

Respondeo secundò, Epistolam Sancti Ambrosii & Episcoporum Italiæ ad Theodosium Imperatorem, Viris plerisque Eruditis supposititiam non immeritò videri. Prima nota suppositionis est stylus involutus & perplexus. Secunda manifestus error, quo Maximus adversùs Sanctum Gregorium Nazianzenum in Sedem Constantinopolitanam intrusus, appellatur Episcopus Ecclesiæ Alexandrinæ, qui numquam hujus Sedis Pontifex fuit, ut constat ex Nicephoro in Elencho Episcoporum Alexandrinorum; & cùm Sanctus Gregorius Nazianzenus Episcopus Constantinopolitanus renuntiatus est, tum Alexandriæ Petrus erat Episcopus, a quo confirmatus est in illa Sede, (ut scribit Gregorius Presbyter in ejus Vita) cui successit Timotheus, cujus operâ Maximus Episcopus Constantinopolitanus ordinatus est, teste Theodoreto, *lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8.*

Tertia ratio suppositionis inde petitur, quòd Sanctus Ambrosius cum Sancto Gregorio Nazianzeno ceu legitimo Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopo communicavit, ut constat ex ipsius Prologo libri *De Spiritu Sancto ad Gratianum* Augustum: *Elias*, inquit, *ad unam missus est viduam, Eliseus mundavit unum: tu nobis, Domine Jesu, hodie mille mundasti. Quantos in Urbe Roma? Quantos Alexandriæ? Quantos Antiochiæ? Quantos etiam Constantinopoli? Nam etiam Constantinopolis jam Dei verbum recepit, & evidentia meruit tui documenta judicii. Etenim quamdiu venena Arianorum suis fovebat inclusa visceribus, bellis finitimis inquieta, muros armis circumsonabat hostilibus. Postea verò quàm Fidei exules abdicavit, hostem ipsum, quem regnum semper timere consueverat, deditum vidit, supplicem recepit, morientem obruit, sepultum possidet. Quantos ergo & Constantinopoli? Quantos postremo tot hodie in orbe mundasti? Non mundavit Damasus, non mundavit Petrus, non mundavit Ambrosius, non mundavit Gregorius. No-*

stra

ftru enim fervitiu, fed tua fant Sacramenta.

Denique, fupponit Epiſtola illa Maximum fuiſſe in privatis ædibus ordinatum, Arianis adhuc Ecclefias tenentibus; quod falfum eſt. Nam antea, jubente Theodofio Imperatore, Demophilus Arianorum Epiſcopus Gregorio & Catholicis Ecclefias reliquerat, extra urbem conventus agere coactus, ut teſtantur Socrates, *lib.5. cap.7.* Sozomenus, *lib.7. cap.5.* & Gregorius Presbyter in ejus vita.

Adde Epiſtolam Damaſi (fi tamen verè Damaſo tribuitur) ad Acholium Theſſalonicenſem Epiſcopum, quam vir eruditus Lucas Holſtenius Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus eum aliis nonnullis in lucem edidit, illius Italici Concilii, cujus dictos Pontifex caput erat, Epiſtolæ e regione repugnare: ſiquidem in ea Maximi Ordinationem improbat ut regulis Eccleſiæ contrariam. *Contra regulam*, inquit, *Ecclefiaſticæ Diſciplinæ, ulicuum n noſtra profeſſione in Conſtantinopolitanu civitate Cynicum ad Sacerdotium vocare voluiſſe.* Et Epiſtola 2. *Huic homini*, inquit, *qui in habitu Idoli incedit, numquam adſcribendum eſt nomen Chriſtiani, quia fieri non poteſt, at qui hinc placere Gentibus deſiderat, allum nobiſcum conſortium integræ Fidei poſſit habere.*

Objectio ſecunda in priorem partem Propoſitionis petitur ex Epiſtolà Imperatoris Conſtantii datâ ad Concilium Arimioenſe, quod conſtabat ex Epiſcopis Occidentis: *Non enim*, inquit, *de Orientalibus Epiſcopis in Concilio veſtro patitur ratio aliquid definiri. Proinde ſuper his tantùm, quæ ad vos pertinere cognoſcit Gravitas veſtra, tractare debetis. Quæ cùm ita ſint, adversùs Orientales nihil ſtatuere vos oportet: aut ſi aliquod volueritis contra eoſdem, prædictis abſentibus definire, id quod fuerit uſurpatum, irrito evaneſcet effectu. Non enim illa vires habere poterit definitio, cui noſtra teſtantur jam nunc robur & copiam denegari.* Itaque Epiſcopi Occidentis illa ætate cognoſcere non poterant negotia & cauſas Orientalium Epiſcoporum. Erat itaque tunc ſuprema Conciliorum Orientis auctoritas, nec uſus appellationum adhuc in Orientali Eccleſia invaluerat.

Reſpondeo primò, veterem Eccleſiæ Diſciplinam ex illâ Epiſtolâ colligi non poſſe, nec debere, in qua Imperator Eccleſiæ decreta, abſque ſua approbatione edita prorſus irrita eſſe jubet. *Non enim*, inquit, *illa vires habere poterit definitio, cui noſtra teſtantur, jam nunc robur & copiam denegari.* Et certè longè a Conſtantini mente verba illa abſunt, qui de cauſis Epiſcoporum in Concilio Nicæno, ait: *Mihi verò non eſt fas, cùm homo ſim, ejuſmodi cauſarum cognitionem arrogare, præſertim cùm & qui accuſant, & accuſantur Sacerdotes ſint*, [ut refert Sozomenus, *lib. 1. cap. 16.*] Longè etiam diſſimilia ſunt verba illa Conſtantii, verbis Valentiniani Imperatoris, qui conteſtatus eſt, *In cauſa Fidei, vel Eccleſiaſtici alicujus Ordinis, eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis; hoc eſt, Sacerdotes de Sacerdotibus judicare:* (teſte Sancto Ambroſio, *Epiſtolâ 32.*)

Reſpondeo ſecundò, non negare Conſtantium, quin Occidentales de Orientalibus judicare poſſint, ſed ſolùm quòd in eos abſentes poſſint aliquid ſtatuere, quia hoc ratio non patitur. Tunc quippe Orientales Seleuciam ad Concilium convenerant, Occidentales verò Ariminum. *Si aliquid volueritis*, inquit, *contra eoſdem, prædictis abſentibus definire, id quod fuerit uſurpatum, irrito evaneſcet effectu.* Jubet itaque Imperator Ariminenſibus Patribus, ut in Fidei expoſitionem dumtaxat incumbant, a cauſis verò, quæ ſpectant Epiſcopos Orientis, abſtineant, quia naturalis ipſius æquitatis præſcripta violarent, ſi in abſentes dicerent ſententiam.

Objicies tertiò. Synodus Calchedonenſis decrevit ut Concilia Provincialia, vel Concilia Diœceſum, quibus Primas aut Patriarcha præſidebat, de Epiſcoporum depoſitionibus definitivo decreto judicarent, æquè ac de cæteris omnibus cauſis quæ ad Diſciplinam pertinebant; ergo Canones Sardicenſes, qui Epiſcopo Romano tribuunt poteſtatem decernendi Reviſionem in gratiam Epiſcoporum depoſitorum, non erant recepti in Oriente tempore Concilii Calchedonenſis. Nondum igitur invaluerat in Eccleſia Orientali Appellationum Epiſcopalium uſus.

Probatur antecedens ex Canone 9. & 17. illius Concilii. Canon enim nonus hunc judiciorum ordinem conſtituit: *Si quis Clericus adversùs Clericum habet negotium, non deferat proprium Epiſcopum, & ad ſæcularia percurrat judicia: Sed priùs actio ventiletur apud Epiſcopum proprium, vel certè conſilio ejuſdem Epiſcopi, apud quos utræque partes voluerint, judicium obtinebunt. Si quis autem præter hoc fecerit, canonicis correptionibus ſubjacebit. Quòd ſi Clericus habet cauſam adversùs Epiſcopum proprium, vel adversùs alterum, apud Synodum Provinciæ judicetur. Quòd ſi adversùs ejuſdem Provinciæ Metropolitanum Epiſcopus vel Clericus habet querelam, petat aut Primatem Diœceſeos, aut Sedem Regiæ Urbis Conſtantinopolitanæ, & apud ipſam judicetur.* Canon nonus Calchedonenſis, decimo ſeptimo roboratur ita ſanciente: *Quòd ſi quis a ſuo Metropolitano læditur, apud Primatem Diœceſeos, aut apud ſanctam Conſtantinopolitanam Sedem judicetur, ſicut ſuperiùs dictum eſt.*

Confirmatur ex Juſtiniano Imperatore in Novella Conſtitutione 123. cap. 22. quâ jubet conceptis verbis, ut Epiſcoporum cauſas judicent Metropolitanus & Synodus Provinciæ; in caſu verò appellationis, Patriarcha uniuſcujuſque Diœceſeos. Eidem tribuitur prima cognitio cauſarum eorum Metropolitanorum, qui ad ejus Patriarchatum ſpectant; interdicta prorſus appellatione a judicio Patriarcharum: *Nulla parte*, inquit, *ejus ſententiæ contradicere valente.* Tunc igitur non invaluerat in Oriente appellationum uſus.

Reſpondeo, Nego antecedens. Ad ejus probationem Vir quidam Eruditus reſpondet, Canonem 9. Concilii Calchedonenſis de cauſis profanis Clericorum agere, non de cauſis Eccleſiaſticis; nec de judicibus qui ex ſe habeant judicandi auctoritatem, ſed ex electione partium & conventione. Sed enim cauſas Eccleſiaſticas ventilare nuſquam licebat ad ſæcularia tribunalia, nec ante, nec poſt examen Epiſcopi. Hoc porrò Canone ſolùm inhibetur, ne priùs ad ſæculares Judices deferantur cauſæ Clericorum, quàm apud proprium Epiſcopum ventilatæ fuerint. Deinde, illa verba: *Vel certè conſilio ejuſdem Epiſcopi, apud quos utræque partes voluerint*, indicant, non de Judicibus quibuſcumque, ſed ſolùm de arbitris intelligendum eſſe Canonem. At judicium de cauſis Eccleſiaſticis, Epiſcopis non convenit ut meris arbitris, ſed ut natis Judicibus.

Verùm etſi prima pars Canonis de cauſis dumtaxat profanis intelligi videatur, pars tamen altera de cauſis præcipuè Eccleſiaſticis agit, quæ apud Synodum Provincialem judicabantur, vel apud Primatem Diœceſeos; aut Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ſi cauſæ eſſent adversùs Metropolitanos ab Epiſcopis, aut Clericis motæ. Quamobrem

Reſpondeo ſecundò, primam cognitionem cauſarum quæ inter Clericos & Epiſcopos motæ fuerint ad Synodum Provinciæ transferri; primam

item

item causarum quæ ortæ fuerint inter Episcopos aut Clericos, & Metropolitanos, contestationem, apud Primatem Diœcesens aut Constantinopolitanum Antistitem esse instituendam, ex decreto Calchedonensis Concilii: Sed nego ultimam cognitionem causarum illarum, sive ad illos, sive ad Provinciæ Synodum pertinere. Uno verbo Patres Calchedonenses iis Canonibus decernunt quinam sint judices harumce causarum; sed ipsos esse supremos judices ne leviter quidem innuunt. Ita hunc intellexit Canonem Nicolaus I. in Epistolâ 8. ad Michaelem Imperatorem, in qua recensitis Canonibus Concilii Calchedonensis mox laudatis, ait: *In quo hic tenor observandus est, ut si videlicet Clericus, aut Episcopus adversùs Metropolitanum habet querelam, & tanta urgetur necessitate, vel si hoc grave non ferat ubicumque sit positus, Primatem Diœceseos petat: quòd si juxtà Constantinopolitanam urbem quisquam eorum constitutus, & solius Præsulis ejus judicio velit esse contentus, petat eamdem Regiam urbem. Cùm enim dixisset: Petat Primatem Diœceseos, præceptum posuit eadem sancta Synodus, regulamque constituit. Cùm verò disjunctiva conjunctione addidisset; Aut Sedem Regiæ Urbis Constantinopolitanæ: liquet profectò quia hoc secundùm permissionem indulsit. Ergo saltem nunc non videtis ad majora semper esse properandum? Et quantò magis ad potioris auctoritatis judicium tenditur querimonia, tantò adhuc ampliùs majus culmen petendum est, quousque gradatim perveniatur ad eam Sedem, cujus causa, aut a se negotiorum meritis exigentibus, in melius commutatur, aut solius Dei sine quæstione reservatur arbitrio.*

Fatendum tamen est Nicolai Primi explicationem vim facere Canoni Calchedonensi, in eo quod subjungit, per Primatem Diœceseos intelligendum esse Romanum Pontificem. *Quem*, inquit, *Primatem Diœceseos dixerit sancta Synodus præter Apostoli primi Vicarium, nullus penitus intelligitur. Ipse est enim Primus, qui & Primus habetur, & Summus.*

Falsa, inquam, est hæc Nicolai I. interpretatio. Nam Diœceseos Primas intelligitur Exarchus seu ille Episcopus qui tractui plurium Provinciarum præsidet, sive qui tenet Sedem illius urbis, quæ omnium illarum Provinciarum caput est, sicut Thracicæ Diœceseos Primas, erat Heracleensis Episcopus; Ponticæ, Cæsareensis; Asianæ, Ephesinus; quæ tres erant Diœceses autocephalæ. Omnium autem Provinciarum, quæ his Diœcesibus continebantur, Metropolitani a dictis Primatibus judicabantur, vel ab Episcopo Constantinopolitano, si ad eum confugere mallent.

Ad Novellam Justiniani Constitutionem, Respondeo, Appellationem a judicio Patriarcharum ipsum prohibuisse in causis profanis Episcoporum, non verò in causis merè Ecclesiasticis. Cùm enim in causis civilibus appellationes ad Imperatorem ut ad supremum judicem devolverentur, certum est jure hujusmodi Principes in gratiam Episcoporum cedere potuisse, & ipsis causarum illarum ultimum judicium concedere. At in causis Ecclesiasticis nullatenus ita se res habet. Cùm enim Ecclesiæ jura spectent, quæ non est subdita Principibus quantùm ad Canonicorum Judiciorum auctoritatem, non possunt soli talium judiciorum Ordinem constituere. Porrò loqui Justinianum de causis civilibus Episcoporum, constat ex verbis capitis laudati. *Si quis verò*, inquit, *sanctissimorum Episcoporum ejusdem Synodi dubitationem aliquam habeat ad invicem, sive pro Ecclesiastico jure, sive pro aliis quibusdam rebus, prius Metropolita eorum cum aliis de sua Synodo Episcopis, causam examinet & judicet.* In hoc itaque capite causas civiles Episcoporum cum causis Ecclesiasticis confundit Imperator, sed ad priores solùm hæc illius prohibitio referenda est, ne a Patriarcharum judiciis appelletur. Nam longè aliter de causis Ecclesiasticis loquitur in Novella Constitutione 137. capp. 4. & 5. *Jubemus*, inquit, *convenire quidem apud beatissimos Patriarchas, illos qui ab ipsis ordinati sunt, & qui habent jus alios Episcopos ordinandi; at apud sanctissimos Metropolitas, cujuscumque Provinciæ, eos qui ab ipsis ordinati sunt. ...... Quo in loco motas lites & interpellationes, vel pro fide, vel pro canonicis Quæstionibus, vel administratione rerum Ecclesiasticarum, vel de Episcopis & Presbyteros, vel Diaconis, aut aliis Clericis, vel de Abbatibus, vel Monachis, vel de accusata vita, vel de aliarum rerum correctione, moveri quidem, & agitari, & convenienter examinari, & eorum correctionem secundùm sacros Canones procedere, & secundùm nostras Leges.* Qua in Constitutione appellationem a sententiis Patriacharum non prohibet, quia de causis Ecclesiasticis agit dumtaxat, quæ secundùm Canones judicari debent.

Cæterùm Justinianum Imperatorem in Romano Pontifice agnovisse auctoritatem judicandi causas Orientalium Episcoporum, & ipsorum Patriarcharum, constat ex iis quæ ipso præsente, & probante ab Agapeto Papa gesta sunt contra Anthimum, qui conculcatis Canonibus, favente Imperatrice, sedem Constantinopolitanam invaserat. Agapeto scilicet, qui Constantinopolim a Theodato Rege Gothorum missus fuerat ad Imperatorem Orientis, Monachi supplicarunt, ut Disciplinam Canonicam protegeret, deque violatis Canonibus repeteret ultionem. Id ex eorum libello compertum est, quem exhibet Actio prima Concilii Constantinopolitani sub Menna. *Adjuramus*, inquiunt, *vestram Beatitudinem per sanctam & consubstantialem Trinitatem, ac per Principem Apostolorum Petrum, & salutem ac victoriam piissimi Imperatoris nostri, non contemnere divinos Canones qui ab isto pessundantur, neque Ecclesiam vi traditam, quæ ab isto despicitur; sed sequendo in omnibus eos qui ante ipsam Beatitudinem in Sede vestra claruerunt, facere in ipsum, adhuc & contra auctoritatem Canonum invalescentem ..... ratione qua Sanctum Celestinum contra Nestorium liquet fecisse ...... Verùm quoniam non solùm iste, sed & cæteri Episcopi, Clerici, & Archimandritæ in magno numero, qui insidiis adversùs Dei Ecclesiam utuntur, & propter hoc solùm in hac civitate commorantur, ei & universis Ecclesiis perturbationes dare nullo modo recusant; rogamus & universos tales ad vos adduci, & exactiones promittere Canonibus condecentes.* Et infra: *Suscipite nostram supplicationem, & potestatem vobis a Deo datam in ipsos moventes, purgate Dei Ecclesiam, & a lupis liberate.* Nec solùm occasione datâ Romanum Pontificem appellarunt, quia fortè Constantinopoli versabatur, nam Romam usque suas querimonias & antea miserant. *Etenim*, inquiunt, *hujus gratia & ad Vos Romam misimus.*

Denique tantùm abest ut Imperator usui & exercitio Pontificiæ Potestatis intercesserit; quin potiùs pollicitus est se executionem jussurum eorum quæ Pontifex statuisset. *Tales*, inquiunt, *a piissimo Imperatore nostro promissiones accepimus, quòd ea quæ a Vobis judicata sunt, sua Pietas omni modo studet mandare executioni.*

Accedit, quòd Anthimus palam contestatus est, se judicio Romani Pontificis, ejusque Decretis pariturum, ut habetur in Concilio Constantinopolitano sub Menna, Actione 4. *Promisit se omnia facere quæcumque Summus Pontifex magnæ Sedis Apostolicæ decerneret, & ad sanctissimos Patriarchas scripsit, se sequi per omnia Apostolicam Sedem.*

Res-

Respondeo secundò ex Justiniani Constitutionibus colligi non posse quænam fuerit Ecclesiæ Disciplina; quia nulla fuit earum in Ecclesia auctoritas, nisi quatenus cum sacris Canonibus consentiebant, ut constat ex Epistolâ 1. Agapeti Pontificis ad illum Imperatorem datâ, in qua de ipsius Fidei Libello hæc habet, quæ de ipsius Legibus proculdubio dixisset: *Laudamus, amplectimur, non quia Laicis auctoritatem prædicationis admittimus; sed quia studium Fidei vestræ Patrum nostrorum Regulis convenient confirmamus, atque roboramus.*

Objicies quartò Epistolam Cyrilli Alexandrini ad Domnum Episcopum Antiochenum datam in gratiam Petri Episcopi; quem Domnus inauditum deposuerat, negatâ etiam licentiâ defensionis. Is porrò Cyrillum, & Proclum Constantinopolitanum adiens, querelam suam ad eos detulit, oravitque ut se gratia & favore suo juvarent apud Domnum. Ea de causa Cyrillus Epistolam dedit ad Domnum, in qua ipsum monet, ut Senis illius lachrymas temperet, eique defensionis locum præbeat secundùm morem, id est, Domno coram & Episcopis qui ei subsunt; iis tamen exceptis, quos velut suspectos Petrus recusabit, ad vitandam judicii nullitatem. Unde discimus, a Patriarchis illis susceptam non fuisse hujus Episcopi querelam, ut de ea cognoscerent, sed eam ad Synodum Patriarchalem Antiochenam dimisisse, illic judicandam secundùm morem: Ergo illâ ætate suprema erat Synodorum Patriarchalium auctoritas: nullus igitur erat locus appellationibus ad Romanum Pontificem.

Respondeo, Nego consequens. Licèt enim Alexandrinus Patriarcha & Episcopus Constantinopolitanus causam Petri Episcopi a Domno inutiè depositi ad se non traxerint, quia nullâ in Episcopos Antiocheni Patriarchatus Jurisdictione fruebantur, sed circumscriptam suarum Diœcesum finibus auctoritatem habebant: non tamen inde colligi potest supremam fuisse Synodorum Patriarchalium auctoritatem, & ab iis ad Romanum Pontificem appellari non potuisse.

Objectio quinta petitur ex Socrate, *lib.2. Historia Ecclesiastica, cap.42.* ubi de Cyrillo Hierosolymitano loquens, qui ab Acacio Cesareæ Episcopo, homine Ariano, Episcopatu abdicatus, ad majores Judices appellavit, hæc habet: *Atque a Cyrillo solo ac primo, perinde ac si res apud Laicos Judices ageretur, contra Canonis Ecclesiastici consuetudinem, provocatum est.* Nullius igitur erant auctoritatis ac ponderis in Ecclesia Orientali Canones Sardicenses, de appellationibus Episcoporum dejectorum.

Respondeo, Socratem non incusare Cyrillum, quòd ab Acacii judicio provocaverit ad majorem Synodum. Id enim licitum prorsus erat; sed quòd appellaverit ad Imperatorem, & Libellum ab eo obtinuerit, quo illius causæ Revisio in frequentiori Synodo decernebatur, quod Canonibus Ecclesiasticis perperam ait repugnare. Ita intelligendum esse Socratem patet ex verbis antecedentibus: *Qui* (Cyrillus) *simul atque de gradu esset dejectus appellationis Libello ad eos, qui eum dejecerant, misso, ad majores judices provocavit. Cui quidem appellationi Constantius Imperator suffragatus est. Atque a Cyrillo solo ac primo, perinde ac si res apud Laicos Judices ageretur, contra Canonis Ecclesiastici consuetudinem provocatum est. Tandem Seleuciam, ubi de eo judicium fieret, adventavit.*

Respondeo secundò, Cyrillum non appellasse ad Romanum Pontificem: unde argumentum, quod ex Socrate conficitur, ejus appellationem improbante, non evincit Canones Sardicenses tunc temporis non fuisse receptos in Ecclesia Orientali.

Objicies sextò in secundam partem Propositionis: Canones Sardicenses non obtinebant in Occidente, imperante Gratiano, neque tunc invaluerat appellationum ad Romanum Pontificem usus: ergo diu post Concilium Sardicense ea Disciplina in Ecclesia Occidentali non viguit.

Imperatoris Gratiani Constitutio explicatur.

Probatur antecedens. Gratianus Imperator Constitutionem generalem edidit juxtà postulata Synodi Romanæ anno 378. ex omnibus Italiæ Episcopis congregatæ, 30. circiter annis post Concilium Sardicense: qua Constitutione forma Judiciorum Ecclesiasticorum præscribitur in causis Episcoporum, qui de Hæresi suspecti essent: Atqui in ea Constitutione neque eumdem ordinem tenuit Gratianus quem præscripserant Canones Sardicenses; nec eorum Canonum ullatenus meminit: ergo nondum illi Canones in usum erant recepti.

Probatur minor. Decrevit ea Constitutione Imperator, ut Romanus Pontifex accusationes contra Episcopos factas, Romæ judicaret, cum consilio 5. aut 7. Episcoporum; & ut accusati se coram Apostolica Sede sistere tenerentur, dimisso Episcopatu, a quo dejecti erant; ad idque cogerentur a Præfectis Prætorio, Proconsulibus, aut Vicariis Provinciarum. Secundò, si accusati in remotioribus Provinciis positi essent, omnis causæ cognitio penes Metropolitanum esset. Tertiò, si accusatus esset Metropolitanus, is vel Romam pergere deberet judicandus, aut ad Episcopos se conferre, quibus Romanus Episcopus negotii examen commisisset. Quartò, si Metropolitani suspecti essent accusatis, liceret eis vel ad Romanum Episcopum provocare, vel ad Concilium quindecim Episcoporum finitimorum. Quintò, ne post ventilatam, discussam, terminatamque hoc pacto causam, liceret quovis prætextu illius cognitionem instaurare. Atqui is judiciorum ordo omnino diversus ab eo est, quem præscribunt Canones Sardicenses. Gratianus igitur Imperator nullam rationem habuit istorum Canonum.

Probatur major ex ipsismet verbis Constitutionis laudatæ, quæ habetur in Appendice Codicis Theodosiani. *Volumus autem*, inquit, *ut quicumque judicio Damasi, quod ille cum consilio quinque vel septem habuerit Episcoporum, vel eorum, qui Catholici sunt, judicio, vel consilio condemnatus fuerit; si injustè voluerit Ecclesiam retentare, ut qui evocatus ad Sacerdotale Judicium, per contumaciam non ivisset; aut ab Illustribus viris Præfectis Prætorio Galliæ atque Italiæ, sive a Proconsulibus, vel Vicariis auctoritate adhibitâ, ad Episcopale Judicium remittatur, ut ad Urbem Romam sub prosecutione perveniat. Aut si in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerserit, omnis causæ ejus dictio ad Metropolitæ in eadem Provincia deducatur examen. Vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessariò, vel ad eos quos Romanus Episcopus judices dederit, sine dilatione contendat.... Quòd si vel Metropolitani Episcopi, vel cujuscumque Sacerdotis iniquitas est suspecta, vel gratia; ad Romanum Episcopum, vel ad Concilium quindecim finitimorum Episcoporum liceat provocare: modò ne post examen habitum, quod definitum fuerit, integretur.*

Hoc Rescriptum executioni mandatum esse asserit Dominus de Marca, anno 381. in causa Priscilliani Hæretici, Instantiique Episcopi, & Salviani Sectatorum ejus, qui sententiam damnationis in Synodo Cæsaraugustana subiere. Hi ergo post sententiam Synodi Romam accesserunt, ut Damaso coram objecta purgarent. Sed ne in conspectum quidem ejus admissi sunt, teste Severo Sulpitio, lib.2. *Historia Sacra*. Sed postea Rescripto Gratiani missa est in irritum sententia Concilii

cilii

cilii Cæsaranguftani, Ecclesiisque suis restituti sunt. Gratiano vitâ functo, Ithacius Episcopus Hispanus, qui primum adversùs Priscillianum judicium obtinuerat, Maximum Galliis, Hispaniis, & Britanniæ imperantem adiit: ejus nutu Synodus Burdigalæ * convocata est, in qua dejectus est ab Episcopatu Instantius. Priscillianus verò judicium Episcoporum fugiens, ad Imperatorem provocavit, auditusque Treveris * capite damnatus est a Præfecto Prætorio.

Bourdeaux,

Treves.

Respondeo, Nego primum antecedens, ad cujus probationem distinguo majorem: Et illa Gratiani Constitutio singulares quasdam Episcoporum causas spectat, concedo: & decernit de omnibus Episcoporum causis, nego. Itaque ordo ille judiciorum a Gratiano præscriptus non spectabat universim omnes Episcoporum causas, sed solùm eorum qui Schismati Ursicini pertinaciter adhærebant, tumultuumque ab illo in Ecclesia excitatorum erant participes & conscii. Id indicant verba ipsa Rescripti ad Aquilinum Urbis Vicarium dati. *Volumus*, inquit, *ut quicumque judicio Damasi...., aut eorum qui Catholici sunt, judicio vel consilio condemnatus fuerit, &c.* Et certè si omnes Episcoporum causas Rescriptum illud spectasset, sancitam a Nicæna Synodo funditus evertisset Disciplinam, quæ omnium Clericorum & Episcoporum ipsorum causas, Metropolitani examini ac judicio subjacere decrevit. Evertisset, inquam, sanctissimæ illius Disciplinę leges; siquidem Episcopo Romano causas Episcoporum, qui ad illius Diœcesim, ut singularis Provinciæ Metropolitanus est, non pertinebant, reservasset, quarum penes Italiæ Metropolitanos debuisset esse cognitio. At si Gratianus tam atrox vulnus infixisset Canonibus Nicænis, Episcopi Italiæ, quorum caput erat Sanctus Ambrosius, illius Rescriptum tot laudibus non extulissent, quot in illorum Epistolâ ad illum Imperatorem leguntur. *Namque*, inquiunt, *a principio, divino repleti Spiritu, & Sanctorum Apostolorum, quorum habetis in vestro honore suffragium, servantes in Dominica Religione præceptum, statuistis ad redintegrandam corpus Ecclesiæ, quod furor Ursini, qui honorem usurpare est conatus indebitum, diversus secuerat in partes, ut auctore damnato, cæterisque quos ad turbarum sibi incentiva sociaverat, sicut oportebat, a perditi conjunctione divulsis, de reliquis Ecclesiarum Sacerdotibus Episcopus Romanus haberet examen: ut & de Religione Religionis Pontifex cum consortibus judicaret, nec ulla fieri videretur injuria Sacerdotio, si Sacerdos nulli usquam profani judicis, quod plerumque contingere poterat, arbitrio facilè subjaceret. Præclara ista planè & religiosis Principibus digna sententia, quæ divino ministerio plurimùm deferat, nec pateat errori.*

De priori quidem Gratiani Edicto loquuntur, cujus poscunt confirmationem.

Idcirco, inquiunt, statuti imperialis non novitatem, sed firmitudinem postulamus.

Hujus autem Rescripti Imperialis æquitas ex Ecclesiæ tunc temporis statu elucescit. Ursinus enimverò ingentem hominum numerum, ac Italorum præsertim Episcoporum, suis partibus addixerat, qui contra Catholicæ Ecclesiæ pacem, conspiratione factâ nitebantur. Episcoporum diversa studia plebem quoque diversas in partes distrahebant, quòd hæreret sæpe sæpius ac fluctuaret anceps, quem ut Pastorem legitimum venerari deberet, an eum quem Ursini factio in Sedem Episcopalem intruserat, an illum quem Catholici Episcopi consecraverant. Malo tam longè grassanti remedium adhibere conati sunt opportunum Italiæ Episcopi; restaurandam ideò veterem Disciplinam existimarunt, ut scilicet auctoritas judicii ferendi de causis Coëpiscoporum suorum, tum Ordinationis vitia, tum mores spectantibus, ipsis unicè assereretur. Verùm istud reparandæ medium Disciplinæ periculo obnoxium visum est. Cùm enim ex Italiæ Episcopis plurimi Ursini partibus studerent & commodis, meritò Patres formidarunt ne Schismatici eadem in causa actores frequenter essent ac Judices, si Episcoporum causæ ad Coëpiscopos sine discrimine traherentur. Arbitrati sunt itaque seligendos esse ex Ecclesia judices, qui dissensiones illas auctoritate sua sopirent, compescerent Schismata, & Pastores legitimos Ecclesiis restituerent. Porrò cùm Damasi Romani Pontificis Canonica electio & morum integritas universæ Ecclesiæ probatæ fuissent, & ipsorum Imperatorum suffragio confirmatæ; æquitatis esse existimaverunt Italici Concilii Patres si Schismaticorum judicium Damaso deferrent, non solùm ex sententia Synodi, verùm etiam Imperatoris auctoritate ac Rescripto eam ob rem impetrato; ut utraque potestate, Ecclesiasticâ & Imperatoriâ concurrente, faciliùs ad officium revocari possent Schismatici pertinaces. At quia non æqualiter ubique grassatum erat malum, nec Ursini factio in regionibus ultramontanis, aut in Africa æquè obtinuerat, ac in Italia; alias servandæ in illis Ecclesiis unitatis pacisque vias inierunt Itali Antistites, nihilque ab Episcopis metuentes gratiæ erga Ursinum ejusque partiarios, causarum Episcopalium cognitionem penes Metropolitanos, secundùm sacras Nicæni Concilii regulas esse decreverunt.

Itaque non mirum, quòd Canonum Sardicensium Gratianus in suo Rescripto non meminerit, quia Concilium Sardicense formam Judiciorum Ecclesiasticorum præscribit in omnibus causis Episcoporum, qui a suis Metropolitanis & Synodis Provincialibus depositi, ad Romanum Pontificem appellabant. At Gratiani Constitutio præscribit solùm formam judiciorum Ecclesiasticorum in causis Episcoporum, quas Ursini Schisma pepererat.

Præterea, evidens est ex Epistolâ Episcoporum Italiæ, qua laudatam Constitutionem a Gratiano postulant, illam datam eo consilio non fuisse, ut nova judiciorum Ecclesiasticorum forma institueretur in omnibus Episcoporum causis, sed ut appellationes, vel evocationes hujusmodi causarum ad sæcularia tribunalia prohiberentur, cujusmodi evocationum & appellationum pessima dabant exempla Schismatici ex Ursini factione Episcopi, in Romani Pontificis judicio non acquiescentes. *Quia*, inquiunt, *vestra judicio Tranquillitatis probata est innocentia memorati fratris nostri Damasi, integritas prędicata est, Isaac quoque ipse, ubi ea quæ detulit probare non potuit, meritorum suorum sortem tulit: quæsumus Clementiam vestram, ne rursus in plurimis causis videamur onerosi, ut jubere Pietas vestra dignetur, quicumque vel ejus, vel nostro judicio, qui Catholici sumus, fuerit condemnatus, atque injustè voluerit Ecclesiam retinere, vel vocatus a Sacerdotali judicio per contumaciam non adesse, seu ab Illustribus Viris Præfectis Prætorio Italiæ vestræ, sive a Vicario accitus, ad Urbem Romam veniat. Aut si in longinquioribus partibus hujusmodi emerserit Quæstio, ad Metropolitani per locorum judicia deducatur examen. Vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessariò, vel ad eos, quos Romanus Episcopus judices dederit, contendere sine dilatione jubeatur. Ita ut qui depositi fuerint, ab ejus tantùm civitatis finibus segregentur, in qua gesserint Sacerdotium, ne rursus impudenter usurpent, quod jure sublatum sit...... Quicumque verò ita meruerit excludi, sileat, & quiescat.*

Et infra: *Memoratus Frater noster Damasus, quoniam in sua causa vestrè tenet insigne judicii, non fiat inferior his, * quibus etsi æqualis est munere, prærogativa tamen Apostolicæ Sedis excellit, ut judiciis publicis videantur esse subjecti, quibus Sacer-*

Id est, Episcopis.

dotale caput lex vestra summovit.

Quod autem ait Dominus de Marca, illud Gratiani Edictum executioni mandatum esse in causa Priscilliani Hæretici, verum non videtur. Imò aliud Rescriptum dedit Gratianus in gratiam Priscillianistarum priori planè contrarium, quod elucescet, si unum cum altero conferamus. Prius nempe, quod contra Ursinum, sive Ursicinum datum est, jurisdictioni Ecclesiasticæ prospicit, suaque auctoritate rebelles adigit Imperator ad illius venerationem & obsequium. *Qui vocatus*, inquit, *ad Sacerdotale Judicium per contumaciam non ivisset, aut ab Illustribus viris Præfectis Prætorio Galliæ, atque Italiæ, sive a Proconsulibus, vel Vicariis, auctoritate adhibita, ad Episcopale Judicium remittatur.* Præterea judicum negligentiæ, aut impietati succenset Imperator, qui latas ab Episcopis, in Ecclesiasticis negotiis, sententias executioni mandari non curaverant. *Nostrorum videlicet judicum socordia fretus, qui privata gratia imperialia præcepta condonant, & Religionem, quam nos jure veneramur, quam fortasse ipsi negligunt, inquietari patienter accipiunt.* Tertiò minas adhibet, eorum ut excitet vigilantiam. *Nisi omnes, ut nominatim Jussionis nostræ summa complectitur, vel quos turbas istiusmodi molientes sanctorum Episcoporum Concilia consensu ostenderint, ultra centesimum milliarium ab Urbe depulerit .... Piaculum neglectæ sanctionis incurret.* Denique Concilium Italiæ, cujus caput erat Sanctus Ambrosius, hoc ab Imperatore Edictum postulavit, & impetravit. At Rescripto posteriori Jurisdictionem Ecclesiasticam non fovet Gratianus, sed evertit: illud non concedit Episcoporum votis, sed Hæreticorum, quos restitui Ecclesiis a quibus pulsi erant, edicit rescissâ Concilii Cæsaraugustani sententiâ, *Ita* (inquit Severus Sulpitius, lib. 2. Historiæ) *corrupto Macedonio tum Magistro Officiorum, Rescriptum eliciunt, quo, calcatis quæ priùs decreta erant, restitui Ecclesiis jubebantur.* Non itaque Rescriptum istud pro Priscilliano, prioris executio, imò potiùs revocatio dici debet.

Ex Epistolâ Siricii Pont. Maxim. ad Anysium non rectè colligitur supremam fuisse Conciliorum Provincialium auctoritatem. Joanne Launoii argumentum.

Obiicies septimò. Siricius Pontifex Maximus agnovit supremam Conciliorum Provincialium auctoritatem, cui inferiorem esse fassus est potestatem, Romani Episcopi; ergo ejus ætate appellationes Episcoporum dejectorum a Synodis Provincialibus ad Romanum Pontificem, non erant ex Disciplina & usu Ecclesiæ.

Probatur antecedens ex Epistolâ Siricii ad Anysium Thessalonicensem, & cæteros Illyrici Episcopos a Concilio Capuensi ad cognoscendum de errore Bonosi Hæretici deputatos. *Cùm*, inquit, *hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset, Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis quæ comprehendit vestrorum scriptorum series decerneremus. Vestrùm est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus ...... Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit*, Et infra: *Ideò primum est ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis; nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit ..... Unde vestra normam expectamus sententiæ.* Agnoscit itaque Siricius, se non posse judicare de causâ, quam Synodus Provincialis selectis Episcopis judicandam demandavit.

Respondeo, Summum Pontificem Siricium non scripsisse, potestatem ferendi in Bonosi causa judicii sibi non convenire; sed conveniens non esse dignitati suæ Sedis, ut causæ illius cognitionem susciperet, postquam delegati essent a Concilio judices; quia videretur, non supremâ auctoritate & a Christo immediatè acceptâ, sed mutuatitiâ, & demandatâ a Synodo judicare. Cæterùm se judicaturum asserit, si causa adhuc integra esset, id est, si ejus cognitionem non suscepisset, aliisque commisisset Synodus. Verùm postquam a Synodo judicium istius causæ Macedoniæ Episcopis & in primis Anysio Thessalonicensi demandatum est, ipsos debere primam illius contestationem excipere, primamque instruere cognitionem; innuens ultimam cognitionem se suscepturum, confirmando illorum sententiam, & Bonosi appellationem, si fortè ad Sedem Apostolicam provocaverit, judicando. Id unum significant hæc verba; *Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis quæ comprehendit vestrorum scriptorum series decerneremus ...... Ideò primum est ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius Synodi vice decernitis: nos quasi ex auctoritate Synodi judicare non convenit.*

Confirmatur hæc responsio ex iis quæ Sanctus Ambrosius scripsit ad Theophilum Alexandrinum Episcopum, quem Capuana Synodus delegaverat, ut dissidia Ecclesiæ Antiochenæ componeret. Si enim agnoscit Ambrosius Theophilum, quamvis Concilii delegatione ornatum, nihil decernere debere inconsultâ Sede Apostolicâ, ad quam referendum scribit, quod suâ cum Synodo hac in causa judicaverit, ut illius auctoritate confirmetur: quantò magis existimandum est Episcopum Thessalonicensem, qui Romani Pontificis Vicarius erat, supremum judicem non fuisse in causa Bonosi, quantumcumque ipsi esset a Synodo Capuensi judicandi potestas demandata? En verba Sancti Ambrosii ad Theophilum scribentis: *Sanè referendum arbitramur ad sanctum Fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ; quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant: ita enim utile erit consultum sententiæ, ita pacis & quietis securitas, si id vestro statuatur Concilio, quod communioni nostræ dissensionem non afferat; ut nos quoque acceptâ vestrorum serie statutorum, cùm id gestum esse cognoverimus quod Ecclesia Romana haud dubiè probaverit, læti fructum hujus examinis adipiscamur.*

Confirmatur secundò eadem responsio ex iis quæ post damnationem Bonosi, & Siricii Pontificatum, sub Innocentio I. ejusdem Hæresiarchæ occasione contigerunt. Cùm enim factio a Bonoso in Macedonia excitata, aliquos adhuc post ejus damnationem tumultus illâ in Provincia foveret: tantùm abest ut illarum Ecclesiarum Episcopi supremos se judices Bonosi & partiariorum ejus existimaverint, & ut tales se gesserint; quin imò datis ad Innocentium Primum per Vitalem Diaconum literis, illius velut Capitis & Doctoris Ecclesiæ universæ rogarunt sententiam super controversiis, quæ animos occasione Bonosi varia in studia distrahebant. Id constat ex Epistolâ 22. Innocentii ad Rufum Anysii in Sede Thessalonicensi Successorem, & ad alios Episcopos Macedoniæ datâ: *Adverti*, inquit, *Sedi Apostolicæ, ad quam Relatio, quasi ad caput Ecclesiarum missa currebat, aliquam fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum sententia ducebatur. Unde de quibus jamdudum scripsisse meminimus, nunc iterare formam argumentis evidentioribus, Relationis vestræ geminata percontatio compellit.*

Confirmatur tertiò eadem responsio. Qui abrogavit decretum Concilii, non existimavit Sedis suæ auctoritatem esse Concilii auctoritate inferiorem: Sed Innocentius I. abrogavit decretum ab Anysio & Episcopis Macedoniæ in causa Bonosi edi-

editum post delegationem Capuensis Concilii: non existimavit itaque Romani Pontificis auctoritatem esse inferiorem auctoritate Conciliorum Capuensis, vel Illyrici, aut illis æqualem.

Probatur minor. Cùm enim Concilium Macedoniæ ordinatos a Bonoso, pro bono Ecclesiasticę pacis, recipiendos in Clerum sancivisset, de Canonum severitate hac in causa dispensans; Innocentius I. decretum illud, quod perturbatis Ecclesiæ temporibus prudenter ediderant illi Antistites, in irritum misit, ut constat ex Epistolâ supra laodatâ. *Aufsi fratris quoadam nostri, aliorumque Consacerdotum, summa deliberatio hac fuit, ut quos Bonosus ordinaverat, ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre scandulum, sic ordinati reciperentur...... Jam ergo quod pro remedio, ac necessitate temporis statutum est, constat primitus non fuisse; ac fuisse Regulas veteres, quas ab Apostolis vel Apostolicis viris traditas Ecclesia Romana custodit, custodiendasque mandat his qui eam audire consueverunt. Sed necessitas temporis id fieri magnopere postulabat. Ergo quod necessitas pro remedio invenit, cessante necessitate, debet utique cessare pariter quod urgebat: quia alius est ordo legitimus, alia usurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit.*

Ex his omnibus colligitur illius argumenti vanitas, quod tantâ pompâ ostentat Joannes Launoius, Epistolarum Parte 1.

Objicies octavò. Ex Epistolâ Innocentii I. ad Victricium Rothomagensem Episcopum, cap. 3. colligitur causas Episcoporum fuisse tunc temporis penes Episcopos ejusdem Provinciæ, ab illis ultimo judicio terminandas, secundùm Nicænam Synodum: Majores solùm causas ad Sedem Apostolicam referri debuisse: atqui Relatio illa majorum causarum ad Sedem Apostolicam, post Judicium Episcopale non nitebatur Canonibus Synodi Sardicensis, sed Nicænæ: Ergo nec Innocentii ævo recepti erant Canones Sardicenses, nec ille Sedis suæ jura ab illis Canonibus arcessebat; nec tunc invaluerat in Ecclesia Occidentali appellationum usus.

Probatur major ex verbis illius Epistolæ, quæ sic habet: *Si quo causa vel contentiones inter Clericos tam superioris, quàm inferioris ordinis, fuerint exorta, ut secundùm Nicænam Synodum congregatis ejusdem Provinciæ Episcopis jurgium terminetur, nec alicui liceat (sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri) relictis his Sacerdotibus, qui in eadem Provincia Dei Ecclesiam divino nutu gubernant, ad alias convolare Provincias. Quòd si quis fortè præsumpserit, & ab officio Clericatûs submotus, & injuriarum reus ab omnibus judicetur. Si autem Majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post judicium Episcopale referuntur.*

Confirmator ex facto ipsius Innocentii I. qui cùm Bubali & Tauriani in Synodo Macedoniæ damnatorum causam retractasset, de illa novitate graviter conquesti sunt illius Provinciæ Episcopi. Quid porrò egit Summus Pontifex ut tam gravibus satisfaceret querimoniis? Protulitne auctoritatem Canonum Sardicensium? Laudavitne Antecessorum suorum consuetudinem? Nequaquam. Solam æquitatem prætendit, scribens veritatem magis splendescere cùm exagitatur. At Canones Sardicenses non omisisset, si tunc in usu fuissent: Aut certè majorum consuetudinem laudasset, si ea viguisset consuetudo retractandi judicia Conciliorum Provincialium. Igitur Innocentii ævo nondum ea consuetudo invaluerat.

Major constat ex ipsis Innocentii verbis in Epistolâ 7. ad Episcopos Macedoniæ. *Grave*, inquit, *non oportuit videri piissimis mentibus vestris cujuscumque retractari judicium; quia veritas exagitata sæpius, magis splendescit in luce; & pernicies revocata in judicium graviùs, & sine illius qui primus judicavit, Pœnitentiâ condemnatur. Nam fructus divinus est, justitiam sæpius recenseri.*

Respondeo; Nego majorem prioris argumenti, Colligitur enim ex illâ Innocentii I. Epistolâ. causas Episcoporum ad Synodos Provinciales deferri debere quantùm ad primam cognitionem, non verò tamquam ad ultimos supremosque judices, a quorum sententia appellari non possit. Nego etiam minorem: Illa namque verba (*sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri*) Privilegium iodicant in Concilio Sardicensi confirmatum, quod jurisdictionis illam plenitudinem Romano Pontifici asseruit, decernendo ut Episcopis a sententia Metropolitanorum ad Romani Episcopi tribunal liceret appellare. Nam in Concilio Nicæno ne verbum quidem extat his de rebus.

Ad Confirmationem, Distinguo minorem: Canones Sardicenses non omisisset, si necessaria fuisset eorum allegatio, concedo; si non fuisset necessaria, nego. Non erat autem necesse ut Innocentius I. ad Episcopos Macedoniæ illa de causa scribens, Canones Sardicenses laudaret, quia novum examen causæ Bubaliani, & Tauriani ab ipso fieri posse, novamque proferri sententiam non inficiabantur, nec ægrè ferebant causam illam ab ipso retractari: quinimo querimonias suas contra utrumque ad Summum Pontificem direxerant, semel & iterum, ut testatur Innocentius in Epistolâ ad ipsos datâ: *Mora*, inquit, *Coëpiscoporum nostrorum Maximiani & Eumenii, vel potius importunitas temporum fecit ut vos iteraretis de Bubalio & Tauriano querimoniam, & nos iterum in homines perditissimos insurgeremus.* Cur enim ambo ad Romanum Pontificem querelas contra dictos Episcopos suas direxissent, nisi ipsum judicem agnovissent in causis Episcoporum Synodis, Provincialibus superiorem? Præterea, qua ratione conqueri potuissent de retractata Bubaliani & Tauriani causa? Siquidem illorum Metropolitanus, nempe Rufus Thessalonicensis ad quem Inoocentii Epistola directa est, Sedis Apostolicæ per Macedoniam Vicarius erat eâ lege Illyrici Ecclesiis præfectus, ut gravioribus de causis, difficilioribusque negotiis ad Summum Pontificem referret. Quomodo itaque ægrè tulissent Episcopi illi, ut causa a Vicario Romani Pontificis judicata, ab ipso Romano Pontifice retractaretur? Non igitur hac de re conquesti erant apud Innocentium Macedoniæ Episcopi: sed de nova Bubaliani, & Tauriani audacia, qui literas Pontificias supposuerant, iisque gloriabantur insolentiùs, ut se Sedis Apostolicę communione frui, plebibus imponerent. Id patet ex ipsâ Innocentii I. Epistolâ. *Verùm*, inquit, *illud video movisse animos vestros, quod in multis Bubalius fallaciis sæpe deprehensus, objecerit exemplaria fictarum quasi a nobis Literarum; cùm pro consuetudine hominis nihil quod proferret, jam Fide dignissimum videretur.*

Objectio nona ducitur ex contentione Ecclesiæ Africanæ cum Zosimo, Cælestino, & Bonifacio Romanis Pontificibus, circa jus appellationum. Istud enim Sedi suæ vindicabant illi Pontifices: contra verò Antistites Africani, quos inter eminebat S. Augustinus, jus illud impugnabant. Itaque tunc temporis non erant recepti in Ecclesia Africana Canones Sardicenses, neque invaluerat appellationum usus.

Ecclesiæ Africanæ sententia de Disciplina circa Episcoporum appellationes.

Probatur antecedens, exponendo illius controversiæ statum, progressum, & exitum. Cùm ce-

lebranda esset Synodus Carthagine, ad quam ex cunctis Africanæ Ecclesiæ Provinciis convenire deberent Episcopi; Zosimus Pontifex Legatos Apostolicos misit in Africam cum mandatis ad illius regionis Synodum perferendis. Hi erant Faustinus Episcopus Potentinus in Piceno, Philippus & Asellus Presbyteri. Quatuor acceperant in mandatis, cum Africanis Episcopis agenda. Primum de appellationibus Episcoporum ad Romanum Pontificem. Secundum, ne ad Comitatum, id est ad Aulam, Episcopi importunè navigarent. Tertium, de tractandis Presbyterorum & Diaconorum causis apud finitimos Episcopos, si a suis excommunicati perperam fuissent. Quartum de Urbano Episcopo excommunicando, vel etiam Romam evocando, nisi ea, quæ videbantur corrigenda, corrigeret; id est, nisi Apiarium Presbyterum suum, qui de sententia exauctorationis in se lata provocaverat ad Apostolicam Sedem, gradui sui restitui pateretur. Ista constant ex Epistolâ Synodali Concilii Africani ad Bonifacium Papam, insertâ Codici Canonum Ecclesiæ Africanæ cap. 134.

Quoad primum caput, scilicet appellationes Episcoporum ad Sedem Apostolicam, Zosimus eas auctoritate Nicænorum Canonum inniti profitebatur, ut patet ex Commonitorio, quod suis tradidit Legatis, & quod cap. 3. Concilii Carthaginensis VI. refertur. *Ita dixerant*, inquit, *in Concilio Nicæno, cùm de Episcoporum appellatione decernerent: Placuit autem ut si Episcopus accusatus fuerit*, &c. Recitat integrum Canonem septimum Concilii Sardicensis, quem supra retulimus, Sardicenses Canones appellans Nicænos, ob rationes aliàs adductas. Interim Africani Episcopi, qui Canonem illum non reperiebant in exemplaribus Nicæni Concilii a Cæciliano Carthaginensi Episcopo, qui Nicænæ Synodo interfuerat, in Africam delatis, responderunt dubios esse Canones a Faustino prolatos: decreverunt autem mittendos esse Legatos ad Episcopos Alexandrinum & Constantinopolitanum, quorum in Ecclesiis authentica Nicæni Concilii exemplaria esse dicebantur, ut agnosci posset an reverà hi Canones ad Nicænam Synodum pertinerent. Tum etiam decreverunt, monendum de hoc esse Bonifacium Papam Zosimi successorem, ut & ipse curam quoque suam in conquirendis veris exemplaribus Nicæni Concilii adhiberet. Polliciti sunt tamen, se obedituros huic Canoni, si constaret a Nicæna Synodo esse sancitum: sin minùs, de hoc negotio in sequenti Concilio acturos. Interim statuerunt, juxtà quod censuerat Sanctus Augustinus, ut Canon de Appellationibus Episcoporum executioni mandaretur, donec de Canonibus Nicænis constitisset. Hæc omnia patent tum ex Actis Concilii VI. Carthaginensis, tum ex Epistolâ Synodicâ ad Bonifacium; Sic enim Alypius Tagastensis Episcopus, Legatus Provinciæ Numidiæ, cap. 4. Concilii Carthaginensis: *De hoc jam superioribus etiam literis Concilii nostri rescripsimus, & id nos servaturos profitemur, quod in Nicæno Concilio constitutum est. Adhuc tamen me movet, quoniam cùm inspiceremus Græca exemplaria hujus Synodi Nicænæ, ista ibi, nescio qua ratione, minimè invenimus. Unde petimus Venerationem tuam, sancte Papa Aureli, ut quia hoc authenticum Concilium Nicænum in Urbe dicitur esse Constantinopolitana, aliquos eam scriptis tua Sanctitatis mittere digneris; & non solùm ad ipsum S. Fratrem nostrum Constantinopolitanum Episcopum; sed etiam ad Alexandrinum, & Antiochenum venerabiles Sacerdotes, qui hoc nobis Concilium cum subscriptione literarum suarum dirigant, ut omnis postmodum ambiguitas auferatur: quia nos, ita ut Frater Faustinus attulit, minimè invenimus. Ista tamen nos tantisper servaturos, ut antea dixi, donec integra exemplaria veniant, profitemur. Petendus est autem literis nostris & venerabilis Ecclesiæ Romanæ Episcopus Bonifacius, ut ipse quoque dignetur ad memoratas Ecclesias aliquos mittere, qui eadem exemplaria prædicti Nicæni Concilii, secundùm eius possint scripta proferre.* Et postquam Canon alter Sardicensis recitatus esset, Sanctus Augustinus Numidiæ Legatus dixit: *Et hoc nos servaturos profitemur, salva diligentiore inquisitione Concilii Nicæni.*

Et cap. 8. Faustinus Apostolicæ Sedis Legatus, ait: *Ergo, ut placet nobis, & Beatitudini vestræ, ad sanctum & venerabilem Ecclesiæ Romanæ Bonifacium Episcopum vestra scribere dignetur Sanctitas, ut & ipse, quod Sanctus Augustinus statuere dignatus est, deliberare possit, utrùmnam & hoc reticendum sit, an concedendum, hoc est, de Appellationibus inferioris gradûs. Si ergo adhuc in dubium venit de hoc capitulo, instum est ut beatus Romanæ Sedis Episcopus informari debeat, si tamen in approbatis Canonibus hoc inveniri possit.*

Eadem scribunt Africani Patres in Epistolâ ad Bonifacium Zosimi successorem. Ipsum tamen monent, intelligere etiam Sanctitatem eius prorsùs iniquum esse, ut Afri typhum istum patiantur, si constiterit Canones illos abesse a Nicæna Synodo: tametsi, ut aiunt, in Italia custodiatur, quod Canonibus prolatis statutum est. *Hæc utique*, inquiunt, *usque ad adventum verissimorum exemplarium Nicæni concilii, inserta vestris sunt: quæ etsi, quemadmodum ipso, quod apud nos fratres ex Apostolica Sede directi allegaverunt, commonitorio continerentur, eoque ordine vel apud vos in Italia custodirentur, nullo modo nos talia, qualia commemorata jam nolumus, vel tolerare cogeremur, vel intolerabilia pateremur. Sed credimus, adjuvante misericordia Domini Dei nostri, quòd tua Sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente non sumus jam istum typhum passuri; & servabuntur erga nos ea, quæ, nobis etiam non disserentibus, custodiri debeant, cum fraterna charitate. quæ secundùm sapientiam atque justitiam, quam Tibi donavit Altissimus, etiam ipse perspicis esse servanda, si fortè aliter se habeant Canones Concilii Nicæni.*

Narrant tandem quàm benignè egerint cum Apiario in gratiam Apostolicæ Sedis: *Apiarius Presbyter, de cujus ordinatione & excommunicatione fuerat exortum, non solùm Siccensi, verùm etiam toti Africanæ Ecclesiæ non leve scandalum, de omnibus erratis suis veniam petens, Communioni est restitutus. Prior autem Coëpiscopus noster Siccensis Urbanus, quod in eo corrigendum visum est, sine ulla dubitatione correxit. Quia verò paci & quieti Ecclesiæ non tantùm in præsens, sed etiam in posterum prospiciendum fuit, quoniam talia multa præcesserant, ut vel similia, vel etiam graviora deinceps præcaveri oporteret: Placuit nobis, ut de Siccensi Ecclesia, retento scilicet honore gradûs sui Presbyter removeretur Apiarius: & accepto epistolio, ubicumque alibi vellet, & posset, Presbyteri munere fungeretur.*

Interim Cyrillus Episcopus Alexandrinus, & Atticus Constantinopolitanus ad Africanos Episcopos miserunt exemplaria Canonum XX. Concilii Niceni, inter quos non extabat ille quem Zosimi jussu Faustinus protulerat: parum tamen id profuit. Nam Cœlestinus Pontifex, qui Bonifacio successerat, non multò post admisit appellationem Apiarii Presbyteri, ob nova crimina iterum ab Episcopo suo depositi, eumque restituens, Legatum in Africam, pro executione restitutionis, Faustinum misit; atque hoc agendi modo violasse visus est Canones non tantùm Nicænos, sed & Sardicenses, qui Presbyterorum appellationem prohi-

hibebant. Congregato Concilio Africano, nihil non egit Faustinus, ut Apiarius communioni graduique suo restitueretur, asserens Ecclesiæ Romanæ privilegia: Sed incassum laboravit. Cùm enim Concilium causæ cognitionem suscepisset, convictus est Apiarius propria confessione, præsente Faustino. Hæc ex Epistolâ Africanorum Patrum ad Cælestinum Pontificem Maximum constant. *Adveniente*, inquiunt, *ad nos sancto Fratre & Coëpiscopo nostro Faustino, Concilium congregavimus, & credidimus ideò eum illò missum, quoniam sicut per ejus operam Presbyterio antè redditus fuerat* (Apiarius) *ita nunc posset de tantis criminibus a Tabracenis objectis, eo laborante purgari: cujus tanta ac tam immania flagitia nostri Concilii examen invenit, ut & memorati* (Faustini) *patrocinium potiùs quàm judicium, ac defensoris magis operam, quàm disceptatoris justitiam superarent. Nam primùm quantùm obstiterit Congregationi* (Faustinus) *diversas injurias ingerendo, quasi Ecclesiæ Romanæ asserens privilegia, & volens eum a nobis in communionem suscipi, quem tua Sanctitas credens appellasse* (quod probare non potuit) *Communioni reddiderat, quod minimè tamen licuit, quod etiam gestorum ex lectione meliùs cognosces. Triduano tamen laboriosissimo agitato judicio, cùm eidem diversa objecta afflictissimi quæreremus; vel moras Coëpiscopi nostri Faustini, vel tergiversationes ipsius Apiarii, quibus nefandas turpitudines occulere conatur, Deus judex justus, fortis, & longanimis, magno impendio resecavit. Tetriore quippe ac putridiore obstinatione compressa, quâ tantùm lividum cœnum impudentiâ negationis volebat obtuere, Deo nostro ejus conscientiam coarctante, repente in confessionem cunctorum objectorum flagitiorum dolosus necator erupit.*

Rogant subinde Cælestinum I. ne deinceps appellationes hujusmodi Presbyterorum, imò nec Episcoporum recipiat, quia Nicæni Concilii Canonibus adversantur; tantùm abest, ut quæ pro istarum appellationum tuitione laudaverat Faustinus, in germanis exemplaribus reperiri potuerint. *Impendiò deprecamur*, inquiunt, *ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non faciliùs admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere; quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facilè advertet Venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus Clericis, vel Laicis, videtur ibi præcaveri, quantò magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua Provincia Communione suspensi a tua Sanctitate vel festinatò, vel præproperè, vel indebitè videantur communioni restitui? Presbyterorum quoque & sequentium Clericorum improba refugia, sicuti te dignum est, repellat Sanctitas tua: quia & nullâ Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & Decreta Nicæna, sive inferioris ordinis Clericos, sive ipsos Episcopos, Metropolitanis suis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim, justissimèque providerunt, quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda; nec unicuique Provinciæ gratiam Sancti Spiritûs defuturam, quâ æquitas a Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissimè teneatur: maximè quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit Cognitorum, ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam Universale provocare.*

Et infra: *Aut quomodo ipsum Transmarinum Judicium ratum erit, ad quod testium necessaria persona, vel propter sexûs, vel propter senectutis infirmitatem, multis aliis intervenientibus impedimentis, adduci non poterunt? Nam ut aliqui tamquam a tuæ Sanctitatis latere mittantur, nullâ invenimus Patrum Synodo constitutum: quia illud quod pridem per eumdem Coëpiscopum nostrum Faustinum, tamquam ex parte Nicæni Concilii, exinde transmisistis, in Conciliis verioribus, quæ accipiuntur Nicæna, a S. Cyrillo Coëpiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & a venerabili Attico Constantinopolitano Antistite, ex authentico missis, quæ etiam ante hoc venerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo prædecessori vestro a nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquod non potuimus reperire.*

Orant præterea Summum Pontificem, ne Clericos mittat executores suorum Decretorum, quomodo Faustinum miserat. *Executores etiam Clericos vestros, quibusque petentibus nolite mittere, ne fumosum typhum sæculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.* Denique securos se ajunt, quòd probitas, & Apostolica Summi Pontificis moderatio Faustinum in Africa non ulteriùs patietur, sed Romam quantocyus revocabit. Ex his omnibus constat, Ecclesiam Africanam jus Appellationum ad Summum Pontificem non agnovisse, neque appellandi morem adhuc invaluisse apud Africanos Episcopos initio quinti sæculi.

Respondent Viri Eruditi cum eminentissimis doctissimisque Cardinalibus Bellarmino, Baronio, & Perronio, Africanos Episcopos non improbasse jus Appellationum quoad substantiam ipsam rei, sed tantùm quoad modum illas prosequendi, sive nimiam facilitatem Pontificum in recipiendis hujusmodi appellationibus, non Episcoporum dumtaxat, sed Presbyterorum, illosque, causâ plerumque indiscussâ, restituendi in communionem, & pristinam dignitatem. Idque his verbis significari contendunt: *Ne in sua Provincia communione suspensi, a tua Sanctitate, vel festinatò, vel præproperè, vel indebitè videantur communioni restitui.*

Baronius ad ann. Christi 419. Tom. 5. Annal. *Perronius*, cap. 52. Replicæ ad Sereniss. Magnæ Britanniæ Regem.

Verùm hæc solutio facilè everti potest, ac ostendi Africanos Episcopos jus appellationum, quoad substantiam ipsam rei, Romano Pontifici denegasse. Volunt namque persuadere Cælestino Primo, illum non debere suscipere Appellationes Episcoporum, aut Presbyterorum Africæ: primò quia hæc Disciplina repugnat apertè Definitionibus Concilii Nicæni. *Hoc etiam Concilio Nicæno definitum facilè advertet Venerabilitas tua* (inquiunt) *& Decreta Nicæna, sive inferioris ordinis Clericos, sive ipsos Episcopos, Metropolitanis suis apertissimè commiserunt.* Secundò, quod nulla proferri possit lex Ecclesiastica, quæ jus eripuerit Africanæ Ecclesiæ, causas Episcoporum finiendi. *Nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ.* Tertiò, quia causæ Ecclesiasticæ iis in locis finiri debent, ubi primùm natæ sunt. *Quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda.* Quartò, quia Spiritus Sancti gratia cuilibet Provinciæ non deerit, secundùm Christi pollicitationem. *Nec unicuique Provinciæ gratiam Spiritûs Sancti defuturam.* Quintò, quia testes Romam navigare non possent. *Quomodo judicium transmarinum ratum fuerit, ad quod testium necessaria persona, vel propter sexûs, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis adduci non poterunt?* Sextò, quia illis qui se iniquè damnatos putaverint, liberum est vel ad Provincialia Concilia, vel ad Concilium Generale totius Africæ appellare. *Quia unicuique concessum est, si judicio fuerit offensus Cognitorum, vel ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam Universale provocare.* Porrò hæ rationes non solùm frequentiorem usum appellationum, sed jus ipsum istius Disciplinæ impugnant. Igitur Africana Ecclesia non de modo tantùm, sed de jure Appellationum cum Romanis Pontificibus contendebat. Hac igitur solutione relicta;

Respondeo, Ecclesiam Africanam Appellationes ad Romanum Pontificem aliquamdiu impugnasse errore facti deceptam, sed statim jus illud agno-

agnovisse ac veneratam fuisse, cùm eo ab errore liberata est, quod non multò post contigit. Explico solutionem. Cùm Zosimus in Commonitorio quod Faustino dedit, jus Appellationum Episcopalium suscipiendarum, judicandarumque, Romanæ Sedi assereret ex Canonibus Nicænis, Africæ Episcopi Nicæni Concilii Canones scrutati, tum in Codice quem penes se habebant, tum in exemplaribus quæ in Ecclesiarum Orientalium scriniis conquisierant, compererunt laudatos a Zosimo Canones Concilii Nicæni non esse. Hinc collegerunt, usum Appellationum ad Sedem Romanam in causis Episcoporum, qui in Ecclesia Africana dudum obtinuerat, ut constat ex Epistolâ 162. Sancti Augustini, in qua ait Cæcilianum ab Africanis Episcopis Donatistis damnatum, potuisse causam suam reservare judicio Ecclesiarum Apostolicarum, & Ecclesiæ præsertim Romanæ in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus: Collegerunt, inquam, Africani Antistites ex Commonitorio Zosimi, usum Appellationum suppositītiis niti Canonibus; & Sardicenses Canones Ecclesiam Africanam quoad hoc Disciplinæ caput non obligare, siquidem eos Zosimus proprio sub titulo non laudaverat, sed sub nomine Nicænorum. Quamobrem jus illud totis viribus impugnarunt, non jus arbitrati, sed injuriam: maximè cùm non Episcoporum tantùm, sed simplicium etiam Presbyterorum Appellationes Romanus Pontifex susciperet atque judicaret, quod & Nicænis, & Sardicensibus Canonibus æquè repugnabat. Illam autem Disciplinam eò impugnarunt vehementiùs quò Apiarii Presbyteri improbitatem patrocinium invenisse apud Legatos Pontificios conspiciebant. Verùm non diu in illo errore versata est Ecclesia Africana. Constat enim illam sub ipsius Cœlestini I. Pontificatu Appellationi Antonii Fussalensis Episcopi ad Romanam Sedem detulisse. Id patet ex Epistolâ 261. Sancti Augustini ad illum Pontificem datâ, ubi ipsum de omnibus quæ contra dictum Antonium Fussalensem in Africæ Concilio gesta fuerant, certiorem facit. Quòd verò non dubitaverit Sanctus Augustinus, quin dictum Episcopum, licèt a Synodo Africana exauctoratum, Sedi suæ restituere posset Romanus Pontifex, ex eo colligitur, quòd ipse Augustinus scribit ad Cœlestinum, se Episcopatu cessurum, si ipsum Episcopatui restitui contingat. En ejus verba: *Judicia quippe illis* (Fussalensibus) *& publicas potestates, & militares impetus, tamquam executores Apostolicæ Sedis sententiam, sive ipse, sive rumores creberrimi comminatur ...... Non sinas ista fieri, obsecro te per Christi sanguinem, per Apostoli Petri memoriam qui Christianorum Præpositos populorum monuit ne violenter dominentur inter Fratres ...... Neque Fussalensibus succenseo, quia justam de me querimoniam ingerunt auribus tuis, quod eis hominem nondum mihi probatum, nondum saltem ætate firmatum, a quo sic affligerentur inflixi. Neque huic noceri volo, cui quantò magis sinceram habeo charitatem, tantò magis pravæ ejus cupiditati obsisto. Utrique misericordiam mereantur tuam; illi ne mala patiantur, iste ne faciat: illi ne oderint Catholicum, si a Catholicis Episcopis, maximèque ab ipsa Sede Apostolica contra Catholicum non eis subveniatur Episcopum: iste autem ne se tanto scelere obstringat, ut quos molitur invito facere suos, a Christo faciat alienos. Me sanè in isto utrorumque periculo, tantus timor & mœror excruciat, at ab officio cogitem gerendi Episcopatum abscedere, si per eum, cujus Episcopatui per imprudentiam suffragatus sum vastari Ecclesiam Dei &, quod ipse Deus avertat, etiam tum vastantis perditione perire conspexero.*

Cum autem quereretur Antonius, quòd honore Episcopatus servato, sibi Sedes adempta esset; Sanctus Augustinus plures alios Episcopos in Africa similem excepisse sententiam memorat, quæ illis appellantibus, ab Apostolica Sede confirmata fuerit. *Sed ille quod a nobis aut benignè, aut remissè factum est, in præscriptionem vertere, atque usurpare conatur. Clamat, Aut in mea cathedra sedere debui, aut Episcopus esse non debui ..... Existat exemplo ipsâ Sede Apostolica judicante, vel aliorum Judicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam, nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quæ ut a nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo. Clamet Priscus Provinciæ Cæsareensis Episcopus: Aut ad primatum locus sicut cæteris, & mihi patere debuit: aut Episcopatus mihi remanere non debuit. Clamet alius ejusdem Provinciæ Victor Episcopus, cui relicto in eadem pœna, in qua & Priscus fuit nusquam nisi in Diœcesi ejus ab alio communicatur Episcopo: Clamet, inquam; Aut ubique communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui. Clamet tertius ejusdem Provinciæ Laurentius Episcopus, & prorsus hujus vocibus clamet; Aut in cathedra, cui ordinatus sum sedere debui, aut Episcopus esse non debui. Sed quis ista vituperet, nisi qui parum attendit, nec inulta omnia relinquenda, nec uno modo omnia vindicanda.* Ex quibus colligitur, Ecclesiam Africanam, jus Appellationum ad Romanum Pontificem, quod usque ad Zosimi tempora agnoverat ex antiqua traditione & consuetudine, quam firmaverant Canones Sardicenses, & quod aliquamdiu impugnaverat errore facti, non multò post illo errore liberatam rursus agnovisse, ac pro sua erga Sedem Apostolicam veneratione & observantia, illi Disciplinæ paruisse cùm in causa Antonii Fussalensis, tum aliorum Episcoporum.

Respondeo secundò, Ecclesiam Africanam impugnasse dumtaxat Appellationes Presbyterorum ad Sedem Apostolicam; & Appellationes Episcoporum, quæ fierent immediatè ante Concilii Provincialis, aut universalis Concilii Africæ examen & judicium, ut eorum auctoritatem declinarent: non verò Appellationes legitimas & Canonicas, quæ fiebant a Conciliis Provincialibus & Nationalibus Africæ ad Sedem Apostolicam. Id probant illa verba Epistolæ Concilii Africani ad Cœlestinum I. *Maximè quia unicuique concessum est si judicio fuerit offensus Cognitorum, ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam Universale provocare.*

Respondeo tertiò, Controversiam inter Africanos Episcopos & Romanam Sedem non fuisse motam de Appellationibus Episcoporum dejectorum ad Romanum Pontificem, Sed de Appellationibus Episcoporum, qui a suis Metropolitanis fuerant excommunicati. Nam de Episcoporum depositione in Epistolâ Concilii Africani ad Cœlestinum I. ne levis quidem mentio; sed solùm de excommunicatione, a qua Pontifices Episcopos Romam confugientes plerùmque absolvebant, causâ indiscussâ. Id constat ex illis verbis: *Ne in sua Provincia communione suspensi, a tua Sanctitate, vel festinatò, vel præproperè, vel indebitè videantur communioni restitui.* Et supra: *Impendiò deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non faciliùs admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis recipere; quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facilè advertet Venerabilitas tua;* Canone scilicet V. quo decernitur, *Ut qui communione privantur, seu ex Clero, seu ex Laico ordine, ab Episcopis per unamquamque Provinciam, sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.* Controversia itaque Africanorum Antistitum, non spectabat speciem, quam spectant Canones Sardicen-

censes, qui de Episcopis depositis disertè loquuntur, eisque jus Appellationis ad Romanum Pontificem asserunt, & Romano Pontifici jus, Christi concessione, cum primatu collatum, de Appellationibus illis judicandi, confirmant. Ex controversia igitur Ecclesiæ Africanæ cum Zosimo, & ejus Successoribus, inferri non debet ipsam non admisisse illo ævo Canones Sardicenses; aut licitum non fuisse Africanis Episcopis, secundùm suæ Ecclesiæ mores, ad Sedem Apostolicam appellare, si Provincialis, Nationalisve Synodi sententiâ depositi essent.

Contra. In Conciliis Ecclesiæ Africanæ prohibitæ fuerunt Appellationes, nedum Clericorum, verùm etiam Episcoporum, ad judicia transmarina, ut constat ex Canone 22. Concilii Milevitani: ergo jus appellationum in Africana Ecclesia non obtinuit.

Respondeo, Nego antecedens. Hæc enim prohibitio Episcopos non spectat, sed Clericos dumtaxat inferiores, ut ex verbis Canonis evidens est: *Placuit ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in causis quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint; vicini Episcopi eos audiant, & inter eos quisquid est finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quòd si & ab eis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur.* Ex quibus colligitur, Canonibus quidem Africanis vetitum Presbyteris fuisse, ne ad transmarina, adeòque ne ad Romanam Sedem provocarent, non verò Episcopis.

Contra. In Collectione Canonum Ecclesiæ Africanæ, idem Canon extenditur ad Episcopos; ita enim habet: *Quòd si ab eis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum, sicut & de Episcopis sæpe constitutum est.* Non igitur Clericorum tantùm inferioris gradûs, verùm Episcoporum Appellationes ad Romanam Sedem, vetitæ erant Canonibus Africanis.

Non habetur etiam hæc clausula in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, quem edidit Justellus, cap. 125.

Respondeo, Hanc clausulam, *sicut & de Episcopis sæpe constitutum est*, irreptitiam esse, cùm nec in Canone Milevitano habeatur, nec a Cresconio Africano in sua Canonum Collectione referatur, nec ullius Africani Concilii Canon proferri possit, quo Episcoporum Appellationes ad Apostolicam Sedem vetitæ sint. Et certè si Canon extitisset hujusmodi ab Ecclesia editus Africana, illum non omisissent Africani Episcopi ad Cœlestinum Primum scribentes; cùm omnia momenta illâ in Epistolâ protulerint, quæ jus Appellationum ad Romanum Pontificem concutere poterant. Præterea, Collectio illa Canonum Ecclesiæ Africanæ adornata fuit in Concilio Carthaginensi 6. unde & sexti Carthaginensis Concilii nomen præ se fert. At hoc in Concilio additam fuisse istam clausulam, nequaquam verisimile est. Quis enim credat Africanos Episcopos prohibuisse Appellationes ad Romanum Pontificem, quo tempore ad Bonifacium I. scribebant, se Disciplinam illam servaturos, si Canonibus Concilii Nicæni congrueret?

Respondeo secundò citatum Canonem paulò aliter referri in Codice Hadriani I. quem Carolo Magno dedit. Ibi enim his verbis enuntiatur, quę legitimum ejus sensum suggerunt: *Ut Clerici qui ad transmarina, non ad Primates suos provocaverint, in communionem non recipiantur.* Ex quibus constat, quòd Clericis Africanis vitio non vertebatur, quòd provocarent ad transmarina, sive ad tribunal Romani Pontificis; sed quòd per saltum provocarent, contemptis judiciis Primatum suorum, & Conciliorum Africæ; quæ maxima erat veteris Disciplinæ corruptela.

Denique notanda sunt verba Canonis 105. Codicis Africani, quæ ita habent: *Quicumque non communicans in Africa, in transmarinis ad communicandum obrepserit, jacturam Clericatûs accipiat.* Nam cùm obreptum, ex Ulpiano, idem sit quod mendacio & dolo impetratum; hujus Canonis genuinus sensus est: Si quis excommunicatus in Africa, mendaciis & dolis impetraverit communionem a Romana Sede, Clericatu privetur. Verùm eos non percellit Canon iste, qui legitimæ Appellationis suffragio, ad Sedem Apostolicam confugerint.

Contra. Canon nonagesimus sextus Codicis Africani vetat, ne a Judicibus electis appelletur. *Si autem fuerit provocatum*, inquit, *eligat qui provocaverit, Judices, & cum eo & ille contra quem provocaverit, ut ab ipsis deinceps nulli liceat provocare.* Igitur non licebat appellare etiam ad Romanum Pontificem, in Ecclesia Africana.

Respondeo: Distinguo consequens. Non licebat appellare a Judicibus electis, concedo; non licebat appellare absolutè, nego. Prohibuit igitur Ecclesia Africana, non quidem ne appellaretur ad Romanum Pontificem; sed ne appellaretur ad ullum omnino tribunal a judicibus electis; quia hoc ipso quòd partes de Judicibus convenerant, quibus supremam sponte contulerant judicandi auctoritatem, omni alteri juris remedio, adeòque & appellationis juri renuntiasse censebantur. Unde sicut malè inferretur, illicitam esse appellationem ad supremum Senatum, a sententia Prætorii civilis; quia non liceret appellare post judicium arbitrorum, quibus summa judicii totius a partibus delata esset: ita perperam colligitur, prohibitas fuisse in Ecclesia Africana Episcoporum appellationes ad Romanam Sedem, quia illius Ecclesiæ Canonibus sancitum erat, ne a judicibus, qui mutuo partium consensu electi fuissent, appellaretur.

Respondeo secundò, hos Canones intelligendos esse dumtaxat de causis profanis Clericorum, sive civilibus, sive de causis criminis. Namque Ecclesiæ Africanæ Disciplinâ sancitum erat, ut ad illas causas finiendas judices arbitri ex Clericorum cœtu eligerentur, ne ad sæculares Magistratus deferretur earum cognitio in dedecus Cleri. Cæterùm de causis Ecclesiasticis longè alia erat ratio; quia penes Metropolitanos & Concilia illas judicandi versabatur auctoritas. Hunc esse laudati Canonis sensum, colligitur ex nonagesimo quinto illum immediatè antecedente, & his verbis expressus: *Placuit ut non sit ultra fatigandis Fratribus anniversaria necessitas, sed quoties exegerit causa communis, id est, totius Africæ, undecumque ad hanc Sedem de hac re datæ literæ fuerint, congregandam esse Synodum, in ea Provincia ubi opportunitas persuaserit: causæ autem, quæ communes non sunt, in suis Provinciis judicentur.*

Idem sensus eruitur ex Canone 55. ejusdem Collectionis, cujus hæc sunt verba: *Item placuit ut quisquis Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, seu Clericorum, cùm in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel civilis causa commota, si relicto judicio Ecclesiastico, publicis judiciis purgari voluerit; etiamsi pro ipso prolata fuerit sententia, suum locum amittat, & hoc in criminali actione: in civili verò, perdat quod evicit, si locum suum obtinere maluerit ..... Sanè si ex consensu partium electi fuerint judices, etiam a pauciori numero quàm constitutum est, non liceat provocari.*

Id denique confirmatur ex Canone 9. Concilii 3. Carthaginensis, quo prohibetur pariter Ecclesiasticis Viris, ne causas suas ad sæcularia tribu-

bunalia deferant, hujusque prohibitionis ratio assignatur his verbis: *Cui enim ad eligendos judices undique patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio judicat, qui de Ecclesia malè sentiendo, de judicio sæculari poscit auxilium: cùm privatorum Christianorum causas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atque ibi determinari præcipiat.* Ex quibus omnibus constat, Appellationem illam a judicibus electis, prohibitam dumtaxat fuisse in causis profanis Clericorum, non verò in causis Ecclesiasticis.

SCHOLION I.

In hac Dissertatione, pag.500. Religiosi Censores, hanc Propositionem notant: *Jus Appellationum ad Sedem Romanam, a Synodo Sardicensi non est institutum sed confirmatum.* Tò *confirmatum*, non placet, (inquiunt) quia jus Romanæ Sedis non pendet a confirmatione Synodi.

R. Non dixi, jus Romanæ Sedis a Synodi confirmatione pendere. Agnosco, scripsique non semel ac propugnavi, Summi Pontificis Primatum, & quæ ex primatu necessariò consequuntur Privilegia, *Christi ore in Beato Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, & a sanctis universalibus Synodis celebrata atque a cuncta Ecclesia jugiter venerata nullatenus posse minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus: & quod Deus statuit, firmum validumque consistit*; ut scribit Nicolaus I. Epistolà 8. Sed hujusmodi Privilegiorum celebratio & veneratio a Synodis, quid aliud est quàm eorum confirmatio? communem loquendi modum, & vim illius verbi, *confirmare*, ignorant, qui ex eo sequi putant ut id omne ab altero pendeat, a quo dicitur confirmari. Fidem Catholicam à Conciliis confirmari dicimus; Filii Divinitatem a Nicæna Synodo confirmatam; Concilium Tridentinum Canonem Librorum Sacrorum, aliaque Fidei dogmata confirmasse; quæ tamen a Conciliis non pendent, utpote divina, vel a Christo non minùs constituta quàm jura Apostolicæ Sedis. *Martinum Primum* Sanctissimum Pontificem Acta Synodi Lateranensis contra Monothelitas ad Gallicanos Episcopos misisse, eosque adhortatum esse constat encyclicis literis, ut ea suis subscriptionibus in frequenti Synodo confirmarent: *Confirmantes*, inquit, *atque consentientes eis quæ pro Orthodoxa fide & destructione Hæreticorum vesaniæ nuper exorta a nobis statuta sunt.* An propterea suum ac Synodi Lateranensis Judicium a Gallorum Præsulum confirmatione pendere existimavit aut significavit Martinus Primus?

Epistola ad Amandum Trajectensem Episcopum.

SCHOLION II.

Religiosi Censores hanc Propositionem notant, pag.501. *Romanus Pontifex Superior Episcopis divisim sumptis.*

R. Ea de re velut de inconcusso & Catholico dogmate inter omnes Theologos Orthodoxos convenit. An sit etiam superior tota collectione Episcoporum, sive Ecclesia universali, & Concilio Generali eam repræsentante, ibi non expendo. Superiorem non esse, doctrina est Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ, pluriumque ex aliis Academiis Catholicis & regionibus eruditorum Theologorum opinio; superiorem esse Conciliis ipsis œcumenicis alii opinantur.

SCHOLION III.

In eadem Dissertatione, pag.504. Editionis primæ, Religiosi Censores, hanc Propositionem notant: *Episcoporum causæ ætate Sancti Cypriani deferebantur ad sanctam Sedem, non Presbyterorum etiam in materia Fidei.*

R. Tota hæc Quæstio meri facti, non dogmatis est. Non quæro quid in Presbyterorum aut Episcoporum causis decernendis ac finiendis fieri debuerit, sed quid olim gestum sit. De veteri Ecclesiæ Africanæ Disciplina, quæ Sancti Cypriani vigebat ætate, hìc agitur. *Tunc simplicium Presbyterorum causæ in Synodis Provinciæ finiebantur, nec ipsis licitum erat ad Romanum Episcopum provocare.* Propositio mea est, quam *Sancti Cypriani* testimonio invictè probavi. Appellationes etiam Episcoporum ad Romanam Sedem tunc in usu non fuisse, nec sequenti quidem sæculo, nisi in causis Fidei, ex Ecclesiæ Africanæ Disciplina & moribus; Sed supremam fuisse Conciliorum Diœcesanorum in judicandis tam Presbyterorum quàm Episcoporum causis auctoritatem, sensit Illustrissimus Archipræsul *Petrus de Marca*; censet ejus discipulus, Operumque ipsius editor & vindex *V.C. Stephanus Baluzius*; idem propugnat eruditus Doctor Sorbonicus in Libro *De antiquis & majoribus Episcoporum Causis*, adversùs *Davidii* Librum *De Judiciis Canonicis Episcoporum*, anno 1678. Leodii edito. Ab his verò, quoad Episcoporum judicia, dissentio.

SCHOLION IV.

Religiosi Censores in Indiculo suo hanc Propositionem notant, velut ex pag.511. Editionis primæ: *Conciliorum ars est leges non scriptas proponere ac si de novo constituerentur.*

R. Hæc verba, *Conciliorum ars est*, mea non sunt. Absit ut tam inconsideratum & insipientem loquendi modum usurpaverim: Sed loco *Moris*, Religiosi Censores *artem* substituerunt. En verba mea nulli reprehensioni obnuxia: *Mos enim solemnis est veteribus Conciliis, cùm antiquas Ecclesiæ consuetudines legesque non scriptas renovant, illas proponere quasi de novo instituerent, & re in deliberationem vocata, ipsas communibus Patrum suffragiis firmare, observandasque decernere verbis futuri temporis.* Id aliquibus exemplis probavi, quod infinitis propemodum confirmari potest, & ignoratur a nemine qui Concilia non perfunctoriè legerit.

SCHOLION V.

Religiosi Censores hanc Propositionem notant in eadem Dissertatione, pag. 514. *Jus Appellationum ad Romanum Pontificem nulla lege scriptâ explicatur ante Concilium Sardicense.*

R. Ea de re inter Eruditos convenit: quorum plurimi Sardicenses Canones ne de jure quidem Appellationis, sed de uno Revisionis jure intelligendos contendunt, hujus vexillifero sententiæ Illustrissimo Archipræsule *Petro de Marca*. Ex supposititiis fortè veterum Pontificum Epistolis legem illam repetendam censent Religiosi Censores?

SCHOLION VI.

Religiosi Censores, hanc iterum Propositionem notant, pag.538. *Suprema auctoritas Papæ, salvâ Concilii Oecumenici auctoritate.*

R. Scripsi quidem *Flavianum* Appellationem suam ad *S. Leonem* detulisse, velut ad Summum Judicem, salvâ Concilii Occumenici auctoritate: Sed aliter loqui Doctor Sacræ Facultatis Parisiensis non potest. Ea enim est Theologicæ Facultatis Parisiensis, & Ecclesiæ Gallicanæ opinio ac doctrina, Concilii Oecumenici auctoritatem Pon-

tifi-

tificiâ superiorem esse. Sentiant aliarum gentium Theologi quod illis visum fuerit probabilius. Quæstio ista in opinione posita est; ad Fidem non pertinet, qua Christiani Catholici sumus, nec ad mores hinc inde meliores.

SCHOLION VII.

Religiosi Censores hanc Propositionem notant, pag.543. *Causa Theodoreti adhuc retractata fuit in Synodo Calchedonensi, quia & id juris Concilio conveniebat, & S. Leo Decreta sua Concilii subjecerat examini.*

R. Id ipsis *S. Leonis* verbis probavi in Epistolâ ad *Theodoretum* 93. aliàs 63. & tamen retractationem illam causæ *Theodoreti* minùs propriè dici subjunxi, & exposui. Utrùm id factum fuerit a Concilio, Quæstio facti est. Id injuriâ factum qui diceret, irreverentiæ in Concilium Generale a Spiritu Sancto directum reus esset.

SCHOLION VIII.

Hæc Propositio ex pag.547. Editionis primæ in Indiculo Censorio notatur: *Nec ad Romanum Pontificem poterant secundùm Canones appellare.*

R. De Presbyteris & de inferioribus Clericis ibi loquor, quod Religiosi Censores dissimularunt. En verba mea: *Cœcilianus non erat ex ordine Presbyterorum, Diaconorum, aut inferiorum Clericorum, quorum causa in Provinciis finiebantur, & qui in Judicio Metropolitani & Synodi Provincialis acquiescere debebant, nec ad Romanum Pontificem secundùm Canones appellare; sed ex ordine Episcoporum quibus appellatio hujusmodi permittebatur.* Id porrò ex *S. Augustino* confirmo, Epistolâ 43. aliàs 162.

SCHOLION IX.

Religiosi Censores, hanc Propositionem notant ex pag. 507. Editionis primæ descriptam: *Episcopi quandoque privati Sede Episcopali, non dignitate.*

R. Quæstio facti est. Id expressis verbis testatur *S. Augustinus*, Epistolâ 209. aliàs 261. ad *Celestinum I.* Romanum Pontificem, qua exponit causam Antonii Fussalensis Episcopi, qui administratione Ecclesiæ suæ ob crimina privatus, Apostolicam Sedem appellaverat.

SCHOLION X.

In hac denique Dissertatione Religiosi Censores has Propositiones notant, pag.599. Editionis primæ: *Appellationes ab Excommunicatione impugnavit Ecclesia Africana* .... pag.601. *Canones Africani vetant Appellationes per saltum* ... pag.602. *Appellationes a Judicibus electis prohibita ab Africanis.*

R. Quæstiones facti sunt, & veteris Disciplinæ quæ in Ecclesia Africana vigebat olim. Qui Epistolàm Africanorum Episcoporum ad *Cœlestinum I.* & Codicem Ecclesiæ Africanæ accurata consideratione legerit, & expenderit Canones, quorum descripsi verba, nullam ex tribus illis Propositionibus negare poterit. Ecclesiæ Africanæ vetus Disciplina, secundùm quam nemini licebat, etiam in causis Ecclesiasticis, appellare a Judicibus, quos communis partium consensus elegisset, consentanea erat Legibus Romanis, quæ a Judicibus electis appellari non posse edixerunt. Legatur Doctissimus Archipræsul *Petrus de Marca*, Libro *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, cap.16. Imò etiam in causis Episcoporum a Judicum electorum sententia ad Romanum Pontificem appellari non posse secundùm Canones, nec umquam rectà & per saltum; sive quantùm ad primam cognitionem causæ, esse ad Apostolicam Sedem deferenda, scripsit olim *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis ad *Nicolaum Primum* ex Ecclesiæ Gallicanæ sententia. Epistolam descripsit *Flodoardus* Libro 3. Historiæ Ecclesiæ Remensis, cap.13. *Absit enim a nobis*, inquit, *ut privilegium primæ & Summæ Sedis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro sic parvo pendamus, ut controversias & jurgia tam superioris quàm etiam inferioris ordinis, quæ Nicæni & cæteri Sacrorum Conciliorum Canones, & Innocentii atque aliorum sanctæ Romanæ Sedis Pontificum Decreta in Synodis Provincialibus a Metropolitanis præcipiunt terminari, ad vestram summam Auctoritatem fatigandam ducamus. At si fortè de Episcopis causa nata fuerit, unde certa & expressa in sacris Regulis non habeamus Judicia, & ob id in Provinciali vel Comprovinciali nequeat Examine definiri, ad divinum Oraculum, id est, Apostolicam Sedem, nobis inde est recurrendum. Si etiam de majoribus causis a Provinciali Episcopo ad electorum Judicium non fuerit provocatum, & in aliqua causa idem Episcopus fuerit judicatus, id est, a gradu suo in Comprovinciali Synodo dejectus, & putat se bonam causam habere, & appellaverit qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ ..... ad illius dispositionem secundùm septimum Sardicensis Concilii capitulum renovabitur examen.* Et in Epistolâ ad *Joannem Octavum* Pontificem Maximum: *A Judicibus autem, sive quos juxtà Africanos Canones, Primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint, causa finienda regulariter provocari non potest.* Cæterùm nemo non mirabitur quòd Religiosi Censores Dissertationem carpant & configant, in qua jus Appellationum ad Sedem Apostolicam totis ingenii & doctrinæ viribus, quantulæcumque sint, toto zeli ardore statuo, & vindico.

ANIMADVERSIONES in Dissertationem XXVIII. quæ est de jure appellationum ad Sedem Romanam.

§. I.

Etiam inferiores clerici poterant ad Sedem Romanam appellare, & quandoque videntur etiam in prima instantia appellasse.

EX Africanæ ecclesiæ disciplina, ac pervetusta illius Provinciç consuetudine inferioribus clericis non permittebatur ad transmarina judicia appellare, juxta canones secundæ, & quintç Synodi Carthaginensis, & juxta can.22. Synodi Milevitanæ. At jure appellare potuisse nemo negabit, nisi qui excutiens velit ex industria ignorare hujusmodi appellationum jus ex eo consurgere universali spirituali principatu, quo Christus extollere voluit Petrum ejusque successores, dum ait: *Pasce oves meas — Confirma fratres tuos.* Si proinde hujus prærogativâ principatûs romanus Pontifex supremus est in ecclesia Judex, æque omnibus datur per appellationem ipsius implorare tuitionem: ab inferioris etenim sententia Superioris tribunal adire, omnibus concessum esse ipsa naturalis æquitas suadet. Et re vera, Gregorio Magno Pontifice, etiam inferiores Clerici ex Affrica Romam suos Judices appellarunt. Unde hic Pontifex *l.1. ep.82. ad Monachum Hilarium*, meminit appellationis ad suum tribunal Felicissimi, atque Vincentii Diaconorum ecclesiæ Lamighensis & *l.2. ep.33. ad Columbum episcopum*, appellationis Constantii, & Mustelli Diaconorum.

Frequentiora sunt exempla aliarum ecclesiarum; atque ita Clerici Constantinopolitanæ Ecclesiæ a Nestorio degradati ad S. Cælestinum appellarunt, qui eos in suo gradu, & communione continuare decrevit, ut patet ex ipsius epistola 19. Ætius ejusdem ecclesiæ Archidiaconus contra Patriarcham Anatolium ad S. Leonem appellavit, ut ex ipsius epistolis 57. & 58. ad Marcianum & Pulcheriam dignoscitur, ac ipsum priori gradui restitutum dignoscitur ex epistola 71. ad Anatolium. Eutyches Archimandrita, & ecclesiæ Constantinopolitanæ presbyter, ipso etiam referente Natale, ad eumdem Pontificem appellavit. Appellarunt pariter ad S. Leonem non pauci ex clero ecclesiæ Alexandrinæ a Dioscoro Patriarcha impie vexati, ita supplices libellos inscribendo: *Sanctissimo, & beatissimo universali Archiepiscopo, & Patriarcha magnæ Romæ Leoni, & sanctissimo Concilio secundùm voluntatem Dei, & divina mandata in Chalcedonensi civitate congregato.* Ni autem Concilium tunc celebrandum, etiam ad ipsum provocandi occasionem subministrasset, ad solum Pontificem profectò suam caussam detulissent. Non inusitatæ etiam in Gallia hujusmodi fuerunt appellationes; atque ita Savinianus, ac Leo presbyteri a Rustico Narbonensi Metropolita degradati, Romæ per novum examen suam caussam cognitam voluere: cùmque ibi in eadem defecissent, S. Leo ad Rusticum remisit, ipsiusque clementiæ commendatos voluit, ut constat ex ipsius epistola 92. ad eumdem Rusticum. Tuentius pariter ecclesiæ gallicanæ clericus adversùm Proculum Massiljensem Metropolitam appellavit, ut ex epistola Zozimi ad Episcopos Africæ, Galliæ, ac Hispaniæ. Clerici Arelatenses ad Pelagium I. confugerunt, nec auditus fuit Sapaudus illius Ecclesiæ Præsul has appellationes ægerrimè ferens. Ille etiam juvenis, quem ob Virginem constupratam S. Avitus Viennensis Metropolita publicæ pœnitentiæ addixerat, ad Sedem Apostolicam provocavit. Et revera, si SS. Zozimi, Gregorii &c. epistolæ perscrutentur, passim apparebit etiam inferioris cleri appellationem ad Sedem Apostolicam ubique invaluisse.

Quòd verò in prima etiam instantia Sedem Apostolicam adirent, videntur mihi exhibêre epistolæ S. Gregorii, hujus rei exempla ex Africa, unde difficiliores erant appellationes, afferentis. Ex epistola igitur ad Monachum Hilarium, quæ habetur *l. 1. ep.72.* discimus quòd cùm Argentius episcopus, Donatistarum pretio corruptus, quosdam clericos sibi gratos senioribus clericis, & semper orthodoxis anteposuisset, Felicissimus, atque Vincentius Diaconi ad hanc removendam injuriam S. Gregorium appellarunt, episcopum insuper turpissimi criminis accusando: Gregorius verò appellantes admisit, atque Hilario tamquam suo Legato quæ præstanda forent, indicit. Comperimus etiam ex ipsius epistola ad Columbum *l.2. ep.33.* Constantium, & Mustellum Diaconos ipsi nunciasse, defuncto episcopo Donatista ecclesiæ Pudentianæ, Maximianum episcopum catholicum [plures Afrorum Ecclesiæ tunc temporis duos habebant episcopos, Orthodoxum nempe, & Donatistam] Donatistarum auro excæcatum, successorem ordinari permisisse; unde quid præstandum foret, & quomodo hoc crimen emendandum mandat. Clerus ecclesiæ Regensis suum episcopum Paulinum nimiæ sævitiei apud eumdem Gregorium accusavit; quapropter epistolis datis ad eumdem Columbum *l.10. ep.32.* & ad Victorem Numidiæ Primatem *ep.33.* hanc episcopi culpam puniendam præcipit. Hujusmodi verò judicia in prima instantia apud eamdem Sedem Apostolicam instituta credendum est, quia ex Gregorii epistolis nec vola apparet de his caussis antea actum fuisse in Ecclesia Africana. Cæterùm scio S. Bernardum in Libris de Consideratione ad Eugenium adnotasse passim admittere, ac definiri a Romanis Pontificibus immediatas clericorum appellationes recto ecclesiæ regimini adversari; ac proinde illud Apostoli *1. ad Cor. c.6. 12.* attendendum: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Plura etiam decrevit Tridentinum quoad ordinem in his servandum appellationibus.

§. II.

Etiam S. Cypriani ætate Episcopi ad Romanum Pontificem appellabant; ubi etiam Lupicini appellatio vindicatur. Dabantur pariter episcoporum appellationes a judicibus electis.

S. Cypriani ætate ac sæculo sequente non usitatas fuisse episcoporum ad Romanum Pontificem appellationes ex Petro de Marca, aliisque in scholio tertio videtur Natalis probare. At observandum ita opinandi occasionem dedisse S. Cypriani epistolam, qua conqueritur non statim Cornelium Papam rejecisse Fortunatum ad ipsum appellantem, ut ecclesiæ africanæ canones exposcebant. Verùm Cypriani verba contrarium potiùs suadent; nam cùm in ea epistola Fortunatum non semel Pseudo-episcopum, seu episcopi larvam appellet, ideo eumdem appellantem audiendum non putabat, quia non permittebatur ex Africa inferiori clero ad Romanum Pontificem per appellationem confugere, ut in superiori paragrafo animadvertendum duxi: *Quæ autem caussa*, ait, *veniendi, & pseudo episcopum contra episcopos factum nunciandi. Nam cùm statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter, & justum, ut uniuscujusque caussa illic audiatur, ubi est crimen admissum &c.* At cùm Fortunatus ut verum episcopum se haberet, accessum ad romanum Pontificem sibi intercludi non putavit; ac proinde ex hoc ipso quòd iterum Romæ judicium instituere quoad sibi objecta crimina assumpserit, demonstravit jam tunc usum invaluisse, ut episcopi ex Africa ad romanam Cathedram per appellationem convolarent. Alia romanæ appellationis exempla exhibuisse videntur Privatus Lambesitanus in Numidia episcopus, de quo S. Cyprianus scribit ad Papam Cornelium, & Novatus, nescio cujus loci in Africa episcopus, cujus crimina recenset idem S. Cyprianus *epist.49.* quæ est ad eumdem Cornelium. Sed quis negare audeat caussam Cæciliani Carthaginensis archiepiscopi in Africa damnati, iterum fuisse Romæ cognitam, & a romano Pontifice absolutum? Ita verò fieri debuisse perpetuò affirmat S. Augustinus; ac proinde absolutionis sententiam Melchiadis Papæ nomine latam exhibet S. Optatus *cap.3.* Idem S. Augustinus *concione secunda in ps.37.* comparando caussam Primiani contra Maximianistas cum caussa Cæciliani adversùs Donatistas, ipsum Primianum alloquens ita ait: *Dignare acceptare Cæcilianum innocentem, qui noluit exire ad majores tuos, & sic servavit caussam suam orbi terrarum, quomodo tu servasti Concilio Numidarum. Si innocentem te reddidit Sedes Bagaitana, quantò potiùs illum Sedes Apostolica?* Perantiquam fuisse consuetudinem, qua episcopi Afri Sedem Apostolicam adibant, ubi novo examine ipsorum judicia scrutarentur, videtur etiam dicere in epistola ad Cælestinum Pontificem, quæ est 209. in nova editione.

Hæc confirmat Lupicini ad S. Leonem appellatio; & quamvis eam esse purum figmentum Quesnellus pronunciet, illi tamen non adhæsisset

set

ſet Natalis, ſi illius rationes ad veritatis trutinam revocaſſet. Eam primò improbandam cenſuit Queſnellus, quia Lupicini appellatio incompatibilis videbatur cum perturbatis Africanæ eccleſiæ temporibus. Si nihilominus obſervaſſet Lupicinum ex Cæſareenſi Mauritania fuiſſe, quam adhuc romano obtemperaſſe Imperio teſtis eſt Victor Vitenſis epiſcopus, ubi quas Rex Genſericus ſibi provincias reſervaſſet, narrat, didiciſſet ibi epiſcopos ad Synodum convenire potuiſſe; atque ita potuit Lupicinus ab ipſorum ſententia ad Romanum Pontificem provocare. Addit Queſnellus commentitiam hanc appellationem reputandam, quia diſciplinæ africanæ non erat conſentanea; & quia ab his appellationibus quammaxime abhorrebat Aurelius Africæ Primas. Hæc nihilominus nullius ſunt momenti; epiſcopos etenim etiam ex Africa illis temporibus novum judicium a Romanis Pontificibus expoſtulaſſe, dicta paulo ante demonſtrant. Deinde Lupicini appellatio ad illud tempus, quo S. QuodvultDeus erat Africæ Primas, eſt referenda, quem cum conveniens ſit credere S. Auguſtino adhæſiſſe, qui hujuſmodi tranſmarinas probavit appellationes; dicere oportet longe fuiſſe a temeritate Aurelii, qui S. Quod Vult Deus ſuffectus fuit: nec ejuſdem Aurelii veſtigia relegiſſe ipſius ſucceſſorem Capreolum putandum eſt. Cæterùm quid vetat dicere Lupicinum per appellationem ad romanum Pontificem confugiſſe, etſi Africæ Primas his appellationibus non conſentiret? Lupicini appellationem ex eo etiam ſibi non probari dicit Queſnellus, quia S. Leo cùm eſſet ſagaciſſimus, ad proprium tribunal eam cauſam tunc evocaſſet, vel deſtinaſſet ſaltem ſuum in Africa Legatum, ut de eadem judicaret, non verò Africæ Synodo crediſſet. Sed hìc meritò obſervandum ex canone Sardicenſi optime ſancitum appellantis epiſcopi cauſam ſynodo provinciali a Pontifice delegendam, quoties id expedire judicaverit. Cùm igitur ob bellicos tumultus omnes viæ eſſent infeſtæ, nec Lupicino Romam accedere, nec Legato in Africam tranſmeare facilè daretur, omnia ſuadebant hanc cauſam provinciæ ſynodo eſſe committendam; eò maxime quòd Lupicinum duodecim tantùm epiſcopi damnaverant, unde integrum erat ut iterum in plena ſynodo novo examine ipſius cauſa diſcuteretur. Demum ſi quæ penes S. Leonem de Lupicino narrantur, ſuppoſitionis notam habere aliquibus videantur, quia, ut notat ex Queſnello Natalis, in quibuſdam MSS. non leguntur, obſervare eſt quæ de Lupicino S. Leo narrat, a Dionyſio Exiguo laudari, & conſtanter pro authenticis haberi; atque non ſolùm in Operibus S. Leonis hucuſque impreſſis legi, ſed plene extare in MSS. Exemplaribus Bibliothecæ Vaticanæ, & Auguſtinianæ de Urbe.

Supereſt modò videre etiam a judicibus electis fas fuiſſe ad Romanum Pontificem appellare. Et quidem ipſe Natalis agnoverat canones africanos, qui id vetare videbantur, non cauſas eccleſiaſticas reſpexiſſe, ſed Clericorum, ſeu etiam epiſcoporum civilia negocia, ut contra Petrum de Marca, ad quem legentes Natalis remittit in ultimo Scholio, probat Jo: David *de judic. canonic. episc. cap. 12. art. 1.* Præterea canones africanos, quibus etiam Hincmarus, ut ex eodem ſcholio, nitebatur, non fuiſſe attendendos, dum eccleſiæ romanæ non eſſent concordes, habet illud Compendium canonum, quod ab Hadriano Papa Carolo Magno traditum aſſerunt, quodque Henricus Caniſius Noviomagus, ac deinde Severinus Binius tom. 5. Conciliorum edidere. Ibi igitur ante canones Sardicenſes ſic habetur: *Sunt etiam eccleſiæ regulæ, quæ in africanis regionibus frequentiſſime ſynodali concilio conſcriptæ ſunt; ſed in his omnibus illa ſequi debemus quæcumque a Nicæno Concilio, & a ſancta, atque apoſtolica eccleſia Romana non diſcrepare videmus.* Et re vera Nicolaus I. ad quem Rothaldus epiſcopus Sueſſionenſis appellaverat; cujuſque appellationem Hincmarus impedire ea ratione contendebat, quòd non daretur a judicibus electis ad Papam appellatio, ipſum Rothaldum ſuæ eccleſiæ reſtituit, atque reſtituendo tale exhibuit ſuæ poteſtatis argumentum, ut nec caſſare curaverit ſynodale judicium, quo Rothaldus fuerat depoſitus, ac in Monaſterium fuerat relegatus: *Noſtrum Judicium*, ait ipſe Hincmarus, opuſc. cap. 5. *per regulas exequutam, Sedes Apoſtolica non caſſavit, sed Rothaldo, qui ad eam fecit confugium, humiliter poſcenti, ſicut ſuo ſapientiſſimo conſilio judicavit, ſolatii benignitatem impendit.* Nihil ergo habita illa exceptio, qua a judicibus electis omnis vetita appellatio dicebatur.

§ III.

Appellatio ad Papam, eam non includebat conditionem: *Salva Conciliorum generalium auctoritate.*

SUb præfata conditione admiſſam ad Romanum Pontificem appellationem dixit Natalis, ne tacite fateri videretur omnium ſupremam eſſe Romani Pontificis auctoritatem. Quamvis autem de hoc iterum agendum, ubi Papæ ſupra Concilium poteſtas erit examinanda, juvat nihilominus hìc ex duplici appellationem exemplo, quas ipse refert Natalis, probare in iis appellationibus numquam eamdem ſubintellectam conditionem.

Primò ſe offert S. Flavianus, qui in Epheſina generali ſynodo injuſte damnatus ad S. Leonem appellavit. Puduit Natalem hac in re Queſnello adhærere, qui commentus eſt Flavianum non ad ſolum Romanum Pontificem, ſed ad aliam generalem ſynodum provocaſſe: ſicut & diſceſſit a Petro de Marca ſcribenti S. Flavianum ad ſynodum totius occidentis appellationem interpoſuiſſe. Tam aperta ſunt documenta, quibus S. Flavianum appellationem ſuam ad ſolum romanum Pontificem interpoſuiſſe oſtendunt, ut hoſtem veritatis ſe prodat quicumque hoc denegare præſumat. A Concilio ergo œcumenico ad romanum Pontificem appellavit Flavianus; cùmque appellatio ſit a judice inferiore ad ſuperiorem recurſu, facto ipſo demonſtravit Concilium Papæ inferius agnoſcere, idque tacite faſſa eſt univerſa eccleſia, quæ nihil hujuſmodi oppoſuit appellationi. Excipienda ne igitur erat ſynodi univerſalis auctoritas, quæ Pontifici ſubdita hujuſmodi appellatione oſtendebatur? Hanc ſupremam Sedis Apoſtolicæ poteſtatem, qua de univerſæ eccleſiæ appellationibus poteſt cognoſcere, cùm de ipſius judicio nullus ſit, qui examen poſſit inſtituere, ita explicat S. Gelaſius in Commonitorio ad Fauſtum ſub Theodorico Italiæ Rege Magiſtrum Officiorum, ac poſtea ejuſdem principis ad Anaſtaſium Imperatorem Legatum. *Græci nobis opponant canones, dum neſciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipſo venire ſe produnt, quòd primæ Sedi ſanæ, rectaque ſuadenti parere fugiunt. Ipſi ſunt canones, qui appellationes totius eccleſiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri. Ab ipſa verò nuſquam appellari debere ſanxerunt, ac per hoc illam de tota eccleſia judicare, ipſam ad nullius commeare judicium, nec de ejus umquam præceperunt judicio judicari, ſententiamque illius conſtituerunt non oportere diſſolvi, cujus potiùs decreta ſequenda mandarunt.* Qui bona fide hujuſmodi legerit ſtatim conſpi-

spiciet in appellationibus ad romanum Pontificem nullam excipi auctoritatem, quæ ipsius sententias novo examini valeat subjicere. In epistula verò ad Episcupos Dardaniæ post multa ad rem præsentem conducentia, exemplu etiam S. Flaviani ostendit a generali synodu damnatos absque alla synodo a S. Sede absulvi potuisse, ac proinde potiori gaudere auctoritate; *Sed nec ista, ait, preterimus, quòd Apostolica Sedes frequenter more majoram, etiam sine ulla synodo pracedente, & absolvendi quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi, nulla existente synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sancta memoria quippe Athanasiam Synodus orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Grecorum non consensit, absolvit. Sancta memoria nihilominus Joannem Constantinopolitanum synodus etiam catholicorum prasulum certè damnaverat, quem simili modo Sedes Apostolica, etiam sola, quia non consensit, absolvit. Itemque sancta memoria Flavianam pontificam congregatione damnatum pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit, potiùsque qui illic receptus fuerat, Dioscoram secunda sedis prasulem sua auctoritate damnavit.* Et re vera quis dixerit debuisse Flavianom ad Sedem Apostolicam confugiendo, illius Concilii excipere aucturitatem, adversùs quam patrocinium implurabat?

Appellavit & Theodoretus ab Ephesinâ synodo degradatus ad S. Leonem; & primò eadem appellatione ostendit eadem generali synodo romanum Pontificem putiorem habere potestatem; unde nil suadebat in his appellationibus salvam velle Concilii generalis auctoritatem. Eò quòd autem S. Leo Theodoretum in suam communionem admiserit, Concilium Chalcedonense Papæ judicium ita veneratum est, ut absque ullo examine Theudoretum inter catholicos episcopos sedere permiserit, quamvis sibi infensos haberet episcopos Ægyptios, Illyricianos, ac Palæstinus. Hinc illæ eruperunt voces: *Ingrediatur reverendissimus episcopus Theodoretus, ut sit particeps synodi, quia ei restituit episcopatum SS. Archiepiscopus Leo, Theodoretus reverendissimus episcopus proprium recipit locum a SS. Episcopo urbis Roma.* Quòd si ante quodcumque aliud judicium locum suum Theoduretus in synodu occupavit ea solùm ratiune, quòd illi Romanus Pontifex episcopatum restituerit, dicere necesse est ipsius causam retractandam PP. non judicaturos fuisse, si Papa nun solùm per interlocutoriam, sed etiam per definitivam sententiam episcopatum concessisset. Et re vera, si juris fuisset Concilii post Papæ sententiam novum contra Theodoretum judicium instituere, eodem jure inquirere ei datum esset de Eusebio Dorylæensi Eutychetis accusatore, quem pariter Ephesinum Latrocinium degradaverat. Verùm Eusebius non sulùm Chalcedunensi adfuit synodo, sed nec in ea de illius discutienda causa vel minimum verbum auditum; cujus rei alia non potuit esse ratio, nisi quia, cùm ad S. Leonem appellasset, ipsius causam plenè retractavit, definivitque. Ita colligere est ex S. Leunis epistola ad Pulcheriam Augustam, in qua narrat Eusebium apud se degere, & suæ communionis esse cunsortem; quod idem repetit *ep. 60. c. 4.* quæ est ad Anatolium episcopum Constantinopolitanum.

Quare autem iterum actum fuerit in Conciliis de iis, quæ Papa definierat, videre est ex iis, quæ adnotanda duxi post Cuncilium Chalcedonense, aliaque Concilia. Interim hìc animadvertendum nullatenus S. Leonis verba, ad quæ Natalis in Scholio Lectorem remittit, innuere quæ ipse definierat, nuvu Concilii examini subjicienda, quasi id juris esset ejusdem Concilii. Hinc S. Gelasius in epistola supra citata ad episcopos Dardaniæ, uni Apostolicæ Sedi, quæ fecit synodus Chalcedonensis adscribit, quia nempe quæ ab ipso præstanda erant, eadem Sedes Apostolica duxerat; atque ita apertè monstravit nun iterum ad examen in Conciliis revocata, quæ Papa statuerat, quia Conciliorum esset inquirere an a veritate aberrasset; En quomodu loquatur: *Impiam synodum Ephesinam, scilicet non consentiendo, sola,* Apustolica nempe Sedes, *submovit, ac pro veritate ut Chalcedonensis fieret, sola decrevit, in qua Pontificibus innumeris, qui Latrocinio corruerant Ephesino, veniam poscentibus, sola concessit, & in sua perfidia permanentes nihilominus sua auctoritate prostravit, quam Congregatio, qua illic pro servanda veritate congregata fuerat, est secuta. Quoniam sicut id, quod prima Sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia suscepit.*

Nota.

NOndum infallibile Papę ex Cathedra definientis judicium pene innumerus Quesnelli lapsus Ecclesię manifestaverat; unde venia danda, ut alibi etiam innui, Natali si illum doctissimi urnat elogio. Hìc autem adnotandum in hac appellationum materia nun solùm errasse, sed & irreverenter, ac audacissimè de Sanctissimis, doctissimisque Pontificibus loquutum. Affirmare audet & in Gallicana, & in Africana Ecclesia, olim nedum presbyteros, aliosque clericos, sed neque ipsos episcopos a suæ Synudi judicio Rumam appellasse, atque hnc ad jus quoddam naturale pertinere. Animadvertunt proinde illuc pervenisse Quesnellum, quò Eusebiana Arianurum Factio in Conventiculu Philippupolitano non pervenit; nam non Provincialium, sed solummodu Patriarchalium Synodurum judicia inconcussa esse, atque inappellabilia decrevit. Quod igitur nullus orthodoxus dixerat, his ultimis temporibus affirmare ausus est Quesnellus, qua in re comites habuit Petrum de Marca, Stephanum Baluzium &c. Nun definit idem Quesnellus injuriis S. Leonem lacessere, quia appellationes ad Sedem Apostolicam liberas esse voluerit, atque ita præstitisse dicit, quia nimis suæ Sedis amplitudini studeret, canones pusthabendo, & Gallicanas appellatiunes intrudendu. Nec definit affirmare ex memoriæ lapsu asseruisse appellationes consuetudine etiam firmari, vel ab adulatoribus delusum fuisse, quinimmo mendaciis hanc suæ Sedis prærugativam tutatum esse. Postquam autem dixit Lupicini appellationem, cujus memini in superioribus Animadversionibus §. 2. esse pannum assutum epistolæ S. Leonis, ut ita exemplo demonstraretur ex Africa quoque, quod ipse negat, per appellationem ad Romanum Pontificem episcopos confugisse, ita subdit: *Certè valde Leonis nostri solertia ac ingenio consentaneum mihi videtur, ut temporis opportunitatem captaverit ad confirmandam sedis sua auctoritatem in Africanas Ecclesias. Nemo est, qui nesciat quoties, quantisque conatibus id tentaverint Leonis pradecessores, quantùmque Leonis ipsius atate Bonifacius & Colestinus in eam rem laboraverint, Africanis consuetudinem suarum ecclesiarum invictè semper oppugnantibus. Expectanda enim illis fuerat opportunior occasio, qua ut sese Leoni obtulit, eam sibi vir cordatissimus elabi non est passus.* Quis quęso non stomachatur, audiendu Quesnellum de Sanctissimis doctissimisque Pontificibus, qui proinde sui juris ignorantiâ nun laborabant, ac religioni ducebant aliorum jura intacta relinquere, ita loqui

quasi nil aliud in votis haberent, quàm alienum invadere? Nil mirum proinde, si contra seipsum ita scribentem catholicos obmurmurantes, heterodoxos verò plaudentes audire sibi videretur: *Dum hæc scribo*, ait, *videor mihi hinc catholicorum nonnullos submurmurantes audire, illinc sectarios utraque plaudentes manu, quasi Pontificem Romanum mali ambitûs, alienique juris notare videamur &c.* Sed magis mirandum ita in præclarissimos Pontifices insurrexisse, dum expansis oculis Jo: Calvini, Marci Antonii de Dominis, aliorumque sectariorum vestigia a se calcari videbat, eorumque sibi benevolentiam conciliare. Etsi in iis solùm, ut ex ipso Natale videre est, Quesnellus errasset, profectò non solùm a *doctissimorum* numero, sed etiam *semidoctorum* fuisset segregandus.

Nota.

A Petro de Marca sanè in hac de appellationibus materia Natalis discedit; sed insuper adnotandum illius auctoritatem in iis esse parvipendendam, cùm nova a se adinventa, ac antea inaudita proposuerit. Omnium primos docuit ex quinto nicæno canone provincialium synodorum inappellabilem esse auctoritatem, quod fatuum esse asserere aliqui dixerunt; literas Philippopolitani conventiculi, Eusebianæ factionis facinus, universæ orientali ecclesiæ adscribendas; Zosimum Pontificem a Romanis Imperatoribus jus de retractandis degradatorum episcoporum judiciis mendicasse &c. quæ omnia ostendunt ad mutilandam Romani Pontificis auctoritatem semper intendisse. Primum etiam se exhibet auctorem illius interpretationis, qua dicitur canones Sardicenses concessisse solummodo romano Pontifici jus revisionis in detrimentum imperatoriæ auctoritatis: *Fateor*, ait, *hactenus universis persuasum fuisse repetam esse in Synodo Sardicensi legem de appellationibus adversùs episcoporum judicia, easque a Summo Pontifice judicandas esse ex præscripto hujus Concilii. Verùm, ut ab ea persuasione recedam facit quod a me observatum est, nempe jus tantùm concedendi revisionem a synodo Sardicensi introductum esse in gratiam sedis apostolicæ, & in quoddam detrimentum auctoritatis imperatoriæ. Hæc interpretatio mea est; quam cùm aliquot viris doctis aperuissem, eam illi suffragio suo comprobarunt.*

Sapientissimè ergo Natalis adversùs ipsum propugnat Synodum Sardicensem jus appellationum non instituisse, cùm ideo omnes per appellationem romani Pontificis tutelam implorare valeant, quia caput est Ecclesiæ, & Christi Vicarius; sicut etiam ex canonibus Sardicensibus haberi non solùm proprium esse Pontificiæ potestatis jus concedendæ revisionis, sed etiam de iisdem appellationibus judicandi. Ex hoc solùm quòd interpretatio Domini de Marca per tot sæcula latuerit, omnesque usque ad illum in canone Sardicensi legerint illud jus, quod & ipse Natalis romano vindicat Pontifici, satis innotescit de Marca veritatem non esse assequutum; quod & mirum est non cognovisse, cùm ad suam intrudendam explicationem coactus fuerit discedere a germana intelligentia illarum vocum *appellandi*, seu *provocandi*, quæ in canone continentur.

Neque etiam prætereundum hìc volo in hac de appellationibus controversia de Marca ita excessisse, ut scribere eum non puduerit Zosimum Pontificem sibi jus revisiones concedendi vindicasse, quia paulò antè Arcadius, & Honorius Imperatores abjecerant jus rescripta concedendi pro retractando Episcoporum depositorum judicio. Sed audiatur quæso Zosimus, qui rescribens ad PP. Concilii Carthaginensis, eisque exponens Cælestium in Africa damnatum & ad Sedem Apostolicam appellantem potuisse eumdem judicare, hujusmodi auctoritatem cuicumque synodo superiorem dicit, eamque derivare a canonica antiquitate, a PP. traditione, a S. Petro Apostolo, ac ab ipsomet Christo, qui Petro omnia ligandi, solvendique potestatem impertitus est: *Quamvis*, ait, *Patrum traditio apostolicæ sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet, idque per canones semper, regulasque servaverit, & currens adhuc suis legibus ecclesiastica disciplina Petri nomine, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam, quam debet, exolvat: tantam enim huic Apostolo canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut & ligata solveret, & soluta vinciret, per potestatis data conditio in eos, qui Sedis auctoritatem, ipso annuente, meruissent. Habet enim ipse cùm omnium ecclesiarum, tum hujus maximè ubi sederat, curam: nec patitur aliquid privilegii aliquâ titubare aurâ sententiæ, cui ipse sui nominis firma, & nullis hebetata moribus constituit fundamenta, & quæ sine periculo temerè nullus incessit. Quum ergo tantæ auctoritatis Petrus caput sit, & sequentia omnium majorum studia firmaverit, ut tam humanis, quàm divinis legibus, & disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia, cujus locum nos regere, & potestatem nominis obtinere non latet vos, sed nostis, fratres charissimi, & quemadmodum Sacerdotes scire debetis: tamen cùm tantùm nobis esset auctoritatis, ut nullus possit de nostra retractare sententia, nihil egimus quod non ad vestram notitiam nostris ultro literis referremus, dantes hoc fraternitati ut in commune consulentes, non quia quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus aliquid quod contra utilitatem Ecclesiæ veniens, displiceret, sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum, de illo, qui apud vos, sicut ipsi per literas dicitis, fuerit accusatus, & ad nostram, qui se assereret innocentem, non refugiens Judicium ex appellatione pristina venerit Sedem.* Videat ex his Lector, an Zosimus ad se appellantes susceperit ex sua in ecclesia nulli subdita auctoritate, seu ex supremo D. Petri primùm collato in Ecclesiam principatu, vel quia Imperator noluerit ampliùs rescripta revisionum concedere.

DISSERTATIO XXIX.

De Fidei Professione adscripta Concilio Sardicensi.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Concilium Sardicense aliquod Fidei Decretum ediderit?

PROPOSITIO.

NUlla Fidei Formula, nullum de Fide in Synodo Sardicensi Decretum editum est.

Probatur primò ex Epistolâ Synodicâ Concilii Alexandrini anno 362. celebrati Sancto Athanasio præside, quæ apud ipsum legitur *in Epistolâ ad Antiochenos*, in qua hæc habentur: *Tabellas, quas nonnulli jactant, quasi in Sardicensi Synodo de Fide conscriptas, ne legi quidem semel, aut proferri sinatis. Nihil enim tale Concilium definivit. Quamvis enim certi homines nonnulli, quasi quæ deessent, Nicæno Concilio adscribere vellent, idque acri-*

ter

ter contenderent, sancta tamen Synodus qua Sardica convenit, indignè id tulit, decretoque sancivit, ne quid ulterius de Fide scriberetur; & sese contentos esse Nicæna Fide declaraverunt, ut cui nihil deesset, & in qua integra & sola Fides contineretur: neque edendam esse aliam Professionem Fidei, ne illa qua Nicæa scripta est, suos numeros non habere videretur; neve illis, quibus libido est semper nova statuere, occasio hujusmodi suppeditaretur, ut iterum atque iterum de Fide definiant.

Confirmatur ex subscriptione Sancti Eusebii Vercellensis, eidem Epistolæ Synodicæ subjecta: *Quia fama*, inquit, *apud exteros increbuit de Tabella Sardicensi Concilii, ne ea ultra Nicænam Fidem decreta esse putetur, meo suffragio denuntio, quo nihil luxamenti aut noxæ Nicæna Fidei inde obartatur, neque eam ea de causa proferendam censeo.* Nulla itaque Fidei Formula, nullumque de Fide decretum in Concilio Sardicensi editum est.

Probatur secundò ex usu Ecclesiæ, quæ nefas semper existimavit, Fidem in Oecumenica Synodo constitutam, altera in Synodo retractare. Hinc Capreolus Carthaginensis Episcopus Ephesinos Patres obtestatus est, ne secundæ disputationis prætextu, paterentur vocem jamdudum ablatam renovari: *Si quis enim*, inquit, *ea qua jamdudum dijudicata sunt, denuò in disputationem vocari sinat, is sanè nihil aliud facere censebitur, quàm de Fide, qua hactenus valuit, ipse dubitare.* Hinc Sanctus Augustinus, Pelagianis damnatis novum Concilium recusari voluit, *Nec ipsis concedendam audientiam, sed solam superesse Pœnitentiam.* Hinc S. Leo Magnus Eutychianis grassantibus in Synodum Calchedonensem, ejusque retractationem flagitantibus, respondit per Leonem Augustum, nullatenus retractari debere quæ semel in Concilio circa Fidem constituta essent. Sic enim scribit Epistolâ 73. *Quod opus virtutibus vestris Gloriaque conveniens, celerem & Deo placitum habebit effectum, si apud sanctam Calchedonensem Synodum de Fide firmata, nulla permiseritis retractatione pulsari: quia in illo Concilio per Spiritum Sanctum congregato, tam plenis atque perfectis definitionibus cuncta firmata sunt, ut nihil ei Regula, qua ex divina inspiratione prolata est, aut addi possit, aut minui.* Quæ cùm ita sint, non est verisimile Fidem Nicænam retractatam fuisse in Synodo Sardicensi; aut aliquod de Fide Decretum, Formulamve aliquam Fidei eo in Concilio editam.

Objectio prima petitur ex Epistolâ Synodicâ Patrum Sardicensium ad Julium Pontif. Maxim. in qua dicitur: *Permiserunt religiosissimi Imperatores, ut de integro universa discussa disputarentur, & ante omnia de Sancta Fide, & de integritate veritatis, quam violaverunt.* Nicæna igitur Fides retractata est in Concilio Sardicensi.

Respondeo, Nego consequens. Permissum namque est dumtaxat ut universa discussa disputarentur, quoad personas; non verò quoad Fidem: sive, concessum est ab Imperatoribus, ut inquireretur primò in Fidem Eusebianorum, ut constaret an veritatis integritatem violassent, Hæreticique revera essent, ut audiebant: non verò ut quæ de Fide constituta erant, revocarentur ad examen, aut Hæreticis adversùs dogmata semel stabilita disputandi facultas præberetur. Vel, respondeo secundò, permissam fuisse Fidei Nicænæ retractationem expositivam & confirmatoriam; non verò discussoriam & censoriam. Secundi generis retractationem de rebus Fidei semel in Concilio Oecumenico definitis, exhorruit semper Ecclesia; Primi generis retractationem seu revisionem probavit. Id patet ex Epistolâ 78. S. Leonis Magni ad Leonem Augustum datâ: *Pranoscat igitur Pietas vestra*, inquit, *hos, quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus Fidei a Sede Apostolica profecturos: quia de rebus & apud Nicæam, & apud Calchedonem definitis nullum audemus inire tractatum; tamquam dubia vel infirma sint, qua tanta per Spiritum Sanctum fixit auctoritas. Instructioni autem parvulorum nostrorum, qui post lactis alimoniam cibo desiderant solidiore satiari, Ministerii nostri præsidium non negamus: & sicut simpliciores non spernimus, ita a rebellibus Hæreticis abstinemus.. .... Nimis quippe indignum, nimisque injustum est, eos ad libertatem disceptationis admitti, quos significat Spiritus Sanctus per Prophetam dicens: Filii alieni mentiti sunt mihi*, &c.

Objicies secundò. Theodoretus *Libro 2. Historia Ecclesiastica, cap. 8.* Formulam Fidei refert, quæ tertiæ Epistolæ Synodali Concilii Sardicensis assuta est & inserta. Sozomenus etiam, libro 3. cap. 12. de Patribus Sardicensibus ita scribit: *Eodem tempore aliam Fidei Formulam ediderunt, pluribus quidem verbis scriptam, quàm qua in Concilio Nicæno edita fuisset; sed tamen eamdem complectentem sententiam, & verbis non multùm ab illa discrepantem. Ad extremum Osius & Protogenes veriti ne quibusdam viderentur decreta Concilii Nicæni innovari, scripsere ad Julium, & testati sunt sa illa quidem rata habere; sed quò faciliùs intelligerentur, eadem pluribus verbis explicasse eo consilio, ne Arianis, qui brevitate Formula Fidei in eo Concilio edita abutebantur, facultas ex verbis daretur imperitos in absurdam aliquam opinionem rapiendi.*

Denique Vigilius Tapsensis Episcopus, *Libro 5. contra Eutychem*, asserit septem Capitula ad Fidem spectantia, post ea quæ in Nicæa statuta essent, a Patribus Sardicensibus, professioni Fidei fuisse addita. Synodus itaque Sardicensis Formulam Fidei edidit.

Respondeo Theodoretum, Sozomenum & Vigilium auctores longè remotos ab ætate Synodi Sardicensis audiendos non esse hac in Controversia, in qua ab Alexandrina Synodo 15. duntaxat annis post Sardicensem celebrata, & ex multis Episcopis, qui in ipso Concilio Sardicensi sederant, conflata, dissentiunt. Certè Appendix illa, quam Theodoretus refert, prout invenit, intextam & assutam tertiæ Epistolæ Synodicæ, supposita evidenter probatur. Cùm enim Valentem & Ursacium Arianos fuisse constet ex prioribus Epistolis Synodi, & ab ea ob Ariani dogmatis labem proscriptos, quomodo verum esse potest quod in ea appendice, apud Theodoretum legitur, eos in hanc ivisse sententiam, ut assererent, *Verbum Dei, & Spiritum Sanctum crucifixum esse?* Procul namque aberat ab Arianorum sententia ejusmodi de passione Spiritus Sancti, unà cum Verbo divino assertio, quorum Hæresis tres in Deo personas ab invicem ita discretas agnoscebat, ut eas unius substantiæ dici non pateretur. Sed Sabellianis potiùs ea sententia convenit, qui sic unam in Deo substantiam prædicabant, ut omnium personarum distinctionem adimerent. Ex qua quidem assertione illud eruebatur consectarium, Patrem & Spiritum Sanctum unà cum Filio passos esse.

Alteram suppositionis rationem suppeditat, quod in eadem appendice apud Theodoretum legitur: *Porrò ista conjurata Hæreticorum* (Arianorum) *turba contendit varias Patris & Filii & Spiritus Sancti subsistentias esse, easque separatas. Quam vocem Hæretici pro substantia usurpant.* Splendidius fingi non potest mendacium, vel crassior error in facto: siquidem non soli Ariani, sed tota Occidentalium Ecclesia ὑπόστασιν idem significare putabat ac, οὐσίαν, adeòque tres in Deo hypostases asserere renuebat, ut constat ex Sancto

Hie-

Hieronymo ad Damasum Pontif. Maxim. scribente.

SCHOLION.

Ex hac Dissertatione, pag. 605. Religiosi Censores hanc Propositionem in Indiculo suo notant: *Nova in rebus Fidei definiendis non sunt admittenda.*

R. Eo loci nihil aliud habetur præter fragmentum Epistolæ Concilii Alexandrini Sancto Athanasio Præside celebrati, quæ Sardicensis Synodi Patres declarasse ait, *Non edendam esse aliam Professionem Fidei, ne ea quæ Nicææ scripta est suos numeros non habere videretur; neve illis, quibus libido est semper nova statuere, occasio hujusmodi suppeditaretur, ut iterum atque iterum de Fide definiant.* Quid igitur sibi volunt Religiosi Censores? Voluntne humana ratiocinia & præjudicia in controversiis Fidei finiendis esse sequenda, Scriptura Sacra & Traditione posthabitis? An spernendam præclaram illam Regulam a *Vincentio Lirinensi* traditam, Commonitorii cap. 3. *In Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim verè proprièque Catholicum... Sed hoc ita demum fiet si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem,* &c. An illud sugillari volunt ab eodem tam sapienter dictum, *ita se gerere debere Doctorem Catholicum, Ut cùm dicat novè, non dicat nova?* An illud explodi volunt: *Annuntiare aliquid Christianis Catholicis, præter id quod acceperunt, numquam licuit, nusquam licet, numquam licebit: & anathematizare eos qui annuntiant aliquid præter quàm quod semel acceptum est, numquam non oportuit, nusquam non oportet, numquam non oportebit.* Ab his certè rejiciendis, & spernendis procul fuisse existimo Religiosos Censores. Quænam igitur mens illorum fuerit, non capio, cùm hanc Propositionem, quæ tametsi vera, mea non est, ipsis notare placuit: *Nova in rebus fidei definiendis non sunt admittenda.*

Nota.

Cùm non rarò Hetherodoxi adversùs novas voces, quibus usa est ecclesia ad sua explicanda dogmata, blaterent, non abs re erit hic adnotare quàm hujusmodi novitates ad fidem constabiliendam conducant. Fatendum igitur non alia admittenda dogmata, quàm ea, quæ nos docent S. Scriptura, & Divinæ Traditiones, cùm his solùm mediis a nobis credenda Deus revelaverit. Verùm nemo inficias ibit plura fidei dogmata hæresum occasione clariùs explicata fuisse, novisque loquendi formulis exposita; ac proinde novam hujusmodi explicandorum mysteriorum rationem fovendam innuit S. Augustinus *de Civit. l. 16. c. 2.* ubi sic habet: *Multa ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adversùs eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur, & ab adversario mota quæstio discendi existit occasio.* Unde Lincolniensis illum ps. 21. versum exponens, *Dederunt in escam meam fel*, hæc habet: *Fel secundùm Augustinum, hi sunt contradictores Evangelii, qui amaritudine sua contradictionis fidelium, & perbeatorum visum clarificant, dum enim sua contradictione amaricant,, alios excitant ad perscrutandum fortiùs & subtiliùs, & ad intelligendum limpidiùs Evangelii veritatem — Et, ut dixit Augustinus, multi qui optimè poterant Scripturas dignoscere, & penetrare, latebant in populo Dei, nec afferebant solutionem quæstionum difficillimarum, cùm calumniator nullus instaret. Numquam enim perfectè de Trinitate tractatum est, antequam obtrectarent Ariani. Numquam de Pœnitentia perfectè tractatum est, antequam existerent Novatiani &c.*

Adversùs hujusmodi novitates, quibus clariùs mysteria explicantur, errorésque patefiunt, jamdiu hæretici declamarunt; ac proinde, teste D. Prospero *de Prædest. SS. cap. 14.* quidam Semipelagiani Massilienses ea ratione Augustini libros sugillabant: *Obstinationem suam*, ait *vetustate defendunt, & ea, quæ de epistola Pauli Apostoli Romanis scribentis ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, a nullo umquam ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant.* Ita autem S. Prosper eosdem refellit: *Si hujus sententiæ defensionem ex divinorum eloquiorum nos præcedentibus catholicis tractatoribus promerem, profectò hi fratres, pro quibus nunc agimus, acquiescerent; hoc enim significastis literis vestris. Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur Opuscula, qui, priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficile ad solvendum quæstione versari? Quod procaldubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis attingerent, immorarentur verò in iis, quæ adversùs inimicos ecclesiæ disputabant.* In explicandis igitur nostræ fidei dogmatibus ii potius PP. attendendi, qui ut ea adversùs Hæreticos elucidarent, vindicarentque, novas, adinvenere explicationes, ideo ab Anterioribus omissas, quia non prævidebant ab hæreticis sua dicta usurpanda ad proprios errores constabiliendos. Cùm proinde Pelagiani ex quodam sub obscuro Chrysostomi loco suam hæresim tuerentur, ita eisdem respondet S. Augustinus l. 1. contr. Julian. cap. 2. *Cur putamus eum ita loquutum, nisi quia disputans in Ecclesia Catholica, non se aliter intelligi arbitrabatur? Tali quæstione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus, securiùs loquebatur.* Cùmque pariter nonnulli ex PP. *Dei Filium arbitrio, & voluntate a Patre gigni* dixerint, eaque dicendi ratione abuterentur Ariani, ut probarent Filium Dei esse creaturam, ita eos refellit S. Athanasius orat. 4. *Hoc si quis ex Orthodoxis simpliciter diceret, nihil esset quod male suspicareris de hoc dicto, quippe ubi bona mens superaret simpliciorem loquendi modum. Nunc quià hæreticorum ea vox, omniaque hæreticorum verba suspecta sunt, non id faciunt sine perversitate animi.*

Hanc eamdem regulam in PP. lectione præ oculis habendam, multis probat S. Anselmus *in Menelogio cap. 13.* ubi postquam observavit in ipsorum libris quandoque reperiri tam dubias sententias, ut vel errandi occasio ex eis oriri possit, vel sufficientes non videantur ad fidei dogmata adstruenda, subdit PP. qui in hæreses insurrexere, fidei quæstiones claras, evidentesque reddidisse; atque ita ex iis quæ de Trinitate Arianorum impugnatores docuere; & de Incarnatione Apollinarii, Nestorii, & Eutychetis adversarii, hujusmodi mysteria dilucide explicari. Non per hoc tamen antiquiores PP. in errore versatos esse credit, bene tamen multa omisisse, quia hoc proferebant quod res postulabat; nec illis necesse erat quæstiones nondum exortas explicare, ac proinde quæ bene dicta erant, sed obscure, male intellecta errandi materiam poterant præstare. Atque id eò magis quia, *qui errare vult, vel errorem docere, nihil est tam bene dictum, quod non possit pravo intellectu depravare.* Ex iis, quæ sint novitates quæ fidei non officiant, sed prosint, unusquisque valet dignoscere.

DIS-

DISSERTATIO XXX.

De Fide Marcelli Ancyrani.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Synodus Sardicensis Marcellum Ancyranum absolvens, in facto erraverit?

MArcellus Ancyranus ab Eusebianis accusatus Hæreseos, & in Constantinopolitano Conciliabulo depositus, ad Julium I. Pontif. Maxim. confugit, apud quem cùm se purgasset, tum propria professione Fidei, tum Legatorum Apostolicorum, qui Nicæno Concilio adfuerant testimonio, sententiam absolutionis retulit; atque in communionem & Sedem a Julio restitutus est. Id constat ex istius Pontificis Epistolâ ad Orientales, *De Marcello autem,* (inquit) *postquam de illo quoque ut impio in Christum perscripsistis, vobis studui significare, eum cùm huc venisset, affirmasse falsa esse, quæ de se in literis vestris scripta essent, sed tamen cùm a vobis postularetur ut de Fide diceret, tanta cum fiducia per se respondit, ut nemo non perciperet, eum nihil a veritate profiteri alienum, sed eadem cum pietate, qua Ecclesia, de Domino ac Salvatore nostro sentire; neque jam tantummodo, sed etiam olim hujus sententiæ se fuisse confirmabat, ubi & nostri Presbyteri, qui tunc in Nicæno Concilio aderant, de ipsius recta Fide contestabantur. Nam & eam tunc quoque in sententiis dicendis dimicasse cum Ariana Hæresi, testes fuere; cujus quoque vos admonitos velim, ne quis talem Hæresim approbet, sed abominetur ut alienam a sana doctrina. De viro igitur, quem rectæ opinionis & sinceræ religionis esse, testimoniis approbatum est, quid, quæso, nos facere oportuit, nisi ut eum pro Episcopo haberemus, quemadmodum & habemus, neque a communione repelleremus?*

Eumdem Marcellum absolvit Synodus Sardicensis causâ cognitâ, librisque ejus lectis & discussis, quibus Hæreseos notam Eusebiani affingebant. Id constat ex Epistolâ Synodicâ ejusdem Concilii ad omnes Episcopos, in qua hæc leguntur: *Recitata quoque sunt scripta Collegæ nostri in sacris Marcelli, & deprehensa est Eusebii dolosa ars. Quæ enim Marcellus per modum quærentis protulerat, ea tamquam ita esse profiteretur, calumniati sunt. Recitata propterea sunt in illis quæ antecederent & subsequerentur in illis Quæstionibus; & inventa est bona & recta Fides illius Viri. Non enim ex Sancta Maria (ut ipsi asseverabant) Verbo Dei initium attribuit, neque finem ejus in Regno constituit, sed Regnum ejus initio & fine carere constituit.* Quæstio vertitur inter eruditos, utrùm Hæreticus revera fuerit Marcellus Ancyranus, proindeque utrùm Synodus Sardicensis, post Julium Romanum Pontificem, erraverit in facto, cùm illius Fidei testimonium perhibuit, illumque ab Hæreseos notâ absolvit. Baronius Cardinalis, *Tomo 3. Annal. Ecclesiast. ad ann. Christi* 347. Marcellum in Hæresim Sabellii impegisse propugnat, & Julio Pontifici Patribusque Concilii Sardicensis fucum fecisse. Contrarium alii affirmant; quorum opinionem amplectimur.

PROPOSITIO.

M*Arcellus Ancyranus integerrimæ Fidei Episcopus fuit: unde in ejus absolutione non erravit Synodus Sardicensis.*

Probatur primò ex Confessione Fidei, quam Julio Romano Pontifici obtulit, quam refert integram Sanctus Epiphanius, *Hæresi* 72. in qua disertè profitetur distinctionem Patris a Filio, ejusque, & ipsius regni æternitatem, ut nulla omnino suspicio remanere possit, ipsum in errores impegisse, qui ipsi ab Arianis affingebantur. *Sacris literis inhærens,* inquit, *credo unum esse Deum, & Unigenitum ejus Filium Verbum: qui cum Patre semper existit, nec existendi initium ullum umquam habuit. Idem revera a Deo procedens, non creatus, non factus, sed existens semper, ac cum Deo Patre perpetuò regnans. Cujus regni, ut testatur Apostolus, non erit finis .... Hic est qui postremis temporibus nostræ salutis gratiâ descendens, & ex Virgine Maria genitus, hominem suscepit.* Certè qui a Deo Patre genitus est, non est eadem persona cum Patre: qui existendi initium nullum umquam habuit, fuit ante Mariam. Cùm itaque hæc professus fuerit Marcellus Ancyranus, falsò ipsi afficta est Sabellii, & Photini Hæresis. Falsò etiam insimulatus est, quòd Filii Dei regnum finem aliquando habiturum crederet, cùm verbis perspicuis, nullique æquivocationi obnoxiis, professus fuerit ipsum cum Deo Patre perpetuò regnaturum, ipsiusque regni nullum finem fore.

Confirmatur ex Fidei expositione quam a Marcello Ancyrano acceptam, ejus discipuli Orthodoxis Episcopis & Confessoribus tradiderunt: in qua anathemate damnatur *Ariana Hæresis, & Sabellii ac Photini, Pauli que Samosateni; unà cum iis qui Sanctissimam Trinitatem tres esse personas negant, nullis terminis circumscriptas, subsistentes, consubstantiales coæternas, perfectas.*

Deinde subjiciuntur hi Anathematismi. *Si quis eumdem Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse dicit, anathema sit. Si quis initium aut finem Dei Filio ac Verbo, vel regno ipsius adscribit, anathema sit.* Homini porrò qui ita senserit, Sabellii, Photini, aut Pauli Samosateni Hæresis immeritò affingitur. Igitur Marcellus Ancyranus in has Hæreses non impegit; adeòque vir fuit integerrimæ Fidei: nec in ejus absolutione erravit Synodus Sardicensis.

Probatur secundò ex Sancto Athanasio in Epistolâ ad Solitarios, pag. 629. *De Marcello autem,* inquit, *Episcopo Galatiæ, supervacuum fuerit fortasse mentionem facere: cùm nulli non constet, Eusebianos ab eo de Hæresi reprehensos, Hæreseos recriminationem pro talione illi vicissim impegisse, senemque hominem in exilium ejecisse. Ille autem Romam profectus, sese innocentem docuit, & ut jussus ab illis fuerat, scripto suam Fidem, quam Sardica Synodus amplexa est, edidit.* Illustrius sanè pro Fide Marcelli Ancyrani testimonium desiderare nemo potest, ex quo patet Eusebianorum calumniis ipsi affictam fuisse Hæresim, cùm ipse acerrimus esset Fidei propugnator.

Probatur tertiò ex Sancto Epiphanio, *Hæresi* 72. referente, quòd cùm aliquando Sanctum Athanasium de Marcello interrogasset, quomodo de ipso sentiret: *Ille neque ipsum defendit, neque rursum graviter adversùs ipsum invectus est: ut solùm risu leni edito, ostendit non multùm ab improbitate ipsum abhorruisse, & in eorum loco qui se purgassent, habuit.* Ex quibus constat, Marcellum quidem tanta vi Arianam Hæresim impugnasse, ut non multùm a Sabelliana remotus plerisque videretur, sed tamen eam a se suspicionem amolitum fuisse, purgando se & coram Julio Pontifice, & in Synodo Sardicensi.

Objectio adversùs Marcelli Ancyrani Fidem ex plurimis Veterum testimoniis instruitur: primò ex Sancto Basilio Magno, Epistolâ 52. ad Sanctum Athanasium datâ, in qua de Legatis a Romano Episcopo mittendis ita scribit: *Quæritur autem & hoc a nonnullis illic, ut & nobis ipsis videtur, necessariò, ut Marcelli Hæresim illi cùm venerint, tamquam malam ac noxiam, & a sana Fide alienam exterminent. Quoniam ad hunc usque diem in omnibus quas scribunt literis, Arium anathematizare,*

as-

atque ex Ecclesiis eliminare non cessant: Marcellum verò, qui ex diametro respondentem Ario impietatem attulit, atque contra eamdem Unigeniti, divinitatisque essentiam impiè egit, Verbique appellationem malè usurpavit, ne semel quidem accusare videntur: qui Verbum quidem unigenitum vocari tradit ratione ministerii ac dispensationis, & quatenus in tempore natus prodiit: caterùm ad eum, unde egressus erat, reversum, nec ante egressum fuisse, nec post egressum subsistere. Et hujus experimentum ac demonstrationem reconditi apud me iniqua illius syngrapha libri continent. Attamen illum nequaquam reprobare visi sunt; & per hoc culpandi veniunt, ut qui ab initio illum per ignorantiam veritatis, in Ecclesiasticam etiam Communionem receperint.

Et Epistolâ 74. ad Occidentales Episcopos datâ: *Scitis*, inquit, *quàm omnem spem nostram irritam faciat dogma Marcelli, quòd neque Filium propria ac discreta Hypostasi praditum confiteatur, sed productum, & ad eum ipsum iterum reversum, ex quo processerat, tradit: neque Paracletum propriam habere hypostasim concedit: ita ut non aberret, si quisquam hanc Haresim prorsus alienam esse a Christianismo determinet, ac corruptum quemdam Judaismum appellet.*

Et Epistolâ 78. *Sunt quidam*, inquit, *qui in hac fide* (Nicæna) *sermonem veritatis dolo invertant, & ad suam ipsorum sententiam intellectum ac mentem verborum torqueant. Quandoquidem & Marcellus impiè sentiens contra personam Domini nostri Jesu Christi, ac nudam illum esse Verbum exponens, illinc ausus est se impietatis hujus causas sumpsisse pratexere, malè videlicet τῷ ὁμοουσίῳ intellectu exposito.*

Ex quibus colligitur. Marcellum Ancyranum Patribus Sardicensibus fucum fecisse, atque communionem Catholicam fuisse suffuratum, quia se Arianorum hostem acerrimum gesserat, & cum Sancto Athanasio damnatus ab Eusebianis, æquè iniquum passus fuisse judicium credebatur: ideò cum Athanasio absolutus est, & Sedi suæ restitutus a Synodo Sardicensi, sed in ejus causa deceptam fuisse Synodum constat ex Sancto Basilio, qui ipsum Hæreticum fuisse testatur, & in communionem receptum per ignorantiam veritatis.

Secundò Sanctus Epiphanius, *Haresi* 72. Marcellum cum Sabellio sensisse affirmat. *Hic verò*, inquit, *cùm voluerit quadam diffusiùs apud quosdam dicere, declaravit se cum Sabellio sentire: quapropter etiam ipse inter Hareticos annumeratus ac confutatus est.*

Tertiò; Sanctus Hieronymus, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 97. Sancti Hilarii testimonio Marcellum Ancyranum Hæreticum fuisse probat. *Marcellus Ancyranus Episcopus*, inquit, *sub Constantio & Constante Principibus floruit, multaque diversarum ὑποθέσεων scripsit volumina, & maximè adversùs Arianos. Feruntur contra hunc Asterii & Apollinarii libri, Sabelliana eum Haresis arguentes: sed & Hilarius in 7. adversùs Arianos libro, nominis ejus quasi Haretici meminit.*

Quartò Sanctus Hilarius, in *Fragmentis*, testatur Marcellum in eam heresim lapsum esse, quam propugnavit Photinus, & Sanctum Athanasium sese ab ejus communione propterea separasse. *Photinus*, inquit, *Hareticus deprehensus, olim reus pronuntiatus, & a communione jampridem unitatis abscissus, nec tunc quidem per factionem populi potuit amoveri. Sed idem Athanasius Marcellum qui post recitationem libri, quem scriptum ediderat, sententiâ Synodi Sardicensis Episcopatui erat redditus, ubi quadam alia nova miscere sensit, & ambiguis pradicationibus ejus, in quam Photinus erupit, doctrina viam quarere, a sua communione separat; anteriore tempore quàm Photinus argui-*

tur, prabentem judicio meditationem corrupta voluntatis ostendens, & non ex libri editione condemnans. Sed quia promptum est ex bono malum efficere, prabuit, non illis qua in Marcellum gesta ante fuerant, sed his, qua in Photinum gerenda erant, auctoritatem. Illud autem cunctis cognitum esse oportet, nullam umquam adversùs Marcellum, præter eam qua Sardicensibus est dissoluta sententiis, deinceps Synodum fuisse contractam, neque ullum de Photino decretum ab Occidentalibus ad Orientales esse relatum, aut aliquod in eum expressum fuisse judicium: Sed homines mente callidos, ingenio subtiles, malitiâ pertinaces, occasionem revolvendi ejus quod Athanasii absolutione est dissolutum, quasiisse judicii, & rescribentes de Photino Marcelli mentionem, velut institutionum talium Magistri addidisse, ut mortuam de Athanasio, ipso jam tempore Quastionem, & veritatis judicio consepultam, in publicam recordationem causa novitas excitaret, & subrepens per Photini damnationem, Marcelli nomen inveheret. Extat autem in superiore Epistola corpore, Marcellum ab Arianis, occasione libri quem de subjectione Domini Christi ediderat, cum Athanasio fuisse damnatum. Docetur etiam recitatione ejusdem libri, innocentem deprehendi: falsitatem quoque judicii Ariani extantis adhuc libri fides arguit ...... Sed cur abnegata Marcello communionis Athanasius reus esse scribitur? Numquid propter libri vitium Marcellus abstentus est? Testes ipsi sunt, ex institutis ejus Photinum istius perversitatis initia sumpsisse. Nam negata sibi ab Athanasio communione, ingressu sese Ecclesia Marcellus abstinuit ..... Ac sic utrumque istius viri judicium caret culpâ, cùm in datâ communione Synodi sit secutus assensum: in abnegatâ verò, ipso se Marcello abdicante solo, sine ulla Synodi auctoritate.

Ex quibus tria colligere licet; primum, Marcellum ab Athanasio damnatum esse, & abstentum, quando Hæreticus ab eo agnitus est. Secundum, absque novi instauratione judicii, Hæreticis accensitum fuisse, & Hæreticorum pœnâ mulctatum, ne daretur Arianis occasio refricandi veteres in Athanasium calumnias, & latum pro eo a Patribus Sardicensibus judicium convellendi, quia in eadem Synodo Marcellus fuerat absolutus; adeòque Philippopolitani Conciliabuli sententiam in Marcellum legitimam & æquissimam agnitam fuisse, subsequente Ecclesiæ consensu. Tertium, non ex libro a se edito Hæreticum judicatum esse, quia excerptæ ab Eusebio & ejus Symmistis ex eo libro propositiones vel in eo non reperiebantur, vel Catholicum sensum pati poterant; ut revera Orthodoxo sensu a se assertas propugnabat Marcellus: Sed proscriptus est, quia post Concilium Sardicense, exortâ jam Photini Hæresi, multa protulit quæ Hæreticum hominis ingenium demonstraverunt evidentiùs, qui falsitatem speciosis verborum involucris operuerat in libro, & errores circa divinitatem ac regnum Christi malis artibus dissimulaverat, ut eos datâ occasione disseminaret.

Quintò. Idem testatur Sulpitius Severus, lib. 2. Historiæ Sacræ. *Interjecto deinde tempore*, inquit, *Athanasius cùm Marcellum parum sana Fidei esse penitus comperisset, a communione suspendit. Caterùm antea innocens, postea depravatus, videri poterat etiam tum nocens fuisse, cùm de eo fuerat judicatum. Nacti igitur Ariani istiusmodi occasionem, conspirant penitus Sardicensis Concilii decreta subvertere. Etenim eis color quidam suppetere videbatur, quòd tam injustè fuisset pro Athanasio judicatum, quàm Marcellus fuerat absolutus, qui nunc etiam Athanasii judicio Hareticus esse probaretur. Namque Marcellus Sabelliana Haresis auctor extiterat.*

Sextò. Sanctus Joannes Chrysostomus *Homilia* 2.

s. in Epistolam ad Hebraeos, & Marius Victorinus, *lib. 1. adversus Arium*, Photino Marcellum adjungunt. His suffragatur Marius Mercator in Dissertatione ad Nestorii Anathematismum 12.

Septimò. Theodoretus, lib. 2. Hæreticarum Fabularum, cap. 10. recensitâ superiori capite Sabellii Hæresi, ait: *Marcellus Galata, similiter ut ille, negavit hypostasum Trinitatem. Extensionem verò quamdam divinitatis Patris in Christum venisse dixit, & hanc Deum Verbum appellavit. Peractâ autem universa œconomia, cursus attractam esse, eversamque ad Deum, ex quo extensa fuit. Spiritum verò sanctum extensionem extensionis esse dicit, & hanc Apostolis datam fuisse*, Marcellus igitur cum Sabellio sensit.

Octavò. Socrates, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 36. asserit Marcellum Ancyranum, dum Asterium Sophistam vehementiùs impugnaret, in Pauli Samosateni Hæresim lapsum esse. *Marcellus*, inquit, *dum Asterio ex adverso se opponere volebat, in contrarium omnino errorem ipse delapsus est. Nam Christum, sicut Paulus Samosatenus, solum hominem esse non dubitavit asserere. Quæ cùm Episcopi Hierosolymis convocati intellexissent, Asterii nullam rationem duxerunt, quandoquidem in numerum Sacerdotum non erat adsceptus: Sed a Marcello, utpote sacris initiato libri ab eo conscripti rationem poposcerunt. Ut primùm comprererunt eum eamdem cum Paulo Samosateno opinionem tueri, praceperunt ut mutaret sententiam. Ille ad pudeadum inductus, librum se combusturum promittit. Ubi verò Concilium cum festinatione dimissum erat, tandem de Marcelli causa coram Eusebio & aliis Episcopis, qui cum eo erant, denuo disceptatum est. Simulatque verò Marcellus recusaverat librum illum tam inconsideratè scriptum comburere; Episcopi qui aderant, eum de gradu Episcopatûs dejiciunt: Basilium ejus loco Ancyram mittunt. Quin etiam librum ejus Eusebius tribus libris confutat, perversamque ejus coarguit opinionem*. Socrati concinit Sozomenus, *lib. 2. cap. 33.*

Nonò. Ante hos omnes Auctores, Eusebius Cæsarcensis libros quinque edidit adversùs Marcellum Ancyranum. His in libris Marcelli dogmata late refert, ipsis ejus sententiis verbisque allatis, quæ persuadent multa ipsum perperam, & adversùs Catholicæ Fidei regulam sensisse. Quinque potissimùm errores ipsi tribuit Eusebius. Primum, quòd Verbum Dei unam esse cum Patre personam senserit. Secundum, quòd, sic assumptum hominem dixerit, ut efficientia & actione solà collatatus sit Deus, sive solà operatione efficaci cum carne copulatus. Tertium, quòd, post Resurrectionem, scripsisset, Verbum ad Patrem destitutâ carne redditurum: unde perpetuum fore Christi regnum negabat. Quartum, quòd Verbum, ante humanæ assumptionem naturæ, fuisse Dei Filium inficiaretur, sed tunc factum fuisse Dei Filium contenderet, quando caro factum est. Quintum, quòd Verbum ipsum ex se imaginem Dei non esse diceret, sed hoc illi propter assumptam hominis naturam competere. Hæc refert ac refellit Eusebius passim in libris duobus *contra Marcellum Ancyranum* inscriptis, & in tribus qui *De Ecclesiastica Theologia* inscribuntur, contra ipsum etiam editis.

Decimò. Sanctus Athanasius in Oratione cujus inscriptio est, *Quòd unus sit Christus*, Marcellum cum Paulo Samosateno conjungit, quòd Christum merum esse dixerit hominem, nec adoratione dignum. *Quod si denuo*, inquit, *exactè animadvertas, deprehendes eos extra Trinitatem summovere Dominum nostrum Jesum Christum, ut mancipium, ut hominem inadorabilem, at potiùs adorantem, & unà cum cæteris omnibus inservientem & subjectum sanctæ Trinitati, ut Marcellus & Paulus Samosatensis, Apostolica scripta ad suam detorquentes sententiam, interpretantur, qua parte dicit Apostolus: Cùm subjecta ei fuerint omnia, subjicietur quoque & Filius, aut assumptus homo subjicietur ei, qui ipsi subjecit omnia, ut sit Deus, inquit, ita ut ante Incarnationem fuit, prorsus sine corpore. Homoque quondam ab eo assumptus, & tum divinitate exutus, cum omnibus ad genua adorabundus procidet, Deoque subjicietur*. Marcellus igitur Hæreticus fuit; adeòque in facto erravit Synodus Sardicensis, eum ab Hæreseos suspicione absolvens.

Respondeo, Omnes illos testes, quamvis numero plures, & auctoritate gravissimos, audiendos non esse contra Marcellum Ancyranum, cum Julii Sanctissimi Pontificis, trecentorum Episcoporum, qui Concilio Sardicensi adfuerunt, & Sancti Athanasii pro Marcello suffragia, istorum accusationibus longè præponderent. Enimverò Julius, Sardicenses Patres, & Athanasius, Marcelli diligentiùs inquisierunt in causam, librum ejus legerunt, & expenderunt accuratiùs, ipsius Professionem Fidei & doctrinæ expositionem ab ipsomet audierunt, & acceperunt. Alii verò vel loco, vel tempore fuerunt a Marcello remoti. Loco ut Basilius, & Hilarius; tempore, ut Hieronymus, Sulpitius Severus, & Socrates; vel professi fuerunt Marcelli hostes, & Hæretici Ariani a Marcello confutati, qui Hæreseos notam ex invidia & odio ipsi affinxerunt, ut Eusebius, & qui ipsi addi potest, Acacius: vel Eusebii scriptis & calumniis adversùs Marcellum decepti sunt, ut Socrates, & Sozomenus.

Fateor itaque Sanctum Basilium habuisse Marcellum Ancyranum pro Hæretico, & existimasse Synodum Sardicensem in illius absolutione errasse, illumque recepisse in communionem per ignorantiam veritatis: sed S. Basilio oppono Sanctum Athanasium, cui notior erat Marcelli Fides, doctrinaque. Nec refert quòd libros illius sese habere Basilius scribat. Nam libri obscura quædam loca facile est pravum in sensum accipere, cùm Auctor accusatus est erroris, nec præsens est ut doctrinam suam exponere possit. Quæ sors maximè est illorum Auctorum, qui Hæresim aliquam vehementiùs impugnarunt. Hi enim in contrarium errorem inflecti visi sunt sæpe, quem tamen æquè execrabantur. Sic Dionysius Alexandrinus Sabellium impugnans, in suspicionem ejus Hæreseos adductus est, quam Arius propugnavit. Sic Sanctus Augustinus gratiam adversùs Pelagianos defendens, visus est non tantùm Pelagianis ipsis, verùm etiam Catholicis, nempe Monachis Adrumetinis, perimere libertatem. Sic Sanctus Cyrillus adversùs Nestorium scribens, visus est Orientalibus in Apollinaris errorem impegisse. Nil mirum itaque si Marcellus Ancyranus adversùs Asterium Sophistam, & Arianos ferventiùs disputans, & obscura quædam scribens, visus sit Sancto Basilio sensum librorum ejus non attingenti, ut Hæreticus damnandus.

Sanctus Epiphanius hæc, quæ in secunda objectione laudata sunt, adversùs Marcellum verba ex propria sententia non profert, sed ex opinione aliorum. Ipse enim varias fuisse de Marcelli Orthodoxia opiniones refert, nec se certum esse innuit an integræ fuerit Fidei, an Hæreseos assertor. *Obscuram admodum*, inquit, *dogmatis sui significationem dedit, cùm ad Sabellii, & Noëti factionem adjungeretur; Arianis potissimùm pro suo in illum odio hoc ipsum exprobrantibus; quòd nimirum adversùs Arianos contenderet. Hinc est quòd a nonnullis eo nomine incessitur, quasi ad Sabellianorum cavillationes partim adhæserit. Verùm alii eidem patrocinantes, verum id esse negant, e contra-*

Novati nomen, loco Noëti, apud Epiphanium perperam positum est.

rio

eio verò praclarè illum vixisse, ac rectè sensisse confirmant. Unde magna de eo controversia conflata est. Enimvero qua in illius animo occulta fuerunt, uni Deo cognita sunt. Caterùm illius Sectatores & ab eo instituti, cùm ejus mentem ignorarent, nec qua verè sensisset, exprimerent, tres hypostases confiteri noluerunt, utì veritas docet ...... Marcellus autem, cùm aliquid ampliùs his adstruere vellet, nonnullorum sententiâ, in Sabellii errorem incidisse visus est.

Et postquam Professionem Fidei Beato Julio Pontifici Maximo a Marcello oblatam retulit, hæc subjongit: *Caterùm an libellus iste rectè se habeat, necne, legant, qui possunt, & qui exactam eorum, qua in eo scripta sunt, intelligentiam habere possunt, et quid in eo vitii sit, judicent. Nihil enim praterquam quod scimus, & ad nos perlatum est, asseverare volumus; ac licèt nihil in eo libello non castum ac sincerum sit, vel ex ipso nihilominus argumento, qui hunc legunt, aut audiunt, cogitare debent non frustra nec temerè ad hanc defendendi sui necessitatem venturum fuisse, nisi nonnulla protulisset, qua turbarum aliquid excitassent, & eò hominem adduxissent, ut dictorum reddenda ratio videretur. Etenim fieri illud potuit, ut post errorem per Libellum sese excusaret, ac corrigeret: aut ut eodem illo libello ita sermonibus suis fucum faceret, ut qua antea dixisset, consultò dissimularet, ac in eadem redigeretur. Utcumque se res habeat, hac sunt qua de Marcello comparare potuimus.* Ex quibus patet Sanctum Epiphanium dubium saltem hæsisse circa Orthodoxiam Marcelli, nec disertè & ex propria sententia ipsum asseruisse Hæreticum.

Contra. Sanctus Epiphanius colligit Marcellum Ancyranum nonnulla contra Fidem sensisse, ex eo quòd Apologia opus illi fuerit. *Quid ex defensione*, inquit, *& Libello, nonnulla contra sinceram Fidem opinatum esse constabit. Etenim si nihil ab illa diversum sensisset unquam, cujusnam rei gratiâ hanc illam sui purgationem instituerit; nisi quadam ab illo parum rectè posita, ac pronuntiata forent, qua cùm aliquos perturbassent; defendendi sui atque excusandi necessitatem attulerint?*

Respondeo, Legitimam non esse rectamque Sancti Epiphanii illationem. Non enim Hæreticum esse consequens est eum, qui se ab Hæreseos suspicione purgat edita Fidei Professione: satis est quòd ab æmulis fuerit Hæreseos accusatus. Sic Hæreticum fuisse Dionysium Alexandrinum perperam colligeretur, ex eo quòd apud Dionysium Romanum Pontificem de Hæresi postulatus, Apologiam ediderit. Quamvis itaque Marcellus sese ab Hæreseos suspicione apud Julium Romanum Pontificem purgaverit, non sequitur ipsum de Fide malè sensisse.

Sanctus Hieronymus Hilarii sententiam refert, sed nihil ipse pronuntiat. Quinimò subjungit post verba laudata: *Porrò ille defendit se non esse ejus dogmatis, cujus accusatur, sed communione Julii, & Athanasii, Romana, & Alexandrina Urbis Pontificum, se esse munitum.* Quamquam nihil est apud Hilarium, *lib. 7. de Trinitate*, quo Marcellus disertè pronuntietur Hæreticus. Hæc enim tantùm habet: *Impiè multos ad unius Dei professionem Galatia nutrivit*,

Quod verò idem Hilarius in *Fragmentis*, & Sulpitius Severus scribunt, Marcellum parum sanæ Fidei compertum ab Athanasio, a communione fuisse suspensum; hunc verò tanti viri judiciò notatum, sponte concessisse; ipsius Athanasii testimonio revincitur. Hic enim in Apologia priore ad Constantium, inter alios sanctos & Catholicos Episcopos, quorum deplorat exilium, Marcellum recenset, & in Epistolâ ad Solitarios, cujus verba inter probationes Propositionis retulimus, honorificentissimam de eo mentionem facit. Hæc autem scribebat Sanctus Athanasius decimo circiter anno post Synodum Sardicensem, nempe post Liberii Romani Pontificis reditum & lapsum, qui anno Christi 357. contigit: Tum verò longè post illud tempus, quod SS. Hilarius & Sulpitius Severus indicant, in quo ab Athanasio narrant pro Hæretico damnatum fuisse Marcellum. Porrò non est verisimile Sanctum Athanasium talia scripsisse de Marcello, si ipsum antea pro Hæretico damnasset; & eum inter Catholicos & injustè Sede sua pulsos Episcopos numerasse, quem ob Hæresim nosset ab Arianis depositum.

Socrates deceptus est libris Eusebii adversùs Marcellum, de quibus ibidem subjungit: *Quin etiam librum ejus Eusebius tribus libris confutat, perversamque ejus coarguit opinionem.* Deinde addit: *Marcellus postea in Concilio Sardicensi, cùm librum a se editum neutiquam intellectum esse diceret, & ob eam causam se in suspicionem vocatum, quòd cum Paulo Samosateno sentiret, Episcopatum recuperavit. Sed quid nos de isto auguremur, dicemus suo loco.*

Sozomenus Socratem secutus est, quò tamen est in Marcellum propensior. *A nonnullis tamen*, inquit, *dicebantur ista a Marcello dicta esse velut de eisdem solùm quarente, & ab Eusebio & suis sectatoribus ad Imperatorem per calumniam delata, perinde ac si Marcellus eadem constanter asseverasset. Nam hos ei graviter succensuisse, quòd neque in Concilio Tyri habito ipsorum decretis consentiret, neque Hierosolymis de Ario in Ecclesiam admittendo concederet, neque consecrationi magni Templi ibi a Constantino adificati interesse vellet; idque non alia de causa, quàm ut ipsorum vitaret communionem. :.... Causa autem cur Marcellus accusatus sit, fuit Asterius quidam Sophista Cappadocia, qui cùm libros de Religione Christiana opinioni Arii consentientes scripsisset, per oppida circumeundo, eosque Episcopis demonstrare cœpit: Conciliis denique ubique convocatis interfuit. Cui Marcellus contradicens, in opinionem Pauli Samosateni, seu sponte, seu imprudens, nescio, delapsus est. Verùm postea cùm in Concilio Sardicensi ratione ostendisset se haudquaquam ita sensisse, ad Episcopatum denuo restitutus est.*

Sanctus Joannes Chrysostomus, Theodoretus, & Marius Victorinus, falsis rumoribus, & Eusebii libris adversùs Marcellum decepti, ipsum Hæreticis annumerarunt; & aliunde fuerunt a Marcelli ætate remoti: unde Beati Julii Romani Pontificis, Patrum Sardicensium, & Sancti Athanasii suffragiis pro Marcello, non debet ipsorum anteponi auctoritas.

Eusebius Cæsareensis hac in causa audiri non debet, utpote Marcelli Ancyrani, & Fidei Catholicæ, quam adversùs Arianos strenuè propugnavit Marcellus, professus hostis. Calumniosè igitur Marcellum traduxit Eusebius; & quæ inquirentis more, potiùs quàm asseverantis ac docentis, in suo libro posuerat, Eusebius pro veris ac germanis illius decretis objecit, ut constat ex Epistolâ Synodicâ Sardicensis Concilii, cujus verba inter probationes Propositionis nostræ relata sunt.

Denique Oratio inscripta, *Quòd unus sit Christus*, quæ, ut ex ejus fine colligitur, Homilia quædam est in Natalem Christi, non est Sancti Athanasii, nec Auctoris Athanasio coævi. Quod patet tum ex dissimilitudine styli, qui ornatior est Athanasiano; tum ex eo quòd tres hypostases in Sanctissima Trinitate Auctor illius Orationis confitetur, quibus quartam a Paulo Samosateno & Marcello adjunctam queritur. At Sanctus Atha-

nasius unam tantùm in S. Trinitate hypostasim ubique scripsit.

SCHOLION I.

In hac Dissertatione Religiosi Censores hanc Propositionem notant, pag 622. Editionis primæ: *Sancti Patres dum acriter impugnant unam Hæresim, in aliam extremam inflecti videntur.*

R. Propositio mea non ita generalis est & indefinita. En verba mea: *Nam libri obscura quædam loca facile est pravum in sensum accipere, cùm Auctor accusatus est erroris, nec præsens est ut doctrinam suam exponere possit. Quæ fors maximè est illorum Auctorum, qui Hæresim aliquam vehementiùs impugnarunt. Hi enim in contrarium errorem inflecti visi sunt sæpe, quem tamen æquè execrabantur.* Vera observatio est, multis exemplis probata. Nota *Sancti Augustini* sententia libro De Gratia Christi, cap. 47. *Ista Quæstio ubi de arbitrio voluntatis & Dei Gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*

SCHOLION II.

In eadem Dissertatione, pag. 624. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Qui se purgat ab Hæresis suspicione, non propter hoc censendus est Hæreticus.*

R. An satis esse volunt Religiosi Censores, aliquem ab æmulis de Hæresi accusari, ut Hæreticus habeatur, quamvis Fidem suam apertissima professione testetur, quamvis Hæresim execretur omnem, etiam illam quæ ipsi affingitur, vel cujus in suspicionem venit; quamvis Ecclesiæ Judicio se subjiciat, quamvis non solùm ab omni pertinacia, sed ab errore contra Fidem sit penitus alienus? Volens nolens Hæreticus erit?

Nota.

HAnc utique regulam in PP. lectione servandam sapientes Critici observant, ut quia dum aliquem impugnant errorem in oppositam partem aliquando plus æquo declinare videntur, illorum verba non in eo rigoroso, quem præseferunt, sensu usurpentur, sed ex iis interpretentur quæ aliis in locis pro fide explicanda scripsere. Imitati sunt agricolas illos, qui ut curvam plantam ad rectum statum reducant, nimiùm in alteram partem inflectere videntur: *Hoc ipsum* ait Theodoretus tom. 4. pag. 170. *agricolis quoque stirpium cultoribus usu venit, qui cùm incurvam aliquam plantam viderint, non solùm ad rectam normam erigunt, sed etiam ultra directum in partem alteram inflectunt, ut ex vehementiore in contrarium inclinatione ad rectum statum perducatur.* Hujus autem rei plura referunt exempla. Confutare aggressus est S. Gregorius Thaumaturgus Ælianum ethnicum Christianis plurium Deorum cultum objicientem; at ita Divinam Unitatem extollere aliquibus visus est, ut a Sabellio tres Personas confundente non discrepasse quidam opinati sint: a qua tamen calumnia egregie illum vindicat S. Basilius *ep. 64.* Dionysium Alexandrinum, dum Sabellium impugnavit, ad Dionysium Papam aliqui detulerunt, quasi cum Ario Divinam Essentiam diviserit; qui tamen habuit sui defensorem S. Athanasium *in Libro de Synodis.* Anathematismata S. Cyrilli plane orthodoxa quædam continebant verba, ex quibus prave intellectis occasionem postea sumpsit Eutyches propriam hæresim evulgandi. S. Augustinus defendens contra Manichæos arbitrii libertatem visus est favere Pelagianis; hos verò exagitans & gratiæ vires extollens, arbitrii libertati detrahere. Quapropter S. Thomas *in cap. 1. Jo. lect. 7.* dicit antiquos Doctores, & Sanctos emergentes errores circa fidem ita fuisse persecutos, ut interdum viderentur in errores labi contrarios; sicut Augustinus contra Manichæos, qui destruebant libertatem arbitrii, taliter disputat, quòd in hæresim Pelagii incidisse videatur. Et Genebardus in epistola ad Carolum IX. Origenis editioni præfixa dixit: *Augustinus fuit interdum iniquior libero arbitrio, quòd Pelagianos haberet in procinctu, nihil aliud extollentes quàm vires liberi arbitrii, Dei autem gratiæ minimùm tribuentes.* Nemo nihilominus dicere audebit Augustinum a veritate deviasse, diversa etenim illius loca comparando, & antecedentia cum subsequentibus componendo, omnia ad fidei catholicæ normam conscripta adinveniuntur. Videndus Annatus in Augustino a Bajanis vindicato *l. 8. per totum.* Eodem modo excessisse putant S. Augustinum, dum ad adstruendum peccatum originale, parvulos sine Baptismo decedentes pœnæ sensûs addicit: *Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum peccatum esse,* ait S. Thomas *q. 5. de Mal. art. 2. ad 1.* cui consonat S. Bonaventura *in Breviloquio p. 3. cap. 5.*

DISSERTATIO XXXI.

De Concilio Sirmiensi.

ARTICULUS I.

De Concilii Sirmiensis Epocha.

PROPOSITIO.

D*Uplex Sirmii celebrata fuit contra Photinum Synodus, quæ malè in unam confunditur: altera a Catholicis, anno 349. altera a Semi-Arianis, cujus epocha duci non debet ad annum 357. sed figi anno 351.*

Probatur prima pars. Biennio post Mediolanensem Synodum celebratum est Concilium Sirmiense contra Photinum, adeòque anno 349. At Concilium contra eumdem Hæresiarcham habitum cui Basilius Ancyranus interfuit, ut minimum biennio post; anno scilicet Christi 351. celebratum est: vel ut aliis placet, nono post anno Christi 357. Ergo duplex Synodus Sirmiensis contra Photinum distinguenda est.

Probatur antecedens ex Sancto Hilario in Fragmentis. *Igitur,* inquit, *ad tollendum ex Episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi Synodo erat Hæreticus damnatus, ex plurimis Provinciis congregantur Sacerdotes, hoc magis soliciti atque anxii, turbari rursum misererique omnia,* &c. Ex quibus patet, Synodum Sirmiensem biennio post Mediolanense Concilium celebratam fuisse.

Probatur secundò. Synodus in quâ Photinus omnino ab Episcopatu dejectus est, confundi cum ea non debet, in qua propter populi factionem amoveri non potuit. Atqui Photinus in una Synodo Sirmiensi dejectus est ab Episcopatu: in illa scilicet quæ a Semi-Arianis habita est, in altera verò propter factionem populi amoveri non potuit.

fuit. Itaque duplex illa Synodus non est in unam confundenda.

Probatur minor. De priori namque loquitur Sanctus Hilarius in Fragmentis. *Verùm*, inquit, *inter hæc Sirmium conveniunt. Photinus Hæreticus comprehensus, olim reus pronuntiatus & a communione jampridem unitatis abscissus, ne tunc quidem per factionem populi potuit amoveri*. De posteriori Sozomenos, lib.4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.6. *Ut primùm igitur Sirmii coacti sunt*, inquit, *primùm Photinum abdicarunt, utpote opinioni Sabellii & Pauli Samosateni faventem*. Et infra: *Photinus autem condemnatus exilio, ne sic quidem suam defendere opinionem destitit, &c.*

Probatur tertiò. Concilium Sirmiense in quo Photinus depositus est, a solis propemodum Orientalibus celebratum fuit: illud verò de quo Sanctus Hilarius loco mox laudato loquitur, Occidentales soli celebrarunt, decretumque suum ad Orientales miserunt Episcopos, ut idem Hilarius testatur in *Fragmentis*, ubi, *Decretum Photino ab Occidentalibus* factum, *ad Orientales relatum* asserit: Orientales verò *mente callidos, ingenio subtiles, malitiâ pertinaces, occasionem revolvendi ejus, quod Athanasii absolutione est dissolutum, quæsisse judicii, & rescribentes de Photino, Marcelli mentionem velut institutionum talium Magistri addidisse, &c.* Et infra: *De Photino autem sicuti mos poscebat, ad Orientales Epistola fiunt, non injuriâ extorquendi, ut nunc agitur, assensum, sed instruenda universorum sententia consuetudine*. Duplex itaque Concilium contra Photinum Sirmii habitum distinguendum est.

Probatur secunda pars contra Cardinalem Baronium. Concilium Sirmiense congregatum est *Post Consulatum Sergii & Nigriani, quo anno, propter belli tumultus, & seditiones, nullus Consul, vel ex Oriente, vel ex Occidente designatus est*; ut Socrates libro 2. cap.29. & Sozomenus lib.4. cap.6. testantur. Atqui hic annus est 351. Christi. Anno itaque Christi 351. figi debet Concilii Sirmiensis epocha, non verò duci ad annum 357.

Objicies. Anno Christi 351. Pannonia, cujus Sirmium civitas est, a Vetranione Tyranno obtinebatur, aliæque imperii Provinciæ ab aliis infestabantur Tyrannis. Post Constantis namque obitum qui anno 350. contigit, Magnentius in Galliis, & Italia, Vetranio in Pannonia, cui præerat, dominatum arripuerunt. Non potuit igitur anno 351. Constantii jussu, Sirmii celebrari ulla Synodus.

Respondeo, Nego antecedens. Magnentius enim tyrannidem invasit anno Christi 350. decimo-quinto Calendas Februarii, Sergio & Nigriano Coss. ut Idatius in *Fastis*, Socrates, Sozomenus aliique narrant Historici. Eodem anno Vetranio qui peditum Magisterio præditus, Illyricum curabat, imperium quoque usurpavit apud Sirmium Calendis Martii, ut ait Chronicon Alexandrinum. Hic nondum expleto mense decimo tyrannici Principatûs, ut scribit Victor, in ordinem a Constantio redactus est. Anno sequenti, qui fuit Christi 351. Magnentius 4. Calendas Octob. ad Mursam Illyrici oppidum victus est a Constantio, ut refert Idatius. Igitur anni 351. majori parte, hoc est prioribus mensibus, & ab Octobri deinceps, Illyricum fuit in potestate Constantii, potuitque eam in Urbem Synodum convocare. Quod Magnentianis temporibus ab ipso factum verisimile est, hoc est ante annum Christi 353. quo Magnentius mortem sibi apud Lugdunum conscivit. Cur enim penè omnes qui ad Sirmiense Concilium convenerunt Episcopi, Orientales essent, ac unus duntaxat aut alter Occidentalium interfuerit, nulla alia causa fingi potest, nisi quòd Occidentem Magnentius occupabat. Si enim Constantius Occidentis pacificus Moderator extitisset, Sirmium quæ Urbs erat Occidentalis Imperii, frequentiores ex Occidente Episcopi ad Synodum celebrandam accessissent.

ARTICULUS II.

Utrùm tres Formulæ Fidei Sirmienses in Concilio Sirmiensi editæ sint.

SOcrates libro 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 30. & Sozomenus lib.4. cap.6. tres Fidei Formulas quæ Sirmienses inscribuntur, in Sirmiensi contra Photinum Synodo editas asserunt. Eamdem in hallucinationem lapsus est Baronius Cardinalis, Tomo 3. Annalium; contra quos sit.

PROPOSITIO.

EX tribus Fidei Formulis Sirmiensibus, prima duntaxat in Sirmiensi contra Photinum Synodo edita est.

Probatur primò, Sirmiensi contra Photinum Synodo non solùm Basilius Ancyranus interfuit, sed penè etiam præfuit; in eaque maximam sibi peperit nominis celebritatem: siquidem datis a Constantio judicibus, cum Photino congressus est, eumque superavit, ut Sanctus Epiphanius, Hæresi 73. Socrates lib.2. cap.30. Sozomenus lib.4. cap.6. testantur. Atqui secunda Fidei Formula Sirmiensis concepta non fuit in ea Synodo, in quâ præcipuæ fuerunt Basilii Ancyrani partes. Igitur secunda Formula Fidei Sirmiensis edita non fuit in Sirmiensi contra Photinum Synodo.

Probatur minor. Fidei Formula quam in Ancyrana Synodo anathemate damnavit Basilius, & ad quam evertendam legatus ad Constantium Imperatorem, Sirmium usque profectus est, & in qua vox ὁμοιούσιον quam Basilius ipse, aliique Semi-Ariani propugnabant, proscripta est ab Anomæis, concepta non fuit in Synodo, in qua precipuæ fuerunt Basilii Ancyrani partes: Atqui secunda Fidei Formula Sirmiensis, anathemate confossa est a Basilio in Synodo Ancyrana, & ad eam evertendam Legatus ad Constantium accessit Sirmium usque: & in ea non solùm τῆς οὐσίας & ὁμοούσιον vocabula, sed etiam ὁμοιούσιον, quod Basilius Ancyranus, Semi-Arianique cæteri propugnabant, proscripta sunt ab Anomæis. Itaque secunda Fidei Formula Sirmiensis edita non est ea in Synodo in qua ita floruit, tantùmque potuit Basilius Ancyranus.

Probatur minor ex S. Hilario in libro *De Synodis*: ubi Ancyranæ Synodi anathematismos proximè expositurus ait: *Et quidem rectum ac conveniens existimo, ut antequam de verborum suspicionibus ac dissensionibus ineo sermonem, ea quæ ab Orientalibus Episcopis adversùm conscriptam apud Sirmium Hæresim dicta & constituta sunt, verbis quàm possim absolutissimis demonstrem ...... Meministis namque in ea ipsa scriptâ proximè apud Sirmium blasphemiâ, id tentatum ac laboratum fuisse, ut dum Pater unus, & solus omnium Deus prædicatur, Deus esse Filius negaretur. Et dum de homousio & homoiusio taceri decernitur, id decretum esse, ut aut ex nihilo ut creatura; aut ex aliâ essentiâ, ut consequentia creaturarum; & non ex Deo Patre Deus Filius natus confirmaretur*. Subjungit deinde *Exemplum blasphemiæ apud Sirmium, per Osium & Potamium conscripta*: Ac tandem recenset exponitque Ancyranæ Synodi anathematismos, quibus blasphemia illa, seu secunda Formula Fidei Sirmiensis confossa est.

Idem

Idem constat ex Sancto Epiphanio, *Haresi* 73. & ex Ancyrani Conciliabuli Synodica Epistola, quam ibidem refert, in qua Basilius Ancyranus, cæterique Semi-Arianorum Principes testantur se optasse post expositionem illam Fidei, quæ Antiochiæ in Encæniis edita est, *ac deinceps in Sardicensi repetita, denique post ea qua Sirmii contra Photinum gesta sunt, in quiete otioque versari*. Tum aliquot interjectis, ea se perpolire, atque exponere voluisse demonstrant, quæ in superioribus Synodis erant constituta, ut Antiochena & Sardicensi, quam, inquiunt, *Concilii Sardicensis Fidem Synodus Sirmiensis amplexa est*. Itaque Fidei Formulam in Sirmiensi contra Photinum Synodo conceptam, Ancyrana Synodus approbavit; blasphemiam verò Sirmianam, seu secundam Fidei Formulam Sirmiensem, anathemate confixit: Proindeque duplex illa Fidei Formula Sirmiensis, non est edita in Sirmiensi contra Photinum Synodo, sed prima dumtaxat, quam Sanctus Hilarius, libro de Synodis exponit, & quam a Marco Arethusio Græcè conceptam scribit Socrates.

Idem constat ex Sozomeno, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 13. ubi narrat, quòd cùm Eudoxius Antiochiæ res novas moliretur, Aëtiumque asserentem, Filium Dei Patri dissimilem esse foveret atque sectaretur; Georgius Laodicenus Episcopus Semi-Arianus, ad Basilium Ancyranum, aliosque ejusdem factionis Antistites, qui Ancyram ad Encænia novæ Basilicæ a Basilio conditæ, convenerant, literas dedit, quibus eos hortabatur ut Ecclesiæ Antiochenæ contra perversa Eudoxii studia succurrerent. His literis commoti Ancyranæ Synodi Antistites, Legationem ad Constantium Imperatorem decreverunt, quam Basilio Ancyrano, Eustathio Sebasteno, Leontio Cyziceno & Leontio Presbytero ex Thalamepoli Regia imposuere: qui ab ipso totius Synodi nomine postularent, *Aliquam fieri providentiam, ut qua essent in Sardicensi, Sirmiano aliisque Conciliis decisa, rata stabiliaque manerent: in quibus consensum est Filium substantiâ Patri similem esse*. Narrat ibidem Sozomenus Imperatorem ea legatione commotum, Eudoxium condemnasse. Igitur Formula Fidei Sirmiensis quam propugnabat cum Aëtio Eudoxius, qua Dei Filius Patri dissimilis asserebatur, non est edita in Sirmiensi contra Photinum Synodo, cui Basilius Ancyranus præerat, ut S. Epiphanius testis est.

Confirmatur magisque explicatur præcedens ratio. Basilius Ancyranus aderat, imò & præerat Sirmiensi contra Photinum Synodo, in quâ prima Fidei Formula Sirmiensis edita est: Aberat autem Sirmio idem Basilius, cùm secunda Fidei Formula conscripta fuit; quod ex Sozomeno colligitur, lib. 4. cap. 13. ubi refert, Eudoxium, Aëtium, & Uranium, cùm ab Occidentalibus Episcopis, Valente, Ursacio, & Germinio, secundam illam Formulam, quæ Sirmiana blasphemia dicta est, accepissent, Osii subscriptione firmatam, ejus dogma palam divulgare cœpisse; quod indignè ferens Georgius Laodicenus, certiorem ea de re Basilium, cæterosque Episcopos Ancyræ congregatos fecit. Non fuit itaque conscius illius Formolæ Basilius: proindeque illa edita non est in Sirmiensi contra Photinum Synodo, cui Basilius Ancyranus præerat.

Probatur secundò Propositio. Professio Fidei quæ a paucis Episcopis dictata est, non a plena Synodo profecta, non est fœtus Sirmiensis contra Photinum Synodi: sed secunda Formula Fidei Sirmiensis, a paucis Episcopis dictata est, non a plena Synodo profecta: Non est igitur edita in Sirmiensi contra Photinum Synodo.

Probatur minor ex inscriptione quæ ipsi præfixa est apud Sanctum Hilarium: *Exemplum blasphemia apud Sirmium per Osium & Potamium conscripta*. Tum ex ejusdem Formulæ exordio, quod ita conceptum est: *Cùm nonnulla putaretur esse de Fide disceptatio, diligenter omnia apud Sirmium tractata sunt, & discussa, præsentibus sanctissimis Fratribus & Coëpiscopis nostris, Valente, Ursacio, & Germinio*. Paucis itaque ab Episcopis secunda Formula Sirmiensis edita est, non a plenâ Synodo, sicut prima: quæ apud eumdem Hilarium libro *De Synodis* sic inscribitur: *Exemplum Fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conscripta*.

Confirmatur ex eodem Hilario, qui recensitâ blasphemia Sirmiana, hoc est, secunda Fidei Formula Sirmiensi, & Ancyranæ contra illam Synodi anathematismis propositis, ita loquitur: *Dignum autem est conscientia communi, etiam cæteras eorumdem Episcoporum Orientalium, diversis & locis & temporibus conscriptas Fides noscere, &c.* Quæ postquam præfatus est, duas tantùm Fidei Formulas subjicit ac exponit; alteram Synodi Sardicensis, alteram Sirmiensis contra Photinum. Priusquam verò istam describat, sic iterum præfatur: *Consequens est autem ut eam nunc Fidem recenseamus, qua non olim, tunc cùm Photinus Episcopatu dejectus est, conscripta est*. Ex quibus colligitur, primam Formulam Sirmiensem, diverso vel loco, vel tempore, a secunda conscriptam esse. At loco diversa non est, siquidem ambæ Sirmii editæ sunt: tempore igitur est diversa: proindeque secunda illa non fuit edita in Sirmiensi contra Photinum Synodo.

Probatur tertiò, ex Vigilio Tapsensi Episcopo, *libro 5. contra Eutychetem*, in quo Ancyranam Synodum contra Osii & aliorum blasphemam Formulam fuisse celebratam ait, id est contra secundam Formulam Sirmiensem. Hanc porrò in diverso Episcoporum Conventu, ab ea, quæ Photinum damnavit, editam esse, mox indicat Vigilius, hanc Synodum Orientalium contra Photinum *Catholicum Concilium* appellans, cujus decreta collaudat. En ipsius verba: *Deinde adversùs sacrilegam impia Professionis unitatem, qua per Osium, Valentem, Ursacium, & Germinium, caterosque similis pravitatis apud Sirmium fuerat conscripta, universi Orientales Episcopi convenientes, alias, id est, duodecim Fidei definitiones ediderunt qua Niceno Concilio non continentur*. De Sirmiensi verò Concilio in quo depositus fuerat Photinus, hæc subjicit: *Illius verò Catholici Concilii apud Sirmium contra Photinum ex toto Oriente congregati, quis sufficiat multiplices Fidei sanctiones comprehendere, qua apud Nicænam Synodum, quia necessitas fuerat nulla, non sunt omnino sancita: qua nullus Fidelium audet respuere, aut cunctatur recipere, qui non vult cum Photino anathematis eorum sententia subjacere*.

Denique, quòd tertia Formula Fidei Sirmiensis in Synodo contra Photinum celebratâ anno 351. conscripta non fuerit, constat ex Sancto Athanasio *libro de Synodis*, ubi eam Eusebio & Hypatio Coss. id est, anno 359. 11. Cal. Junias, qui dies prid. Pentecostes fuit, Sancto Epiphanio teste, editam fuisse asserit.

Idem constat ex Epistolâ Germinii ad Ruffinum, Palladium, Severinum & alios, in qua indicat qua occasione edita fuerit tertia Fidei Formula Sirmiensis. *Sub bona memoria Constantio Imperatore*, inquit, *quando inter quosdam cœperat esse de Fide dissensio, in conspectu ejusdem Imperatoris, præsentibus Georgio Episcopo Alexandrinorum Ecclesia, Basilio Episcopo tunc Ancyrano, præsente etiam ipso Valente & Ursacio, & in ea pravitate post habitam usque in noctem de Fide disceptationem, &*

ad

& ad certam regulam perductam, Marcum ab omnibus nobis electum, Fidem dictasse, in qua Fide sic conscriptum est: Filium similem Patri per omnia, ut sancta dicunt & docent Scripturæ. Ex quibus præterea colligitur, non primam Fidei Formulam, quæ adversùs Photinum edita est, sed tertiam a Marco Arethusæ Episcopo conscriptam fuisse. Quod contra Socratem, & Cardinalem Baronium Vir Eruditus Nicolaus Faber, in Præfatione ad Sancti Hilarii Fragmenta, observavit.

DISSERTATIO XXXII.

De Liberii, Osiique lapsu; necnon de Pontificatu Felicis.

ARTICULUS I.

Cuinam Sirmiensium Formularum Liberius Pontifex subscripserit?

PROPOSITIO.

Hæc Assertio statuitur contra Petavium, Nicolaum Fabrum, & Blondelum.

Secunda Formula Sirmiensi non subscripsit Liberius, sed primæ, quæ contra Photinum edita fuerat.

Probatur primò ex Sancto Hilariò in Fragmentis. Perfidia Sirmiana, cui subscripsit Liberius, conscripta est a Narcisso, Theodoro, Basilio, Eudoxio, Demophilo, Cecropio, Silvano, Ursacio, Valente, aliisque quos 22. recenset. Atqui Præsules illi 22. secundam Formulam Sirmiensem non conscripserunt, sed priorem: itaque secunda Formula Sirmiensis non est illa cui subscripsit Liberius, sed prima in Sirmiensi contra Photinum Synodo edita.

Probatur minor. Nam secundæ Formulæ Sirmiensis editionis vix alios Antistites adfuisse comperiemus ex Ecclesiasticæ Antiquitatis monumentis, præter Ursacium, Valentem, & Germinium, quibus etiam solis Concilium ab Anomæis Antiochiæ habitum, postquam illam in Sedem adrepsit Eudoxius, gratulatus est, & gratias egit, teste Sozomeno, lib.4.c.12. Ut ut est, Basilius Ancyranus illius Formulæ nedum Auctor non fuit, sed nec approbator, quam vix in lucem emissam anathemate confixit in Ancyrana Synodo. Nec pariter illius natalibus adfuit Theodotus Heracleensis; siquidem ante Liberii exilium obierat, anno circiter 355. Quis etiam facilè credat Silvanum Tarsensem secundæ Formulæ Sirmiensis auctorem fuisse, aut ipsi subscripsisse, qui adeò alienus fuit ab Anomæorum blasphemiis, & a pura Hæresi Ariana, ut pro Catholico habitus sit, & Catholicam de Filii consubstantialitate doctrinam adversùs Anomæos in Concilio Seleuciensi, coram Constantio Imperatore propugnaverit, teste Theodoreto, lib.2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.27. Nec etiam secundæ Formulæ Sirmiensi cudendæ contulerunt operam Eudoxius Germaniciæ, Cecrops Nicomediæ, Macedonius sive Constantinopolitanus, sive Mopsuestenus, & Marcus Arethusius, qui Orientales erant: siquidem secunda Formula Sirmiensis ab Occidentalibus edita fuit, Sozomeno teste, lib.4. cap.12. Accedit quòd nomen Germinii Sirmiensis Episcopi, qui cum Ursacio & Valente in secunda Formula Sirmiensi conscribenda collaboravit, inter illos viginti duos Episcopos, ab Hilario nominatos, non legitur, sicut nec Osii, Potamiique nomina, qui eidem Formulæ saltem subscripserunt. Igitur Antistites illi 22. quos recenset Sanctus Hilarius, non conscripserunt secundam Formulam Sirmiensem, sed primam. Cùm itaque Liberius illi subscripserit Formulæ, quæ ab ipsis conscripta est, certum est ipsum primæ Formulæ Sirmiensi, non verò secundæ subscripsisse.

Probatur secundò. Ubi Liberius Beroeæ adhuc exul Formulæ Fidei Sirmiensi a Demophilo sibi oblatæ subscripsit, non est propterea ab exilio revocatus; atqui revocatus fuisset ab exilio, si Formulæ secundæ Sirmiensi subscripsisset; nihil enim ampliùs ab ipso expetere poterant Ariani, eorumque fautor Constantius, cùm Sanctum Athanasium a sua jam communione suspendisset. Non igitur secundæ Formulæ Sirmiensi subscripsit Liberius, sed primæ.

Probatur major. Liberius enim subscriptione data, scripsit ad Orientales Episcopos Arianarum partium, ut ejus ab exilio revocationem & reditum ad Sedem Romanam, ab Imperatore postularent. Non est itaque solutum ejus exilium propter Sirmiensem Formulam subscriptione sua obsignatam.

Probatur antecedens ex Liberii ad Orientales Epistolâ. *Ego*, inquit, *Athanasium non defendi; sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Julius Episcopus decessor meus; verebar ne fortè in aliquo prævaricator judicarer. At ubi cognovi, quando placuit Deo, justè vos illum condemnasse, mox consensum commodavi sententiis vestris, id est de condemnatione ipsius, per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem Constantium. Itaque amoto Athanasio a communione omnium nostrûm, cujus nec Epistolia a me suscipienda sunt, dico me pacem cum omnibus vobis, & cum universis Episcopis Orientalibus, seu per universas Provincias, pacem & unanimitatem habere. Nam, ut veriùs sciatis me vera Fide per hanc Epistolam ea loqui, Dominus & frater meus communis Demophilus, qui dignatus est pro sua benevolentia, Fidem Catholicam exponere, quæ Sirmii a pluribus Fratribus & Coëpiscopis nostris tractata, exposita & suscepta est...... Ab omnibus qui in præsenti fuerunt, hanc ego libentè animo suscepi, in nullo contradixi, consensum accommodavi, hanc sequor, hæc a me tenetur...... Sanè petendum credidi Sanctitatem vestram, quia jam pervidetis in omnibus me vobis consentaneum esse, dignemini communi consilio ac studio laborare quatenus de exilio dimittar, & ad Sedem, quæ mihi divinitus credita est, revertar.*

Idem constat ex Epistolâ, quam dedit ex loco sui exilii Liberius, ad Ursacium, Valentem, & Germinium: *Scire vos volo*, inquit, *quòd fratrem Fortunatianum petii, ut cum literis meis ad clementissimum Imperatorem Constantium Augustum pergeret, petere ut bono pacis & concordiæ, in qua Pietas ejus semper exultat, me ad Ecclesiam mihi divinitus traditam jubeat reverti, ut temporibus ipsius Romana Ecclesia nullam sustineat tribulationem. Me autem cum omnibus vobis Episcopis Ecclesiæ Catholicæ pacem habere, his literis meis æquo & simplici animo scire debetis, Fratres Charissimi...... Scire autem per vos volo etiam fratres & Coëpiscopos nostros Epictetum & Auxentium, pacem me & communionem Ecclesiasticam cum ipsis habere. Quicumque autem a pace & concordia nostra, quæ per orbem terrarum, volente Deo, firmata est, dissenserit, sciat se separatum a nostra communione.*

Probatur tertiò. Cùm Osii Epistola & subscriptio in Arianam perfidiam, in Orientem pervenisset, Eudoxius, aliique Aëtii Sectatores, rumorem sparserunt, Liberium quoque τὸ ὁμοούσιον rejecisse, & τὸ ἀνόμοιον amplexum fuisse, id est, Filium Patri asseruisse dissimilem, teste Sozomeno, lib.4.

lib.4. cap.15. At rumor ille falsus non extitisset, sed fundatissimus, verissimusque, si Liberius secundæ Formulæ Sirmiensi subscripsisset. Proscribebat siquidem illa τὸ ὁμοούσιον, & τὸ ὁμοιούσιον disertè adstruebat. Liberius itaque secundæ Formulæ Sirmiensi non subscripsit.

Objicies. Sanctus Hilarius *Libro Fragmentorum*, Formulam Sirmiensem cui Liberius subscripsit, vocat, *Perfidiam Arianorum*, ob eamque subscriptionem, ipsum ferit anathemate. *Anathema*, inquit, *tibi a me dictum, Liberi, & sociis tuis. Iterum tibi anathema, & tertiò prævaricator Liberi.* Atqui Sanctus Hilarius primam Formulam Sirmiensem nusquam vocavit Arianam perfidiam, quam ut Catholicam agnovit & exposuit; nec ob illius subscriptionem dicere potuit anathema Liberio, quam approbavit ipse, & suis Commentariis illustravit.

Secundò. Sanctus Hieronymus disertè testatur Liberium Hæresi subscripsisse: atqui prima Formula Sirmiensis non est Hæretica, sed altera quæ Anomæorum Hæresim continet. Subscripsit itaque Liberius Formulæ secundæ Sirmiensi, non primæ.

Probatur major ipsius Hieronymi verbis in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap.97. ubi de Fortunatiano Aquileiensi Episcopo ita scribit: *In hoc habetur detestabilis, quòd Liberium Romanæ Urbis Episcopum, pro Fide ad exilium pergentem, primus sollicitavit ac fregit, & ad subscriptionem Hæreseos compulit.* Et in Chronico: *Liberius*, inquit, *tædio victus exilii, in Hæreticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intravit.*

Tertiò. Sanctus Athanasius in Epistolâ ad Solitarios, ait, subscriptionem, quæ vi a Liberio extorta est, coarguere & ejus in Hæresim odium, & pro Athanasio suffragium, cùm liberos haberet affectus; quia quæ contra priorem sententiam suam scripsit, cogentium potiùs, quàm ipsius voluntati tribui debent. Quibus planè significat, Liberium suâ illâ subscriptione, nedum retractasse suffragium, quod pro Athanasio tulerat, sed & odium quo in Hæresim affectus erat; adeòque Hæresi in secunda Formula Sirmiensi contentæ subscripsisse.

En Athanasii verba: *Liberius deinde, post exactum in exilio biennium inflexus est, minisque mortis, ad subscriptionem inductus. Verùm illud ipsum quoque, & eorum violentiam, & Liberii in Hæresim odium, & suum pro Athanasio suffragium satis coarguit. Quæ enim per tormenta, contra priorem ejus sententiam, extorta sunt, ea jam non metuentium, sed ita cogentium voluntates habenda sunt.*

Idem innuit Sanctus Hilarius ad Constantium Augustum scribens, hisque verbis eum compellans: *Vertisti usque ad Romam bellum tuum, eripuisti illinc Episcopum: & o te miserum! qui, nescio, utrùm majori impietate relegaveris, quàm remiseris.*

Quartò. Auxilius lib.1. *De Ordinationibus Formosi*, cap.25. Liberium Arianæ Hæresi subscripsisse asserit. *Quis nesciat*, inquit, *quòd Liberius, proh dolor! Arianæ Hæresi subscripserit, & per ejus transgressionem nefandissima scelera sunt commissa?*

Quintò. In festo Sancti Eusebii Presbyteri & Confessoris 19. Calendas Septemb. hæc olim Lectio in Romano Breviario habebatur: *Beatus Eusebius Presbyter, cùm præsente Constantino Fidem Catholicam constantissimè defensaret, & Liberium Papam doleret Arianæ perfidiæ consensisse, ab irato Constantio Imperatore Ariano includitur in quodam cubiculo domûs suæ, habente in longitudine pedes quatuor*, &c. quæ ipsa sunt Adonis Viennensis verba in Martyrologio. Subscripsit itaque Liberius secundæ Formulæ Sirmiensi, quæ Hæretica est, non primæ. De tertia enim dubium nullum est, ipsi non subscripsisse illum Pontificem, cùm jam esset ab exilio revocatus, & Sedi restitutus, quo tempore conscripta est.

Sextò. Cùm Beroëa Sirmium revocatus est Liberius a Constantio Imperatore, anno 357. vertente, morem ipsi gessit, subscripsitque Formulæ, quæ tum ipsi oblata est ab Arianis. Cùm itaque primæ Formulæ Sirmiensi subscripsisset a Demophilo sibi oblatæ, quando adhuc Beroëæ exul agebat, alteri Formulæ Sirmii coram Constantio non subscripsit quàm secundæ Sirmiensi. Exilii quippe sui solutionem & reditum Romam hoc solùm flagitio promereri poterat, quem damnatione Athanasii, & primæ Formulæ Sirmiensis subscriptione, nondum fuerat assecutus.

Respondeo, Nego minorem. Quamvis enim Sanctus Hilarius primam Sirmiensem Formulam *Libro de Synodis* exposuerit, quia secundùm se & verbis tenus spectata Hæretica non erat, sed sensum pati poterat Catholicum; eamdem tamen perfidiam Arianam vocare potuit, spectatis ipsius Auctoribus, eorumque consilio. Siquidem eam ediderant, sicuti & alias Fidei Formulas, ut Symbolum Nicænum delerent, doctrinamque consubstantialitatis everterent.

Hanc ob causam Sanctus Hilarius lib. contra Constantium Augustum, Concilium Sirmiense, in quo hæc Formula condita est, æquè damnat ac cætera Arianorum Conciliabula. *His quidem ego* (inquit) *intra Nicænam scripta a Patribus Fide fundatus maneo: quæ non ego, sed tamen hæc tu emendando rescindis, ac sine Fidei meæ damno tibi requiris perfidiæ occasionem. Post Synodum deinde Sardicensem omnem rursum adversùm Photinum Sirmium Catholicæ Doctrinæ tuæ commovet curam. Sed tibi statim hoc quod utraque Fide continebatur, exhorret.* Et infra: *Damnas quoque & substantiæ nomen, quo te & Sardicensi Synodo & Sirmiensi pium esse Occidentalibus mentiebaris.* Sanctus Athanasius etiam, *lib. de Synodis* primam illam Sirmiensem Formulam, inter alias Arianorum Formulas collocat, de quibus ita loquitur: *Quis cùm videat per singulas Synodos alia addi, alia detrahi, non animadvertat illorum in Christum suspectum & insincerum animum?...... Et de industria plurima scribere, ut possint per opportunam ambitionem & tantam loquacitatem, & alios, qui simpliciores sunt, decipere, & ipsi interim latere, ut non sentiatur qualem Hæresim foveant.* Et infra: *Si omnes illorum Scripturæ inter se consentiunt, quid opus tam multis Scripturis? Sin autem opus est tam multis, certè manifestum quamlibet earum deficientem & non plenam esse: quod ipsi multò magis quàm nos verum esse ostendunt, dum omnes suas Scripturas immutant, & transformant. Multitudo porrò Conciliorum, & diversitas Scriptorum, indicium de se præbet eos qui in illis Conciliis congregati fuere, adversùs Nicænam quidem Synodum bellum gerere, sed tamen imbecilliores esse quàm ut pares fiant veritati.*

Respondeo secundò, Verisimile esse, hæc verba, quibus Liberii ad Orientales Epistolæ series interturbatur (*Hæc est perfidia Ariana, hoc ego notavi, non Apostata Liberius sequentia*) hæc verba, inquam, irreptitia esse, nec a Sancto Hilario adscripta, sicut nec sequentes anathematismos in Liberium. Cùm enim Liberius a suo lapsu surrexisset, pristinæque delevisset ignaviæ labem, Nicænam Fidem adversùs Ariminense Conciliabulum strenuè propugnando, ut Damasus Pontifex Maximus in *Epistolâ ad Illyrici Episcopos*, datâ testatur; * iniquus fuisse in Liberium Sanctus Hilarius videretur, si ipsi anathema velut prævaricatori & apostatæ dixisset in Libro Fragmen-

* *Extat apud Theodoret.* lib. 2. Histor. Eccles. cap. 22.

mentorum, quem post Ariminense Concilium conscripsit.

Hæc autem responsio eò probabilior evadit, quò Fragmentorum liber, quamvis genuinus sit Sancti Hilarii fœtus, mutilus tamen est, & plerisque in locis violatus. Id cùm multa probent, clarissimè evincunt verba, quæ priori Liberii Epistolæ ad Orientales sunt adnexa. Hac Epistolâ laudatus Pontifex, Athanasium se a sua & Ecclesiæ Romanæ communione separasse significat; seque communionem Arianorum amplecti. Et tamen post illam Epistolam immediatè leguntur hæc velut Hilarii verba: *Quid in hic literis non sanctitatis? quid non ex metu Dei eveniens est?* Quæ vel addita esse oportet, vel extra suum locum posita, & ad aliam Epistolam, quæ fortè excidit, referenda. Quidni ergo & illos anathematismos depravatrice manu additos suspicemur, quibus diris devovetur Liberius?

Respondeo ad secundum, distinguo majorem. Sanctus Hieronymus testatur Liberium Hæresi subscripsisse, quòd subscripserit Formulæ Fidei ab Arianis editæ, & quòd Athanasium, cujus causa cum causa Pidei conjuncta erat, damnaverit; quòd tandem cum Arianis communicaverit, concedo: Quòd subscripserit Formulæ Fidei, quæ secundùm se & verbis tenus esset Hæretica, nego. Communio itaque quam Liberius iniit cum Arianis, Athanasii Nicænæ Fidei propugnatoris invictissimi damnatio, & subscriptio primæ Formulæ Sirmiensis facta ad nutum Arianorum, satis erant ut Liberius Hæresi subscripsisse a Sancto Hieronymo diceretur: quia nemo non videtur Hæreticus, qui cum Hæreticis communicat, & eorum decretis suscribit, quamvis Hæretica secundùm se non sint, si Fidei Professionem in Ecclesia conceptam illis postponat, virosque sanctissimos propter sanæ Fidei defensionem ab Hæreticis vexatos execretur ac damnet. Hoc est quod nonnulli dicunt, Liberium interpretativè subscripsisse Hæresi, non expressè. Sic etiam exponenda sunt testimonia Sancti Hilarii, Auxilii, Adonis, & veteris Breviarii Rnmani. Enimverò quia Arianorum temporibus commonio cum Sancto Athanasio quædam erat sinceræ Fidei tessera; & Nicæni Symboli Professio Catholicos discernebat ab Hæreticis; damnare Athanasium, & alteram Formulam Fidei a Nicæna probare, nihil aliud antiquis visum est, quàm Fidei causam prodere, & Hæresi subscribere. Unde quamvis Sanctus Hilarius aliquas Fidei Formulas ab Arianis editas Catholico sensu exponat, & inter eas primam Sirmiensem, omnes tamen subdolas esse & impias satis ostendit, si spectentur eorum a quibus editæ sunt personæ, consilia, & affectus. *Facta est*, inquit, * *Fides temporum, potiùs quàm Evangeliorum: dum & secundùm annos scribitur, & secundùm confessionem Baptismi non tenetur. Periculosum nobis admodum, atque etiam miserabile est, tot nunc Fides existere, quot voluntates: & tot nobis doctrinas esse, quot mores; & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt; dum aut ita Fides scribuntur ut volumus; aut ita ut volumus intelliguntur. Et cùm secundùm unum Deum & unum Dominum, & unum Baptisma, etiam Fides una sit, excidimus ab ea Fide quæ sola est: & dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, ne ulla sit. Conscii enim nobis invicem sumus, post Nicæni Conventus Synodum nihil aliud quàm Fidem scribi. Dum in verbis pugna est, dum de novitatibus Quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de Auctoribus querela est, dum de studiis certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse cœpit, propè jam nemo Christi est. Incerto enim doctrinarum vento vagamur, & aut, dum docemus, perturbamus; aut, dum docemur, erramus. Jam verò proximi anni Fides, quid jam de immutatione in se habet? Primum quæ homousion decernit taceri: Sequens rursum quæ homousion decernit & prædicat. Tertiùm deinceps, quæ usium simpliciter a Patribus præsumptum, per indulgentiam excusat. Postremùm, quæ non excusat, sed condemnat. Et quò tandem processum est: ut neque penes nos, neque penes quemquam ante nos, sanctum exinde aliquid atque inviolabile perseveret? De similitudine autem Dei Filii ad Deum Patrem, quod miserabilis nostri temporis Fides est, ne non aut ex toto, aut tantùm ex portione sit similis: egregii scilicet arbitri cælestium Sacramentorum conquisitores, invisibilium mysteriorum professionibus de Fide Dei calumniamur. Annuas atque menstruas de Deo Fides decernimus, decretis pœnitemus, defendimus, defensos anathematizamus; aut in nostris aliena, aut in alienis nostra damnamus, & mordentes invicem, jam absumpti sumus ab invicem. Fides deinde quæritur, quasi Fides nulla sit: Fides scribenda est, quasi in corde non sit.*

Hilarius in lib. quem Constantio tradidit.

Ad tertium ex Sancti Athanasii testimonio desumptum, Respondeo Liberium retractasse pristinum in Hæresim odium, communionem cum Hæreticis ineundo, & subscribendo Formulæ Fidei sibi ab Hæreticis oblatæ: Sed non sequitur ipsum subscripsisse Formulæ secundæ Sirmiensi.

Ad quartum, & quintum, eadem responsio adhibenda est, quæ testimonio Sancti Hieronymi.

Ad sextum Respondeo, negando consequens. Solùm enim ab ipso Liberio obtinere potuerunt, quando Sirmium ab Imperatore vocatus est, ut Collectioni cuidam subscriberet, quæ non solùm Formulam Sirmiani contra Photinum Concilii, sed & eam quæ in Synodo Antiochena in Encæniis edita est, & Decreta duplicis Concilii Antiocheni contra Paulum Samosatenum continebat. Cùm enim Ariani a Liberio obtinere non possent ut sacram vocem ὁμοούσιον disertè damnaret, dolo egerunt, ut subscriberet Antiochenæ contra Paulum Samosatenum Synodo, quæ illam eo sensu proscripserat, quô ipsâ Hæresiarcha ille abutebatur: ut rumorem spargere impunè possent, illum Pontificem suæ Sectæ Synodis subscripsisse, & τοῦ ὁμοου-σίου damnationi. Sed præstat audire Sozomenum, libro 4. *Historia Ecclesiastica*, cap. 15. secundùm versionem Valesii. *Haud multò post*, inquit, *Imperator ab Urbe Roma Sirmium reversus, cùm Occidentales Episcopi legationem ad ipsum misissent, Liberium Berœa ad se accersivit: cùmque adessent Legati Episcoporum Orientis, convocatis Sacerdotibus, qui in Comitatu erant, Liberium cœpit compellere, ut Filium Patri non esse consubstantialem profiteretur. Instabant autem, & Imperatorem ad hoc impellebant, Basilius, Eustatius, & Eleusius, qui præcipuâ apud ipsum auctoritate pollebant. Qui cùm ea quæ contra Paulum Samosatensem, & contra Photinum Episcopum Sirmii decreta fuerant, ac præterea Fidei Formulam in Dedicatione Antiochensis Basilica editam, in unam tunc libellum congessissent, perinde quasi quidam sub obtentu vocabuli consubstantialis, propriam Hæresim stabilire conarentur, effecerunt ut Liberius, & Athanasius, Alexander, Severianus, & Crescens, Africa Episcopi, ei Formula consentirent. Consenserunt pariter Ursacius, & Germinius Episcopus Sirmii, & Valens Mursa, & quotquot ex Orientis partibus aderant Episcopi. Sed & confessionem a Liberio vicissim susceperunt, quâ eos qui Filium secundùm substantiam, & per omnia Patri similem non esse assererent, alienos ab Ecclesia pronuntiabat. Nam cùm Eudoxius, & qui cum illo opinioni Aëtii favebant, Antiochia Osii Epistolam accepissent, sparsis rumoribus divulgaverant, Liberium quoque consubstantialis vocabu-*

lum condemnasse, & Filium Patri dissimilem confiteri, His per Occidentalium Legatos confectis, Imperator Romam redeundi potestatem Liberio concessit.

Denique non est verisimile, tunc illi Formulę subscripsisse Liberium, quam ipse Constantius, agente Basilio Ancyrano, aliisque Ancyranæ Synodi Legatis damnaverat. Sirmium autem vocatus est ab Imperatore Liberius, cùm Eudoxius, & Anomæi ab ipso Antiochiâ pulsi essent, & secunda Formula Sirmiensis velut malè natus fœtus suppressa esset. Non est igitur verisimile quòd Liberium ad illius subscriptionem adegerit Imperator; maximè cùm Basilius Ancyranus, qui illam anathemate confixerat, in comitatu esset, & gratiâ polleret apud Constantium.

Nota.

Liberii lapsum extollere non desinit Bossuet *in Defens. Declarat. p. 2. l. 14. c. 35.* ac Sirmiensi formulæ subscribendo dicit facto ipso demonstrasse deesse romanis Pontificibus infallibilitatem illam, qua errare non posse asserimus. Esto, inquit, illi subscripserit formulæ, in qua nihil Fidei contrarium exprimeretur, cùm tamen Nicæna fides, seu vox *omousion* in eadem deesset, id satis videbatur, ut Arianis consentientem credamus, quia tacuit Nicænam fidem, quando eamdem tacere, idem videtur fuisse ac negare, seu Arianorum placita probare. Hoc ipsum etiam demonstrasse videtur, quia tacentibus Nicænam fidem communionem cum Petri cathedra concessit; denegavit verò eamdem prædicantibus, Athanasio nempè, quem damnatum voluit, quamvis cum hoc Antistite communio tamquam tessera sinceræ fidei haberetur.

Ego quidem fateor non excusandum Liberium a manifestâ injustitia, dum Athanasium damnando Arianis morem gessit; neque a noxa animi inconstantis, nimisque pavidi, dum exilii, pænarumque tædio victus, & ut suam recuperaret Sedem, primæ Sirmiensi formulæ subscipsit. At a fide non descivisse meritò asseritur, asseruitque Maimburgus, antequam e re sua esse putaret Romanos Pontifices fallibiles affirmare; ac proinde *lib. 4. dell' Arianisme*, dicit *Liberium nullo modo Semi-Arianorum hæresi subscripsisse, imò constantissimè Filii consubstantialitatem propugnasse, idque tam clarum esse, ut nemo prudens de hac dubitare posset.*

Et re vera formulam Sirmiensem, cui subscripsit Liberius, secundùm se, verbisque spectatis sensum catholicum pati potuisse, habemus ex S. Hilario, quem dat Natalis in superiore dissertatione. Præterea eidem formulæ subscribere, in qua id solùm deficere considerabatur, quòd Filii cum Patre consubstantialitas non exprimeretur, quamvis nec negaretur, non habitum fuisse quasi Arianæ hæresis professio, illud manifestè suadet, quòd, ut observat Natalis, adhuc post illam subscriptionem Liberius Berocæ exul detinebatur. Porrò quis non videat Arianum Imperatorem statim revocaturum fuisse Liberium a suo exilio, cùm ob defensionem fidei catholicæ proscripserit, si primam Sirmiensem Arianorum formulam non respuere, idem habitum fuisset ac Arianæ Fidei consentire? Sed & nemo poterat judicare Liberium Arianis consensisse, quia non respuerit formulam, ubi Divinarum Personarum consubstantialitas omittebatur; cùm etenim numquam a Liberio obtinere potuerint, ut disertè sacram vocem *omousion* damnaret, ut animadvertit Natalis in responsione ad sextum, interpretari non poterant eam non admittere, quia formulam admiserit, ubi tacebatur. Falsum proinde omnino est Sirmiensem primam Formulam admittere, idem judicandum, ac facto ipso, si non verbis, hęresim arianam amplecti.

Ipsi Ariani ostendebant vocis *consubstantialis* omissionem non ea ratione ab ipsis expetitam, ut pro negatione foret usurpanda, sed ne ecclesię pax retardaretur. Evolventi igitur historiam Arianæ hæresis statim apparet Arianos non semel se Catholicos simulasse, pristinisque erroribus fictè renuntiasse, atque, ut catholicos deciperent, Filium Dei similem per omnia Patri dixisse, & non Creaturam, sed Deum prædicasse, Interim Athanasii damnationem exposcebant variis criminibus reum conclamantes, quæ veritatis coloribus depingere summopere studebant; ac a voce *omousion* abstinendum peroptabant, At qua ratione? Quia asserebant eam vocem nec in Scripturis, nec in Patribus legi: dissonum rationi sanè esse pro una vocula excludenda, vel admittenda cum tanto pacis dispendio tamdiu decertare: satis esse de re ipsa constare, & vocem ad ea usque tempora inauditam tacere, eò maximè quia Sabelliani ad inducendam Personarum unitatem abutebantur. Cùm igitur vocis consubstantialis omissionem, non ideo exposcerent Ariani, quia esset veluti Personarum consubstantialitatis negatio, semper magis apparet non bene Bossuet affirmare Liberium subscribendo formulæ, in qua *omousion* tacebatur, facto ipso Filii cum patre consubstantialitatem respuisse. Hinc simili Fidei confessioni, in qua in verbis nil videret *fidei esse contrarium, se paratum esse subscribere* dixit Augustinus in Epistola ad Pascentium Arianum, quæ in nova Editione est 238.

Sed demus Liberium seu verbis, seu factis a fide descivisse, ac Arianis adhæsisse, fortène Papæ ex Cathedra definientis corruit infallibilitas? Sed primò quærendum quid responderet Bossuet, dum Ariminensium PP. lapsus ipsi objiceretur? Convocatum fuit Concilium Ariminense a Papa, ac ibi ejusdem Legati præsidebant. Eò ex Oriente & Occidente quadringenti episcopi convenerant. Et si ibi proscriptam dicere nollemus vocem *omousion*, sanè fuit omissa. Errarunt ergo tot PP. qui œcumenicum, legitimumque concilium constare potuissent? Si responderet Bossuet Occidentales ab Orientalibus deceptos fuisse, nonne & Liberium Ariani circumvenerunt? Si metum prætexeret, quo ad usiæ nomen abolendum illi PP. coacti fuere, nonne & contra Liberium metus pugnavit, ac insuper exilii ærumnæ, ac Imperatoris persecutio? Quæ ergo responderet Bossuet ad excusandum tanti Concilii lapsum, potiore ratione Liberium valent a reatu vindicare.

Advertendum modò Papam infallibilitate non donandum, nisi ubi ex cathedra doceat. Sed docuit ne Liberius Ecclesiam Sirmiensi formulæ subscribendo, etsi ita agendo Filium Patri essę consubstantialem negasset? Errasset quidem, sicut & erravit Petrus cùm Christum negavit. At sicut nemo dixerit Petrum metu adactum, Christum negando propterea negandum esse docuisse; ita nec negandam Filii consubstantialitatem docuisset Liberius, quia inter fastidia exilii, inter supplicia, tortorumque manus, ac dolis circumventus eamdem consubstantialitatem negasset. Omnes norunt quæ dolo, metuve gravi fiunt non esse attendenda; unde ex utroque jure vel rescindenda judicantur, vel quædam statim nihili habentur. Verùm etsi docuisset personarum consubstantialitatem denegandam, fortène ex cathedra docuisset? Quas quęso Synodos coegit ad hanc veritatem examinandam? Si Synodos non coegit, quos viros doctos consuluit, quas Congregationes instituit ad hoc dogma definiendum? Ubi legitur

so-

solemnes publicasque preces indixisse, ut ita Spiritus S. assistentia illi non deesset? Si ita non egit, non definivit ex Cathedra, non docuit tamquam omnium fidelium Magister, ac Doctor. Ubi verò ita non se gerat, sciat Bossuet Romanum Pontificem infallibilem a nobis non agnosci.

ARTICULUS II.

Utrùm Osius secunda Formula Sirmiensi subscripserit, ac in Hæresi sit defunctus?

PROPOSITIO.

Osius Cordubensis Episcopus Arianæ impietati in secunda Formula Sirmiensi exarata, vi compulsus subscripsit: Sed in Hæresi ac impietate non obiit.

Probatur prima pars ex Sancto Hilario *Libro de Synodis*, ubi Formulam secundam Sirmiensem sic inscribit: *Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Osium & Potamium conscripta.* Et infra: *Absque Episcopo Eleusio, & paucis cum eo ex majori parte Asianæ decem Provinciæ, intra quas consisto, verè Deum nesciunt. Atque utinam eum nescirent, cum procliviore enim venia ignorarent, quem obtrectarent. Sed horum Episcoporum dolor se intra silentium non continens, unitatem Fidei hujus quærit, quam jamdudum per alios amisit. Nam illa in prima collata expositionis Synodo Fides hanc habuit necessitatem: cùm apud Sirmium, per Osium immemorem gestorum suorum, distortamque, nove, & tamen jamdiu suppareta impietatis doctrina prorupet. Sed de eo nihil queror, qui idcirco est reservatus, ne judicio humano ignoraretur qualis ante vixisset.* Et inferiùs de vocabulis ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον agens ait: *Oro vos, ne quisquam alius ex his præter senem Osium & ipsum illum nimium sui sepulchri amantem reperiatur, qui tacendum esse existimet de utroque.* Illi itaque Formulæ Sirmiensi subscripsit Osius, quæ Arianam impietatem continebat, & quæ voces ὁμοούσιον, & ὁμοιούσιον ex æquo damnabat. Hæc autem est secunda Formula Sirmiensis.

Tom. 4. Bibliot. Patrum, Probatur secundò ex Sancto Phœbadio Aginnensi Episcopo in libr. contrà Arianos * *Sed non sum nescius*, ait, *his omnibus discussis & in lucem intelligentia publica propositis, antiquissimi Sacerdotis, & prompta semper Fides Osii nomen, quasi quemdam in nos arietem temperari, quo contradictionis temeritas propulsetur. Sed hanc contra nos erigentibus machinam, brevi admodum sermone respondeo: Non potest ejus auctoritate præscribi, quia aut nunc errat, aut semper erravit. Novit enim mundus quo in hanc usque venerit ætatem, qua constantia & in Nicæno Tractatu assensus sit, & damnaverit Arianos. Quid si diversa nunc sentit, & quæcumque ab eo retrò damnata fuerunt, defendantur, quæ defensa, damnantur? Rursum dico: Non mihi ejus auctoritate præscribitur. Nam si nonaginta ferè annis malè credidit, post nonaginta illum rectè sentire non credam. Aut si nunc rectè, quid de his opinandum est, qui ab eodem signati Fide in qua tunc ipse erat, de sæculo transierunt? Quid & de ipso pronuntiaretur, si ante hanc Synodum dormiisset? Ergo ut supra diximus, præjudicata opinionis auctoritas nihil valebit, quia contra semetipsam ipsa consistit. Et sanè legimus:*

Ezechiel. 35. * *Justitia justi non salvabit eum in quacumque die exerraverit.* Ex quibus Phœbadii verbis colligitur Osium in errorem lapsum esse, subscribendo utique secundæ Formulæ Sirmiensi; quod ad facinus vi tormentorum compulsus est.

Probatur tertiò ex Sancto Epiphanio, Hæresi 73. ubi de Arianis sic loquitur: *Alterum quod perficere studuerant, fuit ut dissimilem essentiâ Filium Patri esse, scriptis mandarent. Quo nomine Ecclesiam condemnare se posse putarunt iis literis, quas ab venerabili Episcopo Osio per fraudem abstulerant, in quibus dissimilis essentia legitur.* Subscripsit itaque Osius Formulæ secundæ Sirmiensi, in qua Filius Patri essentiâ dissimilis dicebatur.

Probatur quartò ex Sulpitio Severo, libro 2. Historiæ Sacræ, ubi de Arianis hæc habet: *Sed quidam ex his ultra processerant, Anomæonsiam, id est, dissimilem substantiam confirmantes. Eoque his tentaminibus processum, ut istiusmodi piaculis orbis terrarum implicaretur: nam Italiam, Illyricam, atque Orientem, Valens & Ursacius, cæterique, quorum nomina edidimus, infecerant. Gallias nostras Saturninus Arelatensium Episcopus homo impotens & factiosus premebat. Osium quoque ab Hispania in eamdem perfidiam concessisse, opinio fuit: quod eò mirum atque incredibile videbatur, quia omni fere ætatis suæ tempore constantissimus nostrarum partium, & Nicæna Synodus auctore illo confecta habebatur: nisi fatiscente ævo (etenim major centenario fuit, ut Sanctus Hilarius in Epistolis refert) deliraverit.*

Probatur quintò ex Socrate, *lib. 2. Historia Ecclesiastica, cap. 31.* ubi de Osio ita scribit: *Quamquam iste paulò ante per fraudulentam Arianorum conatum erat in exilium missus: id temporis tamen studio & labore Episcoporum, qui Sirmii convenerant, factum est ut Imperator illum accerseret, habens in animo, vel persuadendo, vel cogendo, eum inducere, ut cum Episcopis ibi coactis consentiret. Nam, si istud factum esset, illorum Fides perillustrè testimonio confirmata videretur. Hac de causa invitus, ut dixi, accessit ad Concilium, simul atque verò Senex ille eorum Fidei assentiri abnuebat, plagæ illi erant inflictæ, membraque machinis distorta. Quapropter Fidei Formulis eo tempore editis, vi & necessitate compulsus, consensit, subscripsitque.* Secundam autem Sirmiensem Fidei Formulam eo tempore editam, in Sirmiensi nimirum contra Photinum Concilio, Socrates existimavit. Illi igitur Fidei Formulæ, quam superiori capite descripserat, Osium arbitratus est subscripsisse.

Probatur secunda pars Propositionis ex Sancto Athanasio, qui in libris post Osii mortem conscriptis, de illo semper honorificentissimè loquitur; quod minimè fecisset, si in Hæresi & impietate obiisset. Sic autem de ipso scribit, in Apologia de fuga sua, pag. 547. *De magno & gravissima ætatis viro, eodemque Confessore Osio, qui verè Osius est, id est Sanctus, supervacuam arbitror mentionem facere, cùm nullus fortasse sit, qui incognitum habeat eum ab istis quoque in exilium missum esse. Non enim quidquam latere potest in Viro illo tanta claritudine. In qua enim Synodo ille non dux & antesignanus fuit? Quem non ille rectè tuendo, in sententiam suam pertraxit? Quæ Ecclesia illius præsidentiæ non pulcherrima monumenta retinet? Quis illum mœstus adiit, ut non lætus abierit? Quis indigus ab eò postulavit, quin postulatum obtinuerit? Atque contra hunc quoque se audaces, improbosque ostendere, eo quòd certus ille rerum calumniarum, quas pro tuendâ impietate contra me instruerent, ipsorum insidiis subscribere noluit, quibus rebus declararunt, minimè se veros Christianos esse.*

Et in Epistolâ ad Solitarios, pag. 846. & sequentibus, Osii lapsum referens, eum nihilominus laudibus maximis exornat. *Tantis*, inquit, *ne talibus sceleribus factis; nihil omnino se adhuc fecisse arbitrabantur, quamdiu magnus ille Osius eorum malitiam expertus non esset. Nam in eum ta-*

lem, tantùmque virum suam rabiem protendere studuerunt: neque quòd Pater esset Episcoporum reveriti sunt: neque quòd Confessor erat, pudore moti sunt: neque quòd sexagesimum annum & eò ampliùs a Confessione agebat, respexerunt, sed omnia simul vilipendentes, ad solam suam Hæresim oculos intentos habuere. Adorti igitur Constantium, talibus verbis alloquuntur: Omnia quidem a nobis facta sunt, profligavimus in exilium Romanorum Pontificem, & jam ante eum extorres fecimus quamplurimos Episcopos, omnia loca terroribus implevimus; sed tamen pro nihilo sunt tanta tua opera, neque quidquam profecimus, quamdiu reliquus est Osius. Quamdiu enim ille in suis agit, omnes in suis Ecclesiis agere videntur: potest ille & verbis, & auctoritate Fidei sua omnes contra nos inducere. Hic Princeps est Synodorum, & si quid scribit, ubique auditur: hic Formulam Fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos ubique pro Hæreticis traduxit...... Auditis ergo istorum verbis, non cunctandum sibi ratus Constantius, ut qui virum nosset, & quanta auctoritatis Senex ille esset, scribit & edicit ut ad se veniat.... Venientem igitur rogabat hominem, & solitis suis verbis, quibus alios circumvenire pro more habebat, excipit, cohortaturque ut in Nos subscriberet, & cum Arianis communionem haberet. Senex verò ejus rei vel auditum ægrè ferens, Imperatorem magnis rationibus contersitum de sententia deduxit, atque ita in Patriam, suam ad Ecclesiam rediit. Verùm cùm Ariani denuo lamentarentur, Imperatoremque irritarent; & Eunuchi sermonibus subservientes, eum majorem adhuc in modum exacerbarent; scribit denuo cum minis ad Osium. Ille autem contumeliis quidem afficiebatur, sed tamen ob terrores illos de sententia sua non decessit, quippe qui supra firmam petram Fidei domicilium suum ædificaverat, & liberrimè contra Hæresim, imbres & ventos Epistolarum minas arbitrans, locutus est. Subinde igitur Constantio scribente, & nunc quidem blandiente, Patremque eum appellante, nunc interminante, & relegatos enumerante, & his verbis eum conveniente: Solusne etiamnum hostis Hæreseos remanebis? Obsequere, & scribe contra Athanasium: qui enim contra eum scribit, ille planè nobiscum Arianas sententias amplectitur. Nihil ad ista expavit Osius.

Recitatâ deinde Osii ad Constantium Imperatorem Epistolâ, hæc subjungit Sanctus Athanasius: *Hæc Abrahamicus ille Senex, verè Osius, hoc est Sanctus, & sensit, & scripsit: Ille autem neque insidias de manibus deposuit, neque criminandi occasiones quærere desiit, sed gravis semper minabatur, ut eum vi oppressum in suas partes transferret, aut inobsequentem exterminaret. Sed ut occasionem Duces & Satrapæ Babylonis sedulò quærentes contra Danielem, non inveniebant, nisi ex causa legis Dei: ita quoque nunc Satrapæ impietatis, ne fingere quidem quidquam contra Senem potuerunt. Omnibus enim ille notus erat, ac verus pro suo nomine Osius, hoc est, Sanctus habebatur, vitaque ejus irreprehensibilis, nisi ex odio ejus contra Hæresim crimen mutuarentur. Calumniantur igitur eum, sed non ut illi Danielem apud Darium libenter talia audientem, sed ut Jesabel contra Naboth, & ut Judæi apud Herodem.*

Et paulò inferiùs. *Hæc cùm audivisset impietatis propugnator Constantius, & quòd alii essent per Hispanias ejusdem cum Osio sententia, quos cùm solicitasset ad subscriptionem, impellere nequivisset, accersit Osium, & pro exilio illum detinet integrum annum Sirmii, nihil veritus impius, nec Deum, neque Patris sui, quem erga Osium habebat affectum, neque senectutem hominis jam centenarii inhumanus ille respexit. Omnia namque ob amorem Hæresis neglectui habebat novus ille Achab, & nostris temporibus secundus Balthasar. Tantam enim vim intulit Seni, & ita eum arctè tenuit, ut afflictus attritusque malis, tandem ægrèque cum Ursacio & Valente communicaret, sed tamen ut contra Athanasium non subscriberet.*

Denique tantum abest, ut Osium in Hæresi & impietate mortuum dixerit Sanctus Athanasius, quin potiùs disertè asserit illum, paulò ante mortem, Arianam Hæresim diris omnibus devovisse. *Verùm*, inquit, *ne ita quidem eam rem pro levi habuit: moriturus enim, quasi in testamento suo, eorum vim protestatus est, & Arianam Hæresim condemnavit, vetuitque eam a quoquam probari, aut recipi*. Ex quibus omnibus colligitur, Osium in Hæresi & impietate non obiisse.

Denique in fine *Apologiæ 2.* hæc de Osio scribit Sanctus Athanasius: *Nam tametsi Osius minis Constantii conterritus, non videbatur Eusebianis contradicere, vis tamen illa & tyrannica Constantii potestas, multaque contumelia & interminationes satis ostendunt minimè eum in nostri condemnationem consensisse, sed senii imbecillitate imparem, verberibus ad tempus cessisse.* Porrò si solùm ad tempus cessit, in ea impietate perseverasse, ac obiisse, dici non potest.

Probatur secundò ex Sancto Augustino, *lib. 1. contra Parmenianum, cap. 4. 5. & 8.* ubi multis a criminibus Osium vindicat, quæ Donatistæ ipsi, post ejus mortem, affinxerant, quòd non minùs acriter eorum sectam, quàm Arianorum oppugnasset: Sed & in Ecclesiæ communione ipsum obiisse idem S. Augustinus asserit. *Quod enim*, inquit, * *de Osio dicunt Cordubensi, quondam Catholico Episcopo, flagitandum est ut probent, non solùm talem illum fuisse, qualem dicunt, sed quòd talis fuerit, manifestum illis fuisse, quibus eum communicasse asserunt. Hoc enim nisi probaverint, frustra dicunt se scisse qualis fuerit, quia nescientibus obesse non potuit, a quibus se isti innocentibus separando, propter ipsam separationis sacrilegam iniquitatem innocentes esse non possunt. Hoc enim magis credibile est, si tamen Osius ab Hispanis damnatus, a Gallis est absolutus; sic fieri potuisse, ut falsis criminationibus Hispani circumventi, & callidâ insidiarum fraude decepti, contra innocentem ferrent sententiam, & postea pacificè in humilitate Christiana cederent sententia Collegarum, quibus illius innocentia comprobata est.* * Cap. 4.

Objectio petitur ex Libello, quem Faustinus & Marcellinus Theodosio Imperatori porrexerunt, in quo testantur Gregorium Illiberitanum Episcopum cum Osio in Hispaniam reduce communicare noluisse: Osium propterea iratum, Gregorium ad tribunal Clementini Provinciæ Præfecti Cordubam vocasse. Post multas contentiones, Osium a Gregorio prævaricationis convictum, nec ipsius objectis respondere valentem, rescriptum Principis obtinuisse, cujus in vim Gregorium a Clementino amandari in exilium postulavit. Præfectum respondisse, Non audere se Episcopum exilio damnare, nisi priùs depositus esset: Principis rescriptum executioni se mandaturum, cùm illum deposuisset Osius. His in angustiis Gregorium divinam opem, judiciumque implorasse ajunt, cujus precibus Deus justus & impietatis ultor annuit. Cùm enim Osius in sanctum illum Antistitem sententiam dicere vellet, capite oreque distortis in terram e Sede sua, Deo vindice, dejectus, ac elisus est; eoque casu infeliciter subitòque obiit. Addunt, metu correptum Clementinum, ad pedes Gregorii provolutum, veniam ab ipso exorasse. Hæc narrationis illorum Presbyterorum de Osii morte summa.

His suffragatur Sanctus Isidorus Hispalensis, libro de Viris Illustribus, cap. 14. ubi hanc de Osii

Osii lapsu Historiam eodem modo refert. Igitur Osius in Hæresi & impietate mortuus est.

Respondeo, Marcellino & Faustioo Luciferianis Schismaticis nullam hâc in causa fidem adhibendam: quippe qui Osium aliosque Episcopos in Constantii Imperatoris persecutione, & in Concilio præsertim Ariminensi lapsos ita sunt aversati, ut com ipsis communionem inire noluerint, maluerintque ab Ecclesia nefario schismate dividi, quàm cum ipsis reconciliari. Atque eò magis Marcellini, Faustinique testimonium suspectum esse deber, quòd ipsis nullus Auctor coævus aut suppar suffragetur: & quòd ipsorum Libellus calumnias in SS. Athanasium & Hilarium contineat putidissimas. Sanè Sancti Athanasii locuples adeò pro Osio testimonium, illos Schismaticos mendacii reos agit. Nam si Deo vindice tam infœliciter Osius obiisset, ob desertam consubstantialitatis defensiooem, plurimùm Sancti Athanasii intererat id memorare: cùm Fidei Ecclesiæque causa non leve hinc contra Arianos commodum reportatura esset. Adde satis incredibile videri, quòd Clementinus Provinciæ Præfectus Episcopum in exilium amandare nollet urgente Imperatoris mandato, cùm ipse homo ethoicus esset, adeòque nullius io Episcoporum Ordinem reverentiæ; & multi eà tempestate Antistites, omni juris ordine prætermisso, in exilium mitterentur. Parum etiam verisimile est quòd Osius auctoritate propria, & absque Ecclesiastico judicio Episcopum deponere aggressus sit. Cùm itaque hæc referant Marcellinus & Faustinus, eorum narratio jure merito suspecta est falsitatis.

Ad secundum, respondeo librum illum *De Viris Illustribus* non esse Sancti Isidori Hispaleosis, cum illius non meminerit Sanctus Hildephonsus illius opera universa receosens in libro *De Viris Illustribus*. Sed Auctor, quisquis sit, illius libri, hanc de Osii morte fabulam ex cœnoso gurgite Luciferianorum Schismaticorum hausit. Unde majoris non est ponderis istius quàm illorum testimonium.

ARTICULUS III.

Utrùm Felix in Sedem Romanam Liberii exulis loco intrusus, legitimus Pontifex fuerit?

PROPOSITIO.

Felix Romanæ Ecclesiæ Diaconus in Romanam Sedem Liberii loco ab Arianis intrusus, legitimus Pontifex nusquam fuit.

Probatur primò ex Sancto Athanasio, qui Felicem ceu monstrum in Petri Sede semper aspexit, utque Arianis communione fœderatum: de cujus intrusione sic loquitur in Epistolâ ad Solitarios: *Hoc ministro utens* (Epicteto scilicet Constantius) *incredibile facinus designavit, & quod verè referat imaginem Antichristi, ut qui in locum Ecclesiæ palatium suum succedere voluerit, & pro conventu populi, & jure comitiorum, tres eunuchos præsentes esse jusserit, tresque item κατασκόπους hoc est exploratores* [*non enim eos Episcopos dixeris*] *ut ipsi Felicem quemdam Episcopum in Palatio crearent, dignum profectò talibus suffragatoribus. Cæterùm populi omnes, cognitâ Hæreticorum pravitate, non permisere eos Ecclesiam intrare, proculque ab iis recesserunt.*

Probatur secundò ex Optato Milevitano, & Sancto Augustino, qui seriem Romanorum Pontificum texentes ut ex illorum successione perpetuâ Catholicæ probent Ecclesiæ veritatem, ex eorum albo Felicem expungont, & Julium inter Damasumque, nullum alium collocant a Liberio. Sic namque scribit Optatus Milevitanus, lib. 2. contra Parmenianum: *Cathedra unica est*, ioquit, *quæ est prima de dotibus. Sedit prior Petrus: cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus, Evaristo Sixtus, Sixto Telesphorus, Telesphoro Higynus, Higyno Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri Eleutherius, Eleutherio Victor, Victori Zephirinus, Zephirino Calixtus, Calixto Urbanus, Urbano Pontianus, Pontiano Antherus, Anthero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Sixtus, Sixto Dionysius, Dionysio Felix, Felici Eutychianus, Eutychiano Cajus, Cajo Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Eusebius, Eusebio Miltiades, Miltiadi Silvester, Silvestro Marcus, Marco Julius, Julio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius hodie qui noster est socius; cum quo nobis totus orbis commercio Formatarum in unâ Communionis societate concordat. Vestra Cathedra vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.*

Sanctus verò Augustinus *Epistolâ* 165., Romanorum Pontificum seriem sic describit: *Si enim* In Edit. postrema Paris. 53.
ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quando certiùs & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, &c. Miltiadi Silvester, Silvestro Marcus, Marco Julius, Julio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, Siricio Anastasius. In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur. Cùm itaque Felix, in hac Pontificum Romanorum serie non recenseatur, argumento est laudatos Patres non existimasse illum umquam fuisse legitimum Pontificem.

Probatur quartò. Si Felix legitimus umquam Pontifex fuit, ipsi non eripuit Pontificatum Liberii emeodatio: qui cùm sua dignitate canonico crimioe excidisset, causæ oimirum Catholicæ prævaricatione, & communione cum Hæreticis, in ipsam restitui noo potuisset, nisi sede saltem vacante per obitum legitimi Pontificis. Itaque si Felix fuit aliquando legitimus Pontifex, & postea esse desiit, exauctorationem promeritum illum fuisse oportet crimine aliquo Liberii reditu & emendatione posteriori: quod cùm nemo sit hucusque commentos, ipsum fuisse Pontificem usque ad obitum sequeretur, hoc est, ad annum usque 365. eoque temporis intervallo nedum fuisse legitimom Pontificem Liberium, aut duos simul sedisse in Cathedra Sancti Petri legitimos Pontifices. Cùm igitur neutrum dici possit, colligere est Felicem nusquam fuisse legitimum Pontificem.

Objicies. Sanctus Hieronymus in Chronico, ad anoum Christi 352. Romanis de Clericis loquens, ait: *Post annum, cum Felice ejecti sunt, quia Liberius tædio victus exilii, & in Hæreticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intraverat.* Quæ verba significant, persecutionem contra Felicem ab iis motam, qui Arianis favebant; adeòque ipsum recessisse ab Ariaoorum communione, & verum evasisse Pontificem, cùm Liberius illis communione junctus est.

Secundò. Theodoretus, libro 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 17. Felicem Liberii successorem vocat, ipsumque Nicænam Fidem propugnasse asserit. *Successum est*, inquit, *Liberio a fideli quodam ejus Diacono, nomine Felice, qui fidem in Concilio Nicæno expositam, servavit integram.*

Tertiò. Felix ab Ecclesia colitur ut Sanctus Pontifex & Martyr; ejus in omnibus Martyrologiis 4. Calendas Augusti coosignatur memoria; & in

San-

Sancti Gregorii Sacramentario legitur Officium *In Missa Sancti Felicis Martyris & Pontificis*. Testaotur prætcrea, Felicem illum fuisse Martyrio coronatum, Anastasius Bibliothecarius, lib. de Vitis Romanorum Pontificum, & Ado Vienneosis in Martyrologio ad 4. Calendas Augusti. Asserit prætcrea Anastasius ipsum de consilio Liberii fuisse consecratum Pontificem, & Valentem atque Ursacium in Concilio 48. Episcoporum damnasse. Ado verò hæc habet: *Romæ, via Aurelia, Beati Felicis Pontificis, sub Constantio Filio Constantini. Idem Constantius Augustus Concilium Hæreticorum, ac Valentis & Ursacii Arianorum approbans, quia & ipse Arianus erat ab Eusebio Nicomediensi rebaptizatus, ejecit Sanctum Felicem Urbis Episcopum de Sede Episcopatûs sui. Et facta est persecutio magna in Clero, ita ut Presbyteri, & Clerici plures necarentur, & Martyrio coronarentur. Depositus Sanctus ac Beatissimus Papa Felix, habitavit in prædiolo suo, quod est via Portuensi. Et agentibus postmodum Hæreticis, exinde levatus, ductus est ad civitatem, & capite truncato, Martyrio coronatur 4. Idus Novembris.*

Quartò. Felix Papa Sancti Gregorii atavus ab antiquis Scriptoribus dicitur Felix IV. scilicet a Joanoe Diacono & Leone Hostiensi. At IV. esse non potuit, nisi ille, quo de agimus, fuerit Felix II. adeòque legitimus Pontifex.

Quintò. Cùm Romæ ambigeretur anno 1582. sub Pontificatu Gregorii XIII. deberetne Felix ille in novo Martyrologio Romano collocari, & Viri Eruditi, ipseque inter alios Baronius Cardinalis, in contrariam propenderent sententiam, divinâ providentiâ inventa est arca marmorea in Basilica Sanctorum Cosmæ & Damiani, cum hâc inscriptione in marmore incisâ antiquis Characteribus: *Hic jacet corpus S. Felicis Papæ & Martyris, qui Constantium Hæreticum damnavit*. Sacri verò corporis, cum inscriptione illa, revelatio facta est pridie ejus diei, quo ejusdem S. Felicis in Ecclesia Natalis dies agi consuevit, 4. Calendas Augusti, cùm de ejus meritis disceptatio magna esset, jamque penè ob ionumeras contrarias assertiooes causa cadere videretur; ut ait Baronius, *Tom. 3. Annalium ad ann. 357.*

Denique id probant Cærensis Ecclesiæ monumenta in qua idem Felix ut Patronus colitur. Est autem Cære civitas in Faliscis, viâ Aureliâ posita, decimoseptimo ab Urbe lapide, quæ hujus Pontificis illustrata memoriâ, facta fuit olim Sedes Episcopalis, inquit Baronius in appendice Tomi 3. Annalium.

Respondeo ad primum. Non constare an Felix ab Arianis ejectus fuerit cum adhærentibus ipsi Clericis, an a Catholicis. Ejectum ab Orthodoxis potiùs fuisse, colligitur ex Matronarum Romanarum supplicatione Constantio Imperatori factâ pro Liberii reditu, cujus Theodoretus meminit, *lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 17.* Legatione Episcoporum Occidentis ad illum Principem destinata, ut ejusdem Liberii reditum & restitutionem impetrarent; cujus Legationis testis est Sozomenus, *lib. 4. cap. 15.* ex propensione denique Constantii & Arianorum Episcoporum in Felicem, quæ effecit ut cùm isti, tum ille decernerent ut Romana Ecclesia a Felice & Liberio communi consilio & potestate regeretur. Itaque si ejectus est Felix, quem potiùs Româ clam secessisse Theodoretus asserit, a Catholicis potiùs quàm ab Arianis ejectus videtur. Utut sit, non evincitur ex Sancti Hieronymi testimonio ipsum fuisse legitimum Pontificem, imò ipsum ab Arianis intrusum fuisse in Romanam Sedem disertè asserit. *Liberius*, inquit, XXXIV. *Romanæ Ecclesiæ ordinatur Episcopus, quo in exilium ob Fidem truso, omnes Clerici juraverunt ut nullum alium susciperent. Verùm cùm Felix ab Arianis fuisset in Sacerdotium substitutus, plurimi pejeraverunt, & post annum cum Felice ejecti sunt, &c.* Lapsus tamen est in Chronologia Sanctus Hieronymus. Non enim ejectus est Felix nisi post reditum Liberii, qui non contigit nisi post biennium ab ejus exilio, ut testatur Sanctus Athanasius in Epistolâ ad Solitarios: *Post exactum in exilio biennium*, inquit, *inflexus est*, &c.

Ad secundum respondeo, Theodoretum vocare Felicem Liberii successorem, impropriè & latè sumpto successionis nomine; quo sensu qui post alterum aliquam ad dignitatem promovetur, sive jure, sive injuriâ, sive illam usurpet, vel in eam intrudatur, sive ejus insignia legitimè accipiat, illius successor dici solet. Agnoscit namque Theodoretus Pelicem Arianorum factione fuisse in Sedem Romanam intrusum, & eorum communione maculatum, quamvis Nicænam Fidem integram servaverit. En Theodoreti verba: *Etenim successum est Liberio a fideli quodam illius Diacono nomine Felice: qui tametsi Fidem in Concilio Nicæno expositam ipse servavit integram: tamen cum illis qui eamdem labefactare studebant, liberè communicavit. Ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in Ecclesiam, dum ille intus erat, ingredi voluit.*

Ad tertium respondeo, S. Felicem Papam & Martyrem pro cujos festivitate Officium extat in Sancti Gregorii Sacramentario, & cujus solemnis dies agitur ab Ecclesia die 29. Julii, esse Felicem Primum, qui sub Aureliano Imperatore, anno Christi 274. Martyrio coronatus est. Unde Martyrologia, quæ ipsum Felicem secundum esse significant, sub Imperio Constantii passum, in hoc emendatione indigent. Felicem namque illum Pseudo-Pontificem ad Valentiniani imperium usque vixisse, nec obiisse ante 22. Novembris anni 368. Faustinus & Marcellious homines coævi testantur, quibus hac in re derogandam esse Fidem, nihil est quod persuadeat.

Anastasii porrò Bibliothecarii, qui post quinque sæcula floruit, nec Veterum testimonio nititur, parvifacienda est auctoritas maximè cùm pugnantia loquatur. Ait enim io Vita Felicis, ipsum in civitate Corana, 3. Idus Novembris, occultè, juxtà muros urbis passum esse, cum multis tamen Clericis & Laicis. In vita verò Liberii, ait, ipsum depositum de Episcopatu habitasse in prædiolo suo via Portuensi, ubi & rêquievit in pace 4. Calendas Augusti. Tanta certè & proximè sequens dictorum pugna efficit ut mihi persuadere non possim ab eodem Auctore scriptam esse Liberii, Felicisque Vitam. Præterea ille, sive Anastasius, sive alius quispiam, scribit Felicem declaravisse Constantium Imperatorem Hæreticum, qui rebaptizatus fuerat ab Eusebio Nicomediensi: & eam ob causam ipsum fuisse ejusdem Constantii mandato, capite truncatum. Qua in narratione falsitatem animadvertere est multiplicem. Neque enim Veterom ullus Constantium a Felice fuisse damnatum testatur: imò ipsum propensissimum fuisse in Pseudo-Pontificem illum, ex Theodoreto colligitur & Sozomeno: siquidem Romanis Matronis ipsum orantibus ut Urbis Pastore orbatæ, & luporum insidiis expositæ misereretur, ac Liberium ab exilio revocaret, Ecclesiæque Romanæ restitueret, respondit Imperator; *Altero Pastore civitati opus non esse, quippe cùm haberet unum qui ipsi posset providere*, nimirum Felicem. Id ex eo confirmatur luculentiùs, quòd Constantius Liberium Romam remittens, jussit ut Ecclesiam communi consilio & auctoritate eum Pelice administraret; quod nusquam jussisset, si fuisset a Felice damoatus, ob idque illi infensissimus.

Putidior est falsitas altera, scilicet Constantium

ab

ab Eusebio Nicomediensi rebaptizatum fuisse. Nam & antea obierat Eusebius Nicomediensis, & Constantius his temporibus adhuc Catechumenus erat, ut colligitur ex Sancto Hilario * ipsum arguente, quòd nondum regeneratus, credendi formam præscribere Ecclesiis auderet: & ex Sancto Athanasio, *lib. de Synodis* asserente, ipsum imminente obitu ab Euzoio Ariano Episcopo initiatum Baptismo fuisse.

* *Lib. de Synodis*.

Tertiò falsum est quod scribit Anastasius in Vita Liberii, Sacerdotes congregatos, cum Liberii consilio ordinasse in locum eius Felicem Presbyterum Episcopum. Neque enim tunc Presbyter erat Felix, sed Diaconus tantùm, ex Theodoreto: neque a Sacerdotibus cum Liberii consilio; sed ab Arianis, & Constantio ipsorum protectore, in Liberii locum intrusus est, ut ex Sancti Athanasii locupletissimo testimonio superiùs probavimus.

Quartò. Falsum est quod Felix Ursacium & Valentem, coacto Concilio damnaverit, quibus communione junctus erat.

Quintò. Ursacium & Valentem Episcopos, fuisse meros Presbyteros, falsò innuit Auctor ille.

Sextò. Falsum est quod scribit, Liberium Constantii præceptis consensisse, *Ut una participatio conveniret communionis cum Hæreticis, tantùm ut non rebaptizarent*. Quasi verò Ariani soliti fuissent rebaptizare, & a quopiam Veterum fuissent de anabaptismo accusati.

Eosdem in errores impegit Ado Viennensis, & quæ de Felice habet, hausit ex cænosis libri Pontificalis fontibus.

Ad 4. Respondeo, Joannem Diaconum, Leonem Hostiensem, & alios qui Felicem Sancti Gregorii Magni atavum Felicem IV. nuncuparunt, deceptos fuisse. Ille enim dicendus erat Felix III.

Ad quintum, respondeo, Hanc inscriptionem non esse quarti sæculi, sed Anastasii Bibliothecarii temporibus videri posteriorem. Quod enim in ipsa legitur, Felicem damnasse Constantium, falsum esse iam ostendimus, quòd nemo Veterum id testetur, non Athanasius, non Lucifer, non Hieronymus, non Hilarius qui tanti rem momenti non prætermisissent. Secundò: Hanc adversùs Principes severitatem tunc non exercebat Ecclesia, nec pœnas debitas ipsis irrogabat, ne majus inde scandalum atque damnum oriretur, neve gravis ab ipsis excitaretur in Catholicos persecutio. Tertiò, cùm adhuc esset Catechumenus Constantius, nec sacrorum participatione Mysteriorum frueretur, Ecclesia ipsum anathemate non damnasset. Hæc igitur Inscriptio falsa est, quoad illam Constantii a Felice damnationem. Nec mirum quòd spuria illa inscriptio tumulo Felicis Primi legitimi Pontificis ac Martyris sub Aureliano passi apposita fuerit ab aliquibus ignaris: siquidem & alia monumenta æquè supposita ad nos usque pervenerunt, & inter alia Epistolæ Sancti Athanasii ad Felicem istum Pseudo Pontificem, & ejusdem Epistola ad Athanasium, quæ Concilio Alexandrino præfixæ sunt.

Ad ultimum respondeo, Cærensem Ecclesiam S. Felicem Aureliano imperante martyrio coronatum, ejusque nominis primum Pontificem, ut Martyrem colere; vel quempiam alium ejusdem nominis Martyrem, cui deinde Pontificis nomen fuerit ob affinitatem vocabuli tributum. Facile enim confundi Sanctos ejusdem nominis nemo nescit. Illius verò Ecclesiæ monumenta antiquis Auctoribus, & Liberio Feliceque cnævis, anteponenda non videntur.

Denique si S. Felix, qui ab Ecclesia colitur, sit ille qui Liberio propter Fidem exule, in Sedem Romanam intrusus est, sequitur Felicem Primum, cujus sanctitatem ac martyrium Ecclesia agnoscit universa, nullum in sacris Fastis locum obtinere, nullis honoribus celebrari.

SCHOLION.

In hac Dissertatione, pag. 43. Editionis primæ, hæc verba Religiosi Censores reprehendunt: *Cænosi libri Pontificalis fontes*.

R. Libri Pontificalis *Sancto Damaso* falsò adscripti cœnnosos fontes rectè dixi, idque nemo Criticæ Sacræ peritus reprehenderit.

ANIMADVERSIONES in Pontificatum Felicis Liberio exuli suffecti.

§. UNICUS.

Felix usurpati Pontificatûs non facilè damnandus.

Sententiam propugno, cui inter alios uterque Pagi adstipulantur, nec facilè falsi accusandos censent, qui Felicem inter legitimos Pontifices recenserent. Quamquam igitur, Liberio superstite, novi Pontificis electioni locus non esse videretur, ac insuper verum fuisset Romanum Clerum, unàque Felicem tunc Liberii Archidiaconum juramento se Liberio obstrinxisse, de altero Pontifice non eligendo, osquedum inter vivos ipse degeret Liberius, ut testatur Marcellinus *Pree. p.2.*, nemo tamen dicet ad novam electionem devenire non potuisse, si juri suo cessisset Liberius, ac proinde solutum voluisset sibi præstitum juramentum. Ita autem evenisse probat Baronius ad an.354. ex gestis Pontificalibus, quibus vetus ecclesiæ romanæ traditio consignatur, ibi enim legitur *congregatos sacerdotes, & cum consilio eorum Liberium*, seu, ut legit Baronius, *procurante Liberio, Felicem in ejus locum ordinasse*. Nil etiam dicit Theodoretus, quòd illegitimam Felicis electionem fuisse exprimat, sed potiùs legitimam significavit, dum ait hist. l.2. c.17. *Sucessum est Liberio a fideli quodam illius Diacono, nomine Felice*. Ubi observant eam vocem *successum est* rectè a Theodoreti interprete usurpatam, ac legitimam possessionem significare.

Hæc non inaniter confirmantur observando, quòd si Felix se in Liberii locum intrusisset, & non Pastor, sed Lupus extitisset, non desiissent Scriptores illi schismatis, ac perjurii maculam obiicere, a quibus criminibus videntur absolvere, dum reticent, alia exprobrando. Et quidem nullibi legitur Liberium adversùs Felicis electionem reclamasse, ac insimul perjurii insimulasse, saltem usque dum adversùs hæreticos dimicavit, ac Imperatoris sprevit potentiam. Theodoretus loco citato solùm culpandum censuit, quia cum Arianis communicaverit, unde post verba supra relata statim subdit: *Qui tametsi fidem in concilio Niceno expositam ipse servavit integram, tamen cum illis, qui eamdem labefactare studebant, liberè communicavit. Ac propterea nemo ex Roma habitatoribus in Ecclesiam, dum ille intus erat, ingredi voluit*. Ita non illegitimæ intrusioni adscribitur Romanos ab eo longè stetisse, sed ipsius cum Arianis adhæsioni. Theodoreto Sozomenus consentit, varias etenim relationes perpendens *lib.4.c.13.* eam potissimùm amplectendam putat, quæ Felicem *quantùm ad religionem spectat omni prorsus reprehensione caruisse confirmat, uno illo excepto, quòd etiam ante ordinationem cum Episcopis liberè communicaret*, cum illis nempe aulicis episcopis, qui non solùm Constantio, sed hæresi etiam addicti videbantur. Sed & ipse Socrates *l. 2. cap. 37.* quamvis Athanasii relegens vestigia, Felici infensus videatur, ad

adnotare nihilominus non omisit *Non defuisse qui dicerent illam non solùm opinionem Arianam minimè amplexum esse, sed vi ac necessitate compulsum ordinationem suscepisse*. Ubi ergo Felicis noxæ non dissimulantur, nec vola quidem auditur de schismatis perjuriique criminibus, unde inferre licet non satis apparuisse eisdem inquinatum; ac proinde non sine Liberii consensu suæ electioni non contradixisse.

Felicis innocentia ex eo etiam innotescit, quòd viri sanctitate præclari cum eo communicabant, ipsique adhærebant. Inter eos fuit S. Damasus, referente Marcellino *Damasum sub Felice Archidiacono Liberii Diaconum, & cum eodem profectum in exilium, postquam de itinere Romam redit, ita Felici adhæsisse, ut ab ejus maximè Sectatoribus in locum ejus post Liberii mortem Antistes expostulatus sit*. Verum quidem est Marcellinum ob hanc rationem perjurii, & schismatis notam Damasi electioni objecisse, sed nemo non scit nullum crimen esse Marcellinum velut mendacem spernere. Esto igitur fidem mereri dum externa facta, quæ suis ipsis oculis vidit, recensuit, quoad judicium personarum minimè illi adhærendum est. Nomen ipse dederat Sectæ Luciferianorum, unde quid vetat dicere in suæ sectæ adversarios hæreticorum more iniquum fuisse, ac addere, detrahere, vel dissimulare saltem potuisse, quæ e re sua esse credebat. Ipse Christianus Lupus, qui Marcellion consentit in delendo Felicem a Romanorum Pontificum cathalogo, ipsum disertis verbis multa mentiri fatetur. Et re vera Damasus, in quem Marcellinus debacchatur, a S. Ambrosio ep. 11. *Dei Judicio, Romanæ Ecclesiæ Sacerdos electus* dicitur, & a S. Hieronymo *ep. 14. ad Damas.* appellatur non minus *Discipulus crucis*, quàm *Successor Piscatoris*. Ecclesiæ rerum Scriptores communiter ipsius sanctitatem morumque austeritatem commendant; unde inverisimile prorsus est schismatis, perjuriique maculis suam innocentiam fœdasse, Felici adhærendo, si in ipsius electionem Liberius non consensisset. Cæterùm infra videndum, an ut putum commentum spernenda sint quæ ex Marcellino Felici ac Damaso objiciuntur. Felicem ut verum Pontificem colebat etiam Eusebius Presbyter romanus, cujus gesta refert Stephanus Baluzius *Miscellan. tom* 2. Illius memoria recolitur die 14. Augusti, ipsiusque festum adnotatur in Sacramentario S. Gregorii, in Kalendario P. Frontonii, in Martyrologiis Usuardi, Adonis, & Bedæ, ut apud nostrum Florentinium p. 754. Porrò in ejusdem Eusebii vita apud cit. Baluzium narratur *Felicem purum, & Catholicum episcopum ab omnibus declaratum*.

Demum, si Felicem schismatis reum esse satis constitisset, Cathalogi Pontificales sequentis ævi inter Pontifices Felicem non adnumerassent, in Litaniis, Librisque Missarum & precum, in Sacramentario S. Gregorii, & Martyrologiis omnibus, modò Confessorem & Pontificem, modò Martyrem apoellatom non videremus. Neque huic argumento satisfacit Natalis dicendo Felicem, cujus mentio fit in Sacramentario S. Gregorii, & in Martyrologiis, esse Felicem I. qui Aureliano Imperatore martyrio coronatus est: *Nec est*, ait Pagi in Critic. ad an. 357. n. 17. *quòd quis dicat hæc intelligenda esse de Felice I. sub Aureliano martyrium passo, & Martyrologia, quæ ipsum Felicem II. esse indicant, in hoc emendatione indigere. Nam Felix I. paulò ante persecutionem Aurelianeam ad Deum migravit, & in Indiculo Bucheriano* depositionis Episcoporum *memoratur, non verò in Indiculo* Depositionis Martyrum, *ut patet ex dictis nu. 274. Duo Indiculi illi sedente Liberio scripti, adeoque nihil iis de Sanctis Pontificibus habemus antiquius*. Constans ergo fuit S. Felicis II. cultus in ecclesia, ex quo Auctorem schismatis, ac perjurii reum fuisse nemo cordatus sibi suadebit; quanquam cùm illorum temporum plura interierint monumenta, non adeo perspecta nobis possit esse veritas. Illud nihilominus ex dictis perspectum est, duriore censurâ Tillemontium in S. Felicem tom. 6. p. 781. insurrexisse, dum ita ait: *Ut quid igitur tot difficultatibus solvendis implicamur ad defensionem viri, quem tota antiquitas deserit? quem necesse est fateri toto saltem biennio fuisse horrorem ecclesiæ, quemque tueri nequeas, nisi ruinosis fundamentis innitendo, ac parvi momenti auctoritatibus, quæ seipsas interimunt, utpote scriptis authenticis convulsæ*. Non omnino illum deseruit Antiquitas, quem consentiente Liberio, & necessitate compulsum Petri Cathedram conscendisse dicit, quemque Nicænæ Fidei addictum agnovit, quemque ut Sanctum, unàque Martyrem coluit.

Non levis nihilominus quibusdam hìc apparet difficultas, quia videntur Martyrologia mendosè asserere S. Felicem martyrio occubuisse, & Constantii Imperatoris Ariani mandato gladio necatum. Ita habent Martyrologia Adonis, Rabani, Usuardi &c. Martirologium Romanum parvum a Rosvveido editum, & commune Martyrologium Romanum. Porrò id putidum commentum putat Natalis in responsione ad tertium, nam Faustinus, & Marcellinus homines coævi testantur Felicem usque ad Valentiniani Imperium vitam protraxisse. Iis accedit Constantium in Felicem fuisse propensum, utpote quem unà cum Liberio Romanam Ecclesiam regere optaverit, teste Theodoreto supra citato, unde inverisimile prorsus est ad mortem damnasse.

Sed quod attinet ad Felicis vitam, quam auctoritate Marcellini & Faustini presbyterorum usque ad Valentiniani tempora protrahunt, sciendum quod Jo. Baptista Solerius aliique, qui Acta Sanctorum colligunt, dum ad diem 20. Julii S. Felicis Acta expendunt, Marcellini libellum prorsus supposititium judicant. Ad id judicandum moventur, tum quia ineptum omnino videtur Libello precum, quem Imperatoribus offerre dicuntur, anteposuisse præfationem, in qua Pontifices Liberium, Damasum, ac Felicem injuriosis dictis lacessunt, ac multorum criminum accusant. Tum quia in ea de Constantio sermo est quasi de Principe, qui jam a multo tempore regnaverit, dicendo: *Temporibus Constantii Imperatoris, filii Constantini &c*. Tum quia longe omnino a vero reputandum præfatos Presbyteros catholicis Cæsaribus Valentiniano, Theodosio, & Arcadio Constantinopoli libellum obtulisse, in cujus præfatione Ursicinum Antipapam summopere commendaverint, laceraverint verò S. Pontificem Damasum &c. & nihilominus Imperatores benignè rescripsisse. *Adversetur quisquis voluerit*, ait Solerius de Felice agendo §. 1. *numquam in animum inducam presbyteros illos Marcellinum & Faustinum, ut ut de cætero audaces, tam inverecundam, tam impudentem, tam mendacem narrationem libello suo precum præfixisse, nedum Imperatoribus tam orthodoxis offerre ausos fuisse. Liceat dicere quod sentio: Videri mihi præfationem istam partum esse alicujus scelesti tenebrionis hæretici, qui per trium istorum Pontificum latus Romanæ Ecclesiæ faciem semper splendidam, & immaculatam conspurcare conatus fuerit, ut proinde nullam omnino fidem promereatur; non majorem certè in iis, quæ de SS. Felice, & Liberio, quàm in iis quæ de S. Damaso patentissimè mentitus est; ut quid ex pura, puta calumniarum farragine tutò admitti possit, quò sæpius lego, eò minus intelligam. Atqui ex impurissimo ista sentina turbidas suas aquas haurire ii omnes,*

qui

qui S. Felicè tam inclementer, tanto, at ita dicam, favore adversati sunt. Nullam igitur mereri fidem quæ ex confictis Marcellino, & Faustino S. Felici opponuntur, non temere dixerim. Adde ex ipso Sozomeno haberi non diu post Liberii reditum Felicem supervixisse; postquam etenim *l. 4. c. 15.* narravit factam Liberio potestatem Romam redeundi, post pauca ita subdidit: *Post hæc verò cùm Felix modico tempore supervixisset, Liberius solus ecclesiam administravit.*

Et si verò Constantius aliquo tempore Felici addictus fuerit, nil vetat dicere postea in ipsum sævisse. Ex supra dictis discimus Felicem Nicænæ Fidei retinentissimum fuisse, eo etiam tempore quo ob communionem cum Arianis a quibusdam reprehenditur; unde credere est postea cum Arianis fortiter dimicasse. Hinc cùm Constantium sua spes fefellerit, quòd scilicet electionem Felicis promovendo, Sectæ suæ infensum habiturus non esset, bene fieri potuit, ut ex ipsius mandato martyrii coronam fuerit adeptus. Neque obstat aliquos Felicem solius Confessoris, non verò Martyris nomine nuncupare; ut etenim habet Sollerius supra citatus: *Quòd non expressius Martyr, sed Confessor dumtaxat appelletur, ejus martyrio nihil obesse satis aliunde intelligitur, ut noverat, earum rerum veram peritl, atque ita apud Frontonem explicatum invenies.* Ita etiam Pamelius in Adnotationibus in *ep. 9.* S. Cypriani, tandem fatetur utrumque nomen, Martyris scilicet & Confessoris, apud Veteres quandoque confundi. Restat modò iis respondere quæ de ipsius electione ex S. Athanasio opponit Natalis.

Non negandam utique electionem Felicis nigris depictam coloribus ab Athanasio, utpote qui eam adscribit molitionibus Epitecti Centum-cellarum episcopi; & qui loco plebis Palatii Eunuchos adstitisse affirmat, ac Palatium pro ecclesia adhibitum: nihilominus sequentia sunt observanda. Primum est de iis, quæ tunc in Ecclesia acciderunt, diversos diversa scripsisse; unde Socrates *l. 2. c. 37. cit.* postquam Felicem arianam perfidiam amplexum esse dixit, fatetur alios ab hoc crimine immunem prorsus agnovisse, & nonnisi necessitate coactum in suam ordinationem consensisse. Potuit proinde ad Athanasium in Ægypto commorantem, perturbata factorum notitia pervenire, & ex falsis rumoribus Felicis electioni plus æquo detrahere. Deinde considerandum S. Athanasium, quamvis tam acriter Felicis electionem reprehendat, utpote quam totam Arianorum artibus tribuit, eidem tamen Felici schismatis, & perjurii crimina non opposuisse, quæ sanè non conticuisset, si eisdem inquinatum Felicem credidisset, cùm ejusdem electionem ut iniquissimam describere assumpserit. Tertiò, etsi consentire omnino Athanasio velimus, & ab Arianis Felicem in Romanum Pontificem electum dicamus, non proinde statim Pseudo-pontificem habere necesse est. Etiam electioni Cyrilli pro ecclesia Hierosolymitana, & Meletii pro Antiochena Ariani suffragati sunt, & nihilominus a legitimorum episcoporum numero non sunt eradendi, utpote quia postea Catholici pro legitimis suscepere, quando ipsis Arianis infestos esse viderunt, ac pro catholica fide fortiter dimicare. Idem proinde dicere fas est de Felice, quem Nicænæ fidei Assertorem fuisse supra visum est. Quòd si tam Theodoretus, quàm Sozomenus locis supra citatis Liberio Clerum, Plebemque Romanam addictos describunt, ultra quam, quòd id, dum de ipsius reditu agebatur, contigisse narrent, Sollerius in Actis S. Felicis describendis §. 3. ita habet: *Affectatam non nihil Theodoreti narrationem, atque in Liberii favorem adornatam nemo non statim dicret, qui infelicès ejus lapsûs historiam apud alios legisset; ex qua nimirum refelli posse crederet, quæ de ejus tam pacifico, & triumphanti redita memorantur, ubi apud alios legitur vim a Constantio Romanis inferre debuisse, ut in Urbem reciperetur, majorem etiam ut tamquam Pontifex cognosceretur, Clero, & populo S. Felicè semper catholico, & tum maximè probato adhærentibus, qui demum vi etiam quodammodo adhibita expellendus fuerit.*

Opponit etiam Natalis nec S. Optatum nec S. Augustinum inter legitimos Pontifices Felicem recensuisse. Sed respondendum evenire quidem potuisse, ut rerum veritate, ob tot diversas narrationes de Felicis electione, perturbata, non satis SS. Optato, & Augustino perspectum fuisse Felicem inter legitimos Pontifices esse adnumerandum. Interim tamen, cùm semper constans fuerit in ecclesia traditio, qua ut Sanctus, Martyr, unàque Pontifex colebatur; cùmque testes irrefragabiles, iique non pauci, ut verum Pontificem admiserint, atque hodiedum admittant, ut apud Schelstratium *tom. 1. Antiq. eccl. illustr. dissert. 2. c. 9. §. 11.* ob Optati, ac Augustini silentium non est a veris Pontificibus excludendus.

Quamvis igitur in historia S. Felicis quædam obscura, implicata, ac non ita cohærentia appareant, nihilominus quæ supra allata sunt, satis mihi demonstrare videntur, non facilè asserendum Felicem legitimum Pontificem nusquam fuisse.

DISSERTATIO XXXIII.

De Patrum Ariminensium Orthodoxia.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm Ariminensis Concilii Patres in Hæresim lapsi fuerint?

PROPOSITIO.

Ariminensis Concilii Patres Arianæ Hæreseos labe nusquam fuere fœdati.

Probatur. Qui Ursacii & Valentis fraudibus decepti, subscripserunt Professioni Fidei, quæ nihil continebat Hæreticum, secundùm verborum superficiem spectata, & qui Hæresim ejusque Professores damnarunt statim atque fraudem animadvertere, illi nusquam fuerunt Hæretici: Sed Ariminensis Concilii Patres subscripserunt Professioni Fidei, quæ nihil continebat Hæreticum, secundùm verborum superficiem spectata, Valentis & Ursacii fraudibus decepti; statimque animadversa fraude, Hæresim & ejus Professores damnarunt. Itaque non fuerunt Hæretici.

Probatur minor ex Sancto Hieronymo in Dialogo adversùs Luciferianos, ubi ea quæ spectant lapsum illorum Episcoporum accuratiùs recenset ex Actis, ut ait, Concilii Ariminensis. *Sub Rege,* inquit, *Constantio, Eusebio & Hypatio Consulibus, nomine unitatis & fidei, infidelitas scripta est, ut nunc agnoscitur. Nam illo tempore nihil tam pium, nihil tam conveniens Servo Dei videbatur, quàm unitatem sequi, & a totius mundi communione non scindi: præsertim cùm superficies expositionis nihil jam sacrilegum præferret.*

Subjicit ibidem Sanctus Hieronymus, Fidei, quæ ipsis proposita est, & cui subscripserunt, innoxiam & Catholicam, si verba spectes, Professionem. *Credimus, ajebant, in unum verum Deum,* Pa-

Patrem omnipotentem. Hoc etiam nos confitemur. Credimus in unigenitum Dei Filium, qui ante omnia sæcula, & ante omne principium natus est ex Deo: natum autem Unigenitum solum ex solo Patre, Deum ex Deo, similem genitori suo Patri secundùm Scripturas, cujus nativitatem nullus novit, nisi qui solus eum genuit Pater. Numquid hîc infectum est. Erat tempus quando non erat, vel de nullis extantibus creatura est Filius Dei? Perfecta fides est Deum de Deo credere. Et natum ajebant Unigenitum solum ex solo Patre. Quid est natum? Certè non factum. Nativitas suspicionem auferebat creaturæ. Addebant præterea: Qui de cœlo descendit, conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, crucifixus a Pontio Pilato, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, venturus judicare vivos & mortuos. Sonabant verba pietatem, & inter tanta mella præconii, nemo venenum insertum putabat. Tum subjungit: *De usio verò nomine abjiciendo, verisimilis ratio præbebatur, quia in Scripturis, ajebant, non invenitur, & multos simpliciores novitate sua scandalizet, placuit auferri. Non erat cura Episcopis de vocabulo, cùm sensus esset in tuto. Denique ipso in tempore, cùm fraudem fuisse in expositione rumor populi ventilaret, Valens Mursiensis Episcopus, qui eam conscripserat præsente Tauro Prætorii Præfecto, qui ex jussu Regis Synodo aderat, professus est se Arianum non esse, & penitus ab eorum blasphemiis abhorrere. Res secretò gesta opinionem vulgi non extinxerat. Itaque aliâ die, in Ecclesia, quæ est apud Ariminum, & Episcoporum simul, & Laicorum turbis concurrentibus, Musonius Episcopus Provinciæ Byzantinæ, cui propter ætatem primæ ab omnibus deferebantur, ita locutus est: Ea quæ sunt jactata per publicum, & ad nos usque perlata, aliquem ex nobis Sanctitati vestræ legere præcipimus; ut quæ sunt mala, & ab auribus, & a corde nostro abhorrere debent, omnium una voce damnentur. Responsum est ab universis Episcopis: Placet. Itaque cùm Claudius Episcopus Provinciæ Picæni, ex præcepto omnium, blasphemias quæ Valentis ferebantur, legere cœpisset, Valens suas esse negans, exclamavit & dixit: Si quis negat Christum Deum, Dei Filium, ante sæcula ex Patre genitum, Anathema sit. Ab universis consonatum est, Anathema sit. Si quis negat Filium similem Patri secundùm Scripturas, Anathema sit. Omnes responderunt, Anathema sit. Si quis Filium Dei non dixerit æternum cum Patre, Anathema sit. Ab universis conclamatum est, Anathema sit. Si quis dixerit Filium Dei creaturam, ut sunt cæteræ creaturæ, Anathema sit. Similiter dictum est, Anathema sit. Si quis dixerit de nullis extantibus Filium, & non ex Deo Patre, Anathema sit. Omnes conclamaverunt, Anathema sit. Si quis dixerit, Erat tempus quando non erat Filius, Anathema sit. In hoc verò omnes Episcopi, & tota simul Ecclesia plausu quodam & tripudio Valentis vocem exceperunt. Quòd si quis a nobis fictum putat, scrinia publica scrutetur. Plena sunt adhuc Ecclesiarum arca, & recens adhuc rei memoria est. Supersunt homines qui illi Synodo interfuerunt: & quod veritatem firmet, ipsi Ariani hæc ita, ut diximus, gesta non denegant. Cùm ergo cuncti Valentem ad cœlum laudibus tollerent, & suam in eum suspicionem cum Pœnitentia damnarent: idem Claudius, qui supra legere cœperat, ait: Adhuc sunt aliqua, quæ subterfugerunt Dominum & fratrem meum Valentem; quæ, si vobis videtur, ne quis scrupulus remaneat, in commune damnemus. Si quis dixerit, Filium Dei esse quidem ante omnia sæcula, sed non ante omne omnino tempus, ut aliquid ei anteferat, Anathema sit. Dixerunt cuncti, Anathema sit. Multaque alia, quæ suspiciosa videbantur, ad pronuntiationem Claudii, Valens condemnavit. Quæ si quis pleniùs discere cupit, in Ariminensis Synodi Actis reperiet, unde & nos ista libavimus. His ingestis, Concilium solvitur: læti omnes ad Provincias revertuntur. Idem enim Regi & bonis omnibus cura fuerat, ut Oriens atque Occidens communionis vinculo sibi necterentur. Sed diu scelera non latent: & cicatrix malè obducta incocto pure dirumpitur. Cœperunt postea Valens & Ursacius, cæterique nequitiæ eorum socii egregii videlicet Christi Sacerdotes, palmas suas jactitare, dicentes, se Filium creaturam non negasse, sed similem cæteris creaturis.*

Et paulò post: *Concurrebant*, inquit, *Episcopi qui Ariminensibus dolis irretiti sine conscientia Hæretici ferebantur, contestantes Corpus Domini, & quicquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in suâ Fide suspicatos. Putavimus, ajebant, sensum congruere verbis: nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati Sacerdotes Christi adversùs Christum pugnare. Multaque alia, quæ brevitatis studio prætereo, flentes asserebant; parati & subscriptionem pristinam, & omnes Arianorum blasphemias condemnare.*

Denique respondens Luciferiano, qui Episcopos Arimini lapsos in pristinum gradum recipiendos non esse, sed ad Communionem Laicam detrudendos contendebat, ait: *Cur damnassent eos qui Ariani non erant? Cur Ecclesiam scinderent in concordia Fidei permanentem? Cur denique benè credentes obstinatione sua facerent Arianos?* Ex quibus colligitur, Episcopos qui Arimini ceciderunt, Arianæ Hæresi non consensisse, sed Formulæ Fidei subscripsisse, quæ nihil non Orthodoxum contineret; animadversâque Valentis & Ursacii fraude, pravam eorum expositionem damnasse.

Pergit ibidem Sanctus Hieronymus: *Post reditum Confessorum, in Alexandrina postea Synodo constitutum est, ut exceptis Auctoribus Hæreseos, quos error excusare non poterat, Pœnitentes Ecclesiæ sociarentur: non quòd Episcopi possent esse, qui Hæretici fuerant, sed quòd constaret eos qui reciperentur, Hæreticos non fuisse. Assensus est huic sententiæ Occidens, & per tam necessarium Concilium, satanæ faucibus mundus ereptus est.* Quibus certè nihil proferri luculentius potest ad Hæreseos labem a Patribus Ariminensibus abstergendam.

Probatur secundò ex Sulpitio Severo, lib. 2. Historiæ Sacræ. *Interea*, inquit, *Legatos Ariminensis Concilii ex parte nostrorum compellit Imperator uniri Hæreticorum communioni; eisdemque conscriptam ab improbis Fidem tradit, verbis fallentibus involutam, quæ Catholicam Disciplinam perfidiâ latente loqueretur. Namque usia verbum tamquam ambiguum & temerè a Patribus usurpatum, neque ex auctoritate Scripturarum profectum, sub specie falsæ rationis abolebat, ne unius cum Patre substantiæ Filius crederetur. Eadem Fides similem Patri Filium fatebatur: sed interiùs aderat fraus parata, ut esset similis, non esset æqualis.*

Et infra: *Valens & Ursacius, affirmantes præsentem Fidem Catholica ratione conceptam, ab Orientalibus Imperatore auctore prolatam, cum piaculo repudiari, ut quis discordiarum finis foret, si quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret. Postremò, si quid minus pleuè præsenti Fide editum videretur, ipsi adderent, quæ addenda putarent: Præbituros se, in his quæ essent adjecta, consensum. Favorabilis promissio, pronis omnium animis excepta: nec ultra nostri repugnare ausi, jam quoquo modo finem rebus imponere cupientes. Dein concepto a Fœgadio,* & Servatio Professiones edi cœpere, in quibus primùm damnatur Arius: totaque* Sive Phabadio Aginnensi Episcopo.

quo

que ejus perfidia. Caterùm non etiam Patri aqualis, & sine initio, sine tempore, Dei Filius pronuntiatur. Tum Valens tamquam nostros adjuvans, subjecit sententiam, cui inerat occultus dolus, Filium Dei non esse creaturam sicut cateras creaturas: fefellitque audientes fraus professionis. Etenim his verbis, quibus similis esse cateris creaturis Filius negabatur, creatura tamen, potior tantùm caterès pronuntiabatur. Ita neutra pars vicisse se penitus, aut victam putare poterat: quia Fides ipsa pro Arianis: Professiones verò postea adjecta pro nostris erant, prater illam quam Valens subjunxerat, qua tum non intellecta, serò animadversa est. Hoc verò modo Concilium dimissum, bono initio, fœdo exitu est consummatum. Quæ Severi Sulpitii Narratio evidenter ostendit, Concilii Ariminensis Patres, malis Arianorum artibus deceptos, Fidei Professionem suscepisse, quæ Catholica ipsis videbatur; non autem Arianæ Hæresi consensisse.

Objicies testimonia Sanctorum Patrum, qui Ariminensis Concilii Episcopis Hæreseos labem aspergunt. Scilicet Liberii Epistolâ 11. ad Orientales, Sancti Basilii, Epistolâ 51. ad Sanctum Athanasium datâ, in qua ita scribit: *Visum est autem mihi consentaneum, ut scribatur Episcopo Roma, ut qua hìc geruntur consideret, & sententiam suam expromat: & quoniam difficile est ut communi ac Synodico Decreto aliqui illinc mittantur, ipse sua auctoritate in ista causa usus, viros eligat ad ferendas quidem itineris molestias idoneos; verùm ad hoc quoque accommodos, ut mansuetudine & facilitate ingenii eos qui distorti & obliqui apud nos sunt, corrigant, aptè ac dispensatoriè sermonem attemperantes, omniaque secum habentes qua in Arimino, ad ea rescindenda, qua illic per vim gesta sunt.*

Item auctoritatem Sancti Ambrosii, in cap. 6. S. Lucæ, ubi exponens illa verba: *Va vobis, cùm benedixerint vobis omnes homines: secundùm hac enim faciebant Pseudoprophetis Patres eorum:* hæc habet: *Nonne tibi videtur hos dicere, qui dudum in Ariminensi Concilio perfida prævaricationis auctores, dum Imperatoris gratiam sequuntur, Dei gratiam perdiderunt? Qui cùm placere Potentibus aucupantur, maledicto se perpetuo subdidere.*

Item auctoritatem Sancti Augustini, Epistolâ 50. ubi loquens de indulgentia Ecclesiæ, quæ lapsos in Ariminensi Concilio Antistites in suorum gradibus Ordinum & honorum prudenti salubrique indulgentia suscepit, hæc habet: *Hoc displicuit Lucifero, quia factum est in eis suscipiendis atque sanandis, qui veneno perierant Ariano:* In Synodo scilicet Ariminensi.

Testimonium denique Facundi Hermianensis, lib. 5. cap. 3. *Quale est etiam, inquit, si Sabelliani dicere velint, ideò se non suscipere Ecclesia de Trinitate doctrinam, quoniam multò plures Episcopi, quàm qui in secunda non dicenda Synodo Ephesina convenerant, apud Ariminum in Arianum dogma fuerant subacti, opprimente Constantio? Sicut ergo Sabellianis dicimus, quod non propterea fugienda sit Ecclesia de Trinitate confessio; quia in Ariminensi Concilio multi Ariano dogmati cohibentes,* * *tres diversas ejusdem Sancta Trinitatis mentiti sunt esse naturas: ita Nestorianis quoque dicemus, quòd non propterea fugienda sit Calchedonensis Synodi de una Christi, id est, Dei hominisque subsistentia sancta confessio, quia priùs opprimente Dioscoro, multi cedentes Eutychiano dogmati, unam ejusdem subsistentia mentiti sunt esse naturam.* Ergo Patres Ariminenses, Arianam in Hæresim lapsi sunt.

* *Annon potiùs,* conniventes?

Respondeo, Patres modò laudatos, vel Ariani veneni dogmatisque nomine solam Arianorum communionem intelligere, cui Ariminensis Concilii Episcopi imprudenter inhæserunt, quia se Catholicos externa specie simulabant: vel intelligere Ariani dogmatis nomine subdolam Fidei Professionem, quam Ariani verbis æquivocis conscripserant, & Hæresi suæ accomodaverant; quam tamen Patres Ariminenses amplexi sunt, quia sonabant verba pietatem, & Catholicum sensum præ se ferre videbantur. Hæreticos autem fuisse Ariminensis Concilii Antistites ex hoc perperam quis colligit. *Non enim Haresis dicenda est nisi contradictio superborum pervicax, qua sibi ne aliud sapiat, interdicit; & admonita, contemnit adquiescere veritati;* (inquit Facundus, lib. 12. cap. 1.) Et, *Scire debemus quòd Hareticum non faciat ignorantia, qua doctrina veritatis contumax non est, sed potiùs obstinata defensio falsitatis.*

Objectio secunda petitur ex Sancto Hieronymo in Dialogo adversus Luciferianos, ubi de Patrum Ariminensium lapsu sic loquitur: *Tunc Usia nomen abolitum est: tunc Nicana Fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, & se esse Arianum miratus est.* Ergo Patres Concilii Ariminensis Arianam in Hæresim lapsi fuerunt.

Respondeo, Hæc Sancti Hieronymi verba non ita accipienda esse, ut, quam adeò detestati erant, atque hactenus execrabantur, Arianam Hæresim, crederent se invitos complexos esse; cùm nemo nisi volens evadere possit Hæreticus: Sed quòd in nova Fidei Regula, consubstantialitatis nomine prætermisso, atque substantiæ voce pariter silentio obrutâ, patefacto eam ob causam Arianis aditu ad oppugnandam Catholicam Fidem, visi essent Nicænæ Fidei proditores. Porrò Nicænæ Fidei damnationem ab Arianis tunc conclamatam ait Sanctus Hieronymus, non ab Episcopis Ariminensis Concilii. Nimirum Ariani, post Ariminensem Synodum consuetâ insolentiâ triumphum cecinerunt, & Catholicos Episcopos Hæresi suæ subscripsisse gloriati sunt. Sed nequaquam ita erat. Denique hyperbolicè loquitur Sanctus Hieronymus, cùm ait, *ingemuisse totum orbem, & se esse Arianum miratum esse.* Quomodo enim totus orbis tunc Arianus, si nequidem ipsi Ariminensis Concilii Patres Ariani fuerunt, ut ex ipso Sancto Hieronymo probavimus? Si teste Sancto Athanasio, numquam ad impietatem transierunt, sed œconomia quadam, & studio Ecclesiasticæ pacis, Formulæ Fidei subscripserunt, quæ nihil non Orthodoxum complecti videbatur? En Sancti Athanasii verba in Epistolâ ad Ruffinianum: *Quoniam verò,* inquit, *honestatis & Ecclesia studio percitus, de his quasisti, qui necessitate quidem acti, sed non omnino profligati, a Fide aberrarunt: & a me quid super his Patrum Conventus senserit, postulat: Sic habeto, multùm dilecte Domine, sedatâ, qua per vim primùm cœperat, seditione, prasentibus externarum partium Episcopis, habitam esse Synodum: habitam deinde & ab his qui Graciam colunt, ejusdem nobiscum muneris socii, rursus & ab his qui in Hispania & Gallia degunt; atque ubique omnes idem quod hìc sensisse, iis nempe veniam qui cecidissent, etsi impiorum se duces prabuissent, modò eos pæniteat, nec per vim aut necessitatem detur, largiendam esse, & restituendum in Clero locum; idque pracipuè quod a Fide non remotam sui defensionem edidissent, idque quod gestum erat, œconomia quadam factum esse videretur. Se enim ad impietatem numquam transiisse; sed ne impiorum quorumdam furor Ecclesias perderet, vim potiùs sequi, & id oneris ferre, quàm populum perire, maluisse dicebant.*

Præterea longè plures fuisse in orbe Catholicos quàm Arianos, constat ex invicta fortitudine, quâ Christianæ plebes Alexandriæ, Constantinopoli, Antiochiæ, Samosatæ, Mediolani Arianis restiterunt, cùm suæ Sectæ Episcopos il-

las in Ecclesias intrusere. Constat ex innumeris Monachorum sanctissimorum turbis, qui Ægyptiaca deserta incolebant, quos impensè fovit Sanctus Athanasius ut Nicænæ Fidei defensores acerrimos. Constat ex enumeratione Provinciarum, quæ in Nicænæ Fidei Professione, Arianæque Hæreseos damnatione consentiebant. Quâ de re audiendus est Sanctus Athanasius in Epistolâ Synodicâ de Fide ad Juvianum Imperatorem datâ, quam descripsit Theodoretus, lib.4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.3. En ejus verba: *Scias igitur, religiosissime Auguste, hanc esse Fidem, quæ a sæculo prædicata est: & quam confessi sunt Patres Nicææ congregati; in quam denique consentiunt omnes ubique terrarum Ecclesiæ; quæ sunt in Hispania, & in Britannia, & Galliis: quæ sunt per universam Italiam & Campaniam: quæ sunt in Dalmatia, Dacia, Mœsia, Macedonia, & universa Achaia: item quæ sunt per universam Ægyptum & Lybiam: quæ sunt in Ponto & Cappadocia & vicinis regionibus: omnes denique per Orientem Ecclesiæ, paucis exceptis, qui Arii opinionem sectantur. Horum enim omnium, quos commemoravimus, sententiam experimento ipso cognovimus, & literas scriptas habemus. Ac licèt pauci quidam huic Fidei contradicant, scimus tamen, religiosissime Auguste, eos orbi terrarum præjudicare non posse.*

Idem constat ex Lucifero Calaritano, in libro cui titulus est: *Quòd moriendum sit pro Filio Dei;* Ubi Constantium Imperatorem his verbis compellat. *Si tandem oculos serpentis morsibus confessos cordis tui aperias, invenies quòd hanc habet, hanc defendit Ecclesia Fidem, quam sibi traditam cognoscit per beatos Apostolos. Omnes momento si posses peragrare gentes, invenisses, stolidissime Imperator, ubique Christianos sicuti nos credere, in hac defensione perstantes, pro Dei Filio & nos mori cupere. At tua novella prædicatio, & recens religio sub prætextu Fidei blasphemia in perniciem salutis tuæ per te prolata, non solùm adhuc limitem Romanum peragrare non valuit & utique te fatis agente, sed & ubi radices figere tentaverat, aruit, recedentibus scilicet omnibus Fidei Formulis a te, atque paucis tuis, quos lolium esse super frumentum seminatos Dominus prædixerit, tecum manentibus.*

Idem constat ex Epistolâ Synodicâ Damasi Romani Pontificis, & aliorum Occidentalium, ad Episcopos Illyrici, quam descripsit Theodoretus, lib.2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.22. in qua de Nicæna Fide sic loquuntur: *Quam definitionem salutarem postea aliis tractatibus quidam pervertere & violare tentaverunt. Sed & in ipso exordio, ab iisdem ipsis, qui hoc apud Ariminum retractare cogebantur, emendatum hactenus est, ut subreptum sibi alia disputatione faterentur, idcirco quòd non intellexissent Patrum sententiæ apud Nicæam formatæ esse contrarium. Neque enim præjudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt: cùm constet neque Romanum Episcopum, cujus ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vincentium, qui tot annos Sacerdotium illibatè servavit, neque alios hujusmodi statutis consensum aliquem commodasse. Cùm præsertim, ut diximus, iidem ipsi qui per impressionem succubuisse videbantur, idem consilio meliore displicere sibi fuerint protestati. Unde advertit Sinceritas vestra, hanc solam Fidem, quæ apud Nicæam Apostolorum auctoritate fundata est, perpetua firmitate esse retinendam; hac nobiscum Orientales, qui se Catholicos recognoscunt, Occidentalesque gloriari.* Hoc ex testimonio duo colliguntur. Primùm, Episcopis, qui in Synodo Ariminensi lapsi sunt, subreptum fuisse, ipsosque subscripsisse Formulæ Fidei ab Arianis conscriptæ, quia Nicænæ Synodo contrariam non existimabant: tandemque datam subscriptionem ipsos animadversâ fraude rescidisse. Secundum, Orientis, Occidentisque partem maximam, Nicænam Fidem professam fuisse Concilii Ariminensis temporibus; adeòque totum orbem non fuisse Arianum.

Nota.

NOn solùm olim Pelagiani, ut ex D. Augustino *l.1. contr. Julian. cap.7.* & Donatistæ, ut ex ejusdem epistola 48. suam paucitatem ex præsumpta defectione ecclesiæ tempore Ariminensis concilii adversùs ecclesiam catholicam per universum orbem diffusam tuebantur, sed nuperi etiam hæretici non desiere idem resumere argumentum. Juvat igitur aliqua addere iis, quæ Natalis ex S. Hieronymo, Severo Sulpitio &c. transcribit. Falsò igitur, non solùm ex iis testibus dicuntur PP. Ariminenses ad ariana castra transisse, cùm fidei formulæ subscripserint, quæ ipsis nil non orthodoxum continere videbatur, sed etiam idem S. Augustini auctoritate roboratur. Dicit quidem in Ariminensi Synodo multos ariano veneno interiisse; at nihilominus *ep.48.* episcoporum lapsum illorum tribuit simplicitati, qui *parvi sensus quid essent, delusi sunt obscuris verbis, ut putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant &c. verba hæreticorum insidiosa intelligere non potuisse.* Addit alios timore cessisse, & post simulatam consensionem statim rediisse: unde re verâ numquam episcoporum multitudo ab Ecclesia descivit. Episcopos Ariminenses fraudem passos esse, & solùm dispensationis ergo ab Usiæ vocabulo abstinuisse testatur etiam Synodus Parisiensis sub Hilario in epistola ad episcopos orientales his verbis: *Plures numero, qui Arimini adfuerunt, sub auctoritate vestri nominis ad Usia silentium sunt coacti, quod verbum a vobis quondam contra Ariomanitarum hæresim inventum, nobis sanctè, fideliterque susceptum est...... Itaque, carissimi, cum ex literis vestris fraudem se passam in Usia silentio simplicitas nostra cognoscat &c. nos quoque ab his omnibus, quæ per ignorantiam perperam gesta sunt, referimus.*

Nec ratio deest, qua excusatione digni existimentur, eò quòd fidei professioni subscripserint, in qua Usiæ nomen desiderabatur; cujus vocis explicantis consubstantialitatem Filii cum Patre omissio, occasio quibusdam fuit credendi non satis ab Arianis PP. Ariminenses discessisse. Animadvertere igitur est non semper ut Fidei Catholicæ tesseram ly ὁμοούσιον PP exegisse, ut jam observavit Natalis Dissert. XV. Iis autem quæ ibidem refert, addere est ex Petavio in Notis ad S. Epiphanium exemplum Ursacii, & Valentis arianæ factionis Principum, qui in libello Julio Pontifici exhibito, in quo Ario damnato catholicam Fidem professi sunt, ὁμοούσιον omnino prætermisere, ut videre est in apologia secunda S. Athanasii, ubi idem libellus recensetur. Exemplum addit Palladii, & Secundiani episcoporum ab Aquilejensi Concilio damnatorum, quos ut arianæ professionis convinceret S. Ambrosius, consubstantialitatis omissa mentione, aliis interrogationibus, an Filium Patri consubstantialem faterentur, inquirere studuit. Demum, cùm ex aliquorum opinione Cyrillus Hierosolymitanus Arianis favisse videretur, quia vocem *consubstantialis* in Catechesibus conticuerat, ita illum defendit Theophanes in Chronolog. *Oportebat consubstantialis vocem silere, quæ plurimos offendebat, & adversariorum controversiis a sacro baptismate multos deterritura erat: consubstantialis autem notitiam puris significationis vocibus cla-*

clariùs exprimere, quod a Cyrillo præstitum est. Non est proinde mirandum, si episcopi Arimineoses fidei formulæ subscripserint, in qua consubstantialitas Filii haud exprimebatur; cùm aliunde, ni altè scrutata fuissent verba, nil fidei adversum continere videretur.

Episcopi ergo Fidem catholicam invictè in corde retiouerunt, quamvis aliorum fraudibus visi sint eamdem verbis ejerasse. Optimè etiam animadvertit Natalis & ipsam fidelium plebem absque ulla comparatione longè Arianos superasse; quod & alii PP. affirmant, & præsertim S. Basilius *ep.72. & 75. ad Neocæs.* Tam autem Socrates *l.2. cap.22.* quàm Sozomenus *l.3. cap.12.* generaliter Occidentem arianam hæresim execrasse scribunt; Orientem verò pro majori parte Fidei Nicænæ indivulsè adhæsisse, quamvis de voce *consubstantialis* non modica agitaretur quæstio etiam ab iis, qui a fide catholica non desciverant, ut non solùm Sozomenus, sed ipse etiam testatur Socrates *l.2. cap.31.* agens de Synodo Seleuciæ. Mirum autem videri poterit, quòd catholica plebs non solùm in tot illis locis, quæ recenset Natalis, Arianis restiterit, sed etiam Antiochiæ; quamvis enim ibidem impietas ariana principari videretur, nihilominus & ibi *Consubstantialis* Vindices præpollebant, teste Socrate *l.5. cap.4.* Ipsos demum milites catholicam fidem mordicus servasse docet Theodoretus *l.3. cap.3.* quapropter Julianus Imperii sui exordiis fidei hostem se demonstrare abstinuit, ne milites in se concitaret. Et revera, ipsomet referente Theodoreto *l.4. c.1.* Joviniano catholico Imperatore rerum potiente, statim apparuit milites fidei catholicæ inhærere. Nec refert alicubi tam plebem, quàm milites arianis episcopis fœderatos visos esse; neque etenim illorum fidei communieabant, putantes novas dicendi formulas nonnisi antiquam, Nicænamque fidem explicare: atque ita ipsorum simplicitas ambiguarum vocum ratione a vera fide non discedebat. Id explicans S. Hilarius *lib. contr. Auxentium* ita scribit: *Et hujus quidem impietatis occasio per fraudem perficitur, ut jam sub Anti-Christi sacerdotibus, Christi populus non occidat, dum hoc putant illi Fidei esse, quod vocis est. Audiunt Deum Christum, putant esse quod dicunt. Audiunt Filium Dei, putant in Dei nativitate inesse Dei veritatem. Audiunt ante tempora, putant idipsum ante tempora esse, quod semper est. Sanctiores aures plebis, quàm corda sunt Sacerdotum.*

DISSERTATIO XXXIV.

De Magni Meletii Orthodoxia.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm Sanctus Meletius Antiochenus Episcopus, Hæreticus aut Schismaticus fuerit?

PROPOSITIO.

Sanctus Meletius Antiochenus Episcopus, nec Hæreseos, nec Schismatis notâ inuri debet.

Probatur prima pars, ex iis quæ a nobis dicta sunt Dissertatione decimâ quinta, in qua probavimus eos, qui voce ὁμοιούσιον ad Fidem Nicænam exprimendam utebantur, vocem verò ὁμοούσιον certis de causis respuebant, Catholicè sensisse, nec de summa Fidei disputasse; cùm itaque horum e numero fuerit Sanctus Meletius, & ob Nicænæ Fidei defensionem exilium perpessus fuerit, nullum de ejus Orthodoxia dubium superest.

Eam confirmat magnificè Sanctus Athanasius, *Oratione 1. contra Arianos*, pag.122. in qua inter Catholicos Episcopos & eximios Nicænæ Fidei vindices *magnum* connumerat *Meletium*. Eidem attestatur Theodoretus, *lib.2. Historia Ecclesiastica, cap.31.* ubi de Meletii electione ad Antiochenæ regimen Ecclesiæ agens, hæc habet: *Apostolicorum verò dogmatum defensores, quibus Magni Meletii & sanitas doctrinæ, & vita sanctitas, & virtutum copia probè cognita erat, consensum præbuerunt; summoque studio curarunt, ut decretum ea de re perscriberetur, & cunctorum subscriptionibus firmaretur.* Refert deinde, Georgium Laodicenum Episcopum, Acacium Cæsareensem, & Meletium, rogante Imperatore, concionem ad populum habuisse in illa verba: *Dominus creavit me initium viarum suarum ad opera sua.* Et Georgium quidem Laodicenum, Hæreticum virus evomuisse: Acacium mediam quamdam protulisse expositionem, quæ ab Ariana quidem blasphemia distabat plurimùm, puram tamen ac sinceram Apostolicæ Doctrinæ notam haudquaquam retinebat. Tertium denique surrexisse Magnum Meletium, *& quænam esset recta Theologiæ regula, demonstrasse. Ad veritatem enim tamquam ad amussim cuncta dirigens, ne quid plus, neve minùs justo diceret, cavit. Cùmque ingens plausus & acclamatio multitudinis secuta esset, cunctique illum orarent ut compendiariam ipsis doctrinam traderet, ostensis tribus digitis, ac deinde duobus compressis, unoque, ut erat, relicto, memorabilem illam protulit sententiam: Tria sunt quæ intelliguntur, sed tamquam unum alloquimur. Verùm ii quorum animos Ariana labes infecerat, adversùs hanc doctrinam linguas suas exacuerunt*, &c. Lege Dissertationem hujus Tomi XV. in qua etiam argumenta adversùs Meletii Orthodoxiam pugnantia diluimus.

Probatur secunda pars. Ille non fuit Schismaticus, quòcum viri sanctissimi communionem foverunt, cui demortuo Concilium Oecumenicum parentavit, cui denique sacros honores ut cœlitibus reliquis defert Ecclesia: Atqui cum Magno Meletio viri sanctissimi communionem foverunt, ipsi demortuo Concilii secundi Oecumenici Patres parentavere, eumque Sanctus Gregorius Nyssenus Oratione funebri celebravit: ipsi denique sacros honores impendit Ecclesia, quæ pridie Idus Februarii diem ipsi festivum quotannis consecrat. Magnus igitur Meletius Schismaticus non fuit.

Probatur minor quoad primam partem, ex Sancto Basilio Magno, qui multas ad Meletium scripsit Epistolas, in quibus ejus sanctitatem & salutarem Doctrinam commendat, ipsiusque de negotiis Ecclesiæ gravissimis rogat consilium. Legenda est Epistola Basilii 56. 57. 58. 59. In priori hæc scribit: *Omnia hic dolore plena sunt, & sola nobis malorum aversio est sanctitatis tuæ cogitatio, quum nobis evidentiorem reddit rerum tuarum, quæ omni sapientia & gratia abundant, commemoratio .... Si verò precum tuarum interventu, donec in terra istâ sumus, & præsenti ad ipsum conspectum alloquio digni haberemur, & ab ipsa viva voce salutarem doctrinam, aut tùm ad præsens, tùm ad futurum sæculum commeatus accipere promereremur; istud utique maximum bonum judicaremus, & præmium nobis ipsis divinæ benevolentiæ arbitraremur.*

Et Epistolâ 325. ad Sanctum Epiphanium, qui a Meletii Communione ipsum ad Paulini partes transferre studebat, impensè commendat Meletium, testaturque Sanctum Athanasium cum illo communionem paratum fuisse conjungere, sed quorumdam pravis consiliis in aliud tempus dilatam fuisse. *Antiochenam Ecclesiam*, inquit, *illam dico, quæ iisdem Fidei unius insistit unanimiter vestigiis, donec Dominus ut unitam olim videamus. Hæc enim*

ante

ante alias pracipuè Ecclesias, in periculo ab hostilibus incursionibus versatur; quòd memoriâ recolat ille hostis, Christianos ibi omnium primò nominatos. Scinduntur Haretici contra Orthodoxos: Orthodoxi in seipsos dividuntur. Nos quoniam primus omnium veritatis patrocinium suscepit olim, & egregie illo certamine, rerum Constantio potiante decertavit cum primis Reverendus Episcopus Meletius, illiusque sectetur mea Ecclesia communionem, propter illam constantiam & invictam animi fortitudinem hominem amplexata; ad hunc usque diem in communione habemus illum, per Dei gratiam, & si Dominus dederit, sumus usque habituri. Quin & Papa beatissima memoria Athanasius, Alexandria prafectus, in votis habebat communionem cum ipso inire: Sed vafris nonnullorum consiliis actum est, ut in aliud tempus distulerit hanc unionem ...... Qui postremi subintroiverunt, nullius illorum communionem aliquando admisimus: non quòd indignos judicaverimus, sed quòd nihil in Meletio condemnandam agnoscamus.

Probatur eadem minor quoad secundam partem, ex Oratione Sancti Gregorii Nysseni habitâ in funere Magni Meletii quæ extat Tom. 2. Operum ipsius, pag. 1019. quam sic exorditur: *Auxit nobis numerum Apostolorum novus Apostolus, qui cooptatus est in ordinem Apostolorum. Traxerunt enim Sancti ad se moribus consimilem; athletam, athleta, coronatum, coronati; animo castum, corde puri; praconem sermonis Ministri sermonis ...... Ecce tempus consilii est, & consilium dare solitus tacet. Bellum nos circumstat, bellum Haereticum: & qui ducem se prabeat nobis, non est. Laborat infirmitatibus commune corpus Ecclesia, & Medicum non invenimus.*

Et infra: *O malum naufragium! quomodo in medio portu spei nostra naufragium fecimus? Quomodo innumeris mercibus onusta navis cum ipso onere demersa, nos olim divites, nudos destituit? Ubi splendidum illud velum, quod Spiritu Sancto semper dirigebatur? Ubi tutum ac firmum animarum nostrarum gubernaculum, quô tempestates maximas Haereticas nullô acceptô incommodo pratervehebamur? Ubi immobilis & firma sententia judiciique anchora; qua cum summa securitate, post labores adquiescebamus? Ubi bonus ille gubernator, qui ad superum scopum navigium dirigebat?*

Et infra, fortem Antiochenæ Ecclesiæ Pastore suo orbatæ lugens, hæc habet: *Cùm primùm benè morata ac modesta illa Ecclesia Virum vidit, faciem vidit ad imaginem Dei verè formatam: vidit dilectionem fontis modo scaturientem. Vidit gratiam labiis circumfusam: animi demissionis summam gradum: vidit mansuetudinem atque clementiam, qualis in Davide fuit: qualis in Salomone intelligentiam atque prudentiam: qualis in Moyse bonitatem: qualis in Samuele perfectionem: qualis in Josepho continentiam, pudicitiamque; qualis in Daniele sapientiam: quemadmodum magnus Elias zelo Fidei praditam: sicut sublimis Joannes, integritate corporis ornatam: sicuti Paulus, inexsuperabili praditum dilectione: vidit tot bonorum circa unam animam concursum; amore beato vulnerata est; casto honoque Sponsum suum amore atque benevolentiâ prosecuta dilexit.*

Tertia pars ex Menologiis & Martyrologiis evidens est: Sed & Sanctus Joannes Chrysostomus, *Homiliâ 45. Tomi 1.* locupletissimum testimonium Sancti Meletii Fidei atque Sanctitati perhibet. Cujus de ingressu in Antiochenam Ecclesiam sic loquitur: *Cùm enim ingressus sicut Moyses in Ægyptum liberasset civitatem ab errore Haeresis, putridisque membris, & immedicabilibus a reliquo corpore amputatis, integram restituisset sanitatem Ecclesia multitudini, inimici veritatis non ferentes correctionem, cùm movissent eum qui tunc imperabat, expulerunt eum ex hac civitate, expectantes fore ut veritate essent superiores. Evenit autem contra quàm expectabant; magisque fuit evidens vester zelus & resplenduit demonstratio illius scientia ad docendum accommodata. Illius quidem, quod triginta diebus, nec illis quidem integris, tantùm potuit, ut postea irruentibus spiritibus innumeris illabefacta, & inconcussa manserit illa doctrina. Fervor autem vester se apertè ostendit, quòd triginta diebus tam accuratè suscepistis qua jacta fuerant ab illo semina, ut ad profundam mentis radices transmiseritis, & nulli deinceps illata cesseritis tentationi.*

Addit inferiùs Sanctus Chrysostomus, beatum Meletium divinæ consilio providentiæ vocatum fuisse Constantinopolim, ubi congregati erant Orientis Antistites: *Ut qui erant ubique terrarum Episcopi, tanquam archetypum exemplar, illius Sanctitatem intuiti, sui in hoc munere officii certissimam & clarissimam haberent regulam, quemadmodum oporteat administrare & regere Ecclesias.* Denique sic Orationem suam concludit: *Oremus itaque omnes simul, Beatum Meletium harum precum sortium accipientes, ut hac nobis augeatur caritas, & nos omnes obtineamus, quomodo hic sumus prope arcam istam; ita illic quoque posse esse prope Beatam & aternum ejus Tabernaculum.* Ex quibus colligitur, tantùm abesse ut Meletium Hæreseos, vel Schismatis incusaverit Ecclesia, quin potiùs ipsum ut Nicænæ Fidei strenuum contra Arianos vindicem, ut Episcoporum exemplar, ut animatam omnis sanctimoniæ regulam, & ante obitum venerata sit, & sacris post obitum honoribus fuerit prosecuta. Scripsit autem, ac dixit hanc Panegyrim Sanctus Chrysostomus anno quinto post fœlicem Sancti Meletii ex hac mortali vita transitum.

Denique pacis Ecclesiasticæ studiosissimum fuisse Sanctum Meletium, & indolis a schismate penitus aversæ, constat ex conditione quam obtulit Paulino pro pace Ecclesiarum, de qua ita scribit Theodoretus, *lib. 5. Historia Ecclesiastica*, cap. 3. *Meletius verò*, inquit, *vir omnium mortalium mitissimus, amanter simul ac leniter Paulinum his verbis compellavit. Quandoquidem harum Ovium & mihi Dominus ipse curam commisit, & tu alteram curam suscepisti, ovesque inter se in religione consentiant, jungamus greges, Amice, & contentionem de primatu deponamus: gregemque in commune pascentes, communem iis curam ex aequo impendamus. Quòd si cathedra in medio posita contentionem facit, eam ego auferre conabor. Posito enim super illa Evangeliorum libro, nos ex utraque parte sedeamus. Ac si quidem ego prior ex hac vita discessero, tu solus, o Amice, Prasulatum totius gregis obtine! Si verò id tibi priùs contigerit, tum ego, prout potero, gregis curam geram.* Itane loquitur Schismaticus?

Objicitur in secondam partem Propositionis (nam argumenta contra primam pugnantia Dissertatione 15. soluta sunt.) Qui contra legitimum Episcopum in Ecclesia sedet, schismaticus est: atqui Meletius contra legitimum Episcopum in Ecclesia Antiochena sedit: schismaticus igitur fuit.

Major evidens est. Ideò namque Novatianus schismaticus fuit, quia contra legitimum Episcopum, nempe Sanctum Cornelium, Romanam Sedem tenuit.

Minor verò probatur: Sedit Meletius contra Paulinum in Antiochena Ecclesia: atqui Paulinus legitimus fuit Episcopus. Ipsum enim ut legitimum Episcopum Sanctissimi viri agnovere, scilicet Sanctus Epiphanius, Sanctus Hieronymus, & tota Ecclesia Occidentalis. Sedit itaque Meletius in Ecclesia Antiochena contra legitimum Episcopum.

Con-

Confirmatur. Qui communionem cum Romano Pontifice non fovet, & cum quo vicissim Romanus Pontifex communione conjunctus non est, schismaticus censetur. Atqui Meletius cum Romano Pontifice non fovit communionem; nec ad ipsum communicatorias literas dedit Romanus Pontifex. Meletius igitur schismaticus censeri debuit.

Respondeo nego minorem. Ad ejus probationem, nego majorem. Imò Paulinus sedit contra Meletium. Et quamvis legitimus Episcopus habitus sit a quibusdam viris sanctis, qui falsis rumoribus decepti, & de Meletii Fide non satis persuasi, propterea quòd ab Arianis electus esset, ac vocem ὁμοούσιον reticeret, in eum fuerunt iniquiores: tamen ab aliis æquè Sanctis Episcopis & Doctoribus solus Meletius verus Ecclesiæ Antiochenæ Sponsus & Pastor agnitus est; nempe a Sancto Basilio, a Sancto Gregorio Nysseno, a Sancto Athanasio, qui communionem cum ipso conjungere paratus fuit, a Patribus Constantinopolitani Concilii, ab Ecclesiæ denique Orientalis parte maximâ. Certè si Schismatis labes alicui ex duobus Catholicarum partium Antiochenis Episcopis adhæsisset, Paulino potiùs tribui deberet quàm Meletio. Siquidem Paulinus a Lucifero Calaritano inconsultò ac temerè ordinatus est, Antiochenâ Sede de Dei voluntate, & plurimorum consensione a Meletio occupatâ. Cùm enim *post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debeat, factus est, non jam secundus ille, sed nullus est*, (inquit Sanctus Cyprianus in Epistolâ
Epist. 52. ad Antonianum.) Et, *Sunt sententia authentica & Ecclesiastica, post primam electionem non esse secundam. Celebratâ proinde primâ, quæ secundò præsumpta est, non est secunda, sed nulla* (ut scribit Sanctus Bernardus, *Epistolâ 126. ad Episcopos Aquitaniæ.*) Nolim tamen schismatis labem aspergere Paulino, qui Vir Sanctissimus fuit, & cujus ordinatio a Viris sanctissimis probata est. Cùm enim conciliandæ unitatis Ecclesiasticæ causâ Episcopatum susceperit, nec ipsum exambierit, aut invaserit, schismaticus censeri non debet: maximè cùm admiserit conditionem sibi a Meletio oblatam, ut altero ipsorum decedente, nullus in locum mortui subrogaretur, & pacem cum eo servaverit.

Ad confirmationem, distinguo majorem: Qui non fovet communionem cum Romano Pontifice, vel mediatam, vel immediatam, schismaticus est, concedo. Qui non fovet immediatam, sed mediatam tamen servat, nego. Similiter distinguo minorem: Meletius non fovit communionem cùm Romano Pontifice, & paratus tamen fuit ad eam fovendam, nec per ipsum stetit quin cum ipso communicaret, sed per ipsum Pontificem, concedo: Et non fuit paratus ad communionem cum Romano Pontifice, & cum omnibus Episcopis & Ecclesiis Catholicis fovendam, nego. Sufficit autem ad conservationem Ecclesiasticæ unitatis mediata cum Romano Pontifice, aut cum aliis Episcopis Orthodoxis communio: ut scilicet cum iis quis communicet, qui Romano Pontifici conjuncti sunt, & literas ab eo pacificas accipiunt, & vicissim isti cum illo communicent, qui communicatorias a Romano, aut quovis alio Episcopo Epistolas non accipit. Hæc enim, quamvis mediata dumtaxat Communio, argumento est Romanum Pontificem ab illorum communione divulsum penitus non esse, ad quos propter quasdam œconomiæ rationes, communicatorias non scribere decrevit Epistolas. Nam si illos ut schismaticos haberet, & illos qui ipsis communione juncti sunt, ut schismaticorum fautores execraretur. De illis par etiam ratio est, qui com Romano Episcopo communionem immediatè non fovent, sed cum Episcopis Catholicis ipsi conjunctis. Illi enimverò Pontificis Romani communionem non aversantur, alioqui & illorum aversarentur communionem, qui Romano Pontifici adunati sunt. Non sunt igitur a communi radice & matrice Ecclesiæ Catholicæ avulsi, proindeque schismatici censeri non debent. Porrò Meletius mediatam cum Romano Pontifice, omnibusque Occidentis Ecclesiis, & cum viris sanctissimis, Athanasio, Epiphanio, Hieronymo, communionem fovit, quia Basilio, Gregorio Nysseno, aliisque Orientis Episcopis & Ecclesiis conjunctus erat, quibuscum Romano Episcopo, cæterisque Catholicis Antistitibus communio intercedebat. Nec Romana Ecclesia, aliæque Occidentis, Meletio communionem absolutè denegabant, sed solùm communionem Episcopalem, quia ejus electionem legitimam non esse arbitrabantur, ut qui ab Ecclesiæ hostibus electus esset. At *Ex ignorantia veritatis, Episcopatu abdicabant virum Dei, admirabilem Meletium;* [ut asserit S. Basilius, *Epistolâ* 349.]

SCHOLION.

In hac Dissertatione, pag. 67. Editionis primæ, Religiosi Censores, hanc Propositionem notant; *Non est Schismaticus, qui mediatè communicat cum Papa.*

R. Sufficere ad conservationem Ecclesiasticæ unitatis mediatam cum Romano Pontifice Communionem, scripsi occasione *Sancti Meletii* Antiocheni Episcopi; qui licèt cum Romano Pontifice immediatè non communicaret, *Paulini* partes protegente, & cum ipso Meletio non communicante, mediatam tamen cum Romano Pontifice, omnibusque Occidentis Ecclesiis Communionem fovit, ut ibidem expono. Nemo Schismaticus Sanctus est: Magni *Meletii* vindicata sanctitas est; Schismaticus itaque non fuit: Et tamen illum immediatè cum Romano Pontifice non communicasse, quamvis paratus fuerit ad Communionem immediatam, & per ipsum non steterit quin immediatè cum illo communicaret, Historiæ Ecclesiasticæ Monumenta testantur. *Propriè Schismatici dicuntur* (inquit *S. Thomas* Secunda Secundæ Quæstione 39. Art. 1.) *qui propria sponte & intentione se ab unitate Ecclesiæ separant, quæ est unitas principalis ..... Ecclesiæ autem unitas in duobus attenditur, scilicet in connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem, seu communicatione; & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput. Hoc autem caput est Christus, cujus vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex. Et ideò Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant.* Ex his Schismaticorum characteribus ab Angelico Doctore descriptis compertum est, eos, qui cum Romano Pontifice Communionem immediatè non fovent, sed tamen cum Episcopis Catholicis illi conjunctis communicant, & ad Communionem immediatam cum ipso Christi in terris supremo Vicario, cujus divinum Primatum corde credunt, & ore confitentur ac reverentur, immediatè fovendam sunt parati, ut paratus erat Sanctus Meletius, Schismaticos non esse.

Nota.

DUo mihi probanda non videntur in superiori dissertatione de Meletii Orthodoxia; quòd nempe non Paulinus, sed Meletius esset legitimus Antiochiæ Episcopus, & quòd Meletius tandem non obtinuerit cum Ecclesia Romana communionem.

Cùm

Cùm igitur ex Ecclesiæ legibus episcopatum gerere haud posset, qui se vel hæretica labe commaculasset, vel hæreticorum communionem admisisset, statim dignoscitur Meletii ordinationem irritam fuisse, quia nempe ab Arianis ad Episcopatum fuit evectus, ut apud Socratem *hist. l.5. cap.5.* Sozomenum *l.7. cap.3.* Eos quidem sua fefellit opinio, nam in prima sua concione Nicænam Fidem profitentem audierunt, ut narrat Theodoretus *hist. l.2. cap.31.* nihilominus Eustathiani Romanæ ecclesiæ, Athanasii, Epiphanii &c. communione fruentes, operam dedere ne ab his Meletius susciperetur, teste eodem Theodoreto *l.3. cap.4.* Interim Lucifer, qui fuerat in Ægyptum relegatus, Antiochiam pergens Paulinum ad illius ecclesiæ cathedram promovit, cujus rei testis est Ruffinus *hist. l.1. c.30.* & Theodoretus *hist. l.3. cap.5.* quem summis laudibus Socrates, Sozomenus, Facundus aliique celebrant, eumque, rejecto Meletio, Romana recepit ecclesia, Occidentales omnes, Episcopi Ægyptii, Cypriique, Athanasius, Epiphanius &c. Hoc autem satis esse deberet, ut solùm Paulinum verum Antiochiæ episcopum diceremus, solus etenim romanæ ecclesiæ communione gaudebat: quapropter ajebat S. Hieronymus ep. ad Damas. *Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Anti-Christi est.* His verbis demonstrat illum pro schismatico habendum, qui romani Pontificis communionem non obtinuisset. Quòd si romanus Pontifex adhuc patiebatur episcopos orientales, inter quos erat S. Basilius, cum Meletio communicare, id tribuendum est, quia nemo ignorabat Nicænam fidem Meletio cordi esse, & quia illi Antistites peroptabant ut in Antiochena ecclesia pax conciliaretur. Eò quòd Paulinus romani Pontificis communione gauderet, ad ipsum ecclesiam Antiochenam spectasse, palam etiam factum est, postquam Gratianus sua lege sancivit, ut ecclesię iis restituerentur Episcopis, qui cum Damaso apostolicæ sedis antistite communicarent, cujus legis meminit Theodoretus *l.5. c.2.* Hujus legis beneficio Paulinus Ecclesias repetere cœpit a Sapores Militum Magistro, cui tamen restitit Flavianus, unus ex Meletii presbyteris, ut ibidem narrat Theodoretus *cap.2.* his verbis: *Tunc cùm Sapores magister militum Antiochiam advenisset, & Imperatoris legem protulisset, Paulinus quidem affirmare cœpit se Damaso communicare. Divinus autem Meletius quietus sedebat, contentionem illorum sustinens. Tunc Sapientissimus Flavianus, qui in presbyterorum ordine adhuc erat constitutus, primùm quidem ita Paulinum alloquutus est: Si Damasi communionem amplecteris, o amice, doctrina nobis manifestam similitudinem ostende. Nam ille quidem unam, eamdemque Trinitatis substantiam confitens tres hyposthases diserte prædicat. Tu contra Trinitatem tollis hyposthasum. Ostende igitur consensionem doctrina, & ecclesias accipe, ut lex jubet.* Ipse igitur Flavianus ecclesias Paulino tradendas agnoscebat, quia cum Damaso communicaret; eique solùm opponebat Fidei diversitatem, quamvis re vera ab eo non dissentiret; si etenim tres hyposthases dicere recusabat, ideo id faciebat, quia nondum satis constabat, an nomen *hyposthasis* ad naturam, seu potiùs ad personas designandas esset usurpandum.

Quibusdam videri posset Meletii ordinatio probanda, quia Alexandrina Synodus, de qua Ruffinus *hist. l.1. cap.28.* statuerat veniam tribuendam Arianis, qui postea fidem nicænam profiterentur; quod, ut supra dictum est, fecerat Meletius, in eo etiam solùm culpabilis, quòd cum Arianis communicasset, non quòd illorum erroribus adhæserit. At hæc evasio Meletii ordinationi non suffragatur; nam dum illius Synodi Legati Antiochiam pervenere, eò missi ut pacem conciliarent, jam a Lucifero Paulinum in episcopum ordinatum invenerunt, ut narrat idem Ruffinus *cap.30.* cui consonat Theodoretus *hist. l.3. cap.5.* Antequam igitur de lege a Synodo lata Legati Luciferum docerent, Paulinum promoverat, quem æquum non erat ab episcopatu deturbari, utpote qui summa constantia, nec Imperatoris ipsius minas veritus, ab hæreticorum communione semper abstinuerat, & catholicam fidem palam professus erat; unde, ut supra innui, summis laudibus effertur. Et quidem, si lex in Synodo Alexandrina sancita Meletio suffragata fuisset, S. Athanasius ab ejusdem communione non abstinuisset, ut testatur Ruffinus supra citatus, eò magis quia cum ipso communionem inire *in votis habebat*, ut scribit S. Basilius *ep.325.* Videamus modò, an tandem Meletius immediatè cum ipso Damaso communicaverit.

In suam communionem fuisse tandem Meletium a Damaso susceptum, postquam scilicet Antiochiæ pax fuit restituta, mihi omnino certum est. Sciendum igitur quòd numquam Paulinus acquiescere voluit Meletio exoptanti unà cum ipso in solio residere, dicens ecclesiæ regulas non pati, ut ordinatus ab Arianis in Cathedræ societatem admitteretur, qua de re legendus Theodoretus *l.5. cap.3.* & Socrates *l.5. cap.5.* Eâ igitur conditione fœdus tandem initum est, ut in locum decedentis alius non substitueretur, sed superstes ecclesiam obtineret, ut narrat Socrates citatus, & Sozomenus *l.7. cap.3.* Post hæc autem Meletio romani Pontificis communionem non denegatam sequentia demonstrare videntur. Primum est quòd PP. Concilii Aquilejensis circa an.381. in epistola ad Imperatores dicunt jam se poposcisse, ut servaretur pactum, quo pax in Ecclesia Antiochena inita fuerat, nempe, ut *altero decedente penes superstitem Ecclesia permaneret, nec aliqua superordinatio attentaretur.* Ita cum ambigi non possit Italiæ Episcopos præfatum pactum probasse, remanet Meletium, ut Episcopum suscepisse; quod confirmatur quia ibidem addunt: *Tamen ne aut aliqui videantur esse postbabiti, qui & pacto, quod stare volumus, communionem nostram rogarunt.* Considerandum deinde quòd S. Hieronymus, qui per ea tempora in Oriente versabatur, ita scribit ad S. Damasum: *Ego clamo, si quis cathedra Petri communione jungitur, meus est. Meletius, Vitalis, Paulinus tibi hærere se dicunt &c.* Notissimum sane in Oriente erat antea romanæ ecclesiæ communione Paulinum perfruitum; unde non alia ratione dici potest S. Hieronymum a Damaso certiorari expetiisse de iis, qui cum eo communicarent, nisi quia quid novi accidisset, & suam communionem Meletio Damasus concessisse audiverit. Sed & illud non omittendum quòd cùm Meletius, ut ab Arianis se segregavit, ita virtutibus floruerit, quòd inter Sanctos fuerit adnumeratus, inverosimile prorsus est mentiri voluisse, suam cum Damaso communionem affirmando.

Eadem cum Damaso communio innotescit, quia postquam iste Pontifex in Concilio Romæ habito fidem Trinitatis confirmavit, & Divinitatem Spiritus S. asseruit, Apollinaristarum errores damnando, epistolam ad Orientales episcopos scripsit, quam ex Barberinis Codicibus integram dedit Lucas Holstenius. *Ro. Coll. t.1. p.165. 175. 176. 177.* Postquam verò in calce ipsius epistolæ dicitur Orientalem ecclesiam, facta Synodo apud Antiochiam, fidem in epistola expositam sua subscriptione confirmasse, legitur statim Meletii subscriptio his verbis concepta: *Meletius epi-*

episcopus Antiochenus consentio omnibus suprascriptis, ita credens, & sentiens, & si quis præter hæc sentit, anathema sit. Ubi autem legimus Meletium epistolæ Damasi in Concilio Antiocheno subscripsisse, statim apparet in ipsius communionem tunc temporis susceptum fuisse. Idem dignoscimus ex libello Synodico, ubi de hoc Concilio ita dicitur: *Sed & Meletius, qui celebris cognominatur, suo in Throno Antiochiæ divinam, & sacram convocavit Synodum, quæ divulsum confirmans Symbolum, & Marcellum, Photinum, ac Apollinarium anathemate notans, divinam ad Damasum, & Episcopos Occidentis misit expositionem.* Quis modò dicat Meletium fidei expositionem ad Damasum missurum, si ab ejus fuisset communione divulsus?

DISSERTATIO XXXV.

De Controversia quæ circa nomen Hypostaseos in Ecclesia orta est.

Ant 320. INter τῆς οὐσίας καὶ τῆς ὑποστάσεως nomina, in Concilio Alexandrino anno 319. * Magno Osio Cordubensi Episcopo auctore, distingui cœpit, ut novo istorum vocabulorum usu novæ Hæreses expugnarentur, ut refert Baronius in Annalibus Ecclesiasticis. Hâc distinctione alteri contentioni materia suppeditata est. Ex eo enim partim natum est Antiochenum Schisma, quòd alii unicam & singularem hypostasim, alii tres in Deo profiterentur: teste Sancto Basilio, Epistolâ 349. ad Terentium Comitem, in qua scribit, se nullo pacto deduci posse a communione Meletii: quamvis Paulinus a Romano Pontifice, & Occidentalibus Episcopis literas acceperit, quibus ratus illi fiebat Episcopatus: necnon ab Athanasio; qui cum Meletio hactenus communicare noluerat. Tum *Haud contemnendas arbitrari se Quæstiones illas, quæ schismati dederunt ab initio occasionem.* Quippe hoc ipso, quòd unica hypostasis in Deo ponitur, occasionem Arianis præberi, qui propterea τὸ ὁμοούσιον repudiabant, quòd id *secundùm hypostasim* a Catholicis asseri interpretabantur; quasi singularem in Deo hypostasim eo vocabulo declararent, quæ varias identidem functiones & personas obiret. Addit, Occidentales, eam calumniam veritos, cùm hypostasim promiscuâ significatione cum οὐσίᾳ caperent, ob linguæ suæ angustias Græcum usiæ nomen expressisse.

Ita auctum est illud de nomine hypostasis dissidium circa annum Christi 360. *Ut periculum esset ne orbis terrarum fines unà cum syllabis abrumperetur*, ait Sanctus Gregorius Nazianzenus, *Oratione de Laudibus Sancti Athanasii:* In qua & istis verbis hæc præmittit: *Res profectò ridicula, vel potiùs miseranda. Diversa Fidei speciem præbuit levis illa & jejuna de sono vocum altercatio. Hic deinde & Sabellianismus ob tres personas excogitatus est, & Arianismus ob tres hypostases: quorum utrumque pertinax contendendi studium affinxerat.*

Hoc dissidium nonnihil sedavit Sanctus Athanasius in Concilio Alexandrino post Constantii mortem & Confessorum ab exilio reditum celebrato, cum Eusebio Vercellensi & aliis, anno Christi 362. Vocatis namque & his qui tres hypostases, & his qui unam constituebant, primos interrogavit, num sic tres hypostases ponerent quomodo Ariani, *Alienas, peregrinasque ac diversa a se invicem substantia, & unamquamque hypostasim per se ac seorsim divisam esse, ut cætera creatura, & qui ex hominibus nascuntur? An intelligerent diversas res, quale est aurum, argentum, æs? An at alii Hæretici sub istis vocibus tria principia constituerant?* At illi responderunt, se nequaquam ita sentire, sed *Sese in Trinitatem credere, non quæ nomine tenus, sed quæ verè Trinitas esset, & subsisteret: & Patrem ut vere existentem & subsistentem, & Filium ut existentem & subsistentem*, necnon *& Spiritum Sanctum agnoscere: non tamen se dixisse tres Deos, aut tria principia, imò ne toleraturos quidem, si quis tale quidpiam dicat, aut sentiat: Sed se scire esse Sanctam Trinitatem, ut tamen sit una Deitas, & unum Principium; & Filium se agnoscere esse coessentialem Patri & Spiritum Sanctum non creaturam, neque alienam, sed proprium & indisgregatum ab essentia Patris & Filii.* Deinde quæsivit ab iis qui unam hypostasim statuebant, utrùm ad mentem Sabellii loquerentur, *Ut sublatos vellent ex Trinitate Filium & Spiritum Sanctum, quasi Filius essentiâ careat, aut Spiritus Sanctus non subsistat.* At ipsi longè se alia sentire professi sunt. Nam idcirco singularem Trinitatis hypostasim se statuere, *Quia ὑπόστασιν idem esse cùm οὐσίᾳ intelligebant, & quia Filius ex essentia Patris est; & quia in tribus est identitas naturæ; unam autem se Deitatem, & unam naturam credere, neque aliam Patris, aliam Filii, aut Spiritus Sancti esse naturam.* His auditis, vehementer assensi sunt alterius partis homines; atque ita omnes convenerunt, ut omnibus Hæresibus anathemate confossis, aliam Fidei Formulam non exigerent, aut aliam verborum conceptionem, præter eam quam Nicæna Synodus expresserat. Ista constant ex Epistolâ Synodicâ Concilii Alexandrini ad Antiochenos, apud Sanctum Athanasium. Hanc interpretationem de tribus hypostasibus & una hypostasi, Paulinus ipse huic Epistolæ subscribens approbavit.

Ex his colligitur, Catholicos fuisse, qui de una vel tribus in S. Trinitate hypostasibus dissidebant, nec de veritate Mysterii, sed de verbis dumtaxat, quibus in eo explicando utendum esset, fuisse inter eos Quæstionem. Quod egregiè confirmat Sanctus Gregorius Nazianzenus in *Oratione de laudibus Sancti Athanasii*, de quo sic loquitur: *Quæ cùm Beatus ille Vir, & verè homo Dei, magnusque animarum œconomus, oculis auribusque perciperet, tam stultam & absurdam Orthodoxæ Fidei sectionem dissimulandam ac negligendam sibi non putavit. Verùm medicinam morbo quamprimùm infert. Quonam autem modo id facit? Utraque parte leniter & humaniter accersita, verborumque sententia diligenter & accuratè perpensa, postquam concordes reperit, & neque quoad doctrinam quidquam inter se dissidentes, ita negotium transegit, ut nominum usum ipsis concedens, rebus eos constringeret.*

Posteris tamen Latinis non adeò placuit ille concordiæ modus, quòd Hypostasis substantiam significare videretur: atque adeo tres hypostases dicere, idem esset ac tres asserere substantias. Unde Sanctus Augustinus, *lib.5. de Trinitate, cap.8.* hæc habet: *Essentiam dico, οὐσίαν Græcè dicitur, quam usitatiùs substantiam vocamus. Dicunt quidem & illi hypostasim, sed nescio quid volunt interesse inter οὐσίαν & ὑπόστασιν ita ut plerique nostrî qui hæc Græco tractant eloquio, dicere consueverint, μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις quod est Latinè unam essentiam, tres substantias. Sed quia nostra loquendi consuetudo jam obtinuit, ut hoc intelligatur, cùm dicimus essentiam, quod intelligitur, cùm dicimus substantiam: non audemus dicere: unam essentiam, tres substantias; sed unam essentiam, vel substantiam, tres autem personas: quemadmodum multi Latini ista tractantes, & digni auctoritate dixerunt, cùm modum alium aptiorem non invenirent, quo enuntiarent verbis, quod sine verbis intelligebant.*

Sed paulò ante Sanctum Augustinum, sub Damasi

masi Pontificatu vehementiùs exarsit illa de hypostasibus controversia, de qua ita scribit ad ipsum Damasum Sanctus Hieronymus, Epistolâ 57. *Nunc igitur, proh dolor! post Nicaenam Fidem, post Alexandrinum juncto pariter Occidente decretum, trium hypostaseon ab Arianorum Prasule, * & Campensibus, novellum a me homine Romano nomen exigitur. Qui, quaeso, ista Apostoli prodidere? quis novus Magister Gentium Paulus hac docuit? Interrogamus quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi. Tres personas subsistentes ajunt. Respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus: ipsum nomen efflagitant, quia nescio quid veneni in syllabis latet. Clamamus, si quis tres hypostases, aut tria enhypostata, hoc est tres subsistentes personas non confitetur, anathema sit. Et quia vocabula non edisci mus, Haeretici judicamur. Si quis autem hypostasim unam intelligens, non in tribus personis usiam hypostasim dicit, alienus a Christo est.*

Ita Meletium vocat: ejus verò partiarios, Campenses; quòd urbicis Ecclesiis exclusi, extra urbem in campis conventus suos haberent.

Et infra: *Decernite, si placet, obsecro, non timebo tres hypostases dicere, si jubetis. Condatur nova post Nicaenam Fides: & similibus verbis cum Arianis confiteamur Orthodoxi. Tota saecularium literarum schola nihil aliud hypostasim nisi usiam novit. Et quis, rogo, ore sacrilego tres substantias praedicabit? Una est Dei & sola natura, quae verè est. Id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est. Caetera quae creata sunt, etiamsi videantur esse, non sunt, quia aliquando non fuerunt; & potest rursum non esse, quod fuit. Deus solus, qui aeternus est, hoc est, qui exordium non habet, essentiae nomen verè tenet. Idcirco & ad Moysem de rubo loquitur; Ego sum qui sum: & rursum; Qui est me misit.*

Denique sic concludit: *Sufficiat nobis dicere, unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, aequales, coaeternas. Taceantur tres hypostases, si placet, & una teneatur. Non bonae suspicionis est, cùm in eodem sensu verba dissentiunt. Aut si rectum putetis, tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus. Sed, mihi credite, venenum sub melle latet. Transfiguravit se angelus Satanae in angelum lucis. Bene interpretantur hypostasim: & cùm id, quod ipsi exponunt, habere me dicam, Haereticus judicor. Quid tam anxiè unum verbum tenent? Quid sub ambiguo sermone latitant? Si sic credunt, ut interpretantur, non damno quod retinent. Si sic credo, ut ipsi sentire se simulant, permittant & mihi meis verbis sensum suum loqui. Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam per Crucifixam in mundi salutem, per ὁμοούσιον Trinitatem, ut mihi Epistolis tuis, sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas.* Ex quibus rursus evidens est, eos qui vel unam tantùm, vel tres hypostases in Sanctissima Trinitate admittebant, solis de verbis dissensisse, non de summa Fidei disceptasse.

Trepidabat meritò Sanctus Hieronymus & venenum sub melle latere dicebat. Ariani siquidem hypostasis nomine substantiam intelligebant: unde periculosum esse existimabat, tres asserere hypostases. Quod autem sic vocem illam usurpaverint Ariani, patet ex Epistolâ Synodicâ Concilii Sardicensis, quam refert Theodoretus, lib. 2. cap. 8. *Haereticorum factio*, inquit, *pertinaciter asseverat, Patris, ac Filii, & Spiritus Sancti diversas esse hypostases, & a se invicem separatas. Nos verò hanc a Majoribus accepimus ac didicimus, & hanc tenemus Catholicam atque Apostolicam Traditionem & Fidem, ac Professionem, unam esse hypostasim, quam ipsi Haeretici substantiam appellant, Patris, ac Filii, ac Spiritus Sancti.* Hanc etiam ob causam Paulinus tres hypostases disertè dicere nolebat, teste Acacio Episcopo Beroensi in Epistolâ * ad Sanctum Cyrillum Alexandrinum. *Hic*, inquit, *etsi tres hypostases palam dicere recusaret, re tamen & virtute ab illorum sententia & Fide, qui hoc profitebantur, non recedebat. Sectabatur hic autem piissimos Occidentis Episcopos, propterea quod Romanae linguae angustia, sicuti Graeca phrasis, tres hypostases dicere commodè non ferat.* Extat apud Sanctum Epiphanium, *Haeresi* 77. Paulini Fidei Professio, eadem omnino cum ea, quae inter Sancti Athanasii Opera Synodicae Concilii Alexandrini Epistolae subjecta legitur, qua pium agnoscit loquendi modum, quo tres in Deo hypostases asseruntur. Quod cùm objectum fuisset Sancto Hieronymo, ut in eam sententiam duceretur, quae tres hypostases propugnabat, ait: *Ignoro Paulinum*, &c.

* Extat in Concil. Eph. & est 15. inter Epist. Cyrilli.

Sanctum Epiphanium laudat Basilius Magnus, quòd tres hypostases statuendas agnosceret. Sic nempe habet, *Epistolâ* 325. ad ipsum datâ: *Illud insuper & mentem meam bene satis habuit, quod ad reliqua egregiè, accuratèque (ut Theologum decebat) disputata, adjecit tua Diligentia, necessum esse omni modo confiteri tres hypostases. Hoc scilicet a te discant, qui sunt Antiochiae Fratres: qui jam id eductè didicerunt. Neque enim procaldubio tu eorum fovisses communionem, nisi hoc tibi caput sartum tectum confirmasset.*

Ex quo illud dissidium extinctum est, hypostasim, sive subsistentiam, pro persona, Concilia semper usurparunt: in primis Calchedonense, Actione 5. in secunda Confessione Fidei, qua dicitur. *Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum: nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, & in unam personam atque subsistentiam concurrente.* Habet textus Graecus, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν.

Idem perspicuum est ex Concilio Ephesino, Anathematismo 4. *Si quis duabus personis, sive hypostasibus, eas voces attribuit, quae in Evangelicis & Apostolicis Scripturis passim occurrunt; & alias quidem homini, tamquam seorsim a Dei Verbo considerato adscribit, alias verò tamquam Deo convenientes, soli Dei Patris Verbo adaptat, anathema sit.* Habetur in Graeco: ἐν τοῖς προσώποις δυσὶν ἤγουν ὑποστάσεσι. Et anathemate 2. *Si quis non confitetur Dei Patris Verbum, carni secundùm hypostasim unitum, unumque tantùm unà cum sua Carne esse Christum, eumdem nimirum Deum simul & hominem, anathema sit.* Unitum secundùm hypostasim, idem est ac unitum secundùm personam.

Idem constat ex Concilio II. Oecumenico, in Synodicâ ad Damasum Epistolâ, in qua Patres unam divinitatem & potestatem Patris & Filii, & Spiritûs Sancti profitentur, *in tribus perfectis subsistentiis, sive in tribus perfectis personis.*

His Conciliis concinit Oecumenicum V. Collatione 8. Anathemate 5. quo feritur ille, qui conatur introducere in Mysterio Christi *duas subsistentias*, seu duas personas, & definitur quòd *Adjectionem personae, vel subsistentiae non suscepit Sancta Trinitas, Incarnato uno de Sancta Trinitate Deo Verbo.* Et Canone 8. dicitur, Patres docuisse, *Ex divina natura & humana unitione secundùm subsistentiam facta, unum Christum effectum esse.* Vides unitionem secundùm subsistentiam, idem esse ac unitionem secundùm personam?

Hinc & Justinianus Imperator in Edicto Confessionis Fidei ad Joannem II. Pontif. Romanum transmissae, haec habet: *Quoniam non est idem natura & subsistentia: omnes enim Sancti Patres consonanter nos docent aliud esse naturam, sive substantiam & formam; & aliud subsistentiam sive personam. Et naturam quidem vel substantiam &* for-

formam, hoc quod est commune significare: subsistentiam autem sive personam, hoc quod est speciale.

Denique Concilium VI. Oecumenicum Actione 4. in Epistolâ Agathonis, Summo Patrum consensu recepta, profitetur *Unitatem essentiæ, Trinitatem verò personarum, sive subsistentiarum. Τριάδα δὲ προσώπων ἤγουν ὑποστάσεων.* Et rursus: *Non trium nominum subsistentiam; sed trium subsistentiarum unam essentiam; οὐχ Τριῶν ὀνομάτων ὑπόστασιν, ἀλλὰ Τριῶν ὑποστάσεων μίαν οὐσίαν.* Ubi planum est, subsistentiam pro persona usurpari. Perperam igitur Thelogi quidam recentiores, qui Thomistarum nomine gloriantur, hunc locum detorquent ad subsistentiam quamdam, quam absolutam vocant, propugnandam.

Rectè verò S. Thomas in 1. Sententiarum, Dist.26. Quæst.1. Art.1. ad 4. ait: *Subsistentiam apud usum Sanctorum sumi pro hypostasi.* Et 3. P. Q.3. Art.3. ad 1. ait: *Quia in divinis idem est quo est, & quod est, quicquid eorum quæ attribuuntur Deo in abstracto, secundùm se consideretur, aliis circumscriptis, erit aliquid subsistens, & per consequens persona, cùm sit in natura intellectuali,* &c. Videant igitur qui subsistentiam comminiscuntur absolutam, ad illud figmentum consequens esse, ut quarta in divinis persona admittatur. Sed de his litigare Scholasticos sinamus.

SCHOLION.

Religiosi Censores ad hanc Dissertationem, pag.77. & 78. Editionis primæ, hanc notam apponunt: *Subsistentia absoluta in Deo non datur .... contra Thomistas.*

R. Huic & similibus animadversionibus respondere piget. De Controversia quæ circa nomen hypostaseos in Ecclesia orta est, agens, locum quemdam ex Epistolâ *Agathonis* Romani Pontificis in Sexta Synodo Generali lectâ & approbatâ, perperam a Theologis quibusdam recentioribus Scholæ Thomisticæ detorqueri observavi ad subsistentiam absolutam in Deo abstruendam, obiterque figmentum illud doctrinæ etiam *S. Thomæ* contrarium ostendi duobus illius testimoniis, quæ nullâ distinctiuncularum arte eludi possunt. Id tamen obiter a me notatum, cùm Scholasticas Quæstiones hoc in Opere non attingam. Esto verò contra quosdam Thomistas hæc nostra militet Observatio, non tamen contra omnes, & antiquiores, non contra Magistrum omnium *S. Thomam*, qui subsistentiam in natura compote rationis semper usurpat pro persona; non contra *Silvium*, non contra *P. Joannem Nicolai*, aliosque e recentioribus Thomistis eruditos, qui figmentum illud subsistentiæ absolutæ, quæ veluti semipersona sit, a *Cajetano* adinventum exsufflant, absurdum, & erroneum meritò censentes, ut tres personæ cum dimidia, sive cum persona incompleta (ut loquebatur Cajetanus) in Deo admittantur.

DISSERTATIO XXXVI.

De Convocatione, & Præsidentia secundæ Synodi Oecumenicæ, Constantinopolitanæ primæ.

ARTICULUS I.

A quo fuerit convocata secunda Synodus Oecumenica.

PROPOSITIO.

Secunda Synodus Oecumenica a Theodosio Magno Imperatore, inconsulto Damaso Pontifice Romano, convocata est.

Probatur primò auctoritate Socratis, *lib.5. Historiæ Ecclesiasticæ*, cap.8. *Post hæc*, inquit, *Imperator nihil cunctatus, suæ Fidei Episcoporum Concilium convocat, quo & Nicæna Fides confirmaretur, & Constantinopoli ordinaretur Episcopus. Et quoniam in spem venerat Macedonianos Fidei suæ posse sociari, eorum quoque Antistites evocavit.*

Probatur secundò auctoritate Sozomeni, *lib.7. cap.7.* ubi de Theodosio Seniore sic loquitur: *Nec multò post, Episcoporum communionis suæ Synodum convocavit: tum ut Nicæni Concilii decreta confirmarentur, tum ut Constantinopolitanæ Sedi Episcopus constitueretur. Cùmque existimaret eos qui Macedoniani dicuntur, Ecclesiæ Catholicæ facilè adjungi posse, quippe qui in doctrina Fidei non magnopere dissiderent, hos etiam cum cæteris evocavit. Ex iis igitur qui Trinitatem Consubstantialem profitebantur, convenerunt centum circiter & quinquaginta. Ex Macedonianis verò sex & triginta.*

Probatur tertiò auctoritate Theodoreti, *lib.5. Historiæ Ecclesiasticæ*, cap.7. *Theodosius*, inquit, *Episcopos dumtaxat Imperii sui Constantinopolim jussit convenire. Quò cum advenissent: (erant autem centum & quinquaginta;) vetuit ne quis ipsi enunciaret quisnam esset Magnus Meletius, eum enim ipse ex somnii sui memoriâ volebat agnoscere.*

Probatur quartò ex Epistolâ Synodicâ istius Concilii ad Theodosium, quâ CL. Patres se & ipsius mandatis ad Concilium convocatos testantur, & gestorum confirmationem ab ipso petunt.

Necessariò quoque, inquiunt, *ea quæ acta sunt in sancto Concilio, ad tuam referimus Pietatem; nempe quòd ex quo tempore, juxtà literas tuæ Pietatis Constantinopolim convenimus, primùm quidem mutuam inter nos concordiam renovavimus: deinde verò breves etiam pronuntiavimus definitiones, quibus & Patrum, qui Nicææ congregati fuerant, Fidem confirmavimus; & quæ adversùs eam oborta sunt, perversas Hæreses, ac pravas opiniones, extremâ cum execratione ac detestatione reprobavimus. Præterea etiam ad rectè constituendum & ordinandum statum & Disciplinam Ecclesiarum, certos Canones statuimus: Quæ omnia huic nostro scripto subjecimus: Rogamus igitur tuam Clementiam, ut per literas quoque tuæ Pietatis ratum habeatur Concilii decretum: ut sicut literis, quibus nos convocasti, Ecclesiam honore prosecutus es, ita etiam finem eorum, quæ decreta sunt, obsignes.*

Probatur quintò ex inscriptione Constantinopolitanorum Canonum in antiquis Ecclesiæ Codicibus, quæ est ejusmodi: *Hæc decreverunt ac statuerunt Episcopi, qui gratiâ Dei ex diversis Provinciis Constantinopoli convenerunt, vocati a Theodosio piissimo Imperatore.*

Sextò, huic historicæ veritati suffragatur Au-

ctor Anonymus Vitæ Sancti Pauli Constantinopolitani Episcopi, cuius excerpta Bibliothecæ suæ *Codice* 257. Photius inseruit. Sic autem de Theodosio loquitur: *Convocat igitur Concilium Pius Imperator, meditans & Macedonianos conciliare Orthodoxis, & qui consubstantialitatem profitebantur. Quamobrem Capita Haereticorum convocat. Et convenerunt e Catholicis, Alexandriâ quidem Timotheus, Hierosolymis verò Cyrillus, Antiochiâ Meletius, Gregorius Nazianzenus, Thessalonicâ Achillias* (seu Ascholius) *Nyssâ Gregorius, & alii plurimi, quorum numerus ad centum quinquaginta excrevit. Haeretica verò turba praerat Eleusius Cyzicenus, Marcianus Lampsacenus, Eutbius Ephesius, aliique nonnulli, quorum numerum sex & triginta complebant.*

Probatur secundâ pars, quòd scilicet inconsulto Damaso Romano Pontifice convocata sit ista Synodus: Primò ex omnium Historicorum silentio, qui nullâ Damasi factâ mentione, illius de convocatione loquuntur. Secundò ex eo quòd nullos ad hanc Synodum Legatos Damasus miserit, missurus proculdubio, si convocationis illius particeps extitisset. Tertiò: Si istam Synodum convocasset Damasus, ad eam Episcopos Occidentis convocasset. At Occidentales Episcopi non sunt ad hanc Synodum convocati. *Theodosius* enim *Episcopos dumtaxat Imperii sui Constantinopolim jussit convenire*, ut scribit Theodoretus, *lib. 5. Historia Ecclesiastica, cap. 7.* Soli autem Orienti imperabat Theodosius. Non est itaque convocata illa Synodus ex sententia Damasi.

Contra pugnant Baronius & Binius, primò auctoritate Synodi Sextæ Oecumenicæ, Actione 18. *Macedonius*, inquit, *Spiritûs negabat deitatem, eumque conservum prædicabat: sed Maximus Theodosius Imperator, & Damasus Fidei adamas obstiterunt, quorum solidam mentem aggressiones atque conflictus nullatenus fauciarunt.*

Secundò, ex veteribus Romanæ Ecclesiæ monumentis. In Codice enim antiquissimo Vaticanæ Bibliothecæ, necnon in alio Sanctæ Mariæ Maioris, hæc leguntur: *Sententiam de damnatione Macedonii, & Eunomii Damasus confirmari præcepit, etiam in sancta secunda Synodo, qua præcepto & auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est.*

Tertiò, ex Nilo Rhodiorum Metropolita, in Synoptica Enarratione Conciliorum Generalium: *Præerant*, inquit, *Synodo Damasus Romæ, Nectarius Constantinopolis, &c.*

Quartò, Lucentius Sedis Apostolicæ Legatus in Concilio Calchedonensi, testatur nullam Synodum fuisse usquam celebratam ahsque auctoritate Romani Pontificis, Dioscorum his verbis perstringens: *Judicii sui ipsum necesse est reddere rationem, quia cùm nec personam judicandi haberet, subrepsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate Apostolicæ Sedis: quod ritè numquam factum est, nec fieri licuit.*

Quintò, testatur ipse Damasus, nullius esse momenti decreta Synodi, cui ipse per se, vel per Legatos assensum non præbuisset. (*In Epistolâ ad Illyricos*, apud Theodoretum, *lib. 2. Historia Ecclesiastica*, cap. 22.) *Neque enim*, inquit, *præjudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum qui apud Ariminum convenerant: cùm constet neque Romanum Episcopum, cujus ante omnes fuit expetenda sententia...... hujusmodi statutis consensum aliquem commodasse.* Nullius igitur momenti essent & decreta Concilii Constantinopolitani primi, nec Oecumenici nomen & honorem mereretur, nisi illud Damasus Romanus Pontifex convocasset, illique per Legatos præfuisset.

Respondeo ad primum ex auctoritate Sextæ Synodi desumptum, Non sequi quòd Damasus convocaverit Concilium Constantinopolitanum, ex eo quòd Macedonii impietati & erroribus obstitit. Nonne enimverò obstitisse est, quòd in Concilio Romano Macedonianam Hæresim anathemate confixit? Nonne obstitisse est, quòd Libellum Synodicum eâ de re ad Paulinum Antiochenum Orientalis Diœceseos Patriarcham direxit? Nonne obstitisse est, quòd ea quæ Constantinopoli contra Macedonium decreta sunt, assensu suo firmavit?

Respondeo ad secundum, Dubiam esse apud me ac suspectam illorum Codicum, licèt pervetustorum fidem, quibus veterum omnium Historicorum, & ipsius Epistolæ Synodicæ a Patribus Constantinopolitanis ad Theodosium datæ auctoritas refragatur.

Ad tertium respondeo: Ejusdem apud me esse ponderis Nili ac nihili auctoritatem, ut qui infinities hallucinatus sit in Historia Conciliorum, ut viri eruditi adnotarunt.

Ad quartum, & quintum, respondeo, non posse quidem Synodos convocari inconsulto Pontifice Romano, quæ nomine Oecumenicarum in Ecclesia celebrentur: sed nihil obstat absque ejus auctoritate Nationales Synodos, vel totius etiam Orientis Concilia convocari; quæ Oecumenicæ quidem non erunt vi convocationis ab Imperatoribus, Patriarchis, vel Metropolitanis factæ: Oecumenicarum tamen auctoritatem consequentur, si hanc illis auctoritatem contulerit Romani Pontificis, & totius Ecclesiæ Occidentalis assensus. Atque ita Concilium Constantinopolitanum, jussu & literis Theodosii Imperatoris, ex solis Episcopis Orientis convocatum est. Unde vi convocationis suæ, solius Orientis erat Synodus; quæ tamen ex post facto Oecumenica fuit, Damaso, totaque Occidentalium Ecclesiâ hanc illi suo consensu dignitatem, & auctoritatem tribuentibus. Hinc Photius in lib. *De 7. Synodis* ad Michaëlem Imperatorem, ubi illustriores Constantinopolitanæ Synodi Episcopos recensuit, hæc subdit: *Quibus haud multò post & Damasus Episcopus Romæ, eadem confirmans, atque sentiens accessit.* Concilium itaque Constantinopolitanum eatenus etiam Damasi mandato celebratum dici potest, quia ejus auctoritate probatum fuit, secundùm antiquam regulam Juris, quâ fertur, *Ratihabitionem retrò-trahi, & mandato æquiparari.* Concilium igitur Orientis Constantinopoli celebratum est; Concilium Occidentis Romæ peractum: hoc Damasus; illud Theodosius convocavit: ex utroque in unam Fidem & sententiam conspirante resultavit Oecumenica Synodus. Id fortè spectabat Sanctus Ambrosius, cùm ait in Concilio Aquileiensi: *Superioribus temporibus Concilium sic factum est, ut Orientales in Orientis partibus constituti haberent Concilium: Occidentales in Occidente.*

Porrò quòd Constantinopolitana Synodus per se non habita sit pro Oecumenica, ex Epistolâ Concilii Italiæ ad Theodosium Imperatorem colligitur, in quâ Episcopi ita scribunt: *Nos igitur in Synodo eâ, quæ totius orbis Episcopis videbatur esse præscripta, nihil temerè statuendum esse censuimus. At eo ipso tempore, qui Generale Concilium declinaverant, Constantinopoli quæ gessisse dicuntur? Nam cùm cognovissent ad hoc partium venisse Maximum, ut causam in Synodo ageret suam, quòd etiamsi indictum Concilium non fuisset, &c.* Ubi Generale Concilium opponunt Synodo Constantinopolitanæ, Generale Concilium appellantes illud quod Romæ indictum fuerat a Damaso anno Christi 380. ad causam Maximi Cynici discutiendam. Quod cùm Orientales Episcopi detrectassent, iterum Italiæ Antistites, anno Christi 381. post Aquilejense Concilium, Theodosium Imperatorem rogarunt, ut Romæ Generalis Synodus Orientalium

simul

ſimul & Occidentalium cogeretur. Ad hanc convocati a Damaſo Epiſcopi Orientales, moram ſuam Conſtantinopoli excuſarunt, quòd in Oriente ob ſuarum Eccleſiarum diſcrimen detenti, Romam proficiſci non poſſent; temporis anguſtias inſuper cauſati: agnoſcentes nihilominus Romani Pontificis auctoritatem, quâ eos ſuum ad Concilium jure convocabat. *Jam verò*, (inquiunt illi in Epiſtolâ Synodicâ) *quoniam vos, quò fraternam veſtram erga nos caritatem declararetis, Concilio voluntate ac nutu Dei Romæ coacto, nos velut membra propria, per Deo amantiſſimi Imperatoris literas acceſſiviſtis: ne cùm nos ſoli jam antea res acerbas ſubiiſſemus, nunc Imperatoribus de pietate conſentientibus, ſine nobis vos regnaretis; ſed potiùs, ſicut loquitur Apoſtolus, ut nos vobiſcum conregnaremus: eſt certè nobis omnibus in optatis, ſi poſſet fieri, Eccleſiis confertim relictis, veſtro deſiderio, aut neceſſario potiùs Eccleſiæ negotio inſervire. Quis enim nobis dabit pennas ſicut columbæ, & volabimus, & requieſcemus apud vos? Verùm quoniam hoc modo Eccleſiæ nuper renovatæ nudarentur, & res a pleriſque fieri omnino non queat: Nam Conſtantinopolim conveneramus, mandato literarum ſuperiore anno a veſtra Reverentia, poſt Concilium Aquilejenſe ad Dei amantiſſimum Imperatorem Theodoſium miſſarum; ad iter dumtaxat Conſtantinopolim uſque faciendum præmeditati; utque de hoc uno Concilio celebrando conſenſum Epiſcoporum, qui in Provinciis manſerant, unà nobiſcum afferentes: longiore autem itinere opus eſſe nec expectantes, neque omnino ante accipientes, quàm Conſtantinopoli in unum conventum eſſet. Huc accedit, quòd temporis præſtituti anguſtia, neque ad longius iter parandum, neque ad Epiſcopos in ſingulis Provinciis, qui ſunt ejuſdem nobiſcum communionis, de hac re commonefaciendos, neque ad eorum conſenſus obtinendos ſatis ſpatii dat. Itaque cùm & hæc, & alia præterea complures majori parti Epiſcoporum impedimento ſint, quominus ad vos veniant: idcirco, quod ſecundo in loco faciendum erat, tum ad ſtatum rerum Eccleſiaſticarum ritè ordinandum, tum ad oſtendendum quanti veſtram erga nos charitatem æſtimemus, illud certè fecimus: quippe oravimus reverendiſſimos Fratres & Collegas noſtros Cyriacum, Euſebium & Priſcianum, ut laborem ad vos proficiſcendi ſuſcipere non gravarentur*, &c.

Dices: Patres Conſtantinopolitani in Epiſtolâ Synodicâ ad Damaſum & Epiſcopos Occidentis, Conſtantinopolitanum Concilium anno ſuperiore celebratum, in quo Definitio Fidei edita eſt, vocant *Concilium Generale*. Deinde huic aderat Aſcholius Theſſalonicenſis Epiſcopus ex Patriarchatu Occidentis, adeòque Concilium erat nedum Orientalium, ſed etiam Occidentalium. Quam ob rem ſi inconſulto Damaſo convocatum eſt, ſequitur Concilium Oecumenicum inconſulto Romano Pontifice poſſe convocari.

Reſpondeo, primò negando ultimum conſequens. Ex facto enim ſingulari jus univerſale immeritò colligitur. 2. Reſpondeo, Concilium illud Epiſcopos in ſuâ Synodica vocaſſe *Concilium Generale*, non quidem totius orbis Chriſtiani, ſed ſolius Orientis: Id nempe ſubintelligendum eſt. Nec refert quòd illi interfuerit Aſcholius Occidentalium partium Epiſcopus, quia vices omnium Occidentalium non geſſit, nec pro univerſis Occidentalibus ei Synodo ſubſcripſit.

ARTICULUS II.

Quis ſecundæ Synodo Oecumenicæ præfuerit?

PROPOSITIO.

De Concilii ſecundi Oecumenici Præſide vix aliquid certi ex Antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentis colligi poteſt. Præfuiſſe Timotheum Alexandrinum eſt probabilius.

Probatur utraque pars ex Socrate, *lib.5. Hiſtoria Eccleſiaſtica, cap.8.* ubi de Epiſcopis agens qui Concilio primo Conſtantinopolitano interfuerunt, hæc habet: *Convenit igitur, ex iis qui Conſubſtantialis Fidem profitebantur, Timotheus Alexandriæ Epiſcopus, Cyrillus Hieroſolymorum, qui tunc pœnitentiâ ductus, Conſubſtantialis Fidei adhærebat. Meletius verò jamdudum aderat, propter Ordinationem Gregorii illuc accitus. Aſcholius item, Theſſalonicæ Epiſcopus, aliique plures. Univerſi centum & quinquaginta numero.* Primarios ſecundæ Synodi Oecumenicæ Patres ibi Socrates recenſet: quis præfuerit, diſertè non refert. Cùm tamen Timotheum Alexandrinum primo loco nominet, probabile eſt ipſum fuiſſe Concilii Præſidem.

Probatur ſecundò ex Sozomeno, *lib.7. Hiſtoria Eccleſiaſtica*, cap.9. *Poſt hæc*, inquit, *tam Nectarius ipſe, quàm reliqui Epiſcopi, in unum convenientes, decreverunt ut Nicæni Concilii Fides rata maneret, univerſæ autem Hæreſes anathemate damnarentur.* Cùm primus a Sozomeno nominetur Nectarius, is Concilii Præſes cenſeri poſſet, qui tamen nec præfuit, nec præeſſe potuit illi Synodo, quæ anno 381. celebrata eſt, & quæ in Synodicâ Epiſtolâ ter Oecumenica vocatur. Scilicet Nectarius necdum erat baptizatus, qui & in ipsâ Synodo adhuc Neophytorum veſtibus indutus, Conſtantinopolis Epiſcopus electus eſt. Præfuit quidem Concilio, quod anno ſequenti 382. celebratum eſt Conſtantinopoli, & quod Synodicam Epiſtolam Actorum prioris Synodi explicatricem dedit ad Damaſum, Ambroſium, & alios Antiſtites in Romana Synodo congregatos. At Conſtantinopolitana illa Synodus non eſt Oecumenica.

Probatur tertio ex veteri Codice Canonum Romanæ Eccleſiæ, qui ab Hadriano I. confectus eſt. Is Nectarium exhibet, qui Conſtantinopolitanæ Synodo primus ſubſcribat: *Nectarius Conſtantinopolitanus, Timotheus Alexandrinus, Cyrillus Hieroſolymitanus*, &c. Nectarius, cùm Synodo ſubſcribat primus, primus certè Præſes eſſe debuit, ſi Codici huic Fides habenda eſſet in iis quæ ad ſubſcriptiones pertinent. Nullam autem, aut exiguam habendam eſſe, docet ipſe ſubſcriptionum ordo, ubi Cyrillus Hieroſolymitanus ut Patriarcha ſubſcribit, & ſubſcribendo cum Epiſcopis Provinciæ Palæſtinæ, Antiochenum præcedit. In Codice Canonum Dionyſii Exigui, & in Græcis Concilii hujus exemplaribus, nulla appoſita ſubſcriptio eſt.

Probatur quartò ex Photio, in lib. de Synodis. *Concilium Conſtantinopolitanum*, inquit, *Præſides habuit Timotheum, qui Alexandriæ Sedem, & admirabilem virum Meletium, qui Sedem Antiochiæ, & Cyrillum, qui Hieroſolymorum Sedem obtinebat. Nectarium præterea, qui nuper ab initiatorum grege ſeparatus, & ablutus divino lavacro, vita ſordibus purus, jam puriſſimam ſacri principatûs dignitatem ex communi Concilii conſenſu, & electorum ſuffragiis, ſimul & Regiæ civitatis Epiſcopus, &*

Con-

Concilii præses declaratus est..... Quibus haud multò post & Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans, atque eadem sentiens, accessit. Timotheum Alexandrinum Concilio Constantinopolitano præfuisse, hìc asserit Photius; sed Meletius tertiæ Sedis Episcopus, præsente Timotheo secundæ Sedis Antistite, præesse propriè non poterat: multominùs Cyrillus Hierosolymitanus, qui solam *Honoris consequentiam*, non verò jus aliquod Patriarchicum vi Nicænorum Canonum fuerat consecutus. Nectarius verò ob eamdem rationem. & ob eam quæ prælibata est, præesse non poterat, quod nonnisi in ipso Concilio designatus fuerit Episcopus, cùm adhuc Catechumenus esset.

Sed cùm tres Synodos Constantinopoli intrà annum celebratas, in Synopsi notaverimus, primæ quæ Oecumenica non fuit, præfuisse Sanctum Meletium fatendum est, in qua *Gregorium Nazianzenum in Episcopatu Constantinopoleos confirmavit*, teste Theodoreto, lib 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.8. Secundæ, quæ Oecumenica est, Timotheum Alexandrinum: tertiæ verò, quæ nec Oecumenica est, & ex qua Relatio Decretorum præcedentis Synodi verè Oecumenicæ missa est ad Damasum & Episcopos Romani Concilii, Nectarium præfuisse concedimus. Tres illas Synodos non obscurè distinguit Theodoretus loco mox laudato: solùm in hoc fallitur, quòd Maximum Cynicum a Timotheo ordinatum Episcopum Constantinopoleos scribat, quem a Petro Timothei decessore illam ad Sedem promotum, & tres Episcopos ex Ægypto ad ejus inaugurationem peragendam missos, testis est Sanctus Gregorius Nazianzenus in Carmine de Vitâ suâ.

Probatur quintò ex Octava Synodo Actione 6. *Quoniam*, inquit, *Timotheus primus factus est prædictæ Sanctæ Synodi Præsidens, utpote Alexandriæ Patriarcha, & unà cum Episcopis, qui secum erant, provexit Nectarium Constantinopoleos Patriarcham*. Ex hoc testimonio disertè habemus, Timotheum Alexandrinum Patriarcham secundæ Synodo Oecumenicæ præfuisse.

Probatur sextò ex Libello Synodico. *Cùm*, inquit, *Theodosius verè in Dei cultu magnus, Regiam Constantinopolitanam accepisset, & Agelius quidem Arianis, Gregorius autem Theologus Orthodoxis Byzantii præesset, Secunda Oecumenica centum quinquaginta divinorum Patrum congregata est Synodus: cui præfuerunt Timotheus Alexandriæ, Cyrillus Hierosolymorum, & Christi amans Imperator Theodosius*. Timotheo Alexandrino primas defert. Cyrillum Hierosolymitanum præfuisse falsò asserit, uti & Theodosium Imperatorem.

Probatur septimò ex Cedreno in Compendio Historiæ, ubi hac de Synodo agens, ita scribit: *Præfuerunt Timotheus Alexandriæ, Meletius Antiochiæ, Cyrillus Hierosolymorum, Episcopi. & Gregorius Theologus*. Timotheus Præses asseritur: quo præsente, cæteris nullum ius præsidendi competebat. Gregorius Theologus, qui se Constantinopolitano Episcopatu istâ in Synodo abdicavit, & cujus agebatur de causa, Præses non fuit.

Probatur ultimò. Absente Episcopo primæ Sedis, Romano scilicet Pontifice, & ejus Legatis, præsidendi jus ad secundæ Sedis Episcopum devolvitur in Synodo: atqui a Concilio Constantinopolitano aberat Pontifex Romanus, nec per Legatos etiam intererat. Jus itaque præsidendi spectabat ad Episcopum Alexandrinum, qui secundæ Sedis Antistes erat; probabilius igitur est jure illo usum Timotheum, & secundæ Synodo Oecumenicæ præfuisse.

Objectio petitur ex verbis Concilii Calchedonensis in Relatione ad Marcianum Augustum dicentis: *His qui in his partibus Apollinarii detexerunt pestilentiam; Nectarius enim Gregorio tenuit principatum*. Ergo Gregorius Nazianzenus & Nectarius Concilio secundo Oecumenico, in quo Apollinarii Hæresis damnata est, præfuerunt.

Confirmatur ex Sermone acclamatorio Sextæ Synodi ad Principem: *Gregorius*, inquit, *& Nectarius Conventum congregabant*. Hi igitur fuerunt Synodi Constantinopolitanæ Præsides.

Respondeo, Synodum Calchedonensem & Sextam Synodum, duas, imò tres Synodos Constantinopoli infra annum celebratas, errore facti confundere; quas Theodoretus, & Libelli Synodici Anonymus Auctor a Christophoro Justello editi, non obscurè distinguunt. Primæ Gregorius Nazianzenus non præerat, sed Meletius Antiochenus, qui ipsi Episcopatum Constantinopolitanum detulit. Secundæ non præerat idem Gregorius, nisi doctrinâ, sanctitate, & ardore incredibili adversùs Hæreticos, in quibus debellandis ob eam rationem principatum tenuisse meritò dicitur. Huic etiam non præerat Nectarius, qui nedum Episcopus non erat, sed nec baptizatus, quando celebrata est. Sed Timotheus Alexandrinus pro suæ jure Ecclesiæ Præsidis munere perfunctus est. Tertiæ præfuit Nectarius. Apertè porrò Historiæ legibus repugnant verba Concilii Calchedonensis, & Sextæ Synodi mox laudata. Cùm enim simul Episcopatum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Gregorius & Nectarius minimè gesserint, nec iste electus fuerit & inauguratus, nisi post spontaneam alterius abdicationem, fieri non potest ut Synodum simul congregaverint, aut ipsi unà præfuerint.

SCHOLION.

Religiosi Censores in ista Dissertatione, pag.70. Editionis primæ, hanc Propositionem notant: *Secunda Synodus Oecumenica a Theodosio Magno inconsulto Damaso Pontifice convocata est*.

R. Quæstio ista facti & Historiæ, non dogmatis est. Hanc Synodum a *Theodosio Magno* convocatam ostendi ex Synodicâ istius Concilii ad Theodosium Epistolâ, & Socratis, Sozomeni, Theodoreti testimoniis expressis. Inconsulto *Damaso* convocatam probavi ex eorumdem silentio, ex eo quòd soli Orientis Episcopi ad eam convocati sint, quòd Legatos non miserit *Damasus*, quòd ille Synodum Romam convocasset, quam & eodem tempore cum Episcopis Occidentis celebravit. In eamdem sententiam Viri omnes Eruditi jam conspirant.

Nota.

CUm totus sit Bossuet in probando sola ecclesiarum consensione quæstiones fidei finitas, observat *in Defens. declarat. p.2. l.12. cap.8.* secundam œcumenicam Synodum Pontifici præstò non fuisse, & longè ab ipso sedisse, quapropter facto ipso demonstratum in consensione, & unitate robur auctoritatis positum esse. Id ipsi videntur ejusdem Concilii PP. sensisse, nam Damaso referentes quæ circa fidem, ac circa disciplinam decreverant, tantùm postulant ut Damasus, atque Episcopi, quicum ipso erant, *secum collætentur, intercedente spirituali charitate*, ex quo futurum, ajunt, *ut cùm verbum Dei communi sensu stabilitum, & christiana inter nos charitas confirmata fuerit, dicere desinamus. Ego quidem sum Apollo, ego autem Cephæ*. In communi ergo consensione fidei stabilitatem collocare videntur.

Si nihilominus omnia profundiùs inspiciantur, quàm & ex hac Synodo Romani Pontificis auctoritas eidem superesset ostenditur; ac propterea digno-

gnoscitur ab ea potissimùm exortas controversias finem expectare. Primò ergo eiusdem Concilii decretis se superiorem Papa demonstravit, quæ etenim ad fidem non pertinebant, respuit, ut habet Natalis *Dissertatione* 38. *art.*5. unde S. Gregorius *l.*6.*ep.*31. de hac Synodo ita ait: *Et canones quidem Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant, sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minimè dicunt: Romana autem Ecclesia eosdem canones, vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accepit. In hoc autem eam Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum. Reliquas verò hæreses, quæ ibi memoratæ sunt, ab aliis jam Patribus damnatas, reprobat.* Deinde, cùm certum sit eidem Synodo Damasum nec per se, nec per suos Legatos adfuisse, nihilominus ab eodem præcipuè prostratum fuisse Macedonium asserunt PP. sextæ synodi; unde ita dixisse dignoscitur, quia accedente postea Damasi confirmatione, quæ adversùs Macedonium decreverat, irrefragabilem auctoritatem obtinuerunt. En quomodo loquantur illius synodi PP. act.18. in prosphon. ad Imperat. *Macedonius Deitatem Spiritûs S. denegabat, sed maximus Imperator Theodosius, & Damasus adamas fidei, cujus solida mens adgressionibus, atque conflictibus alienarum sectarum nullatenus erat sauciabilis, Gregorius, & Nectarius illam in hac regia urbe synodum congregabant. Et sacrilegam quidem linguam a sacerdotio abscindebant, &c.* Præcipuè ergo illi PP. ut fidei adamantem Damasum admirantur; atque, ut dixi, ita loquutos esse dicendum est, quia Synodi Acta contra Macedonium probavit, quod explicans Photius *lib. de Synod.* ita ait: *Secunda Synodus &c. eò congregati sunt centum quinquaginta episcopi.... Principes erant Timotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus, Cyrillus Hierosolymitanus, &c. Quibus non multò post tempore etiam Damasus Romanus Antistes, eadem confirmans agnoscebatur, consentaneus decretis factus.* Dum ergo PP. illius Synodi ad Damasum, de iis, quæ egerant, scripsere, ut refert etiam Bossuet, primò ita a se faciendum sciebant: *optimum enim & valde congruentissimum esse videbitur*, ajebant PP. Sardicenses ad Julium Pontificem, *si ad caput, id est, ad Petri Apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant Sacerdotes.* Deinde illius expostulabant consensum, qui probè scire debebant juxta ecclesiæ regulas nullius esse roboris, quod Romani Pontificis consensu non firmabatur. Ea ratione Julius Papa apud Sozomenum *lib.*2. *cap.*9. ad episcopos Concilii Antiocheni scripserat *contra leges Ecclesiæ esse, quod ipsum ad synodum non vocassent. Esse enim legem sacerdotalem, quòd irrita declaretur quæcumque fiunt præter sententiam Romani Episcopi.* Extat etiam apud Theodoretum *l.*2. *c.*22. synodica nonaginta episcoporum Romæ cum Damaso congregatorum, in qua habetur numerum Præsulum Ariminensium nihili habendum, quandoquidem illis non accessit Romanus Episcopus, cujus ante omnes alios erat expectanda sententia: *Numerus*, ajunt, *episcoporum, qui Arimini congregati fuerunt, præjudicii vim habere non debet. Quandoquidem factum illud est: neque Romanorum Episcopo, cujus ante alios oportebat sententiam expectare, neque &c.* Si proinde PP. Constantinopolitani consensionem Damasi expetierunt, id præstitisse dicendum est, non quia ad finiendas controversias communem consensum desiderari crederent, sed quia Romano Pontifice abnuente ipsorum canones ex ecclesiæ regula non habendos in pretio sciebant. Et quidem, ipso referente Bossuet ex Sozomeno *lib.*6. *cap.*10. 11. & 22. cùm definisset antea Liberius Spiritum S. aliis personis esse consubstantialem, & coæqualis gloriæ, contradictores, *utpote controversiâ judicio Romana Ecclesia terminatâ, quievere, & quæstio finem accepisse videbatur.* Quomodo quæso controversiæ finis impositus visus esset post romani Pontificis definitionem, si Catholici tunc credidissent sola ecclesiarum consensione has controversias finem accipere? Nec refert iterum postea pacem Macedonianos abrupisse; neque etenim etiam post ultimum quodcumque irreformabile judicium solent hæretici conticescere.

DISSERTATIO XXXVII.

De Symbolo Constantinopolitano.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm Symbolum Constantinopolitanum semper ab Ecclesiâ receptum fuerit?

PROPOSITIO.

Symbolum Constantinopolitanum semper ab Ecclesia ut tessera Fidei receptum est.

Probatur ex Concilio Calchedonensi in Definitione Fidei. *Communi judicio*, inquit, *dogmata expellentes erroris inenarrabilem Patrum renovavimus Fidem Symbolum trecentorum decem & octo omnibus prædicantes. Et eos qui hanc veluti tesseram pietatis acceperunt, ut proprios patres etiam adscribimus; eos nimirum, qui postea in magna Constantinopoli congregati sunt centum quinquaginta, & eamdem Fidem ipsi quoque confirmaverunt.* Et infra: *Decernimus præfulgere quidem recta & immaculata Fidei expositionem Sanctorum & Beatissimorum trecentorum decem & octo Patrum, qui in Nicæa temporibus piæ memoriæ Constantini Imperatoris congregati sunt: servari autem & ea quæ apud Constantinopolim a Sanctissimis centum quinquaginta Patribus decreta sunt, ad expellendas quidem Hæreses, quæ eo tempore germinaverant, & ad confirmationem ejusdem Catholicæ & Apostolicæ nostræ Fidei.*

Probatur secundò ex Pergamio Antiochiæ Episcopo & Pisidiæ Metropolita, unà cum sibi sobditis Episcopis ad Leonem Augustum scribente: *Quomodo isti* (Ægyptii scilicet Timothei Æluri defensores) *credendi suos sopere, & tenere causam ab omni mendacio segregatam, aut divinam sapientiam salutarem, hoc est salubrem Fidem, quam præcipuè servare promittunt, dicentes in prædictis precibus suis inconcussè atque firmè & immobiliter se credere Symbolo in Nicæa civitate a sanctis trecentis decem & octo Patribus explanato, & neque augmentum, neque detractionem hoc posse recipere, neque opus habere qualibet interpretatione: centum quinquaginta verò Sanctorum Patrum Consilium ignorare se profitentes, docentesque communicare Alexandrinam Ecclesiam Ephesiis Conciliis: adjicientes & hoc quod Synodum Calchedone celebratam Ecclesia Alexandrina non recepit...... Ignoraverunt Hæreticos qui postea per diversa tempora variis languoribus sunt exorti, necnon etiam eos qui opportunè & necessariè eorum infirmitatibus saluberrima Fidei congruam obtulerunt salutaris adjutorii medicinam; sicut sanctissimi centum quinquaginta Patres infirmitati languoris Macedonii, qui divinitatem Sancti Spiritûs negavit, obtulerunt, apertè firmitatem rectæ Fidei docentes, & divinitatem unitatis inseparabiliter adorandam.*

III. Probatur ex Gelasio Pontifice Maximo in Synodo Romana, ubi inter scripta authentica, quæ Romana Ecclesia, post sacras Veteris Novique Testamenti Scripturas suscipit, recenset ac lau-

laudat *Sanctam Synodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius Hæreticus debitam damnationem excepit.*

IV. Probatur ex Libello Pœnitentiæ, quem Joanni Constantinopolitano, aliisque Grecis ex Acaciano Schismate redituris præscripsit Hormisdas Romanus Pontifex, quo inter alia sic profitebantur: *Omnibus uctis a sanctis illis quatuor Synodis, id est Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina & Calchedonensi, de confirmatione Fidei, & statu Ecclesiæ assentior, & nihil titubare de bene judicatis patior; sed & conantes usque ad unum apicem placitorum perturbare, lapsos esse a sancta Dei generali & Apostolica Ecclesia scio.*

Easdem quatuor Synodos hoc pacto professi sunt universi V. Synodi Oecumenicæ Patres; *Suscipio sanctas quatuor Synodos, & qua ab ipsis decreta eademque Fide definita sunt.*

Sextò. Probatur ex Sancto Gregorio Magno cujus adeò celebrata hæc vox: *Quatuor prima Concilia, tamquam quatuor Dei Evangelia veneror.* Inter illa porrò secundum locum obtinet Constantinopolitanum Primum, cujus hoc, de quo agimus, Symbolum est. Et lib. 6 Epistolâ 31. ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum Patriarchas, datâ, istius Synodi Decreta Fidem spectantia, in quibus utique est Symbolum, ab Ecclesia recepta esse asserit, Canones verò non approbatos. *Romana Ecclesia*, inquit, *Canones hujus Synodi non accipit; in hoc autem eamdem Synodum accipit, quòd est per eam contra Macedonium definitum: Reliquas verò Hæreses, quæ illic memoratæ sunt, ab aliis jam Patribus damnatas reprobat.*

Probatur denique ex Concilio Forojuliensi, quod a Paulino Aquilejensi, Carolo Magno Imp. congregatum est, in quo Symbolum Constantinopolitanum integrum apponitur, & Sessione 3. Concilii Tridentini, additâ tamen particulâ *Filioque*, quoad Processionem Spiritûs Sancti. In Græcis etiam Ecclesiis confiteri hoc Symbolum necesse habent Patriarchæ & Episcopi in sua inauguratione: ut constat ex Jure Græco Romano edito a Marquardo Frehero, pag. 440.

Objectio prima petitur ex Decreto Synodi Sardicensis, quod Sanctus Athanasius laudat in Epistolâ ad Antiochenos, quo sancitur, nihil ulteriùs de fide scribendum esse, Nicænam sufficere Fidem, neque aliud Symbolum edendum, *Ne illis, quibus libido est semper nova statuere, occasio suppeditaretur ut iterum atque iterum de Fide definiant.* Atqui Symbolum Constantinopolitanum Nicæno plura addidit: qua ratione ergo a Romana Ecclesia Sardicensis Concilii observantissimâ susceptum dici potest?

Respondeo, Novum bifariam dici posse Symbolum; vel novum penitus, vel explicatione novum. Vetuit itaque Synodus Sardicensis, ne Symbolum, penitus novum & alterum a Nicæno conderetur, quia illius Symboli voces, utpote divinitus inspiratas, & totius mundi reverentiâ consecratas, illibatas esse voluit, & a nullo deleri, aut deseri passa est, quasi insufficientes essent: ne Eusebianorum nova in dies cudentium Symbola temeritas, Catholicorum firmaretur exemplo. At novum explicatione Symbolum condi non prohibuit, ita ut nimirum, retentis universim Niceni Symboli capitibus & verbis, quædam, majoris explicationis gratiâ contra emergentes Hereses adderentur; quo modo Constantinopolitana Synodus contra recèns exortos Macedonii & Apollinaris errores nonnulla addidit Nicæno Symbolo.

Objectio secunda petitur ex iis quæ Episcopi Ægyptii in Concilio Calchedonensi dixerunt contra quasvis additiones Nicæno Symbolo factas sic enim Actione 1. inclamabant: *Nemo suscipit adjectionem, nemo diminutionem. Quæ in Nicæa constituta sunt, teneant, Catholicus Imperator hoc jussit.* Et rursus vocem contendentes: *Additionem*, inquiebant, *nullus suscipit: teneant quæ Patrum sunt: teneat quæ in Nicæa constituta sunt: teneant quæ de Spiritu Sancto sunt. Catholicus Imperator hoc jussit.* Ergo Symbolum Constantinopolitanum, contra quod vociferabantur, non erat universâ ab Ecclesia receptum.

Confirmatur ex Epistolâ quorumdam Episcoporum Ægyptiacæ Diœceseos ad Leonem Augustum, quæ extat ordine 24. post Concilium Calchedonense. *Quia verò*, inquiunt, *necessarium visum est, etiam spem nostram & fidem breviter vestræ Mansuetudini declarare, suggerimus, nos trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, qui in Nicæna civitate collecti sunt, & per Sanctum Spiritum sunt locuti, Symbolum atque Fidem tenere & custodire, & neque augmentum aliquod, nec imminutionem recipere. Ea namque quæ a Sancto Spiritu dicta atque conscripta sunt, fas non est aliquo modo retractare, nec augmentum aliquod nec imminutionem eis inferre, sicut scriptum est: Noli transponere terminos æternos, quos posuerunt Patres tui:* Proverb. 22. *quando neque interpretatione eget prædictorum Sanctorum Patrum Fidei Symbolum, cùm per se interpretatum sit, & clarè prædicet Mysteria pietatis. Hæc ad satisfactionem perfectam Mansuetudini tuæ suggerimus, & ita credimus, tam nos quàm Deo amantissimus Archiepiscopus noster Timotheus.* Et infra: *Quia verò vestra Pietas imperavit, quemadmodum de Synodis sapimus, nostram sententiam facimus manifestam, quoniam communicat Ecclesia Synodis in Ephesò celebratis. Synodum verò centum quinquaginta nescimus.*

Respondeo, Nihil esse mirum quòd Episcopi illi Ægyptii Constantinopolitanum Symbolum exploserint, ac soli Nicæno stare voluerint, quia Eutychetis & Dioscori partibus adhærebant: Eutyches verò in sua Fidei Professione solam Nicænam & Ephesinam Synodum admittebat, silentio damnans Constantinopolitanam; quia Nicænum Symbolum solius divinitatis Fidem certis finibus & verbis circumscripserat, Incarnationis verò Dominicæ non ita explanaverat Sacramentum. Unde cùm Ægyptii illi Antistites dixissent, *Nemo suscipit adjectionem*, &c. Orientales, & qui cum ipsis erant Reverendissimi Episcopi meritò clamaverunt: *Hæc Eutyches dixit.* Et verò, floccifaciendus esset illorum Ægyptiorum clamor, quantumvis Catholici fuissent, cùm Synodus universa Constantinopolitanum Symbolum comprobaverit, illoque Actione V. recitato, hæc de illo dixerit: *Sufficeret quidem ad plenam cognitionem & confirmationem pietatis hoc sapiens & salutare divinæ gratiæ Symbolum: de Patre enim, & Filio, & Spiritu Sancto perfectionem docet, ac Domini nostri inhumanationem fideliter accipientibus repræsentat. Sed quoniam hi qui veritatis reprobare prædicationem conantur, per proprias Hæreses novas voces genuerunt: alii quidem mysterium dispensationis Domini, quæ propter nos facta est, corrumpere præsumentes, & vocem Θεοτόκος de Virgine dici denegantes: alii autem confusionem & mixtionem introducentes, & unam naturam esse carnis & divinitatis stultè confingentes, & passibilem Unigeniti divinam naturam, per confusionem, prodigiosè dicentes, propter hoc illis omnem machinationem contra veritatem volens claudere præsens hæc sancta & magna & universalis Synodus, prædicationem hanc ab initio immobilem docens, decrevit ante omnia, Fidem integram & intemeratam permanere trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum: & confirmat doctrinam,*

nam, qua de substantia Spiritûs Sancti a Patribus centum quinquaginta postea congregatis in Regia civitate tradita est, propter illos qui Spiritui Sancto repugnabant, quam illi omnibus notam fecerunt, non quasi aliquid deesset prioribus adjicientes, sed suum de Spiritu Sancto intellectum, contra illos qui dominationem ejus respuere tentaverunt, Scripturarum testimoniis declarantes. Hæc Synodus Calchedonensis, quæ Ægyptiorum Episcoporum clamores insuperhabuit.

Quod porrò dixi, Episcopos illos ab Eutychetis & Dioscori partibus stetisse, ex ipsorum Epistolâ ad Leonem Augustum compertum est, in qua profitentur, se *communicare Synodis in Ephoso factis*: & eadem credere quæ Timotheus Ælurus in Alexandrinam Sedem ab Eutychianis intrusus, Concilii Calchedonensis infensissimus hostis.

Adversùs Ægyptiacos illos Antistites Evoptius, Cyzicenæ Provinciæ Metropolita ad Leonem Augustum ita scribit cum sua Synodo: *Dixerunt sanctam quidem Synodum in Nicæa factam se suscipere, & secundùm eorum expositionem credere: centum quinquaginta verò Reverendissimorum Episcoporum Concilium, & quod pridem Calchedone celebratum est, penitus ignorare. Unde hujusmodi sensus ostendit, quòd contrarii cultores sint Sanctorum Episcoporum, qui in toto orbe consistunt. Nam si Concilium factum contra Hæreses respuunt, quale est & sub Nectario sanctæ memoriæ in maxima civitate Regia ex diversis Provinciis congregatum; palam est quoniam illas Hæreses prohibere nolunt, sed eas potiùs amplectuntur, quas Sanctissimi Patres hæc piè constituentes, anathemati subdiderunt. Denique prima regula in eis est posita, quæ anathematizat apertis sermonibus Hæreses universas. Qui ergo hanc Synodum refutant ita sanctam ac venerandam, quam pro omnibus quidem veritas confirmavit, deinde & tantô tempore robur accepit, certum est quia non in uno capitulo sustinent scandalum, sed in multis Hæresibus languere noscuntur. Nam qui legem veritatis adjutricem refugiunt, aperti sunt veritatis ipsius inimici; quando hanc Synodum, quam se ignorare confingunt, & Proterius Deo amabilis tunc Alexandrinæ civitatis Episcopus, vir animâ venerandus, unà cum eis præsens & ipse firmavit*. Extat hæc Epistola post Concilium Calchedonense, ordine 47.

Quòd denique solemne fuerit Eutychianis Symbolum Constantinopolitanum sugillare, & Nicænum dumtaxat profiteri, constat ex Diogene Cyziceno Episcopo Actione 1. Concilii Calchedonensis, ubi in Eutychetem his verbis invehitur: *Dolose præposuit Synodum Sanctorum Patrum, quæ in Nicæa facta est. Accepit namque additamenta a Sanctis Patribus nostris, propter perversum intellectum Apollinaris, Valentini, & Macedonii, & qui eis similes sunt. Et additum est in Symbolo Sanctorum Patrum: Qui descendit, & incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine. Hoc namque prætermisit Eutyches, tamquam Apollinarista. Nam etiam Apollinaris suscepit sanctam Synodum, quæ in Nicæa facta, secundùm proprium perversitatem intelligens verba, effugit, De Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, ut ne omnino unionem carnis confiteretur. Etenim Sancti Patres, qui in Nicæa convenerunt, quòd Incarnatus est, dixerunt: Sancti autem Patres, qui post ipsos fuerunt, explanaverunt, dicentes: De Spiritu Sancto, ex Maria Virgine*.

Objicitur tertiò. Auctor libri Pontificalis scribit de Hilario Pontifice Maximo, ipsum *confirmasse tres Synodos, Nicænam, Ephesinam, & Calchedonensem*; nullâ mentione factâ Constantinopolitanæ. Simplicius etiam Pontifex Maximus, Epistolâ 5. ad Acacium Constantinopolitanum, & Felix III. Epistolâ 2. ad Leonem Augustum, tres illas dumtaxat Synodos Oecumenicas prædicant velut ab Ecclesia approbatas, & confirmatas, *Nicænam, Ephesinam, Calchedonensem*: ergo Ecclesia Synodum Constantinopolitanam, ejusque Symbolum non approbavit.

Respondeo, Nego consequens. Etenim Pontifices illi Constantinopolitanam Synodum ideò prætermiserunt, quia spectari potest, vel quoad Fidem, vel quoad Canones in illa conditos. Et quoad Canones quidem recepta non erat ab Ecclesia; unde nullam illius oportuit fieri mentionem: quoad Fidem verò, a Nicæna non discrepat, nisi penes majorem & minorem explicationem. Unde satis superque nomine Fidei Nicænæ probata est. Utrumque enim Symbolum pro uno & eodem passim habitum est ab Auctoribus Ecclesiasticis. Sic accepit Ephesina Synodus, cùm prohibuit quidquam adjicere Symbolo Nicæno: nec enim interdixit usu Symboli Constantinopolitani; in quo aliqua Nicæno a Patribus centum & quinquaginta addita sunt; sed Nicæni Symboli nomine Constantinopolitanum comprehendit. Sic accepit Marcus Ephesius in Synodo Florentina, Sessione V. ubi cùm de Nestorianis egisset, Nicænum Symbolum depravantibus, hæc subjungit: *Quo quidem, multos post annos, in tertio Concilio recitato, decretum fuit, ut in futurum mutandi Nicæni Concilii facultatem haberet nemo: utpote quod a Constantinopolitano Symbolo nequaquam in aliquo discreparet: quandoquidem hoc in illo potenteâ videbatur inclusum, ita ut ambo pro uno haberentur*. Et ibidem: *Multis profectò fortissimis constat argumentis, duo illa priora Symbola ab omnibus Conciliis generalibus pro una suscepta fuisse, præsertim a tertio: utpote quod priùs cæteris Conciliis, utrumque vidit, atque probavit. Et quamvìs toto orbe terrarum simul ambo celebrarentur; de primo tamen Symbolo Tertium, cæteraque Concilia mentionem fecere: cùm pro ipsius primi Concilii auctoritate, & existimatione, quod majore Patrum numero celebratum fuerat, quodque veluti cæterorum Conciliorum fundamentum haberetur: tum etiam, quòd ipso Nicæno Symbolo Christianorum plures, quique denuo baptizabantur, frequentiùs uterentur*. Et paulò post: *Ut boni Oratores solent in foro rebus usitatis magis inniti: ita etiam Concilium Tertium, quo Symbolo magis homines uti videbat, pro eo tantùm decrevit, atque prohibuit: cùm præsertim secundum Symbolum expositio primi, non autem ipsius aliqua mutatio fuerit*.

Nicæni etiam Symboli nomine Constantinopolitanum designavit Theodorus Lector, *Lib. 2. Collectaneorum*, ubi de Timotheo Constantinopolitano Episcopo loquens, qui anno 511. sedebat, hæc de illo refert: *Timotheus ab amicis rogatus, Symbolum Fidei trecentorum decem & octo Patrum per singulas Synaxes dici curavit: ad reprehensionem videlicet Macedonii; quasi ille Symbolum hoc non receperit; cùm antea semel tantùm in anno, in Parasceve scilicet Dominicæ Passionis tempore quo Episcopus catechizabat, recitatum esset*. Ibi per Symbolum 318. Patrum Constantinopolitanum intelligi evidens est; siquidem ad Macedonii reprehensionem editum dicitur.

Eodem modo locuti sunt posteriorum sæculorum Scriptores. Ita Magister Sententiarum, lib. 1. Distinct. 11. *Illud*, inquit, *est Symbolum quod in Missa cantatur, editum in Concilio Niceno*. Ita Alexander Alensis, Parte 3. Quæst. 69. Membro 5. *Tria sunt Symbola*, inquit, *Primum Apostolorum; secundum Patrum Nicænorum, quod canitur in Missa; tertium Athanasii*. At illud in Missa cani solitum, verè esse Constantinopolitanum certum est. Constantinopolitanum igitur Nicænumque Symbolum pro uno & eodem sumpsit. Ita

Durandus Mimatensis, *Rationalis Officiorum Divinorum*, *lib.* 4. *cap.* 25. cùm de Apostolico & Athanasiano Symbolo egisset, subjungit: *Tertium est Nicænum, quod Damasus Papa, ex constitutione universalis Synodi apud Constantinopolim celebratæ instituit*. Nicænum Symbolum vocat, quod Constantinopoli conditum est.

ARTICULUS II.

Quid Symbolum Constantinopolitanum Nicæno addiderit?

MUlta sunt quæ Constantinopolitana Synodus Nicœno Symbolo apposuit. Primò, cùm in Nicæno Symbolo esset, *omnium visibilium & invisibilium factorem*; addidit, *Cæli & Terræ*: majoris explicationis gratiâ, contra Marcionitas, & Manichæos, duorum principiorum assertores. Memoriâ proculdubio lapsus est Andreas Colossensis Florentinæ Synodi Sessione 6. cùm hæc verba *visibilium omnium & invisibilium*, in Nicæno Symbolo defuisse ait. Dicere voluit, vel saltem debuit, hæc verba, *Cæli & Terræ*, defuisse, & a Concilio Constantinopolitano fuisse adjecta.

Secundò, apposuit Constantinopolitana Synodus Nicæno Symbolo hæc verba, *Natum ante omnia sæcula*: contra Photini blasphemiam, effutientis, Verbum Divinum nequaquam æternum & substantiale esse, sed temporale & prolatitium, quòd primam originem ex utero Virginis, & in homine Christo acceperit.

Tertiò, addidit hæc verba: *De Spiritu Sancto ex Maria Virgine*: contra Hæresim Apollinaris, ut observat Marcus Ephesius in Florentina Synodo, *Sessione* 5.

Quartò, addidit hæc verba, *Crucifixus est pro nobis sub Pontio Pilato, & sepultus est*. Quorum loco in Symbolo Nicæna hæc tantum leguntur: *Passus est*. Item adjecit ista; *Sedet ad dexteram Patris*. & , *Venturus cum gloria*; & *Cujus regni non erit finis*. Postremorum autem illorum verborum adjectio contra Apollinaris de Millenario in terris Christi regno errorem facta est; necnon contra errorem Marcello Ancyrano affictum, quo asseruisse existimatus est a pluribus Christi regnum desiturum, cum tradiderit illud Deo Patri, tuncque ipsum in justorum ordinem redigendum esse.

Quintò, cùm Nicæni Patres hæc dumtaxat de Spiritu Sancto in suo Symbolo posuissent; *Et in Spiritum Sanctum*: Constantinopolitani, ad Macedonii confodiendum errorem, addiderunt, *Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum; qui locutus est per sanctos Prophetas*.

Denique addiderunt & cætera quæ in eorum Symbolo sequuntur: *Et unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum; & vitam futuri sæculi. Amen*. Hæc omnia Symbolo Nicæno adscripta non fuisse, constat ex iis qui ipsum verbis iisdem referunt, scilicet ex Sancto Athanasio in Epistola ad Jovianum Imperatorem, ex Ruffino, lib. 1. *Historiæ Ecclesiasticæ*, *cap.* 6. ex Socrate, *lib.* 1. *cap.* 8. Theodoreto, *lib.* 1. *cap.* 12. Cassiodoro, *lib.* 1. *Historiæ Tripartitæ*, *cap.* 17. Nicephoro, *lib.* 1. *cap.* 12. Item ex omnibus Conciliorum editionibus, in Concilio Nicæno; ex Gelasio Cyziceno, cap. 26. Historiæ Concilii Nicæni; ex posterioribus Conciliis, quæ utrumque Symbolum referunt, & ex Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ. Id etiam disertè testatur Concilium Forojuliense a Paulino Aquilejensi sub Carolo Magno & Pipino Principibus congregatum, & Hugo Eterianus, lib. 3. de hæresibus, quas Græci Latinis affingunt, cap. 16.

ARTICULUS III.

Unde additio vocis FILIOQUE, *ad Symbolum Constantinopolitanum? Utrùm a Damaso facta? Et de tempore hujus additamenti.*

VErba hæc (*Filioque*) Constantinopolitano Symbolo addita fuisse a Damaso in Concilio Romano, scripsit Alexius Aristenus in opere quod inscribitur; *Conspectus omnium Canonum editorum a sex Synodis generalibus, & particularibus iis, quæ tempore interjecto fuerunt*. Sed graviter hallucinatur Alexius. Si enim ea additio facta esset a Damaso, & ejus Synodo, illius certè Theodoretus in Historia sua Ecclesiastica meminisset, ubi Damasi Synodicam refert.

Secundò, quatuor post sæculis, consultus a Gallis Leo III. illam additionem improbavit; non improbaturus profectò, si a Damaso & Synodo Romana facta fuisset.

Dices. In Symbolo Damasi, quod inter Sancti Hieronymi Opera legitur, haberi hæc verba (*Filioque*). Sed falsò adscriptum huic Symbolo Damasi nomen, convenit inter eruditos.

Sunt qui Orientales in Concilio Nicæno II. quod anno 787. imaginum cultum stabilivit, hoc de processione Spiritus Sancti a Filio, addidisse Symbolo contendant. Id ex vetustissimi exemplaris fide Julianus Cardinalis Sessione 5. Concilii Florentini, & Andreas Colossensis Sessione 7. probare nitebantur; idque Historici insuper cujusdam testimonio confirmabant, quem fuisse Martinum Polonum in Chronico idem asserentem crediderim.

Sed horum assertio falsa est. Nam si istud Concilium verba (*Filioque*) Symbolo Constantinopolitano addidisset, non hoc fugisset Græcos, & aliqui saltem Codices, præter eum, quem Romani Græcis ostentabant, ita habuissent. Adde, quod maximi hac in re ponderis est, Anastasium Bibliothecarium, qui annis solùm 70. post illam Synodum floruit, eamque latinitate donavit, hoc in ea non legisse additamentum.

In Hispaniis primùm facta legitur hæc additio, in Concilio Toletano Tertio, anno Christi 589. in Toletano Quarto, anno 633. in Sexto, cap. 1. in octavo, quod anno 653. sub Recesuinto Rege celebratum est. Illam Galli quoque & Germani admisere septimo sæculo. Quo anno, incertum. Forsan in Concilio Gentiliacensi, quod anno 727. præsente Pipino Rege celebratum est: in quo Latinos inter & Græcos de Spiritus Sancti processione fuit disputatum. Cujus Concilii Rhegino Prumiensis Abbas, Ado Viennensis, Sigebertus, & Abbas Urspergensis meminerunt.

Hæc additio vires accepit in Concilio Aquisgranensi, quod anno 809. celebratum est; in quo de Spiritus Sancti processione a Filio rursus actum: cujus Concilii meminit Monachus Engolismensis Sancti Eparchii, in Vita Caroli Magni; meminerunt & veteres Francorum Annales, & Ado Viennensis, ad hunc annum.

Ex hac Synodo legatio decreta est ad Leonem III. Romanum Pontificem, cujus munus Bernario Wormatiensium, Jesse Ambianensium, Episcopis & Adalardo Corbejensi Abbati impositum est, ut de additione illa, deque cantandi Symboli instituto cum eo conferrent. Decretum Synodi de

Sancti

Sancti Spiritus a Filio processione probavit Pontifex: additionem verò istorum verborum (*Filioque*) Symbolo Constantinopolitano, probare noluit: quærentibusque Legatis num Constantinopolitani Patres rectiùs non fecissent, inferentes Symbolo suo quatuor syllabas, quibus tam necessarium Fidei sacramentum cunctis deinceps sæculis perspicuum redderetur; Pontifex respondit: *Sicut non audeo dicere, non benefecisse, si fecissent, quia proculdubio sicut cætera; quæ vel omiserunt, scienter utique, & non tam humana, quàm divina illuminati sapientia, fecerunt: ita quoque non audeo dicere, istud eos nobis minùs intellexisse, perpendisse cur dimiserunt, vel cur dimissum, ac ultra mitteretur, sicut & cætera prohibuere. Tu & tui videte quid sentiatis de vobis. Nam & ego me illis, non dico præferam: sed etiam illud absit mihi, ut coæquare præsumam.* Urgentibus Legatis utilem esse hanc additionem, Symbolique cum ipsa cantum, ut Christianæ plebes dogma Fidei doceantur, respondit Pontifex: Non esse necesse ut omnia Fidei dogmata Symbolo inserantur: non minùs Fidei dogma esse, *Filium sapientiam Deum a sapientia Deo, veritatem Deum a veritate Deo genitum esse & tamen utrumque unam sapientiam, unam veritatem essentialiter Deum esse*, quàm *Spiritum Sanctum a Filio, sicut a Patre procedere*: nec tamen Patres illud inseruisse Symbolo.

Reponentibus Legatis, decantandi morem Symboli in Gallicanas Ecclesias ex Romani Pontificis licentia introductum fuisse, respondit Leo III. *Ego licentiam dedi cantandi, non autem cantando quidpiam addendi, minuendi, seu mutandi: & ut expressius aliquid, quia vos cogitis, loquar, quamdiu vobis in hoc satisfuit, quòmodo in hujusmodi cantando, vel celebrando sacrosanctis Mysteriis Romana tenet Ecclesia, nequaquam aut nobis in talibus laborare, aut aliis laborandi occasionem necesse fuit ingerere. Quod verò asseritis, ideò vos ita cantare, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantasse, quid ad nos? Nos enim idipsum non cantamus, sed legimus; & legendo docere, nec tamen legendo aut docendo addere, quidpiam eidem Symbolo inserendo præsumimus. Quæ verò prædictis Symbolis Fidei tantùm non congruentia deesse cognoscimur, non [ut sæpe dictum est] inserere præsumimus; sed locis, temporibusve opportunis, quibus competit, ministrare curamus.*

Decernit denique Pontifex, ut expungantur hæc verba (*Filioque*) ex Symbolo Constantinopolitano, cui inserta a Gallis fuerant: tum ut cantandi morem paulatim remittant, ut Romanæ se accommodent Ecclesiæ, illud tunc temporis non decantanti. Ista constant ex Actis Collationis Legatorum illorum cum Leone III. a Smaragdo Abbate descriptis, & insertis a Sirmondo *Tom.2. Conciliorum Galliæ.*

Nec verò satis fuit Leoni III. Gallicanis, Germanisque Episcopis suadere, ut hæc verba [*Filioque*] Symbolo tunc addita delerent; sed Romæ præterea in argentea tabula Symbolum Constantinopolitanum, absque illis describi jussit. Id testatur Photius in Epistolâ ad Patriarcham Aquilejensem: *Leo junior* [inquit] *pietatis fervens zelator, ut nullo pacto barbarâ linguâ corrumperetur immaculata nostra Fidei Doctrina; Græcâ linguâ Occidentalibus sanctam Trinitatem glorificandam, & celebrandam tradidit. Et non solùm sermone & mandato id faciendum curavit; verùm etiam quibusdam ancilibus, quasi clypeis constructis, & columnis erectis, illam inscripsit, & in conspectu omnium statuens, ad Ecclesiæ valvas collocavit; ut hoc pacto facilè & incorruptè possent omnes pietatem discere.* Super altare Sancti Pauli collocatam hancce tabulam ait Sententiarum Magister, *lib.1. Distinct.11.*

Nicolai I. temporibus, qui sedebat anno 858. factam fuisse hanc additionem in Romana Ecclesia, probabilius est. Id colligitur ex Encyclicâ Photii Epistolâ ad Orientales Sedes primarias contra Nicolaum Primum scripta: *Præter illa quæ commemoravimus*, inquit, *absurda, sacrum etiam & sanctum Symbolum, cui Synodica omnia, & Oecumenica suffragia inexpugnabile robur addiderunt, adulterinis sermonibus, non sine incredibili audacia falsare aggressi sunt. O mali dæmonis machinamenta, Spiritum Sanctum non ex Patre solùm, sed etiam ex Filio procedere, vanissimè prædicantes.* Scio hanc Epistolam in Codice Collegii, quod Græci Romæ habent, adscribi Sisinnio Patriarchæ Constantinopolitano, qui ab anno 995. ad annum 999. sedit: sed unus Codex aliorum omnium fidem non evertit.

Secundò, Ratramnus Corbeiensis Monachus, lib. 2. pro Romana Ecclesia *contra Græcos*, quem Photii temporibus conscripsit, illud ipsum tamquam ab illis objectum violati Symboli crimen diluit. Postquam enim dixit, *Spiritum Sanctum a Patre procedere, & esse coadorandum*: mox ita pergit: *Dein Arianâ repullulante vesaniâ, volenteque confirmare, non esse rectæ Fidei, Spiritum Sanctum dicere a Patre procedere; hoc quia videretur esse blasphemum; quoniam duorum profiteretur Pater esse, id est, Filii, & Spiritus Sancti, hanc quoque blasphemiam propellendam decernentes Ecclesiæ Doctores, superaddidere Symbolo, Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere: ne si de Patre tantùm procedere diceretur, putaretur Filius, nec diceretur Spiritus Filii.*

Tertiò, Photium exprobrasse Nicolao I. quòd, ob additionem hujusmodi anathema incurrisset ab Ephesino Concilio latum contra eos qui Symbolo aliquid adderent, testis est Sanctus Antoninus, *Parte 3. Tit.22. cap.15. §.10.* Ad hæc momenta proculdubio non attendit Andreas Colossensis in Florentina Synodo, Sess.6. cùm ait: *Photius Romanæ Ecclesiæ inimicus acerrimus, nullam de Synodi additione faciens mentionem, in Nicolaum, ac Adrianum Summos Pontifices, literis invectus est plurimùm.* In Photiana Synodo, quæ anno 879. mortuo Ignatio legitimo Patriarcha, Constantinopoli celebrata est, quam solam Græci Oecumenicam octavam vocant, Symbolum Constantinopolitanum recitatum est, eique, citra additionem, subscriptum, conniventibus Romani Pontificis Joannis VIII. Legatis.

Cùm Nicolai I. temporibus factam esse horum verborum ad Symbolum Constantinopolitanum additionem adeò sit probabile, falsò figitur a quibusdam illius epocha Christophori Pseudo-Pontificis tempore, qui anno Christi 908. Leonem V. Sede exturbavit, & post septem menses a Sergio III. dejectus ipse est. Ac præterea, breve & turbulentum hujus Antipapæ tempus vix patitur ut hæc illi tribuatur additio. Id tamen scripsit Anonymus Græcus, cujus liber extat in Vallicellana Bibliotheca: qui & Christophorum hunc propterea ait e diptychis erasum a Sergio Constantinopolitano Patriarcha, qui Michaëlem Cerularium proximè antecessit. Hunc Auctorem laudat Vossius *Dissertat.3. de tribus Symbolis.* Nec verisimilius hanc additionem Sergio III. tribuit ipse Vossius. Licèt enim ad Gallicanos Episcopos scripserit hic Pontifex, eos ut ad confutandum Græcorum errorem de processione Spiritus Sancti a solo Patre impelleret, ut colligitur ex Oratione Hervei Archiepiscopi Remensis, quam in Concilio Suessionensi, anno 900. habuit: non sequitur tamen ut Sergius has voces [*Filioque*] primus addiderit Symbolo.

Adjectionem illam *Ab antiquioris Romæ Antistite, sanctorum plurium Episcoporum, scientissimorum-*

que Cardinalium consensu habito, factam scribit Hugo Etherianus, *lib.3. de Processione Spiritus Sancti, cap.16.* quod Opus ante millesimum ducentesimum Christi annum Constantinopoli conscripsit. Sed cùm neque Pontificem a quo facta, nec tempus quo facta est hæc additio, indigitet, nihil certi ex ejus verbis colligi potest.

Magni cujusdam *Occidentalium Concilii & Romani Pontificis* auctoritate, hanc ad Symbolum accessionem factam esse, scribit S. Thomas *I. P. Quæst.36. Art.2.* Suffragatur Andreas Colossensis pro Latinis disserens in Concilio Florentino *Sessione* 8. Sed cùm illius Synodi nec tempus designent, neque nomen, illiusque nullum extet in Historia Ecclesiastica monumentum, tantorum Virorum testimonio nihilo reddimur hâc in re doctiores.

In Concilio Lugdunensi II. sub Gregorio X. Symbolum cum additione istarum vocum (*Filioque*) a Græcis, Latinisque solemni ritu decantatum est, hâc sententiâ ter repetitâ, *Qui ex Patre Filioque procedit*. Græcis tamen indultum, quòd rogaverant, ut Symbolum suis in Ecclesiis, absque illâ additione canerent, legerent & servarent,

Tamdem in Synodo Florentina, utriusque Ecclesiæ consensu & suffragio, cùm dogma de Processione Spiritus Sancti a Patre & Filio confirmatum est, tum additio horum verborum (*Filioque*) approbata: quam tamen recrudescente statim schismate, impugnare Græci deinceps non destiterunt. An porrò jure facta sit harum vocum ad Symbolum additio, in progressu hujus Operis quæremus, ubi de Græcorum Schismate agetur.

SCHOLION.

Ad hujus Dissertationis postremum Articulum, pag.112. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Explodit Magnam Synodum Occidentalium, cujus auctoritate factam ad Symbolum additionem ait S. Thomas.*

R. Magnam illam Synodum, cujus nec tempus, nec locum, nec nomen *S. Thomas* aut alii produnt, cujus nulla extat in Historia Ecclesiæ memoria, nullum in Conciliorum Collectionibus Fragmentum, certam non esse significavi verbis satis modestis: *Tantorum virorum testimonio*, inquiebam, *nihilo reddimur hac in re certiores*. Cæterùm non unius dumtaxat, sed duarum Magnarum Synodorum, Lugdunensis nempe ac Florentinæ auctoritate, additionem vocis *Filioque* ad Symbolum confirmatam, cùm jam olim & in Hispaniensi & in Gallicana Ecclesia, quin & in Romana invaluisset, observavi. Quænam hic censoriæ animadversionis materia?

DISSERTATIO XXXVIII.

De Concilii Constantinopolitani primi Canonibus.

ARICULUS PRIMUS.

Quot Canones ediderit Oecumenica secunda Synodus.

PROPOSITIO.

TRes dumtaxat Canones ab hac Synodo editos, probabilius videtur.

Probatur primò ex Epistolâ Synodicâ illius Concilii, quod anno Christi 382. Nectario præside, celebratum est, dum Synodus Romæ ageretur. Eâ scilicet Patres referunt ad Damasum & Episcopos Occidentis decreta Synodi Oecumenicæ Constantinopolitanæ, anno superiori habitæ. Ea porrò ad tria tantùm capita revocant, scilicet ad confixas anathemate Hæreses: *Hæresibus*, inquiunt, *nuper excogitatis anathema scriptis proditum denuntiavimus*: Quod primo Canone præstitit Oecumenica Synodus: & ad Ecclesiarum administrationem secundùm Canones Nicænos dispositam. *De administrationibus*, inquiunt, *Ecclesiarum singularum, cùm vetus, ut nostis, lex obtinuit, tum Sanctorum Patrum in Concilio Nicano decisio: ut videlicet singularum Provinciarum Antistites, unà cum finitimis (modò ipsis ita visum fuerit) Episcopis, ad Ecclesiarum commodum habeant Ordinationes. Ex cujus legis & decisionis præscripto, scitote tum alias quoque Ecclesias apud nos administrari, tum illustrissimarum Ecclesiarum Sacerdotes electos.* Hæc de Ecclesiarum administratione regula secundo Canone continetur. Tertium Caput spectat Nectarii in Constantinopolitana Sede Ordinationem, Flaviani verò in Antiochena. Ordinatio porrò Nectarii Canonis tertii conditionem consecuta est, quo missa est in irritum Maximi Cynici in Constantinopolitana Sede inordinata constitutio. Secundi verò Canonis appendicem, secundùm versionem Dionysii Exigui, sive tertium Canonem, secundùm interpretationem Gentiani Herveti, silentio prætereunt hâc in Epistolâ: quem tamen supposititium non esse ex antiquis Historiæ Ecclesiasticæ Auctoribus mox evincemus. Tres itaque Canones, non plures, edidit secunda Synodus Oecumenica.

Probatur secundò ex Dionysio Exiguo, qui tres dumtaxat istius Concilii Canones recenset, ac interpretatur.

Probatur tertiò ex Sozomeno, *lib.7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.9.* ea tantùm Decreta secundæ Synodo generali tribuente, quæ tribus Canonibus ab Abbate Dionysio ex Codice Ecclesiæ Orientalis descriptis continentur. *Post hæc*, (inquit) *tam Nectarius ipse, quàm reliqui Episcopi, in unum convenientes, decreverunt ut Nicani Concilii fides rata permaneret, universæ autem Hæreses anathemate damnarentur.* Id primo Canone præstitum est: *Utque omnes ubique locorum Ecclesiæ, ex præscripto veterum Canonum regerentur; & ne Episcopi in propriis manerent Ecclesiis, ne temerè in extraneas pedem inferrent: neve in Ordinationibus nihil ad se pertinentibus invocati sese ingererent; ea verò quæ in singulis Provinciis contigissent, Synodus cujusque Provinciæ pro arbitrio suo ordinaret & constitueret. Præterea, ut post Episcopum Urbis Romæ Constantinopolitanus haberet honoris prærogativam*, &c. Quæ secundus Canon Dionysii Exigui exhibet. *Maximum item nec esse, nec fuisse umquam Episcopum decreverunt; nec Clericos, eos qui ab illo ordinati fuissent. Cuncta denique quæ sub illo, aut ab illo acta fuissent, irrita esse statuerunt.* Quod tertio Canone (secundùm versionem Dionysii Exigui) sancitum est. Nullos autem alios Canones a secunda Synodo Oecumenica editos fuisse, colligitur ex iis quæ Sozomenus statim subjungit: *Et hæc quidem*, inquit, *a Synodo constituta sunt in hunc modum: Imperator verò ea suffragio suo comprobavit.*

Sozomeno consentit Nicephorus, lib.12. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.13.

Denique Anselmus, apud Gratianum, Distinct. 16. cap.10. de secundæ Synodi Oecumenicæ Episcopis ita scribit: *Condemnatâ Macedonii Hæresi, statuerunt Canones tres, quorum maximè auctor fuit Nectarius Constantinopolitanus Episcopus.* Idipsum

Hæ-

Hermannus Contractus, *in Annalibus*, ad annum 381. refert.

Adde, septem Canones, qui in Isidori Mercatoris Collectione habentur, nihil continere præter tres illos a Socrate, & Dionysio Exiguo recensitos. Primus nempe priori ex Dionysianis respondet: Secundus, tertius, quartus, & quintus, secundum in Versione Dionysii exprimunt: Sextus, tertium. Septimus verò non est propriè Canon, sed Symbolum Fidei a centum quinquaginta Patribus editum.

Objicitur. Codex Ecclesiæ universæ lectus & probatus in Synodo Calchedonensi, septem habebat secundæ Synodi Oecumenicæ Canones. Septem quoque referunt Photius in Nomocanone, Zonaras, Balsamon, Arsenius Monachus in Synopsi Canonum. Septem leguntur in Codice Græco; quem Latinitate donatum a Gentiano Herveto Conciliorum editiones repræsentant. Alexius Aristinus octo recenset, septimo in duos diviso. Ergo plures sunt quàm tres Canones Secundæ Synodi.

Confirmator ex Nicolao I. Pontifice Maximo Epistolâ 8. ad Michaëlem Græcorum Imperatorem datâ, in quâ sextum hujus Concilii Canonem laudat. *Igitur*, inquit, *quia suspecti & inimici Judices esse non debeant, & ipsa ratio dictat, & plurimis probatur exemplis. Nam quid gratius & amabilius dare quis inimico potest, quàm si ei ad impetendum commiserit, quem lædere fortè voluerit? Quod providè Constantinopolitana Synodus Canonum suorum 6. dignoscitur prohibere capitulo. Ait autem prædictus Canon: Quoniam multi Ecclesiasticum Ordinem confundere ac subvertere volentes, amore inimicitiæ & calumniosè causas quasdam contra dispensatores Ecclesiarum Orthodoxos Episcopos confingunt ...... Placuit sanctæ Synodo Episcoporum, qui Constantinopolim concurrerunt, ne sine discussione admittantur accusatores, nec omnibus permittatur accusationes facere contra Dispensatores Ecclesiarum.* Plures igitur quàm tres Canones Concilii Oecumenici secundi Nicolaus Primus agnovit.

Respondeo ad argumentum, nego consequens. Codices enim illi & Canonum Collectores, vel interpretes, qui septem referunt Canones secundæ Synodi Oecumenicæ, alterius Concilii Constantinopolitani Canones quosdam tribus Constantinopolitanæ primæ assutos, nominis similitudine decepti confuderunt. Sed tres dumtaxat adscriptos habebat Codex Ecclesiæ Græcæ, quem Dionysius Exiguus a se versum cum Latinis communicavit. Tres tantùm Sozomenus, & Nicephorus referunt: tres dumtaxat, ex Epistolâ Synodicâ Concilii anno 382. Constantinopoli celebrati, editos fuisse colligitur. Et certè sextum Canonem in alia Synodo editum fuisse secutis temporibus, ejus verba evidenter ostendunt. *Ea de causa*, inquit *placuit sanctæ Synodo Episcoporum, qui Constantinopoli convenerunt, nec sine discussione admittere accusatores, nec omnibus eorum, qui Ecclesias administrant, accusationes permittere.* Porrò de se ipsa non ita loqueretur Synodus, sed diceret, *Placet sanctæ Synodo, vel placuit nobis.* Cùm itaque ad Episcopos olim Constantinopoli congregatos velut ad Auctores hoc decretum referatur, argumento est ipsum ut primi Concilii Constantinopolitani Canonem perperam referri. Septimum verò Simeon Logotheta non agnoscit ut legitimum secundæ Synodi Canonem, nec suæ Collectioni inserit.

Ad confirmationem respondeo, Satis innuere Nicolaum Primum, hunc a se laudatum Sextæ Synodi Canonem subdititium esse, eumque se proferre contra Græcos, qui illum secundæ Synodi nomine quibusdam Ecclesiarum suarum Codicibus adscriptum habebant, ut eos propriis armis confodiat. *Quod providè*, inquit, *Constantinopolitana Synodus Canonum suorum sexto dignoscitur prohibere capitulo: quod tamen non apud nos inventum, sed apud vos haberi perhibetur. Verùm novimus nos Apostolicis imbutum documentis, etiam sententiis ut Paganorum, quantò magis Christianorum atque Catholicorum?* Non habebatur scilicet in Codice Romanæ Ecclesiæ & Versione Dionysii Exigui. Futile porrò & falsum est, quod ait Christianus Lupus in Dissertatione de Synodo Constantinopolitanâ, cap.4. Dionysium Exiguum tres posteriores hujus Synodi Canones omisisse, quia sciebat eos a Romana, in qua degebat Ecclesiâ improbari. At enim si Canones illos ob eam rationem ex industria prætermisisset Dionysius, multò magis postremam tertii Canonis partem suppressisset, quæ Sedi Constantinopolitanæ secundum a Romana locum asserit: cùm disertè fuerit a Romana Ecclesia improbatus, & validioribus lacertis impugnatus: tres verò postremos, qui in Græca editione circumferuntur, Canones Romanæ Ecclesiæ displicuisse, nihil est in Ecclesiastica Antiquitate, quod vel leviter indicet. Quid enimverò illis in Canonibus ipsi fuisset ingratum? An quod 5. Canone de Libello Occidentalium sancitum est, & de suscipiendis illis, qui Antiochiæ unam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deitatem confiterentur? Minimè gentium. Sive enim Tomus ille seu Libellus Occidentalium sit Sardicensis Synodus, ut Zonaras & Balsamon perperam interpretantur; sive sit Fidei Professio aut Anathematismi, quos ex Concilio Romano ad Paulinum Antiochenum Damasus misit; quibus Macedoniani potissimùm & Apollinaristæ percelluntur; sive intelligatur hujus Tomi seu Libelli nomine Concilium Antiochenum, quo pacta Meletium inter & Paulinum concordia est: de quo Theodoretus, lib.5. Historiæ Ecclesiasticæ cap.3. nihil Romanis auribus ingratum Canon ille continebat. Sextus Canon, qui judiciorum Ecclesiasticorum ordinem disponit, sanctissimam continet disciplinam, & a Nicolao I. laudatam. Septimus denique quo modus recipiendi Hæreticos ad Ecclesiæ gremium ex Hæresi redeuntes præscribitur, nihil decernit quod Ecclesiam Romanam posset offendere. Non est igitur existimandum Canones illos a Dionysio Exiguo fuisse ex industria prætermissos, quod eos a Romana Ecclesia videret improbari; sed ideò omissos ab ipso fuisse censendum est, quòd in sinceris Ecclesiæ Græcæ Codicibus non haberentur; & quòd eos ad secundam Synodum Oecumenicam non pertinere judicaverit.

ARTICULUS II.

*Utrum Canon tertius * de secundo Episcopi Constantinopolitani in Ecclesia loco, & honoris primatu post Romanum, sit in secunda Synodo Oecumenica constitutus?*

* *Vel postrema pars Canonis 2. in Dionysii Exigui Versione.*

PROPOSITIO.

Contra Cardinalem Baronium, & Binium.

CAnonem tertium Concilii Oecumenici secundi commentitium ac subdititium, nec ab Oecumenica ipsa Synodo constitutum, falsò existimavit Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens.

Probatur. Canon ille non est subdititius, quem antiqui omnes Codices, Collectiones omnes antiquæ, mediæ ætatis, & posteriorum sæculorum, adscriptum habent: atqui Canonem tertium Constantinopolitani Concilii II. de secundo Episcopi

Con-

Constantinopolitani in Ecclesia loco, & honoris primatu post Romanum, omnes Conciliorum Codices, & Collectiones universæ Canonum, antiquæ, mediæ, & ultimæ ætatis, adscriptum habent. Igitur Canon ille non est subdititius.

Probatur minor. Extabat enim in Codice Ecclesiæ Orientalis, qui in Concilio Calchedonensi prolatus est, quem Viri Eruditi Codicem Ecclesiæ universæ appellant. Extat in Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ antiquissimo, & ante Dionysii Abbatis Collectionem conscripto & usurpato [ut putat qui eum cum S. Leonis Operibus edidit Quenellius.] Extat in Dionysii Collectione: nullus denique laudatur Codex in quo desideretur.

Confirmatur ex Concilio Calchedonensi Actione 16. in qua cùm lecta essent, quæ absentibus Sedis Apostolicæ Legatis statuta fuerant de Privilegiis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, secundùm Decreta 150. Episcoporum, qui congregati sunt Constantinopoli imperante Theodosio: Legati Apostolicæ Sedis Canonem Concilii Constantinopolitani, falsi non postularunt; quod præstitissent, si existimassent subdititium: Sed, ut Decretum illud eluderent, dixere, vel Orientales jus illud quærere non debere, si nusquam partum esset; vel de illo frustra esse sollicitos, si illo ad hæc usque tempora potiti essent. En verba Lucentii Episcopi, & Legati Apostolici: *Accedit ad cumulum, quòd trecentorum decem & octo Constitutionibus postpositis, centum quinquaginta, qui in Synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantùm fecisse noscuntur, qua dicunt ante octoginta prope annos constituta fuisse. Si ergo his temporibus hoc beneficio usi sunt, quid nunc requirunt? Si numquam usi sunt, quare requirunt?*

Confirmatur secundò ex S. Leone, qui in Epistolâ ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, * agnoscit illum Canonem esse secundæ Synodi, quamvis ad Apostolicam Sedem relatum, ab eaque probatum inficietur. *Persuasioni*, inquit, *tua in nullo penitus suffragatur quorumdam Episcoporum ante 60. ut jactas, annos facta subscriptio, numquamque a Prædecessoribus tuis ad nostra Sedis transmissa notitiam; cui ab initio sui caduca, dudumque collapsa, sera nunc & inutilia subjicere fulcimenta voluisti, eliciendo a Fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam injuriam verecundia fatigata praberet.* Si Canonem illum subdititium existimasset Sanctus Leo, id tam opportuna occasione, & causæ necessitate pressus, objicere Anatolio debuisset, ad illum vehementiùs exsufflandum.

* Epist. 53.

Probatur secundò ex Socrate, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 8. ubi de Concilii Constantinopolitani I. Decretis agens, ait: *Tunc etiam Decretum ab illis promulgatum esse, ut Constantinopolitanus Episcopus post Episcopum Romanum honoris prarogativam obtineret, eò quòd Constantinopolis esset junior Româ.* Ergo Canon 3. quo secundus locus in Ecclesiâ, & primatus honoris, Episcopo Constantinopolitano, post Romanum tribuitur, non est suppostitios.

Probatur tertiò ex Sozomeno, *lib. 7. cap. 9.* ubi de secundæ Synodi Oecumenicæ decretis agens, ait: ipsam decrevisse, *Ut post Episcopum Urbis Roma, Constantinopolitanus haberet honoris prarogativam, utpote qui junioris Roma Episcopatum administret. Jam tum enim Urbs illa, non solùm hanc appellationem meruerat, & Senatum, & Ordines Populi, ac Magistratus similiter habebat: verùm etiam contractus civium hujus Urbis, juxtà leges Romanorum qui in Italia sunt, judicabantur: juraque omnia & privilegia aqualia Seniori Roma possidebat.* Sic quoque Nicephorus, lib. 12. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 13.

Objicies rationes Baronii Cardinalis. Anatolius post Synodum Calchedonensem, imò in ipsâ Synodo Patriarchica jura sibi arrogans, vi Canonis 28. mox S. Leonem Romanum Pontificem sibi acerrimè adversantem expertus est. Quod si ante Constantinopolitanæ Sedi concessum fuisset ab Oecumenica Synodo secundâ, satis erat Anatolio præsentem laudare Canonem, cujus numquam vel levem saltem mentionem habuit; qui quidem Canon, si extitisset, fuisset omnino sæpe laudandus, cùm S. Leonis sibi refragantis literis tantopere urgeretur. Præterea, cùm Episcopi, qui sequenti anno Constantinopolim convenere, scripserint literas ad Damasum de rebus hoc anno 381. in Synodo gestis, nullam penitus habuere Canonis istius mentionem: qui quidem, si sancitus esset, minimè prætermittendus fuisset.

Tertiò, Hic Canon adversatur secundo Canoni. Haud igitur par est credere ab eadem Synodo esse decretum. Quonam enim modo ex præscripto Nicæni Concilii voluit sancta Synodus quibuscumque Provinciis jura sua esse servata, si in præjudicium aliarum Ecclesiarum, ubi Constantinopolitanæ tanta contulit?

Quartò. Ne Canon ille inter Constantinopolitanæ 1. Synodi Canones conscribatur, obstat silentium 150. Patrum, qui in sua ad Theodosium Augustum relatione, illius non meminere.

Quintò. Anatolius Constantinopolitanus Antistes, statim a Synodo Calchedonensi, id est, anno Christi 451. scripsit Canonem hunc editum ab annis 60. & anno sequenti ad Pulcheriam Augustam scribit S. Leo, effluxisse annos ferè 60. a conditione illius Canonis. Non est igitur conditus a Concilio Generali Constantinopolitano primo, cujus a celebratione ad tempus usque Synodi Calchedonensis, anni 70. interfluxerunt.

Respondeo ad primum; Non fuisse opus ut Anatolius Canonem illum laudaret, cùm a S. Leone urgebatur, quem apprimè noverat S. Leo, utpote in Concilio Calchedonensi laudatum. Respondeo 2. Anatolium Canonem illum protulisse, ut patet ex Epistolâ S. Leonis ad ipsum datâ, in qua his ipsum verbis compellat Sanctissimus Pontifex: *Persuasioni enim tua in nullo penitus suffragatur quorumdam Episcoporum ante 70. ut jactas, annos facta subscriptio, &c.*

Ad secundum respondeo, Mirum non esse, quòd in suâ ad Damasum Relatione, illius Canonis non meminerint Constantinopolitani Patres: cùm enim ad Pontificem scriberent subiratum, partim ob Ordinationem Flaviani in locum Meletii Antiocheni Episcopi, Paulino, altero ejusdem Ecclesiæ Episcopo, adhuc in humanis agente, contra pacta conventa: partim quòd Romam ad Concilium Generale evocati, eò se conferre recusassent, noluerunt eum Canonem ad illum referre, quem ipsi fore scirent ingratum, & majoris iræ incentivum. Præterea, verisimile est ipsos, Cyriaco, Eusebio & Prisciano Collegis suis, & ad Pontificem ejusque Synodum Legatis, in mandatis dedisse, ut Acta, Canonesque Concilii, superiori anno habiti, cum illo communicarent, si fortè possent ejus animum demulcere, sperarentque ipsum adversùs Constantinopolitanæ Sedis privilegia recentia, non vehementiùs commovendum.

Ad tertium respondeo, Canonem tertium secundo nullatenus adversari, quo sarta tecta servari jubentur aliarum Ecclesiarum privilegia: quia privilegium legem firmat; adeòque non sequitur aliarum Sedium jura convelli, etiamsi æqualibus privilegiis Constantinopolitana exornetur. Præterea constituit Canon ille, ut in limi-

tibus

tibus quos figit Diœceseon; *Orientis Episcopi Orientem tantùm gubernent, servatis privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Ecclesiæ Antiochenæ tributa sunt*. At per erectionem Sedis Constantinopolitanæ in Patriarchicam, non fuit imminutus honos Antiochenæ Sedis. Ergo Canon 3. secundo nullatenus repugnat. Imò nec fuit derogatum aliquid juribus Alexandrinæ Ecclesiæ: quia Thracica Diœcesis, cujus administratio in Constantinopolitanam transcripta est, a nullo Patriarcharum pendebat. [Quod etiam de Asiana & Pontica dicendum, quæ paulatim Regiæ Urbis Episcopo subjectæ sunt.] Hæ enim Diœceses Synodis suis commissæ, Exarchos suos venerabantur, eisque parebant: Pontica Cæsareensi, Thracica Heracleensi, Asiatica Ephesino. Unde soli Episcopo Heracleensi injuria aliqua irrogata censeri potest. Quæ tamen injuria dici non debet, cùm penes Concilium esset jus administrandi Thraciam Ecclesiam, ipsi per Nicænam Synodum quæsitum, in alium Episcopum, nempe in Constantinopolitanum transcribere. Nec Thracicæ dumtaxat, sed & Asianæ Diœceseos administratio Constantinopolitanis Episcopis concredita tunc fuit, ut patet ex Concilio Calchedonensi, in quo ubi actum est de jure Ordinationis Episcopi Ephesini, totius minoris Asiæ Metropolitani, hoc spectare ad Episcopum Constantinopolitanum proclamarunt ejusdem Constantinopolitanæ Ecclesiæ Clerici, id sibi ex hujus Synodi Canone vindicantes. Sic enim habetur, Act. 11. *Clerici Constantinopolitanæ Ecclesiæ clamaverunt: Ea, quæ Sanctorum Patrum centum quinquaginta sunt, teneant: privilegia Constantinopolis ne depereant. Ordinatio secundùm morem ab Archiepiscopo nostro fiat.*

Ad quartum respondeo, Secundæ Synodi Patres in sua ad Theodosium Imperatorem Relatione, nullum nominatim Canonem recensere, sed generatim tantùm meminisse Canonum, quos Epistolæ suæ adjunxerant. *Præterea*, inquiunt, *ad rectè constituendum & ordinandum statum & disciplinam Ecclesiarum, certos Canones statuimus: quæ omnia huic nostro scripto subjecimus.*

Ad quintum respondeo: Mendum esse in numeris. Neque enim 60. tantùm anni, ut habet S. Leonis Epistola; neque 80. ut dixit Lucentius Sedis Apostolicæ Legatus; sed 70. præcisè interfluxerant ab Eucherii & Evagrii Consulatu, sub quo celebrata est Constantinopolitana Synodus Oecumenica, ad Consulatum usque Marciani Augusti, sub quo celebrata est Calchedonensis.

ARTICULUS III.

De sensu secundi Canonis Constantinopolitani. Hunc non esse assecutum Socratem ostenditur.

SUbjiciendus primùm oculis est iste Canon, antequam ejus sensum exponamus. His conceptus est verbis in Versione Dionysii Exigui: *Qui sunt super Diœcesim Episcopi, nequaquam ad Ecclesias, quæ sunt extra præfixos sibi terminos accedant; nec eas hâc præsumptione confundant: sed juxtà Canones, Alexandrinus Antistes quæ sunt in Ægypto regat solummodò; & Orientis Episcopi Orientem tantùm gubernent, servatis privilegiis quæ Nicænis Canonibus Ecclesiæ Antiochenæ tributa sunt. Asianæ quoque Diœceseos Episcopi, ea solùm quæ sunt in Asiana Diœcesi dispensent: necnon & Ponti Episcopi ea tantùm quæ sunt in Ponto: & Thraciarum, quæ in Thraciis sunt, gubernent.*

Non vocati autem Episcopi, ultra suam Diœcesim non accedant, propter ordinationes faciendas, vel propter alias dispensationes Ecclesiasticas. Servatâ verò, quæ scripta est, de gubernationibus regulâ, manifestum est, quòd illa quæ sunt per unamquamque Provinciam, ipsius Provinciæ Synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse Concilio. Ecclesias autem Dei in barbaricis Gentibus constitutas, gubernari convenit juxtà consuetudinem, quæ est a Patribus observata.

Verumtamen Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris Primatum post Romanum Episcopum, propterea quòd Urbs ipsa sit junior Roma. De postrema illâ Canonis parte, quæ apud alios Canonum Collectores singularis est Canon, impræsentiarum non est Quæstio; hujus enim sensum articulo sequenti expendemus: Sed solùm de priori. Canon iste, priori sui parte, Diœceseon limites a Nicæna Synodo præscriptos, violandos non esse decernit: nec Episcopos in Collegarum suorum greges involare debere, sed suis circumscriptos finibus, pascere debere illum qui in ipsis est, gregem. Sed longè alio sensu ipsum exposuit Socrates, libro 5. cap. 8. *Sed & Patriarchas*, inquit, *constituerunt, Provinciarum divisione factâ, ita ut nullus Episcopus ultra propriam Diœcesim ulterius Ecclesias invaderet. Id enim antea propter persecutiones promiscuè factum fuerat. Ac Nectarius quidem Regiam urbem & Thraciæ Provincias sortitus est; Helladius verò qui Cæsareæ Cappadociæ post Basilium erat Episcopus, Pontica Diœcesis Patriarchatum obtinuit, & unà cum illo Basilii frater Gregorius Episcopus Nyssæ, quæ & ipsa urbs est Cappadociæ, & Otrejus Episcopus Melitinæ in Armenia. Asianæ autem Diœcesis Patriarchatum sortitus Amphilochius Iconii, & Optimus Antiochiæ Pisidiæ Episcopus. Ægypti Ecclesiarum administratio Timotheo Alexandriæ Episcopo attributa est. Orientis autem Ecclesiarum regimen & curam Episcopis illius regionis commiserunt, Pelagio scilicet Laodiceæ, & Diodoro Tarsi Episcopo, servatâ tamen honoris prærogativâ Antiochensi Ecclesiæ, quam quidem prærogativam Meletio tunc præsenti tribuerunt.*

Sed in pudendum errorem prolapsus est Socrates, cùm Metropoles, imò & Patriarchatus a secunda Synodo institutos fuisse scriptis prodidit: cùm trium primorum Patriarcharum jura, id est Romani, Alexandrini, & Antiocheni, antiquâ, id est, Apostolicâ consuetudine firmari dicat Nicæni Concilii Canon 6. Secundò, quomodo hæc cohærere possunt, quòd Ponticæ Diœceseos Primatus in tres Episcopos æquo jure divisus fuerit, Cæsareensem, Nicænum, ac Melitinensem? Quomodo item Asiatica Diœcesis Ephesino Episcopo addicta, Iconiensi & Antiochenæ in Pisidia adscribi potuit? Quomodo item Laodicæno & Tarsensi adjudicari potuerunt Orientales Diœceses, servatâ prærogativâ honoris Antiocheno Episcopo solidi Orientis Patriarchæ? Hallucinatus est igitur in hujus Canonis expositione Socrates.

Erroris illius causam detegit Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens Baronius, quòd nimirum Constantinopolitanum Canonem, & Theodosii Augusti Legem *de restituendis Basilicis*, insertam Codici Theodos. *L. 3. de Fide Catholica*, incautè confuderit. Fixis enim Diœceseon limitibus ad apicem Nicænorum Canonum, Theodosius persuasus quòd religionis non mediocriter interesset, ut Episcopi Hæretici ab Ecclesiis pellerentur, hanc regulam præscripsit, de Synodi sententiâ, ut ii soli Episcopi inter Orthodoxos censerentur, qui Communionis vinculo cum certis quibusdam Episcopis per unamquamque Diœcesim Lege designatis jungerentur: quos ideò præ cæteris delegit Imperator, quòd cum notæ Fidæi in-

integritate, & inculpatæ vitæ famâ religiosè suis Ecclesiis præessent. Itaque non Sedium præcipuè dignitati, sed integritati & meritis personarum concessum est, ut ab iis Episcopis, tamquam a quibusdam Capitibus, communionis jura per unamquamque Diœcesim manarent. Eò retulit Episcoporum illorum designationem Sozomenus, tacitè Socratem emendans, lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 9. *Et hæc quidem*, inquit, *a Synodo constituta sunt in hunc modum: Imperator verò ea suffragio suo comprobavit, legemque tulit, ut fides eorum qui Nicæa olim convenerant, rata esset: utque omnibus in locis Ecclesia iis traderentur, qui in trium Personarum subsistentiâ, honore, ac potestate æqualium, unam eamdemque Deitatem confiterentur Patris, ac Filii, & Spiritus Sancti. Hos autem esse definivit, qui Constantinopoli quidem communicarent cum Nectario: in Ægypto verò cum Timotheo Episcopo Alexandria: in Orientis verò Provinciis, eos qui communicarent cum Diodoro Episcopo Tarsi, & Pelagio Episcopo Laodicea in Syria: in Asiana autem Diœcesi cum Amphilochio Iconiensis Ecclesiæ Antistite: in Pontica verò Diœcesi a Bithynis usque ad Armenos, eos qui communione juncti essent cum Helladio Cæsarea Cappadocum Episcopo, & Gregorio Nyssæ, & Otreio Melitinæ: in urbibus denique Thracia, ac Scythia, eos qui cum Terentio Tomitano, & Martyrio Marcianopolis Episcopo communicarent. Istos enim tum Imperator ipse approbavit, cùm eos vidisset & allocutus esset: tum egregia de illis constabat fama, quòd Ecclesias suas sanctissimè gubernarent.*

Sed operæ pretium est hìc apponere verba Legis Theodosianæ, ut evidens fiat, utri meliùs cum eâ conveniat, an Socrati, an Sozomeno. Sic igitur Lex habet: *Episcopis tradi omnes Ecclesias mox jubemus, qui unius majestatis atque virtutis Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum confitentur ejusdem gloria, claritatis unius: nihil dissonum profanâ divisione facientes. Quos constabit communioni Nectarii Episcopi Constantinopolitana Ecclesia, Timothei necnon intra Ægyptum Alexandrina urbis Episcopi esse sociates. Quos etiam in Orientis partibus Pelagio Episcopo Laodicensi, & Diodoro Episcopo Tarsensi; in Asia necnon Proconsulari, atque Asiana Diœcesi, Amphilochio Episcopo Iconiensi, & Optimo Episcopo Antiocheno: in Pontica Diœcesi, Helladio Episcopo Cæsareensi, & Otreio Melitino, & Gregorio Episcopo Nysseno; Terentio Episcopo Scythia, Martyrio Episcopo Marcianopolis, communicare constiterit. Hos ad obtinendas Catholicas Ecclesias ex communione & consortio probabilium Sacerdotum, oportebit admitti. Omnes autem qui ab eorum, quos commemoratio specialis expressit, Fidei Communione dissentiunt, ut manifestos Hæreticos ab Ecclesiis expelli, neque his penitus posthac obtinendarum Ecclesiarum Pontificium, facultatemque permitti. Ut veræ ac Nicæna Fidei Sacerdotia casta permaneant: nec post evidentem præcepti nostri formam, maligna locus detur astutia.*

Ex hac Theodosii lege, exque Sozomeni verbis cum ipsâ collatis, patet insignis error Socratis, qui Nectarium a Synodo & Principe communionis caput per Thraciam constitutum affirmat, cùm ex Sozomeno, & legis Theodosianæ serie constet, jus communionis per Thraciam indultum esse Terentio Tomensi, & Martyrio Marcianopolitano. Nectario verò in Urbe Constantinopolitanâ, ut quidem existimavit Sozomenus. Cæterùm ex verbis legis indefinitè jus illi tribui, egregiè observat doctissimus Archiepiscopus Parisiensis Dominus de Marca: * *Quos constabit* (inquit, lex) *communione Nectarii Episcopi Constantinopolitana Ecclesia, necnon Timothei intra Ægyptum, Alexandrina urbis Episcopi sociatos*. Ex quibus patet, quòd potestas dandæ communionis delata Timotheo Episcopo Alexandrino, coërcetur intra Ægyptum: sed jus Nectarii Constantinopolitani Episcopi nullis circumscribitur limitibus. Ipsi enim jus illud per solidum Orientem competebat, ob Primatum honoris hoc in Concilio ipsi post Romanum Pontificem collatum.

* D. Marca, lib. 2. de Concord. Sacerd. & Imper. c. 3.

Secundò, patet multùm inter se distare sententiam secundi Canonis, & Theodosii legem. Canon enim (ut dixi) statuit Diœceseon limites a Nicæna Synodo præscriptos, violandos non esse: Theodosii verò lex certos in Diœcesibus Episcopos designat ad vinculum communionis, non autem ad Jurisdictionem Patriarchalem exercendam. Etenim (ut jam observavi) Pelagius Laodicensis, & Diodorus Tarsensis designantur ad communionis nexum in Oriente: cùm tamen supremus auctoritatis apex in Orientali Diœcesi ad Patriarcham Antiochenum pertineret, ex Canone Nicæno, & ex ipso Canone 2. Constantinopolitano, quo de agimus.

ARTICULUS IV.

Utrùm Canone tertio, vel secundo Concilii Constantinopolitani primi, nedum secundus honoris consessus post Romanum Episcopum; verùm etiam Patriarchica dignitas & jurisdictio in Diœceses Thracicam, Ponticam, & Asiaticam, Episcopo Constantinopolitano collata fuerit?

Extra controversiam est, secundum locum post Romanum Episcopum, quoad consessum honoris Canone laudato collatum fuisse Constantinopolitano Antistiti. Id enim saltem significant hæc verba quibus conceptus est: *Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris Primatum post Romanum Episcopum*, Secundò Lex, cujus articulo superiori meminimus, a Theodosio lata de confirmatione Disciplinæ ab ea Synodo constitutæ, Nectarium Theophilo præponit. Eodem ordine venerabilium Ecclesiarum Constantinopolitanæ & Alexandrinæ meminit Lex altera Codicis Theodosiani, ab Honorio & Theodosio lata (*De Patrociniis Vicorum L. 6. Lib. 11. Tit. 24.*) Tertiò, Synodus sub Domno Patriarcha Antiocheno celebrata, in caussa Athanasii Perrheni Episcopi, perpetuò Archiepiscopum Constantinopoleos Proclum Cyrillo Archiepiscopo Alexandrino anteponit. Quartò, Synodus Calchedonensis hunc honorem Constantinopolitano Episcopo collatum agnovit, cujus origo aliunde repeti non poterat, quàm ex eo Canone, de quo agimus. Cùm scilicet relegerentur Acta prædatoriæ Synodi Ephesinæ sub Dioscoro, quæ Flavianum Constantinopolitanum post Domnum Antiochenum, & Juvenalem Hierosolymorum collocabant, Orientales Episcopi in has exclamationes Actione 1. eruperunt. *Flavianus quare in proprio loco non sedit? Constantinopolitanum Episcopum quare quintum posuerunt? Paschasinus Reverendissimus Episcopus dixit: Ecce nos, Deo volente, Dominum Anatolium primum habemus; hi quintum posuerunt beatum Flavianum. Diogenes reverendissimus Episcopus Cyzici dixit: Quoniam vos regulas scitis.* Legatorum itaque Apostolicorum judicio, & Concilii Calchedonensis approbatione, in ipsis Concilii exordiis, secundæ Sedis honor delatus est Anatolio, ex vi Canonum Ecclesiasticorum, qui utique alii non intelligebantur hac in caosa, quàm Constantinopolitani.

Quod itaque venit in controversiam circa sensum istius, quem expendimus Canonis, id unum est,

est, utrùm Patriarchica dignitas & jurisdictio hoc fuerit collata Canone Constantinopolitano Antistiti.

PROPOSITIO.

Constantinopolitana I. Synodus, nedum secundum consessus honorem post Romanum Episcopum Constantinopolitano concessit; verùm etiam Patriarchicam dignitatem & jurisdictionem in Diœceses Thracicam, Ponticam & Asiaticam.

Probatur. Synodus illo Canone confert Episcopum Constantinopolitanum cum Romano, & ab illo secundas ipsi tribuit, propterea quòd Urbs ipsa Constantinopolis sit junior Româ: Atqui Episcopus Romanus nudum consessûs primarii honorem non habebat inter Patriarchas, sed jurisdictionem in Diœceses sibi subditas: ergo nec Constantinopolitanus merum honorem consessûs post Romanum illo Canono adeptus est, sed jurisdictionem Patriarchicam; alioqui nova Roma cum veteri non satis aptè quoad privilegia componeretur.

Probatur major ex verbis Canonis: *Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris Primatum post Romanum Episcopum, propterea quòd Urbs ipsa sit junior Româ.*

Probatur secundò ex Concilii Calchedonensis Patribus, qui Canonem secundæ Synodi Oecumenicæ ita sunt interpretati, Canone 28. *Sanctorum Patrum Decreta ubique sequentes*, inquiunt, *& Canonem qui nuper lectus est, centum & quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum agnoscentes, eadem quoque & nos decernimus ac statuimus de privilegiis Sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolis novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ Throno, quod Urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti CL. Dei amantissimi Episcopi, sanctissimo novæ Romæ Throno, æqualia privilegia tribuerunt, rectè judicantes, urbem quæ & Imperio, & Senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis, non secùs ac illam extolli ac magnificari, secundam post illam existentem: ut & Pontica, & Asiana, & Thracica Diœcesis Metropolitani soli: præterea Episcopi prædictarum Diœceseon quæ sunt inter Barbaros, a prædicto Throno Sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinentur.* Existimarunt itaque Calchedonenses Patres, Synodum secundam Oecumenicam, nedum secundum consessûs honorem post Romanum Episcopum Constantinopolitano tribuisse, verùm etiam Patriarchicam dignitatem & jurisdictionem in Diœceses Thracicam, Ponticam & Asiaticam. Sic tota Synodus Calchedonensis Canonem Constantinopolitanum intellexit, quem & suo confirmavit. Soli reclamarunt Legati Romanæ Sedis, qui tamen de sensu laudati Canonis non dissenserunt ab universis Episcopis: sed objecerunt duo: Primùm, Constantinopolitanos Canones in Synodicis non haberi; quia scilicet in Romanæ Ecclesiæ Codicem nondum relati erant, nec ab ea probati; ut qui Nicænos Canones violarent. Secundò, quòd Canoni Calchedonensi fraude circumventi Episcopi atque inviti subscripsissent, quod falsum esse singuli Patres contestati sunt. Porrò nisi is fuisset universæ Ecclesiæ notus Constantinopolitani Canonis sensus, facile fuisset Legatis Apostolicis Decretum istud & hoc nomine sugillare, quòd eum Canonem Orientales alienum in sensum detorquerent.

Probatur tertiò, ex usu Ecclesiæ, qui Canonum optimus est interpres. Nam Constantinopolitani Episcopi, qui a secunda Synodo Oecumenica ad Calchedonensem usque floruere, Patriarchicam jurisdictionem in Diœceses nominatas exercuerunt. Hujus autem origo juris non aliunde quàm a Canonibus Constantinopolitanis accersebatur. Hunc morem atque Disciplinam, selectis ex Antiquitate Ecclesiastica exemplis demonstrare non erit operosum.

Primum est Nectarii, qui controversiam inter Gabadium, & Agapium, de Bostrensi Episcopatu in Arabia, quæ Orientalis erat Diœceseos, proindeque ad Antiochenum spectabat Patriarcham, contendentes, diremit in Concilio Constantinopolitano, anno Christi 394. in eoque primo loco nominatus est ante Theophilum Alexandrinum & Flavianum Antiochenum; rem in Concilio proposuit, & Concilii Præsidem egit nemine reclamante. [Ut testantur Acta istius Concilii descripta in Jure Græco-Romano, pag. 247. & in Collectione Balsamonis, post Canones Carthaginenses, & in Labbeana Conciliorum Editione, Tomo 2.]

Alterum exemplum est ejusdem Nectarii, qui Gerontium Nicomediensem in Bithynia Episcopum, quæ Ponticæ Diœceseos Provincia erat, deponere conatus est; quod cùm perficere non potuisset, Sanctus Joannes Chrysostomus ipsum exauctoravit. Jurisdictionem igitur Patriarchicam in Diœcesi Pontica Nectarius & Chrysostomus exercuerunt: quam ipsos usurpasse nemo jure dixerit, cùm essent Ecclesiasticæ Disciplinæ & Canonum acerrimi vindices. Factum istud refert Sozomenus, lib. 8. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 6. ubi de Sancto Joanne Chrysostomo scribens, ait: *Sed & Gerontium Nicomediensi Ecclesiâ expulit. Hic enim cùm Diaconus esset sub Ambrosio Mediolanensis Ecclesiæ Episcopo, nescio quid passus, utrùm fucum facere volens, an dæmonis arte & vanis imaginibus deceptus, retulerat quibusdam, se noctu Onoscelidem comprehensam, capite raso, in pistrinum conjecisse. Quâ de causâ Ambrosius eum, utpote qui indigna Ministro Dei locutus esset, domi ad tempus manere, & pœnitentiâ expiari jusserat. At Gerontius, cùm & optimus esset Medicus ac diligentissimus, & ad dicendum ac persuadendum, parandosque amicos aptissimus, quasi Ambrosium deridens, Constantinopolim perrexit. Illic brevi temporis spatio in amicitiam quorumdam, qui in Palatio plurimùm poterant, sese insinuavit: nec multò post Nicomediensis Ecclesiæ Episcopatum adeptus est. Ordinavit autem illum Helladius Cæsareæ Cappadocum Episcopus, hanc illi gratiam referens, eò quòd suffragio suo splendidam in Palatio militiam filio ipsius comparasset. Quæ cùm didicisset Ambrosius, scripsit Nectario Episcopo Constantinopolitano, ut Gerontio Sacerdotium adimeret, nec se & Ecclesiasticam Disciplinam contumeliâ affici pateretur. Verùm Nectarius, quamvis omni studio id perficere conatus, numquam tamen obtinere potuit, universis simul Nicomediensibus ei fortiter resistentibus. Joannes verò cùm illum deposuisset, ejus loco Pansophium ordinavit.*

Respondent Viri Eruditi, Nectarium depositionem Gerontii propriâ auctoritate non tentasse, sed potestate sibi a Sancto Ambrosio Mediolanensi Episcopo demandatâ, qui cùm Gerontium jure suo repetere posset, utpote Mediolanensis Ecclesiæ Clericum, Nectarium rogavit, ut eodem jure usus, & Imperatoris gratiâ fretus, illum exauctoraret. Verùm etsi scripserit ad Nectarium Ambrosius, ut Gerontio Sacerdotium adimeret, in quod contra Canones irrepserat, non sequitur ut ipsi concesserit auctoritatem deponendi Gerontii, qui mutato statu, & ad Metropoliticæ dignitatis fastigium promotus, non suberat ampliùs Ambrosio. Sed demus Ambrosium nedum admonuisse Nectarium de criminibus Gerontii, verùm etiam judicandi provinciam ipsi demandasse: numquid eadem auctoritate Chrysostomus ipsum exauctoravit? Scripsisse Joannem ad Nectarium, illum-

que rogasse ut Gerontio Sacerdotium adimeret, Sozomenus testatur: scripsisse verò ad Joannem Chrysostomum non testatur: nec ullum antiquitatis Ecclesiasticæ monumentum probat fictitiam illam Ambrosii delegationem a Nectario in Joanneio fuisse transfusam: asseri autem gratis non debet transfusam esse, cum extraordinaria supponatur, & personæ data Nectarii, non Sedi concessa.

Respondent secundò, ex facto illo Historico non evinci, quòd probata & inconcussa fuerit Constantinopolitani Episcopi in Pontica Diœcesi auctoritas. Narrat siquidem Sozomenus, Gerontium ab Helladio Cæsareæ Cappadocum Episcopo fuisse ordinatum: quod præstare non potuisset Helladius, si Pontica Diœcesis subdita fuisset Nectario eadem conditione, quâ post Synodum Calchedonensem aliis Patriarchis Constantinopolitanis subjecta est, ut omnes Metropolitanos, cujusmodi erat Nicomediensis, auctoritate singulari ordinarent. Verùm quidni potiùs dicamus, Helladium contra Canones multipliciter peccasse, ordinando Gerontium, & jura Patriarchæ Constantinopolitani violasse, nimirum Nectarii? Quid enim de illo non suspicemur, qui humano affectu alienum Clericum ordinavit, *Hanc illi gratiam referens, eò quòd suffragio suo splendidam in Palatio Militiam filio ipsius comparasset*; ut refert Sozomenus? Quid autem simile de Joanne Chrysostomo Viro Sanctissimo, Canonumque observantissimo suspicari jure non possumus. Cùm itaque hic & Gerontium deposuerit, & ejus loco Pansophium ordinaverit, argumento est ipsum Patriarchicam Jurisdictionem & Ordinationum jura in Ponticæ Diœceseos Metropolitanos, secundum Canones obtinuisse, & exercuisse. Si enim hanc auctoritatem usurpasset Joannes Chrysostomus Episcopus Constantinopolitanus, hoc illi Nicomedienses objecissent, qui Gerontium sibi eripi ægrè patiebantur, quique nullum non moverunt lapidem ut ipsum servarent Episcopum, Pansophiumque nonnisi coacti receperunt: atqui nullatenus causati sunt auctoritatis defectum in Joanne Constantinopolitano Episcopo: argumento est itaque ipsum non temerè & contra Canones sibi arrogasse potestatem ordinandi & deponendi Metropolitanos Diœceseos Ponticæ, quorum e numero erat Gerontius Nicomediensis Episcopus. Nihil porrò hujusmodi causatos fuisse Nicomedienses, constat ex Sozomeno, loco laudato. *Itaque*, inquit, *seditionem crebriùs excitantes, tum privatim, tum publicè, Gerontii beneficia recensebant, & uberrimam utilitatem, quam ex illius arte medica percipiebant: dexteritatem denique ac sedulitatem quâ erga omnes ex æquo, tam pauperes, quàm divites utebatur. His alias quoque ejus virtutes adjiciebant, utpote amici, ac benevoli. Nec secùs ac in terræ motu aut siccitate, aut aliâ quapiam calamitate cœlitus invectâ, per plateas civitatis suæ & Constantinopolis circumeuntes psallebant, Deoque supplicabant ut illum Episcopum haberent. Tandem verò coacti, illum quidem cum luctu ac gemitibus dimiserunt: Pansophium verò cum odio ac metu susceperunt.*

Fateor quod mox ibidem subjungit Sozomenus; *Eos qui depositi fuerant & illorum necessarios, Joannem accusare cœpisse, quòd rerum novarum in Ecclesiis auctor fuisset, & contra morem institutumque Majorum, Ordinationum jura immutasset.* At injustam fuisse illam reorum querimoniam, nihilque egisse Chrysostomum adversùs Canones, colligitur ex verbis sequentibus: *Ac præ dolore animi, atque indignatione, ea quoque reprehendebant, quæ omnium judicio præclarè gesta erant a Joanne.*

Tertium exemplum est ejusdem Sancti Joannis Chrysostomi, qui tredecim Episcopos in Asia deposuit, teste Sozomeno, lib. 8. cap. 6. sexdecim ex Theophilo apud Palladium, sex ut Palladius ipse veriùs memorat in Dialogo de Vita Sancti Joannis Chrysostomi. In his erat Antoninus, contra quem Eusebius Valentinopolitanus Episcopus, congregato Concilio, libellum querimoniarum tradidit, *præposito Joannis* Constantinopolitani Archiepiscopi *nomine*. Septem capita libellus complectebatur. Gravissimum omnium erat, *Quòd pro lege ac decreto haberet Ordinationes Episcoporum vendere pro modo redituum.* Conatus primùm est Sanctus Joannes Chrysostomus accusatorem cum præsumto reo conciliare, ne fortè odio potiùs, quàm justitiæ studio litem intentaret. Id frustrà: nam pertinax in accusatione Eusebius, easdem querimonias, dato rursus libello, iteravit, *Adjurans Joannem Sacramentis horrendis, quibus salutem quoque Principum addidit*, ut istius causæ cognitionem susciperet. Antoninum vocavit Chrysostomus, crimen negavit ille. Qui numeratâ pecuniâ Sacerdotium ab ipso susceperant, interrogati, pariter negarunt. Testibus, quibus convincerentur, Constantinopoli non præsentibus, profectionem in Asiam Joannes decreverat, examen ut perficeret. Principis intercessione & auctoritate adhibita, ejus iter Antoninus, moras nectens, remoratus est. Misit tamen Joannes, ex decreto Synodi, selectos Episcopos, Synclètium Metropolitanum, Hesychium Opariensem, & Palladium Helenopolitanum, quibus inquirendi in crimen Antonini, Simoniacorumque complicum, provinciam demandavit. Ante Judicum adventum conciliatæ partes, testibus auri, vel jurisjurandi vi, silentium impositum: maximum conjectus in discrimen est accusator. Interea mortuus est Antoninus. *Continuò ex Asia, partim a Clero civitatis Ephesinæ, partim ab Episcopis, Decretum ad Joannem venit omnibus pavendo cum juramento orantibus ut periclitanti Ecclesiæ opem ferret.* His autem verbis conceptas fuisse hujusmodi preces refert Palladius: *Quoniam priori tempore confusè, & contra jura & statuta Patrum gubernati sumus, oramus Venerationem tuam, ut descendas, & formam aliquam Ephesinæ imponas Ecclesiæ diutissimè afflictæ; hinc Arianis instantibus, inde nostris cupiditati avaritiæque studentibus. Permulti enim insidiantur ut lupi graves, Sacerdotalem Sedem rapere pecuniis festinantes.* His victus precibus Chrysostomus, in Asiam perrexit. Cùm appulisset, congregatis Lydiæ, Asiæ, & Cariæ Episcopis 70. celebravit Ordinationem. Accessit vetus Antonini & sex aliorum Antistitum accusator Eusebius. Caussæ instaurata cognitio est, testes præsto fuere: confessi rei, Joannis, Synodique sententiâ fuere depositi. In eorum verò locum, Viri quibus virtutis claritas, gratiaque sermonis suffragabatur, substituti sunt.

Ex quibus colligitur, Sanctum Joannem Chrysostomum, quòd Episcopus Constantinopolitanus esset, ordinariam jurisdictionem in Asiana Diœcesi exercuisse. Enimverò si auctoritatem deponendi & ordinandi Episcopos in Ecclesiis Asiaticis usurpasset, eum judicem non agnovisset Antoninus; & ab eo pariter, tamquam a non judice sex illi Episcopi Simoniaci appellassent.

Id confirmat Theodoretus, lib. 5. cap. 28. ubi de Sancto Joanne Chrysostomo sic loquitur: *Neque verò urbem dumtaxat Regiam hujusmodi cura ac sollicitudine gubernabat, sed & universam Thraciam, & Asiam totam, Ponticam præterea iisdem legibus exornavit.*

Objicies, Episcopos, quos Sanctus Chrysostomus in Asia ordinavit, depositos postea fuisse,

teste

teste Palladio; qood probat creditum, ipsos a non habente potestatem & Jurisdictionem ordinariam, fuisse ordinatos.

Respondeo, Ipsos depositos fuisse violentiâ facti, non ordine juris, & secundùm præscripta Canonum, ut Palladius testatur. *Verùm*, inquit, *fortissimi isti, & nimiùm contentiosi, post Joannis exilium, accepto eo quod acceperunt [non enim habet malitia nomen, sicuti ne substantiam quidem] hujusmodi abjectos ante quadrienniam, in Ecclesiam revocant: pulsis illis qui legitimè fuerant subrogati, in summam ovium Christi perniciem...... Deflebit Episcoporum vesaniam, tetrâ manu Christi dona vastantiam. Quas enim eam jejunio & prece, & approbatione Cleri, ac timore, Petrus & Joannes Ordinationes faciebant, isti contra, post crapulam & ebrietatem, cum miserabilibus donis abortiva hominum ordinantes*, &c.

Quartum exemplum petitur ex facto Attici Constantinopolitani Episcopi, qui Silvanum Rhetorem Episcopum Philippopolis in Thracica Diœcesi ordinavit. Qua in Provincia cùm frigus tolcrare non posset, ab isto Episcopatu absolutus est. Troadibus postmodum venientibus Constantinopolim, quæsitum Episcopum. Troadis in Phrygia Episcopus ab eodem Attico designatus est: (ex Socrate, lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 37.) ergo Patriarchica jurisdictione in Thracica Diœcesi Constantinopolitanua Episcopus tum fruebatur.

Quintom exemplum petitur ex judicio Attici, in causâ Episcopatus Synadorum, Urbis Phrygiæ Pacatianæ, disceptata inter Theodosium & Agapetum; in qua, judicante Attico, vicit Agapetus (ex Socrate, lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 3.) Ergo Patriarchicis juribus in Asiatica Diœcesi Constantinopolitanus Antistes fruebatur.

Sextum exemplum petitnr ex controversia orta & agitata inter Metropolitanos Nicænum, & Nicomediensem in Bithynia Ponticæ Diœcescos Provincia, cui nimirum ex duobus Ecclesia Basilinopoleos subjaceret tamquam Metropolitæ, & a quo Episcopus ipsis ordinari deberet, quæ refertur & dirimitur Actione 13. Concilii Calchedonensis. Utcrque siquidem pro tuitione sui juris rescripta Pontificum Constantinopolitanorum Joannis Chrysostomi, & Procli profert, quibus constat utrumque in eam Ecclesiam Patriarchicam exercuisse potestatem. Ibidem Aëtius Archidiaconus Constantinopolitanus, Ecclesiæ suæ jura propugnans, Judices Marciani Imperatoris nomine judiciorom ordinem in sancta Synodo moderantes, sic est allocutus: *Suggerimus vestra Magnificentia, rogantes ut nullum prajudicium Constantinopolitana sanctissima Sedi fiat ex his qua nunc prosequuntur a Sanctissimis Archiepiscopis, vel qua moventur inter Dei amantissimum Episcopum Nicomediensium Eunomium, & Dei amantissimum Episcopum Nicaenum Anastasium, aut qua inter eos ordinantur. Sanctissima enim Constantinopolitana Sedes aut Ordinationem ipsa facit in Basilinopoli cum reliquis, aut eam permittit fieri, sicut literis qua fiunt, vel facta sunt sapius, ostendere possumus.*

Objices primò. Synodus Oecumenica secunda Canone 2. prohibnit ne Episcopi constitutas extra limites suos Ecclesias invaderent: simulque statutum, ut Diœceses Asiana, Pontica, & Thracica suis a Synodis regerentur: ergo Constantinopolitano Episcopo concessa non fuere jura Patriarchica in tribus illis Diœcesibus. Alioqui Canon III. cum secundo pugnaret.

Respondeo, nego consequens. Nam constituitur pariter Canone secundo mox laudato, ut Orientis Ecclesias administrent, nec tamen læditur Patriarchica Antiocheni Episcopi jurisdictio, intò sarta tecta servatur. Ita licèt decernatur, Asianam, Ponticam, & Thracicam Diæceses a suis Episcopis, & Synodis regendas, id non prohibet, quin Constantinopolitanus Episcopus jura Patriarchica in illis Diœcesibus obtineat vi Canonis tertii, hæc illi tam disertè asserentis. *Verumtamen Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris Primatum post Romanum Episcopum, propterea quòd Urbs ipsa sit Junior Româ.*

Objicies. Canon secundus Concilii Oecumenici secundi constituit administrationem Ecclesiarum secundùm Nicæni Concilii Canones: atqui Canonibus Nicænis adversatur concessio Juris Patriarchici Constantinopolitano Episcopo: Igitur Oecumenica Synodus jus illud ipsi non concessit.

Respondeo distingno Majorem. Constituit administrationem Ecclesiarum secundùm Nicæni Concilii Canones, & idem Concilium aliquid addit Nicænorum Canonum dispositioni, concedo; & nihil addit, nego. Addit nempe Primatum Episcopi Constantinopolitani post Romanum. Nego verò Minorem. Decernit quidem Nicæna Synodus ut sua Ecclesiis privilegia serventur: sed non prohibet ne conferantur nova iis quæ nondum his donatæ sunt: maximè si fiat ista concessio ab iis quorum interest. Volentibus enim non fit injuria. Porrò dignitatem & jurisdictionem Patriarchicam Diœceseon Ponticæ, Asianæ, & Thracicæ Episcopi, quorum maximè intererat, Episcopo Constantinopolitano tribuerunt Canone 3. secundæ Synodi.

Objicies tertiò. Honor primatûs non est Patriarchica jurisdictio: sed Patres Constantinopolitani Canone 3. solum primatûs honorem Constantinopolitano Episcopo tribuerunt: ergo ipsi jura Patriarchica non concessere.

Probatur maior ex Concilii Nicæni Canone 7. quo Episcopo Æliæ, seu Hierosolymorum honos tribuitur post cæteros Patriarchas; nec tamen ipsi jura Patriarchica deferuntur.

Respondeo, Nego majorem; quam non probat laudatus Nicæni Concilii Canon. Is enimverò tribuit Æliæ Episcopo *Honoris consequentiam, salvâ Metropolitano propriâ dignitate*: Quibus verbis satis patet, merum honorem consessûs post alios Patriarchas Hierosolymorum Episcopo deferri; & alioqui Ecclesiæ usus post Nicænum Concilium, usque ad Calchedonense, probat satis hujus Sedis Antistitem Patriarchica jura non obtinuisse. Contra vero se res habet de Constantinopolitano, cui secunda Synodus, absque restrictione, vel exceptione, tribuit *Honoris primatum post Romanum Episcopum, propterea quòd Urbs ipsa sit junior Roma*: & Ecclesiæ usus ac Disciplina, post Constantinopolitanam, ad Calchedonensem usque Synodum, demonstrat juribus Patriarchicis in Diœcesibus Asianâ, Ponticâ, & Thracicâ, Constantinopolitanos Antistites potitos fuisse.

Objicies quartò, ex Socrate, lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 28. *Mortuo Cyzicenorum Episcopo, Sisinius Proclum urbis illius Antistitem ordinavit. Sed dum ille eò profectionem parat, prævertentes eum Cyziceni, Dalmatiam quemdam Monastica professionis virum, sibi Episcopum constituerunt. Idque ab illis factum est contemptâ lege, quâ sancitum est, ne præter sententiam Episcopi Constantinopolitani ulla fiat Sacerdotis Ordinatio. Porrò legem istam ideò neglexerunt, quòd solius Attici personæ hæc prærogativa concessa esse videretur. Mansit igitur Proclus propria Ecclesia administratione spoliatus*. Ergo potestas ordinandi Metropolitani Cyziceni in Asiatica Diœcesi, Provinciæ Hellesponti, Attico Episcopo Constantinopolitano aliquâ lege Imperatoriâ concessa fuerat, non verò Canone Concilii Generalis, quem non insoperhabuissent Cyziceni.

Respondeo, Cyzicenos, minimè expectatâ Sisinnii sententiâ, Dalmatium Episcopum ordinasse quidem, sed præter Canones, nedum contra legem Imperatoris, quæ executionem Canonis tertii Constantinopolitani imperabat; quam Canoni, suæque auctoritati factam injuriam Sisinnius, ob pacis Ecclesiasticæ bonum, patienter tulit. Quamquam ex facto Cyzicenorum conjicere licet, illos Constantinopolitano tertio Canone constitutam non recepisse Disciplinam, & antiquos Ecclesiæ suæ mores in Ordinatione Metropolitani ab Episcopis Provinciæ retinere voluisse: a prisco usu ipsos abstrahere voluisse Imperatorem in gratiam Attici latâ lege, quæ Cyziceni Metropolitani Ordinationem ipsi vendicabat: mortuo Attico, ipsos ad antiquos mores redire voluisse: & insuperhabitâ lege, quam personale privilegium collatum Attico existimarunt, sibi ordinasse Episcopum, inconsulto Sisinnio Attici successore.

Objicies quintò. Ex Concilio Calchedonensi, Actione 11. constat Episcopos Ephesinos ab Episcopo Constantinopolitano ordinatos non fuisse, secundùm Canones & morem antiquum, sed ab Episcopis Provinciæ, & eorum ordinationem Ephesi, non verò Constantinopoli celebrari solitam. Bassiano enim & Stephano, qui de Ephesino Episcopatu contendebant, ex illius Ecclesiæ Sede dejectis, eùm de altero in eorum locum ordinando Antistite ageretur, *Asiani reverendissimi Episcopi, prostrati ante sanctissimam Synodum Patrum, dixerunt: Miseremini nostri. Nos supplicamus sancto Concilio ut misereatur filiorum nostrorum, ne fortè propter nos & propter peccata nostra moriantur, ut nobis clementia condonetur. Nam si Bassiano successorem suadeat aliquis hic ordinari, & filii nostri moriuntur, & civitas deperit.* Tum Judices ab Imperatore delegati dixerunt: *Quoniam secundùm voces sancti Concilii neque Bassianus, neque Stephanus reverendissimi, digni sunt qui in Ephesiorum civitate sint Episcopi, Asiani autem Episcopi hic reperti dicunt: Si hic ordinetur alter Episcopus, Ephesiorum conturbari civitatem: dicat sancta Synodus ubi volunt Canones Episcopum Ephesina sanctissima Ecclesia ordinari: Reverendissimi Episcopi clamaverunt: In Provincia:* Id interlocutione suâ ac suffragio confirmavit Leontius Magnesianus Episcopus. *A Sancto Timotheo usque nunc*, inquit, *viginti septem Episcopi facti, omnes in Epheso sunt ordinati. Solus Basilius violenter hic factus est, & multa cædes hinc orta sunt.* Igitur Ordinatio Ephesini Metropolitani, secundùm Canones, ad Constantinopolitanum Episcopum non spectabat. Jus itaque Patriarchicum non obtinuit vi Canonis tertii Constantinopolitani, quo de agimus, in Asiam Proconsularem, cujus Metropolis erat Ephesus.

Respondeo, Nego consequens. Quamvis enim Ephesinus Episcopus in Provincia deberet ordinari, non sequitur jura Ordinationum ad Constantinopolitanum Patriarcham non pertinuisse; quia ejus necessarius erat consensus, ejusque auctoritate & decreto, Ephesi celebrari poterat Ordinatio. Adde, non defuisse qui Leontii Magnesiani interlocutioni contradicerent, & vel Constantinopoli ordinatos, vel Ephesi cum Archiepiscopi Constantinopolitani voluntate & assensu, Ephesinos Antistites contenderent. Sic enim Philippus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbyter interlocutus est: *Sancta memoria Joannes Episcopus Constantinopolitanus quindecim Episcopos deposuit, profectus in Asiam, & pro eis alios ordinavit, & Memnon hic ordinatus est. Aetius Archidiaconus Constantinopolis dixit: Et Castinus hic ordinatus est; Heraclides, & alii cum voluntate nostræ urbis Archiepiscopi ordinati sunt. Basilium similiter beata memoria Proclus ordinavit; & beata memoria quidem Theodosius Imperator hujuscemodi Ordinationi cooperatus est, & beata memoria Cyrillus Alexandriæ Episcopus.* Denique Constantinopolitanæ Ecclesiæ Clerici unâ voce clamarunt: *Ea quæ Sanctorum Patrum centum quinquaginta sunt, teneant: Privilegia Constantinopolis ne depereant. Ordinatio secundùm morem ab Archiepiscopo nostro fiat.*

Respondeo secundò: Esto nondum fuerit inconcussa Constantinopolitani Antistitis in Asia Proconsulari, cujus Metropolis erat Ephesus, jurisdictio, non sequitur quòd in cæteris decem Asianæ Diœceseos Provinciis, quæ Vicario Præfecti Prætorio Orientis parebant, jura Patriarchica non obtinuerit, scilicet in Pamphilia, Lydia, Helesponto, Pisidia, Lycaonia, Phrygia utraque, Lycia, Caria, & Insulis.

ARTICULUS V.

Utrùm Canones Constantinopolitani a Romana Ecclesiâ recepti fuerint ac probati?

PROPOSITIO.

Canones Constantinopolitani primi Concilii, ab Ecclesiâ Romanâ recepti non fuere, ad usque Innocentii III. tempora.

Probatur ex Epistolâ 53. S. Leonis ad Anatolium: *Persuasioni enim tuæ*, inquit, *in nullo penitus suffragatur quorumdam Episcoporum ante sexaginta, ut jactas, annos facta subscriptio, numquamque a Prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam: cui ab initio sui caducæ, dudumque collapsæ, sera nunc & inutilia subjicere fulcimenta voluisti, eliciendo a Fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam injuriam verecundia fatigata præberet.* Quare in vetustissima Canonum Latinâ Collectione, quâ usam esse Romanam Ecclesiam sub Innocentii I. Zosimi, & S. Leonis Pontificatu contendit vir doctissimus, qui eam publici juris fecit, cum ejusdem sanctissimi Pontificis Operibus, Canones Synodi Constantinopolitanæ extra legitimorum Canonum corpus positi sunt. Imò & post Dionysii Exigui Collectionem, licèt ille juxta fidem Græcorum Codicum quatuor Canones Synodi Constantinopolitanæ, in tres redactos, suo loco recensuerit Ecclesia Romana, quæ cæteros Canones amplexa est, istos tamen in auctoritatem admittere noluit, teste Sancto Gregorio Magno, lib. 6. Epistola 31. *Romana Ecclesia* (inquit) *eosdem Canones* (nempe Constantinopolitanos (*vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit; in hoc autem eamdem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum.*

Probatur secundò ex Lucentio Episcopo Esculano & Sedis Apostolicæ Legato Actione 16. Concilii Calchedonensis, ubi eos Canones vocat, *Canones non conscriptos*, id est, ab Ecclesia non probatos. Et infra: *Trecentorum*, inquit, *decem & octo Constitutionibus postpositis, CL. qui in Synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantùm fecisse noscuntur.*

Ex quibus patet, his Canonibus non suffragari, quòd Codex Ecclesiæ Orientalis, in quem illi Canones relati erant, a Patribus Calchedonensis Concilii sit receptus Canone 1. Nam Canones Constantinopolitani ab Apostolica Sede in ipso Concilio Calchedonensi improbati erant: siquidem Legati Apostolici reclamarunt, *Canones illos in Synodicis non haberi.* Et præterea Romani Pontifices disertè affirmarunt post Synodum Calchedonensem, Canones Constantinopolitanos ab Eccle-

sia

sia non recipi. Quamvis igitur in Orientalibus Ecclesiis obtinerent, non tamen in Romana, nec in toto Occidente.

Difficultatem movet, quod ait Dorylæi Episcopus Eusebius, Actione 16. Concilii Calchedonensis, de 3. Canone Constantinopolitano loquens: *Sponte*, inquit, *subscripsi, quoniam & hanc regulam sanctissimo Papæ in Urbe Roma ego relegi, præsentibus Clericis Constantinopolitanis, eamque suscepit.* Asserere tamen necesse est, Eusebium deceptum esse, ipsumque fefellisse proprias aures, vel mentem Pontificis non fuisse assecutum, cùm Leo ipse contrarium afferat in Epistolâ ad Anatolium: nisi dicamus quòd Apostolica Sedes eorum Canonum executioni tacitè consentiebat, etsi disertis verbis non approbaret; eo scilicet consilio ut Constantinopolitanorum superba elatio, si quando limites egrederetur, hâc unâ exceptione reprimi posset, quam toties urget Gelasius, Ecclesiam Constantinopolitanam inter Patriarchales minimè numerari. Ita porrò Gelasius habet ad Episcopos Dardaniæ scribens: *Si certè de dignitate agitur civitatum, secunda Sedis & tertia major est dignitas Sacerdotum, quàm ejus civitatis, qua non solùm inter Sedes minimè numeratur, sed nec inter Metropolitanorum jura censetur. Nam quod dicitis, Regia Civitatis, alia potestas est Regni sæcularis, alia Ecclesiasticarum distributio dignitatum.*

Neque rursus Constantinopolitanis Canonibus suffragatur, quod in Synodo Calchedonensi Paschasinus Legatus dixit (Actione 1.) *Ecce nos Deo volente, Dominum Anatolium primum habemus: hi quidem posuerunt beatum Flavianum.* Non obstat etiam quòd in 5. Synodo Eutychius Constantinopolitanus, in 6. Gregorius, in 7. Tharasius, in 8. Sanctus Ignatius, secundum locum obtinuerint. Id enim factum est quadam Legatorum Apostolicorum œconomiâ & dissimulatione, & Imperatorum supremâ vi ac potestate: quod indicavit Liberatus Archidiaconus Carthaginensis in Breviario causæ Nestorianæ, & Eutychianæ, cap.13. cùm de tertio Canone Constantinopolitano loquens hæc habet; *Et licèt Sedes Apostolica nunc usque contradicat: quod à Synodo firmatum est, Imperatoris patrocinio permanet quoque modo.*

In Synodo tandem Lateranensi 4. sub Innocentio III. Canone 5. primus locus post Romanam Sedem Constantinopolitanæ delatus est. *Antiqua*, inquit, *Patriarchalium Sedium privilegia renovantes, sacrâ universali Synodo approbante sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, qua disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote Mater universorum Christi Fidelium & Magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum obtineant; servatâ cuilibet propriâ dignitate.*

SCHOLION I.

In Dissertationis hujus Articulo secundo, pag. 121. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Canonem tertium Concilii Oecumenici secundi commentitium ac subdititium esse, falsò existimavit Baronius.*

R. Id invictis argumentis probavi: Sed Religiosis Censoribus non placet ut Cardinalis *Baronius* refellatur in Quæstione Historica & Critica.

SCHOLION II.

Ad Articulum quartum ejusdem Dissertationis, pag.143. Editionis Primæ, Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Sancto Joanni Chrysostomo vindicat fictitiam auctoritatem deponendi & ordinandi Episcopos.*

R. *Sancto Joanni Chrysostomo* auctoritatem illam in Pontica, Asiatica & Thracica Diœcesibus vindicavi, quam ipsum exercuisse testantur *Palladius* in Dialogo de ejus Vita, & *Sozomenus* libro 8. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.6. Hanc porrò auctoritatem illum non usurpasse, quæ scilicet Constantinopolitanis Episcopis a secunda Synodo Generali collata fuerat, ostendi. An *Sanctum Joannem Chrysostomum* alieni juris pervasorem fuisse Religiosi Censores existimant?

DISSERTATIO XXXIX.

De laboribus Sancti Hieronymi in vertenda Sacra Scriptura, & de Vulgata Latina Versione.

ARTICULUS PRIMUS.

De Multiplici Latina Versione Scripturæ Sacræ.

Multas olim fuisse Scripturæ Sacræ Latinas Versiones docet Sanctus Augustinus, l.2. de Doctrina Christiana, c.2. Inter illas una erat quæ ab ipso, c.15. *Itala*, a Sancto Hieronymo in c.14. & 49. Isaiæ, *Communis & Vulgata*, a Sancto Gregorio Magno in Epistolâ ad Leandrum libris Moralium præfixa, *Vetus* appellata est; quam cæteris prætulerunt, quia [ut Sanctus Augustinus ait] *Erat verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ*. Hanc verò in Ecclesia Latina maximè in usu fuisse constat; unde nomen *Itala*, & *Vulgata* habuit: quia verò reliquis erat antiquior, *Vetus* dicebatur. Facta autem est hæc Versio ex Græca 70. & magnæ auctoritatis erat apud Ecclesias Occidentis. Hujus lectione usa Ecclesia est longè ante Sancti Hieronymi tempora, & etiam multò post usque ad tempora Sancti Gregorii Papæ.

Secundò, constat Sanctum Hieronymum multis annis antequam ad Textum Hebraicum vertendum animum appelleret, Græcam 70. Versionem Latinè transtulisse, ut lib.2. Apologiæ contra Ruffinum testatur. Ait enim se 70. Interpretes ante annos plurimos diligentissimè emendasse, & linguæ suæ studiosis dedisse, & Psalterium juxtà 70. a se emendatum, Romæ receptum esse. Eadem habet Præfatione in Paralipomena ad Chromatium, & in Epistolâ 89. ad Sanctum Augustinum. Hujus verò Versionis habemus Prophetas inter illius opera adhuc servatos. An verò Sanctus Hieronymus Latinam illam Versionem ex Græca 70. de novo ediderit, an tantùm Vulgatam & Italam emendaverit, non satis exploratum est. Probabile tamen est quosdam libros de novo vertisse, reliquos dumtaxat emendasse. De novo vertit Psalterium, ut ipse scribit in Epistolâ ad Suniam & Fretelam; librum Job, ut ex utraque Præfatione constat; & libros Salomonis, ut lib.1. adversùs Ruffinum, c.8. habetur. Reliquos solùm emendavit. Vetus illa Vulgata, non obstante nova Sancti Hieronymi Versione ex Hebræo, per ducentos ferè annos post Hieronymum in usu fuit, ut ex verbis Sancti Gregorii constat, qui utraque, tam novâ Hieronymi, quàm Vetere illa ex 70. expressa, in suis Commentariis usus est; ut ex verbis ejus in Epistola ad Leandrum libris Moralium præfixa, & ex libro 20. Moralium, cap.23. liquet: *Novam verò Translationem dissero*, inquit, *sed ut comprobationis causa exigit, nunc Novam, nunc Veterem per testimonia assumo: Ut quia Sedes Apostolica, cui Deo auctore* pra-

præsideo, utrâque utitur, mei quoque labor studii ex utraque fulciatur.

ARTICULUS II.

Quæ causa Sanctum Hieronymum ad novam Versionem adornandam impulerant?

DUæ præsertim causæ Sancti Hieronymi animum permoverunt, ut novam Versionem aggrederetur. Primò, variæ quæ in Versionem Græcam 70. & in Latinas irrepserant corruptelæ. Secundò quòd reliquæ Versiones factæ essent ab hominibus Semichristianis, & Judæis apostatis, qui in odium Fidei Christianæ multa Scripturæ loca perversâ expositione corruperant. Hieronymus ergo aliarum sphalmata Versionum animo revolvens, amicorum precibus excitatus, rem Ecclesiæ utilem se facturum existimavit, si novam Versionem ex Hebraico fonte exprimeret, quam tandem perfecit: quæ magis quàm reliquæ cum Hebræo conveniebat, illisque longè erat accuratior. Hanc fuisse consilii sui rationem sæpius ipse asserit, sed maximè Præfatione in libros Paralipomenon. *Si septuaginta Interpretum*, inquit, *pura, & ut ab eis in Græcam versa est, editio permaneret, superfluè me, Chromati Episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres, ut Hebræa tibi volumina Latino sermone transferrem. Quod enim semel aures hominum occupaverat, & nascentis Ecclesiæ roboraverat fidem, justum erat etiam nostro silentio comprobari. Nunc verò cùm pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria, & germana illa, antiquaque Translatio corrupta sit atque violata; nostri arbitrii putas, aut e pluribus judicare quid verum sit, aut novum opus in veteri opere cudere, illudentibusque Judæis, cornicum, ut dicitur, oculos configere.*

Hanc Versionem Sanctus Hieronymus non est aggressus jussu Damasi Pontificis, vel totius Ecclesiæ nomine, ut quidam putarunt. Damaso quidem charus erat, cui fuit ab Epistolis, sed juvenis erat, cùm Damaso innotuit, & post Damasum anno supra 30. vixit superstes: quo mortuo, Româ secessit Hierosolymam, & Bethleemum, ubi per quinquennium in Monasterio vixit, ut ex ejus Epistolâ 99. ad Asellam & 116. ad Paulam & Eustochium colligitur. Post hæc Barrabanum Præceptorem habuit, ut ex Epistolâ 65. ad Pammachium constat: & postea Hebraicè satis doctus, ad Versionem ex Hebræo se accinxit. Damasi quidem jussu Novum Testamentum, vel Evangelia saltem emendavit, ut ex Præfatione Evangeliorum liquet. At Veteris Testamenti ex Hebræo Versionem non potuit aggredi Damasi jussu, qui multis ante annis mortuus erat. Nec totius Ecclesiæ nomine illam confecit, cùm certum sit multos Episcopos, & inter alios Sanctum Augustinum, hanc Hieronymi operam improbasse; nec nisi multis post Hieronymi obitum annis in Ecclesias publicè receptam fuisse.

ARTICULUS III.

Quos Scripturæ Sacræ libros verterit Sanctus Hieronymus? Et an singulari Spiritus Sancti afflatu?

OMnes libros Veteris Testamenti qui ab Hebræis pro Canonicis recipiuntur, ut & libros Judith, & Tobiæ vertit, ut constat ex Præfationibus quas Libris illis præfixit. Ipse de se affirmat in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, & de illo testatur Sanctus Augustinus, Epist. 8. & 10. & lib. 18. de Civitate Dei, cap. 43. ipsum Vetus Testamensum ex Hebræo vertisse. Libros verò Sapientiæ, Ecclesiastici, Maccabæorum, Baruch, Epistolam Jeremiæ, additiones ad Esther & Danielem non vertit, quia Hebraicè non extabant. Ecclesiasticum tamen, & L. 1. Maccabæorum Hebraicè a se visum affirmat. Quater circa Psalterium laboravit 1. ex Hebræo in Latinum illud vertit, ut in Epistolâ ad Sophronium legimus. 2. Ex editione 70. Græca, quæ in Hexaplis erat sincera & integra, quam asteriscis & obelis notavit, de quâ Epistolâ 135. ad Suniam & Fretelam. 3. Ex Præfatione Psalterii ad Paulam & Eustochium, & ex Epistolâ ad Sophronium, constat ipsum bis emendasse ex editione Luciaoea, quæ Vulgata & Communis dicta est, quæ eadem erat cum 70. sed a Sancto Luciano in quibusdam correcta & emendata. Hanc prima vice emendavit, ut constat ex Epistolâ ad Sophronium: & postea iterum emendavit, additis asteriscis & obelis, ut ipse testatur in Præfatione Psalterii ad Paulam & Eustochium. Novum verò Testamentum oon de novo vertit Sanctus Hierooymus, sed tantùm emendavit: nec fortasse totum, sed sola Evangelia. Sic enim ipse in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: *Vetus Testamentum juxtà Hebraicum transtuli, Novum Græcæ Fidei reddidi*. Id verò præstitit jussu Damasi Pontificis, ut constat ex ejus Præfatione in 4. Evangelistas ad Damasum. *Novum opus*, inquit, *me facere cogis ex veteri: ut post exemplaria Scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam; & quia inter se variant, quæ sint illa quæ cum Græca consentiant veritate, decernam.*

Et infra: *Igitur hæc præsens præfatiuncula pollicetur quatuor tantùm Evangelia, quorum ordo est iste, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes: Codicum Græcorum emendata collatione, sed Veterum, quæ ne multùm a Lectionis Latinæ consuetudine discreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantùm quæ sensum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant.* Sanctus Augustinus, Epistolâ 10. hoc opus sibi acceptum esse significavit. *Proinde*, inquit, *non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium ex Græco interpretatus es: quia penè in omnibus nulla offensio est, cùm Scripturam Græcam contulerimus.* Cui respondit Hieronymus: *Si me, ut dicis, in Novi Testamenti emendatione suscipis, exponisque causam cur suscipias, quia plurimi Linguæ Græcæ habentes scientiam, de meo possent opere judicare: eamdem integritatem debueras etiam in Veteri credere Testamento, quòd non nostra confinximus, sed ut apud Hebræos invenimus, divina transtulimus.* Ubi opus quod Sanctus Augustinus Versionem vocaverat, ipse tantùm emendationem dicit.

Probabile est antiquissimam fuisse hanc Novi Testamenti Latinam Versionem, & in Ecclesia Romana ab ipsis Apostolorum temporibus in usu fuisse: cùm de nulla antiquiore aliquid legamus. Nec verisimile est Ecclesiam Latinam Latina Versione aliqoando caruisse: aut quam habuit primævis temporibus mutare voluisse, vel rejicere. Et, quæ ab antiquissimis Scriptoribus Latinis ex Novo Testamento laudantur, cum hac Versione congruunt.

Quod spectat alteram Quæstionis partem, quidam volunt Sanctum Hieronymum singulari Sancti Spiritûs afflatu Versionem illam condidisse, & eodem Spiritu dirigente & movente ab omni errore factum immunem: ita ut nec decipi potuerit, nec errorem aliquem vel levissimum vertendo commiserit. At huic assertioni repugnat ipse Hieronymus in Isaiæ, cap. 4. *Melius reor,* in-

inquit, *proprium errorem reprehendere, quàm dum erubesco imperitiam confiteri, in errore persistere, in eo quod transtuli*: Lege Oleastrum in cap. 23. Exodi; Bellarminum, lib. 2. de Verbo Dei, cap. 11. Driedonem, lib. 2. de Eccles. Script. Controv. 3. Vega, lib. 15. in Concilium Tridentinum, cap. 9. Certè cùm Vulgata Editio non sit unius Auctoris, sed quædam habeat ex Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, dici non potest ejus Auctores errare non potuisse: nisi quis dicat Theodotionem Hæreticum hominem in sua Versione adornanda fuisse a Spiritu Sancto afflatum, non secus ac Scriptores Canonicos. Nec sanè ita liberè Hieronymi incœptum in vertendo improbassent Sanctus Augustinus, aliique celebres Episcopi, si ipsum a Spiritu Sancto singulari modo in illa Versione adjutum existimassent. Quid quòd plerique Doctores Catholici fatentur errores in Vulgata Latina Versione, quam illi Hieronymi esse volunt, non tantùm fuisse ante Concilii Tridentini Decretum, sed etiam post Sixti V. & Clementis VIII. emendationes; idque non tantùm Typographorum, sed & Interpretis vitio. Sic Cajetanus in 2. Paralipom. cap. 26. Torniellus ad annum mundi 3149. Sixtus Senensis, lib. 8. Bibliothecæ ad finem, Bannes in 1. p. q. 1. Art. 8. dub. 4. Bellarminus loco laudato, & in Epistolâ ad Lucam Brugensem, Bonfrerius Præloquiorum, cap. 15. Sect. 3. & Lucas Brugensis qui multa loca collegit, quæ post correctionem Clementis VIII. adhuc emendanda videntur. Certum itaque est Sanctum Hieronymum mediis ordinariis instructum, eruditione & industriâ humana hoc opus confecisse, &, ut alios Interpretes, errori obnoxium fuisse.

ARTICULUS IV.

Quomodo suscepta sit ab Ecclesia Sancti Hieronymi Versio?

Quamvis Sancti Hieronymi Translatio ad Textum Hebraicum propiùs accederet, quàm illa Interpretum 70. plerique tamen Episcopi & Ecclesiastici Viri hoc ejus incœptum improbarunt, ut ad auctoritatem Versionis 70. convellendam & minuendam factum. Unde multis calumniis impetitus, Apologias scribere coactus est, in quibus sæpe testatus est se nihil in Versionem 70. Interpretum molitum esse, sed ex Hebræo fonte in Latinum transtulisse, ut eorum desiderio faceret satis, qui scire optabant quomodo in Hebræis Codicibus legeretur. Ruffinus in Hieronymum acriter invectus est, cui ille non sine bile respondit. *Quis*, inquit Ruffinus, lib. 2. Invectivarum, *ex tot & tantis prudentibus & sanctis viris, qui ante te fuerunt, ad istud opus ausus est manum mittere? An ut divinarum Scripturarum libros, quos ad plenissimum Fidei instrumentum Ecclesiis Christi Apostoli tradiderant, nova nunc & a Judæis mutuata interpretatione mutares?* Hæc & alia similia Hieronymo objiciebant ejus æmuli. Quibus sæpius respondet, profitendo se ne tantillum quidem auctoritati 70. Interpretum derogare voluisse, quorum Versionem divinam, & in Spiritu Sancto factam agnoscit Præfatione in Job, in Prologo Galeato, & in Apologia contra Ruffinum. Sanctus verò Augustinus hoc opus ita improbavit, ut non permiserit novam hanc Versionem per suam Diœcesim legi, & antequam perfecta esset, Hieronymum hortabatur ut ab incœpto desisteret, & in aliis operam poneret. Ita quippe ad ipsum scribebat, Epist. 10. *Ego sanè te mallem Græcas potiùs Canonicas nobis interpretari Scripturas, quæ 70. Interpretum auctoritate perhibentur. Perdurum erit enim, si tua interpretatio per multas Ecclesias frequentiùs cœperit lectitari, quòd a Græcis Ecclesiis Latinæ Ecclesiæ dissonabunt, maximè quia facilè contradictor convincitur Græco prolato libro, id est, linguæ notissimæ. Quisquis autem in eo quod ex Hebræo translatum est, aliquo insolito permotus fuerit, & falsi crimen intenderit, vix aut nunquam ad Hebræa testimonia pervenietur, quibus defendatur objectum. Quòd si etiam perventum fuerit, tot Latinas & Græcas auctoritates damnari quis ferat? Huc accedit, quia etiam consulti Hebræi possunt aliud respondere: ut tu solus necessarius videaris, qui etiam ipsos possis convincere: Sed tamen quo judice, mirum si potueris invenire. Nam quidam frater noster Episcopus, cùm lectitare instituisset in Ecclesia, cui præest, interpretationem tuam, movit quiddam longè aliter abs te positum apud Jonam Prophetam, quàm erat omnium sensibus memoriæque inveteratum, & tot ætatum successionibus decantatum. Factus est tantus tumultus in plebe, maximè Græcis arguentibus & inflammantibus calumniam falsitatis, ut cogeretur Episcopus (ea quippe Civitas erat) Judæorum testimonium flagitare. Utrùm autem illi imperitiâ, an malitiâ, hoc esse in Hebræis Codicibus responderunt, quod & Græci & Latini habebant atque dicebant: Quid plura! Coactus est homo velut mendositatem corrigere volens, post magnum periculum, non remanere sine plebe. Unde etiam nobis videtur, aliquando te quoque in nonnullis falli potuisse. Et vide hoc quale sit, in eis literis, quæ non possunt collatis usitatarum linguarum testimoniis emendari.*

Et Epistolâ 19. *De interpretatione tua*, inquit, *jam mihi persuasisti, qua utilitate Scripturas volueris transferre de Hebræis, ut scilicet ea quæ a Judæis prætermissa, vel corrupta sunt, proferres in medium. Sed insinuare digneris, peto, a quibus Judæis: utrùm ab eis ipsis, qui ante Adventum Domini interpretati sunt: & si ita est, quibus, vel quonam eorum: an ab istis posterioribus, qui propterea putari possunt aliqua de Codicibus Græcis vel subtraxisse, vel magis corrupisse, ne illis testimoniis de Christiana Fide convincerentur. Illi autem anteriores cur hoc facere voluerint, non invenio.... Ideò autem desidero interpretationem tuam de 70. ut & tanta Latinorum Interpretum, qui qualescumque hoc ausi sunt, quantùm possumus, imperitiâ careamus: & hi, qui me invidere putant utilibus laboribus tuis, tandem aliquando, si fieri potest, intelligant; propterea me nolle tuam ex Hebræo Interpretationem in Ecclesiis legi, ne contra 70. auctoritatem tamquam novum aliquid proferentes, magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures & corda illam Interpretationem audire consueverunt, quæ etiam ab Apostolis approbata est.*

Post Sancti tamen Hieronymi obitum paulatim auctoritatem ejus Versio obtinuit apud multos, qui ejus sinceritatem & cum Hebraico Textu convenientiam agnoverunt; ut apud Sanctum Augustinum, qui eâ usus est in Speculo. Ita tamen ut tum Vetus, cùm hæc nova in usu essent usque ad Sanctum Gregorium Magnum, ut constat ex ejus Epistolâ ad Leandrum Libris Moralium præfixâ. Licèt autem utrâque usus sit Gregorius, Novam tamen Veteri aliquando antetulit: libro enim 20. Moralium, cap. 3. ait, quòd nova hæc translatio, *Cuncta veriùs transfudisse perhibetur, & credendum est quicquid in ea dicitur*. De eadem Versione *Sanctus Isidorus Hispalensis*: libro *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. 12. hæc habet: *De Hebræo autem in Latinum eloquium tantummodo Hieronymus Presbyter Sacras Scripturas convertit: cujus Editione generaliter omnes Ecclesia usquequa-*

que

quo utuntur, pro eo quòd veracior sit in sententiis, & clarior in verbis. Postea hæc Versio sensim & per gradus prævaluit, tacito potiùs Ecclesiæ consensu, quàm ullius Concilii vel Pontificis Decreto, ante Synodum Tridentinam.

Causas porrò cur a Latinis Ecclesiis suscepta sit hæc Versio, istas profert Sixtus noster Senensis, lib.8. Bibliothecæ Sanctæ, ad finem. 1. Quia necessarium erat habere translationem ex Hebræo immediatè factam, quæ cum Versione 70. conferri & legi posset, ut contra Judæos meliùs fidei nostræ dogmata tueremur. Nisi enim in Textu aliquo conveniremus, numquam cum hoste decertare, vel ipsum convincere possemus. Hæc verò nova Versio Hebraico Textui verbis magis consonat, ut & sensu, quàm Græca. Judæi Christianis insultabant, dicentes non ita esse in Codicibus Hebræis, ut illi proferebant. Unde ut eorum coërceretur insolentia, Ecclesia Versionem Sancti Hieronymi ex Hebræo suscepit, quam & eo consilio Hieronymus ipse adornaverat. Ait enim Præfatione in Isaiam, se id operis suscepisse, *Ne Judæi de falsitate Scripturarum Ecclesiis diutiùs insultarent.* Secundò quia Versio 70. in multis Paraphrasis potiùs erat, quàm Versio obscura elucidans, sensum potiùs quàm verba reddens. Unde congruum erat aliam ex Hebraico ferè de verbo ad verbum cudi, quo ostenderetur nihil illos Hebraico Textui contrarium reddidisse. Præterea, post Christum, Prophetiis expletis, ex ipso rerum eventu constat longè clariùs reddi posse veteres Prophetias ad Christum & Novum Testamentum spectantes, quæ ante impletionem obscuræ erant, & ab Interpretibus nonnisi obscurè verti poterant. Hinc Sanctus Hieronymus Præfatione in Pentateuchum suam cum Versione 70. Translationem conferens, ait: *Illi interpretati sunt, ante Adventum Christi, & quod nesciebant, dubiis protulere sententiis. Nos verò post Passionem & Resurrectionem ejus, non tam Prophetiam, quàm Historiam scribimus. Aliter enim audita, aliter visa narrantur: quod melius intelligimus, meliùs & proferimus.* Tandem & hoc adjicit ex Sancto Hieronymo Præfatione in Esdram, Sixtus Senensis, hanc Versionem ipsum edidisse, eamque Latinos suscepisse, ut hoc modo *Exultantem Græciam* compescerent, & eorum fastum deprimerent, qui se Latinis in tantùm præferebant, ut dicerent nihil divinarum Scripturarum habere Latinos, quod non a Græcis mutuò accepissent. Ex his quidem causis Sancti Hieronymi Versionem recepit Ecclesia Latina, ut ad usum magis aptam. Veteris tamen Versionis nihil derogavit auctoritati.

Advertendum autem est Psalmorum Librum in Vulgata non esse ex Sancti Hieronymi Versione ex Hebræo, sed ex antiqua Versione 70. secundùm Luciani Martyris emendationem, quam semel & iterum correxit Sanctus Hieronymus, primùm Romæ cursim, deinde accuratiùs in Bethleemitico secessu cum obelis & asteriscis. Quia enim Psalmos ex quotidiano usu, & quia in Templis canebantur, etiam vulgus memoriter tenebat, ita ut mutatio sine gravi ipsius offensa fieri non posset, ideò Psalmi in Vulgata, secundùm antiquam Versionem retenti fuere. Idem etiam dicendum de plerisque libris, quos Judæi in Canonem non receperunt. Quod ad reliquos libros attinet, certum est illos majori ex parte Hieronymi Versionem spirare. Nam si quis contulerit Prophetarum Versionem Latinam ex Hebræo, quæ inter opera ejus extat, cum vulgata Latina hodierna, deprehendet in omnibus ferè ad verbum convenire, eumdemque Auctorem referre. Præterea Vulgatam ex Hebræo factam esse, non ex Græca 70. Interpretum, ipsa ubique clamat. Cum Hebræo enim ubique convenit, ipsumque magis ad verbum exprimit, quàm Textus Græcus. Certum verò est nullum fuisse post Sanctum Hieronymum ad nostra usque tempora (ad Sanctem Pagninum usque) qui Biblia ex Hebræo in Latinum transtulerit. Pleraque etiam, quæ in antiqua Versione defuerunt, quæque ex Hebræo se supplevisse dicit S. Hieronymus in sua Versione, exprimuntur in Vulgata, ut illud Oseæ 11. v.1. *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Et illud Zachariæ 12. *Videbunt in quem transfixerunt.*

Pleraque etiam quæ in antiqua Vulgate aliter legebantur ac in Hebræo, observante Sancto Hieronymo, eodem modo hodie leguntur in Vulgata ut in Hebræo & ut legenda censuit Sanctus Hieronymus, ut Genesis 2. v.2. ubi vetus Editio ex Græca legebat: *Complevit Deus die sexto opus suum*; monuit S. Hieronymus, secundùm Hebraicum Textum legendum esse, *die septimo*: & v. 21. pro *extasim* vertit Hieronymus *soporem*, Genes.5. in annis παιδογονίας Patriarcharum Vulgata cum Hebræo convenit, non cum Septuaginta, Genes.35. v. 16. pro *Hippodromum*, vertit *verno tempore*. Jonæ 4. v. 6. pro *Cucurbitam*, vertit *Hederam*. At verò in omnibus istis locis, ut in aliis multis, Vulgata lectioni Sancti Hieronymi consona est, Videatur Sanctus Hieronymus, Epistolâ 89. ad Augustinum.

Certum est nihilominus Vulgatam Versionem in omnibus non esse Sancti Hieronymi. Nam præter Psalmos, & ea quæ ex veteri Vulgata, vel ex Theodotione addidit, ut in Additionibus ad Estheram & Danielem videre est, etiam in reliquis libris multa occurrunt, quæ Hieronymi non esse cuilibet clarum est. Nam in multis convenit cum Veteri Vulgata, sive Septuaginta, ubi Versio Septuaginta ab Hebræo differt: sæpe cum Theodotione, Symmacho, Aquila. Sæpissimè etiam aliter habet quàm Hieronymus in operibus suis vertendum censuit. Unde puram S. Hieronymi Versionem non esse, sed mixtam, facilè colligitur. Ipse enim sæpius profitetur se secundùm Hebraicam veritatem transtulisse. Sæpe etiam inculcat quòd ipsum primùm ad novam Versionem impulerit discrepantia Septuaginta ab Hebræo. Unde vix credibile est ipsum alicubi sponte ab Hebræo discessisse. In Prologo Galeato scribit, quòd sibi omnino conscius non sit mutasse se quidpiam de Hebraica veritate: imò ad Judæos provocat, ut testentur num fideliter ex Hebræo verterit. Præfatione in Esdram & Nehemiam: *Quid*, inquit, *Interpretem laniant? Interrogent Hebræos, & ipsis auctoribus Translationi meæ arrogent, vel derogent fidem.* Idem testatur Præfatione in Esther. *Tenenter*, inquit, *Esther Hebraicum librum, per singula verba nostram Translationem aspicite, ut possitis agnoscere, me nihil etiam augmentasse addendo, sed fideli testimonio simpliciter, sicut in Hebræo habetur Historiam Hebraicam Latina Lingua tradidisse.* At sæpe relicto Hebræo Vulgata sequitur Septuaginta, ut plurimorum locorum collatione perspicuum est. Genes.4. v.8. verba illa *Egrediamur foras*, non sunt in Hebræo, quæ tamen habet Vulgata unà cum Septuaginta. Genes.8. v.7. in Hebræo legitur: *Corvus exibat exeundo & redeundo.* At legit Vulgata cum Septuaginta, *Egrediebatur & non revertebatur.* Genes.4. v.5. Hebræus Textus habet: *Propterea quicumque occiderit Cainum.* At Vulgata cum Septuaginta, Symmacho & Theodotione vertunt: *Nequaquam id fiet*, 1. *Regum* 9. v.24. addit Vulgata ex Septuaginta verba hæc quæ non sunt in Hebræo, *Stravitque Saül in*

so-

folario suo & dormivit. Job. 1. v. 21. desunt in Hebræo hæc quæ Versio 70. & Vulgata habent: *Sicut Domino placuit, ita factum est*. Threnorum 3. v. ultimo, in Hebræo legitur: *Dabis ipsis obfirmationem cordis, maledictionem tuam eis*. Vulgata & Septuaginta legunt, *Laborem tuum*. Ezech. 34. v. 16. Hebræus habet: *Robustum & pingue perdam*. Vulgata ex Septuaginta, *Custodiam*. Multa hujusmodi proferri possunt, ubi relicto Hebraico Textu Vulgata sequitur Septuaginta: Unde Bellarminus etiam fatetur Editionem Vulgatam mixtam esse ex Sancti Hieronymi, veteris Vulgatæ, & Theodotionis Editionibus [lib. 2. de Verbo Dei, cap. 11.]

Quædam addi possunt in qoibus Sanctus Hieronymus in Commentariis & Tractatibus, aliter ex Hebræo vertit, vel vertendum censet, quàm in Vulgata legitur. Genes. 1. v. 2. legit Vulgata: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Sanctus Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis docet verteodum, *incubabat*. Genes. 3. v. 8. Vulgata legit, *Ad auram post meridiem*; Hieronymus vult legendum, *Ad vesperum*. Genes. 4. v. 4. legit Vulgata, *Respexit Dominus ad Abel & munera ejus*. Hieronymus Theodotionis Versionem præfert, qoi vertit: *Et inflammavit Dominus super Abel & super sacrificium ejus*. Sic in plurimis aliis locis. Vide Morinum Exercit. 6. Bibl. cap. 11. Sect. 7. Id evidenter colligitur ex Sancti Hieronymi Commentariis, quorum in variis locis aliter vertit, addit, vel subtrahit quàm antea in Translatione fecisset. Præter hoc etiam Vulgata quædam addit, quæ non sunt in Hæbræo, quædam transponit aliter ac in Hebræo: quæ omnino ostendunt Auctorem Hebræos Codices ad amussim non secutum, cùm tamen Sanctus Hieronymus profiteatur se ad verbum, quantùm fieri potetat, ex Hebræo transtulisse. Additionum exempla habemus Ecclesiastici 9. v. 2. ubi in Hebræo legimus: *In omnibus idem eventus, bono & puro, & impuro*, Vulgata legit, *bono & malo, puro & impuro*. Isaiæ 11. v. 36. additur in Volgata, *In solitudine*: Item nomen Civitatis. *Misor*, quæ hon sunt in Hebræo. Omissionis hæc inter alia sunt exempla. Genes. 40. v. 32. Versiculus qui est in Hebræo, omittitur in Vulgata scilicet, *Possessio agri & spelunca quæ est in eo ex Filiis Heth*. Ruth. 2. v. 19. ad finem hæc verba sunt in Hebræo. *Ipse est vindex noster*: quæ in Vulgata desunt. Threnorum 1. v. 12. desunt hæc verba, *An non ad vos*, quæ sunt in Hebræo. Transpositionis hoe exemplum esto: Oseæ 12. v. 13. & 14. in Hebræo sic legimus: *In utero supplantavit fratrem, & in robore suo dominatus est Deo, & dominatus est Angelo, & prævaluit*. Vulgata verò ita legit & invertit: *In fortitudine sua directus est cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus est*. Ex his verò aliisque locis, quæ proferri possunt, colligitur Vulgatam non esse puram Sancti Hieronymi Versinnem, sed ex Hieronymi & aliorum, maximè verò ex Vulgata veteri mixtam. Hæc verò magis confirmantur ex Canone Hebraicæ Veritatis, quæ prima pars est *Divinæ Bibliothecæ Sancti Hieronymi* editæ a Monachis Benedictinis Congregationis Sancti Mauri.

ARTICULUS V.

Utrùm, & quo sensu Vulgata Versio sit authentica?

VUlgatam versionem authenticam decernit Tridentina Synodus Sess. 4. cap. 2. *Insuper*, inquit, *eadem Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis Editionibus quæ circumferuntur Sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & Vulgata Editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis Lectionibus, Disputationibus, Prædicationibus & Expositionibus, pro authentica habeatur; ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat*.

Ideò verò authentica dicitur, quia nihil contioet fidei & bonis moribus repugnans; & quia certa est regula Fidei prout ab Ecclesia probata est, & in quantum cum originario Textu convenit. Non sic verò authentica dicitur, quasi fontibus Hebraicis vel Græcis præferenda, aut etiam coæquanda. Latinis itaque Versionibus cæteris dumtaxat Vulgatam nostram præfert Synodus Tridentina, relictis Textibus originariis eodem in statu quo priùs erant. Vide Bellarminum, lib. 2. de Verbo Dei, cap. 10. Serrarium, Prolegomenon, c. 19. Quæst. 11. Conclus. 1. Salmeronem qui Concilio interfuit, Prolegumeno 3. *Nihil*, inquit, *de exemplaribus Græcis vel Hebræis agebatur: tantùm inter tot editiones Latinas, quas sæcula nostra parturierant, quænam ex illis præstaret, sermo erat. Liberum autem reliquit omnibus qui Scripturas Sacras profundiùs meditantur, fontes Græcos, aut Hebræos, quatenus opus sit, consulere, quo nostrum vitio Librariorum, aut temporum injuriâ corruptum, emendare valeant. Licebit itaque nobis salva Concilii auctoritate, sive Græci, sive Hebræi Exemplaris lectionem variam producere, eamque ut verum Bibliorum Textum expendere, & enarrare: nec tantùm bonos mores per eam ædificare: verùm etiam fidei dogmata comprobare & stabilire; atque adeò ab illis sumere efficax argumentum, tamquam ex Textu Scriptura Sancta*. In eamdem sententiam conspirant Mariana Tractatu de Editione Vulgata, in Epistolâ ad Sanderum, & Sanderus ipse lib. 2. de Visibili Monarchia, ad ann. 1541. Azorius libro 8. Moralis cap. 3. q. 2. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei, cap. 11. Driedo lib. 2. cap. 1. Vega lib. 15. cap. 9. Serrarios, Prolegomenon cap. 19. Sixtus Senensis, libro 8. Biblinthecæ Sanctæ. Vega, qui Concilio Tridentino interfuit, testatur Patres, cùm Vulgatam authenticam pronuntiarent, nihil aliud significare voluisse, quàm nullo eam deformatam errore existere, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & moribus colligi posset: testemque laudat Cardinalem a Sancta Cruce Pontificis tunc Legatum, postea Pontificem Maximum Marcellum II. appellatum, a quo pridie quàm Decretum hoc ederetur, se illud accepisse dicit, & postea non semel confirmantem audivisse. Sic referunt Mariana, cap. 20. & 23. de Vulgata Versione, & Serrarius, qui addit, *Hoc scripsisse Vegam, cùm Cardinalis ille superstes esset, possetque de re tota interrogari*.

Idem etiam constat ex P. Jacobo Laines Præposito Generali Societatis Jesu, qui etiam Concilio interfuit. Unde colligit Serrarius, *Auctoritatem quæ a Concilio tribuitur Vulgatæ Versioni, non esse infinitè accipiendam, sed definitè, certis cum modificationibus*, quas ibi recenset.

Idem colligitur ex eo quòd viri inter Catholicos etiam Theologos doctissimi contendant, post Sixti V. & Clementis VIII. Editiones, errores multos adhuc inemendatos superesse, eosque ipsius Interpretis. Sic Bellarminus, lib. 2. de Verbo Dei, cap. 11. Bonfrerius Præloquiorum, cap. 15. Sect. 3. Simeon de Muis, de Veritate Editionis Hebraicæ, aliique passim. Bellarminus verò in Epistolâ ad Lucam Brugensem hæc habet: *Si videro Textum ipsum certò in melius alicubi posse mutari, si-*

gnificabo id Summo Pontifici, & Cardinalibus deputatis. Sed tu ipse planè vides, non facilè hujusmodi mutationes in Sacro Textu esse faciendas: quamvis utilissimum sit ut viri docti tum de variis lectionibus, tum de judicio peritorum hominum tui similium admoneantur. Idem postquam viderat Lucæ Brugensis libellum de Correctionibus Romanis, ita ad ipsum scribit: *De libello ad me misso, gratias ago. Sed scias velim Biblia Vulgata non esse a nobis accuratissimè castigata. Multa enim de industria justis de causis pertransivimus, quæ correctione indigere videbantur.*

At omni exceptione majora sunt ipsius Clementis VIII. Pontificis verba in Diplomate Præfationi suæ Editionis emendatæ præfixo. *In hac*, inquit, *Vulgata Editione visa sunt nonnulla mutanda, quæ consultò mutata non sunt.*

Affirmat quidem Sixtus V. in Bulla suæ Editioni præfixa, omnia emendatissimè prodire. *Et*, inquit, *quo res magis incorruptè perficeretur, nostra nos ipsi manu correximus, si qua prælo vitia obrepserant.* Omnesque Bibliorum Codices sancit juxtà suum exemplar in posterum imprimendos esse, ne minimà quidem particula addita, mutata, vel detracta; alia verò omnia exemplaria ut ad hoc emendentur: Aliàs nullius fidei & auctoritatis fore: idque sub pœna excommunicationis majoris. Sic quidem Sixtus V. post cujus Editionem existimabant omnes se habuisse Biblia castigatissima, & omnibus erroribus repurgata. Ecce tamen vix elapso biennio post Sixti mortem, Clemens VIII. novam Editionem aggressus est, in qua plurimos errores, qui in Sixtina editione remanserant, emendavit; non tantùm qui Typographi vitio irrepserant; sed etiam alia multa de industria mutata & correcta invenimus; quæ a Thoma Jamesio Bibliothecario Bodleiano, in singulari libro de earum editionum differentiis edito, qui inscribitur, *Bellum Papale*, ad duo millia recensentur; quæ in editione Sixti V. ab ipso contra Codices Hebræos & Græcos Pontificio Diplomate confirmata, Clemens VIII. ejus successor auctoritate sua sustulit, & secundùm Textus Originarios reformavit. Sixtinus Amama, *Antibarbari* libro 1. cap. 8. specimina multa ex Jamesio collegit tum vocum & sententiarum, quas a Sixto malè omissas Clemens bene restituit; tum aliarum quas a Sixto malè interpolatas Clemens benè expunxit; tum contrarietatum inter utrasque editiones; item discrepantiarum in numeris; tum denique manifestam differentiam in locis ex industria mutatis, quæ ad Præli vitia referri non possunt.

Quòd verò Vulgata non eo sensu sit authentica, quasi æqualis cum Textu Primitivo auctoritatis, duæ maximè rationes probant. 1. Quia Versionem hoc sensu authenticam facere, non est in Ecclesiæ potestate, sicut nec Librum facere Canonicum; sed tantùm declarare Versionem fidelem esse, & fonti suo consonam: vel, si mendæ irrepserant, eas corrigere, & in publicis Ecclesiæ Officiis usum ejus imperare. 2. Quia si sola Vulgata esset authentica, sequeretur Ecclesias Orientales, quæ Græcâ, vel Syriaca, vel Æthiopica Versione utuntur, Scripturam veram & verum Dei Verbum non habere.

Itaque Codices Hebræi Veteris, & Græci Novi Testamenti, sunt authentici, quia ad eorum normam controversiæ de fide judicari, omnesque Versiones probari possunt ac debent. Hanc nempe vocem *Authenticum*, a Jurisperitis mutuati sunt Theologi: & significat, *Scriptum aliquod quod ex se fidem facit in judicio, & supremæ est auctoritatis, ut a nullo rejici, vel in quæstionem vocari debeat.* Sic enim Julianus Jurisconsultus Tract. *de fide Instrumentorum*, explicat.

Inde dicta sunt authentica scripta & instrumenta, quæ fidem certam & infallibilem faciunt. Sed observandum est, Originaria Principum Edicta & scripta propriè & per se authentica dici; exemplaria verò sive exscripta dici authentica, non propriè & per se, sed quatenus cum autographo conveniunt: quæ convenientia sigillo, vel testimoniis, aliisve rationibus probanda est. Sic Scriptura Sacra authentica dicitur, quæ ex se fidem facit, & summam habet auctoritatem: ita ut nemo refragari possit, vel ab ipsa provocare. Sic tres distingui possunt authentiæ gradus in subjecta materia. Ipsa namque Prophetarum & Apostolorum autographa, secundùm strictiorem & maximè propriam hujus vocis significationem authentica sunt, ut quæ a Spiritu Sancto sint dictata. Apographa verò propriè quidem, sed non primariò, & per se authentica sunt, sed quatenus conveniunt cum autographis. Versiones verò latiori quadam significatione authenticæ dicuntur, quatenus cum Textibus primitivis conveniunt, ex quibus ceu fontibus sunt traductæ. Vulgata autem Versio singulari quadam ratione authentica est, quia proponitur ab Ecclesia ut sufficiens ad fidem in controversiis religionis faciendam.

Jam verò quòd Textus Hebræus & Græcus quos hodie habemus, cum ipsis Autographis conveniant, adeòque sint propriè authentici, præter argumenta insita, suadet Ecclesiæ testimonium, cui sacrum istud depositum a Deo concreditum est. Textus Hebraicus testimonium habet Christi & Apostolorum, qui ex eo doctrinam suam confirmarunt, & ad ejus lectionem omnes sunt adhortati. Quod non fecissent, nisi pura & integra fuissent exemplaria Autographis respondentia. Novi verò Testamenti Originarii Codices multis sæculis post Apostolorum tempora servati sunt: quorum quosdam Tertulliani temporibus extitisse, testatur ipse, lib. de Præscript. adversùs Hæreticos. Imò Sancti Joannis Evangelium ipsius Evangelistæ manu scriptum (si Auctori Chronici Alexandrini fides adhibenda sit) in Ecclesia Ephesina tempore Honorii Imperatoris adhoc servabatur. Et ex antiquissimis Scriptoribus Ecclesiæ, qui ipsa Apostolorum autographa consulere poterant, & ex locis Scripturæ ab ipsis laudatis, quæ ad amussim cum nostris Codicibus congruunt, constat Codices hodiernos eosdem planè esse cum ipsis autographis, & ex eis fideliter transcriptos. Tandem quis a multis sæculis vidit autographa Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Senecæ, aliorumque, qui multis abhinc annis floruerunt? Nemo tamen ambigit quin vera sint eorum exemplaria hodierna, & cum autographis conveniant, licèt ex sola Veterum Traditione, & Ethnicorum præcipuè testimoniis hoc habeamus; quæ multis gradibus inferiora sunt testimonio Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ; sive testium multitudinem, sive eorum pietatem, veracitatem, & sapientiam spectemus (inquit Waltonus in Prolegomenis Bibliorum Polyglottorum.)

Prima ratio pro Textuum Originariorum authentia hæc est. Textus Originarii immunes sunt ab omni corruptione præcogitata, & in omnibus ad fidem & mores spectantibus integri. Quòd enim a Judæis ex industria corrupti sint, minùs probabile est, ut ostendimus Dissertatione XI. in Histor. Eccl. Sæculi secundi in responsione ad quintum argumentum. Sunt igitur authentici, & in rebus fidei ac religionis norma certissima. Nec obstat quòd mendis ex errore Scribarum fortuitò obnoxii sint: cùm talia errata ex aliis Codicibus emendari possint, & quotidie emendentur, nec ejusmodi mendæ authentiam tollant; cùm in om-

omnibus Versionibus reperiantur, & in Vulgatam Latinam multò plures & majoris momenti, quàm in Codices Originarios irrepserint. Quot millia variarum lectionum quarum, pars altera necessariò erronea est, ante correctionem Sixtinam collecta & emendata? Quàm multæ adhuc post Sixti V. & Clementis VIII. editiones remanserunt? Lucas Brugensis earum indicem edidit, & affirmat *Perfectiorem reddi posse fœliciter inceptam correctionem, si accesserit Pontificis auctoritas*. His tamen mendis non obstantibus, Vulgata Editio dicitur suo modo authentica. Si enim hujusmodi errata Scripturæ authentiam tollerent, sequeretur nullam Scripturam hodie authenticam extare; nec penes Ecclesiam regulam esse fidei & morum certissimam.

Secunda ratio hæc est: Codices Originarii olim fuere puri, & authentici, cùm scilicet primùm Ecclesiæ traditi sunt. Imò tempore Sancti Hieronymi fuisse authenticos fatendum est. Nam si tunc depravati erant, cùm Sanctus Hieronymus Latinam Translationem edidit; nostram, quæ ex illis deprompta est, editionem depravatam esse sequitur in gravioris momenti capitibus: adeòque Ecclesiam verâ & incorruptâ Scripturâ carere. Quamobrem apposité scribit Simeon de Muis vir doctissimus Epistolâ 1. contra Editionem Parisiensem, p.72. & 73. *Tradidit Deus Ecclesiæ non primùm Versiones, sed Textus Primævos, eosque purissimos & authenticos. Qui itaque tales hodie extare negant, non tantùm in providentiam divinam, quæ Ecclesiæ nunquam deficit in necessariis, contumeliosi: sed & in Ecclesiam Christi sponsam injurii sunt, quæ depositum hoc corrumpi sineret, cujus erat officium illud sartum tectum conservare.*

Tertiò. Ipsum nomen *Fontes* satis indicat Textum authenticum. Quartò apud Veteres frequens est mentio *Hebraicæ Veritatis*, præsertim apud Sanctum Hieronymum. Hoc verò elogium falsò illi Textui adhiberetur, nisi authenticus esset.

Quintò. Textus Originarii tam quoad verba, quàm secundùm sensum immediaté sunt a Deo: Versiones verò licèt verum sensum exprimant, quoad verba tamen ex humana industria pendent. Nec plus certitudinis habent quàm fidelitas, doctrina, diligentia Auctoris conferre potest.

Sextò. Constans hæc erat veteris Ecclesiæ sententia, quam apud Sanctum Augustinum expressam habemus; lib.15. de Civitate Dei, cap.13. *Cùm aliquid diversum*, inquit, *in utrisque Codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum, ei linguæ potiùs credatur, unde est in aliam per Interpretes facta Translatio.*

Et lib.18. cap.44. *Unde etiam ego*, inquit, *pro meo modulo vestigia sequens Apostolorum, quia & ipsi ex utrisque, id est, ex Hebræis, & ex 70. testimonia Prophetica posuerunt, utrâque auctoritate utendum putavi, quoniam utraque una atque divina est.*

Et apud Sanctum Hieronymum, Epistolâ 28. ad Lucinium. *Ut Veterum*, inquit, *Librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, ita Novorum Græci sermonis normam desiderat.*

Et Epistolâ 135. ad Suniam & Fretelam: *Sicut autem in novo Testamento*, inquit, *si quando apud Latinos Quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo Novum scriptum est Instrumentum: ita in Veteri Testamento, si quando inter Græcos Latinosque diversitas est, ad Hebraicam recurremus veritatem: ut quicquid de fonte proficiscitur; hoc quæramus in rivulis.*

Et apud Sanctum Ambrosium, lib.2. de Spiritu Sancto, cap.6. *Si quis*, inquit, *de Latinorum Codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falsaverunt, Græcos inspiciat Codices.*

Et apud Cassiodorum, lib.1. Divinarum Lectionum, cap.15. *Quòd, si*, inquit, *alia verba reperiantur absurdè posita, aut ex his lectionibus quas beatus Hieronymus in editione Septuaginta Interpretum emendavit; vel quos ipse ex Hebræo transtulit, intrepidè corrigenda sunt: aut, sicut Beatus Augustinus ait, recurratur ad Græcum Pandectem, qui omnem legem divinam dignoscitur continere collectam, vel quibus possibile fuerit, Hebræam Scripturam, vel ejus Doctores requirere non detrectent. Decet enim ut unde ad nos venit salutaris Translatio, inde iterum redeat decora correctio. Meritò enim Patribus nostris de hac re maxima cura fuit, ne tunica Domini, quam truculentis militibus scindere non licuit, lectoribus subjaceat imperitis.*

Lege Librum Simeonis de Muis de Hebraicæ Editionis veritate & auctoritate. & Joannis Buxtorfii Anticritica, seu Vindicias Veritatis Hebraicæ adversùs Capelli Criticam Sacram, & Arnoldi Bootii Vindicias, seu Apodixidem apologeticam pro Hebraica Veritate contra Morinum & Capellum.

Maximo tamen in pretio Vulgata Versio esse debet, suoque modo credi authentica: quam etiam Protestantium doctissimi cæteris Versionibus Latinis facilè præferendam existimant. Sic Theodorus Beza Præfatione in Novum Testamentum, anno 1550. Erasmumque reprehendit, quòd veterem Interpretem rejiciat. Paulus Fagius in cap.4. Versionis suæ Latinæ Paraphrasεos Chaldaicæ, contra eos qui Vulgatam exsibilant ita scribit: *Non attendunt quid vel quem secutus fuerit Vulgatus Auctor. Cùm enim a veritate Hebraica dissentire videtur, vel Septuaginta, vel Paraphrasim Chaldaicam, vel aliquem ex Rabbinis secutum fuisse, ferè semper deprehendo. Non est ergo temerè nata Vulgata editio, ut quidam sciolì stultè & imprudenter clamitant.*

Ludovicus de Dieu vir Linguarum peritissimus in Notis ad Evangelia, in Præfatione. *Si Vulgatum*, inquit, *Interpretem, quisquis is tandem fuerit, doctum, imò doctissimum virum fuisse asseram, non me peccasse judicavero. Suos habet nævos, fateor, habet & suos barbarismos; sed quia passim fidem ejus judiciumque admirer, etiam ubi barbarus videtur, negare non possum.*

Casaubonus in Notis suis ad Evangelia & Actus Apostol. sæpe Vulgatam Editionem Græci Textus hodierni lectioni præfert, & cum antiquis MSS. Vulgatam convenisse ostendit. Unde sæpe cùm dissentire videtur Vulgata a Græco, nec Vulgatam dicit in vitio cubare, nec in Interpretis errorem invehitur, sed Græcos Codices, quibus Latinus Interpres usus est, a nostris variasse ostendit. Et hoc sæpius a se observatum testatur Waltonus, aliique viri eruditi Prolegom.X. in Biblia Polyglotta, tum in MS. Alexandrino quo usi sunt; tum in aliis Codicibus Græcis MSS. quorum variantes lectiones in ultimo Tomo Bibliorum exhibent, quòd cum iis sæpe consentit Vulgatus Interpres, cùm ab hodiernis Codicibus dissentire videtur, præsertim cum Codice illo Claromontano, quo Beza usus est, venerandæ antiquitatis, & doctis omnibus æstimatissimo.

Grotius in Præfatione Annotationum suarum in Vetus Testamentum, rationem reddens cur ad Vulgatum quasi Textum Notas suas referat, ait: *Se Vulgatum Interpretem semper plurimi fecisse, non modò quòd nulla dogmata insalubria continet, sed etiam quod multùm habet in se eruditionis, quanquam in dicendi genere satis horridus.* Hæc proferre testimonia placuit, quibus aliorum Protestantium adversùs Vulgatam nostram Versionem de-

debacchantium os obstruatur.

Objicies. Incertum esse Textum Hebraicum sublatis punctis, quæ nun sunt de essentia Textûa, adeò ut idem verbum octo quandoque modis legi possit, & totidem habeat significationes diversas, ut probat Morinus Exercitatione Biblica, 6. cap.2. ad eum modum quo ex tribus Literis Latinis C. R. S. viginti tria vocabula diversarum significationum deduci possunt. Textus igitur Hebræos pro certa regula haberi non potest; sed Versiones, quæ tam vocalibus quàm consonantibus constant, sunt certiores,

Respondeo, Vocabula quædam per se spectata multiplicis significationis esse capacia: at in orationis contextu plerumque indifferentiam tolli, & ex antecedentibus & consequentibus determinari. Si verò adhuc vocabulum sit ambiguum, ex usu & legendi consuetudine ambiguitas tollitur. Licèt enim puncta hodierna a Masorethis inventa sint: ipsorum tamen sonus, sive vocales ipsæ reliquis literis coævæ sunt: nec punctarunt Textum Masorethæ pro libito, sed secundùm lectionem illam usitatam, quam a majoribus habuerant, Si verò aliquid probaret hæc ratio, evinceret Codices Hebræos nunquam fuisse authenticos, nequidem cùm primùm scripti erant. Eâdem enim ambiguitate laborassent, cùm puncta vocalia nondum inventa fuerint,

Quòd autem punctorum vocalium & accentuum Linguæ Hebraicæ origo ad Masorethas Tiberiensea, qui circa quingentesimum post Christum annum floruerunt, referenda sit, multis momentia probavi in Historia Eccles. Veteris Testamenti, Ætate 6. Dissert.4. Art.2.

Objicies secundò. Si Versiones non sunt æqualis cum primitivis Textibus auctoritatis, fidea plurimorum nullum fondamentum habebit: cùm vix unus e mille Textum Græcum vel Hebraicum intelligat.

Respondeo, Hoc argumentum nimis probare. Si enim aliquid valeret, probaret omnes Versiones in linguas vernaculas fieri debere. (Has enim solas plerumque vulgus intelligit) & tam contra Versiones, quàm contra fontes facit: cùm e vulgo plurimi sint, qui firmiter credunt, nec tamen Versiones Latinas intelligunt, imò literas planè ignorant.

Objicies tertiò, Proferuntur testimonia Judæorum, qui fatentur loca quædam aliter lecta fuisse, quàm Codices hodierni habent, quæ a Sapientibus ipsorum mutata sunt, & ab ipsis vocantur *Tikkun Sopherim*, sive *Correctiones Scriburum*. Hujusmodi loca refert Masorha interior initio lib. Numerorum, & Psalmo 106. octodecim, vel potiùs loca sexdecim, in quibus verba octodecim immutantur. Recensentur autem hoc ordine. Genes.18. v.22. obi olim legebatur, *Dominus adhuc stabat coram Abrahamo*, substitoerunt Scribæ: *Abraham autem adhuc stabat coram Domino*, ut hodie legitur in nostris Codicibus, & apud omnea Interpretes: Numerorum 11, v. 15. pro, *videam malum tuum*, substituerunt, *malum meum*. Num. 12. v.12. pro *Matris nostra*, substituerunt, *Matrie sua*. Et pro, *carnie nostra*, *carnie sua*. 1, Samuel, 3. v. 13. *Mihi*, mutarunt in *ipsoe*, 2. Samuel.16. v.12. pro, *afflictionem suam*, posuerunt in textu, *afflictionem meam*, & in margine, *in oculum meum*, 1. Reg.12. v.16. pro *ad Deoe tuoe*, legunt, *Ad tabernacula tua*. Ezech.8. v.17, pro, *ad nasum tuum*, posuerunt, *ad nasum suum*. Habacuch 1. v.13. pro, *non morieris*, substituerunt, *non moriemur*, Malach. 1. v.13. pro, *& afflixistie me*, est, *& afflixistis eum*. Zachar. 2. v.8. pro, *oculi mei*, substituuot, *oculi ejus*. Jerem.2. v.11. pro, *gloriam meam*, legunt *gloriam suam*. Job.7. v.20. pro, *super te*, substituunt, *super me*. Oseæ 4. v.7. pro, *gloriam meam*, legunt, *gloriam suam*. Job.32. v. 3. pro, *Deo*, substituerunt, *Job*. Threnor.3. v.20. pro, *super te anima tua*, legunt, *Super me anima mea*, Psalm.106. v.20. pro, *gloriam meam*, substituere ut supra, *gloriam suam*, Textus igitur Hebraicus non est authenticus.

Respondeo, Non deesse viros doctoa, qui totum hoc de correctione Scribarum in dubium vocant, imò merum figmentum esse statuunt, scilicet Bellarminus, Sixtus Senensis, lib.8. Bonfrerius Præloq. cap.13. Ribera in cap.9. Oseæ, Sed etsi hæc mutatio facta concedatur, non sequitur hæc malitiosè corrupta esse a Judæis, sed per Esdram, & Synedri magni viros, nomine Scribarum hic intellectos, restituta, cùm post reditum e Babylone volumina sacra recenserent, & ex variis Codicum lectionibus illas approbarent quæ hodie leguntur, Nam primò omnia Exemplaria Hebraica legunt secundùm correctiones istas. Secundò, ita omnes antiquæ Versiones legunt, & cum Codicibus Hebræia consentiunt, scilicet Septuaginta, Chaldaica, Syriaca, & Vulgata Latina, quæ certò probant antiquos Codices Hebræos ita olim legisse. Tandem ipsa Masorha disertè has mutationes ad Esdram refert, quem antonomasticè *Scribam* vocant. Legimus enim Numer.12. v. 12. in Masorha marginali, *locum istum esse unum ex 18. correctionibus Esdra*. Esdram verò & Prophetas posteriotes libros sacros recognovisse, & lectionem veram, ubi dubium aliquod occurrebat, restituisse, nemo negaverit, Unde perspicuum est, a posterioribus Judæis hæc loca depravata non fuisse. Præterea in his locis non agitur de ullo Christianæ Religionis mysterio, nec Christianis una lectio magis favet quàm altera. Judæi itaque hæc loca non interpolarunt, sed vera sinceraque lectio est, quæ cum in Judæorum, tum in Christianorum Codicibus hodie extat,

Objicies quartò. Variæ sunt lectiones non tantùm in Scripturæ Sacræ Versionibus, sed etiam in Textibus originariis Hebraico & Græco. Id testantur omnes varietates in Codicibus MSS. & excusis a viris doctis adnotatæ. Tales sunt in Testamento Veteri Ketib & Kerib a Masorhetis collectæ. Item discrepantes Orientalium & Occidentalium lectiones; quæque inter Codices Ben-Ascher & Ben Nephtali observantur, quæ in Bibliis Venetis, Basileensibus, & Polygottis Anglicanis typis mandatæ sunt. Per Orientales, intelliguntur Judæi Babylonii, per Occidentales, Palæstini; In his enim locis, Babylonia scilicet ac Palæstinâ, post excidium Templi & Urbis, celebriores erant Scholæ, quæ plurium sæculorum spatio floruerunt, & Rabini seu Doctores qui multos habuere Discipulns. Ex hac verò divisione, ut fieri solet, dissensiones & æmulationes inter Academias & Scholas ortæ sunt, Unde & ex varia Codicum descriptione, vel ex Codicibus per celebriotes Rabinos emendatis, dum utrique lectionem suam sequerentur, ortus est variarum lectionum Cathalogus.

Ben-Ascher & Ben-Nephtali, fuere Principes & Rectores Academiarum; ille Tiberiadis, alter Babylonicæ. Studii eorum erant emendata & correcta Bibliorum exemplaria edere. Unde quia æmulatio fortasse inter Doctores Babylonios & Palæstinos fervebat, noluit alter alterius ope uti, ut collatis studiis emendatissimum unum exemplar ederent: sed uterque Criticâ suâ tumidus, Codicem proprium, quàm emendatissimè & acuratissimè potuit, conscripsit, quem publici juris fecit, ut ex eis reliqui suorum Sectatorum libri corrigi possent in postremum. Unde Occidentales vulgò sequuntur correctionem Ben-Ascher, ut in Bi-

bliis

bliis Europæis videre est: Orientales Ben-Neptali. Differentia verò inter illas non est circa literas vel voces, sed circa puncta quædam & accentus. Unde has varietates annotatas esse constat, postquam puncta & accentus inventa sunt.

Variantes etiam lectiones ex Novo Testamento collegit Robertus Stephanus ex 16. exemplaribus vetustissimis 2384. quas in Novo Testamento a se edito excudit: præter loca deficientia 280. quæ obelis notavit. Et plures collectæ sunt ex variis Codicibus a Waltono Tomo etiam ultimo Bibliorum Polyglottorum. Ex Latinis Codicibus idem fecere Stephanus in Bibliis suis magnis, Hentenius, aliique Theologi Lovanienses, in Bibliis a se editis; Lucas Brugensis Decanus Lovaniensis, & Ludovicus Capellus. Hæ autem varietates argumento sunt Textus Hebraicum & Græcum puros & authenticos non esse.

Respondeo, Nego consequens: Variantes namque lectiones, & ex iis orta sphalmata, non ex ipso textu autographo oriuntur, cùm dictante Spiritu Sancto, conscripti sint Libri sacri; sed a Scribis, & Librariis, qui exemplaria descripserunt, nec satis accuratè cùm Originario Codice contulerunt, primò fluxere. Ex quibus alii alia describentes, eorum errores propagarunt. Qui non extantibus Codicibus Originariis, unde corrigi poterant, in plnres derivati sunt, Præterea dantur media certa, quibus vera lectio, cùm Codices discrepant, stabiliri potest, scilicet analogia Fidei, autiquorum Scripta & Commentaria, antiquæ Versiones, Codicum antiquorum collatio; maximè verò ipsa Scriptura, in qua antecedentium & consequentium consideratio & locorum parallelorum & similium observatio, multùm conferunt veram ad lectionem dignoscendam, Nam illa lectio qoæ cum antecedentibus & consequentibus, & cum locis parallelis consentit; & analogiæ Fidei consona est; vel cum aliis optimæ notæ Codieibus convenit, & ex Veterum Patrum scriptis roboratur, proculdubio pro vera & genuina habenda est. A recepta tamen lectione non est temerè recedendum, nec aliquid in textu mutandum sine auctoritate Ecclesiæ: sed modestè rationes & conjecturæ proponendæ sunt, & Ecclesiæ judicium expectandum, quæ non semper omnia, quæ correctione videntur egere, corrigit; sed quædam permittit ad infirmorum offensionem vitandam: quod olim monuit Sanctus Hieronymus, & in Vulgatæ Latinæ emendatione observatum est, ut ex ejusdem Præfatinne liquet, necnon ex Epistolâ Bellarmini, qui nnus erat Correctorum, ad Lucam Brugensem. Lege Prolegomenon 6. Bibliorum Polyglott. Waltoni.

ARTICULUS VI.

De mendis, qua in Vulgata Versione Latina Bibliorum jussa Clementis VIII. emendata, etiamnum supersunt: qua Ecclesia auctoritate corrigi possent.

VIr doctissimus Lucas Brugensis, aliique Viri Eruditi, per omnes Scripturæ Sacræ Libros notarunt plurima, quorum præcipua hìc exponere operę pretium existimo,

I. Genesis 3. v.15. Vulgata nostra habet: *Ipsa conteret caput tuum*. Meliùs & congruentiùs Hebræo, vertendum videri posset: *Ipse conteret caput tuum*. Suffragatur Græca Translatio: *Ipse tuum conteret caput, & tu conteres ejus calcaneum*. Ita exemplaria Complutense & Vaticanum Germanicæ verò editiones cum Aldina: *Ipse tuum observabit caput, & tu observabis ejus calcaneum*. Id quod a Patribus ferè lectum est,

Favet Sanctus Hieronymus in Hebraicis Quæstionibus super Genesim. Fortassis autem commodiùs neutro genere transferatur, *Ipsum*: Est enim Hebraicè pronumini cum pręcedente nomine quòd *semen* significat, debita convenientia. Favent huic lectioni exemplaria quædam Latina, teste Aloysio Lipomano in Catena. Favet Sanctus Leo Sermone secundo de Nativ. Domini. Ita Biblia sua emendavit Isidorus Clarius. Sancti Germani a Pratis oblongum MS. & Sorbonicum Correctorium legunt, *Ipse conteret caput tuum*. Legunt verò *Ipsa conteret*, maxima pars Latinorum exemplarium, Ita legisse Sanctum Augustinum constat ex libro 2. de Genesi contra Manichæos, cap. 18, Suffragantur Sanctus Gregorius, lib.1. Moralium, cap.38, Beda, Rabanus. Versio Syriaca habet: *Ipsum conculcabit caput tuum*, Paraphrasis Chaldaica: *Et inimicitiam ponam inter te & inter mulierem, & inter filium tuum, & inter filium ejus: ipse recordabitur tibi quod fecisti ei a principio; & tu observabis ei in finem*. Versio Pentateuchi Samaritani: *Ipsum conteret tibi caput*. Versio Arabica: *Et ponam inimicitiam inter te & inter mulierem, & inter stirpem tuam, & stirpem ejus: & hæc fodet ex te caput: & tu mordebis eam in calcaneo*,

II. Cap.8. ubi Vulgata habet de corvo: *Qui egrediebatur, & non revertebatur*; expungenda videtur negatio. Quamvis ei lectioni suffragentur Græci Codices, quæ negationem habet. Sic enim Textus Hebraicus: *Et emisit corvum, & exiit egrediendo & redeundo, donec arescerent aqua super terram*.

Sanctus Hieronymus qui in Dialogo contra Luciferianos circa medium, juxtà Septuaginta emissum de Arca corvum dicit non rediisse; in Hebraicis Quæstionibus aliter in Hebraico Textu dici notat. In Hieronymiano Codice Hebraicæ Veritatis legitur, *Dimisit corvum: qui egrediebatur & revertebatur, donec siccarentur aqua super terram*. Fateor Patres plerosque legisse cum negatione, quos refert Melchior Cano, lib.2. cap. 13. sed Septuaginta editionem sequebantur; unde Hebraicos non consuluere Codices, aut consultos non rejecere, Exemplaria non pauca Latinæ Versionis expungunt negationem. Sancti Germani latum & oblongum, Sancti Dionysii oblongum, & Complutense cum Regio legunt: *Qui egrediebatur & revertebatur*. Antiquum Bibliorum Correctorium ab Augustino Hunnæo Lucæ Brugensi mutuò datum, hanc lectinnem confirmat: *Certissimè tenet*, inquit, *quòd nec Hebræi, sicut dicit Hieronymus, nec antiqui Latini, habent, non; sed est sensus quòd ibat & redibat extra arcam circumeundo, & propter hoc utitur Interpres pręterito, non perfecto, sed imperfecto*.

In Editione Probeniana Josephi Latinæ Versioni addita perperam est negatio, quam omittendam & proximè præcedens ratio loquitur, & aliæ editiones cum Græcis exemplaribus testantur, Suffragatur Chaldaica Paraphrasis: *Et misit corvum*, inquit, *& exivit exiens & revertens, donec siccarentur aqua super terram*. Suffragatur & Arabica: *Dimisitque corvum, & exibat, & revertebatur*. Favet & Samaritana: *Egrediendo autem egressus est & reversus*. Syriaca tamen Vulgatæ nostræ lectionem juvat; sic enim habet: *Qui quidem egressus est, neque reversus*. Quamvis Vulgata nostra, si rectè intelligatur, non pugnet cum Hebræo, Corvus enim dimissus, in Arcam reversus non est, sed ad Arcæ tectum regressus, inde ad escam evolavit, eòque rediit donec siccarentur aquæ. Est enim verisimile avem illam dimissam

ſam vidiſſe cadavera in montium cacuminibus jam revelatis, atque ad ea, invento ſibi congruo cibo perrexiſſe, & rediiſſe. Columbam verò, cui extra Arcam non fuit eſca, in Arcam redire voluiſſe; extendiſſeque manum ſuam Noë, & apprehenſam intuliſſe in Arcam.

III. Geneſ.4. Vulgata noſtra habet: *Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus*. Hebræus verò Textus verti poſtulat, *inflammavit*, ſicque Theodotion vertit, ut notat Sanctus Hieronymus in Quæſtionibus Hebraicis.

Geneſ.8. v.4. Vulgata noſtra legit, *Requievit Arca menſe 7. 27. die Menſis*. At ſecundùm Textum Hebraicum vertendum eſſet 17. *die Menſis*. Huic conſentiunt Syriaca Verſio & Arabica, nec non Chaldaica Paraphraſis. Vide Chronologiam Bibliis Pariſienſibus e Typographia Regia prodeuntibus adjunctam, & Sixtum Senenſem, lib.5. Annotatione 82. Hic numerus concordat cum centum & quinquaginta diebus, quibus terras diluvium inundavit.

IV. Geneſ. 11. v.13. ſecundùm Vulgatam *Vixit Arphaxad, poſtquam genuit, trecentis tribus annis*. Secundùm Hebræum Textum, *Vixit quadringentos tres annos*. Huic numero conſentiunt Verſiones Syriaca & Arabica, & MSS. Verſionis Latinæ optimæ notæ. Proximè accedit Chaldaica Paraphraſis, quæ 430. annos numerat. Hebraicum Textum ſequitur Euſebius in Chronologia. Cajetanus, Lucas Brugenſis, & Salianus emendari poſſe Vulgatam hoc in loco cenſent.

V. Geneſ.36. v.24. legitur in Vulgata: *Ipſe eſt Ana, qui invenit aquas calidas in ſolitudine*. Secundùm Textum Hebræum legitur: *Et invenit mulos*. Et certè vox *Jemim* non aquas, ſed mulos ſignificat, pro quo legit Interpres, *Jamim*. Chaldæus vertit *Fortes* quaſi fortia animalia. Ferunt enim muli onera gravia. Lege Sanctum Hieronymum in Quæſt. Hebraicis. Aiunt Hebræi hunc Ana fuiſſe ſpurium Zibeonis ſcilicet filium ſimul ac fratrem, quem ex inceſto cum propria matre concubitu genuerat: & quemadmodum infecto more & præter naturæ leges natus eſt, ita conatus eſt in natura producere animalia præter naturam, conjungendo equos cum aſinis. Conſentiunt Verſio Arabica, & Targum Jonathanis: *Coire fecit*, inquit, *greges equorum cum aſinis, & in tempore invenit mulos, qui egreſſi ſunt ex illis*. Favent adjuncta, invenit enim *cùm paſceret Aſinos*: & indicat Scriptura aliquid non fortuitò, ſed ex induſtria inventum.

VI. Exod.32. v.28. ſecundùm Vulgatam legimus: *Cecideruntque in die illa quaſi viginti tria millia hominum*. At tria millia dumtaxat, numerant Textus Hebr. Verſiones 70. Syriaca, Arabica, Targum Onkeloſi. Quam lectionem ſequuntur Philo Judæus, lib.3. de Vita Moyſis, Chryſoſtomus lib.2. de Providentia, Tertullianus in Scorpiacn, cap.3. & S. Ambroſius, Epiſtolâ 56.

VII. Exodi 34. verſ.29. in Vulgata legimus de Moyſe: *Et ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua*. Hebræus longè aliter habet: *Et neſciebat quòd radiaret cutis faciei ſuæ ex colloquio ejus*. Septuaginta ſuffragantur: *Moſes neſciebat quia glorificatus eſt aſpectus cutis faciei ſuæ in loquendo eum ſibi*. Syriaca: *Moſes non noverat quòd nitida facta eſſet pellis vultus ſui*, &c. Targum Onkeloſi, *Moſes autem neſciebat quòd multiplicatus eſſet ſplendor gloriæ vultus ſui, cùm loqueretur cum eo*. Arabica: *Et Muſa ignoraret quòd facies ſua jam ſplenduiſſet, quando locutus eſt cum eo Deus*. Hunc ſenſum expreſſit Apoſtolus 2. ad Corinthios 3. v.7. Exiſtimarem Vulgatum Interpretem vertiſſe: *Et ignorabat quòd coruſca eſſet facies ſua*; & Scribas ac Librarios ex *coruſca* feciſſe *cornuta*, niſi Hieronymus in Amos 6. circa finem, lectioni noſtræ faveret. Senſus eſt, quòd tota facies Moyſi radiis in modum cornuum ejaculata fuerit: quia ſcilicet cùm homo Solem intentè intuetur, jam videtur quodammodo cornuum inſtar ſplendorem ac radios emittere. Vocabulum Hebraicum *Karen*. propriè cornu ſignificat. Hinc verbum *Karan*, ſplendere, ſeu radiare, quòd ſcilicet cùm homo oculorum aciem in Sole defigit, videtur illi radios cornuum inſtar evibrare. Meliùs forſan verteretur: *Et ignorabat quòd ſplendens eſſet in modum coronam facies ſua*. Hinc factum ut Mneves, qui apud Ægyptios cum cornibus colebatur, ipſi Aben-Eſræ ad cap. Exod.2. non alius a Moyſe credatur, & S. Juſtinus Martyr in Cohortatione ad Græcos, ubi in Diodoro Siculo eſt *μνεύην*, poſuit *Moyſea*.

VIII. Exod. cap. 2. v. 22. Vulgata noſtra habet: *Alteram verò peperit, quem vocavit Eliezer, dicens: Deus enim Patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis*. At verſiculus ille abeſt ab Hebræis, Samaritanis, Chaldaicìſque Codicibus, & a Græca Editione Sixti V. ac MS. Alexandrino, videturque huc intruſus ex v. 4. cap. 18. Syriaca quidem & Arabica hunc verſum habent: ſed Textus Hebraicus, Verſio Septuaginta, & Chaldaica Paraphraſis his anteponenda ſunt. Codex MS. Bibliorum Sancti Germani a Pratis, Num. 3. totam hanc pericopen exhibet in margine: Codex autem Regius optimæ notæ 3563. extra ſeriem ac numerum linearum habet eadem verba in ora inferiori minutis characteribus deſcripta. In uno denique Corbeienſi MS. Num. 1. hæc tantùm leguntur intra textum: *Et eripuit me de manu Pharaonis*. Cætera manus recentior ſupplevit ad oram inferiorem Libri. Ex hac tanta Exemplarium varietate, ſed maximè ex Hieronymiano Codice Hebraicæ Veritatis colligitur, totum hunc Verſiculum de *Eliezer* in margine primò adnotatum, poſtea in textum intruſum fuiſſe a Librariis.

IX. Num. 8. v. 2. Vulgata habet: *Cùm poſueris ſeptem lucernas candelabrum in auſtrali parte erigatur. Hoc igitur præcipe ut lucernæ contra Boream, e regione reſpiciant ad menſam panum propoſitionis: contra eam partem, quam candelabrum reſpicit, lucere debebunt*. Hæc verba, *Candelabrum in Auſtrali parte erigatur. Hoc igitur præcipe ut lucernæ contra Boream e regione reſpiciant ad menſam panum propoſitionis*, omittuntur in Hebræo Textu & Græcis Codicibus, & MSS. Latinis optimæ notæ. Huc intruſa videntur ex Exodi 40. v. 22. Ita ſolùm vertunt Septuaginta: *Cùm impoſueris a parte, ſecundùm faciem candelabri lucebant ſeptem lucernæ*. Syriaca: *Cùm accenderis lucernam coram facie candelabri, ſiant ardentes ſeptem lucernæ*. Arabica: *Cùm aptaveris lucernas ad eam partem ad quam reſpicit facies candelabri, accendes eas ſeptem*. Targum Onkeloſi: *Cùm accenderis lucernas contra faciem candelabri, lucebunt ſeptem lucernæ*. Hebræus, & Samaritanus: *Cùm accender lucernas ante faciem candelabri, lucebunt ſeptem lucernæ*. Hieronymianus Canon Hebraicæ Veritatis: *Cùm poſueris ſeptem lucernas, contra eam partem, quam candelabrum reſpicit, lucere debebunt*. Additamenti in Vulgatam noſtram intruſi nullum etiam veſtigium extat in Latinis Codicibus vetuſtiſſimis & optimæ notæ, Regiis, Colbertinis, Corbeienſibus, Sancti Germani a Pratis, &c.

X. Cap. 20. v. 6. Vulgata Verſio habet: *Clamaverunt ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus, audi clamorem hujus populi, & aperi eis theſaurum tuum, fontem aquæ vivæ, ut ſatiati, ceſſet murmuratio eorum*. Verſiculum hunc omittunt Codices Hebræi, Græci, Chaldaici, Hieronymia-

nus

nus Canon Hebraicæ Veritatis, Textus Latinus Regii operis, & textus Rabani Commentario adjunctus, ut notat Lucas Brugensis. Omittunt & Targum Onkelosi, & Versiones Syriaca & Arabica. Absunt hæc verba & a Latinis quibusdam Codicibus optimæ notæ, ut a Corbejensi ante annos octingentos exarato, in quo nihil habetur hic præter ea quæ in Hebræo Textu leguntur. Quamvis Interpolator aliquis recentior totum addimentum suppleverit ad oram marginalem Voluminis, signo e regione posito in Textu, quasi hæc verba in eo deessent.

XI. Numeror. ultimo, v. 7. & 8. habetur in Vulgata: *Omnes viri ducent uxores de Tribu & cognatione sua, & cuncta fœmina de eadem Tribu maritos accipient*. Oppositum legimus de Moyse ipso & Aarone Exodi 6. de Joiada 2. Paralipom. cap. 22. & Michol, quæ erat de Tribu Benjamin, nupsit Davidi, qui erat de Tribu Juda. Hebræus & Samaritanus aliter habent, hancque limitant legem ad filias possidentes hæreditatem: *Omnis ideò filia possidens hæreditatem de Tribubus filiorum Israel, alicui de familia Tribus Patris sui erit in uxorem, ut possideant filii Israel singuli hæreditatem Patrum suorum*. Sic quoque Septuaginta, *Et non circumvertetur hæreditas filiis Israel a Tribu in Tribum: quoniam unusquisque in hæreditate Tribus familiæ suæ conjungentur filii Israel: & omnis filia vindicans hæreditatem ex Tribubus filiorum Israel uni eorum qui de populo Patris sui, erunt uxores, ut vindicent filii Israel unusquisque hæreditatem paternam suam*. Targum Onkelosi: *Et omnis filia hæres possessionis de Tribu filiorum Israel, uni de familia Tribus patris sui fit in uxorem, ut hæreditent filii Israel singuli possessionem Patrum suorum*. Syriaca: *Et quæcumque filia hæreditate possederit ex Tribu filiorum Israel, alicui ex Tribu domus Patris sui nubat, ut possideant quisque filiorum Israel hæreditatem Patris sui*. Arabica: *Simile esto judicium cujuslibet familiæ, quæ hæreditabit possessionem ab aliqua Tribu filiorum Israel. Fiat tum alicui ex familia Tribus Patrum suorum conjux, ut hæreditet qualibet Tribus ex eis possessionem Patrum suorum*. Vulgata omnes fœminas hac lege comprehendit, ne nubant viris alterius Tribus: Hebraica veritas restringit ad eas, ad quas ob defectum fratrum hæreditas paterna pervenerat. Hoc de loco Paulus a Sancta Maria Episcopus Burgensis ita scripsit in Addit. ad cap. 35. Numer. *In hoc præcepto multùm deviat Translatio nostra a veritate Hebraica*. Nam secundùm Hebraicam veritatem non prohibetur fœminis quin nubant quibuscumque voluerint de genere Israelitico, nisi tantùm fœminis quæ hæreditatem habent, sicut illæ quæ non habent fratres: & istis tantùm dicitur: *Omnis filia quæ habet hæreditatem: uni de cognatione Patris sui erit uxor*. Similiter non prohibetur quin viri ducant uxores de alia Tribu. Hoc enim quod dicitur in translatione nostra: *Omnes enim viri ducent uxores de Tribu & cognatione sua*, non est in Hebræo, sed ibi dicitur sic: *Non revertatur hæreditas filiorum Israel de Tribu in Tribum; sed unusquisque in hæreditatem Tribus Patrum suorum adhæreat*. Similiter ubi in translatione nostra dicitur: *Nec sibi misceantur Tribus, sed ita maneant*, non est in Hebræo, sed dicitur sic: *Ne revertatur hæreditas unius Tribus ad alium Tribum*. Et ratio hujus legis testatur pro veritate Hebraica. Quæ quidem ratio finalis est, ut divisio hæreditatum facienda inter Tribus perpetuò remaneret; ita quòd nihil de terra quæ in sorte Tribui Judæ cederet, posset aliquando reverti ad Tribum Benjamin, & sic de aliis. Et quia secundùm legem veterem; fœminæ non succedebant in hæreditatem paternam, nisi illæ tantùm quæ fratribus masculis carebant, ut supra eodem 27. cap. ideò de istis tantùm dabatur lex ne commiscerentur alicui de alia Tribu, quia per talem commixtionem hæreditas unius Tribus transiret ad aliam; quod erat contra ordinationem divinam; sed aliæ fœminæ quæ fratres habebant, & per consequens non succedebant in hæreditate paterna, non prohibebantur per istam legem quin contraherent cum aliis quarumcumque Tribuum, quia ex hoc non sequebatur confusio sortium, ut satis patet. Nec legitur etiam aliquam dispensationem super hoc fuisse factam, quia Tribus Sacerdotalis & Regia possent ad invicem commisceri per matrimonia. Non enim requirebatur in hoc dispensatio, quia Deus non prohibuit commixtionem Tribuum, nisi tantùm ubi ex matrimonio posset sequi commixtio hæreditatum, ut patet secundùm veritatem Hæbraicam. Hæc doctissimus Antistes.

XII. Exodi 12. Vulgata nostra v. 40. habet: *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*. At Vulgata hoc in loco per Textum Hebraicum & Septuaginta Interpretes emendari potest vel elucidari. Ita enim Textum Hebraicum interpretari oportet: *Peregrinatio autem filiorum Israel, qui* (non qua) *manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*. Sic etiam habet Hieronymianus Canon Hebraicæ Veritatis: *Habitatio autem filiorum Israel, qui manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*. Ubi non ad servitutem Israelitarum in Ægypto, quæ annos quindecim supra ducentos non superavit, ille 430. annorum refertur numerus; sed a promissione quam Deus exhibuit Abrahamo Genes. 12. ad exitum Israelitarum ex Ægypto censetur: comprehenditque tempus illud omne, quo Abraham & filii ejus post divinam promissionem peregrinati sunt, & in Cananæa manserunt, antequam in Ægyptum descenderent. Ita Samaritani Pentateuchi Versio: *Habitatio filiorum Israel & Patrum ipsorum, qua habitaverunt in terra Canaan & in terra Ægypti, fuit quadringentorum triginta annorum*. Suffragatur Versio Septuaginta Interpretum: *Habitatio autem filiorum Israel, qua inquilini in Ægypti terra, & in Canaana fuerunt, tam ipsi quàm patres eorum, fuit quadringentorum triginta annorum*. Relegatur prima nostra Dissertatio in Historiam Ecclesiasticam Veteris Testamenti, ad tertiam Mundi Ætatem.

XIII. Libri Josue, cap. 21. v. 36. Vulgata nostra habet: *De Tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho Civitates refugii, Bosor in solitudine, Misor, & Jaser, & Jethson, & Mephaat, Civitates quatuor cum suburbanis suis*. Contendunt Viri Eruditi hunc versum delendum esse: quòd in antiquis Bibliorum Hebraicorum exemplaribus non extet; quòd Masorha Judæorum illum non agnoscat: quòd Bibliorum Venetorum Textus Hebraicus, & Chaldaicus illum non legant; quòd R. Kimhi in antiquis Codicibus Hebraicis non extare testetur; quòd vir doctissimus Andreas Masius in hunc Josue locum afferat enumerationem illam quatuor Civitatum filiis Merari & Rubenis hæreditate assignatarum, quæ in nonnullis Hebræorum Codicibus, & Chaldaico Complutensi adscripta est, additiam esse: quòd absit ab Hieronymiano Codice Hebraicæ Veritatis: quòd denique plurimi Codices MSS. Vulgatę Versionis Latinæ a Luca Brugensi laudati versum illum expungant. Statuere tamen non ausim esse expungendum, cùm & Septuaginta Interpretes, & Syriaca Versio Andreæ Masii, & Chaldaica Paraphrasis, & Versio Arabica, & Latinorum Codicum plurimi hunc retineant. Quam ob rem Romani Correctores sub

Sixto

Sixto V. & Clemente Octavo retinendum censuerunt. Conjiciunt viri eruditi, Septuaginta non de Hebræo transtulisse, sed de suo, explicandæ sententiæ causa addidisse; quæ deinde Latinus Interpres ex Græco, non ex Hebræo expressit. 1. Paralipomenon 6. v.78. & 79. Urbes quatuor quas concessit Rubenitica Tribus filiis Merari, concorditer leguntur ab omnibus hoc modo: *Trans Jordanem quoque ex adverso Jericho, contra Orientem Jordanis, de Tribu Ruben Bosor in solitudine cum suburbanis suis, & Jassa cum suburbanis suis, Cademoth quoque & suburbana ejus, & Mesphaat cum suburbanis suis.* Ex hoc loco videntur sumpsisse Septuaginta Interpretes, quæ majoris explicationis causâ addiderunt. Nam ut partes reliquæ simillimæ sunt, ita levis est in nominibus variatio. In quibusdam tamen vetustis & optimis Exemplaribus Hebræis eadem leguntur, cap.21. libri Josue, quæ Vulgata nostra habet Versu 36. scilicet in MS. Hebræo Codice Regio, Num.7. & in MS. Oratorianæ Domus Parisiensis ad Sancti Honorati. Mutilos hoc loco fuisse Codices Hebraicos, quibus Sanctus Hieronymus usus est, Viri quidam Eruditi asserere non dubitant: quia inquiunt, nisi huic loco Josue adscriberentur quatuor urbes de Rubenitarum hæreditate, summa duodecim Civitatum, quæ Meraritis attributæ dicuntur, nullatenus confici posset; quam tamen ibi Versu 38. expressè subductam legimus.

XIV. 1. Regum 4. Vulgata Versio habet: *Et factum est in diebus illis, convenerunt Philisthiim in pugnam.* Hunc Versum addititium esse probant plura MSS. Latinæ Versionis Vulgatæ a Luca Brugensi laudata. Idem constat ex Sancto Gregorio Magno. Hunc etiam omittunt Textus Hebraicus & Chaldaica Paraphrasis. Desumptus autem est hic Versus ex 70. Interpretibus.

XV. Cap.5. v.6. Vulgata Versio habet: *Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magna in Civitate.* At hic versus non habetur in Hebræo Textu, nec in Chaldaica Paraphrasi, nec in Syriaca Versione. Deest in Hieronymiano Canone Hebraicæ Veritatis, & in multis Codicibus Latinis a Luca Brugensi laudatis. Hæc verba addititia esse Lyranus quoque & Tostatus censuerunt. Illa etiam omittit Græcus Regiorum Bibliorum textus: quamvis alii Codices Græci, & Sixtina editio hæc interserant. Eadem obelo notarunt Robertus Stephanus, & Theologi Lovanienses.

XVI. Cap.14. v.41. Vulgata Versio habet: *Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel: Domine Deus Israel, da indicium: quid est quod non responderis servo tuo hodie? Si in me, aut in Jonatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem: aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Jonathas & Saul.* Quæ sequuntur posthæc verba: *Da indicium*, usque ad ista, *Et deprehensus est Jonathas*, expungenda esse probat Lucas Brugensis ex pluribus MSS. Vulgatæ Versionis Latinæ, & quòd nec in Hebræo, nec in Paraphrasi Chaldaica leguntur, nec in Græco Regii operis Textu. Ex duplici lectione, quarum una habebat, *Da perfectionem, & deprehensus est Jonathas* &c. id est, fac sortem cadere pro rei veritate: sive, *Da sanctitatem*, id est, Sorte hac ostendas qui sint innocentes: altera verò, *Da indicium*, id est, Prode eum quem iniquum judicas: ex his, inquam, duabus lectionibus tertia conflata est, & in Vulgatam nostram intrusa, jam licèt ab antiquo, siquidem eam interpretatur S. Gregorius Magnus. Habentur in editione Sixtina 70. Interpretum, sed in Græcis Codicibus coagmentationem ex variis lectionibus apparere notat Nobilius in Scholiis. In Hieronymiano Codice Hebraicæ Veritatis hæc tantùm habentur: *Et dixit Saül ad Dominum: Domine Deus Israel: da indicium Et deprehensus est Jonathas & Saul*, &c.

XVII. Lib.2. Reg. cap.4. v. 5. legimus in Vulgata nostra: *Ingressi sunt fervente die domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domûs purgans triticum obdormivit.* Sed hæc verba, *Et ostiaria domûs*, &c. nec in Hebræo Textu, nec in Chaldaica Paraphrasi leguntur, nec in Syriaca Versione. Leguntur verò in Versione Septuaginta Interpretum. Existimant viri eruditi Latinam Sancti Hieronymi Versionem, & Interpretationem Septuaginta fuisse conjunctas. Nam quod Sanctus Hieronymus reddidit: *Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici, & percusserunt eum in inguine Rechab & Baana frater ejus, & fugerunt*: id Septuaginta sic videntur transtulisse: *Et ecce ostiaria domûs purgabat triticum, & dormitavit, & dormiebat: & Rechab & Baana frater ejus latuerunt.* Non aliud enim Græcè legitur quod versui Hebræo, quem ad illum modum Latinus Interpres transtulit, respondeat; nec aliud Hebraicè, quod Græcæ isti translationi conveniat. Non itaque Latini Interpretis, sed Græcorum translatio est, quod in Bibliis nostris legitur: *Et ostiaria domûs purgans triticum obdormivit.* Tostatus, Lucas Brugensis, & margo Glossæ ordinariæ, verba illa addititia esse monent. Rabani tamen textus illa exhibet.

XVIII. Lib.3. Reg. cap.21. vers.24. secundùm Vulgatam Versionem legimus: *Si mortuus fuerit Achab in Civitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli.* Hæc Prophetia videtur falsa, si recta sit nostra Versio: Achab enim occisus est in agro, nec tamen cadaver ejus a volucribus cæli comestum est, sed sepultum, ut constat ex cap.22. v.37. *Mortuus est autem Rex* (Achab) *& perlatus est in Samariam, sepelieruntque Regem in Samaria.* At Textus Hebraicus aliter habet, & secundùm eum sarta tecta servatur Prophetiæ veritas, cùm non ipsius Achabi, sed aliquorum ex ipsius posteris cadavera insepulta mansura esse prænuntiet. Sic enim habet Textus Hebraicus secundùm translationem Sanctis Pagnini, *Eum qui mortuus fuerit de Achab in Civitate, comedent canes; & qui mortuus in agro, comedent volucres cæli.* Consonat Versio Septuaginta Interpretum: *Mortuum de Achab in Civitate comedent canes, & mortuum ejus in campo comedent volatilia cæli.* Paraphrasis Chaldaica: *Eum qui mortuus fuerit Achabo in urbe, comedent canes; & eum qui mortuus fuerit in agro, comedent aves cæli.* Versio Syriaca: *Morientem Achabo in Civitate devorabunt canes, & morientem ei in deserto devorabunt volucres cæli.* Arabica: *Præterea quicumque morietur Achabo in Civitate, devorabunt canes: & quicumque morietur in solitudine, hunc devorabunt volucres cæli.*

XIX. Lib. 3. Reg. cap.6. v. 1. Vulgata nostra habet: *Factum est ergo quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti in anno quarto, mense Zio* [*ipse est mensis secundus*] *regni Salomonis, super Israël, ædificari cœpit domus Domino.* Sed vel mendum est in illo numero quadringentorum octoginta annorum, vel in illo Actuum Apostolorum 13. v.20. ubi Deus dicitur distribuisse sorte terram Chanaam post *quadringentos & quinquaginta annos, & post hæc dedisse Judices usque ad Samuelem.* Necesse est, inquam, alterutrum horum numerorum esse mendosum, cùm simul consistere non possint. Nam si anni sunt 450. a terræ sortitione ad initium Samuelis, anni erunt ab Exodo ad fundatum Templum 580. nam ad illos 450. annos addendi sunt 47. qui fluxerunt ab Exodo ad sortitionem ter-

ræ:

ræ: deinde anni 40. Samuelis & Saulis, tum totidem Davidis, & anni præterea tres priores regni Salomonis (Fundatum enim fuit Templum anno 4. ejus ineunte:) qui omnes anni conficiunt simul 130. annos: qui additi præcedentibus illis 450. faciunt 580. Itaque ex Sancti Pauli mente, & calculo Actuum 13. Templum fundatum fuit anno ab Exodo 580. exeunte, non verò 480. ut dicitur 3. Regum v.1. Confirmatur hæc lectio ex Josepho, lib.8. Antiquitatum Judaicarum, cap.2. *Exorsus est*, inquit, *Salomon fabricam hanc* (Templi) *anno regni sui quarto; annis quingentis nonaginta duobus, postquam Israëlitæ Ægypto excessērant; mille & viginti annis post Abrahami ex Mesopotamena regione in Chananæam migrationem.* Nempe si præcedentibus quingentis nonaginta duobus annis addas quadringentos & triginta, quot scilicet fluxerunt a prima Abrahami vocatione ex Ur Chaldæorum ad legem datam, juxtà Sancti Pauli calculum ad Galatas 3. vers.17. exurgent mille viginti duo anni. Ubi Josephus ad calculum nostrum addit duodecim annos. Numerat enim 592. nos verò tantùm 580.

XX. Lib.1. Paralipomenon, cap.1. versu 32. Vulgata Catalogo filiorum Cethuræ filios Dadani annumerat his verbis: *Filii autem Dadan, Assurim, & Latussim, & Laomim.* Quæ verba expungi possent, cùm nec in Hebræis Codicibus, nec in Græcis Editionis Regiæ, nec in viginti Manuscriptis a Luca Brugensi recensitis & collatis legantur. Ex Genesis, cap.25. v.3. huc videntur intrusa.

XXI. Paralipom.2. cap.17. v.6. de Josaphat legimus in Vulgata nostra: *Etiam excelsa & lucos de Juda abstulit*, Eruditis Viris legendum videtur, *non abstulit*, ut conveniat hic locus cum eo quod de eodem Josaphat dicitur 3. Reg.22. v.43. & 44. *Fecitque quod rectum erat in conspectu Domini, verumtamen excelsa non abstulit.* Et 2. Paralipomenon 20. v.33. idem totidem verbis repetitur.

XXII. Paralipom.2. cap.36. v.9. Vulgata nostra habet: *Octo annorum erat Joachim cùm regnare cœpisset, & tribus mensibus ac decem diebus regnavit in Jerusalem.* 4. verò Regum 24. v.8. dicitur: *Decem & octo annorum erat Joachim cùm regnare cœpisset.* In alterutro loco mendum esse volunt Viri Eruditi. In Paralipom. pro 8. reponendum esse 18. argumento est, *Quod malum fecisse* dicitur *in conspectu Domini*, omnino prout fecerat pater ejus, & quòd uxores ejus simul cum eo deportatæ memorentur (4. Reg. 24.) quæ octo annorum puero minùs competunt. Forsan poterit uterque locus conciliari, si octo annorum fuisse dicatur Jechonias, quando cœpit regnare vivente patre; octodecim verò quando regnavit solus mortuo patre. Vel, si dicatur octavum annum egisse, non ætatis, sed servitutis Babylonicæ, cui ipse cum populo suo tunc erat obnoxius. Quo enim tempore patri successit in regno Jechonias, a captis anno Joakimi 4. Hierosolymis octavus numerabatur annus.

XXIII. 2. Paralipom. cap.22. v.2. Vulgata nostra habet: *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cùm regnare cœpisset, & uno anno regnavit in Jerusalem.* At Joram patrem Ochoziæ vixisse tantùm annos 40. colligitur ex 2. Paralipom. 21. v.20. ubi dicitur Joram triginta duorum annorum fuisse cùm regnare cœpisset, & octo annis regnasse Hierosolymis. Emendari potest hic locus ex 4. Reg. 8. v.26. & pro 42. legendum 22. sic enim ibi: *Viginti duorum annorum erat Ochozias cùm regnare cœpisset.* Nec solùm in Græcis aliquibus MSS. (ut Nobilius & Usserius notant) (nam in Sixtina editione Septuaginta Interpretum viginti hic anni tantùm leguntur.) Sed in Bibliis etiam Syriacis, quibus a primævis temporibus Ecclesia Antiochena usa est, idem in 2. Paralipom. cap.22. qui in 4. Reg. 8. expressus habetur numerus.

XXIV. 2. Paralipom. 16. v.1. dicitur *Baasa Rex Israël muro circumdedisse Rama anno trigesimo sexto regni Asa.* At obiisse Baasa vigesimo sexto anno Asæ colligitur ex lib.3. Reg. cap.16. v.6. & 8. ubi en anno Ela, Patre Baasa defuncto, regnum Israëliticum cœpisse dicitur. At nullum hic mendum in Vulgata nostra suspicari quis debet, cùm in utroque loco exemplaria omnia Hebræa, Græca & Latina eumdem annorum numerum adscribant. Conciliationis viam aperiunt Tremellius & Usserius, notando quòd cùm regna modò a populis denominentur, modò a personis regnantibus; regnum Asæ hìc appellatur regnum Juda, a diviso populo quem tunc obtinebat Asa. Cùm enim confecto bello Æthiopico, Hierosolymam rediisse dicatur Asa, regni decimo quinto (2. Paralipom. 15. v.10.) in postremo ejusdem capitis versiculo subjicitur: *Bellum verò non fuit usque ad trigesimum quintum annum regni Asa.* Ad annum verò Asæ decimum quintum additis annis Roboami septemdecim, & Abiæ tribus, exurgit annus trigesimus quintus regni Judaici ab Israëlitico sejuncti.

De aliis mendis levioribus, quæ extare videntur in libris Paralipomenon, lege Ludovicum Capellum, lib. 6. Criticæ Sacræ, cap. 7. cui per omnia consentit Grotius in Annotationibus. Legendus Vatablus, qui commodè interdum exponit lectionem Vulgatæ nostræ, quam illi sollicitant.

XXV. Lib. Judith cap.15. v.7. Vulgata Versio habet: *Et prædam quam fugientes Assyrii reliquerant, abstulerunt, & onustati sunt valde.* Verisimile est legendum esse, *Et honestati sunt valde*, id est ditati. Græcè enim legitur ἐπλούτησαν. Solet autem Vulgatus Interpres vocem, *honestus*, usurpare pro divite: Sap.10. v.11. *Honestum fecit eum.* Sap.5. v.11. *Honestavit illum in laboribus.* Eccles.11. v.14. *Paupertas & honestas a Deo sunt.* Et cap.13. v.2. *Pondus super se tollit, qui honestiori se communicat.* Ita restituendam esse hujus loci lectionem conjicit Lucas Brugensis.

XXVI. Lib. Hester cap.15. v.4. Vulgata nostra habet: *Die autem tertio deposuit vestimenta ornatûs sui, & circumdata est gloria sua.* Pugnantia involvere videtur hic locus, nisi pro voce *ornatus* legatur, *oratus*, quomodo legendum esse Viri conjiciunt Eruditi, id est *vestimenta orationis.* Qua voce utitur inter alios Sanctus Hieronymus Præfatione in libros Didymi de Spiritu Sancto. Vestimenta porrò oratûs sive orationis, sunt vestimenta lugubria, qualia orantem ac supplicem decent: de quibus cap.14. v.2. *Cùmque deposuisset vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit.*

XXVII. Psalmos secundùm Versionem Septuaginta Interpretum retinet Vulgata nostra, quæ in multis locis ab Hebraico Textu longè discedit. Psalmo 2. Vulgata habet: *Apprehendite disciplinam:* Hebræus: *Osculamini Filium:* vel *Adorate purè*, ut Sanctus Hieronymus vertit. Licèt idem sit utriusque lectionis sensus, siquidem apprehendere Disciplinam Filii Dei, idem est ac ipsi obsequi, eumque adorare ac osculari: tamen Hebraicus Textus videtur esse luculentior ac nitidior.

XXVIII. Psalmo 31. Vulgata habet: *Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina.* Hebraicus verò Textus: *Versus est vigor meus in siccitates æstivas.* Quæ lectiones quamquam eidem Textui Originario ob vocum Hebraicarum multi-

pli-

plicem significationem ac potestatem conveniant, eumdemque reddant sensum: siquidem gemitum exprimunt Davidis, immutatum corporis sui habitum, ossium suorum ac medullarum ariditatem, carnisque maciem ex patrato adulterio consecutam querentis; sive quod idem est, infixum vulnus, aut infixam spinam cordi se gerere, quæ pinguedinem suam depasceretur: nihilominus Versio Textûs Hebraici immediata nitidior est.

XXIX. Psalm. 67. v. 13. Vulgata habet: *Rex virtutum dilecti, dilecti, & speciei domus dividere spolia: Si dormiatis inter medios Cleros, pennæ Columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Hebraicus Textus habet: *Reges exercituum fugiebant, & habitatrix domus dividebat spolia. Si dormieritis inter medias sortes, eritis sicut pennæ Columbæ, quæ tecta est argento, & alæ ejus flavo auro.* Sensus idem utriusque lectionis, sed clarior Versio ex Hebræo.

XXX. Psalmo 71. vers. 16. Vulgata nostra habet: *Et erit firmamentum in terra, in summis montium.* Clarior est Versio ex Hebræo: *Erit pugillus frumenti in terra, in capite montium.* Vel, ut vertit Sanctus Hieronymus: *Erit memorabile triticum in terra, in capite montium.* Chaldaica Paraphrasis: *Erit sacrificium frumenti in terra, in capite montium, in Ecclesia.*

XXXI. Psalmo 89. vers. 10. Vulgata habet: *Quoniam supervenit mansuetudo, & corripiemur.* Hebræus Textus: *Quoniam transivimus & avolavimus*, ut vertit Sanctus Hieronymus. Vel, *Quoniam recessit citò, & avolavimus*, ut vertit Sanctes Pagninus. Planior autem & clarior sensus est Textûs Hebraici ad vitæ brevitatem, de qua sermo est, exponendam.

XXXII. Psalmo 13. Tres isti versus post tertium sequentes: *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei ante oculos eorum.* Hi, inquam, versus in Hebræis Codicibus non leguntur, ut Sanctus Hieronymus, Cassiodorus, & Haimo Halberstatensis notant; nec in omnibus Codicibus Græcis, unde Sanctus Joannes Chrysostomus, Theodoretus & Euthymius illos non agnoscunt: nec in Chaldaica Paraphrasi. Quia tamen in Codice MS. Vaticano ⁊ Septuaginta venerandæ antiquitatis & optimæ fidei, & in Codice Alexandrino, qui in Bibliis Polyglottis editus est, aliisque insignibus MSS. habentur; necnon apud plerosque veterum Patrum Græcorum, & apud Ruffinum, & Sanctum Augustinum, & in omnibus Versionis Vulgatæ Latinæ MSS. exemplaribus, retinendi sunt; præsertim cùm Vulgata Versio Latina Psalmorum ex Septuaginta, non ex Hebræo immediatè expressa sit.

XXXIII. Psalmo 21. Vulgata: *Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me.* Legendum est, *Auxilium meum a me.* Quæ lectio & Hebræo respondet, & sinceræ Septuaginta Versioni, ut notat Sanctus Hieronymus in Epistolâ ad Suniam & Fretelam scribens: *Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum. Dicitis vos invenisse, meum, quod & verum est, & ita corrigendum. Neque enim si quid scriptorum est errore mutatum, stultâ debemus contentione defendere.* Sic etiam legere Gallicum Lobiensis Cœnobii Psalterium, & Textum Brunonis Herbipolensis Episcopi, Lucas Brugensis notat.

XXXIV. Psalmo 38. hic versus: *Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens:* In Textu Hebraico non habetur; sed sub veru additum est in Septuaginta, teste Sancto Hieronymo Epistolâ 135. sed habetur solùm juxtà Hebræum: *Verumtamen vanè conturbatur omnis homo vivens.*

XXXV. Psalmo 43. v. 15. ubi legimus: *Posuisti nos in similitudinem gentibus*, secundùm Hebraicum Textum legendum esset: *Posuisti nos proverbium gentibus*, ut advertit Sanctus Hieronymus Epistolâ 135.

XXXVI. Psalmo 47. v. 5. ubi legimus: *Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt*, vox *terræ* expungi potest, cui nulla respondet in Hebræo, vel Græco Textu. Unde a Sancto Hieronymo sublata fuit, ut ipse testatur Epist. 135.

XXXVII. Psalmo 54. ubi legimus, *Expectabam eum qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, & tempestate*; pro ὀλιγοψυχία, quod significat pusillanimitatem, Aquila, Symmachus, Theodotion, interpretati sunt ἀπὸ πνεύματος, id est, *a spiritu*, & in Hebræo scriptum est, *Meruah*: Textusque Hebraici sensus ita apud eos exprimitur: *Festinabo ut salves a spiritu tempestatis & turbinis.*

XXXVIII. Psalmo 44. v. 14. ubi legimus: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*, vox *ejus*, superflua est, & sensum interturbat, nec in Græcis Auctoribus, Justino, Basilio, Theodoreto, Euthymio legitur. Sanctus Hieronymus ad Principiam Virginem scribens, sic vertit: *Omnis gloria filiæ Regis intrinsecùs.* Et nonnulla Biblia Latinæ Versionis a viris doctissimis emendata, vocem, *ejus*, prætereunt: eamque sensui superfluam esse notat Sanctus Thomas.

XXXIX. Psalmo 46. v. 10. *Quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati sunt*, habet Vulgata nostra: sed legendum est, *Dei*, singularis numeri secundo casu, quæ & Sancti Justini contra Tryphonem disputantis, & Græcorum Enarratorum lectio est. In Latino Psalterio, quod inter Sancti Hieronymi Opera extat, *Dei*, legitur.

XL. Psalmo 67. v. 23. *Convertam in profundum maris.* Legendum est in profundo vel *ex profundis maris*, ut habent antiqua probatæ fidei MSS. a Luca Brugensi laudata, Sanctus Hieronymus ad finem Commentarior. in Michæam, Sanctus Augustinus, Cassiodorus, Euthymius, Glossa interlinearis, & consonat hæc lectio Hebræo Textui.

XLI. Psalmo 73. v. 8. ubi legimus: *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra:* Juxtà Hebraicum Textum legendum est: *Incendamus omnes dies festos Dei a terra.* Quomodo etiam Aquila, Symmachus, & Theodotion verterunt. Lege Sanctum Hieronymum, Epistolâ 135.

XLII. Psalmo 75. v. 5. ubi legimus: *Et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis:* expungenda est præpositio *in*, juxtà Textûs Græci fidem (ex Sancto Hieronymo Epistolâ 135.)

XLIII. Psalmo 76. v. 7. pro eo quod legimus: *Scopebam spiritum meum*, habetur apud Septuaginta ἔσκαλλον, id est, *Rimabar spiritum meum.* Propriè autem σκαλισμὸς in agricultura dicitur, in sarriendo, id est, sarculando; & quo modo ibi quæruntur herbæ sarculo quæ secentur: sic & iste retractatum cogitationum suarum metaphoricè a sarciendo demonstravit. Et sciendum quod ἔσκαλλον non semel, sed frequenter significet: [ut notat Sanctus Hieronymus Epistolâ 135.]

XLIV. Psalmo 89. ubi legimus: *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione vultus tui:* legendum est: *Ignorantias*, aut *negligentias nostras in illuminatione vultus tui.* Id enim significat vox Hebraica *halumenu*: quam Quinta Editio interpretatur *adolescentiam*, quasi dicat, *Delicta adolescentiæ.* Mirum porrò quòd Septuaginta *sæculum* transtulerint, nisi fortè quod in sæculo, & in vitæ hujus tempore vitia committantur. Id notat Sanctus Hieronymus Epistolâ 139.

XLV.

XLV. Psalmo 93. v. 15. ubi legimus: *Et qui juxtà illam omnes qui recto sunt corde;* planiùs, *qui* utroque omisso, verti potest, Hebræoque convenientius: *Et post ipsum omnes recti corde*. Lege Theodoretum. Græco etiam Textui magis consonat, cujus Versio sic habet: *Et propinqui ejus omnes recti corde*. Chaldaica Paraphrasis: *Et post ipsum redimentur omnes recti corde*. Ad hujus perspicuitatem lectionis accedit Augustiniana lectio: *Et qui habent eam omnes recti sunt corde*.

XLVI. Psalmo 101. v. 7. *Factus sum sicut nycticorax in domicilio:* Hæbræus Textus ita verti postularet: *Et factus sum sicut noctua in ruinosis*.

XLVII. Psalmo 103. ubi legimus: *Herodii domus dux est eorum*, v. 17. Sanctus Hieronymus ex Hebræo vertit: *Milvi abies domus est:* Quia scilicet Milvus semper in excelsis & ardois arboribus nidum facere consuevit. Unde & Sexta Editio manifestiùs interpretata est: *Milvo cupressus ad nidificandum*. Pro abietibus autem & cupressis in Hebræo ponitur *Beresim*, quod magis abietes, quàm cupressos significat. Lege Sanctum Hieronymum Epistolâ 135.

XLVIII. Psalmo 118. v. 28. legimus: *Dormitavit anima mea præ tædio*. Hanc lectionem etsi Latini Codices exhibeant, eamque sequantur Hilarius, Augustinus, Cassiodorus: Licèt huic suffragentur & Codices Græci, eamque Theodoretus & Euthymius sequantur; Hebræo tamen convenientior est versio Sancti Hieronymi: *Distillavit anima mea præ tristitia:* (ut emendatiores Codices habent, non ut in quibusdam impressis corruptè legitur, *præ stultitia*.) Lege Sanctum Ambrosium qui hanc vindicat Versionem, eamque auctoritate Origenis confirmat; & certè vox Hebræa *Dadaph*, *stillare* propriè significat, ut norunt quotquot Hebraicè norunt. Et in ea significatione usurpatur Proverb. 27. v. 15. ubi *Stillatio assidua in die pluviæ, & litigiosa mulier* comparantur. Et Job. 16. ubi Vulgatus Interpres vertit: *Stillat oculus meus*.

XLIX. In eodem Psalmo v. 147. ubi legimus: *Præveni in maturitate & clamavi:* Græcus Textus habet: προέφθασα ἐν ἀωρίᾳ, id est *Præveni in immaturitate*, id est, *ante horam*, *ante tempus*, ut Sanctus Ambrosius interpretatur. Lege & Sanctum Augustinum in hunc locum. Bruno Herbipolensis Episcopus legit etiam, *In immaturitate*. Remigii Autisiodorensis expositio hanc adstruit lectionem: *Et meritò*, inquit, *debet me clamantem & honesta petentem exaudire, quia ego alios præveni imaturitate, id est in adolescentia quæ ætas est immatura & indomita ad custodienda mandata tua. Cùm ergo ætate adhuc videar immaturus ad talia, tamen ad te clamavi, & præveni alios bene vivendo*. Favet Haimo Halberstatensis: *Et non tantùm clamavi, sed etiam præveni alios immaturitate: quia cùm alii in perfecta ætate ad te venire soleant, ego puer & immaturus ad te festinavi*. Vel, *Præveni immaturitate, id est, ante adventum tuum, scilicet ante tempus plenitudinis & gratiæ ad te promerendum*. Eidem lectioni Sanctus Hilarius disertè suffragatur. S. Bruno Carthusianorum Pater hanc lectionem explicat. *Et justum est*, inquit, *ut me salvum facias & exaudias propter hæc merita mea; quia adhuc positus in immaturitate id est, immatura ætate, scilicet juventute, præveni, in bonis operibus, id est, antevenì omnes Fideles, qui tandem in senectute, quæ matura ætas est, cœperunt bona operari*. Commentaria quidem Arnobio & Sancto Hieronymo adscripta legunt, *in matuеritate*; sed non tanti sunt illa ponderis ut nubem SS. Patrum dimittamus. Ex Hebræo vertit S. Hieronymus. *Surgebam adhuc in tenebris:* Alii. *Præveni crepusculum, vel diluculum;* quæ Versiones hanc lectionem, *Præveni in immaturitate*, omnino juvant. Nihil itaque prohibet quin ita restituatur hic locus: *Præveni in immaturitate & clamavi*.

L. Psalmo 126. v. 2. ubi legimus: *Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis:* Quamquam ita legant Græci plerique Codices, & multi veterum Patrum explicent, Hilarius, Augustinus, Prosper, Cassiodorus, Gregorius, lib. 8. Moral. cap. 3. Haymo, Remigius, Bruno: tamen ex multorum optimæ notæ Codicum fide restitui sic posset iste locus. *Vanum est vobis ante lucem surgere, surgere postquam sederitis*. Lege Theodoretum & Euthymium hujus vindices lectionis. Convenientior illa 70. Interpretum Versioni, nec non & Hebræo Textui, cujus verba sic reddit S. Hieronymus; *Frustra vobis est de mane surgere postquam sederitis*. Itaque nec repetitio verbi, *Surgere*, consentanea est Hebræo Textui, quam ideò in probatis Codicibus obelo transfixam notat Lucas Brugensis. Vide & Jacobum de Valentia Commentario in hunc locum.

LI. In eodem Psalmo v. 4. ubi legimus: *Sicut sagitta, in manu potentis, ita filii excussorum:* Sanctus Hilarius, *Excussorum filios*, credentium populos interpretatur, id est Apostolorum, quibus in Evangelio præceptum est, ut cùm in aliquam Civitatem recepti non fuerint, pulverem pedum suorum excutiant in testimonium non credentium. Verum optimè notaverat Marcella ad Sanctum Hieronymum scribens, Apostolos dicendos potiùs fuisse *Excutientes*, quàm *Excussos*; & sic dicendum fuisse, *ita filii Excutientium*, potiùs quàm *filii Excussorum*. At hæc ambiguitas tolletur, si Textum Hebraicum consulamus, secundùm quem vertendum esset. *Sicut Sagitta in manu potentis, ita filii juventutis*. Ex quo manifestum est adolescentiæ populos intelligi Christianos, secundùm illud exemplum, quod Deus suos Sanctos in modum arcûs & sagittarum dicatur extendere, ut in Propheta Zacharia, cap. 9. *Quoniam extendi te mihi Juda in arcum*. Et Salvator de semetipso Isaiæ 49. *Posuit me sicut sagittam electam, & in pharetra sua abscondit me*. Denique in sequenti versu, & in Hebræo, & in cunctis editionibus (præter quàm in Septuaginta) legitur: *Beatus vir qui replevit pharetram suam ex ipsis;* ut quia metaphoram semel sumpserat ex sagittis, & in Pharetra quoque translatio servaretur. *Excussos* autem & consuetudo sermonis humani vegetos, & robustos, & expeditos vocat, & ipsi Septuaginta Interpretes in libro Esdræ pro *Juvenibus* transtulerunt. Ubi enim legimos secundùm Volgatam nostram, *Media pars Juvenum faciebat opus*, Septuaginta legunt: *Medii Excussorum faciebant opus*. Ex quo animadvertimus & in præsenti loco, pro adolescentibus atque puberibus, excussos positos, non pro Apostolis, qui excossi a pedum excussione dicantur. Hanc annotationem debemus S. Hieronymo Epistolâ 141. ad Marcellam.

LII. Psalmo 131. v. 14. ubi legimus: *Viduam ejus benedicens benedicam;* Septuaginta Interpretes non χήραν id est, viduam, sed θήραν, id est, venationem transtulerunt. Et certè vox Hebraica nullo modo viduam, sed *victum* seu *venationem* significat, ut annotavit S. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis in Genesim; quem & ita vertisse ex Hebræo: *Venationem ejus benedicens benedicam*, ex Hieronymiano Canone Hebraicæ Veritatis compertum est.

LIII. Proverbiorum 10. v. 4. Vulgata nostra habet: *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos: idem autem ipse sequitur aves volantes*. Sed hæc sententia nec in Hebræo Textu, nec in sincera

τῶν Septuaginta verſione, nec in Syriaca, nec in Arabica, neque in Chaldaica Paraphraſi legitur, nec in Hieronymiano Canone Hebraicæ Veritatis. Abeſt & a Latinis Codicibus longè pluribus, & ab iis libris quos FF. Prædicatores * ab annis quadringentis ex Codicibus Caroli Magni juſſus conſcriptis in Gallia emendarunt. Hanc ſententiam non agnoſcit Auctor Commentarii Sancto Hieronymo adſcripti, quem venerabilem Bedam eſſe putat Lucas Brugenſis. Non agnoſcit Hugo Cardinalis. In Græcis pleriſque Codicibus legitur, c.9. irrepſitque jam ab antiquo: ſiquidem S. Auguſtinus L.3. contra Creſconium, c.9. hæc verba laudat: *Qui fidit in falſis, hic paſcit ventos*. Addititia quoque eſt ea ſententia quæ cap. 12. v. 11. in Vulgata noſtra legitur: *Qui ſuavis eſt in vini demorationibus, in ſuis munitionibus relinquit contumeliam*. Neque enim in Hebræo Textu extat, nec in Chaldaica Paraphraſi, nec in Syriaca Verſione, nec in Latinis Codicibus fermè triginta, ut notat Lucas Brugenſis. Abeſt etiam, ut idem obſervat, a Bibliis antiquis ſtudio FF. Prædicatorum emendatis, & a Codicibus quos inſpexerunt, & unà contulerunt. Sumpta eſt autem hæc ſententia ex Verſione Septuaginta Interpretum in qua eodem loco legitur: *Qui eſt jucundus in vinorum converſationibus, in ſuis munitionibus relinquet ignominiam.*

Fratres noſtri ſacris ſtudiis olim in commune incumbebant. Utinam hic verè Dominicana Diſciplina Spiritus cum aliis regularis Obſervantiæ moribus ſuſcitetur!

LIV. Proverb. 17. v. 16. Vulgata noſtra habet: *Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam: & qui evitat diſcere, incidet in mala*. Hæc ſententia abeſt a Textu Hebraico, a Chaldaica Paraphraſi, a Syriaca Verſione, ab Hieronymiano Canone Hebraicæ Veritatis, a triginta fermè Codicibus Latinis quos Lucas Brugenſis recenſet, ab iiſque præſertim, quibus jam olim uſi ſunt in Bibliorum emendatione FF. Prædicatores in Galliis. Apud Septuaginta Interpretes habetur: *Qui excelſam facit ſuam domum, quærit contritionem. Qui autem tortuosè accedit ad diſcendum, incidet in mala*. Verſus autem iſte videtur ex aliis ejuſdem capitis conflatus. Prior enim pars: *Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam*; Cum verſu 19. convenit, in quo legimus: *Et qui exaltat oſtium, quærit ruinam*. Quæ verba Hebræo Textui reſpondet, & a Chaldæo Paraphraſte illuſtrantur, extantque etiam in Syriaca Verſione: Et in Codice Alexandrino τῶν Septuaginta, in Bibliis Polyglottis edito, ommittuntur tamquam priùs adſcripta, verſu ſcilicet 16. & prætermittuntur etiam in exemplaribus Aldino, Argentoratenſi, & Baſileenſi. Poſterior verò pars laudatæ ſententiæ convenit cum verſu 20. *Et qui vertit linguam, incidit in malu*. Quæ tamen in Græcis Codicibus conſtanter ſuo loco legitur.

LV. Proverb. cap. 14. verſu 15. Vulgata habet: *Filio doloſo nihil erit boni; ſervo autem ſapienti proſperi erunt actus, & dirigetur via ejus*. Hic verſus deeſt in Hebræo, Græcoque Textu, in Chaldaica Paraphraſi, & in Syriaca atque Arabica Verſione, in Hieronymiano Canone Hebraicæ Veritatis, & in pleriſque omnibus Codicibus Latinis.

LVI. Proverb. 15. v. 27. Vulgata habet; *Per miſericordiam & fidem purgantur peccata. Per timorem autem Domini declinat omnis a malo*. Cap. verò 16. eamdem ſententiam repetit verbis paululum immutatis, v. 6. *Miſericordia & veritate redimitur iniquitas; & in timore Domini declinatur a malo* In alterutro loco expungenda eſt. In primo quidem loco deeſt in Hebr. Textu, in Chaldaica Paraphraſi, in Syriaca Verſione, & in quibuſque optimæ notæ Codicibus Latinis. Legitur autem ſecundo loco. At in Septuaginta Interpretum Verſione legitur priori loco, deſideratur in poſteriori. Verſio Arabica illam habet priori loco ſicut Græca, poſteriori prætermittit. Vulgatus itaque Interpres, cap. 15. ſententiam ex Septuaginta mutuatus eſt, cap. 16. eam ſervavit ex Hebræo, vel ibi non repetendam, vel in ſuperioribus omittendam.

LVII. Proverb. 18. v. 8. Vulgata Verſio habet: *Pigrum dejicit timor, animæ autem effœminatorum eſurient*. Verſ. verò 22. *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt & impius*. At hi verſus non extant in Hebræo, nec in Hieronymiano Canone Hebraicæ Veritatis, nec in pleriſque Codicibus Latinis, nec in Paraphraſi Chaldaica; ſed in Vulgatam traducti ſunt ex Verſione Septuaginta Interpretum. Idem eſto judicium de hac ſententia, quæ legitur v. 9. cap. 22. *Victoriam & honorem acquiret qui dat munera; animam autem aufert accipientium*. Idem de illa quæ legitur, cap. 25. v. 10. *Gratia & amicitia liberant, quas tibi ſerva, ne exprobrabilis fias*. Et de illa quæ legitur v. 20. *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi*. Quæ nec in Hebraicis legitur, nec in Hieronymiano Canone Hebraicæ Veritatis, nec in plurimis antiquiſſimis probatiſſimiſque Latinis, iis præſertim quibus uſi ſunt in emendandis Bibliis FF. Prædicatores Gallicani; nec a Venerabili Beda agnoſcitur. Eam tamen Sanctus Auguſtinus laudat, lib. 21. de Civitate, cap. 9. utique ex Græco Textu Septuaginta Interpretum. Extat in Chald. Paraphraſi, in Syriaca & Arabica Verſionibus, unde non eſt temerè abjicienda.

LVIII. Prov. 30. v. 19. ubi legimus: *Et viam Viri in adoleſcentia*: legendum eſt; *Et viam viri in adoleſcentula*, ſecundùm Textum Hebraicum; id enim ſignificat vox *Halma*, eadem quæ legitur Iſai. 7. v. 14. ubi ſummo conſenſu vertunt omnes Interpretes. *Ecce Virgo*, aut, *adoleſcentula concipiet*. Paraphraſ. Chald. habet: *Et viam viri in Virgine*. Ita legendum aſſerunt Lyranus, Magdalius, Janſenius Gandavenſis, Lucas Brugenſis, Hugo Cardinalis, Biblia a FF. Prædicatoribus olim in Galliis emendata. Verſio quidem Septuaginta Interpretum nunc habet: *Et vias viri in juventute*. Symmachus verò vertit, ἐν νεανίδι, *in adoleſcentula*, forſan a Librariis ſcriptum eſt ἐν νεότητι, *in adoleſcentia*, pro eo quod verterant Septuaginta Seniores, ἐν νεανίδι.

LIX. Ibidem verſu 29. 30. & 31. *Tria* enumerantur, *Quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter*. Tria prima in Vulgata noſtra Verſione diſtinguuntur manifeſtè, quartum obſcuriùs. Sanctus Gregorius Magnus, lib. 3. Moral. cap. 5. & Beda quartum eſſe exiſtimant eum, *Qui ſtultus apparuit, poſtquam in ſublime elevatus eſt*, de quo in v. 32. At illud ad aliam omnino ſententiam pertinet. Unde neceſſe eſt quartum Regem intelligere his verbis ſignificarum: *Nec eſt Rex qui reſiſtat ei*. Clariùs reddi poſſet & convenientiùs Hebræo: *Et Rex Alcum cum eo*. Sic Santes Pagninus, vel ut Græci; *Et Rex qui concionatur in gente*. Vel, ut Vatablus, *Et Rex in quem nemo inſurgit*. Vel ut Chaldaica Paraph. *Et Rex qui ſtat & loquitur in domo populi ſui*. Sic reſtituendum hunc locum Lyranus, & Janſenius opinantur. Sic reſtituit & Clarius, ſic Dionyſ. Richel. Sic Lucas Brugenſis, *Et Rex, nec eſt qui reſiſtat ei*.

LX. Lib. 1. Sapientiæ, cap. 4. v. 4. Vulgata noſtra habet: *Et ſpuria vitulamina non dabunt radices altas*. Planior eſſet lectio ac melior: *Et adulterinæ plantationes non dabunt radices altas*. Hanc aſſerit Sanctus Auguſtinus, lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 12. Hanc duodecim exemplarium au-

cto-

ctoritate, necnon Lyrani, Hugonis Cardinalis, & Richelii suffragio confirmat Lucas Brugensis, & Gallicanorum Dominicanorum, qui Biblia Sacra jam olim emendaront: qui & notant, *Vitulamina* forsan a vite diei; quæ est generosa plantatio, in eumque sensum laudant Sanctum Ambrosium quadam in Epistolâ scribentem: *Vos estis nobilia vitulamina*, id est, nobiles plantationes. Septuaginta habent: *Et adulterina plantationes non dabunt radices altas*. Syriaca: *Et qui e semine sunt peregrino, radicem in profundum non edent*. Arabica: *Et ex stolonibus adulterinis haud immergetur alta radix, neque firmam edent truncum*. Stolones sunt plantæ teneræ novellique rami.

LXI. Sapientiæ 12. 17. ubi legimus: *Et horum qui te nesciunt audaciam traducis*, legendum est: *Et horum qui sciunt*. Hanc lectionem ita restituit Lucas Brugensis ex Codicibus Malmundariensi, Plantiniano, & Augustini Hunnæi. Sanctus Augustinus: lib. 83. Quæstionum, Quæst. 53. legit: *Sed in his qui sciunt, audaciam traducis*, Septuaginta vertunt: *Et in his qui sciunt, audaciam traducis*. Syriaca: *Quos nosti, vehementer redarguis*. Arabica: *Declaras enim robur tuum his qui plenitudinem potentiæ tuæ minimè credunt: inter eos autem qui norunt illam, audaciam eorum redarguis*.

LXII. Ecclesiastici, cap. 1. v. 16. ubi Vulgata nostra habet: *Cum electis fœminis graditur*, legendum est, *Cum electis seminis*. Græcè τῶν ἐκλεκτῶν σπέρματι, id est, cum iis qui ex Fidelium semine electi sunt.

LXIII. Cap. 11. vers. 15. & 16. habet Vulgata: *Sapientia & Disciplina, & scientia legis apud Deum. Dilectio & via bonorum apud ipsum. Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt: qui autem exultant in malis, consenescunt in malo*. Expungi possent auctoritate Ecclesiæ istæ sententiæ, quæ desunt in Vulgatæ Versionis Codicibus antiquissimis MSS. plusquam triginta, partim a doctissimo Cardinali Sirleto, partim ab Hentenio, partim a Luca Brugensi collatis. A Rabano, Lyrano, & Richelio non agnoscuntur. Illas Gallicani Prædicatores qui Bibliorum emendationi olim insudavere, confoderunt. Non extant in Codice Alexandrino Versionis τῶν Septuaginta, qui in Bibliis Polyglottis excusus est; nec in Vaticano, qui typis excusus est in Sixtina editione.

LXIV. Cap. 14. v. 10. Vulgata habet; *Oculus malus ad mala, & non satiabitur pane, sed indigens & in tristitia erit super mensam suam*. Hæc Versio Græco Textui non respondet. Nam his verbis, *ad mala*, nihil æquivalet in Græco Textu. Videtur expositio fuisse ejus quod præcedit, *Oculus malus*, ad mala scilicet respiciens, quæ ex Glossa in Textum intrusa est. Hæc verò verba; *Et in tristitia erit super mensam suam*, superflua videntur. Habent solùm Græci Septuaginta Interpretum Codices: *Oculus malus invidus in pane*; id est invidens & subtrahens sibi panem: *Et egenus super mensam suam*. Jansenius duas interpretationes ex Græca lectione diversa profectas; & in unam imperitè conjunctas existimat. Nam ἐλλιπὴς quod exemplaria legunt, indigentem; ἐν λύπῃ quod affine est, *in tristitia* significat. Hanc juvat conjecturam Rabanus qui non aliud legit, quàm, *Et indigens erit super mensam suam*. Huic & Bessarionis Codex, & alii a Luca Brugensi laudati suffragantur.

LXV. Cap. 37. v. 12. Vulgata nostra habet: *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum injusto de justitia*, &c. *non attendas his in omni consilio*. Videtur hæc lectio mendosa, & pugnantia involvens. Si enim ab his non est accipiendum consilium, neque cum iis his de rebus agendum est. Neque Versio nostra hic respondet Græcæ Editioni Septuaginta Interpretum, qui versum nostræ editionis septimum hoc loco adscribentes, sic vertunt: *Noli consiliari cum eo qui te suspectum habet & a zelantibus te absconde consilium: cum muliere de æmula ejus, & cum timido de bello; cum negotiatore de permutatione, & cum emptore de venditione: cum invido de gratiis reddendis: & cum immisericorde de beneficentia: cum pigro de omni opere: & cum mercenario domestico de consummatione: servo pigro de multa operatione: non attendas his de omni consilio*. Docet igitur Sapiens, frustra consilia sumi ab eis qui erga rem, de qua agitur, malè sunt affecti. Noster autem Interpres ita vertit, quasi de monitis, aut de quovis familiari congressu agatur. Sensus igitur est: Ne consilium capias cum muliere de æmula ejus: suadebit enim omnia quæ æmulæ sunt nocitura: cum timido de bello; dissuadebit enim fortia: cum negotiatore de trajectione; intervertet enim tibi lucrum: cum emptore de venditione; vili enim rem æstimabit; cum viro livido de gratiis agendis; suadebit enim ut quàm minimo te liberes: cum impio de pietate seu beneficentia; non dubium enim quin dicturus sit, cur tua vis perdere? cum pigro de quovis opere, omnem enim laborem, ut gravem dissuadebit: cum operario annuali de consummatione; artifices enim quibus in annos & dies merces solvitur, numquam id consilii dabunt quo celeriter absolvi opus possit. Versioni Septuaginta Interpretum Syriaca & Arabica hoc loco penè consentiunt.

LXVI. Isaiæ cap. 5. v. 9. ubi legimus: *In auribus meis sunt hæc, dixit Dominus exercituum*, Sanctus Hieronymus vertit convenientiùs Hebræo: *In auribus meis sunt hæc Domini exercituum*. Hujus Versionis suæ rationem reddit Sanctus Hieronymus in hunc locum. Hanc secuti sunt Haymo & Hugo Cardinal. Hanc adstruunt antiqua & probata MSS. circiter viginti quatuor, inter quæ illa numerantur, quibus olim FF. Prædicatores in Galliis, necnon illa quibus Parisienses Theologi in sacrorum emendatione Bibliorum usi sunt. Mendosa est itaque hoc in loco Vulgata nostra, & restituenda lectio Sancti Hieronymi.

LXVII. Cap. 7. v. 14. ubi legimus: *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel*: mendum est in verbo *vocabitur*. Legendum est, *Vocabis*, ex S. Hieronymo, qui ita vertit post Septuaginta Interpretes, & Aquilam, Theodotionem, & Symmachum, & hanc lectionem in commentariis vindicat. Hanc confirmant MSS. præstantissima a Luca Brugensi laudata. Sanctes Pagninus sic transtulit: *Et vocabis tu, mater, nomen ejus Emmanuel*.

Ibidem v. 15. ubi Vulgata nostra habet: *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum*. Planior esset Versio, si ita haberet: *Ita ut sciat reprobare malum, & eligere bonum*; id est, licet Emmanuel aliorum infantium more lacte & butyro nutriatur, in ipsa tamen puerili ætate bonum a malo discernere poterit, illudque amplecti, illud reprobare, divino lumine quo præ aliis infantibus illustratus erit.

LXVIII. Cap. 60. v. 4. ubi legimus: *Filiæ tuæ de latere surgent*, videtur vertisse Interpres, secundùm Hebræum: *Lac sugent*, ut habet Sanctus Hieronymus in Commentario: Vel ut habet Hieronymianus Canon Hebraicæ Veritatis; *Et filiæ tuæ in latere sugent*.

LXIX. Cap. 9. v. 14. ubi legimus: *Et disperdet Dominus ab Israel caput & caudam, incurvantem & refrænantem die una*: Legendum est, *Incurvantem & depravantem*. Lege Sanctum Hieronymum hîc & libro quinto Commentariorum ad versum 15. capitis 19.

LXX. Cap. 27. vers. 6. Vulgata nostra habet:

Qui

Qui ingrediuntur impetu ad Jacob. Hæc Versio mendosa est: vertendum cum Sancto Hieronymo: *Qui egrediuntur de radice Jacob*. Quinque eximia MSS. a Luca Brugensi laudata habent: *Qui egrediuntur impetu ab Jacob*. Sic Septuaginta transtulerunt: *Venientes filii Jacob*. Versionem Sancti Hieronymi meliorem esse ostendit sequentium verborum analogia, quæ radici Jacob & surculis ex ea sobolescentibus magis conveniunt: *Florebit & germinabit Israel, & implebunt faciem orbis semine*.

LXXI. Ezechielis 1. v.10. Vulgata habet: *Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor*. Deleri posset vox *Desuper*. Sic planior esset sensus & convenientior Hebræo. Lege Sancti Hieronymi Commentar. Sanctes Pagninus vertit: *Et facies Aquilæ quatuor ipsis*. Ita omnino Septuaginta Interpretes, quibus Chaldaica Paraphrasis, & Versiones Syriaca, & Arabica consentiunt.

LXXII. Zachariæ 1. versu 12. ubi legimus secundùm Vulgatam nostram: *Usquequo tu non misereberis Jerusalem & urbium Juda quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est*. Videtur viris doctis quibusdam postrema pars sententiæ, in modum interrogationis efferenda: *Iste jam septuagesimus annus est?* Alioqui vix ejus constare posse veritatem. Annus enim tum secundus agebatur Darii Regis, ut initio capitis dicitur. Septuaginta autem anni Judaicæ in Babylonia servitutis ab 11. Sedeciæ Regis anno ad primum Cyri Regis Persarum numerandi sunt, ut probatur ex lib.2. Paralipom. cap.36. v.17. & sequentibus, collatis cum Prophetia Jeremiæ, cap.25. v.9. 10. & 11. cap.29. versu 10. & cum testimonio Danielis, cap.9. v.1. & 2. quod etiam asserunt Josephus, lib.10. Antiquit. cap.10. & 11. & libro 11. cap.1. & lib.1. contra Appionem; Clemens Alexandrinus, l.1. Stromatum; Eusebius in Chronico & lib.10. Præparationis Evangelicæ, cap.2. Sanctus Hieronymus in cap.4. Ezech. Sanctus Cyrillus Alexandrinus, lib.8. contra Julianum, Julius Hilario, lib. de Mundi duratione; Isidorus Hispalensis, lib.5. Originum, cap.39. Venerabilis Beda & Nicephorus Patriarcha Constantinop. in Chronico, Nicephorus Callistus, lib.1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.6. Cedrenus, Zonaras, & alii. Duæ itaque interrogationes in una Angeli querimonia apud Zachariam sunt intelligendæ. Prior illa est: *Usquequo Domine non misereberis Jerusalem, & urbium Juda quibus iratus es?* Posterior ista est: *Iste septuagesimus annus est?* Quasi Angelus in hunc modum conquereretur: Ita-ne Domine promissionis tuæ oblitus es? Nonne iste septuagesimus annus est, quem scilicet & tu nobis tanta benignitate promiseras, & nos a te tam ardenti desiderio expectabamus? Ecquid nobis confert soluta captivitas & facultas concessa Templum extruendi, & Civitatem, si illud eversum, hæc vastata perseverat? Nec verò inusitatum est ut quædam in Vulgata nostra Editione sine interrogandi nota proferantur, quæ commodiùs & rectiùs ad textùs primitivi sensum interrogationis modo enuntiarentur. Extat exemplum in Epistolà ad Romanos, cap.8. cujus versus 33. & 34. sic proferre solemus: *Quis accusabit adversùs electos Dei? Deus qui justificat, Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. At Sanctus Augustinus, lib.3. de Doctrina Christiana, cap.3. docet sic legi oportere: *Quis accusabit adversùs electos Dei? Deus qui justificat?* ut tacitè respondeatur, *Non*: & item: *Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis?* Quasi dicat, *Absit*. Sic de querela Angeli apud Zachariam sentiunt aliqui, duabus illam interrogationibus contineri. Hunc sensum juvant Interpretis Chaldæi, & S. Pagnini Versiones, quæ sic habent: *Usquequo Domine non misereberis Jerusalem, & urbium Juda, quibus iratus es istis septuaginta annis?* Verùm tamen nihil immutandum hoc loco in Vulgata nostra, patet ex epocha Babylonicæ captivitatis, & annorum 70. desolationis a nobis constituta Dissert.3. in Historiam Ecclesiasticam Veteris Testamenti, ad VI. Mundi Ætatem.

LXXIII. Libro 2. Maccabæorum, cap.12. versu 43. ubi legimus Judam Maccabæum *misisse Hierosolymam duodecim millia drachmas argenti*: Vertendum esset secundùm Græcum, *duo mille*.

LXXIV. Matth.5. versu 22. ubi legimus: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* Quidam addunt, *sine causa*: ut est in quibusdam Codicibus Græcis εἰκῆ Sanctus Irenæus, lib.2. cap.56. & lib.4. cap.31. ita hanc sententiam laudat. Ita Auctor Epistolæ ad Zenam & Serenum apud Sanctum Justinum. Ita Sanctus Chrysostomus, Auctor Operis imperfecti in Matthæum, Euthymius, Theophylactus. Ita ante hos omnes Sanctus Cyprianus, libro 3. Testimoniorum ad Quirinum, Origenes Tractat.8. in Matthæum. Sanctus Isidorus Pelusiota his succinit, Epistolà 239. libri 2. Sanctus tamen Hieronymus hanc vocem, *sine causa*, monet expungendam, in Commentario, & lib.2. adversùs Pelagianos, in plerisque Codicibus antiquis eam deesse notat. Quod observat & S. Augustinus, lib.1. Retractationum, cap.19. Quamvis ita ipse legat, lib. de Sermone Domini in Monte. Syriaca Versio habet: *Qui irascitur fratri suo temerè*.

LXXV. Cap.26. versu 28. ubi legimus: *Hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur*, verti posset, *Effunditur*, secundùm Græcos Codices & Syriacam Versionem, utque legitur Marci 14. versu 24. Lucæ 22. versu 19. 20. & 21. & 1. ad Corinthios 11. si ad textum Græcum attendatur. Lege Jansenium & Maldonatum.

LXXVI. Cap.27. versu 9. ubi legimus, *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem, Et acceperunt triginta argenteos*, &c. Quidam contendunt Jeremiam scriptorum errore pro Zacharia positum. Jansenius nec Jeremiam, nec Zachariam ab Evangelista nominatum, sed absque alicujus Prophetæ nomine ab eo, ut alias plerumque scriptum: *Tunc impletum est quod dictum est per Prophetam dicentem*. Quosdam olim Evangeliorum Codices hanc lectionem habuisse testatur Sanctus Augustinus, libro 3. de Consensu Evangelist. cap.7. Legitur & in hunc modum apud Rupertum. Verùm in Commentariis, Scriptorum incuriâ inolevisse ait, ut hìc pro Zacharia Jeremias nominaretur. Lege & Eusebium, lib.10. Evangelicæ demonstrationis. Consentit & Syriaca Versio, quæ Prophetæ nomen non adscribit. Parùm tamen verisimile est ab audace Librario additum nomen Jeremiæ, cùm Matthæus Prophetam nomine ipsius tacito, laudasset: quia jam ab Origenis temporibus in hoc nodo solvendo sudatum est: qui labor inanis fuisset, si Jeremiæ nomen Codicibus plerisque omnibus non fuisset adscriptum. Nec facilè potuit unius exscriptoris error in omnia exemplaria manare. Certum est apud Judæos multa Prophetarum Veterum oracula conservata fuisse, non scripto, sed memoriâ. Quamquam postea, qui a parentibus acceperant, ea privatim annotarunt. Tale est oraculum Enochi in Epistolâ Judæ laudatum. Jam verò & illud sciendum est, veterum Prophetarum verbis uti solitos Prophetas posteriores. Ita Ezechiel multa habet verbo tenus ex Jeremia desum-

pta a

pta, ut apparet collatis locis Jeremiæ 31. versu 29. & 30. & Ezechielis 18. versu 2. 3. & 4. &c. In primis autem Zacharias amat imitari locutiones Jeremiæ. Quis enim non videt quod apud eum legitur, cap. 1. versu 4. sumptum ex Jeremiæ 18. versu 18. & 35. versu 15. Quod legitur capite primo versu 6. ex Threnis Jeremiæ capite secundo versu 17. Quod legitur capite tertio versu octavo, ex Jeremiæ 23. versu quinto. Quapropter dicere etiam solent Judæi, spiritum Jeremiæ fuisse in Zacharia. Nihil igitur obstat quominus & istud *de triginta siclis* ab Jeremia primitus prolatum, hominumque memoriâ conservatum, per Zachariam repeti Deus voluerit; quod tamen hic a Sancto Matthæo primi Auctoris nomine laudetur. Quamquam in Prophetia ab eo scripta non extet.

Sanctus Hieronymus ostensum sibi ait a Nazarenæ Sectæ homine librum, in quo id extaret sub nomine Jeremiæ: qui liber privatam continebat annotationem famæ antiquitus traditæ per ora Hebræorum. Tales autem annotationes, quia privatâ auctoritate factæ sunt, meritò vocantur apocryphæ; neque tamen id obstat quominus in eis multa contineantur & vera, & vetera. Lege Sanctum Hieronymum in hunc locum, & librum De optimo genere interpretandi. Quamquam ad Jeremiæ caput 32. hic respexisse Evangelistam dici potest, ubi dicitur ipsum emisse agrum a filio patris sui, & dedisse ei argentum; licèt non sub hoc nomine pretii quod legitur apud Zachariam, *triginta argentei s*. Sed agri emptio aliunde apud Zachariam non legitur. Illud autem quod huic testimonio subjecit Matthæus; *Quem appretiaverunt filii Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus*, nec apud Zachariam, nec apud Jeremiam legitur. Unde magis ex Evangelistæ persona accipiendum est, qui ex Dei revelatione cognoverat ad Christi venditionem & pretium hanc pertinere prophetiam. Liber quippe empti agri apud Jeremiam jubetur mitti in vas fictile, & emitur hìc de pretio Domini ager figuli, & hoc ad sepulturam peregrinorum, tamquam ad permansionem quietis eorum, qui in hoc sæculo peregrinantes, consepeliuntur Christo per Baptismum. Nam & illam emptionem agri hoc significare, Jeremiæ dixit Dominus; quia erit permansio de captivitate liberatorum in illa terra. Sic respondet Sanctus Augustinus. libro 3. De Consensu Evangelistarum, cap. 17. qui & ibidem addit, Sanctum Matthæum noluisse emendare quod sibi pro alio occurrit nomen Prophetæ, quia Spiritu Sancto auctore id a se positum agnovit, ut certiores essemus uno Spiritu Prophetas omnes locutos esse, & tantam inter eos esse concordiam, ut congruentissimè uni tribuatur quod ab altero dictum est.

Probabiliùs existimaverim Sanctum Matthæum spectasse illud Jeremiæ oraculum, cap. 19. *Hæc dicit Dominus: Vade & accipe lagunculam figuli testeam a senioribus populi, & a senioribus Sacerdotum: & egredere ad Vallem filii Ennon, quæ est juxtà introitum portæ fictilis: & prædicabis ibi verba quæ ego loquar ad te...... Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus: & non vocabitur ampliùs locus iste Tophet, & Vallis filii Ennon, sed Vallis occisionis*. Igitur Sanctus Matthæus per id quod proximè dixit de agro figuli, qui dictus est *Ager Sanguinis*, ait impletum quod per Prophetam Jeremiam dictum est, Agrum figuli olim nominatum ob confractam ibi jussu Domini testam a Jeremia, aliquando vocatum iri Vallem occisionis. Deinde addit Evangelista impletum esse *Zachariæ* vaticinium per id quod priùs dixerat de pretio Christi venditi.

LXXVIII. In eodem capite, versu 35. Vulgata nostra habet: *Ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*. Sed hanc sententiam insititiam esse, plusquàm viginti MSS. probat auctoritas; SS. Hieronymi, Hilarii, Augustini, scripta Evangelistarum inter se conferentis, libro 3. de consensu Evangelistarum, capite 12. silentium: quibus & Christianus Druthmarus eam in suis Enarrationibus omittens suffragatur. Nec Græcè, nec Syriacè legitur, quamvis Syriacæ Versionis Latinus Interpres eam addiderit. Verisimile est ad marginem hìc annotatam ex Evangelio Sancti Joannis, aut ex Psalmi 21. versu 19. tandem in textum irrepsisse.

LXXIX. Cap. 28. versu primo, ubi legimus; *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati*, &c. in Codicibus Græcis est ὀψὲ σαββάτων, quod Interpres eruditus vertit, *extremo Sabbato*. Serum autem sive extremum Sabbati, incidit in mane diei sequentis. ὀψὲ autem *serò* redditum comperio Exod. 30. versu 8. ad quem locum Sanctus Augustinus, libro primo Locutionum in Exodum: *Serò*, inquit, *propriè non solet dici, nisi cùm tempus transierit, quo fieri debuit, quod serò dicimus factum*. Porrò Sabbath multitudinis numero plerumque dicuntur, non ipsi dies otio dati, sed tota dierum hebdomas ab unius Sabbati initio ad initium alterius: quorum dierum prima eam ob rem vocatur *Una Sabbatorum*, ex Hebraismo, quem & Septuaginta Interpretes sequuntur, tum hìc, cùm apud Sanctos Marcum, Lucam & Joannem, & apud Sanctum Paulum. Quare nulla est simplicior interpretatio, quàm ὀψὲ σαββάτων, hìc intelligi, *exactâ dierum hebdomade*. Nam ὀψὲ cum casu secundo, Græcis non modò significat id quod serò fit, sed quidquid temporis ordine posterius est, ut viri Græcè periti annotarunt, & multis exemplis probare facilè esset.

LXXX. Matthæi 1. versu 11. generationem unam inter secundam & tertiam tessaradecadem vitio Scribarum & Librariorum intercidisse asserunt viri eruditi; quia alioqui falsò tres tessaradecades, id est quadraginta duas generationes Evangelista numerasset, cùm quadraginta & una dumtaxat reperiantur in Vulgata nostra. Itaque ita legendum est. *Josias autem genuit Jechoniam & fratres ejus*, id est, Joakim, qui & Jechonias vocatus est, ut testantur SS. Ambrosius libro tertio in Lucam, Epiphanius in libro primo adversùs Hæreses agens de secta Epicureorum, Sanctus Augustinus, libro secundo de consensu Evangelist. capite quarto; Eutymius in caput primum Matth. quod didicerunt ex l. 3. Esdræ capite primo versu 34. Legendum, inquam, est post hæc verba, *Josias autem genuit Jechoniam*, &c. *Jechonias autem genuit Jechoniam*: vel potiùs, *Josias autem genuit Joakim: Joakim autem genuit Jechoniam*; ut numerus quatuordecim generationum impleatur. Hæc sententia suffragatorem habet Sanctum Epiphanium. Bis numerandum esse Jechoniam consentit & Sanctus Augustinus, libro 2. de Consensu Evangelistarum cap. 4. eodemque nomine duos homines patrem & filium significari; Quamvis unam generationem ab Evangelista ex industria prætermissam dicat, idque commodè factum in angulo secundæ, & tertiæ tessaradecadis. Quando enim alicujus ædificii lapides numeramus, cùm pervenerimus ad angulum, lapidem angularem bis solemus numerare.

LXXXI. Matth. 2. versu primo, ubi habet Vulgata: *Cùm ergo natus esset Jesus in Bethleem Judæ*: contendit Erasmus legendum esse: *In Bethleem Judeæ*, ex Græco textu, & vetustissimis exemplaribus. At Codices illos mendosos esse docet Sanctus

ctus Hieronymus Commentario in Matthæum. Frustra verò ait Erasmus, Juda hominis esse nomen, Judæam regionis: cùm Judææ appellatione omnes duodecim tribus comprehendantur, Judæ verò una tantùm tribus, in qua Bethleem ista sita est, ubi Christus est natus: quæ Judæ cognominatur, ad distinctionem alterius Bethleem quæ est in Tribu Zabulon, de qua Josue, cap. 19. legitur. Utriusque meminit Sanctus Hieronymus, lib. de Locis Hebraicis. Lege eumdem in cap. 5. Micheæ.

LXXXII. Marci capite primo, versu secundo, ubi legimus: *Scriptum est in Isaia Propheta*; Græcè legitur in multis Codicibus; ἐν τοῖς προφήταις. Certè testimonium quod sequitur ex duobus Prophetis excerptum est. Favet huic lectioni Sanctus Irenæus, libro tertio adversùs Hæreses capite 11. & 18. & Sanctus Hieronymus in caput tertium Matthæi. Sanctus tamen Irenæus tribuit illud Isaiæ. Sanctus Hieronymus de optimo genere interpretandi, ad Pammachium. & Auctor Homiliarum in Marcum Sancto Chrysostomo falsò quondam adscriptarum, Vulgatam interpretationem adstruunt. Syriaca & Arabica Versio consentiunt Vulgatæ. Neque verò Porphyrius hunc locum contra Christianos objecisset, nisi constans ea fuisset Codicum lectio: neque in solvenda Porphyrii objectione laborassent. Certum est hìc alteram vaticinii partem esse apud Isaiam. Hunc laudaverat Sanctus Matthæus, quem secutus est Sanctus Marcus: sed ut certius esset quis ille sit de quo agit Isaias, Interpretem addidit majori Prophetæ minorem, Isaiæ Malachiam, quem nominare insuperhabuit, quòd Isaiæ auctoritas esset illustrior, nec quicquam esset in Malachiæ verbis, cujus non sententia & apud Isaiam extaret.

LXXXIII. Capite secundo versu 26. ubi legimus, David introivisse in domum Dei, & panes propositionis manducavisse *sub Abiathar Principe Sacerdotum*, quidam mendum suspicantur, quòd sub Achimelecho id gestum ex Regum Historia constet. Sed est advertendum, Achimelech qui nominatur 11. Regum 8. versu 17. & 1. Paralipomenon 24. versu 3. non vocari *Principem Sacerdotum*, sed Sacerdotem dumtaxat, eminentem licèt inter alios ut Pontificis filium, sed Sadoco tamen minorem; quia Sadocus, Abiathare Pontifice Maximo, secundus ab ipso erat Sacerdos. Ergo Sanctus Marcus dixit sub Abiathare Pontifice factum, quod sub Achimelecho gestum est, quia & nomen Abiatharis erat notius ob Ephod allatum ad Davidem, 1. Regum 23. versu 6. & ob diu gestum sub Davide Pontificatum: tum etiam quia ipse Pontifex erat designatus, & patris Vicarius, cùm id contigit, & rei quæ hìc narratur adfuerat; & Patris, Davidisque factum probaverat. Lege Theodoretum, Bedam, Theophylactum. Videtur aliis nomen Abiathar positum pro Achimelechi, sive id acciderit vitio Scriptorum, sive idem homo διώνυμος fuerit.

LXXXIV. Cap. 3. Sancti Marci, versu 17. ubi legimus: *Et imposuit eis nomina Boanerges, id est, Filii tonitrui*; lectio mendosa est. Legendum, *Benereen*, ex Sancto Hieronymo Commentario in Danielis 1. *Filii Zebedai*, inquit, *appellati sunt filii tonitrui, quod non, ut plerique putant, Boanerges, sed emendatiùs legitur, Benereem*. Et in lib. de Nominibus Hebraicis: *Benereem, filii tonitrui: quod corruptè Boanerges obtinuit*. Idem legendus in cap. Isaiæ 62. Alii *Bene rabbum* legi volunt.

LXXXV. Cap. 15. versu 25. ubi legimus: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum:* Nullus error est, nullumve mendum in Vulgata nostra, quamvis Sanctus Joannes crucifixum dicat, *hora quasi sexta*. Rectè enim a sancto Marco dicitur crucifixus *hora tertia*, sed desinente; a Sancto verò Joanne, *hora sexta*, sed inchoante. Quod ut intelligamus: Notandum est diem æquè ac noctem apud Hebræos in quatuor partes distributum fuisse, hoc cum discrimine, quòd singulæ partes noctis, quæ singulæ tribus constabant horis, habebant proprium nomen militare, & vigiliæ, aut custodiæ vocabantur, eò quòd milites qui excubias noctu agebant, ternas singuli horas vigilarent. Sed quatuor partes diei, quæ tribus pariter singulæ constabant horis, quia proprio nomine carebant, a fine præcedentis partis diei nomen sumebant; ita ut totum spatium quod inter diluculum & horam tertiam (id est nonam more nostro) interfluebat, diceretur hora tertia, & ita de cæteris. Rectè igitur Sanctus Marcus Christum crucifixum scripsit hora tertia, id est, intra illam diei partem, quæ inter tertiam & sextam (sive inter nonam & meridiem nostro numerandi more) intercurrebat. Sed quoniam intervallum illud temporis propiùs ad sextam accedebat, cùm postulatus ad mortem Christus est, & decernente Pilato cruci addictus, ideò Sanctus Joannes id contigisse scripsit, *hora quasi sexta*. Mitto mysticam Sancti Augustini expositionem Sanctum Marcum cum Sancto Joanne ita conciliantis, ut horâ tertiâ crucifixus dicatur a Sancto Marco linguis Judæorum ipsum proclamantium ad crucem: hora verò sexta manibus militum (libro tertio de consensu Evangelistar. c. 13.) Auctor Operis S. Petro Alexandrino falsò adscripti, quod citat Petavius, libro 12. de Doctrina Temporum, cap. 19. & Chronicon Alexandrinum, testantur in exemplaribus S. Joannis melioris notæ legi: *Horâ quasi tertiâ*. Extant etiamnum in quibus ita legitur, ut in Novo Testamento Oxonii, edito anno 1675. annotatum est.

LXXXVI. Lucæ capite secundo, ubi legimus: *Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino*. Præpositio, *a*, expungi posset, cujus expunctionem cum Græco textu conspirant Versiones Syriaca, Arabica, Persica, Æthiopica, Latinique Codices nonnulli. Sed & commodiùs forsan verteretur: *Censitore Syriæ Quirinio*: vox enim ἡγεμονεύοντος imperia quævis etiam extra ordinem mandata significat. Sentium quippe Saturninum, non verò Quirinium, hoc tempore fuisse Syriæ Præsidem, ex Tertulliano certum est, libro quarto adversùs Marcionem capite 19. *Constant*, inquit, *census acti sub Augusto, tunc in Judæa per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus*, nempe Christi, *inquirere potuissent*. Non potuit autem facilè decipi ea in re Tertullianus, cùm solerent census in tabulas referri, eæque tabulæ primùm publicè proponi, deinde servari in Archivis Imperii, ubi inspectandi erat copia. Quas ad tabulas non Tertullianus tantùm, sed & Sanctus Justinus provocat.

LXXXVII. Lucæ capite tertio versu 23. & 24. ubi legimus: *Qui fuit Heli, Qui fuit Mathath, Qui fuit Levi, Qui fuit Melchi*: legendum videtur: *Qui fuit Heli: Qui fuit Melchi*. Nam Sanctus Irenæus disertè docet, sua ætate tantùm Septuaginta duas generationes adscriptas fuisse in Genealogia Christi apud Sanctum Lucam. Quod ut verum sit, necesse est & *Mathath*, & *Levi* hìc omitti, ut & *Cainan* inferiùs. Julius Africanus hæc quoque duo nomina in S. Lucæ testimonio silet, & clarè significat ipsi Heli Patrem ὁ μὲν fuisse Melchi. Hunc sequuntur Eusebius, Sanctus Gregorius Nazianzenus in Carmine de Genealogia Christi, Sanctus Hieronymus in Matthæum & Sanctus Augustinus. Nomen quoque Cainan irreptitium esse alibi probavimus.

LXXXVIII. Lucæ 11. versu 41. ubi legimus: *Quod*

Quod superest, date eleemosynam; in Græco legitur τὰ ἐνόντα: *Qua habetis*, aut, *qua insunt*, *date eleemosynam*.

LXXXIX. Cap. 22. quorumdam olim temeritate, & illiberali superstitione deleti sunt versus 43. & 44. de sudore Christi sanguineo, & de solatio quod Angelus ipsi exhibuit, ut testantur Sanctus Hilarius, libro 10. de Trinitate & Sanctus Hieronymus, libro 2. adversùs Pelagianos.

XC. Joannis capite primo versu 28. ubi Vulgata nostra habet: *Hæc facta sunt in Bethania trans Jordanem*; legendum est in *Bethabara*. Bethania enim eis Jordanem est. Ita restituendum esse hunc versum constat insuper ex Sancto Chrysostomo & Theophylacto. Masius in Josue 3. versu 16. & 17. dictum putat locum illum a transitu Israëlitarum: nam per eam Jordanis partem populus trajecerat. Judic. 7. v. 24. *Usque ad Bethabara*, legitur. Nomen istud Hebraicum significat domum trajectûs aut vadi. Eum autem locum ita fuisse ad trajectum Jordanis, ut trans Jordanem, id est, in Peræa fuerit, certum est. Ad hæc, Bethania locus erat prope Hierosolymam stadiis ferè quindecim. (Infra, cap. 11. vers. 18.) Hinc alterutrum sequitur, aut duas fuisse Bethanias, aut hìc legendum esse, *Bethabara*, non *Bethania*. Nam Jordanis aberat Hierosolymis Orientem versus itinere unius diei. Mystica autem significatio subest loco Bethabara. Nam ubi Dei populus ex deserto veniens in terram promissam trajecit, ibidem editum est Joannis testimonium, quasi *trajectum faciens ex lege in regnum cæleste*. Mirari autem non debemus, in multis Latinis Codicibus pro *Bethabara* scriptum esse *Bethania*: cùm frequens sit ut nomen minùs notum in notius a Librariis mutetur.

XCI. Joannis 5. versu quarto ubi legimus; *Erat quidam Regulus*, &c. Græcè habetur, Βασιλικὸς, quod potiùs significat *Ministrum Regis Aulicum*, *Palatinum*. Hæc lectio non tantùm meliorum Codicum fide nititur, sed & Syri, & Arabis auctoritate. Syro est, *Minister Regis*; Arabi, *Homo Regis*. Existimat Vir quidam Eruditus hunc Herodis Tetrarchæ (quem Galilæi honoris causâ Regem appellabant) vectigalibus colligendis fuisse præpositum: a quo edoctus deinde Centurio Romanus in eodem agens oppido, egregiam de Jesu opinionem conceperit. Lege Sanctum Hieronymum, in cap. 63. Isaiæ.

XCII. Capite 8. versu primo & sequentibus, Historia Adulteræ non est in Vulgatam nostram intrusa. Equidem in plerisque Codicibus Græcis olim non legebatur. Sanctus Chrysostomus & Theophylactus Evangelium Sancti Joannis continua serie enarrantes, eam non legunt: licèt Sanctus Chrysostomus, Homil. 60. ejus meminerit. Sanctus Hieronymus, libro secundo adversùs Pelagianos, cap. 6. fatetur a nonnullis Codicibus Græcis abesse: at in multis cùm Græcis, tum Latinis legi testatur. Extabat in Evangelio secundùm Hebræos, quod legebant Nazaræi, teste Eusebio, libro tertio Historiæ Ecclesiasticæ, cap. ultimo, ubi de Papia sic loquitur: *Aliam quoque exponit Historiam de muliere, qua multorum criminum coram Domino accusata est. Quæ quidem Historia in Evangelio secundùm Hebræos scripta habetur*.

XCIII. Cap. 21. versu 22. ubi legimus: *Sic eum volo manere donec veniam*; legendum: *Si eum volo manere*. Omnia enim Græca exemplaria habent ἐὰν, quod est *si*; non verò οὕτως, quod est, *sic*; ita legunt SS. Chrysostomus, Cyrillus, Hieronymus, lib. 1. adversùs Jovinianum, Theophylactus, & antiquissimorum integerrimorumque Codicum auctoritate confirmatur ea lectio, quamvis SS. Ambrosius & Augustinus, Beda, Rupertus, Glossæ Ordinariæ Auctor, & S. Thomas legerint; *Sic eum volo manere*, &c.

XCIV. Actorum capite primo versu 13. Vulgata nostra habet: *Et cùm introissent in cœnaculum, ascenderunt*. Incongrua Versio, pro qua legendum est juxtà Græcum: *Et cùm intrassent*, in urbem scilicet, *ascenderunt in cœnaculum*. Sic Syrus quoque & Arabs legerunt. Neque enim cùm intrassent in cœnaculum, ascenderunt altiùs, sed ascenderunt ut essent in cœnaculo, quippe quod ὑπερῷον superior domûs pars erat.

XCV. Capite 2. Actor. 24. ubi legimus: *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni*, legitur in Græco Textu, τοῦ θανάτου unde verti posset, *Solutis doloribus mortis*.

XCVI. Capite 7. versu quarto dicitur de Abraham: *Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan, & inde postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis*. Meliùs forsan verteretur: *Collocavit illum in terra ista*, prout legit Sanctus Augustinus: Vel, *Colonum & habitatorem fecit in terra ista*, juxtà verbum Græcum, μετῴκισεν (ajunt Viri quidam Eruditi) vox enim Græca μετοικία, non simplicem Translationem, sed quasi Coloniam significat. Nihil tamen hoc loco mutandum in Vulgata nostra, & cum illa optimè cohærere epocham profectionis Abrahami e Mesopotamia in Terram Chanaan; & Sancti Stephani Verba, Act. 7. descripta, cum Genesis, Capp. 11. & 12. optimè conciliari, probavimus Dissertatione 6. in Historiam Veteris Testamenti, ad secundam Mundi Ætatem.

XCVII. Cap. 7. versu 15. & 16. Vulgata nostra habet: *Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem*. Locus hic mendosus est. Pro ἐμμὼρ, vicinia forsan voce scriptum fuit ἐφρὼν. Ab Ephrone enim est quod Abrahamus emit monumentum, Genes. 23. versu 17. & in eodem sepultus fuit Jacob (Genes. 50. versu 13.) Josephus autem sepultus fuit in Sichem (Josue 24. versu 32.) Vult ergo Sanctus Lucas, eos de quibus erat locutus, partim in Sichem, partim in agro qui Ephronis fuerat, sepultos. Fratres Josephi in Sichem sepultos asserit Sanctus Hieronymus in Paulæ Epitaphio. Josephus verò, libro 2. Antiquitatum, cap. 4. sepultos scribit in illo qui Ephronis fuerat agro. Conciliantur hæc testimonia, dicendo partim eos cum Jacobo, partim cum Josepho sepultos: quod ipsum argumento est, nullam certam eis fuisse sedem. Vel legendum est ὁ τοῦ Ἀβραάμ, subaudiendum ἔγγονος, quasi Abrahamo genitus, sive Abrahamides, ut hìc dicatur non ipse Abraham, sed ejus nepos Jacob, emisse monumentum a filiis Hemor, quod etiam legimus, capite 24. libri Josue. Forsan aliàs scriptum erat: *Quod emit ipse*, videlicet Jacob, de quo locutus est in versu præcedente Sanctus Lucas: in cujus locum irrepsit, Abraham, culpâ manus imperitæ. Si Vulgata Versio servetur, dicendum erit (quod tamen durius videtur) Sanctum Stephanum lapsu memoriæ duo facta similia confudisse, emptionem scilicet ab Abrahamo factam, de qua Genes. 23. cum ea quæ a Jacobo facta est, Genes. 33. v. 19. Agrum quidem in quo erat spelunca duplex emit Abraham ab Ephron quadringentis siclis argenti probatæ monetæ publicæ; Jacob verò emit partem agri, in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor patris Sichem centum agnis: Sanctus Stephanus utramque Historiam miscet ac confundit, dicens Patriarchas translatos fuisse in Sichem, & positos in sepulchro quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem: Sanctus verò Lucas ne

jota quidem unum immutare voluit in Sancti Protomartyris verbis, aut ejus lapsum memoriæ emendare. Hunc nodum Vir quidam Eruditus alio modo solvit, dicendo quòd cum articulus nomini Ἀβραὰμ in Græco non præponatur, tam dativus subintelligi potest, quàm nominativus, ut sensus sit: ὃ ὠνήσατο τῷ Ἀβραάμ: *Quod emerat*, scilicet Jacob, de quo versu præcedenti, *Abrahamo*. Et si enim jam tum Abrahamus diem suum obiisset, ipsi tamen dici potest emptus iste ager, ad designandum scopum, quem in agri emptione habuit Jacob, qui non fuit dumtaxat ut eo pro sepulchro uteretur: neminem enim isthic Jacobus sepelivit, nec ipse ibi sepultus est: sed vel maximè ut primitiæ quædam essent terræ Chanaan, cujus totius hæreditatem Abrahamo & semini ejus Deus promiserat. Non semini, inquam, ejus tantùm, sed & ipsi Abrahamo (Genes. 13. versu 15.) quippe cui primò facta est promissio ut hæres mundi esset (Roman. 4. versu 13.) Verè ergo Abrahamo emptus est iste ager, quippe qui jam promissione divina hæres hujus esset. Ubi autem legimus, *a filiis Hemor filii Sichem*, legendum est *patris Sichem*, corrigendusque iste locus ex 33. Genes. versu 19. Hic in Græco habetur, τοῦ Συχέμ, ubi non minùs commodè suppleri potest vox πατρὸς quàm υἱοῦ. Masius in Josue, cap. 24. versu 32. putat mendosos esse Græcos Codices, atque pro Abraham scribendum esse, Jacob, & expungendum illud τοῦ Συχέμ, aut verò scribendum πατρὸς Συχέμ ut conveniant ista cum iis quæ narrantur Josue 24. versu 32. *Non sum nescius*, inquit vir doctissimus, *quibus alii hunc locum cautionibus a mendo vindicare conentur. Sed ego nefas non esse puto iis mendis admovere manus, quæ fuerit literis apertè testata, & veluti digito indicata sunt*. Verba illa τοῦ Συχέμ Syriaca Versio irreptitia esse nos docet. Sic enim habet: *Et translatus est in Sichem, positusque in sepulchro quod emerat Abraham argento a filiis Hemor*. Verba ista, *a filiis Hemor*, non cum verbo *emit*, sed cum remotiore, *positi sunt*, construenda, Viri quidam Eruditi contendunt: Sicque præpositionem, *a*, non venditores sepulchri, sed locum ipsum notare unde Patriarchæ in sepulchrum elati, quod Abraham emerat, in eo positi sunt ope filiorum Emmor. Cùm enim rerum adhuc in Chananæa potientibus Gentibus ea translatio & sepultura facta sit, adeòque periculum Hebræis Patrum suorum corpora humo conditu ris creari a Chananææ incolis potuisset, prudenter admodum Sichemum se primùm contulerunt, filiorumque Emmor non modò opem postularunt, sed & rem totam ipsis commiserunt, quò tutiùs perageretur. Illi ergo secundùm Hebræorum vota, Patriarcharum corpora Hebronem intulerunt in sepulchrum, quod olim Abraham pretio argenti, siclis nimirum quadringentis comparaverat.

XCVIII. In Epistolâ Sancti Pauli ad Romanos c. 9. versu 25. ubi laudantur hæc Osee verba: *Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*; In antiquis Codicibus plurimis a Luca Brugensi laudatis, desunt illa verba; *Et non dilectam dilectam*. Contra verò leguntur in Græcis exemplaribus; sed in illis ista desiderantur: *Et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*. His consentiunt Origenes, Sanctus Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius Hilarius Sardus, & Sanctus Augustinus, lib. 1. ad Simplicianum, & lib. 22. contra Faustum, cap. 89. Antiquis Codicibus Latinis suffragatur Sancti Hieronymi lectio scribentis in primum Oseæ caput, & Haymonis Commentarius. Sic habet Græci Textus Versio ad Verbum: *Sicut & in Osee dicit: Vocabo non populum meum, populum meum: & non dilectam, dilectam*. Syriaca: *Sicut & in Osea dixit: Vocabo eos qui non erant populus meus, populum meum: & quæ misericordiam non erat consecuta, misericordiam consecutam*. Arabica: *Ut ait Osea Propheta: Vocabo eos qui non erant populus meus: & gentem quæ non erat dilecta*. Æthiopica: *Quemadmodum dixit Josia Propheta: Efficiam illum populum meum, qui non erat populus meus: & reddam illam dilectam meam, quæ non erat dilecta mea*.

XCIX. Ad Romanos 11. versu 33. ubi legimus, *Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Quidam esse legendum censent, *& ininvestigabiles viæ ejus*: prout Tertullianus legit. Sed eodem sensu sumitur vox *investigabilis* negativè scilicet pro eo quod investigatione consequi nemo potest. Quo etiam sensu sumitur ad Ephes. 3. versu 8. ubi dicit Apostolus, *Investigabiles divitias Christi*. Ita etiam Proverb. 5. versu 6. Sanctus Hieronymus usurpavit: *Per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus ejus & investigabiles*.

C. In Epistolâ 2. ad Corinthios, cap. 1. versu 6. ubi habet Vulgata nostra: *Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione & salute; sive consolamur pro vestra consolatione; sive exhortamur pro vestra exhortatione & salute*; verba hæc, *Sive consolamur pro vestra consolatione*, in longè plurimis & melioris notæ Codicibus non leguntur; & in iis maximè quibus in emendandis Bibliis Sacris usi fuere Theologi Lovanienses. Græci etiam Tractatores, & Ambrosiaster ea non agnoscunt. Inserta ex alia quapiam translatione videntur; cùm Textus Græcus aliter atque aliter fuisset redditus Latinè. Fortassis de reliquiis est Hieronymianæ correctionis, qua hoc membrum substitutum fuerit pro altero: sed imperiti Scribæ utrumque id est, tam illud quod expungendum, quàm quod substituendum erat, in unam sententiam miscuerunt. Tam Græci Codices, quàm Syriaci, unum dumtaxat membrum hoc loco faciunt: quod quidem ex Græco propter amphibologiam dictionum verti poterat utroque modo. Ita Græcus Textus verti potest: *Sive autem tribulamur pro vestra consolatione & salute effecta in toleratione earumdem passionum quas & nos patimur: sive consolatione afficimur super vestra consolatione & salute*. Syriaca: *Quamvis autem affligamur, pro vestra quidem consolatione, ac pro vestra salute affligimur: sive consolationem accipimus, id fit ut consolationem accipiatis*. Arabica: *Sive autem contristamur pro vestra consolatione & vestra salute effecta per patientiam earumdem passionum, sive consolationem accipimus pro vestra consolatione & salute*. Æthiopica: *Et sive afflictionem passi sumus, id est, ut vos servemini, & gaudeatis: & sive gavisi sumus pro gaudio vestro, quod confirmatum est super vos in tolerantia istius passionis, propter quam patimur nos etiam*. Non dubitat Estius quin Romani Vulgatæ Versionis Correctores apprimè noverint unum membrum hìc redundare ex diversâ translatione; sed quia, inquit, non eis constabat, variantibus exemplaribus, utrùm ex duobus membris posterioribus a nostro Interprete scriptum fuisset, judicarunt utrumque textui relinquendum, ut Lectori, vel Expositori remaneret electio ejus quod melius ac sincerius ipsi videretur, aut certè quia satis intelligebant tertium membrum esse veteris Interpretis: & tamen secundum, cujuscumque sit, magis respondere menti Apostoli, non putarunt hoc quod melius est, & Vulgatæ Versionis exemplaria jam occupavit, e textu pellendum esse.

CI. In Epistolâ ad Galatas, cap. 5. versu 22. & 23. Vulgata nostra sic fructus Spiritus Sancti enumerat: *Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium*,

diam, pax, patientia, benignitas, bonitac, longanimitas, mansuetudo, fidec, modestia, continentia, castitac.

Emendari posset hic locus ad Græcum Textum, & Versiones Orientales novem tantùm fructus Spiritus Sancti recensentes. Sic Græci Textus Versio ad verbum habet: *At fructus Spiritus est caritas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fidec, mansuetudo, continentia.* Syriaca: *Fructus autem Spiritus sunt, caritas, gaudium, pax, longanimitac, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, patientia.* Arabica: *At fructus Spiritus est caritas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia.* Æthiopica: *Et fructus Spiritac Sancti est caritas, & gaudium, & pax, patientia, eleemosyna, bonitas, fidec, mansuetudo, continentia.*

Duodecim fructus Spiritus Sancti non semper habuit Latina Editio. Sanctus Cyprianus, lib. de Oratione Dominica, novem tantum enumerat. Sanctus Hieronymus in Commentario hujus loci, & lib. contra Jovinianum, novem dumtaxat recenset. Fidem septimo numerat loco. *Inter fructus Spiritus*, inquit, *septimum sacratiorem locum Fidec possidet.* Quæ tamen in nostra Versione nona adscribitur. S. Cyprianus loco mox laudato *Continentiam & Castitatem* numerat; *benignitatem* verò omittit. Unde forsan contigit, ut nonnulli *Continentia & castitatis* servatis nominibus, & restituto *benignitatic* vocabulo decem fructus Spiritus numeraverint. Sic Ambrosiaster, Sedulius & Primasius. S. Augustinus in expositione hujus Epistolæ, lib. de Continentia, & Tractatu 87. in Joannem, novem tantùm admittit. Venerabilis Beda in Homilia quadam de Altarium Dedicatione, suffragatur. Inde verò duodecim in Vulgatam irrepserunt, quod tres voces Græcæ duobus variis modis Latinè redditæ fuerint, scilicet μακροθυμία *patientia* & *longanimitas*; πραότης *modestia* & *mansuetudo*; ἐγκράτεια *continentia* & *castitas*. In unum verò ab imperitis commixtæ sunt variæ illorum nominum Græcorum Interpretationes. Inde duodecim fructus Spiritus Sancti emersere. In Primasii Commentarium intrusum est mansuetudinis nomen a Librariis; nam de omnibus sigillatim agens, de mansuetudine nihil penitus habet, & fidem septimum inter illos tenere locum asserit. *Notandum*, inquit, *quòd fides a Deo detur, quam inter fructus Spiritus Sancti septimo loco Apostolus posuit.* At non septimo, sed octavo loco posita esset, si admitteretur mansuetudo. Huic observationi suffragantur Eruditi Interpretes, Cajetanus Cardinalis, Salmeron, Estius, Fromondus, & alii.

CII. In Epistulâ ad Colossenses, cap. 2. versu 14. ubi legimus, *Delens quod adversùs nos erat chirographum decreti*, legendum est, *Decretis*, juxtà Græcum, τοῖς δόγμασιν. Versio Græci Textus ab Aria Montano expressa habet: *Delens illud adversùs nos chirographum edictis, quod erat subcontrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Syriaca sic habet: *Et delevit mandatis suis chirographum debitorum nostrorum, quod erat contrarium nobis.* Arabica: *Delens chirographum adversùs nos scriptum per dogmata, quod erat contrarium.* Æthiopica: *Et delevit pro nobis Scripturam debiti nostri in decreto quod erat contra nos.* Ambrosiaster sive Hilarius Sardus in Commentario, & S. Augustinus Epistolâ 59. Quæst. 7. legunt: *In decretis.* Ista lectio confirmatur ex altero loco Apostoli, qui isti geminus est, ad Ephesios 2. versu 15. *Legem mandatorum decretis evacuans.*

CIII. In Epistolâ ad Hebræos, cap. 12. versu 2. ubi legimus: *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*; legunt Græci Interpretes: *Pro proposito sibi gaudio sustinuit crucem.*

Hoc specimen sit mendorum quæ in Vulgata nostra Editione Latina superesse videri possunt, quæque possunt emendari, non privato quidem Virorum Eruditorum arbitrio, sed auctoritate Ecclesiæ, cui & has Observationes, & cætera mea humillimi animi devotione subjicio.

SCHOLION I.

Religiosi Censores has Propositiones velut ex ista Dissertatione, pag. 275. Editionis primæ excerptas notant. *In Scripturam, qua utebatur Ecclesia, plures irrepserant corruptela ...... Omnes Versionec facta fuerant ab hominibus Semichristianis & Judæis Apostatis.*

R. Verba sensumque meum adulterarunt Censorii Indiculi Auctores. Quæstione secunda Dissertationis hujus, paginâ ab ipsis notatâ causas exposui quæ *S. Hieronymi* animum permoverunt ut novam Versionem aggrederetur. Primò (inquiebam) ad id ipsum impulerunt *Varia qua in Versionem Gracam Septuaginta, & in Latinac irrepserant corruptela.* Secundò quòd *Reliqua Versiones facta essent ab hominibus Semichristianis & Judæis Apostatis, qui in odium Fidei Christiana multa Scriptura Sacra loca perversa expositione corruperant.* Id nemo cordatus reprehenderit. Si enim in Versionem Septuaginta Interpretum, & in Latinas, nulla menda irrepserunt, frustra novam Versionem S. Hieronymus aggressus est, frustra multa menda in eam, qua tunc utebatur Ecclesia, irrepsisse observavit. Reliquæ Versiones celebriores ac notiores factæ fuerant ab Aquila, Symmacho, Theodotione, quos Semichristianos & Judæos Apostatas fuisse nemo nescit Ecclesiasticæ Antiquitatis vel Abecedarius. Ad Præfationem *S. Hieronymi* in Librum *Job* si attendissent Indiculi Censorii Auctores, hæc certè non reprehendissent: *Quòd si*, inquit, *apud Gracos, post Septuaginta Editionem, jam Christi Evangelio coruscante, Judæus Aquila, & Symmachus ac Theodotio Judaizantes Haretici, sunt recepti, qui multa Mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt, & tamen in Hexaplis habentur apud Ecclesias, & explanantur ab Ecclesiasticis Viris: quantò magis ego Christianus, cujus stadium fuit omissa repetere, depravata corrigere, & Sacramenta Ecclesia puro & fideli aperire sermone, vel a fastidiosis vel a malignis lectoribus non debeo reprobari?* Cæterùm falsò notant Indiculi Censorii Auctores me scripsisse, *Omnes Versionec facta fuerant ab hominibus Semichristianis & Judæis Apostatis*; cùm scripserim, *Reliqua Versionec*, &c. Sed in his piget immorari.

SCHOLION II.

Religiosi Censores hanc Observationem in ora paginæ 347. Editionis primæ factam reprehendunt: *Dominicani Codices Sacrorum Bibliorum correxerunt, & in communi olim studebant. Qua Disciplina utinam cum aliis instauraretur!*

R. Pœnitendum scilicet votum!

Nota.

CUM Sixtus V. ut animadvertit ipsemet Natalis art. 5. aggressus fuerit quàm emendatissima Sacra Biblia edere, neque res pro votis cesserit, inter alios Launoius *tom. 1. ep. 5.* ex hoc etiam exemplo Pontificum in errores lapsum stabilire contendit. Cumque aliqui hoc sibi objicientes exemplum non satis suis responsis Lectori sa-

tifecisse eidem videantur, non desinit etiam facetiis illos exagitare, ut & ridendos Lectoribus exhibeat. Ut tameo meliùs ostendatur quàm irrationabiliter de eodem detrahat Pontifice, hic apponere duxi Sixti verba, quæ etiam apud eumdem Launoium leguntur: *Illud sanè*, ait, *certum atque exploratum esse volumus, nostros hos labores, & vigilias eò numquam spectasse, ut nova editio in lucem exeat, sed ut Vulgata Vetus ex Tridentini Synodi præscripto emendatissima, pristinæque suæ puritati, qualis primùm ab ipsius Interpretis manu, styloque prodierat, quoad ejus fieri potest, restituta imprimatur.* His adductis verbis primò Launoius Sixtum ut sibi nimis præfidentem, & de Bibliorum perfectissima emendatione nimis securum redarguit, quasi nefas esset, quantùm tunc dabatur, omnia menda a Sacris Bibliis removere. Cùm autem res, ut peroptabat Pontifex, non evenerit, subdit Launoius Sixtum errasse, eaque ratione illam Bibliorum editionem ac Pontificium diploma, quo probabatur, suppressa fuisse. Verùm si prefata verba attentè legantur, ea quidem significant quàm emendatissimam Sacram Scripturam Sixtum edere desiderasse, non verò se assequutum quod summis votis expetierat. Sed, & quamvis significare voluisset se emendatissimos S. Codices exhibere, illa præ oculis habenda erat clausula: *quoad ejus fieri potest*, scilicet quatenus dabatur, attentis codicibus, quos tunc fuit reperire, ac Virorum peritia, quibus hanc curam demandaverat: atque hoc Sixtum præstitisse nemo audebit denegare. Iis addendum Sixti declarationem fidem divinam non respexisse, sed solùm significare voluisse nil a se omissum ut S. Biblia emendarentur; ac proinde ea certitudine emendata credere, qua unicuique datur affirmare opus sibi injunctum bene præstitisse, dum omnem, quam potuit diligentiam, adhibuit.

Prædictis autem bene cohæret iterum Clementem VIII. ad S. Biblia emendanda manum admovisse; ex novis etenim adinventis Codicibus, accersitis insuper aliis Viris in S. Scriptura peritioribus, agnoscere potuit in eisdem non pauca menda superesse, ac in priori Sixti emendatione ex non satis correctis Codicibus quædam malè dempta, vel addita, vel variata. Ita Clemens ex emendatione Sixti, & propria, utriusque nomine, ut multa docent Exemplaria, quæ tunc prodierunt, novam S. Bibliorum editionem publicavit.

DISSERTATIO XL.

APOLOGETICA,

ET ANTICRITICA,

Seu Dissertationis superioris de Vulgata Scripturæ Sacræ Versione Vindiciæ.

Adversùs P. CLAUDIUM FRASSEN, *Ordinis FF. Minorum Theologum Parisiensem.*

Editæ Anno 1682. Mense Martio.

PRÆFATIO.

Sibi quondam gratulabatur Apostolus, causam peroraturus coram *Agrippa* Rege, quòd eum judicem nactus esset, qui ea intelligeret, de quibus in judicium vocabatur. *De omnibus*, inquit, *quibus accusor a Judæis, Rex Agrippa! æstimo me beatum, apud te cùm sim defensurus me hodie, maximè te sciente omnia, & quæ apud Judæos sunt, consuetudines & quæstiones.* Et ego me in ea, quam defendendam suscipio, causa fœlicem existimabo, quòd apud eruditas aures Dominicani Ordinis æmulo, famæque meæ obtrectatori & operum Corrosori *P. Claudio Frasseno* responsurus sum. Virorum enimverò Doctorum Senatui hanc, quæ mihi cum ipso intercedit, controversiam, defero judicandam. Quatuor fermè sunt anni a quibus Dissertationum ecclesiasticarum Triadem in lucem emisi, Illustrissimo Albigensium Archiepiscopo nuncupatam. Has inter postrema est Dissertatio *De Vulgata Scripturæ Sacræ Versione*: in qua sex attigi Quæstiones. Postrema inscribitur: *De schalmatis & mendis, quæ in Vulgata Versione Latina Bibliorum jussu Clementis VIII. emendata etiamnum supersunt, quæ Ecclesiæ auctoritate corrigi possent.* Quodnam esset meum hac in Quæstione consilium, his verbis aperui: *Vir Doctissimus Lucas Brugensis, aliique Viri Eruditi, per omnes Scripturæ Sacræ libros notarunt plurima, quorum præcipua hic exponere operæ pretium existimo.* Id executus sum per septuaginta duas paginas; & Quæstionem ac Dissertationem totam his clausi verbis, quæ sanè me Regulas modestiæ a Catholico Theologo his in Controversiis servandæ non fuisse prætergressum, palam apertèque testantur, & quæ ad os loquentium adversùm me iniqua, obstruendum sufficiunt. *Hoc specimen sit mendorum quæ in vulgata nostra Editione Latina superesse videri possunt, quæque possunt emendari, non privato quidem Virorum Eruditorum arbitrio, sed auctoritate Ecclesiæ, cui & has Observationes, & cætera mea, humillimi animi devotione subjicio.*

Sextam illam Dissertationis meæ Quæstionem præcipuè aggressus est *Frater Claudius Frassen* Ordinis FF. Minorum, in *Disquisitionibus Biblicis*, quæ ab octo circiter diebus e prælo emerserunt ad lucem, & quas ab anno solido venditat eo potissimùm nomine, quòd in *Natalem Alexandrum* scripturierit, maximam inde laudem nomini suo, maximam Operi existimationem (ut ipsi visum est) conciliaturus. Criticam illam suam Alexandrinæ Dissertationis exsequitur Disquisitionum suarum, Cap. VI. quod *De Editione Latina Vulgata* inscrip-

tum

tum est, §. prȩsertim ultimo. Convitiis passim me dehonestat, consputat, lacerat Vir Seraphicȩ Caritatis: Et ex iis locis, quȩ mendosa videri posse in Vulgata nostra Versione observavi, seligit aliqua, & Lucȩ Brugensis, aliorumque Virorum Eruditorum Notas, quibus & symbolam addidi meam, illas exponendo, carpendas, confutandas, explodendas sibi sumit. Quàm fœliciter, Viri Eruditi & ab omnibus prȩjudiciis liberi, quos judices appello, censebuot, cùm hasce Vindicias perlegerint ac expenderint.

ARTICULUS I.

Injuria & convitia P. Claudii Feassen, Historiam Ecclesiasticam F. Natalis Alexandri petentia, repellantur.

VIrorum Theologorum, qui ad honestatem sunt informati, ea laus est, ut, si quando aliorum opera refellere necessitas compellat, id non solùm servatis legibus caritatis, sed etiam modestiȩ, & urbanitatis exsequantur. Non ea est *F. Claudii Frassenii* indoles, qui adversùs *F. Natalem Alexandrum* scripturiendo, calamum felle & absynthio intinxit, convitiisque & maledictis ipsum turpiter insectatus est. Me *Hodiernum Historiȩ Ecclesiasticȩ Compilatorem*, *Hȩreticorum Exscriptorem*, *Virum qui Hȩreticis blanditur*, *stolidum*, *temerarium*, *&c.* passim appellat Vir humanissimus. His convitiis & calumniis penè invitus respondeo, sed cogit famæ tuendæ necessitas. Responsionem tamen ita moderabor, ut & objecta diluam, & ab injuria temperem. *Neque enim causa prodest maledicentibus remaledicere, & adversarios talione mordere, cui præcipitur malum pro malo non reddere, sed vincere in bono malum, saturari opprobriis, & alteram verberanti præbere maxillam* (inquit Sanctus Hieronymus, Epistolâ LXV.) *Si Michael disputans cum Diabolo non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit, Imperet tibi Dominus:* Decet nos Angelorum, si meruerimus, candidatos, ut cum *Tertulliano* loquar, a conviiiis & maledictis abstinere, cùm de rebus Theologicis adversùs Fratres, imò etiam cùm de Religionis Controversiis adversùs Hæreticos disputamus. Etsi igitur à te læsus sim, *Frassene Frater*, vicem tibi non rependam, sed vulneribus a te mihi illatis manum dumtaxat admovebo, tuaque probra & criminationes dissipabo.

Ingenium suum, ac judicium (ut de urbanitate & caritate sileam) *Frassenus* ostendit, cùm *Alexandrum Historiæ Ecclesiasticæ Compilatorem hodiernum* indigitat. Novum Opus, magnum, difficile, Studiosis commodum, Ecclesiæ (ut Viri probitate, doctrinâ & dignitate illustres opinantur) non inutile, a quatuor Eminentissimis Cardinalibus, qui suâ me benevolentiâ propter Lucubrationes in Historiam Ecclesiasticam meas dignantur, commendatum; ab Illustrissimis Cleri Gallicani Principibus, qui mihi etiam honorarium in postremis Comitiis liberalitate sua decreverunt, laudatum; a Magnatibus cum æstimatione aliqua susceptum; a Viris omniom nationom Eruditis expetitum, Auctoris nomine & honore non indignum omnino *Alexandrum* comprobant. Horum judicio contentus, *Claudii Frasseni* convicia non vereor. Si quis ante me Selecta Historiæ Ecclesiasticæ Capita, & in loca ejusdem insignia Dissertationes edidit, cujus laborem non solùm sim æmulatus, sed diripuerim, jure Compilator a *Frasseno* fuerim appellatus. At si nemo hucusque Historiam Ecclesiasticam hac methodo, hoc ordine, hac ubertate tractavit: si nemo Dissertationes in universam Ecclesiæ Historiam sæculorum septemdecim varia negotia illustrantes & exponentes scripsit & edidit: si nemo Hæreses omnes iis quibus natæ sunt sæculis confutatas & convictas ex Scripturæ Sacræ & Traditionis Doctrina exhibuit: quod sanè ante me fecisse neminem palam est, *Hodiernus Historiæ Ecclesiasticæ Compilator* injuriâ vocor a *Frasseno*. Ex antiquis, fateor, Scriptoribus, ex Patribus, Conciliis, Historicis, totam haurio, quæ in meo reperitur, Opere doctrinam. Ita, inquio, *Eusebius*, ita *Socrates*, ita *Sozomenus*, sic *Theodoretus*, sic *Evagrius* &c. Id *Sancti Justini & Irenæi*, id *Tertulliani*, id *Origenis*, id *Sancti Cypriani*, id *SS. Athanasii*, *Basilii*, *Gregorii Nazianzeni & Nysseni*, *Epiphanii*, *Ambrosii*, *Hieronymi*, *Augustini*, *&c.* testimoniis probatur. Sed si istud scribendi genus Compilationis nomine vocandum est, Compilator appelletur *Eusebius*, cùm in Operibus exquisitissimis *De Præparatione & Demonstratione Evangelica*, tum in ipsa *Historia Ecclesiastica*, cujus Parens hucusque sine invidia prædicatur: Compilator appelletur *Sanctus Hieronymus* in doctissimis Scripturȩ Sacræ Commentariis: Compilator appelletur Annalium Ecclesiasticorum Conditor Eminentissimus Cardinalis *Baronius*: eo quoque nomine sugilletur Vir inter Scriptores hujus ævi doctissimus *Dionysius Petavius* S. J. *In Dogmatibus Theologicis.* Hi enim suas penè omnes opes ex venerandæ & Sacræ Antiquitatis ærario hauserunt. Honori duxit *Sanctus Hieronymus*, quod ipsi exprobrabant ejus æmuli, ipsum *Origenis compilatorem esse. Nam quod dicunt*, inquit, *Origenis me volumina compilare, quod maledictum vehemens existimant, eamdem laudem ego maximam duco, cùm illum imitari volo, quem cunctis prudentibus & vobis placere non dubito. Si enim criminis est Græcorum bene dicta transferre, accusetur* *Præfat. a. lib. Commentar. in Michæam.* *Ennius & Maro, Plautus, Cæcilius, & Terentius; Tullius quoque & cæteri eloquentes viri, qui non solùm versus, sed multa capita, & longissimos libros ac fabulas integras transtulerunt. Sed & Hilarius noster furti reus sit, quòd in Psalmos XL. ferme millia versuum supradicti Origenis ad sensum vertecit. Quorum omnium æmulari exopto negligentiam, potiùs quàm istorum obscuram diligentiam.* Ita mella sua & ceram ex floribus selectis compilant apes, & in alvearia comportant, Dei honori hominumque usui impendenda. Ita ex gemmis pretiosis hinc & inde comparatis, coronæ Regibus compinguntur. Ita ex marmore, aliisque lapidibus exquisitis, magnifica Palatia peritis ab Architectis extruuntur. Ita ex flosculis in areolis horti Dominici collectis, sertum gratissimum domino porrigit Hortulanus. Hoc modo Selecta Historiæ Ecclesiasticæ Capita, & in loca ejusdem insignia Dissertationes Historicas, Chronologicas, Criticas, Dogmaticas, ex Veterum scriptis, ex Conciliis, ex Patribus, ex Auctoribus Ecclesiasticis omnium ætatum conficit Alexander: Judicent æqui rerum æstimatores, an justè, an sapienter a *Claudio Frasseno* velut Compilator *Historiæ Ecclesiasticæ* sugilletur. Qui Controversias attingit a nemine tractatas, qui disceptatas ab aliis Quæstiones novo ordine expendit, novisque probationibus, argumentis ac responsionibus illustrat; qui recentiorum Hæreticorum ac *Joannis Dallæi* Calviniani Ministri inprimis Opera contra Catholicam Ecclesiam plurima, quibus nemo Catholicorum hucusque responderat, nimirum *De Confirmatione*, *De Confessione*, *De Jejuniis & Quadragesima*, *De vero Patrum usu*, *De cultu Religioso*, *De Imaginibus*: Qui *Blondelli* Calviniani quoque Ministri pestilentissimum Opus contra Sacrum

erum Episcoporum Ordinem, quod *Apologiam Sancti Hieronymi* perperam inscripsit, primus omnium confutare ex Doctoribus Catholicis aggressus est, is *Frasseni* judicio non aliod quàm Compilatoris Historiæ Ecclesiasticæ nomen promeretur, dum *Frassenus* ipse ob editum Scoticæ Philosophiæ Theologiæque cursum inter Auctores primarii subsellii sibi locum deberi ambitiosius gloriatur. De quibus operibus multa cursim observarem, nisi aliorum labores deprimere, illiberalis animi esse censerem, & quod arguo in *Frassено*, arguentque (ut spero) mecum Boni omnes, cum execratione vitare propositum haberem. Fruatur itaque sua laude; si quam apud Scotistas & alios quoscumque promeritus est, *Frassenus*, ob operam in dispellendis *Scoti* tenebris collocatam; non invideo; sed nec invideat ipse Alexandrino nomini, ne Operibus detrahat, ne famam non ignobiliter partam suis calumniis ac maledictis depeculetur. Quamquam etsi frendeat adversùm nos *Frassenus*, ac alii hujus farinæ viri & convitiorum plaustris nos incessant, cœptum Opus ad Studiosorum commodum, ad Ecclesiæ utilitatem, Deique gloriam, quæ unicè ambimus, non minori diligentia persequemur. Sydera imitari studebo, quæ hominum conviciis a cursibus suis & influxibus in orbem terrarum dispertiendis minimè retardantur. *Quanta*, inquit Sanctus Augustinus, *& de ipsis luminaribus fingunt homines & patienter ferunt, quomodo justi patienter debent ferre omnes de se falsas criminationes? Hoc ipsum quod jamdudum dixi, quia illa stella Mercurii est, & illa stella Saturni est, & illa stella Jovis est, convicia fiunt stellis. Quid illa cùm audiunt tanta convicia? Numquid moventur, aut non exercent cursus suos?*

Præfat. in Psal. XCIII.

ARTICULUS II.

Convicia F. Claudii Frassen, *Alexandrinam de Vulgata Scripturæ Sacræ Versione Dissertationem conspurcantia absterguntur.*

Nondum *Frasseno* conviciorum finis. Non satis fuit me *Historiæ Ecclesiasticæ hodiernum Compilatorem* contemptim & contumeliosè appellare; me ceu *Hæreticorum* ac *Vualtoni* præsertim & *Grotii exscriptorem* in ea, quam adornavi, Dissertatione de Scripturæ Sacræ Versione Vulgata, sugillat egregius Disquisitor. Qua in re mihi videtur honestas illas de trivio mulieres æmulari, quæ vicinas suas convicio priores afficiunt, ne ab iis suo nomine nuncupentur. Subodorabatur *Frassenus* Alexandrum aliosque Studiosos observaturos, ipsum quidquid in *Biblicis Disquisitionibus* eruditionis est, ex aliorum Operibus fuisse deprędatum. Caput scilicet quartum quo *veterum Ethnicorum Sapientiam a Mose profluxisse* probat, & Cap. 5. quo ostendit, *Maximam Sapientiæ Græcæ partem a Mosis & Prophetarum Libris acceptam*, ex Illustrissimi Præsulis *Danielis Huetii* Opere doctissimo *De Evangelica Demonstratione* maximam partem exscripsit. Caput 6. quo *Moysen Auctorem Pentateuchi* esse probat, ex eodem Opere penè totum derivavit. Nisi quod Civitatem *Dan* de qua Genesis 14. v. 14. cum Civitate *Danna*, de qua Josue 15. v. 49. imperitè confundit, Illustrem *Huetium* male arguens. *Frasseni* imperitiam hoc in loco Geographia Sacra convincit. Est enim *Dan* oppidum Phœnices ad fontes Jordanis situm, in quo Tribus *Dan* habitavit, eique nomen imposuit, ante *Lesem* appellatum *Josue* 19. & *Lais* Judicum 18. sive *Laisa*, Isai. 10. Ipse fuit terminus terræ Israël ab Aquilone I. *Regum* 3. & *Ezechielis* 27. in quo Jeroboam Rex Israël vitulum adorandum erexit 3. *Regum* 12. & *Amos* 8. De quo oppido *Sanctus Hieronymus in lib. de Locis Hebraicis* ita scribit: *Dan viculus est in quarto a Paneade milliario euntibus Tyrum: qui usque hodie sic vocatur, terminus Judææ Provinciæ contra Septentrionem: de quo & Jordanis flumen erumpens, a loco sortitus est nomen. Jor quippe ῥεῖθρον, id est fluvium sive rivum Hebræi vocant.* Et in traditionibus Hebraicis: *Dan Phœnices oppidum* esse testatur, *quod nunc Paneas dicitur*. At verò *Danna* Civitas est in Tribu Juda, *Josue* 15. sita inter *Socoth* & *Cariathsenna*. De qua Sanctus Hieronymus, lib. *De Locis Hebraicis* ait: *Danna in tribu Juda: eadem autem est quæ & Dabir Civitas literarum.* Hanc *Frasseni* hallucinationem obiter perstrinxisse satis sit: Nunc ad id unde digressa est, redeat oratio. Quicquid *de lingua Hebraicæ origine & propagatione*, habet *Frassenus* cap. 7. nonne ex *Vualtoni* Prolegomenis pene exscripsit, hoc excepto, quod opinionem probabiliorem & a doctioribus receptam rejiciat, qua Abraham & ejus posteros dictos esse Hebræos a voce *Heber*, id est, *trans* vel *ultra*, quòd ex regione trans Euphratem in Cananæam Deo jubente transiisset, asserunt, *Origene*, *Sancto Hieronymo*, & *Theodoreto* præeuntibus: quorum Sententia Scripturæ Sacræ magis consonat, quàm *Eusebii* & *Sancti Augustini* opinio, asserentium ab *Heber* dictos esse Hebræos, quòd in Linguarum divisione Lingua primitiva hominum in familia *Heber*, cum singulari pietatis cultu conjuncta permanserit. Cùm enim *Abraham* primus omnium *Hebræus* appellatus legatur *Genes.* 14. ab Abraham, non ab *Heber* derivatam esse Hebræorum appellationem multò probabilius est. Sed reliquas *Frasseni* Disquisitiones percurramus. Quæ de Orientalibus Scripturæ Sacræ Versionibus, Syriaca, Arabicis, Æthiopica, Persicis, cap. 9. scripsit, cum iis quæ *Vualtonus* habet in Bibliorum Polyglottorum Prolegomenis conferantur. Quæ de Chaldaicis Paraphrasibus, Cap. 2. §. VII. conferantur cum iis quæ *Morinus* in Exercitationibus Biblicis, *Christophorus Helvicus*, & *Vualtonus* in iisdem Prolegomenis, scripsere. Quæ de Massora & Massorethis, cum iis quæ de iisdem *Buxtorfius*, *Morinus*, & *Vualtonus*. Quæ de Talmude, Mischna & Gemara, cum iis quæ de iisdem *Morinus* in Exercitationibus, *Buxtorfius* in Bibliotheca Rabbinica, *Galatinus*, noster *Sixtus Senensis*, *lib.* 2. *Bibliothecæ Sanctæ*, Clarissimus & Doctissimus *Voisinus*, in Observationibus præviis ad *Pugionem Fidei*. Quæ de *Keri* & *Ketib* cum iis quæ *Vualtonus* idem in Prolegomenis. Quæ de Kabala, cum iis quæ *Picus Mirandulanus*, noster *Sixtus Senensis*, *Galatinus*, *Reuchlinus*, *Bonfrerius* & *Vualtonus*, de eodem argumento scripsere. Quæ de editione LXX. Interpretum scribit, cap. 3. cum *Morini*, *Usserii*, *Vossii*, *Vualtoni* de eadem lucubrationibus, necnon cum Dissertatione XI. *Natalis Alexandri* in Historiam Ecclesiasticam II. Sæculi. Quæ de Vulgata, cum iis quę noster *Cano*, lib. 2. De Locis Theologicis, cap. 13. quæ *Bellarminus*, quæ *Serarius*, quæ *Bonfrerius*, quæ *Vualtonus*, quæ *Alexander* de eadem Versione scripserunt. Quæ de Libris Canonicis, cum iis quæ *Sixtus* noster *Senensis*, postremo libro Bibliothecæ Sanctæ, *Melchior Cano* noster, lib. II. de Locis Theologicis, cap. IX. X. & XI. Bellarminus lib. I. de Verbo Dei, Bonfrerius in Præloquiis ad Scripturam Sacram, Cornelius a Lapide, Tirinus, *P. de la Haye*, aliique Commentatores, in suis Præfationibus, Prolegomenis, & Commentariis, & Frater Natalis Alexander in Appendice ad Historiam Ecclesiasticam Sæculi IV. quæ Dissertatio est de Canone XLVII. Concilii III.

Origen. Hom. 19. in Num. S. Hieron. in Ezech. c. 7. & in Tradit. Hebr. Theodoret. Quest. 6. in Genes.

III. Carthaginensis. Quæ de Epistolis Sancto Paulo a Veteribus adscriptis, cum iis quæ F. Natalis Alexander scripsit de Epistolis Sancti Pauli ad Senecam & Senecæ ad Paulum, & de Epistolâ Sancti Pauli ad Laodicenses, in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi I. Cap. XI. Articulis III. & IV. (Laudat quidem Claudius Frassen *Sanctum Anselmum* in Commentario Epistolæ ad Colossenses, quem Alexandrum non laudasse dicet. Nescit enim Frassenus, quod nemo vel mediocris literaturæ ignorat, horum Commentariorum Auctorem non esse Sanctum Anselmum, sed *Herveum* Monachum Burgidolensem Ordinis Benedictini.) Quæ in Conciliatorio Biblico lib. IV. Disquisitionum habet Frassenus, cum libro ejusdem argumenti a *Dominico Macro* seu *Magrio*, Melitensi edito, cum Waltern, &c. Cum laudatis, inquam, Operibus tralatitiæ Disquisitiones Biblicæ Fratris *Claudii Frassen* conferantur, & compertum erit Eruditis unde sua exscripserit, compilarit, corraserit.

Verùm in his non immoror, cùm mihi propositum non sit ipsum accusare, adversùs quem calamum non sumpsissem, nisi me illiberaliter & contumeliosè fuisset aggressus; sed meam dumtaxat Operumve meorum famam ab ejus injuriis tueri. Me *Vvaltonum*, *Grotium*, aliosque Hæreticos exscripsisse effutiit *Frassenus*, in Dissertatione mea *De Vulgata Editione Scripturæ Sacræ*. Fateor me in Quæstione VI. quam potissimùm confutandam sibi sumpsit *Frassenus*, nonnulla a *Grotio*, & aliis Hæreticis doctrinâ conspicuis observata annotasse, sed quæ vel non ab iis primùm, nec ab iis solis annotata sunt, verùm etiam a Viris inter Catholicos doctissimis; & quæ a me Scripturam Sacram & optimos quosque libros legendo observari etiam facilè potuerunt. Quamquam ab aliis potiùs observata de Vulgatæ Editionis Latinæ sphalmatis me exponere, & ex multis pauca & scitu digniora seligere fuerim professus in ipsius Quæstionis exordio, quàm nova menda intemperanti Critica congerere: quæ aut nulla aut leviora meritò viderentur. Ita Quæstionem VI. sum exorsus: *Vir doctissimus Lucas Brugensis, aliique Viri Eruditi per omnes Scripturæ Sacræ libros notarunt plurima* (sphalmata nimirum) *quorum præcipua hic exponere opera pretium existimo*. Et cur etiam a *Grotio*, viro (ut fateris) erudito, nec in Catholicam Religionem adeò malè affecto, quem plerique Catholici post religiosissimum & doctissimum Sirmondum, *Grotium prope nostrum* appellarunt, ut *Senecam* olim *Tertullianus*; cur, inquam, a *Grotio*, æquè ut ab aliis Auctoribus eruditis observata non exposuissem (siquidem consilium illud erat in hacce Quæstione sexta meum, idque ipso statim initio fueram pollicitus?) Num, amabo, veritas & eruditio Hæreticæ sunt, ut vereri debeamus ea scribere quæ a viris eruditis, etsi Hæreticis, rectè scripta sunt, & appositè animadversa? Nonne ex *Aquila*, *Symmacho*, *Theodotione*, Judaizantibus Hæreticis, *Origenes & Sanctus Hieronymus* Versiones suas & Commentarios illustrarunt & adornarunt? Nonne ex *Origine*, *Didymo*, *Apollinario*, *Sanctus Hieronymus* plura observavit, & in egregios Commentarios suos transfudit? Nonne *Tichonii* Donatistæ Regulas ad Scripturæ Sacræ intelligentiam utiles *Sanctus Augustinus* judicavit, easque lib. III. *De Doctrina Christiana* exposuit? Nonne Doctor idem sanctissimus de ipsis Ethnicis Philosophis scripsit: Lib. II. De Doctr. Christ. c. 39. *Si qua fortè vera, & Fidei nostræ accommoda dixerunt, non solùm formidanda non sunt, sed ab iis etiam tamquam ab injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda?*

Verùm, ut omnibus pateat quo spiritu actus *Frassenus*, me *Grotii*, & *Vvaltoni* Exscriptorem vocet, ac meridiana luce clarius elucescat ipsum clausis oculis hanc mihi irrogare contumeliam, duo loca proferre velim, in quibus me *Vvaltonum* exscripsisse blaterat, ut ex iis de infrunita ejus Critica judicium ferant viri quique cordati. Pag. 324. Alexandrum carpit *Frassenus*, quòd *ex Vvaltono, tametsi non laudato, Tikum Sopherim*, id est, correctionis Scribarum *exscripserit*, quas & *Vvaltonus* ex *Galatino* Minorita exscripsit. At quid necesse erat, *Frassene!* ut *Vvaltonum* laudaret *Alexander*, cùm Masoram interiorem laudarit, ex qua *Vvaltonus* has Observationes accepit? *Hujusmodi loca*, inquiebam, pag. 305. *refert Masorha interior initio Libri Numerorum, & Psalm. CVI. octodecim, vel potiùs loca sexdecim, in quibus verba octodecim immutantur. Recensentur autem hoc ordine*, &c. Qui digitum ad fontem intendit, non est necesse ut is rivulos demonstret ex fonte derivatos. Neque consequens est ut Auctor ab aliis acceperit, quicquid laudat ex veteribus libris, quod illi pariter retulerunt & in Opera sua transfuderunt. An oculi, ingenium, studium, diligentia propriæ sunt *Vvaltoni* vel *Grotii*, singularesque dotes, aliis hominibus Dei munere non concessæ, qui pariter Masorham, aliosque libros Judaicos inspicere, pervolvere, & ex iis quæ sibi fuerint utilia in Codicillos referre non possint? Nonne se ridendum omnibus propinaret, qui pertinaciter contenderet imagines a perito Pictore ex Archetypis exquisitissimis præstantiorum ea in arte Magistrorum expressas, ad earum similitudinem delineatas esse, quas alii ex iisdem exemplaribus expresserunt; cùm pluribus per artem ac industriam liceat Raphaelis, Titiani, Corregii, Pauli Veronensis, Carraccii, Rubensii, Pictorum celeberrimorum Opera imitari? Pari ergo ratione se ridendum præbet *Frassenus*, qui *Tikum Sopherim*, quod ex Masorha, hausit *Vvaltonus Alexandrum* ex *Vvaltono*, & illum ex *Galatino* exscripsisse contendit, qui ex Masorha pariter id se referre profitetur. Quamquam etsi ex *Vvaltono* id immediatè accepissem, falsò mihi exprobraret *Frassenus*, quòd Vvaltonum ex quo in Dissertatione mea aliqua delibavi, non laudaverim, cùm ingenuè fassus fuerim pag. 303. eorum, quæ de punctationis Hebraicæ origine & aliis Hebraicæ literaturæ arcanis scripsi, plurima ex *Vvaltoni* doctissimis Prolegomenis, non tamen solis, sed etiam ex aliis quos pariter legi & ibidem laudavi, Eruditorum Virorum libris deflorasse. *Lege*, inquiebam, *Ludovicum Capellum, libro de Punctationis Arcano revelato, Buxtorfium, Morinum, & Prolegomenon III. Bibliorum Poliglottorum doctissimi Vvaltoni, ex cujus erudito labore multa hac in Quæstione defloramus*. Tandem etsi hunc ipsum, de quo agimus, locum ex *Vvaltono* exscripsissem, nemo id mihi minori jure improperare posset quàm *Frassenus*, quia omnia penè *Vvaltoni Prolegomena* in suis Disquisitionibus Biblicis exscripsit.

Quod verò *Galatinum* spectat, quem quòd nec *Vvaltonus*, nec *Alexander* laudaverint, utrique *Frassenus* succenset, fateor me in hoc Scriptore legendo tempus non contrivisse. Quid verò laudarem *Galatinum* Plagiarium insignem, qui *Arcana* sua *Catholicæ Veritatis* ex aureo Opere *Raymundi Martini* Ordinis FF. Prædicatorum, quod *Pugionem Fidei* inscripsit; penè omnia exscripsit ac furatus est, nequidem semel laudato *Raymundo*, ejusve libris admirandis? *Galatinum* Plagiarium conclamans, convitium ipsi non facio. Probata siquidem accusatio est. De eo doctissimus *Scaliger* ad *Casaubonum* ita scribebat 16. Kal. Maji M. DC. IV. *De Galatino scito me vera dixisse: nam non solùm ille omnia a Raymundo Sebone expilatus est. Sed & Opus ejus nihil aliud est quàm Breviarium* *In nomine lapsus est Scaliger*, Raymundum Sebone, *pro* Raymundi Martini, *scribens*.

Pu-

Pugionis Fidei. *Ita enim Opus suum Doctissimus Dominicanus ille inscripserat, qui Tolosa ante annos ducentos plus minùs scribebat.*

De eodem *Galatino* vir doctissimus *D. Philippus Jacobus Maussacus* Præses, in Prolegomenis ad Pugionem Fidei *Raymundi Martini* hæc habet: *Petrus Galatinus ex Judæo Christianus anno demum MDXV. libros XII. de Arcanis Catholicæ Veritatis, Pugione Fidei nondum edito, publicare ausus est, ex quo quæcumque protulit bona nota in sua Arcana transfudit, suppresso penitus Martini nomine, non paucis dubiæ & incertæ fidei additis*. Et infra: *Tria Volumina illius Pugionis extant Tolosæ in Bibliotheca Collegii Fuxensis, quorum non tam Compendium, Epitomen, aut Breviarium confecit Galatinus in Arcanis, quàm omnia bona quæ habet, ab eo furatus est, suppresso penitus Martini nomine*.

De eodem *Galatino* vir Clarissimus ac Doctissimus *Josephus de Voisin* in fine Observationum in Proœmium *Pugionis Fidei* hæc habet: *Secunda verò & Tertia pars* Pugionis, *tota sunt adversùs Judæos: quarum possessionem jamdudum ad se transtulisse comperimus Galatinum; easque sub nomine Arcanorum Catholicæ Veritatis usucepisse; verùm malæ fidei possessorem, nulla temporis præscriptio munit. Ipso jam domino viro eximio* Raymundo Martini, *Ordinis Prædicatorum, quasi postliminio sua repetente, justitia præceptum est, suum illi tribuere*. Idemque Dominus *Voisinus*, quo obstetricante *Pugio Fidei* editus est, & doctissimis Observationibus illustratus, per singulas paginas indicat loca, quæ *Galatinus* furatus est; adeò ut plagii convictus planè maneat Auctor ille, quo *Frassenus* velut magno sui Ordinis ornamento gloriatur.

Inter hujusmodi furta *Galatini*, illud est de *Tikum Sopherim*, quod *Raymundus* noster in secunda parte Pugionis Fidei, Cap.III. pag.222. refert ac explicat. Ineptissimè igitur mihi improperat *Claudius Frassenus*, quod *Tikum Sopherim* ex *Vvaltono* exscripserim, & ille ex *Galatino*: Cùm *Galatinus* id, & alia penè omnia, ex *Raymundo Martini*, Dominicano, excripserit, qui ducentis triginta septem aut circiter annis ante *Galatinum* floruit, *Sancto Ludovico* & *Jacobo* Aragonum Regi charissimus. Meliori ego jure *Frassено* exprobrarem, quòd *Galatinum* laude nulla dignum laudaverit, *Raymundum Martini* non laudaverit, in cujus vitula sibi aravit *Galatinus*.

Tandem si *Galatinum a Vvaltono*, & *F. Natali Alexandro* laudari debuisse importunè contendat aliquis, Sapienti obsequemur, dicenti: *Responde stulto juxtà stultitiam ejus*, & insigni illi Plagiario hoc ex *Sixto Senensi*, *lib. II. Bibliotheca Sancta*, pag.120. inscribemus Elogium: *Non possumus hic non magnopere mirari inane studium Petri Galatini, ex Ordine Minorum, qui, cùm in primo* De Arcanis Catholicæ Veritatis *libro Defensionem Thalmudicorum Voluminum suscepisset, in eam vanitatem devenit, ut non solùm affirmaverit Thalmudica Opera in Latinum verti oportere, & publicè in Scholis Christianorum explicari, sed hoc ipsum quoque conatus fuerit astruere auctoritate Clementis Papæ Quinti, qui in Concilio Viennensi, eadem Sancta Synodo approbante, statuit, ut in Scholis Christianorum essent Præceptores Hebrææ & Chaldaicæ Linguæ periti, qui libros Judæorum in Latinum transferrent, & ipsorum linguam publicè docerent. Hoc quidem Clementis Decretum, inquit Petrus, cùm intelligi nequeat de Hebraicis Divinæ Scripturæ libris, quia jam toties traducti fuerant, consentaneum est, ipsius verba intelligenda fore de Thalmudicis Judæorum Operibus, nondum Latinè versis. Lepidum sanè argumentum, & defensore tali dignum! qui non animadverterit Clementis Canonem loqui de primis rudimentis, & Institutionibus Linguarum Hebraicæ & Chaldaicæ, quæ magis petenda sunt ab eis, qui inter Judæos Grammaticas Traditiones & Hebraica, atque Chaldaica Dictionaria conscripserunt, quàm ab iis qui Thalmudica Scripta collegerunt*. Non est quòd ampliùs de nobis conqueraris, *Frassene Frater!* en *Galatinum* tuum abundè laudatum. Ad tuas criminationes redeo.

Pro virginali pudore tuo me *Vvaltoni* Exscriptorem vocare pergis in iis locis, in quibus nihil ab ipso accepi, sed ab iis a quibus accepit ipse, a domesticis nempe Dominicanæ Familiæ Auctoribus. Ita scribis, pag.301. Biblicarum Disquisitionum tuarum: *Aliam suscepta a Sancto Hieronymo ex Fontibus Hebraïs Editionis rationem Vvaltonus profert, & ejus Exscriptor Historiæ Ecclesiasticæ Compilator hodiernus: Quod cùm Versio LXX. in plurimis potiùs esset Paraphrasis & Commentarius, quàm Versio obscura elucidans, & sensum potiùs quàm verba redderet; congruum erat aliam ex Hebraico Textu de verbo ad verbum cudi, qua ostenderetur illos LXX. Seniores nihil Hebraicis Fontibus contrarium & alienum Græcè reddidisse*. Calumniaris *Frassene!* non enim ex *Vvaltono*, sed ex nostro *Sixto Senensi*, libro VIII. *Bibliotheca Sancta*, pag.661. rationes illas retoli, non ipsis quidem *Sixti* verbis, nec eodem ordine, sed ipsius sensu. *Causas porrò*, (inquiebam, pag.284.) *cur a Latinis Ecclesiis suscepta sit hæc Versio, istas profert Sixtus noster Senensis, lib.VIII. Biblioth. Sancta ad finem*. Sed ita inhærebat *Frasseni* animo *Alexandrum* velut *Vvaltoni Excriptorem* traducere, ut ei semper *Vvaltoni* Phantasma obversaretur, & pro *Sixto Senensi* ipsum sumeret. Quamquam etsi rationes illas ex *Sixto Senensi* non retulissem, haud consequens esset eas ut exscripsissem ex *Vvaltono*, cùm ex *Sancto Hieronymo* depromptæ sint variis in locis, easque apud illum legerim.

Frassenus ea qua flagrat allatas a *Sixto Senensi* a *Vvaltono*, & *Alexandro* rationes impugnandi libidine, Sanctos Patres impugnat, & sibi ipsi contradicit. Scripsi *Sanctum Hieronymum* Versionem novam ex Hebræo Textu immediatè expressam adornasse tum ob alias rationes, tum ob istam, quòd *Versio LXX. in plurimis potiùs erat Paraphrasis quàm Versio obscura elucidans*, &c. Hanc rationem carpit *Frassenus*, pag.302. Disquisitionum suarum Biblicarum his verbis: *Quam confictitia sit hæc conjectura, & a veritate aliena, satis superque constat ex iis quæ dicta sunt, Translationem videlicet LXX. Interpretum omnes quotquot erant Alexandriæ Judæorum Sacerdotes, approbasse, atque illam Hebræo Textui fideliter correspondere, fuisse attestatos. Si confictitiam* & a veritate alienam hanc rationem esse putas, *Frassene!* cur ipsi in iisdem Disquisitionibus tuis, Capite *De Editione LXX. Interpretum*, subscripsisti? Hanc §. III. dicti capitis inscriptionem apposuisti: *Quænam sint rationes & causæ cur Versio LXX. Interpretum a contextu Hebraico tantopere discrepet?* Tum in corpore dixisti: *LXX. Interpretes perspicuitati & nitori studentes, Phrasim Græcam æmulatos fuisse & sic non omnes Hebræas dictiones verbatim expressisse, tamquam sensum integrum reddiderint, & non verba verbis, sed sententiæ sententiis reddidisse*. Ita secum pugnat *Frassenus* ea qua flagrat libidine *Alexandrum* impugnandi. Sed & SS. Patribus adversatur, qui si versionem LXX. Interpretum in plurimis potiùs esse Paraphrasim, quàm Versionem obscura elucidantem, non agnovissent, multaque in ea abundare quæ in Hebræo non habentur, multa deesse quæ in Hebræo leguntur, non laborassent in proferendis rationibus, quibus persuaderent, additiones illas vel omissiones, eorum Versionis auctoritati non derogare, quod afflatu Spiritus Sancti id fecerint.

Ita

Ita *S. Epiphanius* lib. *De Ponderibus & Mensuris*, scribens: *LXX. sicubi manca ac defecta erat oratio nonnullis adjectis plurimum ei lucis attulerunt, ut non sine Spiritus Sancti afflatu ad scribendum accessisse credibile sit.* Ita *S. Hieronymus* Præfat. 2. in lib. Paralipomenon: *Ubi*, inquit, *obelus transversa scilicet virga præposita est, illic signatur quid LXX. Interpretes addiderint, vel ob decoris gratiam vel ob Spiritus Sancti auctoritatem, licèt in Hebræis Voluminibus non legatur.* Et Præfatione in Pentateuchum: *Ubicumque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, aut aliter interpretati sunt aut omnino tacuerunt; ut & Regi satisfacerent, & arcanum Fidei non vulgarent.* Et in Proœmio Quæstionum Hebraicarum in Genesim, asserit: *Illos Ptolemæo Regi Alexandriæ Mystica quæque in Scripturis Sanctis prodere noluisse, & maximè ea, quæ Christi adventum pollicebantur, ne viderentur Judæi & alterum Deum colere:* Et in Cap. 9. *Isaiæ v. 6.* Sex Christi divina nomina ipsos prætermisisse ait, eorumque loco reposuisse *Magni consilii Angelum* quòd *in Hebræo non habetur.* Ita *S. Augustinus*, lib. XVIII. *De Civitate Dei*, Cap. 43. *Spiritus qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat etiam in LXX. Viris, quando illa interpretati sunt. Qui profectò auctoritate divina & aliud dicere potuit, tamquam Propheta ille utrumque dixisset, quia utrumque idem Spiritus diceret, & hoc ipsum aliter; ut si non eadem verba, idem tamen sensus dilucesceret: & aliquid prætermittere, & aliquid addere: etiam ut hinc ostenderetur, non humanam fuisse in illo opere servitutem, quam verbis debebat Interpres; sed divinam potiùs potestatem, quæ mentem replebat & regebat Interpretis.* Lege ejusdem Sancti Doctoris, Cap. 66. Libri II. *De Consensu Evangelistarum.* His testimoniis Sanctissimorum & Doctissimorum Patrum, jam olim a me prolatis Dissertatione XI. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi II. pag. 190. 191. & 192. conficitur me *confictitiam*, ut *Frassenus* loquitur, & *a veritate* penitus *alienam conjecturam* non protulisse, cùm inter rationes ob quas *S. Hieronymus* suam Versionem adornavit eamque Ecclesia suscepit, hanc secundo loco protuli: *Quia Versio LXX. in multis Paraphrasis potiùs erat quàm Versio obscura elucidans, sensum potiùs quàm verba reddens; congruum erat aliam ex Hebraico ferè de verbo ad verbum cudi, quò ostenderetur nihil illos Hebraico Textui contrarium reddidisse.*

ARTICULUS III.

Calumnia Frasseni in Doctrinam Alexandrinam de Vulgata Editione Latina diluuntur,

CUM *Frassenus* passim *Alexandrum* seu directè seu obliquè carpat, eumque *Hæreticis blandiri*, & *minus religiosè quàm plerosque Protestantium* in sua Dissertatione de Vulgata Editione Latina sentire ac loqui effutiat, has calumnias diluere aggredior impræsentiarum, *Sancti Hieronymi* consilium secutus, qui præclarè dixit: *In suspicione Hæreseos nolo quemquam esse patientem.* Id autem exsequar, meæ de Vulgata Doctrinæ in ea Dissertatione adversùs quam oblatrat *Frassenus*, summam exhibendo, rationemque Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ, & Viris quibusque in ejus Communione Eruditis reddendo.

Qui Concilii Tridentini Decretum de Vulgata Editione latina reveretur, amplectitur, sequitur, & ab omnibus amplectendum docet ac sequendum, *is* sanè tam religiosè sentit de illa Editione, quàm religiosè sentire illum jubet Ecclesia, nec Hæreticis blandiri citra calumniam dici potest. Statuit autem ac declarat id unum de Vulgata Editione Latina, Tridentina Synodus: *Hæc ipsa vetus & Vulgata Editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.* [Sessione IV.] Id omnino censet Alexander, qui Quæstionem V. Dissertationis suæ ita auspicatur: *Vulgatam Versionem Authenticam decernit Tridentina Synodus Sess. IV. Cap. 2.* Et Decretum Sanctæ Synodi describit. Addit, *Ideò authenticam dici, quia nihil continet Fidei & bonis moribus repugnans: & certa est regula Fidei prout ab Ecclesia probata est.* Non sic verò dici authenticam, *quasi Fontibus Hebraicis, vel Græcis præferenda sit, aut etiam coæquanda.* Tridentinam proinde Synodum *Latinis dumtaxat Versionibus cæteris Vulgatam nostram præferre, relictis Textibus originariis eodem in statu in quo priùs erant.* Concilii Tridentini Decreto consentaneam prorsus esse hanc *Alexandri* opinionem, hæc Sacræ Synodi verba probant: *Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Editionibus Latinis, quæ circumferuntur sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit innotescat, statuit & declarat*, &c. Ex his intulit *Alexander*, ex originariis Textibus, Hebræo scilicet ac Græco, Vulgatam Editionem Latinam corrigi posse. Id verò pariter Auctores inter Catholicos primarii subsellii ante *F. Natalem Alexandrum* docuerunt. *Salmeron* celeberrimus S. J. Theologus qui Concilio interfuit, Prolegomeno III. in Evangelia: *Nihil*, inquit, *de Exemplaribus Græcis vel Hebræis agebatur: tantùm inter tot Editiones Latinas, quas sæcula nostra parturierant, quænam ex illis præstaret, sermo erat. Liberum autem reliquit omnibus, qui Scripturas Sacras profundiùs meditantur, Fontes Græcos aut Hebræos, quatenus opus sit, consulere, quò nostram vitio Librariorum, aut temporum injuriâ corruptum emendare valeant.*

Hanc fuisse Tridentini Concilii mentem ut probarem, *Andream Vega* Ordinis FF. Minorum eximium Theologum & *Michaelem Cervinum* Cardinalem a Sancta Cruce, tunc Legatum Summi Pontificis, & Summum postea Pontificem *Marcellum II.* quem *Vega* laudat, testem appellavi. Locum *Andreæ Vega* indicavi, scilicet Libr. XV. *De Justificatione*, cap. 9. verba non descripsi, brevitati studens: [Pag. 613. & 614.] sed ea hìc subjicere operæ pretium, ut domestico testimonio Frassenianæ vanitatem opinionis ostendam, & Alexandrinæ veritatem probem sententiæ. Antequam verò loquatur *Vega*, audientiam ipsi faciet Cardinalis *Palavicini* commendatio in Historia Concilii Tridentini, Lib. 6. Cap. XVII. ubi cùm præmisisset, Viros eximios & præstantissimos Theologos qui Concilio interfuerunt, vel cum iis qui interfuere, convixerunt, asserere Vulgatam Editionem Latinam a Sacra Synodo non ea ratione pronuntiatam esse authenticam, quasi Textibus primitivis sit anteponenda, primo loco laudat *Andream Vega* cum honorifica Præfatione. *In primo luogo il dottissimo Andrea Vega, che a quel tempo stava in Concilio, e che quantunque fosse Teologo Consigliero, e non Vescovo giudicatore; fu nondimeno ascoltato con la debita stima. E gli diede il parere in questa sentenza da me spiegata, come riferisce il Soave medesimo, e dipoi testifica nelle sue opere che tale fu l' intenzione de' Padri: & che specialmente questo significogli il medesimo Legato Cervino, divolgando ciò nelle stampe in vita di esso.* [De Justif. lib. 15. c. 9.] Jam *Andream Ve-*

ga tam illustri commendatione fultum audiamus, *Calvino* respondentem. *Sed ne erres*, inquit, *ut facis, circa approbationem Vulgatæ Editionis factam in Sessione 10. nec frustra labores in ostendendis vitiis Vulgatæ Editionis, audi obiter pauca quæ & Philippo* (Melanctoni) *dicta velim, qui ante te graviter de hoc accusat Patres. Synodus non approbavit menda, quæ linguarum periti, & in sacris literis mediocriter versati, in ea deprehendunt. Approbavit dumtaxat Vulgatam Editionem repurgatam a mendis, quæ vitio scriptorum vel calcographorum in ea obrepserunt. Nec eam tamquam e cœlo delapsam adorari voluit. Interpretem illius quisquis ille fuerit, sciebat non fuisse Prophetam, nec non meruisse hactenus quemquam, qui eodem in omnibus Spiritu Sacras literas a propria & nativa lingua in alienam linguam transfuderit. Ac proinde nec cohibuit, nec cohibere voluit studiosorum linguarum industriam, qui aliquando docent meliùs potuisse aliqua verti, & uno eodemque verbo vel plures nobis suggessisse Spiritus Sancti sensus, vel certè alios commodiores, quàm e Vulgata Editione possent haberi. Sed in honorem vetustatis, & honoris quem et jam a multis annis detulerant Concilia Latina, quæ sunt eâ usa, & ut certò scirent Fideles, quod & verissimum est, nullum inde haberi posse perniciosum errorem, & tutò illam & citra periculum posse legi: ad coercendam etiam confusionem quam affert multitudo Translationum, & temperandam licentiam nimiam cudendi semper novas Translationes, sapienter statuit ut istâ uteremur in publicis lectionibus, disputationibus, & expositionibus. Atque eatenus voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam defœdatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & moribus colligi posset; atque adeò adjecit, ne quis illam quovis prætextu rejicere auderet. Et hanc fuisse mentem Synodi, nec quippiam ampliùs statuere voluisse, ex verbis ipsis & ex aliis consuetis approbationibus Concilii potes colligere. Et ne dubites de hic, verissimè tibi possum allegare pro his Amplissimum & Observandissimum Dominum Sanctæ Crucis Cardinalem, de pietate & de literis, & studiosis omnibus optimè meritum, qui illi Sessioni & aliis omnibus præfuit: ac pridie quidem quàm illud Decretum firmaretur, & postea non semel mihi testatus est, nihil ampliùs voluisse Patres firmare. Itaque nec tu, nec quispiam alius, propter hanc approbationem Vulgatæ Editionis impeditur, quominus ubi hæsitaverit, ad Fontes recurrat, & in medium proferat quidquid habere potuerit, quo juventur & locupletentur Latini, & Vulgatam Editionem ab erroribus expurgent, & quæ sensui Sanctorum, & ipsis Fontibus sunt magis consentanea, assequantur.*

Laudavi *Driedonem* e Lovaniensi Academia doctissimum Theologum, Tridentino Concilio antiquiorem Lib. 2. de Translationibus Sacræ Scripturæ, Cap. 1. ut probarem hanc fuisse Virorum Eruditorum sententiam ante Concilium Tridentinum. *Driedonis* verba non adscripsi brevitati studens, nunc verò ea recitare non inutile erit: *Quemadmodum*, inquit, *Septuaginta Interpretum Editio in multis ab Hebraico fuerat devia, quam tamen & olim Christus & Apostoli ejus sic honoraverunt ut uterentur illâ, corroborantes ex eadem Fidei nostræ primordia: nihilominus ex Hebraico Fonte, ubi opus erat, citantes etiam ea quæ apud Septuaginta non reperiebantur: Sic & hanc nostram Editionem hactenus honoravit Ecclesia Latina, quamvis secundùm censuram SS. Patrum, Ambrosii, Hieronymi, & aliorum Antecessorum, quibusdam in locis non ignoraverit forsitan nonnulla devia esse a vetustissimorum Græcorum & Hebræorum exemplaribus, sciens aliud esse, eum qui Scripturam edidit, hallucinatum esse; aliud verò eum qui eamdem Scripturam in aliam linguam transtulit, non rectè esse interpretatum...... Quapropter non arbitremur absurdum esse sermonem Sacræ Scripturæ translatum ex suo fonte in linguam aliam examinare, recurrendo ad suam originem, & discutere, si fortè Interpres deviaverit a sensu ejus qui scripsit. Et id unicuique eò usque licitum est, donec universalis Ecclesiæ auctoritate fuerit definitum, Editionem illam in omnibus fonti suæque origini consonam esse. Insuper & Definitione hujuscemodi facta, adhuc liceret, pro intelligendis locis obscuris, recurrere ad Scripturam in suo fonte.* Cùm itaque constet ex Cardinali a Sancta Cruce, Concilii Præside, & Doctissimo *Vega*, ejusdem Concilii Theologo, Vulgatam Editionem Latinam eo sensu authenticam non esse declaratam a Patribus, ut in omnibus fonti suæque origini consona sit, sed solùm quòd nullo fœdata sit errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide, aut moribus, colligi valeat: licitum est examinare, an Vulgatus Interpres ab Hebraica aut Græca Veritate in aliquo devia verit, Versionem illam cum Fontibus comparando, & multò magis inquirere in sphalmata ex imperitia Scribarum aut Typographorum orta: modò Vulgatæ Versioni suus servetur ab Ecclesia assertus honos, suaque auctoritas, nec privato quis genio aut criticâ, audeat aliquid in illa immutare; sed suas proponendo conjecturas, ab una id fieri posse Ecclesia, si ita ipsi visum fuerit, religiosè contestetur. Quid autem aliud asseruit F. *Alexander* in Dissertatione quam arrodit *Frassenus*?

Laudavi pro eadem sententia *Bellarminum*, Lib. II. *De verbo Dei*, Cap. XI. verba ejus non protuli, sed profero impræsentiarum. *Vulgata Editio*, inquit, *non est unius Auctoris, sed quædam habet ex Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio quodam Interprete innominato. Stultum autem videtur dicere, Theodotionem Hæreticum non potuisse errare..... Non igitur Auctores illos canonizavit Ecclesia, sed tantùm hanc Versionem approbavit: nec ita tamen approbavit, ut asseruerit nullos in ea Librariorum errores reperiri; sed certos nos reddere voluit, in iis præsertim, quæ ad fidem & mores pertinent, nulla esse his in Versione Interpretum errata.* Et ibidem licere asserit *recurrere ad Fontes Hebræos & Græcos, quando Latini Codices variant, ut non possit certò statui quæ sit vera Vulgata Lectio; & quando verba aut sententia in Latino est anceps.*

Addo novum *Bellarmini* locum ex Cap. scilicet X. ejusdem libri, ubi *Calvini* mendacia refellens, ait *Alterum ejusdem mendacium est, decrevisse Tridentinos Patres, minimè esse audiendos eos, qui ex Fonte ipso purum liquorem proferunt, & ex certa veritate falsum coarguunt. Hoc ideò mendacium voco, quòd nihil ejusmodi in Decreto Concilii legatur. Nec enim Patres ullam Fontium mentionem fecerunt, sed solùm ex tot Latinis Versionibus quæ circumferuntur, unam delegerunt quam cæteris anteponerent; & [quod Ecclesiæ gravitatem & constantiam decebat] antiquam novis, probatam longo usu, recentibus adhuc, ac [ut sic loquar] crudis; denique unam multis inter se dissidentibus & pugnantibus prætulerunt.*

Laudavi *Sixtum Senensem*, Lib. VIII. Bibliothecæ Sanctæ, quem etiam pro hac sententia laudat Cardinalis *Palavicinus*, Lib. VI. Historiæ Concilii Tridentini, Cap. XVII. cum hoc elogio: *Della stessa opinione si mostrò un altro dottissimo Scrittore che visse in quella stagione, e conversò con gl' uomini intervenuti al Concilio. Dico Sisto Senese nell' ultimo Capo della maravigliosa opera intitolata da lui, Biblioteca Santa.* Sic autem habet *Sixtus Senensis*, cujus verba non descripseram

Fol. XLI, verso.

feram *De erroribus verò quos Hieronymus in veteri Translatione annotavit, & recentiores in hac nova Editione pariter annotarunt, ingenuè fatemur & nos, multos errores ab Hieronymo emendatos in veteri Traductione, & similiter in hac nostra nova Editione nonnullas inveniri mendas, solæcismos, barbarismos, hyperbata, & multa parùm accommodatè versa, & minùs Latinè expressa, obscurè & ambiguè interpretata, itemque nonnulla superaddita, aliqua omissa, quædam transposita, immutata, ac vitio Scriptorum depravata, quæ Sanctes Pagninus, Thomas Cajetanus, Franciscus Foretius, & Hieronymus Oleastrius, viri ex Dominicano Ordine eruditissimi, interpretationibus & explanationibus suis indicarunt. Non tamen ex his sequitur, Ecclesiam usque in hanc diem non habuisse veram, sinceram, integram, ac fidelem Novi Testamenti Editionem: quia etsi in ea ejusmodi errata inveniantur, certum est tamen neque in veteri neque in nova Editione aliquid unquam inventum esse, quod fuerit vel a veritate Christianæ Fidei devium, vel contrarium Dogmatibus ac Regulis Orthodoxis, vel præter veritatem additum, vel contra veritatem mutatum, vel in præjudicium veritatis omissum, vel adeò depravatum, ut occasionem perniciosè errandi attulerit, vel hæresibus ac pravis Dogmatibus materiam & fomenta præstiterit, vel ita obscurè & ambiguè versum, ut Mysteria nostræ Fidei occultaverit, aut non ad sufficientiam, & quantùm satis est ad salutem, explicaverit. Quos tamen errores, mendas ac depravationes Divus Hieronymus in veteri Editione Novi Testamenti se consultò reliquisse testatus est, & Ecclesia similiter in nova Editione ex professo reliquit. Non quia tot eruditissimi ac Sanctissimi Ecclesiæ Patres ea errata vel non agnoverint, vel approbaverint, sed quia ad ea dissimulanda justis se causis impelli viderint. Primò quòd animadverterint nihil periculi in Fide ac moribus ex his tam levibus erratis imminere. Deinde ne Fideles importuna ac nimiùm exacta correctionis novitate offenderentur, quorum aures usque ab infantia vetus illa Editio occupaverat. Postremò, ut vetustam illam Editionem venerarentur, quæ nascentis Ecclesiæ Fidem educaverat & crescentis roboraverat & evexerat, utque sanctam ac venerandam illam simplicitatem antiqui Interpretis, qui non sermone ornatum, sed Historiæ veritatem quæsivit, sua ipsorum approbatione honorarent, & vestigia Majorum suorum sequerentur, qui eosdem errores, sacra quadam pietate ducti, tolerarunt, exemplo SS. Apostolorum, qui quamquam scirent Editionem LXX. Interpretum in multis redundare, & in multis deficere, eam tamen non contempserunt, sed ubique eam prædicaverunt, & ex ea prima nostræ Fidei fundamenta jecerunt. Temerarium igitur est, imò planè Hæreticum, propter leves quosdam defectus, qui in nostra Vulgata Editione, citra ullum Fidei ac morum detrimentum reperiuntur, eam spernere, & abjicere, novasque & profanas in locum ejus Hæreticorum Translationes introducere: præsertim post Oecumenici Concilii Tridentini Decretum.* Non pugnat igitur contra Decretum Sanctæ Synodi, qui in Vulgata nostra leves aliquas mendas superesse censet, quæ Fidei, ac disciplinæ morum doctrinam non spectant.

Pro eadem Sententia laudavi *Marianam*, S. J. Scriptorem egregium, Tractatu *De Vulgata Editione Latina*, Cap. 9. & *Serarium* in Prolegomenis, Cap. 19. Quæst. XII. Conclusione I. cujus hæc sunt verba: *Non antetulit Hebraicis Græcisve Fontibus Latinam nostram Versionem Tridentina Synodus.* Et Quæst. XI. Conclusione I. *Quæ a Tridentino Concilio Versioni Vulgatæ tribuitur auctoritas, non est infinitè accipienda, sed definitè, certis cum modificationibus. Prima, ut Versio hæc sit emendata, vel potiùs emendatissima. 2. Ut nihil quod Fidei ac veritati, bonisque moribus repugnet, habeat. 3. Nihil item quod justam alii opinionis cujusque noxiæ aut inutilis occasionem præbeat. 4. Ut in ipso Versionis genere bona sit, id est, bene primigenium Textum vertat, ejusque sententiam reddat.* His adde *Bonfrerium*, ejusdem Societatis doctissimum Interpretem, in *Præloquiis*, Cap. XV. Sect. III. & *Genebrardum* in Præfatione ad *Carolum IX.* Regem Christianissimum, *Origenis* Operibus præfixa.

Tot eruditorum Virorum claudet agmen Eminentissimus Cardinalis *Palavicini*, Lib. VI. Historiæ Concilii Tridentini, Cap. XVII. ubi cùm Caput, *Ut veterum*, Dist. IX. quo dicitur: *Ut veterum librorum fides de Hebræis Voluminibus examinanda est, ita novorum veritas Græci sermonis normam desiderat*: Cùm, inquam, illud Caput (quod ex *Sancto Hieronymo* sumptum est) contra Decretum Synodi Tridentinæ sibi objecisset; nihil illi obesse hæc verba respondet, quia etsi in nulla parte essentiali a Textu primitivo Vulgata nostra Versio dissideat, nec vel in minutissimis partibus sponte a Textu originario Interpres recesserit, nihilominus vim omnem ac perspicuitatem Textus primitivi, ac absolutissimam cum eo convenientiam, Vulgatum Interpretem in omnibus assecutum fuisse, Concilium non docet. Idque in Versione quavis inveniri, prorsus impossibile est. Multa itaque loca ambigua & obscura in Latina Versione Vulgata inveniri, quæ ex primitivo Textu lucem accipiant. *Si nega forse che nell' interpretazione Volgata non sieno molti passi equivoci, e molti oscuri, i quali ricevan luce dalle Bibbie di primitivi idiomi? Non si vagliano tutto il giorno di quello ajuto i Commentatori Cattolici? Non fecero essi, eziandio immediate dopo il Decreto del Concilio, anzi mentre il Concilio durava? il che dimostra, che non fu contrario a ciò il sentimento de Padri Tridentini? Altro è dire, che una Traslatione sia autentica, cioè nè studiosamente falsata in veruna parte quantunque accidentale e minuta, nè mai pur inavvertentemente difforme dall' originale nella sustanza: altro è dire che contenga tutta la chiarezza, tutta la forza, tutte le allusioni dell' originale. Il primo si è diffinito in Trento della Esposizione Volgata. Il secondo è affatto impossibile di qualunque esposizione; havendo ciascuna lingua le sue perfezioni proprie e suoi proprii mancamenti; onde a molte espressioni dell' una è inabile di corrisponder l' altra.*

Ex his omnibus evidentissimum est, doctrinam F. *Natalis Alexandri*, qua Vulgatam non ita authenticam esse propugnat in Dissertatione sua, ut fontibus Hebræis aut Græcis præferenda vel coæquanda sit, & nullæ sint in ea mendæ, quæ ex collatione cum Textu primitivo auctoritate Ecclesiæ corrigi possint, esse communem Theologorum Catholicorum primi subsellii doctrinam, quæ cum Synodi Tridentinæ Decreto non pugnat ullatenus, adeòque nec Hæreticis blanditur, ut *Frassenus* calumniatur.

Cur ergo *Alexandri* erga Vulgatam minorem quàm Hæreticorum reverentiam esse ais (Biblice Disquisitor?) Forsan quòd post *Sixti V. & Clementis VIII.* auctoritate curatam Vulgatæ Latinæ Editionis emendationem, nefas esse putes asserere, aliqua etiamnum sphalmata in ea superesse, quæ Ecclesiæ arbitrio ac judicio corrigi queant, quod *Alexander* scribere ausus est Quæstione VI. quæ potissimùm bilem tuam accendit. Sed oppidò falleris, tuumque pro Vulgata zelum non esse secundùm scientiam, *Bellarminus* unus e Romanis Correctoribus ad *Lucam Brugensem* scribens ostendit. *Scias velim*, inquit, *Biblia Vulgata non*

esse a nobis accuratissimè castigata. Multa enim ex industria justis de causis pertransivimus, quæ correctione indigere videbantur. Id luculentiùs ostendit *Clemens VIII.* qui novam Editionis Latinæ correctionem post *Sixtum V.* aggressus non fuisset, si Vulgatam Editionem semel ab uno Pontifice emendatam, alterius auctoritate corrigi ulteriùs non posse, & a quibuscumque mendis esse immunem existimasset. Quod potuit *Clemens VIII.* nonne & *Innocentius XI.* potest? Id ostendit Præfatio Bibliis auctoritate *Clementis VIII.* correctis & editis præfixa, *Vulgatam Editionem, quantâ fieri potuit diligentiâ castigatam*, declarans, *quam quidem sicuti omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita cæteris omnibus quæ ad hanc usque diem prodierant, emendatiorem, purioremque esse, minimè dubitandum. Et verò quamvis in hac Bibliorum recognitione, in Codicibus MSS. Hebræis Græcisque Fontibus, & ipsis veterum Patrum Commentariis conferendis, non mediocre studium adhibitum fuerit: In hac tamen pervulgata Lectione, sicut nonnulla consultò mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consultò immutata relicta sunt.* Quæ mutanda videbantur, & tamen certis de causis non sunt immutata a *Clemente VIII.* possunt ab *Innocentio XI.* summâ pariter a Christo auctoritate ad Ecclesiæ regimen universæ donato, uti & dotibus omnibus tantæ Dignitati pari, factâ cum MSS. Codicibus, cum Hebræis Græcisque Fontibus, & veterum Patrum Commentariis collatione emendari. Qui id revocaret in dubium, is verè Hæreticis blandiretur.

Id etiam disertè docet *Serarius*, Prolegomenon Cap.XIX. Quæst.XVIII. & octo rationibus probat posse adhuc alia menda in Vulgata Editione „ Latina corrigi. 1. Quia, ut ait Præfatio, *in tanta re nulla potest esse nimia diligentia*; licèt igitur Bibliorum Textus sit accuratissimè expurgatus, aliquem tamen adhuc aliquorum diligentiæ locum reliquit. 2. Dicitur in eadem Præfatione: *Vetus Versio quantâ fieri potuit diligentiâ castigatâ.* Cùm autem dicitur, *quantâ fieri potuit diligentia*, intelligitur non absolutè ac Metaphysicè quanta omnino possibilis fuit; sed moraliter, *quanta illo tempore, loco, per illos, cum illis opportunitatibus & adjumentis.* Si verò alio tempore ac loco plus quiddam aliunde opportunitatis & adjumenti accedat, non negatur major adhuc aliqua in re castigatio. 3. Prudenter ac ingenuè de eadem castigatione ait Præfatio; *Eam omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est.* Potest igitur adhuc in aliquo verbo, aut alia recula numerus deesse aliquis. Et vel Cardinalibus, vel doctis hominibus qui in castigatione ista laborarunt, omnis *humana* negari videtur *infirmitas*, si omnia eos menda vidisse, omnia correxisse, nihil usquam correctione adhuc aliqua dignum reliquisse dicuntur. 4. Disertè dicitur tantùm ista Editio cœteris *omnibus quæ ad hanc usque diem prodierunt, emendatior & purior.* Quando igitur in Apostolicis Literis asseritur, Bibliorum *Textus accuratissimè expurgatus*; intelligendum id non simpliciter & absolutè, sed, prout ante dixi, comparatè, ut sit iste Textus accuratissimus, siquidem *cum correctis Editionibus conferatur aliis, quæ hactenus prodierunt.* Et nota præteriti temporis verbum hoc, *prodierunt*; quia si adhuc in opere isto tam fœliciter cœpto, ac quantùm fieri potuit, perfecto, pergat Apostolicæ Sedis vigilantia, non negatur quin possint deinceps aliquæ præterea Editiones prodire correctiores & perfectiores. 5. Disertè item dicitur, *In Vulgato vetere Bibliorum Textu visa fuisse mutanda, quæ consultò mutata non sunt.* Illorum igitur ipsorum, qui correctioni huic præfuerunt judicio, possent adhuc mutari nonnulla. 6. Causam addunt isti, cur quæ mutanda judicarent, mutare tamen noluerint, triplicem. 1. Est quorumdam offensio. 2. Suspicio de posteriorum sæculorum libris, quòd *fortasse puri minùs ac integri evaserint.* 3. Institutum ipsorum, quòd novam facere noluerint Bibliorum Versionem, sed eam quæ erat, corrigere. Unde si aliqua in re cesset illa offensio, adimatur etiam illa suspicio, poterit aliqua adhuc in istis Bibliis correctio, & unius, alteriusve aut verbuli, aut reculæ fieri mutatio. 7. Notandum etiam in illa suspicione illud, *fortasse.* Significat enim hac in re certi nihil esse. Estque particula, quæ a Christianæ Fidei objectis, omnique negotio removenda, ut scitè docent e Sancto Augustino, Lib. VIII. de Trinit. cap.5. Theologi. Et sicut fortasse fuerunt libri posteriores minùs puri, & integri, sic fortasse in istis locis, quæ mutanda videbantur, & mutata non sunt, puri fuerunt ac integri. Tam enim hoc *fortasse* certum, quàm illud. 8. Rursum dicitur *Vetus Versio suæ pristinæ integritati ac puritati restituta*, non simpliciter, sed *quoad ejus fieri potuit*, ut in secundo dictum argumento. Hæc *Serarius*.

Ex his omnibus judicabunt Viri quique Eruditi, cordati & æquitatis amantes, an meruerit F. *Natalis Alexander* tam indignè, tamque immaniter a F. *Claudio Frassen* vapulare, ut *Vulgatæ Versionis criminator*, Homo qui *Hæreticis blanditur, qui minùs religiosus est in Vulgatum Interpretem quàm Protestantes*: quòd scripserit ac propugnarit in Dissertatione sua de Vulgata, *Sphalmata & menda aliqua in Vulgata Versione Latina Bibliorum, jussu Clementis VIII. emendata, etiamnum superesse, quæ Ecclesiæ auctoritate corrigi possent*: Ac præcipua ex benè multis quæ a *Luca Brugensi*, aliisque Viris Eruditis jam olim observata fuerant, exposuerit.

Forsan graviter peccavit *Alexander*, *Frasseni* judicio, quòd ex Hebræis Græcisque Codicibus emendari posse Vulgatam Editionem Latinam asseruerit, fretus auctoritate *S. Ambrosii*, Lib. 2. *De Spiritu Sancto*, cap.6. dicentis; *Si quis de Latinorum Codicum varietate contendit, quorum ali-* Pag. 598. *quos perfidi falsaverunt, Græcos inspiciat Codices*, Et *Sancti Hieronymi*, Epistolâ 25. ad *Lucinium* scribentis: *Ut Veterum Librorum fides de Hebræis Voluminibus examinanda est, ita Novorum Græci sermonis normam desiderat.* Præter illa quæ ex Epistolâ ad *Suniam & Fretelam*, ibidem laudata sunt, & alia, quæ proferri potuissent, plurima. *Sancti Augustini, Lib.XV. de Civitate Dei*, Cap.13. dicentis: *Cùm aliquid diversum in utrisque Codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum, ei linguæ potiùs credatur, unde est in aliam per Interpretes facta translatio.* At enim, inquit *Frassenus*, si fontes puri sunt, ex iis Versiones possunt emendari: non autem si sint impuri atque turbati. Hebræus autem, Græcusque Textus, depravati sunt; Hebræus præsertim a Judæis. Tantùm abest igitur ut Vulgata Editio Latina ex Hebræo Græcoque Textu, post *Sixti V. & Clementis VIII.* correctionem, debeat emendari, ut potiùs ipsa sit hujusmodi Textibus anteponenda. Hoc *Frasseni* principium est, quod quàm sit caducum, imò quàm evidenter falsum & ridiculum, jam olim demonstravi, antequam illa mihi adversùs *Frassenum* res esset; nimirum Dissertatione XI. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi II. Edit. 2. pag.

pag. 185. & 186. maximè *Sancti Hieronymi* auctoritate in Commentario cap. 6. *Isaiæ*, & *Sancti Augustini*, Lib. XV. *De Civitate Dei*, cap. 13. Invicta est *Sancti Hieronymi* ratio: Vel enim ante, vel post Christi adventum, Hebraici Codices a Judæis corrupti essent. Primum improbabile prorsus est, quia *Numquam Dominus, & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & Pharisæis, de hoc crimine quod erat maximum, reticuissent.* Tantùm autem abest, ne Scripturarum corruptionem illis Christus exprobrarit, ut etiam *Joannis III.* earum lectionem imperarit: *Scrutamini*, inquit, *Scripturas.* Si autem *post Adventum Domini & prædicationem Apostolorum Libros Hebræos falsatos fuisse* dixerint, *cachinnum tenere non potero*, (inquit Sanctus Hieronymus) *ut Salvator, & Apostoli, & Evangelistæ ita testimonia protulerint, ut Judæi postea falsaturi erant.*

Addiderim, vel ante *Sanctum Hieronymum* depravationem illam Hebræorum Codicum factam esse, vel post *Sancti Hieronymi* tempora. Si primum dixeris, Versionem *Sancti Hieronymi* ex Hebræo, quæ Vulgata nostra maxima ex parte est, corruptam asserere necessum erit, utpote ex Textu corrupto expressam, ex impuro fonte derivatam. Alterum Versionis *Sancti Hieronymi* cum Textu Hebræo quem hodieque habemus consensio, apertè convincit falsitatis. Non tamen negaverim quin Hebræum Græcumque Textum sua fœdaverint Sphalmata: sed quæ in rebus essentialibus nulla sint, & in accidentariis fortuitò in Codices quosdam irrepserint, non invaserint universos. Enimverò Dei Providentiam in servanda primitivi Textus, quàm Latinæ Versionis integritate, minùs invigilasse non crediderim. Unde si quæ sunt (ut certè sunt aliqua) in Hebræo & Græco Textu Sphalmata leviora, non minus in Vulgata Editione Latina aliquot possunt etiamnum superesse, quæ ex Textu primitivo corrigi possunt, sicut interdum ad nonnullos Hebraicorum Græcorumque Codicum Textus restituendos Latina Editio, positis conditionibus necessariis, adjumento esse potest.

Si nullum *Alexandri* crimen est, asseruisse menda quædam in Vulgata Editione Latina post Summorum Pontificum *Sixti V.* & *Clementis VIII.* correctionem superesse: forsan erravit in modo quo factas a Viris Eruditis observationes exposuit, aut Criticæ peccavit immodestia, ob quam a *Frasseno* jure merito reprehendatur? An ita se res habeat, cordati doctique Viri facilè judicabunt, si quæ scripsit *Alexander*, cum iis conferantur quæ *Nicolaus Serarius* S. J. doctissimus Interpres ab annis LXX. de eodem scripsit argumento in Prolegomenis Biblicis, Cap. XIX. Quæst. XXI.
,, ubi quatuor asserit. I. *Manifesta Typographica*
,, *incuria menda fas est emendare.*
,, II. *Nefas in Sacro Bibliorum Textu correcte re-*
,, *cudendo ne minimam quidem particulam secus*
,, *quàm in Vaticano Exemplari est, mutare, adde-*
,, *re, vel ab eo detrahere.*
,, III. *Fas alibi quàm in Sacri Textûs recensione*
,, *menda, si qua, præter manifesta illa Typographi-*
,, *ca, de quibus numero 1. occurrant, notare ac emen-*
,, *dare.* Primò quia id non prohibet Pontifex. Se-
,, cundò, quia Præfatio satis sæpe, satisque aper-
,, tè profitetur, posse adhuc aliqua in hisce cor-
,, rigi Bibliis. Tertiò, tacitè videtur eadem Præ-
,, fatio, in suis quibusdam verbis, Doctorum, Sa-
,, ctæque Scripturæ studiosorum excitare diligen-
,, tiam, ut pergant adhuc, si quæ notata nondum
,, essent, notare errata. 1. Quia in tanta re ait
,, nullam posse esse nimiam diligentiam. 2. Quia
,, eos laudat, qui in hisce castigationibus olim
,, diligenter elaborarunt: Si ergo pari diligen-
,, tia & modestia quispiam adhuc emendandum
,, inveniat quidpiam, poterit id ipse notare. 3.
,, Quia modum quo aliqua hujusmodi fieri adhuc
,, possit correctiuncula, non obscurè monstrat ea-
,, dem Præfatio; si nimirum *MSS. Codices anti-*
,, *quissimi* inspicerentur: si *Hebraici Græcique Bi-*
,, *bliorum fontes* adirentur; si veterum Patrum
,, Commentarii legerentur, studioque non medio-
,, cri conferrentur.
,, IV. *Si hujusmodi aliqua notata jam & colle-*
,, *cta forent, vel deinceps ab aliquo aut aliquibus*
,, *notarentur & colligerentur, ea si ab Apostolica*
,, *Sede recognoscerentur, possent postea eadem San-*
,, *cta Sede vel approbante ac jubente, vel certè an-*
,, *nuente, in Textum referri, ita ut correctior, per-*
,, *fectior, numerisque pluribus absolutior hic adhuc*
,, *prodiret.* Hæc *Serarius.* Quid verò *Alexander?*
,, *Dantur* (inquit pag. 309.) *media certa, qui-*
,, *bus vera lectio, cùm Codices discrepant, stabi-*
,, *liri potest; scilicet, analogia Fidei, Antiquorum*
,, *Scripta & Commentaria, antiquæ Versiones, Co-*
,, *dicum antiquorum collatio; maximè verò ipsa Scri-*
,, *ptura, in qua antecedentium & consequentium*
,, *consideratio, & locorum parallelorum & similium*
,, *observatio, multùm conferunt veram ad lectionem*
,, *dignoscendam: nam illa lectio quæ cum antece-*
,, *dentibus & consequentibus, & cum locis paral-*
,, *lelis consentit; vel cum aliis optimæ notæ Codici-*
,, *bus convenit, & ex Veterum Patrum scriptis co-*
,, *boratur, procul dubio pro vera & genuina haben-*
,, *da est. A recepta tamen lectione non est temerè*
,, *recedendum: sed modestè rationes & conjecturæ pro-*
,, *ponendæ sunt, & Ecclesiæ judicium expectandum,*
,, &c. Et in fine Dissertationis: *Hoc specimen sit*
,, *mendorum, quæ in Vulgata nostra Editione La-*
,, *tina superesse videri possunt; quæque possunt emen-*
,, *dari, non privato quidem Virorum Eruditorum*
,, *arbitrio, sed auctoritate Ecclesiæ, cui & has Ob-*
,, *servationes, & cætera mea, humillimi animi de-*
,, *votione summitto.* Serario non succenset *Fras-*
,, *senus*, quòd menda quædam Vulgatæ Editioni adhuc inspersa notari & emendari posse a Doctoribus & Viris Eruditis scripserit, ac deinde Apostolica Sede approbante ac jubente, vel certè annuente, cùm ejus auctoritate recognita fuerint, in Textum referri. Cur itaque succenseat *Alexandro*, quòd scripserit, menda adhuc aliquot in Vulgata Editione Latina superesse, quæ, non privato quidem Virorum Eruditorum arbitrio, sed auctoritate Ecclesiæ emendari possunt? An eadem Sententia reprehensione caret, cùm a *Serario* aliisque Viris Eruditis asseritur, Censuræ verò *Frasseni* obnoxia est, cùm profertur ab *Alexandro*, cui sitam invidet qualemcumque laudem? *Pondus & pondus*, Prov. 20.
mensura & mensura: utrumque abominabile est apud Deum.

Dicet *Frassenus*, non ea se reprehendere; sed quod *Alexander* Vulgatam Editionem Latinam plerisque in locis mendosam esse observarit post *Lucam Brugensem*, aut alios Viros Eruditos, quorum plurimi Dominicanum Ordinem illustrarunt, scilicet *Pagninus*, *Cajetanus*, *Forerius*, *Oleaster*, *Sixtus Senensis*, *Cano*, &c. cùm tamen iis in locis mendosa omnino non sit. Menda quidem aliquot superesse in Vulgata Editione Latina, (Id enim velut sui oblitus profitetur cogente veritate, pag. 379. quod in parte Capitis reliqua falsum esse contendit) sed menda illa non esse, quæ a Viris Doctissimis hactenus animadversa sunt. Quænam igitur *Frasseno Frater?* Dicas, amabo, quænam illa sint. Puncta forsan & Virgulæ? Verùm Criticam tuam paulisper expendamus, videamusque an jure Observationes nostras Censoriâ Virgulâ novus Aristarchus confixeris.

AR-

ARTICULUS IV.

Alexandri Observatio in Versum XV. Capitis III. Geneseos a Frasseni Criticis vindicatur.

Alexander, pag. 310. Edit. 2. GEnesis III. Cap. Versu 15. legimus in Vulgata Editione Latina: *Ipsa conteret caput tuum.* Ad quem locum observavit Alexander: *Meliùs & congruentiùs Hebræo vertendum videri posse* hoc modo: *Ipse conteret caput tuum.* Græcam Translationem LXX. Interpretum favere. *Fortassis* commodiùs neutro genere transferri, *Ipsum*, quod Hebraicè pronomen ad nomen præcedens, quod est *Semen*, referatur. Syriacam Versionem, Paraphrasim Chaldaicam, Versionem Samaritani Pentateuchi, *Sanctum Hieronymum* in Quæstionibus Hebraicis, Hebræo Textui consentire, quædam Exemplaria Latina hanc Lectionem præferre, eique favere *Sanctum Leonem Magnum.*

Frassen, pag. 340. Hîc *Alexandri* nomini parcit *Frassenus*, sed ipsum cum aliis Doctoribus Catholicis, qui idem olim observarunt, Censurâ configit suâ, scribens: *Insulsè Catholicos quosdam Doctores, Hæreticis nimiùm blandientes, hunc Textum inter Editionis Latinæ Sphalmata reponere.*

Imprudenter, Vir Religiose! Catholicos Doctores, qui conjecturas suas modestè proponunt, qui Versionem Ecclesiæ venerantur, nihilque in ea absque ejusdem Ecclesiæ auctoritate mutandum censent, conviciis proscindis, & accusas quòd Hæreticis blandiantur. An Dei verbum insulsum & Hæreticis blandiens, absque blasphemia dici potest? Scripturæ Sacræ Textus Hebraicus, & Græcus LXX. Interpretum, sunt purum hoc in loco Dei verbum, cùm nulla sit in Codicibus Hebraicis & Græcis varietas. Qua ergo prudentia, quo judicio, Doctores Catholicos qui secundùm Textum Hebræum verti posse congruentiùs observant, *Ipse*, vel, *Ipsum conteret caput tuum*, id insulsè observare asseveras, & Hæreticis blandiri?

Textus Hebraicus habet: *Ipsum conteret tibi caput.*

Versio LXX. Interpretum: *Ipse servabit caput tuum.*

Quidam Codices Græci ejusdem Versionis, & maximè Complutensis: *Ipse tuum conteret caput.*

Sanctes Pagninus: *Ipsum conteret tibi caput.* Pagnino consentiunt *Arias Montanus, Vatablus, Isidorus Clarius.*

Biblia Lugduni impressa anno MDL. & *Joanni Bellaio* Parisiensium Episcopo dicata, quamquam in Textu servent, ut par erat, *Ipsa conteret*, ad marginem, *Ipsum*, adscribunt, ut nostræ Versionis ab Hebræo discrimen significent.

Melchior Cano Episcopus Canariensis, *Lib. 2. de Locis Theologicis*, cap. XV. pag. 74. *Hieronymus*, inquit, *in Quæstionibus Hebraicis Genesis 3. legendum ait:* Ipse conteret caput tuum, *non* Ipsa. *Cùm enim apud Hebræos neutro genere ad semen referatur, Interpres rem significatam perpendens, in masculino genere transtulit*, Ipse. *Quod imperiti non intelligentes, vitiumque scriptoris existimantes, substituerunt*, Ipsa.

Ante Melchiorem Cano, *Cajetanus* Commentar. in Cap. III. Genesis: *Juxtà Hebræum habetur*, Ipse conteret tibi caput. *Non de muliere, sed de semine ejus dicitur quòd conteret caput diaboli. Et potest sententia hæc referri tum ad genus electorum: quia electus quisque conterit caput [hoc est supremam partem] Diaboli, hoc est, officium Diaboli provocativum ad malum culpæ. Potest quoque referri ad Christum, quod singularissimè est semen solius mulieris, utpote conceptus & natus ex Virgine.*

Franciscus Ribera, Societatis Jesu, doctissimus Scripturarum Interpres, in Cap. 1. Habacuc Prophetæ, Num. XXXIII. *Genesis* 3. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius. Ipse conteret caput tuum. *Ubi*, ipse *respicit nomen* Zarha, *quod Hebræis masculinum est. Idem LXX. qui verterunt*, αὐτός, *id est* Ipse, *quomodo legit Hieronymus in Traditionibus Hebraicis, & correctiora Exemplaria Latina.*

Hector Pinctus, Hieronymianus, in Cap. XIII. Isaiæ: *Christus nos à morsu antiqui serpentis eripuit. Hunc post Adami peccatum promisit Deus esse dæmonis caput contriturum, ut in III. Caput Geneseos Divinæ Literæ significant. Nec audiendi sunt Judæi, qui verba illa ad Christum referre impudenter negant. Nam Hierosolymitana Paraphrasis, quam ipsi magnopere venerantur, hunc locum de Christo interpretatur.*

Augustinus Eugubinus, Canonicus Regularis S. Salvatoris, in Cap. III. Genes. *Dixi prò*, Ipsa *Interpretem vertisse*, Ipsum, *ut referatur, juxtà Hebraicum, ad semen. Dixi & LXX. vertisse, non* αὐτός; *sed* αὐτό, *neutro genere. Quæ lectio à Leone Papa maximè demonstratur.* Tum recensito S. Leonis testimonio, subdit: *Legerat ergo, ut apparet, apud LXX. quorum Editio erat illis temporibus usui*, Ipsum *videlicet semen. Et Serapion, à quo & aliis Græcis puto didicisse Leonem, eodem ferè modo exposuit.*

Emmanuel Sa Societatis Jesu in Cap. III. Genes. v. 15. *Hieronymus legit*, Ipsum, *scilicet semen. Et quidem si legas*, ipse, *idem est sensus: Nam semen Hebræis masculinum est.* Addit, quædam Hebræa *habere*, Hi, *quod est:* Ipsa. At nullus proferri potest Codex Hebraicus præter illum Bibliorum Interlinearium, apud *Plantinum* 1572. excusum, ubi Typographi vel Correctoris errato, *Hu*, in *Hi*, mutatum est. Sed qui Antuerpiensi eorumdem Bibliorum Interlinearium Editioni præfuerunt anno M. D. LXXXIV. veram Lectionem, *Hu*, restituere, ut testatur *Arias Montanus* in Prolegomenis secundæ Bibliorum Interlinearium Editioni præmissis.

Thomas Malvenda, in Cap. III. Geneseos: *Non est repudianda lectio hæc fœminea*, Ipsa. *Sed præferenda profectò neutra*, Ipsum, *semen quod est Christus; vel potiùs masculea*, Ipse, *semen, quod Hebraicè est masculinum. Vel meliùs ad sensum*, Christus: *Quam & multi codices Vulgatæ Editionis etiam ferunt. Et sanè utraque, neutra & masculina eadem omnino est, ut gloria redemptionis in solidum Christo servetur. Notu dici hîc Christum antonomasticè semen Mulieris, quia ex Virgine sola sine virili semine natus.*

Joannes Mariana, Societatis Jesu, in Scholiis, *Ipsa conteret caput tuum. Hebraicè & Græcè masculino genere, ut referatur ad semen fœminæ; ad filium, verum de Christo vaticinium. Sic legit Hieronymus in Tradit. in Genes. sed Chrysost. Homil. 17. in Genes. August. & Ambros.* Ipsa *legunt. Septuaginta*, Ipse, *posuerant, ut referatur ad Christum. ...... Puto sic locum reddendum: Ipse conteret caput tuum, tu sassiabis, mordebis, aut observabis calcaneum ejus.*

Estius in Cap. III. Genesis: *Ipsa conteret caput tuum, &c. Quædam exemplaria genere masculino habent; quomodo & vertunt LXX. Alia item genere neutro. Sed quocumque genere efferatur, idem significatur, & eòdem redit. Si genere masculino, tum refertur ad Christum, qui per Passionem suam contrivit potestatem quam Diabolus habebat in genus humanum. Si neutro, refertur ad semen; semen autem illud est Christus [ad Gal. 3.] Deni-*

que

quæ si fœminino referatur ad Evam, vel Virginem Mariam; certumque sensus quòd utcumque per Christum ex eis nascendum id factura sit.

Tot omnium Ordinum Auctores Catholici, religiosi, eruditi, celebres, qui servatâ Ecclesiæ Versione Vulgatâ, Textum Hebraicum, & Versionem LXX. Interpretum, secundùm quàm legitur, *Ipse conteret*, vel *Ipsum conteret*, præferenda censet, si ejusdem Ecclesiæ accedat auctoritas, *Frasseno* judice, *insulsè* id observant, *ac Hæreticis nimiùm blandiuntur*. O censuram præcipitem imprudentem, iniquam! Sed te amicè convenio, *Frassene Frater*, an Hæreticis blandiuntur, quicumque legendum contendunt: *Ipse*, vel, *Ipsum tuum observabit*, vel *tuum conteret caput*? Omnes. Omnes? *Sanctum Irenæum* non excipis, lib. IV. adversùs Hæreses, Cap. LXXVIII. dicentem: *Quemadmodum S. Scriptura ait dixisse serpenti Dominum*: Et inimicitiam ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum, & inter semen mulieris. Ipse tuum calcabit caput, & tu observabis calcaneum ejus. *Et inimicitiam hanc Dominus in semetipsum recapitulavit, de muliere factus homo, & calcans ejus caput, quemadmodum in eo qui ante hunc est libro ostendimus.*

Non excipis *Sanctum Cyprianum*, Lib. II. Testimoniorum adversùs Judæos, Cap. IX. scribentem: *Hoc semen prædixerat Deus de muliere procedere, quod calcaret caput diaboli; in Genesi. Tunc dixit Deus ad serpentem: Quia tu hoc fecisti, maledictus tu ab omni genere bestiarum terræ..... Et ponam inimicitiam inter te & mulierem, & inter semen ejus: Ipse tuum observabit caput, & tu observabis calcaneum ejus.*

Non excipis *Sanctum Joannem Chrysostomum*, Homilia XVII. in Genesim ita legentem: *Ipse observabit caput tuum: Et tu observabis ejus calcaneum.*

Non excipis *Sanctum Hieronymum*, in Quæstionibus seu Traditionibus Hebraicis super Genesim, ubi legit: *Ipse servabit caput tuum; & tu servabis ejus calcaneum.* Tum addit *Meliùs habet in Hebræo:* Ipse conteret caput tuum; & tu conteres ejus cal-
Rom. 16, v. 20. caneum: *Quia & nostri gressus præpediuntur a colubro: & Dominus conteret Satanam sub pedibus nostris valde velociter.*

Non excipis *Sanctum Leonem Magnum*, Sermone II. de Nativitate Domini, dicentem: *Deus omnipotens & clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, statim ut nos diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, præparata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignavit: Denuntians serpenti futurum semen mulieris, quod noxii serpentis elationem sua virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum Deum hominemque significans.*

Non excipis *Sanctum Petrum Chrysologum*, Sermone CLXXIII. dicentem: *Serpentis germen caput hominis petit, cui summum caput sententia principali sciebat addictum, dicente Deo: Ipse servabit caput tuum; & tu illius observabis calcaneum.*

Non excipis *Mosem Barcepha*, Commentar. de Paradiso, Parte I. legentem: *Et ipsum conteret caput tuum*: Eaque verba sic exponentem: *Quia per superbiam elatum fuit caput tuum, & improbè locutum est: Semen fœminæ, hoc est, qui ex ea nascetur, conculcabit caput tuum, teque perdet. Præterea, quia tu Adamum atque Evam de gradu dignitatis, quem quasi Principes obtinebant, dejecisti: Semen posteritasque ipsorum tuum caput vicissim conculcabit, & te interficiet ..... Sed & hoc sensu rectè accipiantur ea verba: Tu, Dæmon! observas calcanea hominum, hoc est, ipsorum dicta factaque, ut in peccatum dejicere, atque a Deo procul ipsos abducere queas: Verùm Christus, ubi advenit, nobis exemit hunc tui metum, secundùm illa ipsius verba: Dedi vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones, omneque robur adversarium.*

Ita-ne *Frassene Frater!* SS. Irenæus, Cyprianus, Chrysostomus, Hieronymus, Leo, Petrus Chrysologus, & Moses Barcepha, *insulsè* scripserunt, & *Hæreticis blanditi sunt?* Cernis cum quibus tua maledicta sustineamus, cernis quàm tibi turpe sit tam grave crimen objicere talibus, & quàm nobis gloriosum sit quodlibet crimen audire cum talibus? Respice tot ac tales Ecclesiæ Defensores; vide quibus tam gravem irrogaris injuriam. Ita Julianum S. Augustinus compellabat.

Ne tamen *Frassenum* dimittamus, vel ex parte inauditum, ratiocinium hominis egregiè subtilis audiamus. Frassen. pag. 341. Fatetur *Hebræum Textum, quem jam habemus, masculinum genus præferre, tum in pronomine, tum in verbo, ut apparent referri ad semen, Zera, quod Hebraïs est generis masculini*: Sed *hunc Textum sincerum esse* negat, & *ita olim habuisse*. Unde verò id habes, Vir bone? Quandonam depravatus est? An post *Sanctum Hieronymum?* Sed ita S. Hieronymus vertit. An ante? Sed ita LXX. Interpretes transtulerunt. Qui fieri potuisset, ut error Codices omnes tam Hebræos quàm Græcos, imò & Latinos invaderet, quibus Africana Ecclesia tempore S. Cypriani, Romana ætate S. Leonis utebatur? Rationem a *Frasseno* si quæramus, unde colligat sic olim Hebræos Codices & Græcos, habuisse, Hi nimirum, & *αὐτὴ* non *Hu*, & *αὐτῆς*, vel *αὐτῆ*, *ipsa*, non *ipsum*. Do, inquit, *Vulgatum Interpretem sententiæ meæ fundum, quem cùm nemo dicere audeat Hebraicæ linguæ adeò rudem fuisse ut genus masculinum a fœminino secernere non potuerit, dubitari nequit quin præfatum Textum in fœminino legerit*. O egregium Disquisitoris Biblici ratiocinium! Quæritur an Vulgati Interpretis Versio cum Hebræo Textu conveniat Genes. 3. v. 15. Affirmat *Frassenus*; doctiores negant. Rationem sententiæ suæ rogatus respondet, se ejus *fundum dare Vulgatum Interpretem*. Quid hoc aliud est quàm respondere manifesta petitione principii, quæ novitio Theologo non parceretur; Olim ita fuit in Hebræo, quia sic habet Vulgatus Interpres. At ille, inquis, Hebraici idiomatis peritus erat. Numquid verò non erat Hebraicè peritus S. Hieronymus? Numquid Hebraicæ linguæ rudes erant Septuaginta Interpretes, Paraphrastes Chaldæus, Syriacus Interpres, ut & Arabicus qui, *Ipse conteret*, vel, *Ipsum conteret*, *observabit caput tuum*, transtulerunt? Quis verò se vadem præstabit, Vulgatum Interpretem ita vertisse, cùm longè verisimilius sit ipsum transtulisse quod apud Patres numero plures & antiquiores legimus, & in Codicibus etiam Latinis nonnullis habetur, *Ipse*, vel, *Ipsum conteret caput tuum?*

Verùm (inquit Frassenus) *De semine ut hic ser-* Frassen. pag. 342. *mo fiat, communis naturæ sensus non patitur: cùm enim semen illud, seu filius a muliere natus, ex mulieris & viri semine vulgò coalescat, & semper ab utroque pendeat; dicendum esset Diabolum pœnas dedisse minùs idoneas, minùsque rei de qua agebatur, convenientes, cùm vir victoriam a Diabolo reportasset æquè ac mulier*. Digna ratio Frasseni cerebro! communem naturæ sensum appellat in rebus, in quibus, teste S. Hilario, *non est humano aut sæculi sensu loquendum*. Pœnas minùs idoneas Diabolum dedisse fingit, si vir æquè ac mulier victoriam de diabolo reportarint. Quò verò tendit hoc ratiocinium? Ad blasphemiam horribilem: ut mulier sola, non vir; Maria sola, non Christus, caput serpentis contrivisse, fortis armati spolia diripuisse dicatur. Sententiam illam in serpentem, & in Diabolum, qui eo in-

stu-

ſtromento uſus erat, latam, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen illius: Ipſum conteret caput tuum:* ad Chriſtum Salvatorem referri Patres inde colligunt; quòd ipſe ſolus mulieris dumtaxat, non item viri ſemen eſt, id eſt filius, quia ex Virgine mirabiliter natus eſt. Ita *Serapion* ab *Eugubino* laudatus: *Mulier ſemen non habet, ſed vir. Quomodo igitur mulieri id dictum eſt? An clarum eſt pronuntiatum de Chriſto quem ſine ſemine peperit intemerata Virgo? Singulare enim eſt ſemen, non plurale:* Eamdem ſententiam Græcè adſcribit laudatus Auctor.

Ita *S. Leo* Sermone II. De Nativitate Domini: *Verax*, inquit, *miſericordia Dei, cùm ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa ſuppeterent, hanc potiſſimùm conſulendi viam elegit, qua ad deſtruendum opus Diaboli non virtute uteretur potentiæ, ſed ratione juſtitiæ. Nam ſuperbia hoſtis antiqui non immeritò ſibi in omnes homines jus tyrannicum vindicabat, nec indebito dominatu premebat, quos a mandato Dei ſpontaneos in obſequium ſuæ voluntatis illexerat. Non itaque juſtè amitteret originalem humani generis ſervitutem, niſi de eo quod ſubegerat, vinceretur. Quod ut fieret ſine virili ſemine editus eſt Chriſtus ex Virgine quam non humanus coitus, ſed Spiritus Sanctus fœcundavit. Et cùm in omnibus matribus non fiat ſine peccati ſorde conceptio: hæc inde purgationem traxit, unde concepit. Quò enim paterni ſeminis tranſfuſio non pervenit, peccati ſe illic origo non miſcuit. Inviolata virginitas concupiſcentiam neſcivit, ſubſtantiam miniſtravit. Aſſumpta eſt de matre Domini natura, non culpa ...... Solvitur itaque lethifera paſtionis malè ſuaſa conſcriptio .... Fortis ille nectitur ſuis vinculis, & omne commentum Maligni in caput ipſius retorquetur. Ligato mundi Principe, captivitatis vaſa rapiuntur.* Ex quo *S. Leonis* loco evidenter patet, Diabolum idoneas dediſſe pœnas, etiamſi vir de diabolo victoriam reportarit: Vir, inquam, ille de quo ſcriptum eſt: *Fœmina circumdabit virum.* Quamobrem inepta eſt, & Hæreticis verè blanditur *Claudii Fraſſeni* ratio: ſicque cenſurâ ipſe ſuâ configitur.

Mulierem tamen caput ſerpentis etiam contriviſſe, victoriam de Diabolo reportaſſe fatemur. Sexum enim utrumque complectitur Apoſtolus ad *Rom. 16.* ſcribens. *Deus autem pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris.* Hinc *Sanctus Auguſtinus* SS. Martyribus *Perpetuæ* & *Felicitati* trophæum erectum ob calcatum ſerpentem antiquum prædicat Sermone CIII. De Diverſis: *Calcatus eſt ergo Draco*, inquit, *pede caſto, & victore veſtigio: cùm erecta demonſtrarentur ſcala, per quam beata Perpetua iret ad Deum. Ita caput ſerpentis antiqui quod fuit præcipitium fœminæ cadenti, gradus factus eſt aſcendenti.* Beatam Virginem ſingulari quadam ratione contriviſſe caput ſerpentis, & victoriam de Diabolo reportaſſe confitemur, atque etiam Vulgatæ noſtræ lectionem, *Ipſa conteret caput tuum*, ipſi piè accommodari, ut accommodavit *S. Bernardus*, Homilia II. ſuper *Miſſus eſt:* tum quia peccatum admiſit omnino nullum: tum quia Chriſtum concepit ac peperit, qui ſolus propria virtute caput ſerpentis contrivit, Diabolumque devicit: Sancti verò quilibet homines ac Mulieres, & ipſa Virgo Deipara, ejus gratiâ: adeò ut tota victoria in Chriſtum auctorem refundi debeat, qui *Deſtruxit opera Diaboli, & Exſpoliavit Principatus & Poteſtates, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Unde *Judith*, illuſtris illa Sanctiſſimæ Virginis Mariæ figura, truncato capite Holofernis ad ſuos Bethulienſes reverſa dixit: *Non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinare; ſed ſine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoria ſua, in evaſione mea & in liberatione veſtra.* Non ait: *In victoria mea*, ſed, *In victoria ſua.* Nec ſpiritalis igitur Holofernis caput Deipara Virgo contrivit propria virtute, ſed Chriſti, quem peperit, & de quo Deus Diabolo dixerat: *Ipſe conteret caput tuum.* Tandem non ſolam mulierem, quod aſſerit *Fraſſenus*, ſed etiam virum, non Mariam unam, ſed Chriſtum præcipuè, victoriam a Diabolo reportaſſe, canit *Avitus* Viennenſis Archiepiſcopus, Lib. III. Carminum in Geneſim, qui inſcribitur. *De Sententia Dei.*

Coloſſ. 2.

Conteret una caput tandem tibi fœmina victrix,
Naſcendumque etiam tali de ſtirpe germen.

ARTICULUS V.

Obſervatio Alexandri in Verſum VI. & VII. Capitis VIII. Geneſeos defenditur.

GEneſeos VIII. Capite, Verſu VI. & VII. legimus in Vulgata Editione: *Cùmque tranſiſſent quadraginta dies, aperiens Noë feneſtram Arcæ quam fecerat, dimiſit corvum, qui egrediebatur & non revertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram.* Notavit Alexander, *expungendam videri negationem*, ſecundùm Hebræum; quamvis ei lectioni ſuffragentur Græci Codices, quæ negationem habet. Verſiones Pentateuchi Samaritani, & Arabicam, atque exemplaria Latina non pauca, negationem omittere, & legere, *Qui egrediebatur, & revertebatur.* Sanctum Hieronymum in Quæſtionibus ſeu Traditionibus Hebraicis obſervare, in Hebræo *aliter dici de corvo*, quàm in LXX. ſcilicet: *Emiſit corvum, & egreſſus eſt exiens & revertens.* Licèt enim in Vulgatis *Sancti Hieronymi* legamus: *Pro oſtio feneſtra ſcripta eſt in Hebræo. Et de corvo aliter dicitur: Emiſit corvum, & egreſſus eſt exiens & non revertens:* Tamen *Sancti Hieronymi* textui additam ibi eſſe negationem imperita manu evidens eſt, cùm diſcrimen Hebraici Textus & LXX. obſervat, quod ſanè nullum eſſet, ſi utrobique negatio legeretur. Unde Viri Doctiſſimi *Sanctum Hieronymum* Textum Hebræum abſque negatione legiſſe pariter obſervarunt; ſcilicet *Lucas Brugenſis* & *Eſtius*. Pleroſque Patres dixi cum negatione legiſſe, quia Verſionem LXX. Interpretum ſunt ſecuti. *Joſephum*, Lib. 1. Antiquitatum Judaicarum, cap 3. negationem omittere. *Deſtituta*, inquit, *Arca, in vertice montis cujuſdam in Armenia, ſentiens hoc Noë, aperuit eam: & videns circa ipſam aliquantulum terræ, meliore ſpe concepta, paulisper quievit. Mox poſt paucos dies magis recedente aqua, emiſit corvum, cupiens cognoſcere, ſi qua alia parte terrarum aquæ deceſſiſſent, ut tutò exſcendere poſſet. At ille comperto totum adhuc ſtagnare, ad Noë eſt reverſus.* Græcus Textus habet: [illegible] Alexander pag. 311.

Ut ut eſt, ſcripſit *Alexander*, quod omnes Interpretes animadverterunt: *Vulgatam noſtram, ſi rectè intelligitur, non pugnare cum Hebræo:* quia corvus in Arcam regreſſus non eſt, ſed, huc illuc circumvolitando ad Arcæ tectum identidem rediit, indeque ad eſcam reverſus eſt. Quod Hebræus Textus his verbis exprimit: *Exivit eundo & redeundo.* Hanc Obſervationem teſtimoniis *Sixti Senenſis*, Lib. V. Bibliothecæ Sanctæ, Annotatione LXXXIII. *Cajetani*, & *Eſtii* in Commentar. *Joannis Benedicti*, *Marianæ*, & *Emmanuelis Sa* in Scholiis, confirmare haud neceſſe eſt, cùm eam *Fraſſenus* pro more non carpat, ſed eam exſcribendo, ſuam faciat, pag. 346.

AR-

ARTICULUS VI.

Observatio Alexandri in Versum XXIV. Capitis XXXVI. Geneseos, a Frassini Critica vindicatur.

Alexander pag. 313. GEneseos XXXVI. Capite, Versu XXIV. in Vulgata Editione legimus: *Iste est Ana, qui invenit aquas calidas in Solitudine, cùm pasceret asinos Sebeon patris sui*. Hunc in locum observavit *Alexander*, secundùm Textum Hebræum legi, *Et invenit mulos*. Versionem Arabicam, & Targum Jonathanis consentire. Hebræos existimare, hunc primum equos admisisse ad asinas. *Sanctum Hieronymum in Quæstionibus Hebraicis favere*. Hunc sensum juvari ex adjunctis, quia invenisse memoratur, *cùm pasceret asinos*, & Scriptura aliquid non fortuitò, sed ex industria inventum commemorat.

Respondet *Frassenus*, vocem illam Hebræam, *Jemin*, variè interpretatos esse Veteres, ut *Sanctus Hieronymus* testatur. Sed Quæstio est, quænam Interpretatio magis cum Hebraico vocabulo conveniat. Age verò, id expendamus. *Multa & varia*, inquit Sanctus Hieronymus, *apud Hebræos de hoc Capitulo disputantur; apud Græcos quippe & nostros super hoc silentium est. Alii putant Jamin maria appellata. Iisdem enim literis scribuntur maria, quibus & nunc hic sermo descriptus est. Et volunt illum dum pascit asinos patris sui in Deserto, aquarum congregationes reperisse, quæ, juxtà idioma Linguæ Hebraicæ, maria nuncupentur: quòd scilicet stagnum repererit: cujus rei inventio in eremo difficilis est. Nonnulli putant aquas calidas, juxtà Punicæ Linguæ viciniam, quæ Hebrææ contermina est, hoc vocabulo signari. Sunt qui arbitrantur onagros ab hoc admissos esse ad asinas, & ipsum istiusmodi reperisse concubitum: ut velocissimi ex his asini nascerentur, qui vocantur Jamin. Plerique putant quòd equarum greges ab asinis in Deserto ipse fecerit primus ascendi; ut mulorum inde nova contra naturam animalia nascerentur*. Sanè communiorem fuisse posteriorem illam sententiam, *Sanctus Hieronymus* innuit: illamque aliis præferunt, qui vim Hebraici nominis novere:

Santes Pagninus: *Hic est Hanach qui invenit mulos in Deserto*.

Pagnino consentiunt *Vatablus*, *Cajetanus*, *Forerius*, *Eugubinus* (ut de Tigurinis a Communione Catholica alienis nihil dicam.)

Emmanuel Sa in Scholiis: *Aquas calidas. Alii mulos. Scilicet junctis equo & asina. Fortè legendum, equas*.

Estius: *Pro*, aquas, inquit, *quidam*, equas, *legendum suspicantur*.

Sanè cùm diversa punctatio ejusdem Hebraicæ vocis, illius mutet significationem, hujus loci interpretatio ab iis petenda est, qui punctationis arcanum penitiùs noverunt, scilicet a Masorethis: sicut si de voce Gallica controversia esset, rectè ac prudenter judices appellarentur Academiæ Regiæ Viri politissimi ac lectissimi, qui pro exquisito ingenio suo & eruditione multiplici, tum de Linguæ Gallicæ proprietate ac elegantia, tum de Virorum Doctorum Operibus in Regia sedent arbitri. Masorethæ autem Hebraicæ Academiæ Proceres, non *aquas calidas*, sed *mulos*, voce *Jamin* significari docuerunt in hocce Geneseos loco; illorum itaque judicio standum videtur. Frassenus *aquas calidas* præferens, Punicum se magis probat, quàm Hebræum. Vulgatum Interpretem sinceram Veteris Hebræi Textûs lectionem retinuisse contendit, *Quia verisimile non sit, ab* Frassen. pag. 344.

exordio mundi ad illam usque ætatem nullos umquam mulos extitisse, cùm ubique gentium, aut saltem in pluribus mundi partibus hæc animalia reperiantur. Egregia sanè ratio! Quasi verò animalia quæ monstroso concubitu gignuntur, ab exordio mundi procreata sint: Aut quod ab *Ana* fluxit temporis intervallum, satis non fuerit ad tantos mulorum greges multiplicandos, ut nunc in pluribus mundi partibus reperiantur.

Clamat *Frassenus* vitiatum esse *præsens Hebraicum Textum*. Sic Latinè loquitur; puto in gratiam onagrorum & asinorum, de quibus agitur in Versu quem expendimus: ut illi non immeritò dicere possimus: *Dum peregrina sectaris, penè tui sermonis oblitus es*: ut Ruffino quondam Sanctus Hieronymus exprobrabat. *Conjicit*, inquam Biblicus Disquisitor, pro voce composita *Ha-jemin*, quæ hodie legitur, olim fuisse *Maim Chammim*, id est, *aquas calidas*, seu *medicarum aquarum collectionem*, *quas Ana iste*, *non quomodolibet invenerit*, *sed etiam experimento & frequenti usu earum vim medicam deprehenderit*. At mera divinatio est. Ut *Maim Chammim* olim fuisse in Hebræo asseratur, Manuscriptum aliquod, aut vetus Interpres proferri debet, Nullum proferre *Frassenus* potest; cùm Græci vocem Hebræam non verterint, sed retinuerint, nec ullam in Hebræis Codicibus varietatem reperire sit. Sed mirari subit *Frasseni* industriam, qui non solùm *aquas calidas*, ab *Ana*, dum Asinos pasceret, inventas fuisse asserit, ut habet Vulgata; sed *earum vim medicam experimento & frequenti usu* ipsum *deprehendisse*: atque ita Agasonem transformat in Medicum vir admirabilis.

ARTICULUS VII.

Observatio Alexandri in Versum XL. Capitis XII. Exodi a Frassini Critica defenditur.

HOc loco in Vulgata Editione legimus: *Habitatio autem filiorum Israël, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*. Observavit *Alexander* Vulgatam per Textum Hebraicum & LXX. Interpretes emendari posse, vel elucidari, ita vertendo: *Peregrinatio autem Filiorum Israël, qui manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*. Ut non ad servitutem Israëlitarum in Ægypto, quæ annos quindecim supra ducentos non superavit, ille quadringentorum triginta annorum numerus referatur, sed a promissione Abrahamo facta Genes. XII. ad exitum Israëlitarum ex Ægypto censeatur, comprehendatque tempus illud omne, quo Abraham & Filii ejus post divinam promissionem peregrinati sunt, & in Chananæa manserunt, antequam in Ægyptum descenderent. Id ex Versione LXX. Interpretum confirmari dixi, quæ sic habet: *Habitatio autem filiorum Israël, qua inquilini in Ægypti terra, & in Chananæa fuerunt, tam ipsi quàm Patres eorum, fuit quadringentorum triginta annorum*. Huic penè geminam protuli Samaritani Pentateuchi Versionem. Addidi testimonium Apostoli ad Galatas III. Vers. 16. 17. & 18. quo disertè ostenditur, quadringentos illos & triginta annos a Promissione Abrahæ facta numerandos esse, ac proinde Filios Israël solidis annis quadringentis & triginta non mansisse in Ægypto. Id confirmavi ex SS. Patribus, *Eustathio Antiocheno*, sive alio Auctore Ecclesiastico antiquissimo, *Sancto Hieronymo* in Caput III. Epistolæ ad Galatas, *Sancto Augustino*, Quæstione XLVII. in *Exodum*, & Lib. XVI. *De Civitate Dei*, Cap. XXIV. &c. quibus in Chronico prævivit *Eusebius*. Hanc dis- Alexander pag. 319.

difficultatem in Differtatione mea abondè tractavi, nec eadem repetere opus est. Sed *Frassrui* palato hæc non sapiunt, qui gravissima ista momenta dissimulans, satis habet dicere: *Criticum se* Frassen. pag. 348. *nimis hìc ostrudit Alexander. Nullus est qui non vidrat eamdem remanere difficultatem, sive legat*, qui, *sive*, qua, *& Textum Hebraicum expangendam esse, si Vulgata explodatur. Sed nullam esse in utroque Texta hìc corraptionem*; Ut fusiùs se pollicetur ostensurum.

Non satis Criticum se *Frassenut* ostendit in iis in quibus nimia diligentia esse non potest. Falsum est eamdem manere difficultatem utrovis modo legatur: *Habitatio Filiorum Israël qua manserunt*, vel, *qui manserant*. Nam secundùm priorem lectionem, tempus quadringentorum & triginta annorum ad habitationem Filiorum Israël in Ægypto refertur. Secundùm posteriorem, refertur ad habitationem eorum non tantùm in Ægypto, sed in terra in qua inquilini fuerunt, scilicet in Chananitide, & in Ægypto; ut exponit Versio LXX. Interpretum. Nec ideò *explodendam Vulgatam* duximus, ut invidiosè loqueris, *Frassene!* sed per Textum Hebraicum & LXX. Interpretes *emendari posse, vel elucidari*. Quæ loquendi ratio a modestia Catholici Doctoris nequaquam aliena est.

In ista verò Observatione, Auctores primi subsellii nobis prævivere, adeò ut Criticæ nostræ succensere, aut eam tam fastidiosè despicere *Frassenur* non debeat.

Cajetanus: *Juxtà Hebræam habetur: Et habitatio filiorum Israël qui habitaverunt in Ægypto, triginta annis & quadringentis annis.*

Joannes Benedictus, Theologus Parisiensis, in Scholiis: *Imò solùm manserunt in Ægypto ab ingressu Jacob ad hunc exitum, ducentis quindecim annis. Verùm illi quadringenti triginta anni computandi sunt a primo anno repromissionis Abrahæ in Valle Illustri, secundo anno post egressum de Haran, cùm cæpit peregrinari in Ægyptum.*

Emmanuel Sa S. J. in Scholiis: *In Ægypto LXX. in Ægypto & in terra Chanaan CCCCXXX. annorum, computandorum a tempore, quo Abraham cæpit in Ægypto peregrinari.*

Estius: *In hoc annorum numero debere comprehendi totum illud tempus, quod fuit inter promissionem Abrahæ factam Genes. XV. & exitum filiorum Israël de Ægypto, ostendimus illo loco Genes. Ostendit id etiam Sanctus Augustinus, Quæst. XLVII. in Exodum, Eusebius in Chronico. Manifestissimè autem ostruditur ex Galat. III. ubi Apostolus testatur, Legem quadringentis triginta annis datam post promissionem.*

Ante hos Lyranus: *Non manserunt in Ægypto quadringentis triginta annis, sed ille numerus incipiendus est secundùm Doctores Catholicos a tempore quo Abraham recessit de Haram, ad veniendum in terram Chanaan, in qua ipse & filii ejus habitaverunt ut peregrini usque ad descensum in Ægyptum. Et sic exponendum est quod dicitur: Habitatio filiorum Israël quæ manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum; scilicet cum illo tempore quo manserunt in terra Chanaan & Ægypti, & Philistinorum ut peregrini. Et ideò tota mansio denominatur ab Ægypto: Quia fuit diuturnior & ultima; & a fine denominatur res.* Ex quibus patet, annos illos triginta & quadringentos non ad solam habitationem filiorum Israël in Ægypto, sed etiam in Chananitide & aliis regionibus extendi. Meliùs autem & clariùs id exprimitur, si vim attendamus Hebraici Textus; *Et habitatio filiorum Israël qui habitaverunt in Ægypto, triginta annis & quadringentis annis*: quàm secundùm Vulgatam: *Habitatio Filiorum Israël qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Potest quidem secundùm Hebræum verti, *Qua* in numero singulari, vel, *Qui*, in plurali, ut scitè observat *Cajetanus*, sed Scripturæ sensus postulat ut in plurali reddatur, ut constat ex locis paralellis *ad Galat.* 3. & Actor. 7. Significat enim Vulgata Versio secundùm vim verborum, Habitationem Filiorum Israël in Ægypto mensuratam esse tempore quadringentorum triginta annorum; quod ex locis Scripturæ mox laudatis falsi convincitur, nisi Synechdochem ad tuendam Versionem Vulgatam ibi intelligamus, ut vulgò Interpretes: quæ tamen figura, ubi de numeris agitur, in Scripturis admodum infrequens est, nisi cùm anni, menses, vel dies incompleti pro completis sumuntur. Sed quòd spatium temporis variis hominibus vel eventibus commune, & in variis peregrinationibus consumptum, uni tantùm homini vel eventui per Synechdochem tribuatur, id sanè in alio Scripturæ loco non reperies. Et meritò hunc loquendi modum Scriptores Sacri vitarunt, qui neque naturalis est, & obscuritatem pareret insuperabilem. Sed de his satis impræsentiarum. Si quid novi *Frassenus* dicat, ut pollicetur, illud expendemus.

ARTICULUS VIII.

Observatio Alexandri in Versum XXVIII. Capitis XXXII. Exodi, contra Frassenum propugnatur.

EXodi XXXII. Versu XXVIII. secundùm Vulgatam Editionem legimus: *Ceciderunt que in die illa quasi viginti tria millia hominum.* Alexander pag. 314.
Observavit *Alexander*. Textum Hebraicum, & Versiones LXX. Interpretum, Syriacam, Arabicam, Targum Onkelosi, tria millia dumtaxat numerare. Hanc Lectionem sequi *Philonem Judæum*, Lib. III. de Vita Moysis, *Tertullianum* in Scorpiaco, Cap. 3. *S. Joannem Chrysost.* Lib. III. *de Providentia*, &c. Loca quæ ibi indicavi, hìc exhibeo.

Hebraicus Textus: *Ceciderunt illa die in populo ferme tria millia viri.*

LXX. Interpretes: *Et ceciderunt de populo in die illa ad ter mille.*

Versio Samaritani Pentateuchi: *Et ceciderunt de populo in die illa circiter tria millia hominum.*

Versio Syriaca: *Et ceciderant ex populo in die illa circiter tria millia virorum.*

Versio Arabica: *Et ceciderant ex populo in illo die tria millia virorum.*

Targum Onkelosi: *Cecideruntque ex populo in die illa quasi tria millia virorum.*

Philo Judæus, pag. 525. *Vix ea dixerat* (Moyses) *Cùm illi exasperati & infensi sceleri, jam inde a principio viventes in eadem interemerant ad tria millia virorum conjunctissimorum antea.*

Tertullianus: *Sapiens ignis effigiem vituli defundit illis, sugillans illic cor habentes ubi & thesaurum, apud Ægyptum scilicet, inter cætera animalia, bovis etiam cujusdam consecratricem. Itaque tria millia hominum a parentibus proximis cæsa, quia tam proximum parentem Deum offenderant, transgressionis & primordia, & merita dedicaverant.*

Sanctus Joannes Chrysostomus de illa cæde loquens, & de Moysis erga populum compassione: *Nullus enim*, inquit, *ita esset lapideus, qui nihil pateretur, fratres & cognatos a suis interfici, atque ad trium millium corporum numerum eam cædem progressam conspiciens.* In editis, etiam iis quorum Versionem *Fronto Ducæus* recognovit, habetur, *Ad viginti trium millium numerum eam*

cadem

eadem progredi conspiciens: Sed hæc Versio est contra fidem Græci Textus, in quo tria millia dumtaxat leguntur, καὶ εἰς τριχιλίων σωμάτων ἀριθμὸν Id est, *Et ad trium millium corporum numerum.*

Sanctus Ambrosius in Epistolâ ad Romulum; *Et occisa quidem scribantur tria millia hominum. Nec numeri invidiâ movemur, quia melius est paucorum supplicio universos exui, quàm in omnes vindicari.*

Sanctus Isidorus Hispalensis, Caput XXXVII. Commentar. in Exodum inscribit: *De vitulo combusto igni, & de interfectis tribus millibus hominum.* Et in fine Capitis: *Sed & ipse numerus,* inquit. *trium millium interfectorum, triplicem formam indicat peccatorum. Omne enim peccatum, aut facto, aut verbo, aut cogitatione committitur.* Quæ *Rabanus Maurus* ab *Isidoro* mutuatus est, Lib. IV. in Exodum, Cap. XVIII. Eamdem lectionem retinuit *Venerabilis Beda*, Cap. XXXIX. Quæst. in Exodum. Recentiores Interpretes congerere inutile esset.

Sanctes Pagninus: *Et ceciderunt e populo in die illa ferme tria millia virorum.*

Malvenda: *Et cecidit de populo in die ipsa secundùm tres mille viri.*

Cajetanus: *Juxtà Hebræum habetur.* Et cecidit e populo in die illa, sicut tria millia viri. *Corrupta est itaque litera Vulgata Editionis in numero viginti trium millium. Nam Hebraica littera nec integrum trium millium numerum affirmat, sed cum adverbio,* sicut.

Joannes Benedictus in Scholiis: *Quasi tria.*

Respondet *Frassenus*, suspicionem mendi ab Editione Vulgata removere, non solùm antiquiora Latina Exemplaria; sed etiam *Sanctum Gregorium Magnum*, qui Libro XX. Moral. Cap. VI. legit *viginti tria millia.* Sed mendi suspicionem in Vulgata ingenerant Textus ipse Hebræus, Versio LXX. Interpretum, Syriaca, Arabica, & Chaldaica Paraphrasis. Eam suspicionem augent *Philo-Judæus, Tertullianus, SS. Chrysostomus, Ambrosius & Isidorus, Venerabilis Beda & Rabanus Maurus:* quam proinde unus *Sanctus Gregorius*, qui mendosum Codicem legit, vel cujus in Opera interpolata illa Versio intrusa est, non potest removere. Sanè Vulgatam Versionem ita in omnibus Codicibus non habuisse, constat ex *Sancto Isidoro, ex Venerabili Beda, & Rabano.*

Frassen. pag. 352. Errorem in Textum Hebræum & Græcum jam extantem esse regerendum ait *Frassenus.* At quàm inanis sit hujusmodi responsio, quàm ab eruditis omnibus explodenda, demonstrat Regula a *Sancto Hieronymo* tradita, Epistolâ CXXXV. ad Suniam & Fretelam: *Si quando inter Græcos Latinosque diversitas est, ad Hebraicam recurrimus Veritatem: ut quicquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis.* Et Epistolâ XXVIII. ad Lucinium: *Veterum librorum fides, de Hebræis Voluminibus examinanda est.* Etx Sancto Augustino, Lib. XV. de Civitate Dei, Cap. XIII. *Cùm aliquid diversum in utrisque Codicibus invenitur, ei linguæ potiùs credatur, unde est in aliam per Interpretes facta Translatio.* Cùm itaque inter Græcos & Latinos Codices hîc sit diversitas in numeris, & Græci, *ad tria millia*, Latini, *viginti tria millia virorum in die illa cecidisse*, memorent: Hebraicæ linguæ potiùs credendum est, ex qua in alias facta est Translatio. Cùm itaque Hebræi Codices *ferme tria millia* habeant, ea lectio anteponenda videtur Vulgatæ, in qua *viginti tria millia* legimus: Nec dubium est quin Ecclesia numerale nomen *viginti* expungere possit, ea qua pollet auctoritate in Editionibus sacrorum librorum recognoscendis & emendandis.

At, inquit Frassenus, *Sanctus Paulus* videtur legisse *viginti tria millia* 1. ad Corinth. 10. scribens: *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt: & ceciderunt una die viginti tria millia.* Imperitè prorsus, Frassene! *Sanctum Paulum* legisse conjicis hoc in loco Exodi, quem expendimus, *viginti tria millia*, quia viginti tria millia ex iis qui fornicati sunt, una die cecidisse scribit. Non enim ad hunc Exodi textum alludit *Sanctus Paulus*, in quo Idololatrarum pœna memoratur; sed ad XXV. Numerorum, ubi supplicium Israelitarum, qui cum filiabus Moab & Madian fornicati sunt, describitur, his verbis: *Et occisi sunt viginti quatuor millia hominum.* Nec refert quòd Apostolus *viginti tria millia*, non viginti quatuor cecidisse scripserit. Minor enim numerus majorem non excludit. Ita *Sanctum Paulum* explicat *S. Thomas* Lectione II. in istud Caput his verbis: *Cùm dicit,* Neque fornicemur, *&c. Tangit peccatum fornicationis, ubi primò dissuadet tale peccatum: Secundò deterret per exemplum culpæ, ibi,* Sicut quidam, *&c. Tertiò pœnæ, ibi,* Et ceciderunt una die. *Dicit ergo:* Neque fornicemur; *ut quidam ex vobis supra:* Omnino auditur fornicatio inter vos: Sicut quidam ex ipsis fornicati sunt: *Cum Madianitis scilicet, Numer. 25. Et ideo:* Ceciderunt una die 23. *imò* 24. millia. *Sed major numerus non excludit minorem. Unde non dicitur hîc cum præcisione, vel fortè vitium Scriptorum est.*

Conjecturam S. *Thomæ* sustentat Oecumenius: *Scriptum est in libro Numerorum...... Fueruntque interfecti in plaga viginti tria millia. Quidam autem veterum Scriptorum posuerunt, viginti quatuor millia.*

Theophylactus pariter hunc locum Apostoli parallelum esse docet Versui nono, Cap. XXV. Numerorum, non Versui vigesimo-octavo, Capitis XXXII. Exodi. *Quando verò*, inquit, *viginti tria millia ceciderunt? Quando juxtà consilium Balaam, Madianitides mulieres apud Exercitum visæ, juvenes ad sese pertraxerant, atque eos per scortationem pelliciebant ut sacrum facerent Beelphegor, ac cecidit populus in acie.* Quæ Historiæ Numerorum XXV. refertur.

Idem docet *Sanctus Joannes Chrysostomus* Homilia XXXIII. in I. ad Corinthios, explicans laudatam Apostoli sententiam. *Et cur*, inquit, *non ponit etiam punitionem idololatriæ? Num quoniam erat clarum & manifestum? An quoniam non fuit tunc tanta strages, quanta fuit tempore Balaam, quando initiati sunt Beelphegor, mulieribus Madianitis eos in acie ferentibus & ad libidinem attrahentibus, consilio Balaam?* Et ad marginem laudatur, Cap. XXV. Numerorum, ex quo hanc Historiam Apostolus deprompsit.

Idem docet *Remigius Autissiodorensis*, in Cap. X. Epistolæ 1. ad Corinthios. *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt. Subaudi, cum Madianitis* (inquit) Et ceciderunt in una die viginti tria millia. *Hoc in terra Madian factum: Et hoc retributum est illis, quando cum Madianitis se copulaverunt, vel commaculaverunt, adorantes primùm idola ante ostia domorum illarum...... Unde factum est, ut viginti tria millia ab igne cœlesti consumerentur, & penè omnes perirent, nisi Phinees zelatus zelo Domini, confodisset cuspide virum Hebræum cum Madianitide scorto in locis genitalibus. Cujus rei causâ quievit ira Domini a populo.* Remigius Autissiodorensis locum laudatum Apostoli referri docet ad XXV. Numerorum, & in Numeris legit *viginti tria*, non *viginti quatuor millia* Israelitarum, qui cum Madianitis fornicati erant, cecidisse.

Ex his patet, quàm sit in Scripturæ Sacra, & in doctrina Patrum peregrinus & hospes *Frassenus*, qui scripserit Sanctum Paulum legisse *viginti tria* mil.

millia Exodi XXXII. Versu XXVIII. quia 1. ad Corinthios X. hæc habet; *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt: & ceciderunt in uno die viginti tria millia.*

Ut autem contra *Frassenum* proferamus de thesauro nostro nova & vetera, Articulum illum concludet doctissimus *Estius*, laudata *Sancti Pauli* verba, *Et ceciderunt una die viginti tria millia*, exponens. *Ceciderunt*, inquit, *interfecti a Judicibus Israël, quibus praeceperat Moises dicens:* Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor: *Quod erat idolum Madianitarum: cùm priùs Principes populi, jussu Domini suspensi fuissent contra solem in patibulis. Verùm numerus occisorum convenire non videtur, Nam in libro Numerorum occisi leguntur viginti quatuor millia hominum. Cajetanus putat errore Scribarum factum, ut alterum numerum pro altero positum, vel hic, vel in numeris habeamus. Quam solutionem etiam Aquinas suggerit, Oecumenius referens ipsa Veteris Scripturæ verba, numerum exprimit eumdem quem Paulus, ac subjungit:* Quidam autem veterum Scriptorum posuerunt viginti quatuor millia. *Ex quo apparet, exemplaria Græca memorati loci Scripturæ quondam variasse: licèt nunc constanter habeant*, Viginti quatuor, *ut est in Hebræo, Certè in verbis Pauli falsitas esse non potest, cùm minor numerus continetur in majore: Qua responsione multi sunt contenti. Quamquam & illud dici potest, Moysi non fuisse propositum, ut numerum occisorum exactè redderet: nec enim id solent Historici. Cùm erga numerus occisorum esset inter tria & quatuor millia supra viginti; Moyses ulteriorem numerum scripsit, Paulus citeriorem, Est & alia conciliatio, quam affert Catharinus. Urget enim illud, quòd Paulus, non Moyses scripsit*, una die. *Ut pridie quidem Principes, id est, illustres ex populo viri circiter mille fuerint interfecti: altera verò die e reliquo populo viginti tria millia, Hoc solum a Paulo dictum: Moysen utrumque numerum fuisse complexum. Mihi prima Responsio, qua est utriusque Thomæ, suffragante Oecumenio, plus cæteris probatur.*

ARTICULUS IX.

Observatio Alexandri in Versum XXIX. Capitis XXXIV. Exodi a calumnia Frassenii vindicatur.

Alexander pag. 314.

E*Xodi XXXIV.* Versu XXIX. legimus in Bibliis Vulgatæ Editionis; *Cùmque descenderet Moyses de Monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Alexander observavit, Hebraicum Textum aliter habere, scilicet; *Et nesciebat quòd radiaret cutis faciei sua.* Suffragari LXX. qui ita verterunt: *Moyses nesciebat, quia glorificatus est aspectus cutis faciei sua.* Syriacam, Arabicam, & Targum Onkelosi, eumdem sensum exprimere, Apostolum *II. ad Corinth. III. Versu 7.* hanc lectionem confirmare, ubi nimirum ait: *Quòd si ministratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria; ita ut non possent intendere filii Israël in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur; quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?* Versionem Vulgatam cum Hebraico Textu ac Versionibus cæteris facilè conciliari dixi, quia sensus est totam faciem Moysi radios in modum cornuum ejaculatam fuisse. Cùm enim homo Solem intentè intuetur, jam videtur quodammodo cornuum instar splendorem ac radios emittere. Hinc factum, ut *Mneves* qui apud Ægyptios cum cornibus colebatur, ab ipso *Aben-Esra*, & a *Sancto Justino Martyre* in Cohortatione ad Græcos, non alius a Moyse credatur.

Hanc Observationem meam, totam quanta est, *Frassenus* compilavit, exscripsit, suam fecit: Cornuaque sola cùm haberet, quibus feriret *Alexandrum*, non radios, nisi alienos, quibus ejus Opus fulgeret, Observationis etiam Alexandrinæ radios furatus est. Sed, quod pudendum, in grati animi vicem *Alexandro* calumniam struxit. Cùm enim præmisit, *Augustinum Steuchum Eugubinum hic parum verecundè & minùs religiosè Vulgatum Interpretem reprehendere, quod verterit cornutam faciem Moysis, cùm vertere debuisset, faciem illius fuisse coruscam & radiantem*. Ubi, inquam, id præmisit *Frassenus*, pro summa humanitate sua me *Compilatoris hodierni Historiæ Ecclesiasticæ* nomine indigitans, ita proscindit: *Eugubino consentit Ecclesiasticæ Historiæ Compilator hodiernus, existimans Vulgatum Interpretem vertisse quidem:* Et ignorabat quòd corusca esset facies sua: *Scribas autem ac Librarios ex* corusca, *fecisse*, cornuta. *Verùm uterque non leviter hallucinatur*, Tum *Sancti Hieronymi* testimonio *in Caput VI. Amos*, Alexandrum cum Eugubino sibi refellere videtur,

Frassen pag. 352.

Tecum ipso pugnas *Frassene!* teque hominem probas nullius criterii, Scribis *Eugubinum* parum verecundè & minùs religiosè Vulgatum Interpretem reprehendere, quòd verterit, *cornutam faciem Moysis*, cùm vertere debuisset, *coruscam*. Moxque addis, Alexandrum *Eugubino* consentire: cùm tamen *Alexander*, te etiam referente, Vulgatum Interpretem non reprehendat, quem vertisse, *corusca*, non *cornuta*, asserit (si quæ tibi fides) sed Scribas dumtaxat & Librarios accuset, quod ex *corusca*, fecerint, *cornuta*.

Verùm non solùm criterii nullius, sed & pessimæ fidei hominem te probas, calumniam (ut dixi) mihi struens: cujus testes erunt quicumque hunc Dissertationis meæ locum legere voluerint. Me reprehendis quòd *Eugubino* consentiam, affingisque quòd scripserim, Volgatum Interpretem vertisse; *Et ignorabat quod corusca esset facies sua:* Scribas autem & Librarios ex *corusca*, fecisse *cornuta*. At tantùm abest, ut id sentiam aut scribam, ut potiùs disertè significem id me non sentire, propter auctoritatem *S. Hieronymi* in Caput VI. Amos Prophetæ. *Redde verba mea* Frassene! *& evanescet calumnia tua.* Ita scripsi ad finem paginæ 314. & initio paginæ 315. *Existimarim Vulgatum Interpretem vertisse:* Et ignorabat quòd corusca esset facies sua, *& Scribas ac Librarios ex* corusca, *fecisse* cornuta, *nisi Sanctus Hieronymus, in Amos VI. circa finem, lectioni nostræ faveret.* Tu verò egregie Disquisitor! loco hujus verbi, *existimarem*, fingis me scripsisse, *existimo:* & in media phrasi hæres, verba illa fraudulenter supprimens: *Nisi Sanctus Hieronymus in Amos VI. lectioni nostræ faveret.* O frontem! o fidem! Vir Religiosus sic affingit, ita calumniatur. Oculos tuos appellarem, *Frassene*, iisque starem adversùs te ipsum testibus, nisi ipsos tibi æmulatio, non laudabilis illa, sed quæ rivalitati similis est, infuscasset, aut fortè radii ex facie Moysi coruscantes perstrinxissent, ne ad verba intenderes mea. Monendus tamen es, ut *S. Thomam* In Epistolam II. ad Corinthios, Cap. III. Lect. II. consulas, ut ex ipso, non ex *Eugubino*, scias me hausisse. Explicans enim illa verba; *Nam si ministratio*, &c. hæc habet: *Apostolus argumentatur ex hoc quod habetur Exodi XXXIV. ubi litera nostra habet, quòd Moyses habebat faciem cornutam, ita quod non posset*, &c. *Alia litera habet*, faciem splendidam, *quod meliùs dicitur. Non enim intelligendum est eum habuisse*

Verba Augustini contra Julianum.

huisse cornua, ad literam, sicut quidam eum pingunt: sed dicitur cornuta propter radios, qui videbantur esse quasi quadam cornua.

ARTICULUS X.

Observatio Alexandri in Versus VII. & VIII. Capitis ultimi Numerorum defenditur.

CApite ultimo Numerorum, Versibus VII. & VIII. in Vulgata nostra legimus: *Omnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatione sua. Et cuncta fœmina de eadem tribu maritos accipient: ut hereditas permaneat in familiis.* Hanc me

Frassen. pag. 355. Versionem explodere *Frassenus* scribit: *Ut hanc*, inquit, *Versionem explodat Alexander post Paulum de Sancta Maria Episcopum Burgensem*, &c. Calum-

Alexand. pag. 317. niaris pro more tuo, *Frassene*: Hanc Versionem non explodo; sed discrimen dumtaxat illius ab Hebræo, & a Versione LXX. Interpretum expono. Quod qui facit, non ideò Versionem Ecclesiæ explodere censendus est. Enim verò *Sanctus Hieronymus*, Discrimen Versionis LXX. Interpretum, quæ tunc Vulgata erat, & Ecclesiæ auctoritate atque usu ab Apostolorum temporibus consecrata, exposuit, novam adornando Versionem, & Vulgatæ illius ab Hebraico Textu dissensum in Commentariis suis passim ostendendo. Nec tamen Ecclesiasticam illam explodit Versionem: & illos palam obtrectatores & canes appellavit, qui ipsum LXX. Interpretes sugillare blaterabant. *Periculosum Opus*, (inquit de sua Pentateuchi Versione in Præfatione ad Desiderium) *& obtrectatorum meorum latratibus patens: qui me asserunt in LXX. Interpretum sugillationem nova pro veteribus cudere*, &c. *Audi igitur æmule obtrectator! ausculta, non damno, non reprehendo Septuaginta, sed confidenter cunctis illis Apostolos præfero...... Quid livore torqueris? Quid imperitorum animos, contra me concitas? Sicubi in Translatione tibi videor errare, interroga Hebræos.* Num *Origenes* Versionem Ecclesiæ explodere dictus est, cùm Hexapla conscripsit? Num *Eusebius Pamphili*, cùm Editiones cunctas disseruit? Iniquè ergo, *Frassene*, effutis me Vulgatam Versionem in hoc Numerorum loco explodere, qui nec ipsam rejeci, nec rejiciendam scripsi, nec ullo verbo immodesto ipsam depressi, sed observavi tantùm *Textum Hebræum & Samaritanum aliter habere, hancque limitare legem ad filias possidentes hereditatem.* Ita quippe habet Hebræus:

Omnis ideò filia possidens hereditatem de tribubus filiorum Israël, alicui de familia tribus patris sui erit in uxorem: ut possideant filii Israël singuli hereditatem patrum suorum. Vulgata nostra, si verba eius spectentur, fœminas omnes hac lege comprehendit, ne nubant viris alterius Tribus. Hebraica Veritas legem ad eas restringit, quæ ob defectum fratrum, paternam hereditatem colligebant.

Versionem LXX. Interpretum Hebræo concordare, & ab ea pariter dissentire Vulgatam nostram animadverti. Sicque ipsos vertisse: *Et omnis filia vendicans hereditatem ex tribubus filiorum Israël, viri eorum, qui de populo patris sui erunt uxores; ut vendicent filii Israël unusquisque hereditatem paternam suam.* Targum Onkelos, Syriacam, & Arabicam Versiones, eamdem limitationem ad filias hereditatem capientes, juxtà Hebræum Textum, apponere addidi. Tandem verbis *Pauli a Sancta Maria* Episcopi Burgensis viri in Scriptura Sacra & lingua Hebraica peritissimi, hunc locum edisserentis, Observationem confirmavi meam; quod sanè non pœnitendum facinus est.

Fatetur *Frassenus* agi hoc loco de filiabus hereditatem possidentibus, & negat prædictæ Legis sensum Versione nostra convelli. *Nam*, inquit, *quamvis generali modo loqui videatur, restrictionem tamen supponit ex ea qua ubique recipitur regula, posteriora per priora esse explicanda. Cùm ergo in præfato Numerorum loco præcesserit species filiarum Salphaad hereditatem possidentium: hac specie semel posita, lex quæ earum causâ sancitur, ad præfatam speciem referri debet, quamvis generali modo enuntietur: atque ita eum intellexit Vulgata Auctor.* Hæc Frassenus.

Verùm etsi occasione filiarum Salphaad Lex ista lata sit, & ad filias hæreditatem possidentes restringi debeat, perperam inde colligit Disquisitor Biblicus, Vulgatam nostram cum Hebræo penitus convenire. Ita intelligi debere hunc Vulgatæ nostræ locum, ut cum sensu Hebraici Textus conveniat, fateor: sed ita intellexisse Vulgatum Interpretem, quis vadem se præbeat? *Frassenus?* Hunc vadem non recipio. Probationem volo; sed nullam affert Minorita. Auctorem nostræ Versionis intellexisse, ut vulgò Interpretes explicant, verba ipsius non probant. *Omnes viri*, inquit, *ducent uxores de tribu & cognatione sua: & cunctæ fœmina de eadem tribu maritos accipient.* Qui cunctas fœminas dicit, eas quidem complectitur quæ hæreditatem possident: sed qui dicit fœminas hereditatem possidentes, non involvit omne fœminarum genus. Hebræus porrò Textus legem illam restringit ad fœminas hereditatem possidentes; Vulgata nostra Versio, si verba ejus spectentur, extendit ad fœminas quascumque. Itaque Vulgatus Interpres aut non est assecutus vim ac sensum Textus Hebræi, aut illum non satis explicatè tradidit. Sanè Vulgata nostra Versio, iis quibus concepta verbis est, in eam præcipitat opinionem, quæ *Eusebii*, *Sancti Epiphanii* & *Sancti Ambrosii* fuit, fœminis ac viris quibuscumque ex populo Israël vetitum fuisse, ne extra propriam tribum nuberent, exceptis Regia & Sacerdotali Tribubus. *Porrò*, (inquit Eusebius, lib. I. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. VII.) *recensita Josephi stirpe, simul etiam Maria genus, quæ ex eadem tribu erat oriunda, tacitè expositum est. Lege siquidem Mosis inter diversa Tribus homines erant vetita connubia. Uni enim ex eodem populo eademque gente mulier nubere præcipitur, ne sors patrimonii in aliam tribum transferatur.* Eidem opinioni subscribunt *Sanctus Epiphanius* Hæresi XXXVIII. *Sanctus Ambrosius* in Cap. III. S. Lucæ, *Sanctus Joannes Damascenus*, Lib. IV. de Fide Orthodoxa, cap. XV. Quæ tamen Sententia a sensu Scripturæ Sacræ aliena est, & contrariis exemplis refellitur. Enimverò David, qui fuit de Tribu Juda, duxit Michol filiam Saulis, qui erat de Tribu Benjamin; imò extra Tribum suam duxit Gentilem, scilicet filiam Regis Gessuri (II. Regum 3.) sic Mahalon & Chelion, filii Elimelech, duxerunt uxores Moabitides [*Ruth. I.*] Sic Booz duxit Ruth Moabitidem (*Ruth. IV.*) Hinc *Deuteronomii XXI.* permittitur Judæis ducere Virgines alienigenas bello captas, præterquam Chananitides. Sic *Judicum ultimo*, jurant aliæ Tribus, quòd non dabunt filias suas in conjugium Benjaminitis; quod argumento est id antea licitum & consuetum fuisse. Ubinam verò in Hebræo aliquid huic Sententiæ Vulgati Interpretis respondens: *Omnes enim viri ducent uxores de Tribu & Cognatione sua?* Nihil sanè. Non levi igitur cum fundamento scripsit doctissimus Antistes *Paulus a Sancta Maria*, ad Caput XXXVI. Numerorum: *In hoc præcepto deviare Translationem nostram a Veritate Hebraica.*

Idem sensit doctissimus Cardinalis *Cajetanus*, in Commentario. *Omnes enim viri ducent uxores de Tri-*

Tribu & Cognatione sua. Hæc, inquit, *clausula non habetur in Textu Hebraico; sed legitur*: Quia unusquisque in hereditate tribus patrum suorum adhærebunt filii Israël. *Ratio manifestè redditur quare non vertetur hereditas de tribu in tribum: Quia vir quilibet inter filios Israël adhærebit hereditati Tribus patrum suorum, & in nuptiis filiarum heredum, & in Jubilæo: & sic numquam sequitur devolutio terræ de tribu in tribum*. Et cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, ut hereditas permaneat in familiis. *Juxtà Hebræum habetur*: Omnis filia hereditans hereditatem ex tribubus filiorum Israël uni ex familia Tribus patris sui erit uxor: ut hereditent filii Israël unusquisque hereditatem patrum suorum. *Vide quot & quales conditiones legis siluit Interpres. Non traditur lex de quàlibet filia, sed de filia herede, imò & adjungitur, herede, non cujuscumque hereditatis, sed hereditatis ex tribubus filiorum Israël, ad differentiam hereditatis alibi: puta si pater habuisset agrum extra terram a Deo datam filiis Israël. Talis enim hereditas non impediebat filiam nubere viro alterius familiæ & Tribus. Et quia, secundùm Legem, extante filio masculo, nulla filia erat heres: ideò ex hac lege non prohibentur mulieres nubere viris alterius Tribus, nisi essent heredes: sicut nec masculis ex hoc capitulo lex aliqua imponitur ducendi uxores ex tribu sua.*

Idem sensit vir Doctissimus *Andreas Masius* Commentar. in Josue, Cap. XVII. *In Numeris*, inquit, *scriptum est, filias Salphaad, coram Mose & Eleazaro, atque universa Ecclesia petivisse; ut patris sui, qui nullius turpis flagitii reus e vita excesserat absque prole mascula, ratio haberetur, ne ipsius memoria in sua tribu & populo Dei prorsus intercideret. Hoc enim fieri posse, si id jus hereditatis adipiscendæ, quod patri ante excessum fuerat ex Dei promisso quæsitum, in ipsas transferatur. Mosem verò eam causam ut dubiam ad Dei oraculum retulisse: ex eoque responsum esse secundùm puellas. Atque ea occasione institutam quoque esse legem perpetuam, ut quoties e vita exiret vir quispiam absque suo herede masculo, ejus filiæ essent heredes, aliisque agnatis omnibus præferrentur. Sed eo casu fœminæ, quibus sic obvenisset paterna hereditas, nonnisi suis tribulibus nuberent. Nimirum ne ad tribum alienam fundi dotales transferrentur: & divina sorte discreta possessiones confunderentur. Ceteroqui quæ suis dotibus contentæ, nullam paternæ hereditatis partem capiebant, eis ex quavis tribu sponso nubere licebat. Ego verò ista ideò nunc persequor prolixiùs: quia Latinus non satis explicatè videtur illam sanctionem esse interpretatus. Si enim nulli puellæ, nisi suo tribuli nubere fas fuisset ex ea lege; cur ceteræ Tribus in Judicum Historia, solum*
Jodic. 21. v. 7.
jusjurandum, quo constricti tenebantur, opposuissent, caussam quidem magnam, ob quam non possent filias suas nuptum dare Benjaminitis, at non solam, ut ipsi videntur sentire?

Idem sensit *Mariana* e Societate Jesu celebris Interpres, in Scholiis: *Et cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient*. Hebr. *Omnis filia hereditans possessionem ex tribu filiorum Israël uni ex familia Tribus patris sui erit in uxorem*. Ergo vides, inquit, *Non cunctis fœminis imponi hanc legem, sed iis tantùm quæ ob defectum prolis masculæ succedebant patri in hereditate. Sicque intelligatur, quod proximis verbis viris datum est, præceptum, ut uxores accipiant de tribu sua, nempe, quando illæ sunt heredes. Alioqui satis constat per conjugia misceri Tribus consuevisse*. Cùm itaque id non explicet satis Vulgata nostra, dubium non est quin aliquid in ea hoc loco immutari possit auctoritate Ecclesiæ, ut magis Hebræo textui congruat. His penè gemina sunt quæ *Bonfrerius* ex eadem Societate doctissimus Interpres observat. Cur ergo *Frassene*, in unum tam impotenter sævis *Alexandrum*? Cur *temetipsum censurâ circumvenis, parcis & sævis, dissimulas & animadvertis?*
Tertull. in Apolog.

ARTICULUS XI.

Observatio Alexandri in Versum XXXVI. Capitis XXI. Libri Josue a Frassenii calumniis & insultu defenditur.

HOc loco in Vulgata legimus: *De Tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho civitates refugii, Bosor in solitudine, Misor & Jaser & Jethson & Mephaat, civitates quatuor cum suburbanis suis.*
„ Observavit Alexander, *Viros eruditos contendere hunc versum delendum esse*: Quòd in anti-
Alexander, pag. 324.
„ quis Bibliorum Hebraicorum Exemplaribus non „ extet: Quòd Masorha Judæorum illum non „ agnoscat: Quòd Bibliorum Venetorum Textus „ Hebraicus, & Chaldaicus illum non legant: „ Quòd Rabbi Kimhi in antiquis Codicibus Hebræis non extare testetur: Quòd vir doctissimus „ *Andreas Masius* asserat addititium esse: Quòd „ denique plurimi Codices MSS. Vulgatæ Editio- „ nis a *Luca Brugensi* laudati, illum expungant.

Hanc Virorum Eruditorum sententiam, non levibus momentis fultam, retulisse, *Frassenus* crimini mihi vertit, *Tanta est*, inquit, *Criticorum recentium, [quorum animum & studium imitatur Natalis Alexander] Vulgatum Interpretem arguendi prurigo, ut tametsi statuere non audeant hunc versum expungendum esse, nihilominus audacter pronuntiant eum esse addititium*.
Frassen. pag. 353.

A *Frasseno* vapulo, quòd meam hoc loco venerationem erga Vulgatam significarim his verbis: *Statuere tamen non ausim expungendum, cùm & LXX. Interpretes, & Syriaca Versio Andreæ Masii, & Chaldaica Paraphrasis, & Versio Arabica, & Latinorum Codicum plurimi hunc retineant. Quamobrem Romani Correctores sub Sixto V. & Clemente VIII. retinendum censuerunt*. Has Alexandri rationes describit, & suas facit Pseudocriticus *Frassenus*: & Alexandro per calumniam affingit, quòd *hunc versum addititium esse audacter pronuntiet*. Addidit Alexander, *Viros eruditos conjicere, LXX. hunc Versum non de Hebræo transtulisse, sed de suo, explicandæ sententiæ causâ addidisse: quem deinde Latinus Interpres ex Græco, non ex Hebræo expressit*. Videri verò desumptum a LXX. ex I. *Paralipomenon* VI. Capite, Versibus 78. & 79. Est-ne in his omnibus vel levissimum vestigium illius sententiæ, quam *Alexandro* affingit *Frassenus*, cùm ipsum in eorum numero collocat, qui *hunc versum addititium esse audacter pronuntiant?* O pudorem! mitto phrasim tam barbaram quàm maledicam, quâ novellos Criticos, & inter eos Alexandrum, *Vulgatam Editionem succensere* scribit. (Quod in Grammaticæ leges peccatum vix in parvulis, qui ferulæ manum subducunt, ferendum esset.)

Cæterùm si *Alexandrum* tam immeritò lacerat; & clausis oculis ejus Observationes insectatur *Frassenus*, quibus furiis in ipsum invectus esset, si cum Interprete doctissimo *Andrea Masio* scripsisset, Hunc versum *debere notari obelo?* Si cum *Mariana* in Scholiis: *Quod sequitur*: Ultra Jordanem contra Jericho, *nec in Hebræo est, nec in Gotthico, neque in Regiis, & videtur ex margine in textum commigrasse; sed & illud*, civitates refugii, *Hebr. non est, nec Chald. Septuaginta tamen posuere*. Bosor in solitudine Misor: *In soli-*
In Annotat. in lib. Josue.

tudi-

tudine Misor Hebr. non est, sed huc translatum ex cap. 20. v. 8. Et Jaser, & Jethon, & Mephaat. *Hebr. Beser cum suburbanis suis, & Jahsa cum suburbanis suis, Cedemoth cum suburbanis suis, & Mephaat cum suburbanis suis, civitates quatuor. Unde colligitur, nostra videri hoc loco esse vitiata..... Itaque illud,* In solitudine Misor, *nec Hebr. est, nec Chald. nec in LXX.*

Tandem mirum est cur *Cosmam Magalianum*, eruditum e Societate Jesu Interpretem, non proscindat etiam *Frassenus*, quòd *Andreæ Masii*, & *Ariæ Montani* admonitiones circa hunc versum negligendas non esse scripserit, Sect. II. in Cap. XXI. Libri Josue. *Non est hic negligendum,* inquit, *quod admonet Masius, & post eum Montanus, nimirum desiderari in aliquibus Codicibus Hebrais eas urbes, quas Rubenitæ Levitis contulerunt. Nam etsi in aliquibus Exemplaribus, post commemoratas Zabuloniæ Tribus civitates, duobus versibus illæ commemoratæ quoque legantur, his verbis:* Et de Tribu Ruben Bosor & ejus suburbana, &c. *Atque in Chaldæo expressi quoque habeantur hi versus, sicut & in Codice Complutensi: in vetusta tamen Judæorum Traditione [ut observat R. David Kimhi] apertè dicitur, eos in antiquissimis Hebræorum Exemplaribus nequaquam inveniri. Unde Latinus Interpres, quæ scripsit, ea ex Græca LXX. Interpretum Versione expressit, non de illis Hebraicis versiculis, in quibus nulla sit Jordanis, vel Hiericho, vel asyli mentio: atque adeò rectè & accuratè, quæ ad historiæ & veritatis seriem texendam necessaria erant, Spiritu-Sancto inspirante, huc adduxit.*

ARTICULUS XII.

Observatio Alexandri in Versum I. Capitis IV. Libri I. Regum vindicatur.

Capite IV. Lib. 1. Regum Versu 1. in Vulgata nostra legimus: *Et factum est in diebus illis, convenerunt Philisthiim in pugnam. Et egressus est Israël obviam Philisthiim in prælium & castrametatus est juxtà Lapidem Adjutorii.* Observavit *Alexander* primam partem hujus versûs addititiam probari, ex pluribus MSS. Latinæ Versionis Vulgatæ a *Luca Brugensi* laudatis, ex *Sancto Gregorio Magno:* addiderim & ex *Angelomo*. Hanc omitti in Textu Hebræo, & Chaldaica Paraphrasi: desumptam verò ex LXX. Interpretibus.

Alexander, pag. 326.

Seu potiùs Auctore Commentarii in lib. Regum S. Gregorio adscripti.

Et revera Textus Hebræus ita dumtaxat habet: *Et Lapidem super sunt castrametati, & bellum in Philisthiim occursum in se ordinaverunt.*

Chaldaica Paraphrasis Jonathanis: *Et exiit Israël ad occursum Philistæorum, ad ineundum bellum, & manserunt super lapidem auxilii.*

Versio Syriaca: *Et egressi Israëlitæ obviam Philistinis ad bellum castrametati sunt prope lapidem adjutorii.*

Arabica: *Deinde egressi Israelitæ ad oppugnandos Philistinos, castra metati sunt prope lapidem adjutorii.*

Auctor Commentarii in libros Regum *S. Gregorio Magno* adscripti, qui Vulgata Versione utitur, primam illam Versus 1. partem pariter omittit, ita legens: *Egressus namque est Israël obviam Philisthiim in prælium, & castrametatus est juxtà lapidem adjutorii.*

Eamdem omittit, ac eodem modo legit *Angelomus* Luxoviensis Monachus O. B. in Stromatibus in Libros Regum: *Egressus est namque Israël obviam Philisthiim in Prælium, & castrametatus est juxtà Lapidem adjutorii.*

Glossa Ordinaria ad marginem: *Et factum est in diebus illis convenerunt Philisthiim in pugnam:* Nec *exempla quidem vetera,* inquit, *habent hæc.*

Mariana in Scholiis: *Hoc sumpsit Hieronymus ex LXX. Nam neque Hebr. est, neque Chald. in Regiis etiam & Complutensibus ex Vulgata est sublatum.*

Emmanuel Sa in Scholiis: *Et factum, &c. Hæc usque ad pugnam, non sunt Hebr. nec in Complut. Est tamen pars posterior in LXX.*

Quid ad hæc *Frassenus?* Summi ut in cæteris judicii & doctrinæ specimen præbet. *Ita habetur,* inquit, *in Vulgata, cujus auctoritas omnibus, quæ in contrarium adduci possunt præponderat.* Ita compendio difficultates omnes objectionesque diluit. Id de quo controversia est, adducit pro responsione vir maximi sensus; & quamquam *mendas omnes ab Editione Vulgata nondum esse sublatas,* fateatur pag. 379. Disquisitionum suarum: Satis esse respondet, cùm quis objicit mendum esse in Vulgata, idque probat ex Hebræo, ex Versionibus Orientalibus, ex Patribus, ex plurimis Codicibus Latinis: satis esse, (inquam) respondet ad hæc omnia momenta diluenda, *Ut ita habeatur in Vulgata, cujus auctoritas omnibus quæ in contrarium dici possunt, præponderat.* Ita-ne omnibus? Etiam Hebraico Textui, & Versionibus Orientalibus? Omnibus. Etiam lectioni quam Veteres secuti sunt? Omnibus. Etiam Codicibus Latinis qui Vulgatam alicubi mendosam esse probant? Omnibus. O Virum subtilem, & secum bene convenientem!

Frassen. pag. 354.

At, inquit *Frassenus*, in Versione LXX. hæc habentur. Debilis ista ratio est, *Frassene*, ad quam exsufflandam satis erit tibi in memoriam revocare, te Cap. III. Biblicarum Disquisitionum tuarum pag. 268. duodecim rationibus ex *Serario* descriptis probasse, *Editionem LXX. Interpretum, ut nunc circumfertur, a Viris Doctissimis emendatam, non esse omnino puram.*

Non solùm verò imperitiæ, sed & maledicentiæ specimen dedit Disquisitor Bibliens, cùm in sua Alexandrinæ hujus Observationis Critica *Alexandrum* inter *Vulgatæ* Editionis Latinæ *Criminatores* nominat, *qui ejus integritatem, ac subinde auctoritatem convellere nitantur.* Vulgatæ Editioni auctoritatem tribuo tantam, quantam tribuit Tridentina Synodus, quantam *Clemens VIII.* quantam Eruditi omnes ex Ecclesiæ Catholicæ Romanæ gremio. Nullum errorem aut mendum in ea esse pariter propugno, quoad ea quæ fidem aut morum disciplinam spectant: Ei in Fidei controversiis judicandis standum esse profiteor, eam cæteris omnibus Versionibus Latinis antepono: sed ejus auctoritati derogatum iri non existimo, si observem eam in aliquibus locis, quæ Fidei dogmata aut Morum præcepta non spectant, ab Hebraico Textu dissidere, & aliquibus voculis abundare, vel deficere: maximè si Latinorum Codicum fide & Veterum testimonio id approbem, qui aliam lectionem secuti sunt. Tunc enim penè certum & evidens est, Vulgatum Interpretem non ita vertisse ut legimus.

ARTICULUS XIII.

Observatio Alexandri in Versum XXIV. Capitis XXI. Libri III. Regum, defenditur.

Eo loco in Vulgata Versione legimus: *Si mortuus fuerit Achab in civitate comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli.* Observavit *Alexander*, Vul- Alexander, pag. 328.

gatam

gatam nostram cum veritate Prophetiæ conciliari vix posse; siquidem Achab in Agro occisus est, nec tamen cadaver ejus a volucribus cæli comestum est, sed sepultum, ut constat ex Cap. XXII. Versu 37. Textum Hebraicum aliter habere, & secundùm eum sartam tectam servari Prophetiæ veritatem; cùm non ipsius Achab, sed aliquorum ex ejus posteris cadavera insepulta mansura pronuntiet.

Revera Textus Hebraicus secundùm Versionem *Santis Pagnini* sic habet: *Eum qui mortuus fuerit de Achab in civitate, comedent canes: & qui mortuus in agro, comedent volucres cœli.*

Versio LXX. *Mortuum de Achab in civitate comedent canes*, &c.

Paraphrasis Chaldaica: *Eum qui mortuus fuerit Achabo in urbe, comedent canes*, &c.

Versio Syriaca: *Morientem Achabo in civitate, devorabunt canes*, &c.

Arabica: *Præterea quicumque morietur Achabo in civitate, devorabunt canes*, &c.

Ad marginem Glossæ Ordinariæ: *Eum qui mortuus fuerit de Achab.*

Joannes Benedictus in Scholiis: *Qui mortuus fuerit de Achab.*

Cajetanus: *Mortuum de Achab in civitate comedent canes.*

Mariana in Scholiis: *Hebr.* Qui mortuus fuerit Achab in urbe; *Id est, e familia Achab. Sic LXX. & Chald.*

Emmanuel Sa in Annotationibus: *Achab* Hebr. Chald. & LXX. *Ipsi Achab.* Quasi dicat, *Aliquis de familia Achab.*

Salianus, Tom. IV. Annalium Veteris Testamenti, ad ann. mundi 3137. Num. XXI. *Redeamus interim ad Eliam Prophetam, & Achabi familiam: cui cùm interitum prænuntiasset, etiam ignominiosa mortis genus prædicit.* Si mortuus fuerit Achab, *Id est Achabo, vel de Achab, juxtà Hebræum, Græcumque Textum, Chaldæam Paraphrasim, optimosque Interpretes. Si ergo quispiam mortuus fuerit de Achabi genere in civitate, comedent eum canes; si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli. Quod minùs animadvertens Tostatus hoc loco, & Quæst. 13. ratus Achab esse nominandi casum, putavit ad hanc pœnam condemnatum Achabum, eam tamen ipsi propter pœnitentiam fuisse remissam. Verùm interpretatio ejus ruinoso nititur fundamento: & constat in mercedem pœnitentiæ non fuisse mutatam pœnam, sed dilatam duntaxat.* Quæ *Saliani* animadversio, *Frasseni* responsionem in auras difflat, Versionem
Frassen. pag. 356. nostram conciliari cum veritate Prophetiæ contendentis, etiam si *Achab* in nominandi casu accipiatur, hac exceptione, quòd Prophetia fuerit comminatoria: quia Achab Pœnitentiam nonnullam egit, quæ quamvis non fuerit numeris omnibus absoluta, hanc tamen vim habuit, ut illius causâ Deus nonnihil detraxerit de pœna, quam fuerat Achabo comminatus. Hanc, inquam, responsionem Saliani ratio ex Textu Sacro petita penitus evertit. Deus enim Achabi pœnam in mercedem pœnitentiæ non mutavit, sed distulit, dicens: *Quia humiliatus est* Achab *mei causâ, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus.* Et temerè asseritur Deum aliquid minuisse de pœna in Achabum decreta, præter id quod se remissurum ipse pollicitus est. Promisit autem Deus, se non inducturum malum in diebus Achabi, sed in diebus filii ejus. Qua promissione non obstante ipse in bello cæsus est, Dei vindicis voluntate: Nec igitur promissio illa Dei prohibuisset, quin cadaver ejus a canibus aut volucribus comederetur, si hæc oraculo Dei lata sententia fuisset. Satis enim est ut promissio Dei in gratiam qualiscumque pœnitentiæ Achabi facta impleta sit, quòd ejus domus extincta non fuerit eo vivente, sed tantùm post ipsius necem. Sanè cùm Deus Achabum ab ipsius Prophetis decipi permiserit, & dederit spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum ejus, in pœnam scelerum ab eo perpetratorum, ut illis credens, pugnam contra Regem Syriæ iniret, ac in prælio cæderetur; & priora facinora cumulaverit, detrudendo in carcerem, & vexando Michæam vera prophetantem: ut Scriptura Sacra sequenti Capite commemorat: verisimile non est, Deum aliquid ampliùs detraxisse de pœna, quam impio illi crudelique Regi fuerat comminatus, quam se remissurum spopondit, idque ob pœnitentiam ex solo metu pœnæ temporalis conceptam, ut *Sanctus Gregorius Magnus* docet *Homilia XIX. in Ezechielem.*

Rogat *Frassenus*, quo in loco Scripturæ Sacræ hanc Prophetiam impletam viderim. Mirum quòd Disquisitor Biblicus id ignoret! Audi, *Frassene Frater*, docebimus quod a nobis scire aves. Hæc Prophetia IV. Regum IX. cap. in *Joram* filio *Achab* impleta est, qui a *Jehu* inter scapulas sagittâ transfixus corruit in curru suo. *Dixitque Jehu ad Badacer Ducem: Tolle, projice eum in agro Naboth Iezraëlitæ: memini enim quando ego & tu sedentes in curru sequebamur Achab patrem hujus, quòd Dominus onus hoc levaverit super eum dicens: Si non pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum ejus, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus. Nunc ergo tolle, & projice eum in agrum juxtà verbum Domini.* Sanè cùm *Ocoziam* Regem a *Jehu* pariter percussum, sepultum cum patribus suis in civitate David Scriptura ibidem commemoret; de sepulturâ verò *Joram* sileat, argumento est illum sepultura donatum non fuisse; sed projectum in agrum ut canibus & volucribus in pabulum esset. Sed si nos indignos existimet Hypercriticus Disquisitor, qui ipsum doceamus: docebit ipsum *Hugo Cardinalis*, qui Prophetiam exponens de qua agimus, ait: *Verificata fuit hæc Prophetia in Joram, quem occidit Jehu, & projici fecit in agrum Naboth, ut dicitur IV. Regum IX.* Si autem nolit doceri a Dominicano, etsi doctissimo Cardinali, non ita morosi sumus quin demus ipsi Præceptorem Ordinis sui *Nicolaum de Lira*, qui eumdem locum explicans, ait: *Hoc fuit impletum tempore Jehu, ut habetur infra, IV. Lib. 9. Cap.*

Præterea septuaginta filios *Achab* in Samaria mandato *Jehu* occisos, quorum capita ad ipsum missa sunt in Iezraël, refert Scriptura Sacra, Cap. X ejusdem Libri IV. horum autem aliqui, & fortè omnes, insepulti mansere, ac eorum cadavera vorata sunt a canibus, ut Dei oraculum impleretur, & *non caderet de sermonibus Domini in terram, quos locutus est Dominus super domum Achab*, ut Scriptura Sacra loquitur.

Tertiò, doctissimi Commentatores censent illam Dei vindicis in *Achabum* Sententiam, III. Reg. Cap. XXI. Versu 19. *In loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum:* Impletam non fuisse in ipso Rege *Achab*, sed in *Joram* filio ejus, qui occisus est in Jezraël, in ipsumque agrum projectus, in quo canes sanguinem *Naboth* linxerant, cùm *Achab* in Samaria occisus fuerit. Igitur & illud oraculum Versus 24. *Si mortuus fuerit Achab*, id est, de familia Achab, *in civitate, comedent eum canes, si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli:* In Joram filio ejus impletum est, ut eadem Scriptura docet IV. Reg. Cap. IX. supra laudato.

Ex Commentatoribus quos in illa fuisse senten-

tia

tia dixi, unum satis erit proferre non incelebrem, *Cornelium a Lapide*, qui & alios duos ex sua Societate clarissimos laudat. *Denique*, inquit, *planius & plenius Salianus & Sanchez censent id impletum in Joram filio Achab, hic enim occisus est in agro Jezraël. Sanguis enim sæpe significat filios; hi enim ex sanguine parentum gignuntur, unde illud Anchisæ de Julio Cæsare.*

Projice tela manu, sanguis meus.

Hoc est, o fili mi Juli, (Æneid. 6.) Idipsum probatur tum ex Versu 29. ubi Deus mitigans pœnam hanc Achabo intentatam ob ejus pœnitentiam, ait se illam ab Achab translaturam in ejus filium Joram; tum ex Lib. IV. Regum, Cap. 9. V. 25. & 26. ubi occiso Joram, jussit Jehu ejus cadaver projici in agrum Naboth lingendum & vorandum canibus, ut hac de eo Dei prophetia impleretur.

Sciscitatur a me *Frassenus*, Num justius fuerit Achabum ipsum pœnas luere, quàm posteros ejus? Tui me miseret, *Frassene Frater*, qui ita te geris, ac si nusquam a *Sancto Paulo* audivisses: *Stultas & sine disciplina Quæstiones devita*. Id justum esse respondeo, quod Deus decrevit. Porrò decrevit posteros *Achabi* pœnas luere potiùs quàm ipsum, & patris impii crimina in filiis ultus est: Id ergo justissimum. Aliud si quæras, tibi *Sancti Augustini* verbis respondere malim, quàm meis; *Nemo a me*

Sermone XX. de Verbis Apostoli.

quærat occultorum rationem. Ille dicit, Inscrutabilia sunt judicia ejus: *& tu scrutari venisti? Ille dicit* Investigabiles viæ ejus: *& tu investigare venisti? Si inscrutabilia & investigabilia investigare venisti; crede, quia periisti. Tale est velle scrutari inscrutabilia, quale est velle videre invisibilia, & ineffabilia fari.*

ARTICULUS XIV.

Observatio Alexandri in Versum VI. Capitis XVII. Lib. II. Paralipomenon, adversùs Frassenum propugnatur.

IN Vulgata hoc loco de Josaphat Rege Juda legimus: *Etiam Excelsa & Lucos de Juda abstulit*. Observavit Alexander, *Eruditis Viris legendum videri*, non abstulit, *ut conveniat hic locus cum eo quod de eodem* Josaphat dicitur III. Regum XXII. v. 43. & 44. *Et ambulavit in omni via Asa patris sui, & non declinavit ex ea: fecitque quod rectum erat in conspectu Domini. Verumtamen Excelsa non abstulit*. Quod totidem verbis repetitur II. Paralip. XX. v. 33.

Alexander, pag. 335.

Frassen. pag. 356.

Hanc Observationem ut carpat *Frassenus*, more solito calumniatur. *Silentio*, inquit, *prætermittere non possum errorem, quem in Editione Vulgata comminiscitur Alexander, ex his verbis Paralipomenon II. cap. 17. ubi de Josaphat legimus:* Etiam Excelsa & Lucos de Juda abstulit. *Hic*, inquit, *adjicienda videtur particula*, non. *Ut conveniat hic locus cum Versu 43. & 44. Cap. XXII. Lib. III. Regum, & v. 33. Cap. XX. Lib. II Paralip.*

Malæ fidei te postulo coram omnibus recti & æqui amantibus, *Frassene!* Errorem in Vulgata non comminiscor; aliorum refero sententiam, quibus hìc mendum esse visum est. Tu verò pro ingenuitate tua, aliorum sententiam ut meam refers. Scripsi: *Eruditis Viris legendum videtur, Non abstulit*, Tu me scripsisse fingis: *Hic adjiciunda videtur particula, Non*. Sententiam non dixi; me dixisse comminisceris, & alienam conjecturam mihi tribuis.

Addis te, *non capere quo fine ista notaverit Alexander, cum ipsi propositum fuerit eos recensere textus, quos in Vulgata nostra erroneos judicabat, quòd Fontibus Hebraïs non consentirent. At hic locus Vulgata planè concordat cum Hebræo Textu.*

Quòd res facillimas non capias, non miror. Quòd mentem meam non assequaris vir præjudiciis tuis sideratus, facilè capio. Propositum mihi fuit Textus aliquos recensere, qui a Viris plerisque Eruditis mendosi in Vulgata nostra existimantur, undecumque menda illa orta sint, sive ab Interprete, sive a Scribis & Librariis. Institutum meum & Quæstionis inscriptio, & prima periodus ostendunt: In hoc autem loco, quem tractamus, Viri quidam Eruditi conjiciunt olim in Hebræo fuisse *Velo*, id est, *Et non*; quod facilè in *Veod*, id est, *Et adhuc*, vel *Etiam*, mutatum est: adeo ut, cùm vertendum esset, *Et non abstulit Excelsa & Lucos de Juda*, verterit Interpres noster: *Etiam excelsa & Lucos de Juda abstulit*. Hancce conjecturam omnino spernendam non esse duxi, cùm hujusmodi mutationes unius literulæ facillimas esse nemo in his studiis versatus ignoret. Quamobrem hanc aliorum conjecturam retuli, quam Lectorum permisi judicio, meum suspendens.

Infœliciter verò Textus illos Scripturæ Sacræ qui Josaphat Excelsa abstulisse, & non abstulisse asserunt, conciliare nititur *Frassenus*, dicendo, Eadem de isto Rege hìc non proferri, quæ referuntur II. Regum Cap. XXII. ac proinde Textus illos non pugnare. *Quia Excelsa profana & prohibita, in quibus Judæi instar Gentium colebant Idola in præfato Textu, de quo controvertitur, abstulisse dicitur Josaphat; in posterioribus verò locis dicitur non abstulisse Excelsa Deo vero sacra, & a Patriarchis, atque viris pietate conspicuis olim frequentata*. Distinctionem illam, & farraginem qua ipsam firmare nititur, ex *Lirano* & aliis Auctoribus descriptam, nullius esse momenti, & cum Sacro Textu pugnare, facilè ostendo. Enimverò *Josaphat* non abstulisse penitus Excelsa profana & Idolis dicata, evidens est ex illis verbis *Paralip. II.* Cap. XX. v. 33. *Verumtamen Excelsa non abstulit, & adhuc populus non direxerat cor suum ad Dominum Deum Patrum suorum*. De illis igitur Excelsis loquitur Textus Sacer, in quibus populus sacrificabat & adolebat incensum, non Deo Patrum suorum, id est, Deo vero, sed Idolis.

Præterea, Excelsa illa non abstulit *Josaphat*, quæ ad *Ezechiam* & *Josiam* usque servata sunt, qui ea funditus evertit. Hæc autem fuisse profana & Idolis dicata, constat ex IV. Regum, Cap. XXIII. *Excelsa quoque*, inquit, *quæ erant in Jerusalem, ad dexteram partem Montis offensionis, quæ ædificaverat Salomon Rex Israël Astaroth Idolo Sidoniorum, & Chamos Offensioni Moab & Melchom abominationi filiorum Ammon polluit Rex. Et contrivit Statuas, & succidit Lucos: replevitque loca eorum ossibus mortuorum. Insuper & Altare quod erat in Bethel, & Excelsum quod fecerat Jeroboam filius Nabat, qui peccare fecit Israel: & Altare illud & Excelsum destruxit, atque combussit, & comminuit in pulverem, succenditque etiam lucum*. Illa ergo Excelsa, & Lucos *Josaphat* non destruxerat. Idem constat ex Cap. XVIII. ubi de *Ezechia* Rege dicitur: *Ipse dissipavit Excelsa, & contrivit statuas: & succidit lucos, confregitque Serpentem æneum, quem fecerat Moyses: siquidem usque ad illud tempus filii Israël adolebant ei incensum*. Excelsa quæ destruxit *Ezechias*, profana erant; igitur Excelsa profana & Idolis dicata non abstulerat *Josaphat*. Hanc ob causam Ecclesiastici XLIX. ubi memoria *Iosiæ* celebratur, deque ipso dicitur: *Et tulit abominationes impietatis*: nomen *Josaphat* in albo piorum Regum non recensetur: Quin imo dicit Scriptura: *Præter David & Ezechiam, & Josiam, omnes peccatum commiserunt. Nam reliquerunt legem Altissimi Reges Juda, & contempserunt timorem Dei.*

ARTICULUS XV.

Observationem Alexandri in Versum VII. Capitis XV. Libri Judith, iniquè arguit Frassenus.

Alexander, pag. 337.

IBi legimus secundùm Vulgatam nostram: *Reliqui, qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, & prædam, quam fugientes Assyrii reliquerant, abstulerunt, & onustati sunt valde.* Observavit Alexander, *Verisimile esse legendum;* Et honestati sunt valde, id est, *ditati*. Siquidem Græcè legitur, ἐπλούτησαν. Solet autem Vulgatus Interpres vocem *honestus*, usurpare pro divite, & *honestare*, pro *divitem facere*. Ideòque *Lucam Brugensem* ita restituendam censere hujus loci lectionem.

Frassen. pag. 358.

Hic me iniquè accusat Frassenus *nimiæ pruriginis criminandi Vulgatum Interpretem*; cùm tamen Vulgato Interpreti mendum illud minimè tribuerim, quem vertisse, *Et honestati sunt valde*, omnino verisimile est: siquidem LXX. verterunt ἐπλούτησαν, *ditati*; cui æquivalet vox *honestati*, secundùm usum Vulgati Interpretis, Sap. 5. v. 11. *Honestavit illum in laboribus*, Sap. 10. v. 11. *Honestum fecit eum*. Ecclesiast. 11. v. 14. *Paupertas & honestas a Deo sunt*. Nusquam verò alibi quàm hoc in loco libri *Judith*, Vulgatus Interpres hanc vocem *onustati* usurpavit, quæ alioqui Latina non est, sed adjectivum, *onustus*. Unde mendum esse hoc in verbulo conjicio, non in Vulgatum Interpretem, sed in Scribas refundendum. Quod etiam a Viris Eruditis animadversum *Cornelius a Lapide* observavit, nec reprehendendum sensit, quia sanioris erat, quàm *Frassenus*, Criterii. En ejus verba: *Onustati, id est, onerati spoliis. Nonnulli censent, legendum*, honestati, *id est*, ditati sunt; *ut habent Græca. Honestas enim in Scriptura sæpe significat* divitias; & honestare, *idem est quod* ditare.

ARTICULUS XVI.

Observationem Alexandri in Versum IV. Cap. XV. libri Esther, iniquè carpit Frassenus.

Alexander pag. 338.

HOc loco in Vulgata nostra legimus: *Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui, & circumdata est gloria sua.* Observavi hunc locum videri pugnantia involvere, nisi pro voce *ornatus*, legatur, *oratus*, quomodo legendum esse Viri Eruditi conjiciunt, id est *vestimenta orationis*. Qua voce *Sanctus Hieronymus* inter alios usus est *Præfat. in libros Didymi de Spiritu Sancto*. Porrò vestimenta oratus sive orationis, esse vestimenta lugubria, qualia orantem ac simplicem decent; de quibus Cap. XIV. Vers. II. dicitur: *Cùmque deposuisset vestes Regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit.*

Frassen. pag 358.

Frassenus pro more suo nobis insultans, Observationem hancce nostram his verbis proscindit: *Hic Vulgatum Interpretem flagellant Scioli nostri Critici, quòd pugnantia involvere videatur, dicens Estherem deposuisse vestimenta ornatûs sui, & indutam fuisse gloria sua, id est, vestimento Regio, & ad ornatum comparato, cùm scribere debuisset, luctûs sui.*

Tibi rursus inculcandum est, lepidum caput! nos quos præ te *sciolos* supercilio tam gravi & superbiloquentia vocas, Vulgatum Interpretem nequaquam flagellare (ut tu quidem odiosè loqueris) quem vertisse *oratûs*, conjicimus ex contextus serie, & LXX. Interpretum Versione: Vocem vero *oratûs*, imperitiâ vel oscitantia Scribarum in vocem *ornatûs* fuisse mutatam. LXX Sixtinæ Editionis habent; *Vestimenta servitutis*, Græcè τῆς θεραπείας. Complutensis; *Vestimenta luctus*, Græcè πένθου. *Joannes Benedictus* in Scholiis: *Cessavit orans, deposuit vestimenta luctûs*, &c. Emmanuel Sa: *Ornatus sui*, Græcè *luctûs*.

Josephus, lib. XI. Antiquitatum Judaicarum; *Regina quoque supplicabat more patrio humi infusa, cum prostrata, & amicta vestitu lugubri, per triduum abdicato cibo & potu, & omnibus deliciis.... Hic precibus solicitata per triduum divina miseratione denuo mutat habitum, & sumpto cultu qui Reginam deceat*, &c.

Nota marginalis in Glossa Ordinaria: *Vestimenta humilitatis.*

Reponit *Frassenus*, Vestimenta *Esther* non immeritò dici Vestimenta ornatus, maximè mulieris sanctæ, & ad orationem se componentis. Idque probat ex 1. ad Timotheum, Cap. II. Vers. IX. ubi Apostolus ait: *Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa.* Verùm non animadvertit Pseudocriticus Disquisitor, ibi ornatum non usurpari pro habitu pœnitentiæ & luctus, sed pro habitu modesto, & decenti, quod Græca vox κοσμίῳ hoc in loco propriè significat. Nimium itaque & indecentem ornatum prohibet Apostolus. Unde meliùs forsan ejus sensus redderetur, vertendo, *mulieres similiter in habitu modesto.* Sanctus Augustinus legisse videtur: *Non in habitu ornato*. Ita enim scribit ad *Ecdiciam*, Epistolâ CXCIX. *Scriptum est quidem, mulieres esse non debere in habitu ornato, auroque circumpositione, & intortione crinium, & cæteris hujusmodi, quæ vel ad inanem pompam, vel ad illecebram formæ adhiberi solent, & meritò reprehensa sunt. Sed est quidam pro modulo personæ habitus matronalis a viduali veste distinctus, qui potest fidelibus conjugatis, salva religionis observantia convenire.* Sanctus Petrus eodem ac Paulus spiritu nimium cultum fœminis prohibens, non præcipit ut cum habitu ornato incedant: sed *Non illarum sit extrinsecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* Sed etsi habitus ornatus sumatur apud *Sanctum Paulum* pro habitu mulieris sanctæ, non sequitur eodem modo sumi in libro *Hester*, eo loco quem expendimus. Apostolus enim loquitur de habitu mulierum Christianarum vulgari & quotidiano, quem modestum esse jubet, non indecentem, non dissolutum & lascivum. Quo sensu & *Tertullianus, lib. II. de Cultu Fœminarum*, Cap. XI. scribebat: *Vobis nulla procedendi causa non tetrica. Aut imbecillus aliquis ex Fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut Dei sermo administratur. Quodvis horum gravitatis & sanctitatis negotium est, cui opus non sit habitu extraordinario & composito & soluto.* At liber Esther loquitur de habitu extraordinario, de veste lugubri, quam induerat depositis vestibus Regiis, quibus vulgò utebatur, ut coram Deo se humilians, ipsum ad succurrendum Judaicæ Genti in summo discrimine positæ commoveret. Cap. XIV. *Esther quoque Regina confugit ad Dominum, pavens periculum quod imminebat. Cùmque deposuisset vestes Regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro unguentis variis cinere & stercore implevit caput, & corpus suum humiliavit jejuniis: omniaque loca in quibus antea lætari consueverat, crinium laceratione complevit. Et deprecabatur Dominum Deum Israël*, &c. Et Cap. XV. *Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui, & induta est gloriâ suâ. Cùmque Regio fulgeret habitu*, &c. Quis non videat Latinum Interpretem vestem Regiam, quâ ful-

fulgebat Hesther habitum illum gloriæ, vocaturum potiùs fuisse *vestimentum ornatus*, quàm indumenta lugubria, & cinere ac stercore consperfa?

Respondet *Frassenus*, Hesther pluris fecisse saccum, cinerem, & crinibus sparsis humiliatum caput, quàm vestes Regias: ideòque Vulgatum Interpretem appositè dixisse: *Deposuit vestimenta ornatus sui*. Verùm futilis est ista ratio. Cùm enim sacer Historicus rem gestam scriberet, literalem sensum, non mysticum per se primò exprimere voluit, ut ab omnibus intelligeretur. Unde nec Interpres sensum mysticum Versione sua primò exprimere debuit, sed literalem, ut accurati Interpretis partes impleret. Inanis est itaque digressio illa moralis *Frasseni*. Nonne nos de Vulgato Interprete longè meliùs meremur, qui ipsum vertisse, *vestimenta oratus*, non *ornatus*, conjicimus?

ARTICULUS XVII.

Observatio Alexandri in Versum IV. Psalmi XXXI. defenditur.

Alexander pag. 338. LEgimus hoc loco in Vulgata nostra, quæ ex Græco LXX. Interpretum expressa est. *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*. Observavit Alexander Hebraici Textus immediatam Versionem, quæ sic habet: *Viror meus versus est in siccitates æstivas*, nitidiorem esse; quamvis variæ illæ Versiones eumdem reddant sensum: siquidem geminum exprimunt Davidis, immutatum corporis sui habitum, ossium suorum ac medullarum ariditatem, carnisque maciem ex patrato adulterio consecutam querentis: sive, quod idem est, infixum vulnus, aut infixam spinam cordi se gerere, quæ pinguedinem suam depasceretur.

Frassen. pag. 366. Observationem hancce nostram, quam Viri Eruditi & cordati æqui bonique duxissent, *Frassenus* pro suo ingenio carpit. *Hanc Versionem*, inquit, *Vulgata nitidiorem vendicat Alexander*. Grande crimen, Quirites! An sit nitidior, necne, periti judicabunt. Dixerat David in præcedenti versiculo: *Gravata est super me manus tua*; id est, (ut explicat R. Kimhi) diu ac noctu solicitum me habet peccatum, ac plaga a te ob ipsum inflicta. Vereor enim ut par non sit peccato. *Quamquam enim*, inquit Kimhi, *sciret David pœnam suam esse propter iniquitatem magnam; & admitteret illam in sæculo hoc, nihilominus tamen metuebat, ne fortè non esset perfecta abstersio iniquitatis in sæculo hoc, & fortè multaretur propter illam in sæculo futuro*. Tum subdit Rex Pœnitens: *Conversus est humor meus in siccitates æstatis*. Id est, omnem corporis pinguedinem, & meliorem succum solicitudo & metus iræ & judicii divini consumpsit ac depasta est, sicut æstas virorem herbarum torret ac depascitur. Huic sensui convenit illud Proverb. 17. v. 22. *Spiritus tristis exsiccat ossa*. Sic alibi loquitur David: *Ossa mea sicut cremium aruerunt*. Sic Evangelista: *Arescentibus hominibus præ timore*. Quamquam verò in eumdem sensum redeat Vulgata nostra, ut observavi, nitidiorem tamen hanc esse fatebitur, qui utramque contulerit.

Judæos Purgatorium credere ostendit ista R. Kimhi interpretatio.

Lucæ 21.

Respondet *Frassenus*, Errorem esse in Textu Hebraico, ut nunc legitur, quia LXX. aliter legerunt. Sed cur errorem comminisceris in Hebraico Textu, cùm errorem in Vulgata hoc in loco non esse dixerim, sed minorem dumtaxat claritatem: cœteroquin eumdem esse utriusque sensum? LXX. inquis, aliter legerunt; sed rogo te, nonne Symmachus, Aquila, Quintæ Editionis Auctor, Sanctus Hieronymus, aliter legerunt quàm Septuaginta Interpretes? An mendum, si quod fuisset in Hebræo, illos omnes fugisset? Variasse Versiones istorum Interpretum ait *Frassenus*: & a nobis postulat ut indicemus quænam earum sit Vulgata nostra nitidior. Respondeo, Omnes. Ipsarum quippe varietas nedum quoad sensum nulla est, sed ne quidem ulla penè quoad verba. Symmachus vertit: *Conversum est mihi in corruptionem, sicut in siccitatem æstivam*. Aquila: *Versus sum in vastitatem meam in squalore æstivo*. Quinta Editio: *Versus est in miseriam, cùm sit solitudo fructuum*. Sanctus Hieronymus: *Versatus sum in miseria mea, cùm exardesceret æstas*, vel *dum exardesceit messis*. Santes Pagninus: *Versus est viror meus in siccitates æstatis*. Alii, quod idem est: *Conversus est humor meus in siccitatem æstatis*. Quæ postrema Versio antiquis illis nitidior est. Unde *S. Thomas* existimans eam lucem afferre majorem Textui Sacro, eam in Psalmi istius Commentario enarravit. Ubi enim exposuit lectionem Vulgatæ nostræ, subdit: *Vel secundùm Hebræos:* Conversus est humor meus in siccitatem æstatis. *Id est, ex aggravatione manus tuæ, quicquid in me carnale & humidum fuit, conversum est in siccitatem æstatis. Hieronymus habet:* Versatus sum in miseria mea, dum exardesceit messis: *Id est, ad modum messis aræ*. Hæc S. Thomas.

At, inquit *Frassenus*, unius vel duarum literarum mutatione, etiam ex Hebræo hodierno nostræ Editionis sensus elici potest. Si enim pro his verbis, *Nehephac leschaddi*, id est, *Versus est viror meus*, legatur *Nephachti lessodi*, erit, *Conversus sum in ærumna mea*. Et quod legitur, *Becharbone Kaiits*, si legatur, *Becharbone Kots*, erit, *In confixionibus spina*.

Papè subtilem hominem, qui sensum Editionis nostræ ex hodierno Hebræo elici posse tam fœliciter auguratur, si alia vocabula substituantur eum sensum exprimentia! Sed operæ pretium est monere te, *Frassene*, illud, *dum configitur*, ex *Becharbone* elici non posse. Unde alii Hebraicè periti ad alias conjecturas confugerunt, de quibus viri doctissimi *Simonis de Muis* Sacrarum Hebræarumque Literarum quondam in hac Regia Urbe Professoris adscribo Judicium. *Affinitas*, inquit, *harum vocum* Kots *spina*, & Kaiits, æstas, *facilè potuit imponere*. *Illud*, dum configitur, *unde sit, prorsus nescio, nec credo, certò scire quisquam potest. Est qui suspicetur pro* Becharbone, *legisse Græc. & Lat.* Bedhorbene, *id est*, in stimulis, *quod Græcè & Latinè redditum sit*, dum configitur. *Alius censet pro voce prædicta legisse, vocum similitudine deceptos*, Bechoureni, *id est*, dum associatur, *aut* conjungitur mihi. *Conjecturæ sunt, quæ mihi, ne quid dissimulem, non admodum probantur, quippe violentæ*.

Tandem Versionem ex Hebræo Textu immediatè expressam, nitidiorem esse hoc loco Vulgata nostra id probat, quod ad ejus elucidationem moralibus discursibus nobis non sit opus, nec Versibus ex *Boëtii* Consolatione Philosophica depromptis, quos in subsidium suum advocat Biblicus Disquisitor.

ARTICULUS XVIII.

Observatio Alexandri in Versum XIII. Psalmi LXVII. a Frasseni calumnia & Critica vindicatur.

HIC secundùm Vulgatam nostram legimus: *Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus dividere spolia*. Et versu sequenti: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri*. Observavit

Alexander, pag. 339. Alexander, Textum Hebraicum habere: *Reges exercituum fugiebant*, vel, *fugient*, *fugient*: & *habitatrix domus dividebat*, vel, *dividet spolia*. *Si dormiatis inter medias sortes, eritis sicut penna columba qua tecta est argento, & ala ejus flave auro*. Sensum eumdem esse utriusque Versionis, sed clariorem Versionem immediatam ex Hebræo.

Frassen. pag. 368. Propter hanc Observationem me cum *Calvino* conjungit Vir Seraphicæ Caritatis, & *Patronum Hæreticorum* vocat. Quàm irreligiosè, quàm iniquè, quàm contumeliosè, cùm utramque lectionem venerer ac amplectar, Calvinus Vulgatam ridcat, & explodat: Eumdem esse utriusque lectionis sensum affirmem; Calvinus immensum discrepare contendat. Lectionem ex Hebræo immediatè expressam approbat Alexander, [inquit Disquisitor,] Grande piaculum! Quidni verò ipsam approbarem, quæ primitivo Textui omnino consona est, quæ sensu a Vulgata non discrepat, quæ ipsa clarior? Sed ita illam approbo, hanc ut non improbem, sed venerer etiam, & usurpem cum Ecclesia. Sed illam secuti sunt Hæretici, [inquit Frassenus.] Quid tum? An propterea rejicienda? Nonne potiùs laudanda est, quia viri Catholici, Hebraicè doctissimi, ipsam approbarunt? Nonne ab Ecclesia approbata est apud *Santem Pagninum?* Hujus enim Versionem *Leo X.* suis impensis typis excudi curavit, eamque *Adrianus VI.* anno MDXXIII. XI. Maii, & *Clemens VII.* anno MDXXVI. die VI. Junii, scriptis ad Auctorem Literis commendarunt. Clariorem dixi Versionem ex Hebræo immediatè expressam. Id utriusque Versionis collatio probat, mecumque (ut opinor) sentiet quicumque ingenii & eruditionis penitus expers non est, & ab omni liber est præjudicio. Quæ ex *Genebrardo*, *Bellarmino*, & *Lorino* Frassenus exscribit, mirum in modum confirmant, quod dixi, Vulgatam nostram obscuriorem esse, utpote quæ prolixiori expositione indigeat. ac majorem Interpretum laborem ac diligentiam postulet. Quòd Vulgatæ nostræ lectionem hìc *emendandam* dixerim, incredibili audacia mihi imponit *Frassenus*, cùm Vulgatæ Versionis sphalmata privata auctoritate non esse a quovis corrigenda scripserim: *A recepta lectione non esse temerè recedendum, nec aliquid in Textu mutandum sine auctoritate Ecclesiæ; sed modestè rationes & conjecturas proponendas, & Ecclesiæ judicium expectandum*. Id, inquam, scripsi pag. 300. idque in sequenti Quæstione religiosè sum executus.

Addit *Frassenus*, Vulgatum Interpretem non rarò sensum mysticum expressisse, misso literali. Quo posito, optima est ejus Versio; & Christi qui hoc Psalmo mysticè depingitur, victorias & triumphos præclarè prænuntiat.

Verùm, cùm sensus mysticus in literali fundetur, quem Auctor intendit, & qui Spiritus Sancti præcipuus sensus est, pessimè de Vulgato Interprete meretur *Frassenus*, qui ipsum prætermisisse sensum literalem asserit, ut sensum mysticum, minùs præcipuum, exprimeret. Monendus est præterea *Frassenus*, Prophetias de Christo & Ecclesia, quæ in Psalmis frequentes occurrunt, ad sensum dumtaxat mysticum non pertinere, ut ipse imperitè supponit; sed ad sensum literalem; ex quo uno firmum contra Judæos & Hæreticos argumentum sumi potest. Denique Versio ex Hebræo immediatè expressa non minùs Christi victorias & triumphos exprimit, quàm Vulgata nostra; cùm sit idem utriusque sensus, Quod etiam
,, a doctissimo *Genebrardo* observatum est. *Nostris*
,, *igitur Latinis & Græcis*, inquit, *hæc Hebraica*
,, *quoatùm ad institutum consonat*. Reges exerci-
,, tuum fugient, fugient; *id est cedent Deo Chri-*
,, *sto, ei terga vertent, ab eo vincentur, in ejus*
,, *venient potestatem. Antithesis Regum fugientium,*
,, *qui immensas copias haburrint, & Apostolorum*
,, *qui eorum partientur inter se spolia*. Et speciei
,, domus: *Ad speciem & gloriam domus Dei per-*
,, *tinet dividere spolia Regum istorum devictorum:*
,, *hoc faciet ad domus Dei speciem & ornamentum,*
,, *ut spolia Gentium dæmonibus erepta partiatur.*
,, *Illud est gloriosum & honorificum Ecclesiæ. Lo-*
,, *quitur de Apostolis ut de ducibus & militibus,*
,, *qui post peractam pugnam prostratorum & inter-*
,, *fectorum hostium spolia partiuntur. Hebræa idem*
,, *sonant*. Et habitatio, *vel* species, pulchritudo
,, domus dividet spolia; *Id est, habitatores domus,*
,, *metonymicè, spolia hostium robustissimorum par-*
,, *tientur. Dei domestici & Ministri fana idolorum*
,, *mutabunt in Christianas Ecclesias, & eorum cul-*
,, *toribus errores eripient*. Si dormiatis inter me-
,, dios cleros, *inter medias sortes, inter media &*
,, *præsentissima pericula, evadetis fœliciter; & cum*
,, *honore & gloria. Si versemini in mediis peri-*
,, *culis, ut de vestro capite jam jaciatur alea, vel*
,, *etiam jacta sit, si de vobis, de vita vestra, &*
,, *bonis sortiantur, ut solent Victores, gloriosè eva-*
,, *mini, ac eritis sicut alia columba argento coo-*
,, *perta, cujus penna dorsi vireat ut aurum purum.*
,, *Quasi dicat, Luctus vester convertetur in gaudium.*

Judice igitur Genebrardo, Versio ex Hebræo immediatè expressa non minùs Christi victorias & triumphos, quàm Vulgata, exprimit. Idem exprimit Versio *S. Hieronymi* immediatè etiam ex Hebræo condita: *Reges exercituum fœderabuntur, fœderabuntur: & pulchritudo domus dividet spolia*. Sed quod hunc versum spectat, *Si dormiatis inter medios cleros*, &c. *Genebrardus* disertè ostendit Vulgatam nostram obscuriorem esse. Unde *Frassenus* non adeò succensere debuit *Alexandro*, qui idem asseruit. Genebrardi verba adscribo. *Locus*, inquit, *de quo tamquam de cruce pependerant omnia ingenia. Ex quo alii eum suspectum de mendo, alii LXX. hallucinatos, alii Clerum Clericorumve statum, alii sortes Israëlitis distributas, alii utramque sortem præsentis & futuræ vitæ, alii duo Testamenta, alii aliud significatum dixerunt. Difficultatem auxit noster Interpres, quia vocem Græcam reliquit. Nam si vertisset*, Inter medias sortes; *vel ut habet Codex Sancti Germani Pratensis vetustus*, In medio sortium, *fortasse eum aliqui contulissent cum Psalm.* 21. Super vestem meam miserunt sortem, *Joel* 3. Super populum meum miserunt sortem. *Nahum* 3. & super honoratos ejus miserunt sortem. & cuncti Magnates ejus alligati sunt catenis, *Esther* 3. *Joannis* 19. &c. *His enim etiam locis, Græcè est* κλῆρος *periculi, aleæque genus*.

ARTICULUS XIX.

Observatio Alexandri in Versum XVI. Psalmi LXXI. vindicatur a Claudii Frassent censura & conviciis.

IBi secundùm Vulgatam nostram legimus: *Et erit firmamentum in terra, in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus*. Observavit Alexander, clariorem esse Versionem ex Hebræo: *Erit pugillus frumenti in terra, in summis montium*. Vel, ut vertit Sanctus Hieronymus: *Erit memorabile triticum in terra, in capite montium*. Alexander pag. 339.

Frassen. pag. 371. *Frassenus* pro more suo, calumniis & conviciis potiùs, quàm Ecclesiasticis argumentis, bonisque rationibus Observationem hancce nostram sic impugnat. *Temerariè videtur* frumentum *loco* firmamen-

menti *restituendum......* *Corruptè in Vulgata Editione scriptum esse* firmamentum *conjicit Lieanus; scribendum verò* frumentum: *nempe vocum similitudinem erroris dedisse occasionem: cui subscribunt ejusdem Editionis Accusatores omnes præsertim Sixtinus Amama, Brugensis, & Natalis Alexander.*

Semel dixisse non sufficit homini tuæ cervicis idem centies inculcandum, *Frassene*, me Vulgatam Versionem non accusare, sed interdum illi fontes anteponendos censere; quod a SS. Patribus didici, *Hieronymo* præsertim & *Augustino*, a quibus difficilè avellor. In isto verò loco, quem expendimus, non scripsi *restituendum frumentum loco firmamenti*, ut mihi tam inverecundè imponis; sed *clariorem esse Versionem ex Hebræo*: Quod an ita sit. Eruditi jodicabunt. Si me id temere asseruisse contendis, nec *S. Hieronymus* temeritatis notam, te judice, vitabit: Siquidem ita vertit: *Erit memorabile triticum in terra, in capite montium elevabitur sicut Libani fructus ejus.* Sic dum lingua tua transit in terra ut mihi allatres, meque mordeas, os tuum in cœlo ponis, ipsi *Sancto Hieronymo* temeritatis notam obliquè inurens. Temerarius quoque, te judice, *Liranus* vester. Eadem censura *Sanctum Antoninum* perstringes III. P. Tit. XIV. Cap. 5. Frustra verò laboras ut eumdem sensum Vulgatæ nostræ ac Hebræi Textus esse probes, cùm id minimè diffitear, sed æquè claram dumtaxat esse negem Vulgatam nostram, ac eam quæ immediatè ex Hebræo expressa est. Clara sunt, fateor, quæ habentur Psalm. CIII. & CIV. *Panis cor hominis confirmet.* *Et omne firmamentum panis contrivit.* Et Isaiæ III. *Dominus auferet a Jerusalem & a Juda omne robur panis, & omne robur aquæ.* Et Levit. XXVI. v. 45. dicitur *Baculus panis*, quia vitam hominis sustentat. Sed hæc loca minimè clara essent, si *firmamentum, robur, baculus*, ad panem significandum, absque addito dicerentur, nec adhiberentur velut epitheta panis. *Firmamentum*, absque adjuncto ad significandum panem a Sacris Scriptoribus, & a nostro Interprete usurpatum *Frassenus* ostendat, & erit mihi magnus Apollo. Planus est Versionis immediatè ex Hebræo expressæ sensus. Temporibus Salomonis tanta erit ubertas, ut qui seminaverit frumenti tantùm, quantum vola manus capere potest etiam in cacuminibus montium, quæ aridiora & sterilia magis esse solent, inde segetes tam densæ proventuræ sint, ut a vento impulsæ talem sonitum sint edituræ, qualem arbores Libani. *Commovebitur sicut Libanus fructus ejus.*

Omittere non possum Rabbinos veteres legisse. *Erit placenta frumenti in terra*, quod ad Messiam retulerunt. Sic enim in libro *Siphre* scriptum est *Deuteronomii* 32. v. 12. Dominus solus deducet eum, & non erit cum ipso Deus alienus. *Dixit Deus Sanctus Benedictus: Futurum est ut ego convertam vos in mansuetudine, vel* tranquillitate Spiritus *in mundo isto*, & non erit cum eo Deus alienus: *Quia non erunt in vobis filii Adam exercentes negotiationem aliquam sicut dictum est, Psalm. LXXI. v. 16.* Erit placenta frumenti in terra in capite montium. Erit placenta frumenti, *Quoniam frumenta erunt producentia in diebus Messiæ placentas; sicut est plenitudo calli* rotulæ, vel vulæ *manus istius*. Tremet sicut Libanus fructus ejus: *Quia frumenta fricabunt, sed istud cum isto & dejicient similam suam in terra, & invenies, & accipies inde plenitudinem palmæ secundùm refectionem*, vel provisionem tuam.

Hebraicè Pissath. *In lingua Romanorum placenta tenuis & extensa vocatur* Pizza.

Eadem penè habentur in libro *Ketubboth* in Distinct. *Schene Dajiane*, In quem locum *R. Salomon* scripsit hancce Glossam: *Totum hoc erit in diebus Messiæ.* Suffragatur & *R. Kimhi*, His congruit *Targum Jonathanis*, quod hunc Versum ita reddit: *Erit Sacrificium annona in terra, in capite Montium Ecclesiæ.* Montes autem Ecclesiæ nulli convenientiùs dici possunt, quàm ejus Prælati & Sacerdotes, in quibus hæc Scriptura tunc videtur impleta, quando elevant Corpus Christi super caput suum, inquit *Raymundus Martini* Ordinis FF. Prædicatorum, III. P. *Pugionis Fidei*, Dist. III. Cap. XV. *De Sacramento Eucharistiæ*; ex quo Rabinicas illas observationes hausi, non ex *Petro Galatino*, Ordinis FF. Minorum, qui ista ut & plurima, suorum *Arcanorum Catholicæ Veritatis, ex Raymundo* nostro furatus est. Conferantur ista cum Cap. IV. Libri X. istius *Galatini* & probabit Lector quàm vera sit Annotatio Clarissimi *Josephi de Voisin* ad marginem laudati Capitis Pugionis Fidei: *Hinc desumpsit Galatinus, Cap. 4. Lib. 10*, Et post hæc *Galatinum* suum a me non laudari *Frassenus* conquereretur?

ARTICULUS XX.

Observatio Alexandri in Versum XVII. Psalmi CIII. defenditur.

Hoc loco, ubi legimus: *Herodii domus dux est eorum*: Observavi *Sanctum Hieronymum* vertisse: *Milvi abies domus est*. Quia scilicet Milvus semper in excelsis arboribus nidum sibi construit. Addidi Sextam Editionem manifestiùs esse interpretatam: *Milvo cupressus ad nidificandum.* Hanc Observationem ex *Sancto Hieronymo* deprompsi, *Epistola CXXXV. ad Suniam & Fretelam* scribente. *Pro herodio, quod in Hebraico dicitur* hasida, *Symmachus* ἰκτῖνον, *id est Milvum interpretatus est. Denique & nos ita vertimus in Latinum:* Ibi aves nidificabunt, Milvi abies domus est: *Quòd scilicet semper in excelsis & arduis arboribus nidos facere consueverit. Unde & Sexta Editio manifestiùs interpretata est:* Milvo cupressus ad nidificandum. *Pro abietibus autem & cupressis in Hebræo ponitur* Berosim, *quod magis abietes quàm cupressos significat.* Alexander pag. 343.

Observationem hancce meam *Frassenus* carpit his verbis: *Natalis Alexander Hebræo convenientiùs ex Sancti Hieronymi sententia legendum putat:* Milvi abies domus; *vel, ut habet Sexta Editio Græca:* Milvo cupressus ad nidificandum. Frassen. pag. 373.

O rem, *Frasseni* judicio, pœnitendam! *Alexander* Sextæ Editionis Auctorem, & *Sanctum Hieronymum* secutus est. Crimen profectò, quod nec flumine elui possit. At, inquit Biblicus Disquisitor, Plinius, Suidas, Sanctus Augustinus, vocem ἐρωδιὸς variè accipiunt. Esto, alii herodium ciconiam, alii milvum, quidam ardeam, fulicam nonnulli sint interpretati: numquid illi anteponendi Auctori Sextæ Editionis & Sancto Hieronymo, qui vocis Hebraicæ *Chasidah* potestatem apprimè noverant? Quamquam etsi vox illa speciei multiplicis aves significet, quæ in excelsis nidum collocant, adeòque non minus rectè verterit Vulgatus Interpres, *Herodii*, quam Sanctus Hieronymus, Milvi, aut Santes Pagninus, *Ciconia*: Non ideò Vulgata nostra hoc loco perspicuè cum Hebræo Textu congruit. Siquidem Hebr. est, *Herodia sive Milvo*, aut *Ciconia abies domus est*, aut *abietes domus ejus*. Vulgata verò: *Herodii domus dux est eorum*. Secundùm Hebr. vertit Aquila: *Herodio abietes domus ipsi*. Chaldæus: *Ciconia abietes sunt domus habitationis*. Syrus: *Ciconia nidus est in abietibus*.

Agellius Episcopus Acernensis, vir pietatis & doctrinæ laude insignis, ingenuè fatetur difficile esse intelligere quid LXX. hoc loco voluerint; fa-

faciliоremque ex Hebræo Versionem esse. *Folengius*, Mantuanus, Monachus Cassinensis, etsi Vulgatæ Versionis studiosissimus, hunc Versum per se obscurum videri asserit, lucemque accipere ex Hebræo. Addit quid sibi velit, *dux est eorum*, se vix augurari, cùm nullus ex Hebræo legat, *dux*, sed, *abies*.

Simeon de Muis Græcum & Latinum Interpretem hìc *longè a Fonte recessisse* affirmat; hujusque Interpretationis occasionem aperit. *Nam*, inquit, *dubio procul legerunt*, *pro*, beroschim, *id est*, abietes, beroscham, *id est*, in capite eorum, *& caput judicarunt metaphoricè hìc, ut aliàs interdum, poni pro duce: unde pro eo quod ad verbum illorum opinione legebatur*, Ciconia *seu* Herodius in capite eorum, *passerum scilicet*, *seu* earum *avium*, domus ejus verterunt: *Herodii domus dux est eorum, hoc est, juxtà Genebrardum, Herodius præest passeribus, ducit aviculas ad illum locum, index est via. Verùm sit hoc, nec-ne, non est instituti mei quærere. Certè scio in Hebræo sensum esse perspicuum & cohærentem.*

ARTICULUS XXI.

Observatio Alexandri in Versum IV. Psalmi CXXVI. vindicatur a Frasseni Critica.

CLaudius *Frassenus*, pag. 374. *Alexandrum* ita perstringit: *Tempus ne perderem, non impendam in referendis & refellendis variis aliis locis, quos præter ordinem accumulat & impugnat Alexander. In his, inquam, omnibus Textibus sigillatim expendendis diutiùs non immorabor: tum quòd illa, si quæ essent, menda leviores sunt, quàm quæ animadversionem mereantur*, &c. Commoda Rhetoricæ figura, & Thrasone digna Pancratiaste. Mendas tamen illas leviores Sanctus Hieronymus animadversione sua non indignas existimavit. Ex ipsius ad *Suniam & Fretelam*, Epistolâ CXXXV. Observationes illas plerasque hausi, quas tanto fastu se negligere & contemnere *Frassenus* profitetur. *Hieronymum* sequi ducem gloriabor.

Se tamen prætermittere non posse Textus duos Psalmorum ait *Frassenus*, quos *Alexander* attigit. Primus Psalmo CXXVI. Vers. IV. secundùm Vulgatam nostram sic legitur: *Sicut sagitta in manu*

Frassen. *potentis ita filii excussorum*. Nullus ferè est, in-

pag. 375. quit *Frassenus*, in tota Scriptura locus, *qui tam malè a novellis Criticis sit habitus. Inscitiæ accusant nostrum Interpretem, & verti debuisse volunt*, Filii juventutis, *ut vertit Sanctus Hieronymus*.

Alexander pag. 346. Calumniaris, *Frassene!* Vulgatum Interpretem inscitiæ non accuso; sed hanc Versionem obscuriorem esse censeo propter ambiguitatem vocis, *excussorum*. Si enim excussorum filios, credentium populos interpretemur cum *Sancto Hilario*, qui scilicet Apostolorum filii sunt, quibus in Evangelio præceptum est, ut cùm in civitatem aliquam recepti non fuerint, pulverem pedum suorum excutiant: dicendum potiùs fuit, *Filii excutientium*, quàm *excussorum*, ut scitè *Marcella Sancto Hieronymo* objecerat. Hanc ambiguitatem tolli observavi, si Textus Hebraicus consulatur, secundùm quem vertendum esset: *Sicut sagitta in manu potentis, ita filii juventutis*. Addidi, consuetudinem humani sermonis *excussos* vocare vegetos, robustos, & expeditos: & LXX. Interpretes in lib. Esdræ pro juvenibus hanc vocem usurpasse. Hanc observationem, tota quanta est, ex Epistolâ CXLI. Sancti Hieronymi ad Marcellam, quam ibidem laudavi, desumpsisse me professus sum. Hæc sunt *Sancti Hieronymi* verba: *Quid faciam? Tantum virum* (Hilarium) *& temporibus suis disertissimum reprehendere non audeo: qui & confessionis suæ merito, & vitæ industria, & eloquentiæ claritate, ubicumque Romanum nomen est, prædicatur: nisi quòd non ejus culpæ adscribendum est, qui Hebræi sermonis ignarus fuit, Græcarum quoque litterarum quamdam auram ceperat, sed Heliodori Presbyteri, quo ille familiariter usus est, a quo ea quæ intelligere non poterat, quomodo ab Origene essent dicta quærebat. Qui quia in hoc Psalmo Commentarium Origenis invenire non potuit, opinionem magis insinuare suam, quàm inscitiam voluit confiteri, quam ille sumptam clare sermone disseruit, & alienum errorem disertiùs exsecutus est. Restat igitur ut rursum ad Fontem sermonis recurramus Hebræi, & videamus, quo modo scriptum sit. Ubi nos habemus*, Sicut filii excussorum, *ibi legitur*, Chen bene hannehhurin, *quod Aquila interpretatus est*, Sicut filii pubertatum. *Symmachus & Theodotion*, Sicut filii juventutis. *Sexta* νεωτερισμοῦ: *quod nos dicere possumus*, excuti sensus. *Ex quo manifestum est adolescentiæ populos intelligi Christianos, secundùm illud exemplum, quòd Deus suos Sanctos in modum arcus & sagittarum dicatur extendere: ut in Propheta Za-* Zachar.

charia: Quoniam extendi te mihi, Juda, in ar- 9. 1. Isai.

cum. *Et Salvator de semetipso:* Posuit me sicut 49.

sagittam electam, & in pharetra sua abscondit me. *Denique in sequenti Versu, exceptis LXX. qui aliter transtulerunt, & in Hebræo, & cunctis Editionibus ita reperi:* Beatus vir qui replevit pharetram suam ex ipsis: *Ut quia metaphoram semel sumpserat ex sagittis, & in pharetra quoque translatio servaretur. Excussos autem & consuetudo sermonis humani vegetos & robustos & expeditos vocat: & ipsi LXX. Interpretes in Esdra libro, pro* *Esdræ cap.*

juvenibus transtulerunt, in quo ita scribitur: Me- *4. ubi se-*

dii excussorum faciebant opus, & medii eorum *cundùm*

habebant hastas. *Ex quo animadvertimus & in* *Vulgatam*

præfati loco pro adolescentibus atque puberibus ex- *Versionem*

cussos *positos, non (ut ille opinatus est) pro Apesto-* legimus:

lis, qui excussi *a pedum excussione dicantur*. Hæc Media

Sancti Hieronymi verba maxima ex parte exscrip- pars juve-

seram in Dissertatione mea. Eadem exscribit *Clau-* num eo-

dius Frassenus observationem meam (ut miles in rum fa-

terra hostili obvia quæque bona) deprædatur; & ciebat

tamen locum illum Psalmorum malè me habere opus.

blaterat.

Verùm, inquit Frassenus, *quicquid dicant Hebraizantes nonnulli, Versio LXX. & nostra Vulgata huic explicationi, & originali Textui non repugnant; quippe cùm vox* nehharim *non solùm* juventutem *seu* juvenes, *sed etiam significet excussos*.

Versionem LXX. Interpretum & nostram tantùm abest ut huic explicationi contrariam dixerim, quin potiùs cum illa conciliari asserui, & *excussorum* nomine ibi designari juvenes, quod ex Lib. II. Esdræ, Cap. 4. & ex *Sancto Hieronymo* probavi. Sed vocem, *excussorum*, ambiguitatem parere observavi, quæ nulla est, si Hebræus Textus ad verbum reddatur: *Sicut sagitta in manu potentis, ita filii juventutis*. Clarissimus reverà sensus est. Cùm enim versu præcedenti dixisset David, liberos hereditatis & præmii loco homini a Deo dari: *Ecce hereditas Domini filii: merces, fructus ventris:* Mox explicat cui usui liberi sint. *Sicut sagitta in manu potentis, ita filii juventutis*, Id est, filii homini juveni nati, sunt illi sagittarum instar in manu viri fortis. Sicut enim vir strenuus ac peritus jaculator vibratis sagittis, hostes a se depellit: ita parentibus filiorum in juventute susceptorum, cùm ætatis maturæ fuerint, opera ad propulsanda mala atque incommoda utilis est, si non solùm numerosi sint, sed & probi, sapientes, & pii; quales Deus tribuit

præmii

premii loco. An autem *Nebburim* eque significet *excussos* ac *juventutem*, Santes Pagninus te docebit, *Frassene*, si Lexicon ejus consulas, seu *Thesaurum Linguæ Sanctæ* a pag. 1643. ad pag. 1646. Hinc disces *Nebburim* in omnibus Scripturę Sacrę locis, quę laudat, *juventutem* seu pueritiam significare: quamquam *Nebburim* excussos significet, atque pro juvenibus etiam usurpetur, ea nimirum ætate quâ e molliore parentum cura excutiuntur, ad ministerium aliquod & opus faciendum, donec ad eam ętatem pervenerint, quâ sint sui juris: Vel, quòd sint habiles seu agiles, vegeti & vivaces atque alacres: non sicut ętate jam provecti, qui tardiores sunt, & inhabiles ac graves. Id etsi LXX. spectarint, cùm verterunt *υἱοὺς ἐκτετιναγμένων*, *filios excussorum*; longè tamen clarior est Versio Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, Sancti Hieronymi, Santis Pagnini: *Sicut sagitta in manu potentis, ita filii juventutis*. Id unum voluit, scripsitque *Alexander*; non, ut tu calumniaris, locum illum Scripturæ Sacræ malè habuit, non Vulgatum Interpretem inscitiæ accusavit.

Non prætermittam doctissimi *Simeonis de Muis* Observationem: *Græci & Latini*, inquit, *acceperunt* Neurim *in Paul Kal*, a Naar, *quod est* excussit, *verteruntque*, excussorum. *Verùm Hebræi omnes, quos vidi, necnon B. Hieronymus, accipiunt pro nomine substantivo*, & juventutis, *seu* adolescentiæ *exponunt*.

Præclara sunt revera quæ *Sanctus Augustinus* habet in hunc Psalmum, sed moralem sensum consectatur, non literalem: ad Hebraicum Textum non attendit: in eumdem lapidem impingit ac *Sanctus Hilarius*. Summa explanationis ipsius est, *filios excussorum* appellari filios Apostolorum: hos autem excussos vocari 1. Quia a Christo de arcu mandati, sicut sagittæ, excussi, ad fines orbis terræ pervenerunt. 2. Quia præcepit eis Dominus, ut si in civitatem aliquam non reciperentur, pulverem de pedibus suis excuterent. 3. Quia sunt filii Prophetarum, qui dicuntur excussi, quia cùm clausa Sacramenta & operta continerent, excussi sunt, ut inde manifestata procederent.

Hæc sanè ad Pseudocritici nostri *Claudii Frasseni* castigandam petulantiam sufficerent; Libet tamen adhuc aliqua mantissæ instar addere, ad Alexandrinam Observationem contra ipsius insultus propugnandam.

Glossa Ordinaria ad marginem istius verbi *excussorum*, e regione adscriptum habet, *inventutum*.

Nicolaus de Lira. Ita filii excussorum: *Id est, de numero excussorum ad pugnam, tamquam excussi ab impedimentis. In Hebræo autem habetur: Ita filii juventutum. Et est eadem sententia, quia juvenes sunt magis expediti ad pugnandum.*

Malvenda, in Commentar. *Sensus aptior est; ut miles valentissimus sagittis instruitur & jaculis: sic præcipuum robur patris ac familiæ, sunt filii juvenes.*

Marianus S. J. in Scholiis: *Hebr.* Ita filii juventutum, *id est, a juvenibus geniti, sunt ut sagittæ. Ii sunt validiores.*

Emmanuel Sa S. J. in Annotationibus: *Excussorum, pro, excussi, id est, expediti, scilicet validi. Hieronym.* juventutis, *id est, juvenes. Vide Nehemia 4. Scilicet magno adjumento sunt patri, ut sagitta potenti.*

Deschampsuensis S. J. Explanat. in Psalm. *Liberi qui obtingunt parentibus juvenibus. Hos autem excussos, seu ad arma expeditos vocat Propheta, similes sunt sagittis valida manu contortis.*

ARTICULUS XXII.

Observatio Alexandri in Versum XV. Psalmi CXXXI. propugnatur.

Legimus, canimusque hoc loco secundùm Vulgatam Versionem: *Viduam ejus benedicens benedicam: Pauperes ejus saturabo panibus*. Observavit Alexander, vocem Hebraicam *Tseda*, nullo modo *viduam*, sed *victum*, seu *venationem* significare. Et LXX. θήραν id est, *venationem* vertisse, non χήραν id est, *viduam*. Alexander, pag. 347.

Frassenus, ut mendum Vulgatæ Versionis manifestum contra veritatem Hebraicam, & Græcam LXX. Translationem propugnet, nonnulla ex *Bellarmini* Commentariis corradit. Sed ista non impediunt quin vox Hebraica *tseda*, quæ *victum*, seu *venationem* significat, in omnibus Codicibus Hebræis inveniatur. Non impediunt quin vox Græca θήραν, cujus eadem significatio est, in Cod. Alexandrino & Vaticano LXX. Interpretum, aliisque exemplaribus legatur. Quod satis superque probat Vulgatam nostram hoc loco mendosam esse, atque auctoritate Ecclesiæ pro, *viduam*, restitui posse, *victum*, seu *venationem*. Frassen. pag. 375.

S. Hilarius legit *Viduam ejus benedicens benedicam*, quod probat mendum istud esse antiquissimum. Sed meminit alterius Versionis. *Quidam* inquit, *Translatorum interpretatus esse ita repertus est*, Captionem ejus benedicens benedicam; *tamquam venatoribus & piscatoribus hominum effectis Apostolis, hæc eorum benedicta sit captio. Maximè quòd Betsaida, ex qua Apostoli sunt, per interpretationem linguæ Hebraicæ, Domus venantium nuncupatur.* Addit Hilarius: *Sed nobis sequenda est prima illa & sub Judæorum temporibus ante Domini adventum ad Ecclesiæ doctrinam consignata translationis auctoritas.* *Si S. Hilarius* ad LXX. Versionem attendit, in mendosos incidit Codices, in quibus χήραν, id est *viduam*, pro θήραν, id est, *venationem* legebatur: sed Codex Alexandrinus & Vaticanus, aliique jam olim a S. Hieronymo collati constanter & uniformiter habent: τὴν θήραν αὐτῆς εὐλογῶν εὐλογήσω. Venationem *ejus benedicens benedicam*.

S. Joannes Chrysostomus in Expositione Psalmi CXXXI. legit: *Venationem ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus*. Quam sententiam sic exponit: *Alius cibum ejus venationem dicit rerum venalium abundantiam, fertilitatem, & proventus ut hæc omnia eis tamquam a fontibus affluant ..... Hoc ergo hic dicit: Pollicitus est te esse benedicturum ejus venationem, hoc est, te esse præbiturum rerum necessariarum copiam cum multa securitate.*

S. Hieronymus in Quæstionibus sive Traditionibus Hebraicis in Genesim, explicans illa verba Genes. XLV. *Et dedit illis cibaria in via* [Joseph scilicet fratribus suis] ait: *Verbum*, Tseda, *quod hic omnes ore consono*, ἐπισιτισμὸν *id est*, cibaria, *vel* sitarcia, *interpretati sunt*, *in Psalterio quoque habetur. Ubi enim nostri legunt*, Viduam ejus benedicens benedicam: *Licèt in plerisque Codicibus pro* vidua, *hoc est pro* χήραν *nonnulli legunt* θήραν: *in Hebræo habet*, tseda, *id est*, Cibaria ejus benedicens benedicam. *Porrò* θήραν *venationem magis potest sonare quàm fruges: tametsi moris sit Ægyptiorum* θήραν *etiam far vocare.* In Versionem veterem Latinam seu Italam ex LXX. expressam hoc verbum *Viduam*, pro *Venationem*, irrepserat, & Codices Græci variabant. Quidam χήραν alii θήραν habebant: sed prior lectio mendosa erat, cùm Hebræi constanter haberent *tseda*, quod

vena-

venationem vel *cibaria* significat, absque ulla prorsus varietate.

Vetus Auctor Commentarii in Psalmos, inter Opera S. Hieronymi: *Pro vidua*, inquit, *id est*, χήρα; *& Hebraa Volumina, & ipsi Septuaginta*, θήραν *habent: sed propter novitatem verbi & unius litera demutationem, paulatim obtinuit ut pro* θήρα *legeretur* χήρα: *maximè quia in sequenti versiculo pauperes sequebantur* θήρα *Symmachus & Aquila* cibaria *interpretati sunt*.

Theodoretus legit: τὴν θήραν αὐτῆς εὐλογῶν εὐλογήσω, *Venationem ejus benedicens benedicam*. Sicque hunc versum commentatur; *Symmachus autem*: Annonam ejus benedicens benedicam. *Hoc est, Omnium bonorum affluentiam ipsis prabebo*.

S. Cyrillus, Lib. V. Comment. *In Isaiam* pag. 850. legit: τὴν θύραν αὐτῆς εὐλογῶν: id est, *Portam ejus benedicens benedicam*. Quæ lectio etsi singularis nec alibi reperta, eumdem in sensum redit, de affluentia rerum omnium necessariarum ad victum, quæ per portam in urbes importantur, & juxtà portam in foro apud Hebræos venundari solebant.

Euthymius legit: *Venationem ejus benedicens benedicam*. Sicque hunc Versum exponit: *Per venationem, ciborum atque obuliorum suppeditationem intelligit. Hac, inquit, benedicens benedicam, hoc est prestabo magna cum abundantia*.

Nota marginalis in Glossa Ordinaria, e regione istius Versus, *Viduam ejus benedicens benedicam*, adscripta: *Esca, cibo*.

Santes Pagninus: *Esca ejus benedicendo benedicam*.

Petrus Lombardus in Comment. Psalm. *Divus Hieronymus vertit* venationem, *& cæteri* viaticum, escam, victum, aut quid simile. *At Graci trifariàm variant. Quidam Codices habent* θύραν *id est*, januam, alii θήραν, *hoc est* venationem; *sed obtinuit usus (inquit Hieronymus in Commentariis, & ex parte tangit in Quæstionibus) ut unius litera demutatione diceretur* χήραν, *id est*, viduam.

Genebrardus: Viduam ejus, *Hebr.* Venationem ejus, escam, victum ejus *benedicam & multiplicabo. Sic Grac.* θήραν, venationem. *Sed noster legit inconsulta Veritate Hebraica*, χήραν, viduam, *ut & Apollinarius & Sanctus Augustinus; quod mox sequerentur* pauperes: *utrosque enim solet Scriptura conjungere*.

Joannes Faber Stapulensis, in Conciliatione Psalterii Gallicani, Romani, Hebraici, & Veteris, Cardinali *Briconneto* dicata: *Sexto decimo versu*, Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus: *ex Hebraeo*, Venationem ejus benedicens benedicam. *Septuaginta similiter*, τὴν θήραν αὐτῆς εὐλογῶν εὐλογήσω. *Sed mutata prima litera dictionis* θήραν, *factum putat Hieronymus, ut usus inoleverit legendi* χήραν *id est*, viduam..... *Symmachus & Aquila vocabulum quod hic Hebraicè habetur, interpretati sunt* βρώματα, *id est*, cibaria.

Paulus a Sancta Maria, Episcopus Burgensis.

Paulus Hebraus potiùs ex Hebrao censet legendum: Escam viatorum ejus benedicens benedicam. *Quod de Eucharistia Sacramento, & cælesti illo pane, quod ineffabili quadam benedictione de cælo descendit ad elargiendam viatoribus aternam vitam, putat intelligendum. Quod verò subjungitur*: Pauperes ejus saturabo pane, *ut ex Hebrao legitur; illius prima particula quadam explicatio est. Hoc salutari induuntur Sacerdotes qui ipsum sumunt. Hac alimonia exaltant Sancti ejus. Hoc Sacramento requiescit Deus in Sion. Hoc eodem habitat nobiscum usque ad consummationem saculi. Quare opera pretium magis puto esse legendum, ut Paulus Hebraus censuit. Nam*, viduam, *non esse legendum, Hieronymus etiam fatetur, erroremque detegit*. Venationem, *non æquè quadrat cogitantibus Mysterium*. Cibaria, *quod Symmachus & Aquila habent, etsi appropinquat: ponere tamen*, Escam viatorum, *nonnihil (ut sic dixerim) energicitiùs sonat. Adde & quod id propriè [seu lingua illius periti volunt] Hebraica dictio hic posita significat. Quapropter tam tatè quàm piè nobis Versus in Ecclesiis amodo legendus & cantandus erit*: (si ita jusserit Ecclesia, si Romanus Pontifex ita legendum decreverit, alias enim audacior est Fabri Sententia) *Viaticum ejus benedicens benedicam: Pauperes ejus saturabo pane*.

Melchior Canus, Lib. 2. De Locis Theologicis *Deprehendit quoque Hieron. in Psalm. 131. LXX. Interpretes non* χήραν, *id est, viduam, sed* θήραν *id est, venationem transtulisse, sed propter vocum similitudinem pro* θήρα, *id est, venatione*, χήραν, *id est, viduam esse suppositam..... Nisi fortè Latinus Interpres victum aut venationem reddidit, & error obtinuit ut vidua legeretur. Nam vox Hebraica, nullo modo viduam, sed venationem, victum, viaticumque significat. Hujusmodi mendo gravi ratione prudentique consilio corrigi possunt*.

Malvenda: Viduam ejus benedicens benedicam. *Tzedah, venationem, escam, victum, cibum, commeatum, viaticum ejus, Hebrai exponunt. Id est, Mittam majorem benedictionem in fructibus ac frugibus ejus, quàm in aliis terris Israëlis, ad gloriam domus mea, qua est in medio ejus: & forsitan idcirco vocatur* Moriiah, *quia fuit terra* venaiah, *id est, irrigua. Quidam reddunt*: Viatico ejus affatim benedicam, *id est, rebus necessariis ad prasentem vitam, qua peregrinatio est a Domino. Alii*: Annonam ejus magna fœlicitate cumulabo, *seu* amplificabo, copiosissimam faciam. *Noster* Tzaid viduam *exposuit, quòd vidua insidiis & captura facilè pateat*.

Mariana S. J. in Scholiis: *Viduam ejus*, scilicet *qua vidua solent esse deserta, eas replebo bonis. Grac. & Hebr.* Venationem ejus benedicam, *id est, dabo rerum copiam. Pro* θήραν *aliqui* χήραν *id est*, viduam, *legerant Gracè, inter alios Apollinar. Inde noster Latinus Interpres desumpsit. In Vulgata Regia*, venationem *posuerunt*.

Jacobus de Valentia Christopolitanus Episcopus, ubi Vulgatæ lectionem exposuit, subdit: *Sed est advertendum quòd in Hebrao habetur*; Escam ejus benedicens benedicam: *& ideò sequitur*: Pauperes ejus saturabo panibus. *Et tunc sumitur totum pro esca spirituali ipsius Ecclesia, qua est duplex, scilicet esca Sacramentorum, & esca donorum Spiritus Sancti. Et tunc est sententia ista*: Ego benedicens benedicam escam ejus: *Id est, cum maxima abundantia largiar ipsi & conferam copiam Sacramentorum & donorum, in escam spiritualem, ad reficiendum Fideles in hac vita*.

Cajetanus Cardinalis: *Cibum ejus benedicendo benedicam*, legit, & hæc verba sic interpretatur: *Divina largitas in Sion describitur quantùm ad provisionem victus Ministrorum, hoc est, Levitica Tribus, & aliorum Servitorum*. Cibum ejus, *scilicet Sion, loci domus mea. Et cibum appellat decimas & oblationes, ex quibus vivebant ministri divinè cultus*. Benedicendo benedicam, *hoc est* multiplicabo.

Emmanuel Sa S. J. in Annotationibus: *Viduam Grac. & Hieron.* venationem, *id est*, cibum. *Noster pro* θήραν *videtur legisse* χήραν. Ejus *scilicet Sion*.

Simeon de Muis, legendum quoque censet secundùm Hebræum: *Victum ejus benedicendo benedicam*. Et sensum esse: *Ex mea habitatione sequetur, ut omnium bonorum copia illa civitas affluat*. Tum subdit: *Latinus pro*, Victum, *legit* Viduam, *ex* χήραν *pro* θήραν *ut apparet: etsi error nasci in Latino potuit, dum aliquis inconsulta Hebraica Veritate, nec inspecto Codice Graco, quòd statim sequa-*

quaeretur. Pauperes *putavit* victum *esse meadum*, *ideòque nihil hæsitans*, viduam *reposuit*.

Ex his omnibus evidens est quàm imperitè *Claudius Frassenus* Observationem *Alexandri* Hebraica Veritate & LXX. Interpretum Versione fultam, *SS. Chrysostomi & Hieronymi*, necnon *Theodoreti & Euthymii* auctoritate roboratam, a viris omnium Ordinum, fide, pietate, eruditionem celeberrimis confirmatam, insectetur, quasi unus *Calvinus*. Vulgatam hìc ab Hebræo dissentire observasset.

ARTICULUS XXIII.

Observatio Alexandri in Versum IV. Capitis X. Proverbiorum a Frassini Critica vindicatur.

Alexander, pag. 347. HOc loco in Vulgata nostra legimus: *Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat. Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos; idem autem ipse sequitur aves volantes.* Observavit Alexander hanc postremam sententiam, *Qui nititur mendaciis*, &c. nec in Hebræo Textu, nec in sincera LXX. Interpretum Versione, nec in Syriaca, nec in Arabica, nec in Chaldaica Paraphrasi legi. Abesse & a Latinis Codicibus plerisque, & ab iis maximè quos FF. Prædicatores ab annis quadringentis ex Libris *Caroli Magni* jussu conscriptis, in Galliis emendarunt. In Græcis tamen plerisque legi Cap.9. & a Sancto Augustino laudati, lib. III. *contra Cresconium*, cap. IX.

Frassen. pag. 376 Respondet *Frassenus*, hanc sententiam olim in Hebræis Codicibus extitisse, quia adhuc legitur in Exemplaribus Romanis LXX. Interpretum, atque etiam in iis quibus usi sunt Editores Bibliorum Polyglottorum. Non quidem, Cap.X. sed Cap. IX. post Versum XII. Insuper *Clementem Alexandrinum*, lib.1. Stromatum eamdem legere, & *Sanctum Augustinum*. Addere potuisset, *Nemesianum a Tabnnis* suam de rebaptizandis Hæreticis sententiam in Concilio Africano hoc testimonio confirmasse.

Quid verò hæc probant, nisi (quod observaveram) in Græcis plerisque Codicibus legi, & irrepsisse jam ab antiquo? Additionis suspicionem facit, quòd loco non suo sit inserta hæc sententia; nimirum, Cap.IX. Cæterùm *Santes Pagninus*, *Vatablus*, *Malvenda*, eam esse addititiam agnoscunt; nec in suis ex Hebræo Versionibus exhibent. Deest etiam in Versione LXX. Interpretum in Bibliorum Editione quadrilingui ab *Aria Montano*, ex antiquissimis & præstantissimis totius Europæ MSS. favente *Philippo* II. Hispaniarum Rege adornata; item in Bibliis trilinguibus *Cardinalis Ximenii*, ex Ordine FF. Minorum assumpti.

Beda in Commentariis Proverbiorum olim *Sancto Hieronymo* adscriptis, hanc solùm sententiam agnoscit versu 4. Capitis X. *Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat*. Hanc verò prætermittit: *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos*, &c. Sed continuò subdit Versum 5. *Qui congregat in messe, filius sapiens est*, &c. Idem præstat *Rabanus Maurus* in Commentariis.

Vetera Biblia MSS. elegantissimis characteribus Gotthicis, in exquisita membrana, quæ in Bibliotheca majoris hujusce Conventus Parisiensis FF. Prædicatorum extant, hunc Versum ducta subter linea rubricata, addititium esse significant: & hæc notula ad marginem eadem manu adscripta legitur. *Alii non habent*.

Hugo de Sancto Charo S.R.E. Cardinalis in Comment. de hac sententia, *Qui nititur mendaciis* &c. ita censet: *Quidam libri non habent clausulam hanc, præcipuè antiqui Codices: Nec videtur esse Parabola, quia non complectitur simul commendabile & delectabile, sicut precedentes & subsequentes Parabolæ. Et ideò fortè non fuit illa Salomonis, sed ab aliquo Auctore apposita.*

Trium Rabinorum Commentarius in Proverbia, scilicet *Salomonis Isacidis*, *Abraham Aben Esra*, *Levi Ben-Gherson*, hanc sententiam in Hebræo deesse confirmat.

Rodolfus Baynus, Lutetiæ Parisiorum quondam Linguæ Sacræ Regius Professor, in Commentariis Proverbiorum *Henrico II.* Regi Christianissimo nuncupatis, hanc sententiam ut addititiam prætermittit. Quartum enim & quintum versum ita secundùm Versionem Vulgatam exhibet: *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat. Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius confusionis.* Sic verò secundùm Hebræum: *Pauperem facit manus fraudulenta, & manus solicitorum ditabit. Colligens in messe, filius intelligens est, stertens in Autumno, filius pudore afficiens est.*

Jansenius Gandavensis, ita de hac sententia pronuntiat: *Hanc sententiam Hebræa non habent, nec eam exponit Beda*.

De eadem *Salazar* S. J. eruditus Interpres in Commentar. ita censet: *Locus iste non reperitur in primitivis. Ex Græcis autem, in quibusdam Codicibus occurrit, in aliis desideratur. A Complutensibus, & Regiis Bibliis expunctus est, tam ex Græco, quàm ex Vulgato Textu.*

Mariana S. J. in Scholiis: *Qui nititur mendaciis*, &c. *Hæc Versus pars non est Hebr. neque Græcè, neque in Vulgata Regia.*

Joannes Benedictus, hunc Versum obelo transfigit, ut in Vulgata abundare significet.

Emmanuel Sa S. J. in Annotationibus: *Pascit ventos*, &c. *Quomquam hic Versus non est Hebr. nec Chald. Jacet in LXX. nec in Complutensibus.*

Verùm, inquit *Frassenus*, hæc *habentur in sincerioribus LXX. Interpretum Codicibus, & ea retinuerant Editionis Latinæ sub Sixto V. & Clemente VIII. Correctores, quorum judicium longè præponderat sententiæ Dominicanorum, quos N. Alexander ex Brugensi refert a quadringentis annis Biblia Sacra correxisse, ex Codicibus Caroli Magni jussu conscriptis, in quorum libris præfata verba omittuntur. Perinde ac si tanta esset eorum ignotorum Correctorum auctoritas, ut adversùs totius Ecclesiæ Latinæ ea verba utì sacra probantis, sensum proscribere deberet. Vana sit ergo eorum hallucinatio.*

In LXX. Interpretum Codicibus, quibus usi sunt *Arias Montanus*, & Cardinalis *Ximenius*, quique ipsi operam commodarunt viri doctissimi, hanc non inveniri sententiam ostendimus: in aliis quibusdam, ut in Vaticano, alieno loco, scilicet Cap.9. intrusam. Quæstio est quinam sinceriores sint Codices. Illos sinceriores esse probo, qui hanc omittunt; quia cum Hebræis conveniunt omnibus. Hancce Regulam, de Codicum sinceritate, & Versionum veritate judicandi, non a me, sed a *Sancto Augustino* disce, (Doctor Frassene) Libro II. *De Doctrina Christiana*, Cap.11. dicente: *Et Latinæ quidem linguæ homines, quos nunc instruendos suscepimus, duabus aliis ad Scripturarum Divinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet & Græca, ut ad precedentia Exemplaria recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum infinita varietas. Quia procaldubio ubi aliqua controversia, vel difficultas occurrit, & aliud alii atque alii habent Codices, fides & veritas ipsa magis repetenda ab ea lingua in qua quis primò Scripturam edidit, quàm ab ea lingua in quam vertit.*

Cùm itaque ex Codicibus cum Græcis, tum Latinis, quidam sententiam illam habeant, de qua inter nos controversia est; Hebraicorum Codicum fidei atque veritati stare potiùs debemus, quàm Codicibus Græcis aut Latinis: siquidem ex Hebræa in Græcam Latinamque linguam Proverbia Salomonis versa sunt.

Quod autem objicis, Editionis Latinæ sub *Sixto V.* & *Clemente VIII.* Correctores hanc retinuisse sententiam, nihil adversùs Observationem meam probas, *Frassene*: Quis enim nescit Biblia non esse ab ipsis ita accuratè castigata, ut omnibus absoluta numeris sit eorum correctio? Quis nescit eos multa reliquisse, quæ emendatione indigebant? Non alium testem profero quàm *Bellarminum*, qui Correctorum illorum unius fuit, ad *Lucam Brugensem* scribentem; *De Libello ad me misso gratias ago. Sed scias velim Biblia Vulgata non esse a nobis accuratissime castigata. Multa enim de industria justis de causis pertransivimus, quæ correctione indigere videbantur.* Neque verò expungendam scripsi illam Versus IV. Cap. X. Proverbiorum sententiam, de qua agimus, ut mihi *Frassenus* imponit, his etiam verbis me involvens: *Hæc verba censent aliqui resecanda, &c.* Sed officii Christiani esse duco, illa ut Scripturam Sacram venerari ac retinere, donec aliter judicet Ecclesia. Quæ tamen Catholicis Doctoribus permittit Observationes conjecturasque suas eruditionis causa proponere, servatis modestiæ regulis, modò in Vulgata Versione mutare aliquid auctoritate privata non præsumant. Id qua possum religione observo, & servare semper velim; ad Regulam attendens, quam *Sanctus Hieronymus in Epistola ad Suniam & Fretelam* nobis reliquit. *Sic psallendum*, inquit, *ut nos interpretati sumus. Et tamen sciendum quid Hebraica Veritas habeat: Hoc enim quod LXX. Interpretes transtulerunt, est propter vetustatem in Ecclesia decantandum est: & illud ab eruditis sciendum propter notitiam Scripturarum. Unde si quid pro studio e latere additum est, non debet poni in corpore: ne priorem Translationem pro scribentium voluntate conturbet.*

Nec etiam Dominicani nostri, qui Biblia Sacra olim communi studio ac opera correxerunt, hunc Textum expunxere, sed ut erant viri docti & diligentes, observarunt [quod res erat] hunc in plurimis, quos legerant & contulerant, deesse Codicibus. Risum verò movet *Frassenus*, qui *vanam eorum hallucinationem* blaterat, Quasi verò judicare ipse meliùs possit an Codices quos Patres illi inspexerunt & expenderunt, sententiam, de qua agimus, continerent, quàm illi qui eos præ manibus habebant, studiosè evolvebant, diligenter conferebant. Nec tamen contendimus, *Illorum auctoritatem adversùs Ecclesia Latina, ea verba uti sacra probantis, sensum præscribere debere*, ut nobis affingit *Frassenus*. Enimvero cùm Sacra Biblia ex antiquis & optimæ notæ Codicibus emendarunt, correctionem suam Ecclesiæ judicio subjecere, cui semper militavit Ordo Sanctus FF. Prædicatorum, a Ludovico Bavaro, hoste licèt infensissimo, & Fratribus Minoribus, ejus partes & Schisma propugnantibus devotissimo, jure *Ordo veritatis* nuncupatus. Quòd eruditos illos Patres quibus *Hugo a Sancto Charo*, ob eximiam doctrinam ac pietatem Cardinalitiis Infulis primus ex Ordine Prædicatorum insignitus, præerat, ignotos & obscuros voces, non miror. Familiare tibi est nostra despicere, venditare tua. Viros celeberrimos appellares, si FF. Minorum cucullo induti fuissent. Quid verò promoves, nos contemnendo, consputando, calumniando, & absque ratione impugnando, nisi ut ad te pertinere sententiam illam Proverbiorum comprobes, de qua hoc in Articulo egimus: *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aves volantes?*

ARTICULUS XXIV.

Observatio Alexandri in Versus XVI. Capitis XVII. & VIII. ac XXII. Capitis XVIII. Proverbiorum, a F. Claudii Frassen censura vindicatur.

PRiori loco legimus secundùm Vulgatam nostram: *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam: & qui evitat discere, incidet in mala.* Secundo loco: *Pigrum dejicit timor: animæ autem effæminatorum esurient.* Tertio loco: *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est & impius.* Quædam circa Textus istos observavi, quæ *Claudius Frassen* pro more invertit, ac mendaciis calumniisque me proscindit. En ejus verba; *Hi omnes Textus, inquiunt Brugensis & Alexander, non habentur in Codicibus Hebrais, ideoque sunt expungendi. Egregia sanè consequentia!* Quis verò hanc intulit consequentiam, Frassene? *Alexander?* Tuum istud, putidum sanè, commentum est, Id meo in Opere non legisti. *Textus illos expungendos esse*, non scripsi. Facti quæstio est, tuam incuriam, oscitantiam, calumniam probabunt omnes, qui Dissertationem legere meam voluerint, pag. 348. Num. LIV, & pag. 349. & 350. Num. LVI. ubi loca illa Proverbiorum expendi, Primam sententiam abesse observavi a Textu Hebraico, a Chaldaica Paraphrasi, a Syriaca Versione, a triginta ferme Codicibus Latinis, quos *Lucas Brugensis* magno studio contulit. Apud LXX. legi: *Qui excelsam facit suam domum, quærit contritionem: Qui autem tortuosè accedit ad discendum, incidet in mala.* Addidi, Versum illum videri ex aliis ejusdem Capitis conflatum. Priorem partem: *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam*, cum Versu XIX. convenire, in quo legimus: *Et qui exaltat ostium, quærit ruinam.* Posteriorem verò partem laudatæ sententiæ convenire cum Versu XX. *Et qui vertit linguam, incidit in malum.*

Alexander, pag. 348. 349.

Frassen, pag 378.

Alios Textus in Hebræo non extare pariter observavi, nec in Paraphrasi Chaldaica, nec in plerisque Codicibus Latinis, sed in Vulgatam traductos esse Versione LXX. Interpretum. Idem tuli judicium de sententia illa quæ legitur Capit. XXV. v. XX. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Quam tamen laudari dixi a *S. Augustino Lib. XX. de Civitate Dei, Cap. IX.* utique ex Græco Textu LXX. Interpretum: extare in Chaldaica Paraphrasi, in Syriaca & Arabica Versionibus. *Unde*, inquiebam, *non est temere abjicienda.* Hæccine est, *F. Claudi Frassen!* illa quam mihi affingis consequentia; *Hi omnes Textus non habentur in Codicibus Hebrais, ideòque sunt expungendi?* Erubesce de tam indignis viro probo, Religioso, Doctore, calumniis, erubesce.

Quod verò observavi, Textus laudatos in Hebræo deesse, Hebraica Biblia demonstrant universa; Versiones *Santis Pagnini*, *Vatabli*, *Thomæ Malvendæ*, & aliorum confirmant. *Venerabilis Bedæ* & *Rabani Mauri* auctoritas, illos a Latinis Editionibus, quibus utebantur Anglicanæ & Germanicæ Ecclesiæ, abfuisse probat. Rabinorum trium, & *Rodolphi Bayni* in Proverbia Commentarii, ab Hebræo Textu abesse, pariter testantur.

Idem asserit *Mariana S. J.* in Scholiis Cap XVII. ad Vers. 16. scribens: *Quod sequitur*: Qui altam facit domum suam, *Hebr. non est, non est in Goth.*

th.

th. LXX. id habent. Et in Scholiis Cap. XVIII. ad vers. 8. *Quod sequitur*: Pigrum dejicit timor, *ex LXX sumptum, in Hebr. & Gotth. non extat, neque in Regiis in Vulgata*. Et ad Vers. 22. *Quod sequitur*: Qui expellit mulierem, *ex LXX. desumitur, Gotthica, Regia, Hebraa non habent, ac ne multi alii Vulgata Codices. Lovanienses obelo notant*.

Emmanuel Sa S. J. eadem observat in Annotationibus ad Vers. 16. Cap. XVII. *Hic Versus*, inquit, *solùm est in LXX.* Ad Vers. 8. Cap. XVIII. Timor, *scilicet laboris*. *Hic Versus sumptus est ex LXX. Ad* Vers. 22. Qui *expellit*, *&c. Hic Versus solùm est in LXX.*

Salazar S. J. eadem observat, in Vers. 16. Cap. XVII. *Qui altam facit domum suam*, &c. *Hac verba desiderantur in originibus. Itaque noster Interpres ex Textu LXX. in suam transtulit Editionem*. In Vers. 8. Cap. XVIII. *Pigrum*, &c. *Hic versus desideratur in Hebraico Textu; petitusque videtur ex Translatione LXX. Interpretum, qui (ut jam inde supra non semel docui) sæpiùs, cùm aliqua sententia in Hebræo anceps erat, & duplicem sensum capere poterat, utrumque expresserunt. Quod sanè hoc in loco præstitisse, mihi persuasum est. Nam sequens Versus ab hoc ferme non abit: Qui mollis est ac dissolutus, frater est sua opera dissipantis*. Hæc autem verba præfati Interpretes sic acceperunt: *Mollis*, id est, *piger*, *dissolutus est*, id *est*, *timore solvitur*: *frater est sua opera dissipantis*, id est, *bona sua evertit*, *& in maximas census angustias adducitur*. Septuaginta verò famem expresserunt, quæ decoctis facultatibus, pigris accidere solet. Ergo præmissam sententiam sic extulerunt. *Pigros consternat timor*, &c. Et ad Versum XXII. *Qui expellit*, &c. *Hac sententia abest ab originibus. Sed tamen occurrit apud LXX & inde a Vulgato Interprete petita est*.

Ante hos Auctores, Nota Marginalis Glossæ Ordinariæ: Qui altam, &c. *Hic Versus non est Hebr.* Pigrum, &c. *Hic Versus non est in Hebræo*, Qui expellit, &c. *Non est in Hebræo. Eadem observat Nicolaus Lyranus*.

Eadem observat *Jansenius*, post quem *Cornelius a Lapide* S. J. in Cap. XVII. Vers. 16. Qui altam facit domum suam, &c. *Hic Versus*, inquit, *deest in Hebræo, nisi quod in eo Vers. 19. habeatur*: Et qui exaltat ostium, quærit ruinam: *Unde hanc sententiam manasse censet Jansenius, sed noster eam transcripsit ex Septuaginta*. Ad Versum 8. Capitis XVIII. *Pigrum dejicit timor*, &c. *Hic Versus*, inquit, *non est in Hebræo, nec in Latinis Complutensibus, aliisque nonnullis. Extat tamen in Romanis. Transcriptus est ex Septuaginta, qui sequentem Versum Hebræum ancipitem, ut dupliciter verti possit, duplici sententia expresserunt*. Idem denique ad Versum 22. ejusdem Capitis: *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum*; ait: *Hic Versus non est in Hebræo, nec in Latinis Complutensibus. Transcriptus est ex Septuaginta, qui illum a priori versu per necessariam consequentiam eliciunt. Si enim mulier bona est bonum viri & familia, ergo qui ejicit eam, ejicit a se & a familia bonum*. Ex his omnibus evidens est, quàm imperitè, quàm invidiosè *Alexandri* Observationes in hæc Proverbiorum loca *Frassenus* reprehenderit.

ARTICULUS XXV.

Alexandri Observatio in Versum III. Capitis IV. Libri Sapientiæ defenditur adversùs Frassenum.

SEcundùm Vulgatam Versionem ibi legimus: *Multigena autem impiorum multitudo non erit* Alexand.
utilis: *& spuria vitulamina non dabunt radices* pag. 351.
altas, *nec stabile firmamentum collocabunt*. Circa hunc locum observavit Alexander, planiorem esse lectionem ac meliorem: *Et adulterinæ plantationes non dabunt radices altas*. Ita LXX. vertisse: *Sanctum Augustinum* hanc lectionem vindicare Lib. II. *De Doctrina Christiana*: Syriacam & Arabicam Versiones ei congruere: illamque XII. Exemplarium auctoritate, necnon *Lirani*, *Hugonis Cardinalis*, & *Dionysii Carthusiani* suffragiis a *Luca Brugensi* confirmari. Quid ad hæc Frassenus? *Vul-* Frassen.
gata hodierna lectionem esse perantiquam, & in pag. 379.
vetustissimis Codicibus haberi, Doctor Seraphicus observat. Quid tum? An ideò melior & planior lectio non est, quam *Sanctus Augustinus* vindicat? Nihil novi Doctor Seraphicus observavit, siquidem *Sanctus Augustinus* hoc mendum Codices penè omnes suo tempore occupasse testatur; & *Optatus Milevitanus* Lib. IV. *adversùs Parmenianum*, hanc profert sententiam iisdem verbis, quibus nunc in Vulgata nostra legitur. Sed mendi vetustas mendi labem ab ipso non aufert, si verè mendum est. An verò sphalma sit nec-ne, *ab ea lingua repetendum, ex qua interpretatum est quod habemus*: Juxtà Regulam a *Sancto Augustino* traditam Lib. XV. *De Civitate Dei* Cap. XVI. Sapientiæ librum ex Græco LXX. solùm habemus: Codices Græcos consulamus. In iis ita lego: καὶ ἐκ νόθων μοσχευμάτων οὐ δώσει ῥίζας εἰς βάθος. Id est, *Et ex spuriis plantationibus non dabit radicem in profundum*: sive ut habet Latina Versio in Sixtinis LXX. Interpretum Bibliis: *Et adulterinæ plantationes non dabunt radices altas*. Hanc itaque Versionem *planiorem esse ac meliorem* non immeritò dixi; maximè cùm Versiones Orientales, ut observavi, consentiant.

Syriaca: *Et qui e seminibus sunt peregrino radicem in profundum non edent*.

Arabica: *Et ex stolonibus adulterinis, haud immergetur alte radix*.

At, inquit *Frassenus*, vox Græca μόσχος, *non solùm vitulum, sed & pampinum, & viviradicem significat*. Esto. Sed hìc non pro vitulo, *Frassene*, sed pro viviradice seu planta tenera sumi, sequentia verba demonstrant: *Non dabunt radices altas*. Quod & sequens Versus confirmat: *Et si in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita, a vento commovebuntur, & a nimietate ventorum eradicabuntur*. Quamobrem observatio tua, nihili facienda est. Sed & ejus vanitatem ostendunt *Sanctus Augustinus*, *Liranus*, *Hugo Cardinalis*, *Dionysius Carthusianus* (ut d. *Vatablo*, *Clario*, *Roberto Stephano*, *Jansenio*, *Roberto Holkot*, *Emmanuele Sa*, aliisque viris eruditis taceam studio brevitatis) Hi, inquam, omnes legendum esse propugnant: *Et adulterinæ plantationes non dabunt radices altas*. Tres dumtaxat priores testes omni exceptione maiores adversùs te profero, eorumque verba adscribo.

Sanctus Augustinus lib. 2. *De Doctrina Christiana* Cap. XII. *Et alia quidem*, inquit, *non obscura, sed falsa sunt, quorum alia conditio est. Non enim intelligendos, sed emendandos tales Codices, potiùs præcipiendum est. Hinc est enim etiam illud, quoniam* μόσχος *Græcè vitulus dicitur*, μοσχεύματα *qui-*

dum non intellexerunt esse plantationes, & vitulamina interpretati sunt. Qui error tam multos Codices praeoccupavit, ut vix inveniatur aliter scriptum. Et tamen sententia manifestissima est, quia clarescit consequentibus verbis. Namque, Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, *convenientiùs dicitur quàm* vitulamina, *qua pedibus per terram gradiuntur, & non harent radicibus.*

In Glossa Ordinaria ita legitur:, *Et adulterina plantationes non dabunt radisec altas. Et S. Augustini* sententia ex lib. 1. De Doctrina Christiana profertur. Cui Versioni, & *S. Augustini*, auctoritati adhæsit *Liranus*. Tunc Biblia pleraque omnia sententiam illam iisdem verbis habuisse, testis est *S. Bonaventura* ita scribens: *Sed Augustinus dicit quod meliùs diceretur,* Adulterinæ plantationes. *Et propter hoc remansit in Textu,* Adulterinæ plantationes, *in novis Bibliis.*

Hugo Cardinalis legit: *Et adulterina plantationes non dabunt eadicer altas.* Idque sic interpretatur: *Et adulterina plantationes,* id est, *adulteri, qui malo exemplo plantant alios in peccato; vel, filii, id est, imitatores eorum, qui plantantur ab illis.* Non dabunt, &c. *Id est, non figent cogitationes suas ad desideria sursum in cælo, sicut faciunt boni, de quibus dicitur Jerem. 17. Erit quasi lignum quod transplantatum est super aquas, quod ad humorem mittet radices suas. Vel sic: Adulterina plantationes, id est, Hareticorum discipuli in errore plantati, non dabunt radices altas, id est, firmas; sed facilè eradicabiles.* Addo, Biblia MSS. Gotticis characteribus exarata in membranis exquisitis, quæ in hujusce Collegii Parisiensis FF. Prædicatorum Bibliotheca habentur, ita habere: *Et adulterina plantationes non dabunt radices altas.* Ad marginem verò legitur hæc annotatio, eadem, ut credo, manu: Alia habent: *Spuria vitulamina:* Sed MSS. vetera habent: *Adulterina plantationes.*

Bene tamen est, *Frassene!* quod tui velut oblitus, ibidem contra te ipsum scribas, *Nondum mendas omnes ab Editione Vulgata esse sublatas.* Quid verò aliud asserit *Alexander* in ea, quam impugnas, Dissertatione? At, inquis, *cùm hanc lectionem ut authenticam comprobaverit Concilium Tridentinum, confirmando Editionem Vulgatam, emacsque illius Textus, qui auctoritate Ecclesia & Summorum Pontificum non essent emendati, nulli Catholico eam rejicere fas est, donec aliter Ecclesia statuerit.* Id omnino propugnavit *Alexander* in ea Dissertatione quam impugnas, pag. 309. 310. & 382. Tuam igitur destruis ipse sententiam, dum *Alexandrum* bili tam atra insectaris ac mordes. Aut, si verè loqui volumus, nescis quid impugnes, dum contra te ipsum pugnas.

ARTICULUS XXVI.

Alexandei Observatio in Versum XVII. Capitis XII. Sapientia defenditur.

Alexander, pag. 352.

VErsus iste in Vulgata Versione sic legitur: *Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus, & horum, qui te nesciunt, audaciam traducis.* Observavit *Alexander* legendum esse, *Et horum qui sciunt.* Ita LXX. vertisse: *Et in his qui sciunt audaciam traducis.* Sanctum Augustinum lib. LXXXIII. Quæstionum, Quæst. LIII. legisse: *Sed in iis qui sciunt, audaciam traducis.* Syriacam Versionem consentire, quæ sic habet: *Quos nosti, vehementer redarguis:* Necnon Arabicam, quæ sic Latine redditur. *Declaras enim robur tuum his qui plenitudinem potentia tua minimè credunt: inter eos autem qui norunt illum, audaciam eorum redarguis.* Plures Vulgatæ Codices hanc lectionem habere, *Et horum qui sciunt,* ex quibus *Lucas Brugensis* eam restituendam censuit. Addo, *Rabanum* lib. 11. Commentar. cap. XIII. ita hanc proferre sententiam: *Et hos qui sciunt, audaciam traducis.* Omitto recentiores, quos inter *Holkot* doctissimus Dominicanus vertit: *Et in scientibus audaciam arguis.*

Claudius Frassen Observationem hancce nostram impugnans, pessimæ fidei pro more specimen præbet: *Lucas Brugensis,* inquit, *& ejus vestigiis insistens Natalis Alexander, Textum hunc arguunt, quòd Vulgatus Interpres scripserit,* nesciunt, *pro* sciunt. Frassen. pag. 382.

Hallucinaris, *Frassene!* Vulgatum Interpretem non arguo, nec ipsum vertisse existimo, *Et horum qui te nesciunt,* sed *qui te sciunt,* Librariorum autem & Scribarum imperitiâ, *nesciunt,* pro *sciunt,* irrepsisse: Id quippe vertit, quod in Græco Textu legit. At in Græco Textu legit: καὶ ἐν τοῖς εἰδόσι τὸ θράσος ἐξελέγχεις id est, *In scientibus audaciam traducis,* sive *redarguis.* Non dubium ipsum vertisse, quod in Veteri Versione, quæ & *Itala* nuncupata est, legit, quam *verborum tenaciorem cum perspicuitate sententia* prædicat *Sanctus Augustinus.* At in Versione illa Veteri legebatur, *Et in his qui sciunt.* Dubium non est ipsum vertisse, quod *Rabanus Maurus* legebat: *Qui sciunt.*

Respondet *Frassenus,* Vulgatum Interpretem in antiquioribus Codicibus haud dubiè legisse *ràx, non.* Unde id probas, vir bone? Profer veteres Codices Græcos, qui negationem habeant. Profer Patrum testimonia. Nihil dicis, nihil habes, & tibi fidem adhibendam putas, quia confidenter dicis illa tua gravitate: *Haud dubiè.* Si excidisset negatio, ab aliquibus Codicibus excidisset, non facilè ab omnibus. At nulla est in Græcis varietas.

Frassenus ait, posse utramque lectionem conciliari dicendo, impios novisse quidem Dei potentiam *speculativè,* non verò *practicè.* O virum subtilem, qui Philosophica distinctiuncula non modò repugnantes in speciem Scripturæ Textus, sed negationem cum affirmatione in eadem sententia conciliare possit. Quamquam extra oleas saltas, *Frassene!* Quæstio enim non est utrùm conciliari utraque lectio possit, sed utra sit melior, & vera lectio Vulgatæ nostræ. Hunc Articulum absolvo doctissimi viri *Flaminii Nobilii* Observatione, hanc sententiam, *Et in his qui sciunt, audaciam traducis,* exponentis in Scholiis Editionis Sixtinæ LXX. Interpretum. *Sententia videtur esse,* inquit, *aut inter eos, id est, in conspectu eorum qui sciunt, redargui audaciam ignorantium: Aut eorum qui sciunt voluntatem Domini, & non faciunt, audaciam puniri. Codices Bibliorum valde discrepant, & inter se, & a Græcis.*

ARTICULUS XXVII.

Alexandei Observatio in Versum XVI. Capitis I. Lib. Ecclesiastici vindicatur.

IN Vulgata legimus hoc loco: *Initium Sapientia timor Domini, & cum fidelibus in vulva concreatus est, cum electis feminis graditur, & cum justis & fidelibus agnoscitur.* Legendum esse conjiciebam, *Cum electis feminis graditur.* Hujus conje-

jecturæ fundamentum est Versio LXX. Interpretum, quæ sic habet: *Initium Sapientiæ timere Deum, & cum fidelibus in vulva concreatum est eis; Et cum hominibus fundamentum seculi nidificavit; & cum semine eorum concredetur.* Quæ postrema pars Versus Græcè sic exprimitur: *μετὰ τοῦ σπέρματος αὐτῶν ἐμπιστευθήσεται.* Quem in locum doctissimus *Nobilius* in Scholiis Sixtinæ Editionis ita observat: *Hæc sententia in Latinis non est, sed alia loco hujus, quæ vicissim non est in Græcis:* Et cum electis fœminis graditur, & cum justis & fidelibus agnoscitur. *Nisi hæc putemus illius explicationem. Quod fortasse non absurdè putaretur, si pro* fœminis *legeretur*, seminis.

Ita legendum suadet etiam Syriaca Versio: *Cum hominibus veritatis est & ipse a sæculo ordinatus: cum semine eorum constituta est misericordia ejus.*

Idem suadet Arabica: *Et ipsa est cum incidentibus in beneplacito Domini sui, firmata ante sæcula, & cum semine bonorum excellentia illius.*

Frassen. pag. 380. At, *inquit Frassenus*, præ cœteris probanda est „ lectio Editionis Vulgatæ, tum quòd eam suo „ Decreto firmaverit Concilium Tridentinum, & „ eam intactam reliquerint hujus Editionis Cor„ rectores: tum quod ad mentem Ecclesiastici pro„ piùs collimare videatur: ne quis enim fortè „ existimaret, mulieres a divinæ sapientiæ mu„ nere excludi, subjicit, *Et cum electis fœminis* „ *graditur*: ut ostenderet non solùm viros, sed „ etiam fœminas hoc divino munere donari.

Miserum in modum ratiocinaris, *Frassene*. Editionem Vulgatam ita probatam esse a Concilio Tridentino, ut cæteris Versionibus Latinis duntaxat, non Hebræis Græcisque fontibus anteponatur, luculenter probavimus. Non ita probatam, ut nullis mendis inspersa sit, demonstravimus, & res per se clara est: siquidem & ipsa Synodus statuit ut *quàm emendatissimè imprimatur*: Et Summi Pontifices *Sixtus V.* & *Clemens VIII.* eam emendari curarunt. Nec tamen post solemnem illam correctionem a mendis omnino immunem pronuntiarunt. Imò *Bellarminus* Correctorum unus, & Præfatio Bibliis sic emendatis præfixa, approbante *Clemente VIII.* non omnia esse emendata testantur. Quale ergo rationis deliquium est, Vulgatam in iis etiam locis, in quibus adhuc in mendo cubare probatur, quod a fontibus dissideat, hoc uno argumento asserere a mendo immunem, quòd a Concilio Tridentino sit approbata? Sanè si temporibus *Sixti V.* & *Clementis VIII.* vixisset *Frassenus* aliquis, Pontifices illos a suscepta Bibliorum emendatione Achilleo isto argumento deterruisset: Vulgata Editio Concilii Tridentini Decreto firmata est: nihil ergo est in illa emendandum.

Quod verò addit Biblicus Disquisitor, Ecclesiasticum scripsisse, *Et cùm electis fœminis graditur*, ne quis existimaret mulieres a divinæ sapientiæ munere excludi, æquè ejus ingenio dignum. Quasi verò fœminæ in electo semine fidelium & justorum æquè non censeantur ac viri; & minùs conveniat fœminis ista lectio: *Et cum electis feminis graditur*, quàm nostra, *Et cum electis fœminis*: Addiderim, quòd *Rabanus*, qui postremam istam lectionem secutus est, devoto fœmineo sexui hanc sententiam non accommodavit, nec propter illum a *Jesu Sirach* prolatam commentus est, sed propter quaslibet animas sanctas. *Hic*, inquit, *cum Fidelibus in vulva matris Ecclesiæ renatus atque nutritus est: & cum electis fœminis graditur, quia sanctis animabus sociatur.*

Sanctum Hieronymum non vertisse *cum electis fœminis*, sed *Cum electis seminis*, verisimillimum est. Siquidem eam sententiam non omisisset ad sui, muliebrisque sexûs defensionem, *Epist. CXL. ad Principiam* Virginem illustrissimam. Ipsi quippe obtrectabant æmuli, quod sæpius ad fœminas scriberet, easque maribus præferret, cui accusationi ut responderet, devoti sexus commendationem præmittit elegantissimam & uberrimam ex Scripturis Sacris petitam. *Si viri*, inquit, *de Scripturis quærerent, mulieribus non loquerer. Si
Barach ire ad prælium voluisset, Debbora de victis
hostibus non triumphasset. Jeremias carcere clauditur: Judic. 5.
& quia periturus Israël virum non receperat Jerem. 36.
prophetantem, Olda ejus mulier suscitatur. Sacer- 4. Reg. 22.
dotes & Pharisæi crucifigunt Filium Dei: & Maria Magdalene plorat ad Crucem, unguenta parat, Matth. 27.
quærit in tumulo, Hortulanum interrogat, Dominum Marci 16.
recognoscit, pergit ad Apostolos, repertum nuntiat; Joan. 20.
illi dubitant, ista confidit. Verè πύργινος, verè tur- Cantic. 7.
ris candoris & Libani, quæ prospicit faciem Damasci, Sanguinem videlicet Salvatoris, ad sacci
pœnitentiam provocantem. Defecerant Saræ mulie- Genes. 18.
bria & ideò Abrahæ ei subjicitur, & dicitur ad
eum*: Omnia quæ dicet tibi Sara, audi vocem ejus. *Illi defecerant muliebria: tu numquam habuisti muliebria. Sexus devoratur a Virgine, Christum portat in corpore. Jam possidet quod futura est. Rebecca pergit ad interrogandum Deum, & sua responsione condigna audit oracula*: Duæ gentes in utero tuo, & duo populi de ventre tuo dividen-
tur. *Illa duas generat dissidentes: Tu unam quoti- Genes. 25.
die concipis, parturis, generas, unionem secundum majestate multiplicem, Trinitate concordem. Maria soror Moysi victorias Domini canit, & Rachel Be-
thlem nostram atque Ephratam stirpe nominis sui Exod. 15.
signat in posteros. Filiæ Salphaad hæreditatem inter Genes. 35.
fratres merentur accipere. Ruth, & Esther, & Ju- Num. 27.
dith, tanta gloria sunt, ut Sacris Voluminibus nomina indiderint. Anna Prophetissa generat Filium Levitam, Prophetam, Judicem, sacro crine venerabilem, & offert eum in Tabernaculum Dei. The- 1. Reg. 1.
cuites mulier Regem David interrogatione conclu- 2.
dit, ænigmate docet, exemplo Dei mitigat. Legi- 2. Reg.
mus & aliam sapientem fœminam, quæ, cùm ob- 14.
sideretur civitas, & propter unum perduellem, Dux 2. Reg.
exercitus Joab muros ariete quateret, locuta est ad 20.
populum in sapientia sua, & tanta multitudinis periculum muliebri auctoritate sedavit. Quid loquar de Regina Saba, quæ venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & testimonio Domini condemnatura est omnes viros Hierusalem? Elisabeth verò prophetat & voce. Anna filia Phanuelis in templo templum efficitur Dei, & quotidiano jejunio cœlestem invenit panem. Sequuntur mulieres Salvatorem, & ministrant ei de substantia sua. Ille qui de quinque panibus quinque millia hominum, exceptis mulieribus & parvulis alit, escas sanctarum mulierum non recusat accipere. Cum Samaritana loquitur ad puteum, & saturatus conversione credentis, cibos, qui coëmpti fuerant, negligit. Apollo, virum Apostolicum, & in lege doctissimum, Aquilla & Priscilla erudiunt, & instruunt eum de via Domini. Si doceri a fœmina non fuit turpe Apostolo: mihi quare turpe sit post viros docere & fœminas?* Si *Sanctus Hieronymus* agnovisset Jesum Filium Sirach de Sapientia scripsisse in lib. Ecclesiastici, *Et cum electis feminis graditur*, ne quis existimaret mulieres a divinæ sapientiæ munere excludi; hanc sententiam non neglexisset eo loco ad devoti sexus commendationem. Quæ conjectura sanè non infirma est.

AR.

ARTICULUS XXVIII.

Observatio Alexandri in Versum XV. & XIV. Capitis XI. Ecclesiastici propugnatur.

VUlgata nostra hoc loco ita habet: *Sapientia & disciplina, & scientia legis apud Deum. Dilectio & via bonorum apud ipsum. Error & tenebra peccatoribus concreata sunt: Qui autem exultant in malis, consenescunt in malo.* Hos versus in LXX. deesse observavi, deesse in Vulgatæ Versionis antiquissimis Codicibus MSS. plusquam triginta a doctissimo Cardinali *Sirleto*, ab *Hentenio*, a *Luca Brugensi* collatis. A *Rabano*, *Lyrano*, & *Dionysio Carthusiano* non agnosci.

Frassenus solita calumniandi libidine scribit:
Frassen. pag. 381. *Duos istos Versus expungendos censet Natalis Alexander.* Ita verò non scripsi, sed: *Expungi possent auctoritate Ecclesia ista sententia.* Nemo autem non videt quantùm ab ista propositione differat illa quam mihi vir tam ingenuus *Claudius Frassen* affingit: *Expungendi sunt.* Auctoritatem Summi cujusque Pontificis tantam esse agnosco in Sacrorum Bibliorum emendatione, quanta fuit *Sixti V.* & *Clementis 8.* Nec id opinor aliquis Catholicus, vel *Frassenus* ipse, diffiteri potest: Si igitur ipsis visum fuerit novam Editionis Vulgatæ emendationem decernere, nonne poterunt ea verba vel sententias, quæ in primitivis Codicibus, & plerisque Latinis non habentur, expungere, vel retinere, ut ipsis Spiritus Sanctus, post diligentissimam collationem, & momentorum omnium accuratissimum examen, afflaverit? Illos autem Regulas a SS. Hieronymo & Augustino traditas secuturos minimè dubium est, ut scilicet *Ei linguæ potiùs credatur, unde est in aliam per Interpretes facta translatio.* Ponamus igitur quòd librum Ecclesiastici recognoscant, qui Hebraicè non habetur, credere est ipsos Versionem nostram cum Græco Textu collaturos. Porrò in Codicibus Græcis melioris notæ non extant Versus de quibus agimus, nec eos *Rabanus*, *Lyranus*, & *Dionysius Carthusianus* in Editionis Vulgatæ antiquis Codicibus legerunt. Si ergo hæc momenta ipsis persuadeant hos Versus esse expungendos, nonne summa, qua jure divino pollent, auctoritate, ipsos expungere poterunt, ut *Sixtus V.* & *Clemens VIII.* nonnulla expunxere?

At, inquit *Frassenus*, hæc omnia non sunt tanti ponderis, cùm Codices Græci Complutenses Versus illos integros habeant, & Vaticanus Codex posteriorem. De Codice Vaticano falleris, *Frassene!* hallucinationem tuam probabunt, quicumque Sixtinam Editionem LXX. Interpretum consulent, quæ sic habet: *Bona & mala vita & mors, paupertas & honestas a Domino sunt.* Statimque Versum illum subdit, qui in Vulgata nostra decimus-septimus est: *Datio Domini permanet piis: & beneplacitum ejus bonos semper successus habebit in æternum.* Desunt etiam illi Versus in Exemplaribus Germanico, Aldino, & aliis. Addo, antiquissima Biblia MSS. Versionis Vulgatæ, Gotthicis characteribus elegantissimis exarata, quæ habemus præ manibus in hocce FF. Prædicatorum majori Conventu, hos Versus ductâ subter lineâ rubricatâ addititios significare, & hanc annotationem ad marginem habere, eadem ut videtur manu: *Ra. An. Glo.* id est Rabanus, Antiqui, Glossa, *non habent.*

ARTICULUS XXIX.

Observatio Alexandri in Versum X. Capitis XIV. Ecclesiastici propugnatur.

HOc loco secundùm Vulgatam nostram legimus: *Oculus malus ad mala, & non satiabitur pane, sed indigens, & in tristitia erit super mensam suam.* Observavi hanc Versionem Græco Textui non respondere, secundùm quem ita vertendum, ut in Sixtinis Bibliis LXX. Interpretum legitur: *Oculus malus invidus in pane, & egenus super mensam suam.* Græcè Ὀφθαλμὸς πονηρὸς
φθονερὸς ἐπ' ἄρτῳ, καὶ ἐλλιπὴς ἐπὶ τῆς τραπέζης αὐτοῦ. Fatetur *Frassenus* Vulgatam nostram Textum Græcum Frassen. pag. 382.
e verbo ad verbum non exprimere, ex eo tamen facilè elici ait; quia πονηρὸς secundùm vim propriam significat omne quod ad malum proclive est, ac subinde quod est malum ad malum. Quid tibi vis, *Frassene?* Nonne vox ista πονηρὸς malum seu improbum significat, vel proclivem ad malum? Nonne malus & ad malum proclivis idem sunt? An aliquis malus est ad bonum? cur ergo utramque interpretationem a Vulgato Interprete conjunctam esse contendis? Hæc de primo. Quod secundum spectat, scilicet hæc verba: *Et in tristitia erit super mensam suam:* Ita censet Frassenus: *Gratissimè dicitur ea in Editione Latina superfluere.* (Ab adverbio *gratis* suum illud *gratissimè* derivat vir Latinissimus.) Cur verò gratis dicitur hæc in Editione Vulgata abundare? Quia, inquit, Græci Codices habent καὶ ἐλλιπὴς ἐπὶ τῆς τραπέζης αὐτοῦ. Inde verò contra te probo verba Vulgatæ nostræ Græco non respondere, & abundare hancce clausulam, *Et in tristitia erit.* Siquidem Græca solùm significant: *Et indigens super mensa sua:* De tristitia nihil habent. At, inquis, sunt Codices in quibus legitur ἐν λύπῃ, *in tristitia.* Id quoque observaveram: sed Codices qui habent ἐν λύπῃ, *in tristitia*, non habent ἐλλιπὴς, *indigens.* Quamobrem alterutrum redundare videtur. Reponis Vulgatum Interpretem utrumque legisse, & vertisse, *Indigens & in tristitia erit*, quia hæc duo sunt connexa. Verùm de connexione quæstio non est, *Frassene!* Alterutra dumtaxat harum interpretationum ex Græco est expressa. Si utramque jungas non simplex Versio, sed Paraphrasis erit. Nonne verisimilius est, quod ex *Jansenio* Gandavensi Episcopo observavi, duas Interpretationes ex Græca lectione diversa profectas, non ab ipso Vulgato Interprete, sed ab aliquo Sciolo, in unam conjunctas fuisse? Maximè cùm *Rabanus* tantùm legat: *Et indigens erit super mensam suam;* nec habeat, *in tristitia*, sicut nec Codex *Bessarionis*, nisi in margine aliena manu additum. Ita quidem *Jansenius* observat. Fatendum tamen est in Editione Coloniensi *Rabani*, anni MDCXXVI. hunc Textum eodem modo legi ac in Vulgata nostra: *Oculus malus ad mala, & non satiabitur pane; sed indigens & in tristitia erit super mensam suam.* Sed ab iis qui Editionem illam curarunt, has voces, *Et in tristitia*, additas esse, constat tum ex *Jansenio* probatæ fidei Auctore, qui multis annis ante illam Editionem scripsit, tum ex *Rabani* Commentario, in quo singulas Versus laudati partes explicat, non istam. *Oculum*, inquit, *hic appellat intentionem mentis, per quam malus homo semper vergit ad mala, perversa scilicet opera faciendo, & perpetrando gravia peccata. Hic non satiabitur pane vita, sed in remuneratione futura indigentiâ laborabit perpetuâ. Mysticè autem Hereticorum oculus, quia semper ad errores sequendos inten-*

ten-

tentus est, panem cœlestem; hoc est intellectum divinæ sapientiæ non meretur: sed in mensa sacrarum Scripturarum, indigentia tenuatur sempiterna. Id notare fuit operæ-pretium.

ARTICULUS XXX.

Observatio Alexandri in Versum XII. Capitis XXXVII. Ecclesiastici vindicatur.

VUlgatæ nostræ Textus ibi sic habet: *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum injusto de justitia, & cum muliere de ea qua æmulatur: cum timido de bello, cum negotiatore de trajectione, cum emptore de venditione, cum viro livido de gratiis agendis, cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum operario agrario de omni opere, cum operario annuali de consummatione anni, cum servo pigro de multa operatione: Non attendas his in omni consilio.* Observavi hanc lectionem videri mendosam & pugnantia involventem; quia si ab his non est accipiendum consilium, neque cum illis his de rebus deliberandum est. Versionem nostram hic non respondere Textui Græco LXX. Interpretum: qui sic habet Μὴ βουλεύου μετὰ τοῦ ὑποβλεπομένου σε, καὶ ἀπὸ τῶν ζηλούντων σε κρύψον βουλήν. Id est: *Noli consiliari cum eo qui te suspectum habet, & a zelantibus te absconde consilium,* &c.

Mendi suspicionem auget lectionis varietas in ipsis Vulgatæ Versionis Codicibus. Ita enim legit Rabanus: *Cum viro religioso tracta de sanctitate, & cum injusto de justitia noli consiliari, & cum muliere de ea qua æmulatur*, &c. *Non attendas his in omni consilio.* Quæ lectio, inquit Jansenius; *convenientior est, & Græcis magis consentiens.*

Frassenus, postquam Commentarium *Cornelii a Lapide* exscripsit, tandem eò confugit ut dicat cum *Lyrano*, sententiam illam accipiendam esse ironicè, ut & sequentes Versus: Quia non est novum & insolitum Scriptores Sacros ironiam usurpare, & varia ironicæ locutionis exempla in Scriptura Sacra proferunt & observant Patres & Interpretes. *Sic ironicè volunt Deum Adami superbiam & lapsum arguens dixisse, Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* (Ita Latinè loquitur *Frassenus*, vir Latinè Hebræus, Græcè Latinus, Hebraicè Græcus, barbarè, inquinatè, putidè ἑτερόγλωττος. *Volunt Deum Adami superbiam arguens dixisse.*) Sed ne solœcorum ejus & barbarismorum aucupes videamur, sermonis illius vitia prætermittimus, ut in res ipsas intendamus. Non negaverim unum aut alterum proferri posse Scripturæ Sacræ locum, in quo ironicam locutionem Interpretes observaverint. Sed eandem sententiam simpliciter & ironicè efferri, novum & insolitum est. Et sanè si eandem sententiæ pars una ironicè, altera secundùm literam explicari posset, evertendo Scripturæ Sacræ legitimo sensui aperiretur via. Si quidem dubium esse posset, quænam secundùm literam, quænam secundùm ironiam effet intelligenda. Cùm itaque ironicè non sint intelligenda hæc verba Ecclesiastici: *Non attendas his in omni consilio. Sed cum viro sancto assiduus esto*; Minùs verisimile est Siracidem Spiritu Sancto afflante, ironiam in aliis ejusdem sententiæ partibus usurpasse; Sed potiùs credere par est ipsum scripsisse, ut in LXX. Interpretum Versione legimus, vel ut in Bibliis Vulgatæ Versionis Rabani tempore habebatur: *Cum viro religioso tracta de sanctitate, & cum injusto de justitia noli consiliari*, &c. Sanè ea lectio meliùs convenit cum tribus Versibus præcedentibus, in quibus ironiam nemo sanæ mentis comminisceretur: *A consiliario serva animam tuam. Priùs scito quæ sit illius necessitas; & ipse enim animo suo cogitabit; ne fortè mittat sudem in terram, & dicat tibi: Bona est via tua; & stet e contrario videre quid tibi eveniat.*

Præterea, in præceptis vel consiliis quæ ad vitam sapienter & sanctè instituendam pertinent, ironicam locutionem comminisci absurdum est. *Quicquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognoscas*: (inquit Sanctus Augustinus lib. III. *De Doctrina Christiana*, Cap. X.) *Si præceptiva locutio est, aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem jubens, non est figurata*, (loquit ibidem Cap. XV.) Cùm itaque Siracidis institutum eo in loco, quem tractamus, esset docere quinam homines in consilium sint adhibendi, & quibus instructi dotibus esse debeant ut rectum prudensque ab iis accipiamus consilium; quinam verò sint cum quibus de rebus gerendis deliberare non debemus: quod rerum bene agendarum caput est: non est verisimile quòd in re tanti momenti locutionem ironicam usurpârit.

ARTICULUS XXXI.

Observatio Alexandri in Versum IX. Capitis V. Isaiæ, vindicatur a Criticis Frassenii.

IN Vulgata Versione hunc Versum ita legimus: *In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum.* Alexandri Observationem hunc in locum *Frassenus* his verbis insectatur; *Vulgatum Interpretem hîc arguit Lucas Brugensis, & ex eo Natalis Alexander, quòd Propheta mentem & sensum non videatur assecutus.* Ita-ne calamum tuum scribendis mendaciis putidisque calumniis acuisti, quem uni veritati consecrare debueras, *Frassene Frater?* Nequaquam ita scripsi, ut imponis: sed, *Sanctum Hieronymum vertisse convenientiùs Hebræo*: In auribus meis sunt hæc Domini Exercituum. *Illum Hujus Versionis sua rationem reddere in hunc locum*, observavi. S. Hieronymi verba quæ indicare satis habui, nunc adscribo. *Pro eo quod nos juxta Hebraicum vertimus*: In auribus meis sunt hæc Domini exercituum; *Id est, verba quæ locutus est Dominus, adhuc resonant in auribus meis: LXX. transtulerunt*: Audita sunt hæc in auribus Domini Sabaoth: *Non quod Propheta verba Domini audierit, sed in auribus Domini audita sint, quæ Propheta dicturus est. Cùm consequentius sit intelligere, audisse Prophetam quæ Dominus sit locutus. Dominus autem, locutus est, quòd post captivitatem, domus magnæ atque pulcherrimæ, deserta futuræ sint, non habentes habitatorem.* Addidi, Haimonem Halberstatensem, & Hugonem Cardinalem, *Versionem Sancti Hieronymi secutos esse. Hanc adstruere antiqua & probata MSS. circiter viginti quatuor, inter quæ illi numerantur Codices, quibus olim FF. Prædicatores in Galliis, & quibus Parisienses Theologi in Sacrorum Bibliorum emendatione usi sunt. Mendosam esse itaque hoc in loco Vulgatam nostram, & restituendam lectionem Sancti Hieronymi.* Id-ne est Vulgatum Interpretem arguere, quòd Prophetæ mentem & sensum non sit assecutus, ut mihi tam invercundè affingis? Nemo qui Observationem meam legit, non videt me Vulgatum Interpretem non arguere, siquidem in Codicibus Vulgatæ Versionis tam multis, & inter alios in MS. antiquissimo Gotticis literis eleganter exarato, quem penès nos habemus in nostra majori bibliotheca Conventus Parisiensis FF. Prædicat. Bibliotheca; & apud *Haymonem*, ac *Hugonem Cardinalem*,

Frassen, pag. 383. & 384.

* Alexander, pag. 354.

qui

qui Vulgatam sequuntur, lectio *Sancti Hieronymi* habetur. Cùm autem mendum aliquod in plurimis Codicibus MSS. non habetur verisimile est non ex Interpretis errore, sed vitio & hallucinatione exscriptorum, aut alicujus sciolis oscitantia in alios irrepsisse. Totum igitur *Alexandri* crimen in eo positum est, quòd *Sanctum Hieronymum* secutus sit. Istud verò crimen est, cujus eum non pœnitebit usquam, & veniam tamen ab Ecclesia obtinebit.

Respondet *Feassenus*, plurimùm deferendum sententiæ *Sancti Hieronymi*, propterea tamen non esse abjiciendam LXX. Interpretum, & Vulgatæ lectionem. Nugaris, *Feassene*; contendo Vulgatæ nostræ sinceram & incorruptam lectionem eam esse quam *Sanctus Hieronymus* ex Hebræo expressit: *In auribus meis sunt hæc Domini exercituum*. Et hanc Versionem sequendam non esse probas, quia Vulgatæ Editionis lectio non est abjicienda. Quale judicium! quale ratiocinium! Quod spectat Versionem LXX. Interpretum, licèt venerationem mereatur, maximè cum eam hoc loco secuti sint
Epist. 28. Græci Patres, *Basilius*, *Chrysostomus*, *Cyrillus Alexandrinus*; eam Hebraicæ Veritati anteponendam esse nego. A S. enim *Hieronymo* didici, *Veterum librorum fidem de Hebrais Voluminibus examinandam*. Sanè si Versio LXX. Interpretum sequenda est, cùm ab Hebræo dissidet, inutilis fuit *Sancti Hieronymi* labor, inutilis Vulgata Versio. Præterea, cùm variant Vulgatæ Editionis Codices, quis non eam lectionem potiùs approbet, quæ *Sancti Hieronymi* est, Versionis Vulgatæ maximam partem Auctoris?

At, inquit *Frassenus*, tametsi Hebraicè non sit verbum, *dicit*, sed tantùm, *Beaznai Adonai Tzebaoth*, id est, *In auribus meis Dominus exercituum*, nihilominus subaudiendum verbum, *dicit*, ideòque hanc auditionem ad Deum referendam, idque contestari vulgò Interpretes cum *Pagnino* sic vertente: *In auribus meis sunt, dicit Dominus exercituum*. Unde verò id subaudiendum auguraris, *Sancto Hieronymo* repugnante? Num ipso perspicaciorem te putas? *Sanctis Pagnini* Versionem modò laudas, modò rejicis, ut tibi lubet. Eam Capite sequenti deprimis ac floccipendis quantùm potes, ibi Versioni *Sancti Hieronymi* anteponis, Camæleonti similis, qui *Mutare totus, nec aliud novit*, ut *Tertullianus* loquitur. Ego verò quamquam *Pagnino* nostro plurimùm tribuam, ipsum longo infra Sanctum Hieronymum intervallo colloco, &, si ab eo dissentiat, relinquendum existimo: ac mecum (ut opinor) eruditi omnes censebunt. Tandem Chaldaica Paraphrasis cum *Sancti Hieronymi* Versione convenit; sic enim habet: *In auribus meis audivi, siquidem decretum est hoc a facie Domini exercituum*. Congruit & Syriaca versio, quæ sic habet: *Auribus meis auditus est Dominus potens dicere*, &c.

ARTICULUS XXXII.

Observatio Alexandri in Versum XIV. Capitis VII. Isaiæ vindicatur.

Alexander pag. 355. LEgimus hic in Vulgata nostra: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Observavit *Alexander*, mendum esse in verbo *Vocabitur*. Legendum esse, *Vocabis*, ut constat ex *Sancto Hieronymo*, quia, ita vertit post LXX. Interpretes, *Aquilam, Theodotionem, & Symmachum*; eamque lectionem confirmari auctoritate Manuscriptorum præstantissimorum a *Luca Brugensi* laudatorum.

Et revera Hebræus ita habet: *Vocabis nomen ejus Hemmanuel*. Hebr. *Vekarath*. *Vocabis*. LXX. *Vocabis nomen ejus Emmanuel*. Græcè καλέσεις *Vocabis*.

Sanctus Irenæus Lib. III. *adversùs Hæreses*, Cap. XXVI. legit: *Ecce Virgo in ventre accipiet, & pariet filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel*.

Origenes Homilia II. in Isaiam, legit: *Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel*. Quæ verba sic exponit: *Veritas Exemplarium Propheta hujus dicit*, Vocabis. *In Matthæo porrò scimus lectitari*: Et vocabitur nomen ejus Emmanuel. *Non possumus dicere, quia oporteat minùs aliquid facere de Propheta. Quomodo verò Evangelium hanc habet Scripturam? Utrùm ab aliquo non intelligente, & ad faciliora currente, quomodo & in aliis multis factum: utrùm sic a principio dicat forsitan aliquis editum esse Evangelium; qui vult deliberet. Propheta quidem manifestè habet*: Et vocabis nomen ejus Emmanuel. *Novi quemdam in exordio Scripturarum Evangelii legentem*: Et vocabis nomen ejus Emmanuel, *dixisse intra seipsum: Quid est, vocabis? Quis vocabit? Achaz? Et quomodo potuit Achaz de Salvatore, qui post generationes multas venit, audire*, Vocabis nomen ejus Emmanuel? *Atque ita pro eo quod est* Vocabis, *scripsisse*, Vocabitur. *Sed vide quia non Achaz dicitur*. Et vocabis nomen ejus Emmanuel. *Sed domui David vide manifestè dictum*: Audite ergo domus David: Numquid modicum vobis est præstare certamen hominibus? & quomodo Domino præstatis certamen? Ideò dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel. *Sed quando itaque non intelligimus hoc quod dictum est, nihil ex eo minùs faciamus, neque ad faciliora curramus, sed expectemus donec gratia Dei subjiciat nobis per illuminationem scientiæ illuminationem quæstionis*.

Ad hanc lectionem prope accedit ea qua *Tertullianus* & *Sanctus Cyprianus* lib. *contra Judæos* usi sunt: *Et vocabitis nomen ejus Emmanuel*; quod ad domum David refertur, ad quam Propheta ait: *Audite ergo domus David*. Sanctus idem *Cyprianus* Epist. IX. legit, *Et vocabit*, quod refertur ad Virginem.

Sanctus Basilius Magnus legit: *Et vocabis nomen ejus Emmanuelem*.

Sanctus Hieronymus ita vertit: *Et vocabis nomen ejus Emmanuel*. & LXX. tresque reliquos, scilicet *Aquilam, Symmachum, Theodotionem*, ita vertisse testatur. *Quod sequitur*, inquit, Et vocabis nomen ejus Emmanuel: *LXX. & tres reliqui similiter transtulerunt: pro quo in Matthæo scriptum est*, Vocabunt: *Quod in Hebræo non habetur. Ergo iste Puer qui nascetur ex Virgine, o Domus David! nunc a te appelletur Emmanuel, id est, Nobiscum Deus: quia rebus ipsis probabis a duobus inimicis Regibus liberata, Deum te habere præsentem: Et qui postea vocabitur Jesus, id est, Salvator, eò quòd universum hominum genus salvaturus sit, nunc a te Emmanuelis appelletur vocabulo. Verbum* Vakarath, *quod omnes interpretati sunt*, Et vocabis, *potest intelligi*, Et vocabit: *quòd ipsa scilicet Virgo, quæ concipiet & pariet, hoc Christum appellatura sit nomine. In multis testimoniis quæ Evangelistæ vel Apostoli de libris veteribus assumpserunt, curiosiùs attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum. Unde & in præsenti loco, pro* Concipiet in utero, *Matthæus posuit*, In utero habebit: *Et pro* Vocabis, Vocabunt. Idem legatur Epist. centesima prima. *De optimo genere interpretandi*.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus legit: καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ *Et vocabis nomen ejus Emma-*

ma-

manuel. Unde perperam habet Latina versio Cyrilli: Et vocabunt nomen ejus Emmanuel.

Biblia MSS. venerandę antiquitatis, Gotticis literis eleganter exarata, quæ in Bibliotheca hujusce majoris Conventus Parisiensis FF. Prædicatorum extant, hanc lectionem habent: *Et vocabis nomen ejus Emmanuel.*

S. Thomas in Commentario: *Vocabit, scilicet Virgo, vel, Vocabis, tu Juda! in periculis, nomen ejus Emmanuel: quod est interpretatum, Nobiscum Deus.*

Nota Marginalis Glossæ Ordinariæ: *Vocabis tu, Mater.*

Hugo Cardinalis legit: *Et vocabit nomen ejus Emmanuel.* Sic exponit: *Et Virgo pariet Filium Dei, & suum. Et vocabit ipsa: vel, Vocabis o tu Juda! nomen ejus Emmanuel, id est verum Deum, & verum hominem credes & ipsum in periculis invocabis:*

Frassen. pag.384. Respondet *Frassenus*, Versionem *Sancti Hieronymi* Grammaticè consonare Hebraico Textui, nostram tamen ab ejus sensu non esse alienam: Siquidem verbum *Vocabitur*, idem significat ac *Vocabis*. At licèt non sit contrarius sensus, id non prohibet, *Frassene!* quin Versio *Sancti Hieronymi* Hebræum Textum meliùs exprimat. Nonne enimverò melior Versio est, quæ non solùm sensum, sed vim etiam verborum exprimit, quam quæ sensum dumtaxat reddit, verbis neglectis? Præterea τὸ *Vocabitur*, perspicuè non significat nomen Emmanuelis a domo David, aut a Beata Virgine divino Puero imponendum, quod clarè significat *Vocabis*, vel *Vocabit*. Concludit *Aristarchus Minor* his verbis; *Castigandus est quisquis hic in Vulgato Interprete mendum inesse audacter pronuntiat.* Mendum in Vulgata inesse audacter pronuntiarent, quicumque vertendum esse censuerunt, *Vocabis*, vel *Vocabit*, & qui hanc Versionem secuti sunt. Sede igitur pro tribunali, & eos omnes castigare aude, qui verterunt, aut legerunt: *Et vocabis*, vel, *Et vocabit nomen ejus Emmanuel.* Prodeant in medium LXX. Interpretes, qui audacter transtulerunt, *Vocabis*, & dent pœnas judice & executore *Frasseno*. Prodeant *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotio*, qui eodem modo verterunt; & quamquam a *Sancto Hieronymo* sint laudati pœnas dabunt improbi, *Frasseno* judice. Prodeant *Sanctus Irenæus*, *Origenes*, *Tertullianus*, *Sanctus Cyprianus*, *Sanctus Basilius Magnus*, *Sanctus Cyrillus Alexandrinus*, *S. Thomas*, *Hugo Cardinalis*, qui, *Vocabis*, aut *Vocabit*, legerunt; & a *Frasseno* severa animadversione plectentur. Sistat se præsertim *Sanctus Hieronymus*, reddatque rationem Patri Guardiano cur audacter verterit; *Et vocabis nomen ejus Emmanuel.* Ejus canities, sanctitas, auctoritas, Hebraicæ, Chaldaicæ, & Græcæ linguæ summa peritia, eximia & nulli non impar in Scripturis Sacris exponendis eruditio, ipsum a *Claudii Frasseni* flagellis non liberabunt. Sed forsan tot tantisque viris pro summa humanitate sua parcet *Frassenus*, ut unum, qui eos secutus est, castiget *Alexandrum*. Appello a te, *Frassene!* auctoritas, scientia, animus a præjudiciis liber, judici necessaria sunt: tu neque auctoritatem habes de hacce controversia censendi; nec in hujuscemodi argumentis satis versatus es; nec animum habes a præjudiciis liberum, sed qui æmulatione in transversum agatur. Te itaque judice, controversia hæcce nostra minimè finietur. *Audacter iterum pronuntia; mendum esse in verbo*, vocabitur, *& legendum esse*, Vocabis, *ex Sancto Hieronymo qui ita vertit post LXX. Interpretes, Aquilam, Theodotionem, & Symmachum.* (Quod semper cum ea cautione dictum velim, quam in Dissertatione mea observavi; si nimirum ita hunc locum restituere visum fuerit Ecclesiæ, cujus judicio, non Doctorum privatorum auctoritate, Sacrorum Bibliorum emendatio facienda est.) Et tamen audaciam hancce meam contendo non esse castigandam, quia ita audere me docuit *Cassiodorus* lib. *De Institutione Divinarum Literarum*, Cap. XV. *Si aliqua verba* inquit, *reperiuntur absurdè posita, aut ex his Codicibus, quos B. Hieronymus in Editione LXX. Interpretum emendavit, vel quos ipse ex Hebræo transtulit, intrepidè corrigenda sunt: aut, sicut B. Augustinus ait, Recurratur ad Græcum Pandecten, quò omnem Legem divinam dignoscitur continere collectam: vel quibus possibile fuerit, Hebræam Scripturam, vel ejus Doctores requirere non detrectent: Decet enim ut unde ad nos venit salutaris translatio, inde iterum redeat decora correctio.*

ARTICULUS XXXIII.

Observatio Alexandri in Versum XV. ejusdem Capitis defenditur.

IBI legimus in Vulgata nostra: *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum.* Planiorem fore Versionem observavi, si ita haberet: *Ita ut sciat reprobare malum & eligere bonum.* Hanc observantiunculam *Frassenus* carpit his verbis: *Ludit Alexander in hæc verba, & vult ad planiorem & pleniorem Oraculi sensum adjiciendam esse particulam* ita, *atque esse legendum:* Ita ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. *Verum qua major huic Textui ex illa adjecta particula claritas affulgeat, non video.* Non ludo *Adoranda verba Scripturarum*, *Frassene Frater!* Male loqueris; conjecturas tantùm meas, eâ qua possum, propono modestiâ, quod Ecclesia permittit. Nec dixi, ut tu refers, *Ad planiorem & pleniorem Oraculi sensum adjiciendam esse particulam*, Ita, *atque esse legendum: Ita ut sciat reprobare malum & eligere bonum:* Sed solùm: *Planior esset Versio si ita haberet:* Ita ut sciat reprobare malum & eligere bonum: *Id est, licèt Emmanuel aliorum infantium more, lacte & butyro nutriatur; in ipsa tamen puerili ætate bonum a malo discernere poterit, illudque amplecti, illud reprobare, divino lumine quo præ aliis infantibus illustratus erit.* Horum verborum & longè alium sensum esse, & modestiam majorem, quam eorum quæ mihi affingis, cordati quique judicabunt. Quæ major huic Textui ex illa particula, *Ita*, claritas affulgeret, minimè te videre contestaris. At oculatiores videbunt. Tò, *Ut*, causam indicare videtur, cur Puer adorandus sciat reprobare malum & eligere bonum. Obscurissimum autem est, quomodo butyri, mellisque comestio ad mali reprobationem, bonique electionem conducere aliquid valeat. Si autem adjiceretur illa particula, *Ita* sensus esset apertior; Emmanuelem scilicet puerum ex virgine oriundum, similem cœteris pueris fore infantiles eibos pariter sumpturum: Ita, tamen ut inter hunc & illos magnum sit discrimen: Quia ille *Adhuc pannis involutus, & butyro pastus ac melle, habebit boni malique judicium ut reprobans mala, eligat bona. Non quòd hoc fecerit; aut reprobaverit, vel elegerit: Sed quòd scierit reprobare & eligere: ut per hæc verba noscamus infantiam humani corporis divinæ non præjudicasse Sapientiæ:* Ut S. Hieronymus explicat.

Favet magis *S. Basilius Magnus*, qui ita legit: *Butyrum & mel comedet, priusquam norit ipse vel præferat mala, eliget quod bonum est.* Et sic exponit: *Emmanuel propter carnis teneritudinem uti voluit puerili alimento, nempe butyro & melle.* Nihilo-

Nominus in statu adhuc infantili consistens, per inhabitantem in se virtutem bonitatis ante maturam perfectamque ætatem reprobabit quidem mala, eliget autem quod bonum est.

Eumdem sensum agnoscit *S. Thomas* in Commentariis, illa verba, *Ut sciat reprobare malum & eligere bonum*, explicans: *Ut*, inquit, *consecutivum est quia talibus vescens adhuc puer, sciat reprobare malum sine experimento, & eligere bonum sine consilio, perfectam habens omnem scientiam.*

His concinit *Nicolaus de Lira* ita exponens: *Ly*, Ut, *non tenetur ibi causaliter, sed consecutivè, quia ab infantia sua habuit plenitudinem scientiæ ad reprobandum malum & eligendum bonum, loquendo de scientia humana.*

Ita etiam intelligit ex recentioribus Interpretibus *Emmanuel Sa*. Ut sciat, *pro sciendo, vel quia sciet.*

Malvenda suffragatur: *Ut sciat reprobare*. Hebr. *Ad scire ipsum*, vel, *ipsius*. Unde notant, *Particulam*, Ut, *non causam finalem, sed consecutionem denotare. Aliqui reddunt:* Utpote qui sciat ipse fastidire malum &c. *S. Hieronymus ita videtur accipere.*

Denique versio illa, *Ita ut sciat reprobare malum & eligere bonum*, clariùs errorem *Calvini* confutaret, qui ex hoc versu & sequenti impiè colligit animam Christi infantis usu rationis atque intelligentiæ fuisse destitutam.

ARTICULUS XXXIV.

Observatio Alexandri in Versum XIV. Capitis IX. Isaiæ vindicatur.

Alexander, pag. 355. IN Vulgata Versione hunc locum sic legimus: *Et disperdet Dominus ab Israël caput & caudam, incurvantem & refrenantem in die una.* Observavit Alexander, legendum esse, *Incurvantem & depravantem*; ut docet *S. Hieronymus* in Commentariis. *S. Hieronymi* Verba non descripsit, sed loca dumtaxat indicavit. Sic autem habet Sanctissimus Doctor, Commentariorum Lib. IV. ad illa verba; *Et disperdet Dominus ab Israël caput & caudam, incurvantem & depravantem in die una.* Sic, inquam, illa verba exponit: *Non solùm Dominus hostes Rasin elevabit contra eum, & inimicos ejus vertet in tumultum, Syriam ab Oriente, & Philisthiim ab Occidente, ut devorent Israël toto ore: Sed quia non est reversus ad percutientem se, nec requisivit Dominum exercituum, extendet manum ad percutiendum, ut disperdat de Israel caput & caudam, incurvantem & depravantem, eam videlicet qui recta pervertit. Quis sit autem caput ipse interpretatus est:* Longævus & honorabilis: *Et quis sit cauda*, Propheta, *inquit*, qui docet mendacium, *Id est, Pseudopropheta ..... Secundùm tropologiam:* Auferet Dominus caput & caudam, *Majorem pariter ac minorem. Caudam appellans non homines, sed jumenta Hæreticos esse demonstrat ...... Et post caput & caudam*, Incurvantem, *jungit* & depravantem: *Quod legis præcepta subvertant, & rectam depravent viam.* Et Lib. V. Commentar. in eumdem Prophetam, ad Versum 15. Capitis XIX. ubi verterat, *Et non erit Ægypto opus quid faciat: Caput & caudam, incurvantem & refrenantem*, (qui locus, isti, quem tractamus, geminus est) hanc Versionem suam emendat, seque ambiguitate vocis deceptum, malè transtulisse fatetur. *In eo quoque*, inquit, *quod nos transtulimus*, incurvantem & refrenantem, *possumus dicere*, incurvum & lascivientem, *Ut intelligamus senem & puerum. Nos autem verbum Hebraicum* agmon *dum celeriter, quæ scripta sunt, vertimus, ambiguitate decepti*, refrenantem *diximus: Quod significantiùs Aquila transtulit* σχοίνωμα, *id est, qui nihil rectè agit, sed omne perversum*, ut perversum *significaret. Est igitur sensus ....., Nullum habebit Ægyptus opus sive consilium, quod aut caput habeat, aut finem: Aut senibus conveniat, aut pueris: Quorum alii per nimiam ætatem desipiunt atque delirant; alii per lasciviam & infantiam ignorant quid agant.* Hæc duo *Sancti Hieronymi*, quæ indicaveram testimonia, Observationem meam apud Eruditos quosque vindicabunt, eamque perperam & ineruditè a *Claudio Frassen* impugnari demonstrabunt.

Addo *S. Thomæ* testimonium, qui in Commentar. legit cum Sancto Hieronymo: *Et disperdet Dominus ab Israël caput & caudam, incurvantem & depravantem die una.*

Addo Glossam Ordinariam, in qua etiam legimus: *Et disperdet Dominus ab Israël caput & caudam incurvantem & depravantem in die una.* Quem locum Glossa moraliter sic exponit: *Et disperdet Dominus*, id est, *a populo Christiano, caput & caudam*, id est, *malos Principes & Prælatos, & obsequentes eis; & quoniam ista cauda depravat eos adulationibus suis, & incurvat eos a rectitudine rationis, ideò subditur, Incurvantem & depravantem.*

Addo & *Hugonem* Cardinalem, qui licèt utrumque exponat, *depravantem, & refrenantem*, in eam tamen Versionem propendet magis, quæ, *depravantem*, habet. *Caput*, inquit, *est malus Prælatus, in quo sunt oculi ad videndum, & lingua ad loquendum, sed non habet manus ad operandum. Cauda est Curia ejus, sive familia ejus, quæ ejus pudenda velat, & celat, quæ tota vertitur circa terram, quæ est incurvans, cùm facit bonum malo fine; depravans, cùm facit malum apertè.*

Biblia Manuscripta optimæ notæ & venerandæ antiquitatis Gotticis characteribus in membranis exquisitis exarata, & in quatuor Volumina in folio compacta, quæ extant in Bibliotheca majoris hujusce Conventus Parisiensis FF. Prædicatorum, habent: *Et disperdet Dominus ab Israel caput & caudam incurvantem & depravantem in die una.* Ad marginem verò legitur hæc nota: *Alia litera*, refrenantem. *Pro quo quidam ponunt*, depravantem, *propter retractationem Jeronymi. Simile infra XIX.*

Alia Biblia MSS. in unum Volumen compacta in quarto, in membranis optimis pariter exarata characteribus Gotticis, quæ in eadem Bibliotheca extant, eamdem Versionem habent: *Et disperdet Dominus ab Israel caput, & caudam, incurvantem & depravantem, die una.*

Biblia excusa Lugduni anno MDXIX. eamdem Versionem exhibent: *Et disperdet Dominus ab Israël caput, & caudam, incurvantem & depravantem, die una.* Eamdem exhibent Biblia excusa anno MDXLV. Frassen. pag. 384.

Respondet *Frassenus*, tametsi ea posterior sit *Sancti Hieronymi* sententia, *Nihilominus priorem interpretationem præferendam esse argumentum est, quod Hebraico Textui sit conformior, & Prophetæ mentem distinctiùs explicet.* At cui magis credendum, *Sancto Hieronymo*, Hebraicæ linguæ peritissimo, qui priorem interpretationem suam retractavit, seque vocabuli ambiguitate deceptum professus est, cùm in Versione properaret? An *Frassenio* Hebraicæ linguæ Abecedario? Sed quamvis per multos annos in hujus linguæ pistrino sudasses *Frassene*! tibi præ *Sancto Hieronymo* non crederent Viri eruditi. Audiamus verò qua ratione id probes quod tanta confidentia asseris. *Cippa*

verg.

veagmea, inquis, *fignificat ramum & jaucum*. Cippa *deduci videtar a* capaph, *id est*, curvavit. *Quia veeò Valgatus Interpres eeedidit* agmon *posse eirculum fignificare, qai est veluti featum quoddam nonaullis animalibas apud Orientales, idcirco pro* ramo, incurvantem, *& pro* junco, refrænantem *reddidit*. *Ubi vides Valgatum Inteepretem ab Hebrao Textu aon maltùm abladeee*. O egregias Observationes, & omnino dignas quæ *Sancti Hieroaymi* Commentariis insererentur! Sed ipsi deerat *Frasseui* ingenium & perspieacia: & quamquam quatuor Hebraicæ linguæ Præceptores habuerit, se peritiorem Hebraicè existimare videtur *Frasseaus*, qui ipsum emendare audet: puto, & docere præsumeret, si adhuc in terris versaretur. Sed mirari subit, *Frassene*, quot artes noveris, ex quibus tamen ægrè victum, ut opinor, comparares, si tibi aliunde, quod Deus avertat, deesset. Ex junco circulum, ex circulo frænum efficis, ut Vulgatum Interpretem rectè vertisse probes, *refranautem*. O incomparabilem artificem!

ARTICULUS XXXV.

Observatio Alexaadri in Versam VI. Capitis XXVII. Isaia defenditue.

HOc loco in Vulgata Versione legimus: *Qui ingrediantar impeta ad Jacob, florebit & ger-*
Alexander, pag. 356. *minabit Iseaël, & implebuat faciem orbis semiae*. Hanc lectionem mendosam esse observavi, & vertendum cum Sancto Hieronymo: *Qai egrediantur de eadice Jacob*. Quinque Manuscripta eximia a *Luca Brageasi* laudata habere: *Qui egrediuatur impetu ab Jacob*. LXX. transtulisse, *Veaieates filii Jacob*. Versionem *Sancti Hieroaymi* meliorem probari ex verborum sequentium analogia, quæ radici Jacob & surculis ex ea sobolescentibus magis conveniunt: *Florebit & germinabit Israël, & im-*
Frassen. pag. 387. *plebant faciem orbis femine*. Hanc verò Observationem nostram cùm impugnat *Feassenus*, suam imperitiam tot modis prodit, quot nobis ad eam confirmandam suppetunt argumenta. *Alexandram* pro more carpit: sed non leve *Alexaadri* solatium est, quòd non sit in *Sanctum Hieronymum* humanior. *Arguendus*, inquit, *Saactas Hieeonymas, qaòd Hebraum Textum ad verbum non expresseeit*. Si quid simile dixisset *Alexander*, nonne *temerarius* appellaretur? Nonne diceretur *castigandas*? Tu quis es, *Frassene Frater*! qui *Sanctum Hieronymam* arguendum audacia incredibili pronuntias, quòd Hebræum Textum ad verbum non expresserit? Næ te Judæis ipsis in *Sanctam Hieeoaymam*, iniquiorem! *Sanctas Hieronymus, homo doctissimus & omaium trium liaguarum peeitus, ex Hebreo ia Latiaam eloquium Scriptaras convertit: cujas tam literatam laborem Judai fateatae esse veracem* (inquit Sanctus Augustinus Lib. XVIII. De Civitate Dei, Cap. XLIII.) Tu verò ipsum censes *arguendum, qaòd Hebraum Textam ad verbum aon expresserit*. Sanctum Hieronymum Hebraicas literas docebis, tu qui repentè inter Hebræos sedes ut *Saul intee Propbetas*? A te discet, quod a *Barabano* forsan non didicit, *vocem* Scheresch *in conjagatione* Piel, *qaa est activa violenter, esse legeadam*? Tu alterum ipsi Nicodemum exhibebis? Scholas Thomæ Aquinatis *Sanctus Paalus* olim ingressus est, non ut a *Thoma* doceretur, sed ut eum illuminaret ac doceret quæ suis in Epistolis obscura sunt & intellectu difficilia (ut ejus Acta testantur) sed quid incredibilius nostris temporibus forsan continget. *Sanctum Hieronymum* ad Scholam suam vocabit Magister *Frassea*, ut ipsum doceat *vocem* Scheresch *in conjugatione* Piel *esse legendam*: utque ipsum arguat, & cogat adhuc ferulæ subducere manum, quòd Hebræum Textum ad verbum non expresserit. Sed cogitent, quæso, cordati & eruditi omnes, quò tendat hæc *Feassenì* censura: *Argaendas Sanctas Hieronymas, quòd Hebraum Textum ad verbum non expresserit*. Viam certè aperit ad Vulgatam Versionem passim sugillandam, quæ *Saactam Hieronymam* maxima ex parte auctorem agnoscit. Qua enim libertate & audacia *Frassenas* arguendum hìc *Sanctum Hieronymam* pronuntiat, eadem aliis in locis ipsum arguendum pronuntiabunt alii Hebraizantes. Sed ad Caput Observationis nostræ redeo, & facilè ostendo *Feassenum* Vulgatam Lectionem a menda hoc loco insœliciter vindicare. Quicquid enim fit de impetu, non ostendit ex Hebræo vertendum: *Qui iagrediantue ad Jacob*, & non *Qui egrediautue ab Jacob*, seu, *de radice Jacob*, ut Sanctus Hieronymus vertit. Quinque eximia Manuscripta a *Luca Brugensi* laudata (ut observavi) habent: *Qai egrediuatae impeta ab Jacob*. In hoc vim feci, ut mendosam esse hoc loco Vulgatæ nostræ lectionem ostenderem, & verisimillimum esse innuerem, Vulgatum Interpretem ita vertisse; sed Scribarum oscitantiâ irrepsisse, *ingrediantur*, pro *egrediantur*, & *ad*, pro *ab*. Sed hæc *Frasseaas* prò suo candore dissimulat. Præter Codices a *Laca Brugensi* laudatos, conjecturam nostram confirmant Biblia MSS. in folio, in quatuor Volumina compacta & Gotticis characteribus elegantissimis exarata, quę in nostra Parisiensium Prædicatorum majoris Conventus Bibliotheca extant, in quibus legimus: *Qai egredieatur impetu ab Jacob; florebit & germinabit Israël; & implebant faciem orbis femine*.

Ita legit Auctor Glossæ Ordinariæ: *Qai egeedieatar impetu a Jacob*.

Ita legit S. Thomas in Commentar. *Qai egeedientar impeta Jacob*. Præpositio, *a*, proculdubio excidit.

Ita *Nicolaus de Lira*, qui hanc sententiam sic interpretatur: *Qai egredieatar, scilicet ad pradicandam fidem Catbolicam per orbem*. Impetu, *id est, cam ferventi desiderio*. A Jacob, *id est, a popnlo Israël, cajasmodi fueraat Apostoli, & alii 70. Discipali, qai pro majori paete fueruat Jadai*.

Ita legit Hugo Cardinalis: *Qui egeedientur impeta a Jacob*. Eam igitur veram & sinceram esse Vulgatæ nostræ lectionem longè verisimilius est.

Respondet ea lectio Hebræo Textui, non altera. Verbum enim: *Jacberecb* quod a *Cboreth*, *radicari*, vel *radices ageee*, derivatur, significat *radicabit*. Et licèt in conjugatione *Pibel*, accipiatur, & impetum quemdam significet, malè inde colligit *Feassenas*, vertendum esse, *Ingredieutur ad Jacob*, potiùs quàm, *Egeedientnr a Jacob*, seu, *de radice Jacob*. Quasi verò tam egredi, quàm ingredi impetu quis non possit. Nonne enimverò Juvenes vestri FF. Minores e Scholiis egredi impetu possunt, & in Refectorium impetu ingredi ad cibos sumendos, quos eorum Patres, *Joannis XXII.* tempore, non suos existimabant, donec eos consumpsissent? Cùm itaque tam ingressui, quàm egressui conveniat impetus, expendendum est an secundùm Textum Hebræum hìc vertendum sit, *Ingredientur ad Jacob*, vel *Egeedientur a Jacob*. Versiooem istam posteriorem, non priorem Hebræo convenire, verbum *Jacbereeb* ostendit, quod significat *eadieabit*; e radice autem egrediuntur surculi, non ingrediuntur. Quamobrem rectè vertit Sanctus Hieronymus: *Qai egrediuntur de radice Jacob, florebit & ger-*

germinabit Israël, & implebunt faciem orbis semine. Cui Versioni & Scripturæ sensui præclarè convenit ejus expositio. *Postquam*, inquit, *Apostoli in toto orbe Evangelium prædicantes dixerint:* Faciemus pacem Christo, pacem faciemus ei: *Qui in excelsis fuerint de semine Jacob, & in Apostolicam pervenerint dignitatem, appellabuntur filii Jacob. Tunc germinabit & florebit Israël, videns doctrina filiorum suorum universum orbem esse completum, & attulisse fructus uberrimos, quos in Judæa manens non attulerat.*

Cum *Sancti Hieronymi* Versione penè conveniunt recentiorum omnium Interpretum Hebraicè peritorum Versiones. Ita quippe Santes Pagninus: *In diebus qui veniunt, radicabit Jahacob, florebit & germinabit Israel, & implebant faciem orbis fructu.*

Vatablus: *Venient dies quibus radices aget Jacob, florebit & germinabit Israel, implebuntque faciem orbis fructu.*

Oleaster: *In diebus venturis radicabit Jaacob, florebit & fructicabit Israël, & implebunt faciem orbis fructu.*

Malvenda: *Venientes radicare faciet Jaghakob; floricabit & efflorebit Israël, & implebuntur facies orbis proventu.*

Eumdem reddit sensum Chaldaica Paraphrasis: *Congregabuntur de medio transmigrationis eorum, & revertentur in terram suam: Ibi generabunt viri domus Jacob; crescent & multiplicabuntur viri domus Israel; & implebunt faciem orbis filii eorum.*

Syriaca Versio: *Quotquot estis de stirpe Jacobi, scitote quòd folia & flores emissurus est Israël, &c.*

Arabica: *Filii Jacobi germinabunt, & florebit Israël, & orbis implebitur fructu ipsius.*

LXX. Interpretes verterunt: Οἱ ἐρχόμενοι τέκνα Ἰακώβ. *Venientes filii Jacob.* βλαστήσει καὶ ἐξανθήσει Ἰσραὴλ *Germinabit & florebit Israel,* καὶ ἐμπλησθήσεται ἡ οἰκουμένη τοῦ καρποῦ αὐτοῦ. *Et implebitur orbis terrarum fructu ejus.* Quæ versio etsi egressum e radice Jacob ita clarè non exprimat, filios tamen Jacob venientes, sive e stirpe Jacob progenitos significat, quod idem est ac e radice Jacob erumpentes.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus Lib. III. Commentariorum in Isaiam, hunc Versum legit ut LXX. Interpretes, sed eo sensu exponit qui cum *Sancti Hieronymi* Versione prorsus convenit. *Hortatur igitur*, inquit, *eos qui veniunt* [*de quibus etiam David ait:* Annuntiabitur Domino ætas ventura] *Sermonem ad ipsos sanctos Apostolos tradacit: & cùm orbem terrarum Deo adducendum intellexisset, seu per Spiritum Sanctum didicisset, exilit quodammodo, & præ ingenti gaudio inquit;* Filii Jacob germinabunt, & efflorescet Israël, & implebitur orbis terrarum fructu ejus. *Nati enim sunt ex sanguine Jacob, qui cognominatus est etiam Israel, divini Discipuli. Postquam verò ab ortu in occasum, & in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum, vocata est ad agnitionem Gentium multitudo, & sicuti verba Prophetæ habent*, Impletus est orbis terrarum fructu ejus. *Cujus verò? scilicet Israëlis, id est eorum qui orti sunt ex Israëlis sanguine. Fructus namque sudorum Apostolicorum sunt Credentes, quos gaudium & coronam divinus Paulus nominavit.* Hæc sufficiunt, opinor, ad Frassenianæ Criticæ vanitatem demonstrandam.

ARTICULUS XXXVI.

Alexandri Observatio in Versum IV. Capitis LX. Isaiæ vindicatur.

Hoc loco secundùm Vulgatam nostram legimus: *Filii tui de longè venient, & filia tua de latere surgent.* Observavit *Alexander*, videri Alexander.pag.
Interpretem vertisse, *Filia tua lac sugent*, ut 355.
habet *Sanctus Hieronymus* in Commentariis. Hanc Observationem *Frassenus* reprehendit, quòd Tex- Frassen.
tus Hebraicus lactis non meminerit, proindeque pag. 388.
nec Sancti Hieronymi mentem, nec *Textus Hebraici sinceritatem* Alexander *sit assecutus.*

Uno verbo nugas tuas refellere possem, *Frassenel* respondendo, Criticam hancce tuam, non meum duntaxat, sed *Sancti Hieronymi* jugulum petere. Si enim Textûs Hebraici sinceritatem non sum assecutus, nec *Sanctus Hieronymus* assecutus est, quem studiosè secutus sum, & in hisce rebus sequi semper gloriabor. Sed ipsum Veritatem Hebraicam optimè reddidisse fatebuntur quicumque Hebræas literas noverint. In Hebræo Textu lego: *Naltsad teamana*, id est, *Juxtà latus nutrientur.* Nonne verò pueri qui lac sugunt, juxtà latus nutriuntur?

Santes Pagninus vertit: *Filia tua juxtà latus nutrientur.*

Vatablus: *Et filia tua ad latus nutrientur.*

Oleaster: *Et filia tua super latus enutrientur.*

Isidorus Clarius: *Et filia tua ad latus educabuntur.* Et hæc quidem de Textu Hebræo satis. Nunc videndum an *Sancti Hieronymi* mentem fuerim assecutus, necne.

Lego & relego *Sanctum Hieronymum* Lib. XVII. in Isaiam, Cap. LX. & video quod olim vidi & observavi, ipsum vertisse: *Filii tui de longè venient, & filia tua lac sugent.* Me-ne fallunt oculi? Lego ejus Commentarium, & quod olim animadverteram, iterum animadverto, eum huicce Versioni admirabiliter congruere. *Nos autem*, inquit, *sumus filii qui de longè venimus ad Dominum, peregrini quondam a testamento Dei, & repromissionibus ejus spem non habentes, & absque Deo in mundo. Sed quid dicit Apostolus?* Vos qui eratis aliquando longè, nunc facti estis prope. *Quodque sequitur:* Et filiæ tuæ lac sugent: *Illud significat, quòd animæ in Christo lactentes, & in baptismate parvulorum, de quibus & Petrus Apostolus loquitur,* Quasi modo nati parvuli, rationabile, & absque dolo lac desiderate, *Sugant lac Apostolorum. Quibus parvulis atque lactentibus loquebatur & Paulus:* Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. *Et in alio loco:* Quasi nu-
„ trix fovens filios suos, sic desiderantes vos cu-
„ pimus impertiri non solùm Evangelium Chri-
„ sti, sed etiam animas nostras. Judicent Eruditi an mentem Sancti Hieronymi non fuerim assecutus, ut *Frassenus* exprobat.

At *Sanctus Hieronymus*, inquit Frassen, non solùm in Commentariis eam Versionem interpretatur & approbat, sed etiam Versionem LXX. Quæ sic habet: *Filia tua super humeros portabuntur.* Quid inde? Hinc-ne sequitur quod pertinaciter asseris Vulgatam hanc lectionem, *Filia tua de latere surgent*, esse Hebræo convenientiorem? Humeri & latus; surgere, & portari, idemne sunt? At lac sugere, & humeris portari, eumdem reddunt sensum; utrumque enim teneræ convenit infantiæ. Utriusque sensûs identitatem præclarè ostendit *Sancti Cyrilli Alexandrini* Commentarius, Lib. V. Tom. IV. *In humeris tollentur. Solent enim*, inquit, *parvuli*

vult infantes nutriri, & in materno gremio ac brachiis volunt requiescere. Tale quid fit de his qui vocati sunt ab errore gravi. Deliniuntur enim a Mystagogis, non duriter tractantur, nec illico per asperam viam incedunt: sed velut tenera educatione lactantur, & paulatim in virum perfectum adolescunt, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Siquidem præcepit Sanctis Apostolis, ut baptizarent omnes gentes, in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docerentque eas servare quæcumque illis præceperat. Hi autem hoc factitare volentes, methodo & arte docendi usi, primò nihil onerosum imposuerunt Credentibus ... Scribitque quibusdam optimus Paulus: Lactis potu vos alui, non esca. Nondum enim poteratis, sed ne nunc quidem potestis. *Perfectorum autem est cibus solidus, eorum, inquam, qui propter assuetudinem sensus cordis habent exercitatos ad dijudicationem boni & mali. Itaque in humeris, inquit, tollentur filii tui & filiæ.*

Quòd verò Versio Sancti Hieronymi, *Filiæ tuæ lac sugent*, aut *de latere sugent*, sit genuina Lectio Vulgatæ nostræ, conjicio rursus ex antiquis Bibliis MSS. Gotticis characteribus eleganter exaratis in membrana exquisita, quæ extant in Bibliotheca nostra San-Jacobæi Prædicatorum Conventus; in quibus ita lego: *Et filiæ tuæ de latere sugent*. Proclive autem fuit, ut unius literæ mutatione ex verbo *sugent* fieret *surgent*, scribarum oscitantia. Quod autem ex *Sancto Augustino* Lib. de Symbolo ad Catechumenos, Cap. 6. *Frassenus* profert, ubi Ecclesiam ait prodiisse ex Christi latere in Cruce pendentis, sicut Eva ex latere Adami dormientis, non est ad rem, cùm *Sanctus Augustinus*, Isaiæ locum, quem tractamus, ibi non interpretetur, nec laudet, vel leviter indicet: atque moralis planè sit accommodatio hujus loci ad animas fideles, quæ ex Christi latere, de peccato surgunt ad gratiam: nec minùs ex ejusdem sacri lateris vulnere lac sugere sensu mystico dici possint, ut explicat *Hugo Cardinalis*; Qui Sanctum Hieronymum vertisse notat, *De latere sugent*, quod tamen in excusis *Sancti Hieronymi* Commentariis non legimus, sed, *lac sugent*. Sic autem habet *Hugo* postquam Vulgatam lectionem est interpretatus: *Huic expositioni satis competit litera Hieronymi hoc loco*, Filiæ tuæ de latere *vel*, in latere sugent: *Lac scilicet consolationis & exhortationis. Aliqui habent:* De lacte sugent, *vel*, Lac sugent. *Hoc etiam habet Interlin. Sed Hieronymus exponit* de latere *vel*, in latere. *Aliqui autem dicunt, quod Hebræus habet nomen commune ad lac & latus. Et nota quòd hæc litera quam habemus*, surgent, *non est in Hebræo, nec LXX. nec Expositores antiqui, literam hanc exponunt. Latus autem Domini in Cruce perforatum, ministrat filiabus, id est, sanctis & devotis animabus, sanguinem loco lactis. Pulli enim aquilæ, id est, Filii Christi lambunt sanguinem loco lactis (Job. 39.) Vel, Latus Domini fuerunt Apostoli, qui familiares fuerunt & adhærentes Christo. Et similiter alii Apostolici Viri, Doctores & Prædicatores, in quibus sugunt filiæ, id est minores, lac doctrinæ facilioris. 1. Cor. 3. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Item 1. Petri 2. Quasi modo geniti infantes, rationabile, sine dolo, lac concupiscite.*

Postremam istam Hugonis Cardinalis expositionem juvat *Sanctus Ambrosius* * Sermone II. in Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli, ubi miraculum quo illius abscissa cervix lac pro sanguine fudit, prædicans, hæc habet: *De Pauli verò cervice, cùm eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis unda magis quàm sanguinis ... Quæ quidem res in Sancto Paulo stupenda non est; Quid enim mirum si abundat lacte Nutritor Ecclesiæ? Sicut ipse ad Corinthios ait:* Lac vobis potum dedi, non escam. *Hæc est planè repromissionis illa terra, quam Patribus nostris Deus promisit dicendo:* Dabo vobis terram fluentem lacte & melle. *Non enim de hac terra locutus est quæ manantibus aquis cœnum involvit, lutumque permiscet: sed de illa terra Pauli, & similium Pauli, quæ jugiter purum suaveque distillat. Quæ enim Pauli Epistola non melle dulcior est, lacte candidior? Quæ Epistolæ, tamquam ubera Ecclesiarum, populos enutriunt ad salutem.*

* Seu vetus alius Auctor.

Alio sensu ista Versio, *Et filiæ tuæ lac sugent*. Christianis accommodari potest, qui Christum Æterni Patris Verbum in Eucharistia lactescens percipiunt, eoque pascuntur. Qua de re præclara sunt S. Augustini verba in Psalmum XXXIV. *Christus*, inquit, *in Corpore & Sanguine suo voluit esse salutem nostram. Unde autem commendavit Corpus & Sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur, Respice altitudinem ipsius:* In principio erat Verbum. *Ecce cibus sempiternus: sed manducant Angeli, manducant supernæ Virtutes, manducant cœlestes Spiritus; & manducant, & saginantur, & integrum manet quod eos satiat & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo ut Mensa illa lactesceret, & ad parvulos perveniret. Unde autem fit cibus lac? Unde cibus in lac convertitur, nisi per carnem trajiciatur? Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minùs idoneus est infans qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humilitatem mamillæ & lactis succum, de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pavit nos Sapientia Dei? Quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

De his Christi Mysticis Uberibus *Sanctus Chrysostomus* egregiè ait Homilia LX. ad Populum Antiochenum: *Nonne videtis quanta promptitudine parvuli papillas capiunt, & quanto impetu labia uberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc Mensam, quinimo cum longè majori trahamus tamquam infantes lactanei Spiritus gratiam; & unus sit nobis dolor hac esca privari.*

Tandem piis animabus hæc verba accommodari possunt, *Et filiæ tuæ lac sugent*, vel *de latere sugent*, quæ ab uberibus divinæ consolationis inebriatæ, concepto delectationum terrenarum fastidio, cœlesti Sponso identidem ajunt: *Meliora sunt ubera tua vino*. Id est [ut explicat Mellifluus Pater Sanctus Bernardus] *Carnis voluptatem, qua paulo ante tamquam vino ebrii tenebamur, vincunt hæc, quæ tua nobis ubera stillant, delicia spirituales. Et pulchrè vino comparat carnalem affectum, ut enim uva semel expressa non habet jam quod denuo fundat, sed perpetua ariditate damnatur; sic caro in pressura mortis ab omni prorsus sua delectatione siccatur, nec ultra revirescit ad libidines ... ... Verùm ubera non sic. Hæc enim cùm exhausta fuerint, rursum de fonte materni pectoris sumunt quod propinent sugentibus. Meritò proinde meliora carnæ sæculive amore asseruntur ubera Sponsi, quæ nullo umquam lactentium numero deficiunt, sed semper abundant de visceribus caritatis, ut iterum fluant.* Quæ omnia ostendunt, *Sancti Hieronymi* Versionem illam, *Filiæ tuæ lac sugent*, Mysticis sensibus non esse minùs divitem & fœcundam, illa quæ modò in Bibliis Vulgatis legitur: *Filiæ tuæ de latere surgent.*

ARTI-

ARTICULUS XXXVII.

Alexandri Observutio in Versum X. Cupitis I. Ezechielis propugnatar adversùs Frassenam.

HOc loco ita habent Biblia Vulgatæ Editionis: *Similitudo autem vultus eorum*: (scilicet quatuor animalium) *facies hominis, & facies leonis a dextris ipsorum quatuor; facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor; & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor*: Scripsit Alexander in hunc (Alexander, pag. 856.) locum: *Deleri posset vox*, desuper. *Sic planior esset sensus, & convenientior Hebræo*. Observavit illam deesse in LXX. Interpretibus, in Chaldaica Paraphrasi, in Versionibus Syriaca, & Arabica. An ita se res habeat, expendamus.

Hebraici Textûs Versio a *Sante Pagnino* adornata, & a tribus Summis Pontificibus approbata sic habet: *Et facies aquilæ quatuor ipsis*.

LXX. Interpretes: *Facies aquilæ ipsis quatuor*.

Chaldaica Paraphrasis: *Facies aquilæ illis quatuor*.

Syriaca Versio: *Vultusque aquilæ in lateribus eorum sinistris*.

Arabica: *Faciemque aquilæ eadem quatuor*.

Theodoretus legit: *Et facies aquilæ quatuor*.

Antiquissima Biblia MSS. in hujusce Conventus Bibliotheca extantia, quorum sæpe memini, ad hujus loci marginem hanc annotationem habent Gotticis pariter characteribus adscriptam: *Nec Hebræi, nec Antiqui, habent*, desuper, *sed Glossa exponit*.

Nicolaus de Lira hæc verba: *Et facies aquilæ*, &c. ita commentatur: *Quia secundùm descriptionem Latinorum facies aquilæ erat in parte posteriori. Quia tamen aquila habet collum longum, facies aquilæ elevabatur super alias tres. Secundùm Hebræos verò non plus elevabatur quàm alia. Unde & in Hebræo sic habetur*: Et facies aquilæ in ipsis quatuor, *vel*, ad ipsam quatuor: Id est, *existens in eadem linea cum aliis tribus, tamen ultima*.

Joannes Baptista Villalpandus, e Societate Jesu doctissimus Ezechielis Interpres, de hoc versu ita censet: *Legendum est*, Facies aquilæ ipsorum quatuor, *cum Textu Hebræo, Chaldæo, Græco Septuaginta, & Latinis correctissimis, Complutensi, atque Regio, sine particula*, desuper, *quæ additur post vocem* aquilæ *in aliquot Codicibus Latinis*.

Maldonatus vir trium linguarum & sacræ doctrinæ peritissimus ex eadem Societate, eadem penè observat. *Quod ergo*, inquit, *noster Interpres dicit*: Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor *Hebraicè non ita est. Non enim legitur*, desuper: *Nec id LXX. verterunt; neque nominatur locus ubi fuerit, quia id facilè intelligi poterat: cùm enim facies leonis esset ad dexteram faciei humanæ, & facies bovis ad sinistram, non poterat facies aquilæ esse nisi ponè, faciei hominis aversa. Neque, ut opinor, noster Interpres, cùm dixit*: Desuper, *voluit significare faciem aquilæ supra alias fuisse: sed fuisse a tergo, capite cæteris altiore, quia aquila, pro ratione corporis, longius quàm cætera animalia collum habent*.

Emmanuel Sa ex eadem Societate: *Hoc verbum*, desuper, *non est Hebr. Chald. in LXX. in Complut*.

Malvenda: *Hebræi ex verbo hunc Versum habent*: Et similitudo facierum eorum hæc erat,
,, facies hominis; & facies leonis ad dexteram ip-
,, sis quatuor; & facies bovis de sinistra ipsis qua-
,, tuor: & facies aquilæ ipsis quatuor. *Notabis Prophetam hac visione, cùm de animalibus loquitur, nunc pronominibus masculeis, nunc fœmineis vicissim uti: quòd* Chaioth *animalia fœminea sint; & Angelos significent, qui eminenter utramque naturam continent, & utriusque generis rerum creatarum administrationem obeant. Ergo videtur Propheta hoc Versu dicere, unicuique ex illis animalibus quadrifacibus fuisse faciem hominis in anteriore parte: & faciem aquilæ in posteriore: faciem leonis in dextera parte, & faciem bovis in sinistra*.

Reponit *Frassenus*, unius Critici judicium ad- Frassen. pag. 389.
,, versùs totius Ecclesiæ Latinæ hanc vocem reti-
,, nentis & legentis sententiam præscribere non
,, debere. Rectiùs & religiosiùs censuisse Prote-
,, stantes, præsertim *Grotium*. Adversùm me loqueris, *Frassene!* quasi unus sim & primus omnium mortalium, qui vocem, *desuper*, secundùm Hebræum & LXX. Interpretes non esse legendam animadverterim. Vides tamen ex iis, quos protuli, sententiæ istius vindicibus, opinionem hancce meam, seu conjecturam, non esse singularem. Nec tamen illam Ecclesiæ totius judicio præscribere debere vel cogitavi: qui ejus tantùm auctoritate hoc mendum, cæteraque in Vulgata Editione reliqua corrigi posse non semel scripsi, in illa, quam impugnas, Dissertatione mea: quique ejus judicio conjecturas & Observationes hasce meas humillimi animi devotione subjeci, subjicio, subjiciamque semper, divina favente gratia. An religiosiùs & rectius censuerint Protestantes, præsertim *Grotius*, Viri Eruditi, nullisque præjudiciis occupati judicabunt. An controversia quæ *Frassenum* inter & *Alexandrum* intercedit, sit iis de rebus de quibus salva fide & pietate Catholica, dissentire non liceat, pronuntiabunt Viri Theologi: ac de Frassenianæ censuræ æquitate censebunt, qui Doctorem Catholicum, suis laboribus ac studiis Ecclesiæ servire satagentem, infra Protestantes deprimit. Meum interim solatium est, quòd *Apud Christianos, non qui patitur, sed qui facit contumeliam miser est*. Divinique illius Oraculi cum incredibili voluptate memini: *In ore stulti baculus contumeliæ*. Ad illud attendas *Frassene*, idque unum pro contumeliis in me tuis responsum habeto. (Prov. 14. 3. Secundùm LXX.)

Sed his prætermissis, Criticam tuam expendamus. Vocem; *Mibal*, id est, *desuper*, fateris in Hebræo Textu non comparere; sed verisimile esse ais illam excidisse, & fortè ab aliquo Hebraisante postmodum e codice LXX. Interpretum fuisse expunctam, ne ea sententia ab Hebræo discordare videretur. Macte animo, *Frassene!* audacter augurari perge, ut cœpisti; sed utinam fœliciùs! Voculam unam ab Hebræis Codicibus nonnullis facilè excidere potuisse, non diffiteor: sed quòd ab omnibus toto terrarum orbe exciderit, quis verisimile arbitretur? Quis non illud censeat Frasseni Doctoris in somnium? Scilicet Judæi omnes in expunctionem vocis, *desuper*, a suis Codicibus conspirarunt? Nulli servati sunt ab hoc mendo immunes? Sed, quæro, num ante Versionem LXX. Interpretum id contigerit? Num postea? Si ante, quomodo, vertere potuerunt, *Desuper ipsorum quatuor*, ut Frassenus ipsos vertisse contendit, & postea in omnibus Versionis ipsorum Codicibus toto terrarum orbe fuisse expunctum? Si postea, quomodo in vetustissimis LXX. Interpretum Codicibus, quibus *Theodoreti* tempore utebatur Ecclesia; quomodo in Codicibus Vaticano & Alexandrino ante annos mille & ducentos exaratis, in omnibus denique toto terrarum orbe ab aliquo Hebraisante vox illa expungi potuit. Id sanè cùm sit incredibile, longè verisimilius est LXX. Interpretes vertisse quod in eorum Versione etiamnum legimus, *Facies Aquilæ ipsis quatuor*; & Codices Hebraicos vocem *Mibal, desuper*, non habuisse: Cùm nulla vel in Hebræis ipsis Codicibus,

bus, vel in Græcis varietas inveniatur, & *Quod apud omnes unum invenitur, non sit erratum, sed traditum:* ut ait *Tertullianus*. Verisimilius igitur est Sanctum Hieronymum; siquidem ipse vertit, *Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor*, in mendosos Codices incidisse; vel ipsi visum fuisse hanc voculam ad majorem Textus Hebræi perspicuitatem esse addendam, quia licèt in Hebræo non esset, intelligi tamen ex quatuor animalium situ facilè poterat.

Quòd verò aquilæ supra cœteras animalium facies eminentiam a SS. Patribus referri ad *S. Joannes*, qui æternam Verbi Dei generationem enarravit, supra cœteros Evangelistas eminentiam significandum, *Fraffenas* observat, non probat accuratam esse. Versionem illam. *Et facies Aquilæ desuper ipsorum quatuor:* Sed bonitate Versionis illius supposita, præclarum & elegantem Commentarium esse. Præterea hunc sensum allegoricum esse, non literalem, nemo nescit in Scriptura Sacra paululum versatus. Quamvis [inquam] *Sancti Hieronymi*, & *Sancti Gregorii*, *ac Rabani*, qui ipsum secuti sunt, egregia sit expositio, Prophetiæ tamen sensum literalem assequi non videtur, ut *Maldonatus* eruditè observat. Visio enim illa Prophetæ Evangelistis aptari commodè non potest, si ad literam intendamus. Putat enim *Sanctus Hieronymus* singulos Evangelistas singulas habere facies; *Matthæum* hominis, quia de Christi humanitate maximè agit: *Lucam* bovis, quia a Zachariæ exorditur Sacerdotio: *Marcum* leonis, quia a voce clamantis in deserto, quasi a rugitu leonis incipit: *Joannem* aquilæ, quòd altiùs cœteris volet, ac de Verbi Dei æterna generatione disserat. Si autem Ezechielis visionem sequamur, non singulis singulæ facies, sed singulis quaternæ tribuendæ sunt: *Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni.* (Inquit Propheta.) Deinde, argumento Prophetæ non videtur omnino convenire Visionis ipsius ad quatuor Evangelistas accommodatio. Agebat enim Propheta de futura Judæorum captivitate, cum qua nihil Evangelistis commune est. Ab Aquilone quatuor animalium facies ostenduntur: Evangelistæ verò non ab Aquilone; sed a Meridie, id est, ab Jerusalem, Evangelii prædicationem inchoarunt, quemadmodum Christus illis præcepit, *Prædicari in nomine* Lucæ 24. *ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes, incipientibus ab Jerosolyma.*

Adeò obscurus est illius Visionis sensus, ut nullus penè sit locus Scripturæ Sacræ, qui tantam expositionum varietatem pepererit. *Catina* quidam Syrus, cujus *Sanctus Hieronymus* meminit, figuram quatuor animalium de castris Hebræorum in solitudine metatis explicabat. Faciem hominis toti Israëli: Faciem leonis, Regiæ Tribui Juda: Faciem bovis Sacerdotali Tribui Levi: Faciem aquilæ Deo tribuebat, qui ultionem de populo repetebat, cùm vellet, ut *Osee* 8. dicitur: *In gutture tuo sit tuba, quasi aquila super domum Domini.*

Alii Dei majestatem & gloriam hìc describi censent, & Angelus per quatuor animalia, quibus Deus insidere dicitur, adumbrari. Ita hunc locum *Theodoretus* interpretatur. *Videt Propheta*, inquit, *excidium quo Hierosolyma funditus perdenda essent. Hoc enim significat*, Ventus veniebat ab Aquilone, *vel, ut Symmachus ait:* Impetu flans. *Significat autem venti vis Babylonii impetum*. Et maxima nubes, hastarum & jaculorum, *Omnisque generis telorum copiam & inundationem*. Ignis verò fulgurans, *non solum incussum terrorem, sed etiam urbis demolitionem ab igne perfectam*. Splendor autem in circuitu, *Dei gloriam, qua se per supplicium ostendit*. Quatuor animalia de invisibilibus Potestatibus explicat, quibus Dei majestas insidet. Unde observat, Prophetam non dixisse simpliciter quatuor se animalia conspexisse, neque item similitudinem animalium, sed *tamquam similitudinem quatuor animalium:* Ita ut perspicuum sit, *Non ipsas vidisse divinos Prophetas earum quæ cerni nequeunt naturas, sed similitudines & formas, ab eo qui magna largitur, ad unumquemque usum ostensas..... Per quatuor facies & alas, declarat Dei quocumque pertinentem providentiam.* Pennæ, spiritalium Potestatum *significant acumen*. Scintillæ splendidissimo similes æri, *Splendorem & mentis indicant puritatem*. Manus alis absconditæ, *invisibilem & varium indicant efficacitatem*. „ Per facies leonis, bovis, aquilę, hominis, significari, omne hominum genus a Deo gubernari. Per leonem enim Regnum [namque animal regium est] significatur: Per vitulum Sacerdotium, nam pro Principe Sacerdotum vitulus unus offerebatur: Et per aquilam Prophetia declaratur; est enim animal in sublime volans, visuque acerrimo, & Prophetia hujusmodi est, quæ sublimia contemplans longissimè prospicit futura. Hæc itaque figura docet, *Omnem hominum naturam, unà cum propriis Ducibus, omnium Regi, omniumque Auctori subjectam esse, qui tot donis humanum genus instruxerit*. Quòd autem pennas eorum extentas ait, & duas pennas singulorum jungi, duas verò tegere corpora eorum, significat, *Ne a divinis quidem Potestatibus omnia comprehendi, sed alia ipsis perspicua esse, alia ignota: Nec sibi positos terminos transgredi: Sed duas alas concesso sibi contemplandi munere exultantes extendunt, & duabus corpus contegunt, eorum quæ occulta sunt ignoratione contenta, neque contendentes ut ea percipiant, quæ percipere nefas est*. Quod unumquodque ante faciem suam gradiebatur, & quocumque erat impetus spiritus, nec revertebantur; *Angelorum statam in omnibus obedientiam significat, & quòd constitutam viam minimè relinquant*. Hanc expositionem *Theodoreti*, apprimè convenire instituto Prophetæ, inde patet, quòd Ezechiel X. Cap. Vers. 1. hanc eamdem Visionem repetens animalia vocat Cherubim: *Et vidi*, inquit, *& ecce in firmamento quod erat super caput Cherubim*. Et Versu 15. *Et elevata sunt Cherubim e ipsum est animal quod videram juxtà fluvium Chobar*. Tum etiam quod initio Capitis secundi, quasi per quamdam anacephalæosim his verbis breviter complectitur Visionem quàm præcedenti Capite commemoravit: *Hæc visio similitudinis gloriæ Domini*. Et Cap. 3. Vers. 23. *Et surgens egressus sum in campum, & ecce ibi gloria Domini stabat, quasi gloria quam vidi juxtà fluvium Chobar*. Ex quibus perspicuè probatur Ezechielem tota hac animalium & rotarum quadriga nihil aliud quàm Dei majestatem & gloriam sedentis super quatuor Cherubim declarare voluisse: Ac proinde Theodoreti expositionem instituto Prophetæ, & ejus Visioni convenire magis, quam explicationem *Sancti Hieronymi* de quatuor Evangelistis.

Literalis forsan magis videbitur *Maldonati* expositio. Supponit 1. Prophetam conversionem aliquam rerum & magnam tempestatem describere voluisse. Secundò hæc animalia esse Cherubinos, ut apparet ex Cap. X. ubi eadem Visio repetitur. *Ipsum est animal*, inquit Propheta, *quod vidi subter Deum Israël juxtà fluvium Chobar: Et intellexi, quia Cherubim essent*. Supponit præterea hos Cherubinos aliquos Reges significare. quòd Cap. 28. Regem Tyri Cherub appellet, Versu 14. *Tu Cherub extentus & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti*. Et Vers. 16. *Et ejeci te de monte Dei, & perdidi te,*

o Cherub

ARTICULUS XXXVII.

Alexandri Observatio in Versum X. Capitis I. Ezechielis propugnatur adversùs Frassenum.

HOc loco ita habent Biblia Vulgatæ Editionis: *Similitudo autem vultus eorum :* (scilicet quatuor animalium) *facies hominis, & facies leonis a dextris ipsorum quatuor ; facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor ; & facies aquilæ desuper*
Alexander, pag. 856. *ipsorum quatuor* : Scripsit Alexander in hunc locum : *Deleri posset vox*, desuper . *Sic plenior esset sensus, & convenientior Hebræo*. Observavit illam deesse in LXX. Interpretibus, in Chaldaica Paraphrasi, in Versionibus Syriaca, & Arabica. An ita se res habeat, expendamus.

Hebraici Textûs Versio a *Sante Pagnino* adornata, & a tribus Summis Pontificibus approbata sic habet : *Et facies aquilæ quatuor ipsis*.

LXX. Interpretes : *Facies aquilæ ipsis quatuor*.

Chaldaica Paraphrasis : *Facies aquilæ illis quatuor*.

Syriaca Versio : *Vultusque aquilæ in lateribus eorum sinistris*.

Arabica : *Faciemque aquilæ eadem quatuor*.

Theodoretus legit : *Et facies aquilæ quatuor*.

Antiquissima Biblia MSS. in hujusce Conventus Bibliotheca extantia, quorum sæpe memini, ad hujus loci marginem hanc annotationem habent Gotticis pariter characteribus adscriptam : *Nec Hebræus, nec Antiqui, habent*, desuper, *sed Glossa exponit*.

Nicolaus de Lira hæc verba : *Et facies aquilæ*, &c. ita commentatur : *Quia secundùm descriptionem Latinorum facies aquilæ erat in parte posteriori. Quia tamen aquila habet collum longum, facies aquilæ elevabatur super alias tres. Secundùm Hebræos verò non plus elevabatur quàm aliæ. Unde & in Hebræo sic habetur :* Et facies aquilæ in ipsis quatuor, *vel*, ad ipsam quatuor : Id est, *existens in eadem linea cum aliis tribus, tamen ultima*.

Joannes Baptista Villalpandus, e Societate Jesu doctissimus Ezechielis Interpres, de hoc versu ita censet : *Legendum est*, Facies aquilæ ipsorum quatuor, *cum Textu Hebræo, Chaldæo, Græco Septuaginta, & Latinis correctissimis, Complutensi, atque Regio, sine particula*, desuper, *quæ additur post vocem* aquilæ *in aliquot Codicibus Latinis*.

Maldonatus vir trium linguarum & sacræ doctrinæ peritissimus ex eadem Societate, eadem penè observat. *Quod ergo*, inquit, *noster Interpres dicit :* Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor *Hebraicè non ita est. Non enim legitur*, desuper : *Nec id LXX. verterunt : neque nominatur locus ubi fuerit, quia id facilè intelligi poterat : cùm enim facies leonis esset ad dexteram faciei humanæ, & facies bovis ad sinistram, non poterat facies aquilæ esse nisiponè, faciei hominis aversa. Neque, ut opinor, noster Interpres, cùm dixit :* Desuper, *voluit significare faciem aquilæ supra alias fuisse : sed fuisse a tergo, capite cæteris altiore, quia aquila, pro ratione corporis, longius quàm cætera animalia collum habent*.

Emmanuel Sa ex eadem Societate : *Hoc verbum*, desuper, *non est Hebr. Chald. in LXX. in Complut*.

Malvenda : *Hebræi ex verbo hunc Versum habent :* Et similitudo facierum eorum hæc erat, „ facies hominis ; & facies leonis ad dexteram ip- „ sis quatuor ; & facies bovis de sinistra ipsis qua- „ tuor ; & facies aquilæ ipsis quatuor. *Notabis Prophetam hac visione, cùm de animalibus loquitur, nunc pronominibus masculeis, nunc fœmineis vicissim uti : quòd* Chaioth *animalia fœminea sint ; & Angelos significent, qui eminenter utramque naturam contineant, & utriusque generis rerum creatarum administrationem obeant. Ergo videtur Propheta hoc Versu dicere, unicuique ex illis animalibus quadrifacibus fuisse faciem hominis in anteriore parte : & faciem aquilæ in posteriore : faciem leonis in dextera parte, & faciem bovis in sinistra*.

Reponit *Frassenus*, unius Critici judicium ad- Frassen. pag. 389.
„ versùs totius Ecclesiæ Latinæ hanc vocem reti- „ nentis & legentis sententiam præscribere non „ debere. Rectiùs & religiosiùs censuisse Prote- „ stantes, præsertim *Grotium*. Adversùm me loqueris, *Frassene!* quasi unus sim & primus omnium mortalium, qui vocem, *desuper*, secundùm Hebræum & LXX. Interpretes non esse legendam animadverterim. Vides tamen ex iis, quos protuli, sententiæ istius vindicibus, opinionem hancce meam, seu conjecturam, non esse singularem. Nec tamen illam Ecclesiæ totius judicio præscribere debere vel cogitavi : qui ejus tantùm auctoritate hoc mendum, cœteraque in Vulgata Editione reliqua corrigi posse non semel scripsi, in illa, quam impugnas, Dissertatione mea : quique ejus judicio conjecturas & Observationes hasce meas humillimi animi devotione subjeci, subjicio, subjiciamque semper, divina favente gratia. An religiosiùs & rectiùs censuerint Protestantes, præsertim *Grotius*, Viri Eruditi, nullisque præjudiciis occupati judicabunt. An controversia quæ *Frassenum* inter & *Alexandrum* intercedit, sit iis de rebus de quibus salva fide & pietate Catholica, dissentire non liceat, pronuntiabunt Viri Theologi : ac de Frassenianæ censuræ æquitate censebunt, qui Doctorem Catholicum, suis laboribus ac studiis Ecclesiæ servire satagentem, infra Protestantes deprimit. Meum interim solatium est, quòd *Apud Christianos, non qui patitur, sed qui facit contumeliam miser est*. Diviniqne illius Ora-
culi cum incredibili voluptate memini : *In ore stulti baculus contumeliæ*. Ad illud attendas *Frassene*, idque unum pro contumeliis in me tuis responsum habeto. Prov. 14. 3. Secundùm LXX.

Sed his prætermissis, Criticam tuam expendamus. Vocem ; *Mibal*, id est, *desuper*, fateris in Hebræo Textu non comparere ; sed verisimile esse ais illam excidisse, & fortè ab aliquo Hebraisante postmodum e codice LXX. Interpretum fuisse expunctam, ne ea sententia ab Hebræo discordare videretur. Macte animo, *Frassene!* audacter augurari perge, ut cœpisti ; sed utinam fœlicius! Voculam unam ab Hebræis Codicibus nonnullis facilè excidere potuisse, non diffiteor : sed quòd ab omnibus toto terrarum orbe exciderit, quis verisimile arbitretur ? Quis non illud censeat Frasseni Doctoris in somnium ? Scilicet Judæi omnes in expunctionem vocis, *desuper*, a suis Codicibus conspirarunt ? Nulli servati sunt ab hoc mendo immunes ? Sed, quæro, num ante Versionem LXX. Interpretum id contigerit ? Num postea ? Si ante, quomodo, vertere potuerunt, *Desuper ipsorum quatuor*, ut Frassenus ipsos vertisse contendit, & postea in omnibus Versionis ipsorum Codicibus toto terrarum orbe fuisse expunctum ? Si postea, quomodo in vetustissimis LXX. Interpretum Codicibus, quibus *Theodoreti* tempore utebatur Ecclesia ; quomodo in Codicibus Vaticano & Alexandrino ante annos mille & ducentos exaratis, in omnibus denique toto terrarum orbe ab aliquo Hebraisante vox illa expungi potuit. Id sanè cùm sit incredibile, longè verisimilius est LXX. Interpretes vertisse quod in eorum Versione etiamnum legimus, *Facies Aquilæ ipsis quatuor* ; & Codices Hebraicos vocem *Mibal, desuper*, non habuisse ; Cùm nulla vel in Hebræis ipsis Codici-

bus,

bus, vel in Græcis varietas inveniatur, & *Quod apud omnes unum invenitur, non sit erratum, sed traditum:* ut ait *Tertullianus*. Verisimilius igitur est Sanctum Hieronymum; siquidem ipse vertit, *Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor*, in mendosos Codices incidisse; vel ipsi visum fuisse hanc vocolam ad majorem Textus Hebræi perspicuitatem esse addendam, quia licèt in Hebræo non esset, intelligi tamen ex quatuor animalium situ facilè poterat.

Quòd verò aquilæ supra cœteras animalium facies eminentiam a SS. Patribus referri ad *S. Joannes*, qui æternam Verbi Dei generationem enarravit, supra cœteros Evangelistas eminentiam significandum, *Frassenus* observat, non probat accuratam esse. Versionem illam. *Et facies Aquilæ desuper ipsorum quatuor*: Sed bonitate Versionis illius supposita, præclarum & elegantem Commentarium esse. Præterea hunc sensum allegoricum esse, non literalem, nemo nescit in Scriptura Sacra paululum versatus. Quamvis [inquam] *Sancti Hieronymi*, & *Sancti Gregorii*, ac *Rabani*, qui ipsum secuti sunt, egregia sit expositio, Prophetiæ tamen sensum literalem assequi non videtur, ut *Maldonatus* eruditè observat. Visio enim illa Prophetæ Evangelistis aptari commodè non potest, si ad literam intendamus. Putat enim *Sanctus Hieronymus* singulos Evangelistas singulas habere facies; *Matthæum* hominis, quia de Christi humanitate maximè agit: *Lucam* bovis, quia a Zachariæ exorditur Sacerdotio: *Marcum* leonis, quia a voce clamantis in deserto, quasi a rugitu leonis incipit: *Joannem* aquilæ, quòd altiùs cœteris volet, ac de Verbi Dei æterna generatione disserat. Si autem Ezechielis visionem sequamur, non singulis singulæ facies, sed singulis quaternæ tribuendæ sunt: *Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni*. (Inquit Propheta.) Deinde, argumento Prophetæ non videtur omnino convenire Visionis ipsius ad quatuor Evangelistas accommodatio. Agebat enim Propheta de futura Judæorum captivitate, cum qua nihil Evangelistis commune est. Ab Aquilone quatuor animalium facies ostenduntur: Evangelistæ verò non ab Aquilone; sed a Meridie, id est, ab Jerusalem, Evangelii prædicationem inchoarunt, quemadmodum Christus illis præcepit, *Prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes, incipientibus ab Jerosolyma*. Lucæ 24.

Adeò obscurus est illius Visionis sensus, ut nullus penè sit locus Scripturæ Sacræ, qui tantam expositionum varietatem pepererit. *Catina* quidam Syrus, cujus *Sanctus Hieronymus* meminit, figuram quatuor animalium de castris Hebræorum in solitudine metatis explicabat. Faciem hominis toti Israëli: Faciem leonis, Regiæ Tribui Juda: Faciem bovis Sacerdotali Tribui Levi: Faciem aquilæ Deo tribuebat, qui ultionem de populo repetebat, cùm vellet, ut *Oseæ* 8. dicitur: *In gutture tuo sit tuba, quasi aquila super domum Domini*.

Alii Dei majestatem & gloriam hic describi censent, & Angelos per quatuor animalia, quibus Deus insidere dicitur, adumbrari. Ita hunc locum *Theodoretus* interpretatur. *Videt Propheta*, inquit, *excidium quo Hierosolyma funditus perdenda essent. Hoc enim significant*, Ventus veniebat ab Aquilone, *vel, ut Symmachus ait*: Impetu flans. *Significat autem venti vis Babylonii impetum*. Et maxima nubes, hastarum & jaculorum, *Omnisque generis telorum copiam & inundationem*. Ignis verò fulgurans, *non solùm incussum terrorem, sed etiam urbis demolitionem ab igne perfectam*. Splendor autem in circuitu, *Dei gloriam, qua se per supplicium ostendit*. Quatuor animalia de invisibilibus Potestatibus explicat, quibus Dei majestas insidet. Unde observat, Prophetam non dixisse simpliciter quatuor se animalia conspexisse, neque item similitudinem animalium, sed *tamquam similitudinem quatuor animalium*: Ita ut perspicuum sit, *Non ipsas vidisse divinos Prophetas eorum qui cerni nequeunt naturas, sed similitudines & formas, ab eo qui magna largitur, ad unumquemque usum ostensas..... Per quatuor facies & alas, declarat Dei quocumque pertinentem providentiam*. Pennæ, spiritalium Potestatum *significant acumen*. Scintillæ splendidissimo similes æri, *Splendorem & mentis indicant puritatem*. Manus alis abscondita, *invisibilem & variam indicant efficacitatem*.
„ Per facies leonis, bovis, aquilę, hominis, si-
„ gnificari, omne hominum genus a Deo guber-
„ nari. Per leonem enim Regnum [namque ani-
„ mal regium est] significatur: Per vitulum Sa-
„ cerdotium, nam pro Principe Sacerdotum vitu-
„ lus unus offerebatur: Et per aquilam Prophe-
„ tia declaratur; est enim animal in sublime vo-
„ lans, visuque acerrimo, & Prophetia hujusmo-
„ di est, quæ sublimia contemplans longissimè pro-
„ spicit futura. Hæc itaque figura docet, *Omnem hominum naturam, unà cum propriis Ducibus, omnium Regi, omniumque Auctori subjectam esse, qui tot donis humanum genus instruxerit*. Quòd autem pennas eorum extentas ait, & duas pennas singulorum iungi, duas verò tegere corpora eorum, significat, *Ne a divinis quidem Potestatibus omnia comprehendi, sed alia ipsis perspicua esse, alia ignota: Nec sibi positos terminos transgredi: Sed dum alas concesso sibi contemplandi munere exultantes extendunt, & duabus corpus contegunt, eorum quæ occulta sunt ignoratione contenta, neque contendentes ut ea percipiant, quæ percipere nefas est*. Quod unumquodque ante faciem suam gradiebatur, & quocumque erat impetus spiritus, nec revertebantur; *Angelorum statam in omnibus obedientiam significant, & quòd constitutam viam minimè relinquant*. Hanc expositionem *Theodoreti*, apprimè convenire instituto Prophetæ, inde patet, quòd Ezechiel X. Cap. Vers. 1. hanc eamdem Visionem repetens animalia vocat Cherubim: *Et vidi*, inquit, *& ecce in firmamento quod erat super caput Cherubim*. Et Versu 15. *Et elevata sunt Cherubim: ipsum est animal quod videram juxtà fluvium Chobar*. Tum etiam quod initio Capitis secundi, quasi per quamdam anacephalæosim his verbis breviter complectitur Visionem quàm præcedenti Capite commemoravit: *Hæc visio similitudinis gloriæ Domini*. Et Cap. 3. Vers. 23. *Et surgens egressus sum in campum, & ecce ibi gloria Domini stabat, quasi gloria quam vidi juxtà fluvium Chobar*. Ex quibus perspicuè probatur Ezechielem tota hac animalium & rotarum quadriga nihil aliud quàm Dei majestatem & gloriam sedentis super quatuor Cherubim declarare voluisse: Ac proinde Theodoreti expositionem instituto Prophetæ, & ejus Visioni convenire magis, quam explicationem *Sancti Hieronymi* de quatuor Evangelistis.

Literalis forsan magis videbitur *Maldonati expositio*. Supponit 1. Prophetam conversionem aliquam rerum & magnam tempestatem describere voluisse. Secundò hæc animalia esse Cherubinos, ut apparet ex Cap. X. ubi eadem Visio repetitur. *Ipsum est animal*, inquit Propheta, *quod vidi subter Deum Israël juxtà fluvium Chobar: Et intellexi, quia Cherubim essent*. Supponit præterea hos Cherubinos aliquos Reges significare. quòd Cap. 28. Regem Tyri Cherub appellet, Versu 14. *Tu Cherub extentus & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti*. Et Vers. 16. *Et ejeci te de monte Dei, & perdidi te,*

o Cherub

Cherub protegens! de medio lapidum ignitorum. Observat insuper, agere postea Ezechielem de quatuor Regnorum commutatione, Chaldæorum, Assyriorum, Ægyptiorum, & Tyriorum. Inde colligit, quemadmodum unum Cherub, id est, unum animal, Regem Tyri significabat, ita alia tria animalia alios tres Reges significare. Igitur sensum hujus ænigmatis esse arbitratur, fore ut post tempestatem quæ Judæis imminebat, quatuor illa Regna, quæ Judæis infesta fuerant, huc illuc converterentur, & ad alios transferrentur Dominos. Quod ut significet Propheta, generalem omnium Regnorum hypotyposim ponit ob oculos. Quatuor enim animalia, quatuor hæc Regna, de quibus agit, deinde omnium Regnorum naturam & conditionem significant: Quæ quatuor facies habent, quia aliquando convenienter humanis moribus gubernantur, id est, in pace & tranquillitate, ita ut humanam faciem habere videantur: Aliquando vicinas gentes, ut leones trucidant; ut boves conculcant, ut aquilæ diripiunt & in captivitatem ducunt. Hanc ob causam Regem Babylonis ab Ezechiele aquilam vocari Cap. 17. quia Regem Juda in Captivitatem ducturus erat. Hæc dicit Dominus Deus, *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.* Thronum saphirinum & similitudinem hominis in eo sedentis, Deum significare, qui supra omnes Reges altiore throno sedet. Colorem electri, & speciem ignis, Dei majestatem declarare. Vocem, quam Propheta supra firmamentum audivit, imperium Dei esse, quo omnia Regna gubernat, & quocumque vult transfert. Animalium figuram, & quatuor cujusque facies, & alas extentas, & tibias teretes, & pedes, summam ad obediendum Deo propensionem denotare: Regnaque omnia, sine cunctatione eò ire quò a Deo impelluntur. Alas, quibus se tegunt, humana esse præsidia, quibus Reges se tueri solent; sed quæ nihil prosunt, si a Deo aliò impellantur. Manus hominis, humanam industriam, auxilia, studia, labores, quæ omnia, nisi Dei spiritu, qui in animalibus fuisse dicitur, gubernentur, cassa sunt & inania. Ignem qui erat in medio animalium, indicare spiritum Dei in Regibus Regnisque omnibus residentem, ut eos huc vel illuc pellat. Non reverti cùm incedunt, quia voluntati Dei non resistunt. Ire & reverti in similitudinem fulguris coruscantis, quia brevi tempore Regna auferentur, & eidem cui ablata fuerant, restituuntur, ut accidit Nabuchodonosori apud Danielem. Sonum alarum qui audiebatur, indicasse numquam Regna sine magno sonitu, stridoreque converti. Hæc *Maldonatus.*

Cæteras expositiones aliorum Interpretum, ut minùs convenientes prætermitto. Nemo autem non videt, quàm inane sit argumentum, quo *Frassenus* usus est ad probandum nullum mendum esse in illo Versu Ezechielis, prout ipsum in Vulgata nostra legimus, *Et facies aquila desuper ipsorum quatuor*; Quia S. Joannis supra cæteros Evangelistas eminentiam vox illa, *desuper*, significat: siquidem illa interpretatio non est literalis, sed mystica. Mirum autem est Disquisiturem Biblicum id non disquisiisse diligentiùs.

Sed etsi allegoricam illam quatuor animalium ad quatuor Evangelistas accommodationem, quam primus non invenit *S. Hieronymus*, sed a *S. Irenæo* Lib. III. Cap. XI. accepit, cum veneratione maxima, ut decet, amplectamur, & sequamur, non sequitur vocem, *desuper* necessariam esse, ut *S. Joannes* supra cæteros Evangelistas eminentia significetur, quam sola Aquilæ figura ipsi aptata satis exprimit. Major enim illius avis perspicacia, altior volatus, & oculorum in Solem audax conversio, designant *S. Joannem* cæteris Evangelistis supervolasse, & in ipsum Deum intendisse contemplationis oculos, ut de Verbi Æterni generatione dissereret, sic Evangelium suum inchoando: *In principio erat Verbum*, &c. Addiderim, Viros Eruditos non deesse, qui tametsi hanc genuinam esse Vulgatæ nostræ lectionem existiment, *Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor*, Non ita tamen vocem illam intelligendam putant, ut eminentiam aliquam supra cæteras animalium facies significet, sed idem esse ac, *insuper*, aut *præterea*. Ita *Mariana* in Scholiis: *Hebr. non est*, desuper, *neque in Septuaginta aut Chaldæo: in Vulgata etiam Regia est sublatum: sensus ergo est*, Facies aquilæ ipsorum quatuor, *scilicet a sinistris erat, repeti enim id debet. Ego*, desuper, *non pro* supra, *sumo, sed pro*, insuper, præterea.

ARTICULUS XXXVIII.

Observatio Alexandri in Versum XXII. Capitis V. S. Matthæi a calumnia & Critica Claudii Frassen vindicatur.

VUlgata nostra eo loco sic habet: *Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit Judicio.* Cum Græci etiamnum Codices, & plurimi Veterum habeant εἰκῆ *Sine causa*, quod Vulgata nostra secundùm Codices emendatiores non habet; *Claudius Frassen* sibi fas esse existimavit non solùm atram bilem suam in me effundere, neque reprehendere sine causa, sed & calumniis insectari. *Hic inquit, adjiciendam esse particulam, sine causa, timidè post Brugensem censet Natalis Alexander; neque enim constanter id audent asseverare.* Doleo, *Frassene Frater!* non propter me ipsum, sed propter te, quòd mihi imponere non verearis. Nec audacter, nec timidè, nec ullo prorsus modo, dixi adjiciendam esse huic Versui particulam, *sine causa.* Sed ita scripsi: *Quidam addunt*, Sine causa: *Ut est in quibusdam codicibus Græcis*, εἰκῆ. Verè dixissem, in omnibus, uno excepto Vaticano. Addidi S. Irenæum, Origenem, S. Cyprianum, Auctorem Epistolæ ad Zenam & Serenum apud Sanctum Justinum, Sanctum Chrisostomum, Auctorem Operis Imperfecti in Matthæum inter ejus Opera, Sanctum Isidorum Pelusiotam, Euthymium, Theophilactum, ita legisse: Quibus Syriaca Versio consentit. Addidi, Sanctum Hieronymum in Commentariis monere hanc vocem, *sine causa*, esse expungendam: Et Libro II. adversùs Pelagianos notare, hanc in plerisque Codicibus deesse. Idem observare *S. Augustinum* Lib. I. Retractationum Cap. 19. quamvis ita legerit Lib. de Sermone Domini in Monte. Nihil aliud omnino dixi de hoc Sancti Matthæi loco. Oculos appello omnium qui Dissertationem meam legerunt, vel legere dignabuntur. *Et Frassenus* quicquid in hac Observatione mea eruditionis est exscribendo & diripiendo, mihi imponit quòd *adjiciendam particulam*, sine causa *post Lucam Brugensem censeam.* O hominis frontem! Ut autem depulsâ calumniâ, veritas Observationis meæ pateat, omnium oculis subjicio loca Patrum quæ indicare satis habui: Et alia a Viro eruditione sua celeberrimo non absimili occasione prolata.

Frassen. pag. 390.

Alexander pag. 358.

D. Arnaldo.

Sanctus Irenæus Lib. II. Cap. LVI. De Christo ita loquitur: *Apud quem non solùm qui occidit, reus erit occisionis ad damnationem; sed & qui irascitur sine causa fratri suo.* Et Lib. IV. Cap. XXXI. *Ait Dominus* ...... Et qui irascitur fratri suo sine cau-

causa, reus erit judicio: *Ut sciamus quoniam non solùm factorum reddemus rationem Deo, ut servi, sed etiam sermonum, & cogitationum.*

Origenes Tractatu VIII. in Matthæum: *Peccator est enim omnis, qui irascitur sine causa.*

Sanctus Cyprianus Lib.III. Testimoniorum ad Quirinum Cap.VIII. *Item in Evangelio κατὰ Matthæum: Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: Qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, Quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio.*

Auctor Epistola ad Zenam & Serenum, apud Sanctum Justinum: *Scriptum est enim, quòd quisquis irascitur fratri suo temerè, judicio obnoxius sit futurus.*

Sanctus Hilarius Cap.IV. in Matthæum: *Lex*, inquit, *vetuit occidere, reatum homicidii severitate judicii expiatura. Sed malè in ulterum commotæ mentis affectio idem in Evangeliis habet pœna, & ex præcepto fidei non minùs rea ira est sine ratione suscepta, quàm in operibus legis homicidium.*

Sanctum Basilium Homilia de Ira, addiderim dicentem: *Ira quando oportet, & ut oportet ex ratione dispensata, fortitudinem, patientiamque & constantiam parit: Præter verò rectam rationem tractata, insania efficitur: Idcirco nos Psalmus admonet: Irascimini & nolite peccare: Ipse namque Dominus in Evangelio illum, qui temerè fratri iratus fuerit, reum judicii facit. Illum verò, qui tamquam pharmaco ad ea, quæ oportet, irâ utitur, minimè condemnat.*

Sanctus Joannes Chrysostomus, Homilia XVI. in Matth. legit: *Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit Judicio:* Et hanc sententiam sic exponit: *Non enim omnino illum extinxit affectum. Primò quidem quia impossibile est hominem passionibus liberari: Nam ut regere illas possumus, ita absque illis per omnia esse non possumus. Deinde quia etiam multis utilis est affectus iste, si illo opportunè ac scienter utamur. Itaque considera quàm ampla quondam bona operata sit ira Pauli. Hanc enim ille adversùs Corinthios exercendo, a maxima illos peste liberavit. Per hanc etiam Galatarum gentem, quæ ferè a Christo jam exciderat, resoemavit: Aliosque plures illius ira censurâ correxit.*

Auctor Operis Imperfecti in Matthæum, Homilia XI. legit: *Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit Judicio:* Et hoc istam sententiam illustrat Commentario: *Ergo qui cum causa irascitur, non erit reus. Nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur. Justa ergo ira mater est disciplinæ. Itaque non solùm non peccant, qui cum causa irascuntur; sed e contra, nisi irati fuerint, peccant: Quia patientia irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, & non solùm malos, sed etiam bonos invitat ad malum.... Iracundia quæ cum causa est, non iracundia est, sed judicium. Iracundia enim propriè intelligitur commotio passionis. Qui autem cum causa irascitur, ira illius jam non ex passione est, sed ex causa: Ideo judicare dicitur, non irasci.*

Sanctus Augustinus Lib. I. De Sermone Domini in Monte, Cap.IX. hunc locum sic explicat: *Sanè in tribus istis sententiis subauditio verborum intuenda est. Habent enim prima sententia omnia necessaria, ut nihil subaudiatur.* Qui irascitur, *inquit*, fratri suo sine causa, reus erit Judicio. *In secunda verò cùm ait:* Qui autem dixerit fratri suo, Racha, *subauditur*, sine causa; *& ita jungitur*, reus erit Concilio. *Jam in tertia, ubi ait:* Qui autem dixerit, Fatue, *duo subaudiuntur*, &, fratri suo, &, sine causa. *Hoc est unde defenditur quòd Apostolus Galatas vocat stultos, quos etiam fratres nominat: non enim id facit sine causa.*

Sanctus Paulinus Epistolâ 2. *Lex dicit, Non occides: At ipse: Nec irascaris fratri tuo sine causa.*

Sanctus Isidorus Pelusiota, Lib. II. Epistolâ CCXXXIX. *Quandoquidem*, inquit, *divinum Oraculum, non simpliciter irasci, sed frustra ac temerè, vetuit; licet enim etiam utiliter irasci, cùm id vel ob Dei gloriam fit, vel ob eos quibus injuria infertur, vel ut proximi ad meliorem mentem revocentur*, &c.

Euthymius, Commentar. in Cap. V. Sancti Matthæi, legit: *Omnis qui temerè irascitur fratri suo, reus erit Judicio:* Hancque sententiam sic explicat: *Addens* temerè, *non omnimodam abstulit iram, sed intempestivam tantùm abjecit: Quæ enim opportuna est, utilis est. Dicitur autem ira opportuna, quæ sumitur adversùs eos qui contra Dei præcepta vivunt: Quando non ad vindicandum nos, sed ad utilitatem eorum qui malè vivunt, ex dilectione & amore fraterno irascimur, cum congrua honestate.* Irascimini, *inquit*, & nolite peccare, *Hoc est Ne in irascendo erretis, irâ malè utentes.*

Theophylactus in Commentar. pariter legit: *Omnis qui irascitur fratri suo temerè, obnoxius erit Judicio.* Quæ verba sic explicat: *Qui irascitur fratri suo temerè, ille condemnatur: Si autem quis irascitur ratione justa motus, & ut alium erudiat, & spirituali zelo, non condemnabitur. Unde & Paulus verba iræ locutus est ad Elymam Magum, & ad Pontificem; non temerè quidem, sed zelo. Tunc autem temerè irascimur, quando propter opes, vel gloriam.* Omnes istos Patres legisse: *Omnis qui irascitur fratri suo sine causa*, vel *temerè*, Græcè εἰκῆ quæ prior pars erat Observationis hunc in locum meæ, evidens est. Quod verò partem spectat alteram, *Sanctum Hieronymum* scilicet, monuisse hanc vocem *sine causa*, esse expungendam & in plerisque codicibus deesse, idemque sensisse tandem *Sanctum Augustinum*, ostendo ipsorum verbis, quæ in Dissertatione mea non descripsi, loca tantùm indicans.

Sanctus Hieronymus in Commentariis: *In quibusdam Codicibus*, inquit, *additur*, sine causa: *cæterùm in veris definita sententia est, & ira penitus tollitur, dicente Scriptura:* Qui irascitur fratri suo. *Si enim jubemur verberanti alteram præbere maxillam, & inimicos nostros amare, & orare pro persequentibus, omnis ira occasio tollitur. Radendum est ergo*, sine causa, *quia ira viri justitiam Dei non operatur.*

Idem Lib. II. adversùs Pelagianos: *In Evangelio legimus:* Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit Judicio. *Licèt in plerisque Codicibus antiquis*, sine causa, *additum non sit, ut scilicet ne cum causa quidem debeamus irasci. Quis hominum poterit dicere, quòd ira, quæ absque justitia est, in sempiternum vitio careat?*

Sanctus Augustinus Lib.I. Retractationum Cap. XIX. libros suos *De Sermone Domini in Monte* recognoscens: *Illud etiam*, inquit, *meliùs intelleximus postea, quod scriptum est*, Qui irascitur fratri suo. *Codices enim Græci non habent*, sine causa, *sicut hic positum est: quamvis idem ipse sit sensus. Illud enim diximus intuendum, quid sit irasci fratri suo, quoniam, non fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur. Qui ergo fratri, non peccato irascitur, sine causa irascitur.*

Nemo igitur non videt, Patrum sententias ita omnino se habere, ut in Dissertatione mea, hunc expendendo locum breviter observavi. Adjiciendam particulam, *sine causa*, non dixi: quin immo *SS. Hieronymi & Augustini* auctoritatem cæteris Patribus opponens, significavi satis esse expungendam, ut illi docuerunt. Calumniatur ergo *F. Claudius Frassen*, & ut *Alexandrum* reprehendat, fingit ipsum scripsisse quæ non scripsit, sentire quod non sentit.

ARTICULUS XXXIX.

Observatio Alexandri in Versum XXVIII. Capitis XXVI. S. Matthæi a Frasseni Criticen defenditur.

Alexander, pag. 559. Frassen pag. 391.

SEcundùm Vulgatam Versionem hoc loco legimus: *Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Observavit Alexander verti posse, *effunditur*; secundùm Græcos Codices, & Syriacam Versionem. *Minùs appositè*, inquit Frassenus. Et cur, Vir bone? *Quia*, inquit, *Græci Codices* ferunt τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον: Quod significat: *Qui pro multis effusus*. At cùm pro multis effusus sit in Cœna & in Cruce, cur verti non possit, *effunditur*, æquè ac *effundetur*? Imò de Calice cùm loquatur Christus [*Lucæ* 22.] quo Sanguis ipsius continebatur, evidens est verti posse in præsenti, & quidem convenientiùs, *Qui pro vobis effunditur*: Id est, qui nunc in Sacrificio incruento quod instituo, pro vobis offertur & sacrificatur: Sicut de Corpore dicit: *Quod pro vobis datur*. Cur enim hæc verba, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, rectè vertuntur, *Qui pro vobis datur*? Et hæc, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, non rectè vertentur, *Qui pro vobis effunditur*? Et hæc, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον apud Sanctum Matthæum, *Qui pro multis effunditur*? Et hæc apud Sanctum Paulum I. ad Corinthios XI. τοῦτό μού ἐστι σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur*? Quod ad Cœnam immediatè referri constat, non ad Crucem: Cùm Christi Corpus in Cruce fractum non sit, sed in Eucharistia frangi dicatur, quatenus frangitur symbolum sub quo latet. In iisque Versionibus non leve momentum est ad Missæ Sacrificium contra Hæreticos asserendum. Cui enim Christi Corpus in Cœna pro hominibus datum, seu fractum est, cui fusus, libatus, oblatusque Sanguis, ab ipso Salvatore, nisi Deo Patri? Non itaque Apostulis duntaxat in cibum & potum, Corpus & Sanguinem Christus dedit, sed Deo Patri in Sacrificium obtulit. Unde Viri quique Græcæ linguæ periti, hanc Versionem, *Qui pro multis effunditur*, magis congruam, & Græco Textui convenientiorem fore censent.

Liturgia *Sancto Jacobo* adscripta habet: *Hic est Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis & multis effunditur & datur in remissionem peccatorum*.

Liturgia *Clementi Romano* adscripta habet: *Hic est Sanguis meus qui pro multis effunditur*.

Syriacus Interpres: *Hic est Sanguis meus fœderis novi, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*.

Arias Montanus: *Hic enim est Sanguis meus, Novi Testamenti, qui pro multis effusus in remissionem peccatorum*.

Erasmi Auctoris damnati Versio permissa: *Hic est enim Sanguis meus, qui est Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*.

S. Basil. lib. 1. de Baptism. c. 1. S. Chrysost. & Theophyl. in Commentar.

Qui SS. Basilium, & Chrysostomum, atque Theophylactum Latinitate donarunt, Viri Græcæ linguæ periti, ubique verterunt: *Qui pro multis effunditur*.

Jansenius Gandavensis Episcopus Cap. CXXXI. Commentarii in Concordiam Evangelicam: *Sciendum*, inquit, *Græca non habere futurum*, effundetur, *sed verbum præsentis temporis* ἐκχυνόμενον, *id est*, Qui effunditur. *Quod etsi communiter intelligatur positum pro futuro, & ideò dictum esse per verbum præsens*, effunditur, *quia jam jam sanguis erat in Cruce effundendus, aut quia jam cœpta erat Christi Passio per proditionem Judæ: tamen rectè videtur etiam eo verbo intelligi Dominum significasse Sanguinem suum cum effundi in ultima Cœna, cùm eum Discipulis tradidit sumendum: Non tamen sic ut intelligatur quemadmodum quidam Lutherani, Dominum asserere suum Sanguinem tunc effundi ratione potationis, sed ratione oblationis: Nimirum quia etiam tunc sanguinem suum Christus Deo Patri obtulit in remissionem peccatorum.... Quòd autem de effusione sanguinis facta in Cœna intelligi etiam debeat quod dicit Dominus*, Qui effunditur, *manifestum videtur ex Luca, apud quem relativum*, qui, *non potest referri ad Sanguinem, sed debet referri ad Calicem*, ut manifestè patet ex Græcis, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. *Poculum autem non dicitur effundi, nisi quia contentum in poculo Deo libabatur..... Certè D. Ambrosius declarat se legisse in verbis consecrationis verbum præsentis temporis*, effunditur, *illudque intellexisse de effusione qua quotidie fit in Sacrificio, cùm dicit* Lib. IV. de Sacramentis Cap. 6. *Si quotiescumque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum funditur: debeo illum semper accipere, &c.*

Maldonatus in Commentario, Calvinistarum responsionem occupans, qui Dominicorum verborum, *Hoc est Corpus meum quod pro vobis traditur*, sensum esse dicunt, Hæc est figura Corporis mei, quod pro vobis tradendum est, ait: *Huic sensui repugnat, quod nullus Evangelista neque de Corpore, neque de Sanguine loquens, futuro usus sit tempore, sed omnes tres Evangelistæ, & præterea Apostolus Paulus, præsenti utantur, Quod pro vobis datur, Qui pro vobis funditur. Quod si præsens pro futuro positum esset, aliquis profectò eo cum futuro usus esset. Nec enim casu eadem omnes figura usos esse credendum est*.

Estius in Cap. XI. Epistolæ I. Sancti Pauli ad Corinthios: *Evangelistas*, inquit, *utentes verbo præsentis temporis*, Qui effunditur, *non respicere ad effusionem Sanguinis futuram in Cruce, sed ad eam quâ sub specie vini fundebatur in Cœna, ostenditur ex verbis quæ sunt apud Lucam. In quibus illud*, Qui pro vobis effunditur, *non potest ad Sanguinem referri; videlicet casu manifestè repugnante in Græco: sed necessariò refertur ad Calicem* τὸ ποτήριον ἐκχυνόμενον, Poculum quod effunditur. *Quod utique non in Cruce effusum est, sed in Cœna*.

Lucas Brugensis in Commentar. Evangelii secundùm Matthæum. ἐκχυνόμενον, effunditur. *Ita est & Syriacè. Multi intelligunt præsens positum esse pro imminente futuro, ut ad Crucem referant, sed non frustra præsenti tempore constanter utuntur tres Evangelistæ simul & Paulus, cùm de Sanguine: Lucas autem & Paulus, etiam cùm de Corpore loquuntur: quin immo clarum hinc evadit [Id enim requirit propria & simplex loci sententia] quod non de Cruce solùm, verùm etiam de Cœna & Eucharistia Christus loquitur; præsertim cùm Lucas manifestè effusionem non Sanguini tribuat, sed Calici*.

Cornelius a Lapide in Cap. XXVI. Sancti Matthæi: Vers. 28. *Græcè tam apud Matthæum, quàm apud Marcum & Lucam est* ἐκχυνόμενον *in præsenti, id est*, effunditur, *id est, offertur & libatur, scilicet in Sacrificio hoc Eucharistiæ sub specie vini, & paulòpost in sua specie & forma naturali Sanguinis effundetur in Cruce*. Et infra: Græcè est ἐκχυνόμενον *in præsenti apud omnes tres Evangelistas, id est*, effunditur, *scilicet nunc in hac Cœna & consecratione Eucharistiæ: ergo loquitur de præsenti Sacrificio Eucharistiæ, non tantùm de futuro in Cruce. Et ita legit & intelligit Sanctus Ambrosius in Psalm. 37. Vers. 1.*

Verba *Sancti Ambrosii*, quæ Cornelius non pro-

fert

fert, subjicio. *Duos Calices lego, unum mortis, alterum vitæ. Mortis Calicem suo Christus exinanivit Sanguine: & novum Calicem ministravit, ut dicamus: Calicem salutaris accipiam. Novi Calix est Testamenti, qui in remissionem effunditur peccatorum.*
Matth. 26. *Effunditur hic Calix, & fex ejus non inanitur, quia mundat omne delictum.*

P. Amelote, eruditus Congregationis Oratorii Sacerdos, in Notis Gallicis ad Evangelium Sancti Matthæi; *Dans l' Original*, τὸ ἐκχυνόμενον, *Qui est répandu.*

Idem in Præfatione elegantis Versionis suæ Novi Testamenti in linguam Gallicam, observat sæpè vocem Latinam in Vulgata nostra vim Græci Textûs non exprimere. Id confirmat ex Cap. 14. Sancti Marci, V.24. ubi Christi verba Sanguinem suum Apostolis dantis ita redduntur: *Hic est Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Et Lucæ 22. Vers.20. *Hic est Calix Novum Testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Deque iis locis ita disserit. *Ainsi dans Saint Marc, Chap.14. Vers.24. lorsque Jesus-Christ donne son Sang., & qu' il dit*, Qui pro multis effundetur: *J' ay crû que ce seroit exprimer plus clairement son intention, & mieux conserver la proprieté de nostre langue; qui n' aime pas comme l' Hebreu, de changer les temps, de le traduire au present comme il est dans le Grec*, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, Qui est repandu pour plusieurs. *Ce que j' ay observé de mesme dans Saint Luc, Chap.22. Vers.20.* Cette Coupe est le Nouveau Testament par mon Sang, laquelle est versée pour vous. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. *Et de peur que quelqu' un ne s' imagine que j' ay commis une irreverence envers l' Interprete Latin, de ne pas exprimer ce mot comme luy par le futur: qu' il sçache que c' est ce mesme Interprete qui m' en a donné l' exemple dans ce Chapitre de Saint Luc, où il a traduit ces paroles au*
Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. *mesme temps qu' il les a trouvées dans le Grec.* Cecy est mon Corps qui est donné pour vous, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον.

Ex his omnibus patet, *Claudium Frassen* imperitè omnino hanc *Alexandri* Observationem reprehendere: *Verti posset*, effunditur, *secundùm Græcos Codices, & Syriacam Versionem, utque legitur Marci 14. Vers.24. Lucæ 22. Vers.20. & 1. Corinth.11. si ad Textum Græcum attendatur.*

ARTICULUS XL.

Observatio Alexandri in Versum IX. Capitis XXVI. S. Matthæi defenditur.

IBi legimus, secundùm Versionem Vulgatam: *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam*
Alexander, pag. 359. *Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israël: Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Observavi, quosdam contendere, Jeremiam, Scriptorum errore pro Zacharia positum, qua opinione ut minùs probabili rejecta, alias hujus loci expositiones protuli. Prima est, quòd Oraculum istud primitus a Jeremia prolatum, hominumque memoriâ conservatum, a Zacharia repetitum fuerit. Neque id mirum esse, cùm priorum Prophetarum verbis Prophetæ posteriores uti soleant. Id ex locis quibusdam paralellis Prophetarum a *Grotio* annotatis; sed quæ nemo Scripturæ Sacræ studiosus nescit, confirmavi. Hinc illa *Frasseni* criminatio, quòd *Grotium* exscripserim. Secunda expositio est, quam affert *Sanctus Augustinus* lib. III. *De Consensu Evangelistarum*, Evangelistam respexisse ad

Tom. IV.

Caput 32. Jeremiæ, ubi dicitur, ipsum emisse agrum a filio patris sui, & dedisse ei argentum; licèt non sub hoc nomine pretii, quod legitur apud Zachariam, *triginta argenteis*, &c. Tertia, quam ibidem *Sanctus Augustinus* addit, Sanctum Matthæum noluisse emendare quod sibi pro alio occurrit nomen Prophetæ, quia Spiritu Sancto auctore id a se positum agnovit, ut certiores essemus, uno Spiritu Prophetas omnes loquutos esse, & tantam inter eos esse concordiam, ut congruentissimè uni tribuatur quod ab altero dictum est. Quarta est, Evangelistam nullius Prophetæ nomen posuisse, sed tantùm scripsisse. *Tunc impletum est quod dictum est per Prophetam.* Cui conjecturæ favent multi Codices Latini, a quibus tempore etiam Sancti Augustini aberat Jeremiæ nomen, quòd Syriaca etiam Versio non habet. *Frassenus* has Observationes exscribit, & suas facit, Frassen. pag. 392.
ex iisque concludit, optimè Jeremiæ vocem in sacro Textu posse consistere, nec ab eo esse expungendam. Quasi verò expungendam esse dixissem, aut vel leviter innuissem; & non potius eò collineent Observationes meæ, ut nativam, non insititiam esse probem, sed religiosè retinendam. Quamobrem igitur contra *Alexandrum* hîc allatrat *Frassenus*? Quia observavit cum Luca Brugensi, quibusdam visum esse *Jeremiam Scriptorum errore pro Zacharia positum*. Et cur istud observare non licuisset, Vir bone! cùm ita se res habeat?

Ita quippe *Origenes*, Tractatu XXXV. in Matthæum. *Sed quoniam quod post hæc dicit Evangelista*, Tunc impletum est quod dictum fuerat per Jeremiam Prophetam dicentem, &c. *Inter ea quæ scripta sunt non invenitur hoc Jeremias prophetasse alicubi in libris suis, qui vel in Ecclesiis leguntur, vel apud Judæos referuntur: Si quis autem potest scire, ostendat ubi sit scriptum: Suspicor aut errorem esse Scripturæ, & pro Zacharia positum Jeremiam, aut esse aliquam secretam Jeremiæ Scripturam in qua scribitur.*

Ita *Eusebius, Lib. X. De Demonstratione Evangelica, Cap. IV.* ubi recensitis Sancti Matthæi verbis, ait: *Diligenter considerabis, cùm hæc non habeantur apud Jeremiam Prophetam, num arbitrari oporteat ea per quamdam malitiam ex illo sublata esse, an verò Librarii erratum fuisse, qui negligentiùs Sanctorum Evangeliorum exemplaria confecerit, & ex negligentia in errorem inciderit, & pro Zacharia posuerit Jeremiam: utpote cùm ita scripto opus fuerit:* Tunc completum est quod dictum est per Zachariam Prophetam. *Pro eo autem quod perperam conversum est:* Et miserunt eos in domo Domini, in fornacem, *dictum est illud:* Et dedi eos in agrum figuli. *Planè enim in ipsa Prophetia in templo Domini projectum fuisse argentum dicitur, & ab Evangelio itidem in templo.* Projectis enim, *inquit*, Judas argenteis in templo, recessit.... *Porrò autem etiam illud contemplare, num fornax dicta sit domus Domini, propterea quòd in templo Dei quasi in fornace conflatoris, animos ex divinorum sermonum calore atque igne transformari contingit; aut alioqui non pueros, dum tamquam in fornace igne explorantur, redargui.*

Ita *Rupertus Abbas*, qui hunc Textum absque Lib. XI. De Gloria & Honore Filii Hominis.
Prophetæ nomine profert hoc modo: *Tunc*, inquit Evangelista, *impletum quod dictum est per Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos*, &c. In Commentario verò hæc habet: *Propheta per quem hoc dictum fuerat, Zacharias est, sed per incuriam Scriptorum inolevit, ut hic pro Zacharia, nominaretur Jeremias.*

Huic sententiæ subscribit *Joannes Benedictus*, Theologus Parisiensis in Scholiis, Eusebiùmque laudat Lib. *De Demonstratione Evangelica* X. Cap. IV.

P. *Amelote*, Congregationis Oratorii Sacerdos, in Notis eruditis in Evangelium S. Matthæi Gallico idiomate a se donatum, eamdem sententiam approbat. En ejus verba: *Ces paroles ne se trouvant pas dans Jeremie, mais dans Zacharie, il faut ou qu'an des premiers Copistes ait manqué en cette citation, veu qu'elle se trouvoit du temps d'Origene; ou que Zacharie s'appellast aussi Jeremie: ou que ce Texte ait esté pris de quelque Livre Saint, mais non pas Canonique de Jeremie.*

ARTICULUS XLI.

Observatio Alexandri in Versum XXXV. ejusdem Capitis propugnatur.

IBi legimus, secundùm Vulgatam Versionem: *Postquam autem crucifixerunt eum, diviserant vestimenta ejus, sortem mittentes: ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Sequens verò Versus ita habet:
Alexander, pag. 364. *Et sedentes servabant eum.* Observavi hanc sententiam: *Ut impleretur quod dictum est*, usque ad *miserunt sortem*, insititiam esse, id probare MSS. plusquam viginti a quibus abest; nec Græcè, nec Syriacè legi; addiderim nec Arabicè, nec Persicè, nec Æthiopicè. Sanctum Hieronymum & Sanctum Augustinum ista verba in Sancti Matthæi Evangelio non legisse, nec Christianum Drutmarum, quibus Paschasium Radbertum & Rabanum addiderim: e Græcis verò Origenem, Sanctum Chrysostomum, & Euthymium.

Frassen. pag. 194. Objicit *Frassenus*, hanc sententiam in Græcis MSS. exemplaribus haberi, solis Complutensibus exceptis. Illam referre multa MSS. antiquissima, præsertim perantiquum, quod est in Bibliotheca majoris Conventus FF. Minorum Parisiensium: Sanctum Hieronymum eam in Textu proponere & interpretari in Commentariis; Sanctum Augustinum ea verba tamquam Evangelica legere Lib. III. De Consensu Evangelistarum Cap. XII. Romanos denique Correctores ea retinuisse.

Quin habeantur in Latinis MSS. antiquis benè multis, imò & Græcis quibusdam vetustissimis, non imus inficias. Ab *Ensebio* siquidem Lib. De Evangelica Demonstratione ita laudantur, ut extant in Vulgata nostra. Quod momentum a *Frasseno* contra nos haud prolatum, quia ignnravit; ipsi liberaliter ac ingenuè suppeditamus. Sed negamus in antiquioribus & melioris notæ Codicibus Græcis & Latinis haberi. Inprimis quàm falsum sit quod *Frassenus* affirmat, in Græcis MSS. exemplaribus, solis Complutensibus exceptis, haberi, falsi convincit MS. Codex antiquus Bibliothecæ Collegii RR. PP. Societatis Jesu Parisiensium ex antiquioribus descriptus, in quo hæc sententia non habetur: sed sic legitur. *σταυρώσαντες δὲ αὐτὸν διεμερίσαντο τὰ ἱμάτια αὐτοῦ βάλλοντες κλῆρον, καὶ καθήμενοι ἐτήρουν αὐτὸν ἐκεῖ.* Id est: *Crucifigentes verò ipsum, diviserant vestimenta ejus mittentes sortem. Et sedentes servabant eum ibi.*

Aberat eadem sententia ab iis omnibus Codicibus Græcis, quibus Auctores Versionum Orientalium usi sunt. Syriacæ nimirùm, Persicæ, Arabicæ, & Æthiopicæ.

Ita Syriaca: *Cùmque crucifixissent eum, partiti sunt vestimenta ejus sorte; & sedebant ac custodiebant eum illic.*

Persica: *Cùm eum super Crucem suspendissent vestes ejus sorte dividebant: & ibi sedebant ut eum custodirent.*

Arabica: *Et cùm crucifixissent eum, diviserunt vestimenta ejus inter se, & sortem miserunt super ea: & sederunt ibi ut custodirent eum.*

Æthiopica: *Et tunc crucifixerunt eum: & diviserunt vestimenta ejus, sortem jacientes & sederunt custodientes eum ibi.*

Aberant a Codicibus Græcis, quibus usus est *Origenes*, quem Codices plurimos legisse, & qui melioris notæ essent, cognovisse, & in his studiis præ cæteris Veterum versatum fuisse, nemo nescit. Ita verò laudat hanc sententiam, Versus 35. & 36. conjungens: *Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt sibi vestimenta ejus, sortem mittentes: Et sedentes servabant eum.* Aberant igitur a Codicibus Ecclesiæ Alexandrinæ, & aliis quos *Origenes* legit.

Aberant a Codicibus Ecclesiæ Antiochenæ & Constantinopolitanæ, ut constat ex *Sancto Joanne Chrysostomo*, qui Homilia LXXXVIII. in Matthæum, Evangelistæ verba recensens, Propheticum testimonium oon adscribit. *ἄκουε τοίνυν καὶ τὰ ἑξῆς, ἐπειδὴ γὰρ ἐνέπαιξαν, ἤγαγον αὐτὸν εἰς τὸ σταυρῶσαι, φησί, καὶ γυμνώσαντες ἔλαβον αὐτοῦ τὰ ἱμάτια, καὶ καθήμενοι ἐτήρουν αὐτὸν ἐκεῖ πότε ἀποπνεύσει· καὶ διανέμονται τὰ ἱμάτια αὐτοῦ.* Id est: *Sed reliqua quoque audias. Postquam enim deludentes saturati sunt duxerunt ipsum ut crucifigerent, inquit, & denudantes, acceperunt ejus vestimenta, & sedentes observabant eum ibi quando expiraret. Et partiuntur vestes ejus.*

Aberant a Codicibus quibus usus est *Euthymius*, qui Sancti Matthæi Textum ita refert: *Cùmque crucifixerant eum, diviserunt vestimenta ejus sortem mittentes. Et sedentes servabant eum ibi.*

Aberant a Codicibus quibus usus est *S. Hieronymus*, qui Novum Testamentum Græcæ fidei reddidit, ut ejus Commentarius fidem facit, in quo non exponuntur, sed laudatur ex Psalmo istud Oraculum ad verba Evangelistæ illustranda. Quod sanè non præstitisset, si Textui *S. Matthæi* totidem verbis fuisset insertum, sed solùm annotasset Evangelistam illud accepisse ex Psalmo. Hæc solùm verba *Sancti Hieronymi* Commentarius repræsentat: *Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes.* Quæ hac brevi observatione illustrat: *Et hoc in eodem Psalmo fuerat prophetatum: Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestimenta mea miserunt sortem.* Unde nullum dubium est, quin Versus XXXV. pars illa, *Ut impleretur quod dictum est*, usque ad hæc verba, *miserunt sortem*, intrusa sit in Textum Evangelii, prout in excusis Sancti Hieronymi Operibus extat, nec ab ipso ex Græco versa esse. Falsò igitur ait *Claudius Frassen*, Sanctum Hieronymum hanc sententiam in Textu proponere, & in Commentariis interpretari. *Frasseni* delirium emendabit *Nicolaus de Lira*, qui hæc verba exponens, ait: *Secundùm Hieronymum istud non est de Textu Matthæi, nec est in antiquis Libris, sed tantùm in Evangelio Joannis.*

Aberant a Codicibus Ecclesiæ Africanæ, ut constat ex *Sancto Augustino Lib. III. De Consensu Evangelistarum* Cap. XII. Ubi singulorum Textus Evangelistarum de partitione vestimentorum Christi recensens, Sancti Matthæi Textum absque Prophetici Oraculi citatione profert. En ejus verba:
„ *Sequitur Matthæus:* „ *Postquam autem crucifixe-*
„ *runt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem*
„ *mittentes: Et sedentes servabant eum. Hoc idem*
„ *Marcus sic:* „ *Et crucifigentes eum, diviserunt*
„ *vestimenta ejus, mittentes sortem super eis quis*
„ *quid tolleret. Hoc Lucas sic ait:* „ *Dividentes ve-*
„ *rò vestimenta ejus, miserunt sortes: Et stabat*
„ *populus expectans. Breviter a tribus dictum est.*
„ *Joannes autem distinctiùs hoc explicat quemadmo-*
„ *dum gestum sit. Milites ergo inquit, cùm cru-*
„ *cifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, &*
„ *se-*

„ *fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem,*
„ *& tunicam. Erat autem tunica inconsutilis de-*
„ *super contexta per totum. Dixerunt ergo ad in-*
„ *vicem; Non scindamus eam, sed sortiamur illam*
„ *cujus sit: Ut Scriptura impleretur dicens; Parti-*
„ *ti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam*
„ *miserunt sortem.* Sanctus Augustinus loca illa profert prout in Versione Itala ex Græca expressa, quæ *verborum tenacior erat, eam perspicuitate sententia*, ut ipse ait, illius tempore legebantur. Hæc autem verba, *Ut adimpleretur quod dictum est*, &c. non refert in Textu Sancti Matthæi, sed solùm in Textu Sancti Joannis. Igitur in veteri Versione Itala non erant, adeòque nec in Codicibus Græcis.

Sic Latinè loquitur.

Respondet Frassenus, *Sanctum Augustinum, cùm in eo opere tantùm incumbat conciliare in speciem pugnantes Evangeliorum Textus, superfluum erat hunc commemorare, in quo nulla apparet cum aliis oppositio.* Sed turpiter hallucinatur Biblicus Disquisitor, & *Sanctum Augustinum* se non legisse eo in loco ostendit, cùm IV. Evangelistarum consentientes Textus referat, prout in Ecclesiæ Codicibus legebantur. Fallor ipse, legit Frassenus hunc locum, sed fœdè mutilavit. Illum enim descripsit dumtaxat ab eis verbis: *Joannes autem distinctiùs hoc explicat*, aliorum Evangelistarum sententiis, quas S. Doctor præmittit, mala fide suppressis, Tum sibi canit, Io triumphe, ita colligens: *Vides illum* (scilicet S. Augustinum) *præfata verba tamquam Evangelica legere.* Miror hominem qui Cursum Philosophicum & Theologicum edidit, tam ridiculè ratiocinari. Agitur de Textu Sancti Matthæi, scilicet de Versu 35. Capitis 27. In quem intrusa esse illa verba, *Ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem, Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*, Alexander observaverat. Eam Observationem ut evertat Frassenus, Textum profert S. Joannis, & concludit Sanctum Augustinum ea verba ut Evangelica legisse, cùm concludere debuisset ipsum ea legisse in Evangelio Sancti Matthæi, ut aliquid contra Alexandrum evinceret, qui scripsit, *Verisimile esse, hanc sententiam ad marginem hic annotatam ex Evangelio S. Joannis, aut ex Psalmi 21. Vers. 19. tandem in Textum irrepsisse.*

Aberant a Codicibus Ecclesiæ Germanicæ, ut constat ex *Rabano Mauro* Lib. VII. in Matthæum, ubi Textum illum sic refert: *Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes. Et sedentes servabant eum.* Et in Commentario ait: *Joannes autem distinctiùs hoc explicat quemadmodum gestum sit.* Tum describit Textum S. Joannis, in quo hæc leguntur: *Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit, ut Scriptura impleretur dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestimenta mea miserunt sortem.*

Aberant a Codicibus Ecclesiæ Gallicanæ, ut constat ex *Christiano Drutmaro*, & *Paschasio Radberto* Corbeiensibus Monachis. Et *Paschasius* quidem Lib. XII. in Matthæum ita hanc sententiam refert: *Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt sibi vestimenta ejus, sortem mittentes:* Et cum hocce Versu immediatè connectit alterum: *Et sedentes servabant eum.* In Commentario verò ait: *Hoc namque est quod in Psalmo ipse de se per Prophetam prædixerat:* Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. *Hanc namque Prophetiam apertiùs Joannes explanat*, &c.

Christianus Drutmarus eodem tenore Textum Sancti Matthæi refert: *Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus sortem mittentes. Et sedentes servabant eum.*

Recentiores Interpretes quid commemorem, qui hanc Sententiam addititiam esse innuunt? *Cajetanum* ita scribentem: *Tota hæc citatio Prophetici testimonii inserta dicitur Matthæo, eò quòd non habetur, in multis Græcis Codicibus.* Mariana in Scholiis idem observantem: *Totum, hoc* Ut impleretur, *usque ad illud*, miserunt sortem, *in Græcis Regiis non est; in Roberti Stephani Codice legitur quidem, sed obelo jugulatum, Item, Gottreus Codex non habet.*

Unde autem contigerit ut illa Sententia Textui Sancti Matthæi in plurimis Codicibus cùm Græcis, tum Latinis addita sit, si quæras: Respondeo, id factum esse a Sciolis quibusdam, seu a Scribis, qui in S. Joannis Evangelio hæc verba legentes, & forsan ad marginem Sancti Matthæi adscripta, existimarunt in Sancti Matthæi Textu deesse, ideòque illa ex S. Joanne audacter addiderunt. Non unum hujusmodi errorem in Codices antiquos hac via irrepsisse Sanctus Hieronymus testatur Præfatione in IV. Evangelia ad Damasum. *Magnus*, inquit, *hic in nostris Codicibus error inolevit, dum, quod in eadem re alius Evangelista plus dixit, in alio, quia minùs putaverint, addiderant: Vel, dum eumdem sensum alius aliter expressit, ille, qui unum e quatuor primùm legerat, ad ejus exemplum cæteros quoque existimaverit emendandos. Unde accidit ut apud nos mixta sint omnia, & in Marco plura Lucæ atque Matthæi, rursus in Matthæo plura Joannis & Marci, & in cæteris reliquorum, quæ aliis propria sunt, inveniantur.*

ARTICULUS XLII.

Observatio Alexandri in Versum XVII. Capitis III. Sancti Marci defenditur.

IBi legimus secundùm Vulgatam Versionem: *Et imposuit eis nomina Boanerges, quod est, Filii tonitrui.* Lectionem mendosam esse observavi ex *Sancto Hieronymo* Commentar. in Isaiæ Cap. LXII. scribente: *Filii quoque Zebedæi, quorum unus vocem tonitrui emittere poterat:* In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, *appellati sunt Benereem, quod interpretatur, Filii tonitrui.* Et in Cap. I. Danielis: *Filii Zebedæi appellati sunt Filii tonitrui: Quod non, ut plerique putant, Boanerges, sed emendatiùs legitur, Beneraham.* Et in Nominibus Hebraicis: *Benereem, Filii tonitrui, quod corruptè Boanerges, usus obtinuit.* Ob hanc Observationem *Frassenus* ineptiens me carpit, quasi grande sit erratum, *Sanctum Hieronymum* sequutum esse. Ait vocem *Boanerges*, in antiquis Codicibus Græcis legi, ac proinde nihil a Vulgato Interprete peccatum esse. Ego verò Codices illos antiquos in mendo cubare existimo, quòd *Boanerges* Hebraicum nomen non sit, multò minùs Græcum, *Filios tonitrui* significans. *Hieronymo* a partibus meis stante, vincam (ut spero) apud eruditos Judices: *Frassenus*, qui me arguendo, *Hieronymum* ipsum arguit, causâ cadet. Mitto quod ipse observat, Christum non Hebraicè purè, sed Syriacè locutum, ideòque cùm Zebedæi filios appellavit *Filios tonitrui*, dixisse Syriacè *Beneregesch:* quam vocem per elypsim detritâ unâ literâ [*e*] & mutato priori [*e*] in [*a*] Evangelista scripserit *Banerges.* Cùm verò apud Græcos [*a*] facilè migret in [*o*] Vulgatum Interpretem optimè legisse, *Boanerges.* Mitto, inquam, divinationem tam ab omni veri specie abhorrentem, tot mutationibus fictitiis literarum innixam, ex quibus

Alexander pag. 365.

Beneraham.

Frassen. pag. 395.

nec

nec *Bonneeges*, sed *Boanergesch* resultaret. Duobus enim argumentis refellitur istud *Frasseni* insomnium. Primum est, quòd Evangelista nomen Syriacum *Bene regesch* retinuisset, non interpolasset: Sicut aliæ voces, *Osianna* sive *Osanna*, *Amen*, *Alleluja*, religiosè retentæ sunt in Libris Sacris, non ita fœdè interpolatæ. Alterum momentum est, quòd *Bene regesch* non significat *Filios tonitrui*, sed *Filios congregationis*, ut scitè *Maldonatus* observat; qui & eruditè scribit in hunc locum: *Non dubito veram esse quod in Commentariis Hieronymus indicat; ignoratione peregrinæ linguæ adeò corruptum a Notariis, deflexumque hoc nomen esse, ut vix in eo primæ originis vestigium ullum appareat.*

ARTICULUS XLIII.

Observatio Alexandri in Versum II. Capitis II. S. Lucæ defenditur.

Alexander pag. 367. LEgimus hoc loco secundùm Vulgatam nostram: *Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino.* Præpositionem [*A*] expungi posse observavi. Frustra contendit *Frassenus* eam in Vulgata

Frassen. pag. 395. nostra non redundare, cùm Græcus Textus & Versiones Syriaca, Arabica, Persica, Æthiopica, Latinique Codices plurimi, præpositionem non habeant. Quibus addo Notam marginalem, quæ in Bibliis antiquis Gottico charactere exaratis, in Bibliotheca hujusce Collegii Parisiensis FF. Prædicatorum eadem manu scripta legitur: *Græca litera non habet, A, & planior hic & verior est.* Cætera quæ hic *Frassenus* observat circa *Cyrini* Præfecturam, penè consentiunt cum iis quæ a me scripta sunt tum in Dissertatione mea

Edit. primæ. de Vulgata Editione, pag. 367. tum Dissertatione II. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi I. pag. 194. 195. & 196. quæ loca Lector curiosus consulet, ne eadem sæpiùs repetere cogar.

ARTICULUS XLIV.

Observatio Alexandri in Versum XXVIII. Capitis I. S. Joannis defenditur.

HIc Versus in Vulgata nostra ita habet: *Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.* Legendum esse, in *Bethabara* observavi, quia Bethania cis Jordanem est. Contra *Frassenus*, stat pro Bethania, eamque lectionem retineri posse contendit, Beda, Alcuino, & Nicolao de Lyra suffragantibus. Ego verò sto pro *Bethabara*, & Origenem, Sanctum Joannem Chrysostomum, Sanctum Epiphanium, Sanctum Hieronymum, Euthymium, Theophylactum, sententiæ Auctores meæ profero, necnon MSS. plurima, cum Græca tum Latina, rationemque gravissimam ex Geographia Sacra petitam. Quænam Sententia firmioribus momentis nitatur, Viri Eruditi judicabunt: Utrùm Origeni, Sancto Chrysostomo, Sancto Epiphanio, Sancto Hieronymo sint anteponendi Beda, Alcuinus & Lyranus.

Ita legit *Origenes* in Commentariis Evangelii S. Joannis a Clarissimo & Doctissimo Præsule *Daniele Huetio* Græcè & Latinè editis pag. 130. *Hæc in Bethabara facta sunt, trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans*, Quæ verba sic exponit: *Quòd in omnibus ferè Exemplaribus ponatur:* Hæc in Bethania facta sunt, *non ignoramus; & videtur etiam hoc antea factum fuisse: unde apud Heracleonem etiam Bethaniam legimus. Sed persuasi fuimus non* Bethania, *sed* Bethabara *legere, cùm ad loca pervenissemus, ut Jesu, Discipulorumque ejus, ac Prophetarum vestigia inspiceremus. Bethania namque, ut ipse inquit Evangelista, patria Lazari, & Mariæ, & Marthæ, quindecim stadiis a Hierosolymis distat, quâ Jordanes fluvius, lato computo, abest stadiis circiter octoginta supra centum: sed neque locus est circa Jordanem, qui nomen commune habeat cum Bethania. Dicunt autem ostendi circa tumulos Jordanis Bethabaram, ubi Historiæ dicunt Joannem baptizasse: estque nominis interpretatio consequens baptismati præparantis Domino populum instructum. Est enim, si interpreteris, Domus instructionis. Bethania verò Domus obedientiæ. Nam perfectè ubi baptizare opus erat ei, qui missus fuerat ante faciem Christi ad præparandum viam ipsius coram ipso, quàm in Domo instructionis? Quoniam verò magis propria est patria ipsi Mariæ, quæ elegerat bonam partem a se non auferendam, & Marthæ in diversa distractæ propter suscipiendum Jesum, atque ipsarum fratri Lazaro, qui a Servatore amicus dicitur, quàm Bethania obedientiæ Domus? Itaque contemnenda non est accurata circa nomina diligentia ei qui voluerit probè intelligere Sanctas Literas.* Addit Origenes, non unum hoc erratum circa nomina in Evangeliorum Codices irrepsisse. Exemplum affert de porcis e rupe præcipitatis, & in mari suffocatis a dæmoniis, quod in loco Gerasenorum contigisse scriptum est, Lucæ VIII. Gerasa autem urbs est Arabiæ, neque mare, neque stagnum in propinquo habens. Nec istum errorem admiserunt Evangelistæ, qui regiones Judææ diligenter noverant. In quibusdam Exemplaribus se legisse, ait, *In locum Gadarenorum*; sed & hoc mendum esse. Nam Gadara civitas quidem Judææ est, circa quam celeberrima balnea sunt, haudquaquam verò in ea stagnum est vel mare præcipitiis adjacens. At Gergesam, a qua Gergesæi, urbem esse antiquam juxtà stagnum Tiberiadis, juxtà quam rupes est stagno adjacens, e qua ostenditur porcos a dæmonibus in præceps delatos fuisse. Significat autem Gergesa *Habitationem ejicientium*. Et ita forsan appellata est, quòd cives Christum rogarint ut e finibus suis excederet. Similia in nominibus sphalmata in Lege & Prophetis se observasse Origenes scribit, Græcis Exemplaribus cum Hebræis collatis, quæ testimonium habebant ab Editionibus Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, quæ nondum erant depravatæ. Quamobrem mirum esse non debet quòd *Bethania* pro *Bethabara* irrepserit.

Eadem lectio vindicatur ex *Sancto Epiphanio*, apud quem Hæresi LI. *Bethamara*, vitio Exscriptorum, pro *Bethabara* legitur.

Sanctus Joannes Chrysostomus emendatiores & sinceriores Codices esse censet, in quibus legitur *Bethabara*. En ejus verba, Homilia XVI. in Joannem. Ὅσα δὲ τῶν ἀντιγράφων ἀκριβέστερον ἔχει, ἐν Βηθαβαρᾶ φησίν· ἡ γὰρ Βηθανία οὐχὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, οὐδὲ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἦν, ἀλλ᾽ ἐγγύς που τῶν Ἱεροσολύμων. Id est: *Quædam autem exemplaria sinceriora videntur, in quibus* Bethabara *scriptum est. Bethania enim non trans Jordanem, neque in deserto erat, sed non longè ab Hierosolymis.*

Eusebius Cæsareensis, & *Sanctus Hieronymus* in libro *De Locis Hebraicis*, Bethaniam a Bethabara distinguunt, & in posteriori isto loco Joannem scribunt baptizasse. *Bethania*, inquit Sanctus Hieronymus post Eusebium, *Villa in secundo ab Ælia milliario, in latere Montis Oliveti, ubi Salvator noster Lazarum suscitavit: cujus monumentum Ecclesia nunc ibidem extructa demonstrat. Bethabara, trans Jordanem, ubi Joannes in Pœnitentiam baptizabat.*

bat. Unde & usque hodie plurimi de fratribus, hoc est, de numero credentium, ibi renasci cupientes, vitali gurgite baptizantur.

Euthymius suffragatur: *Emendatiora*, inquit, *Exemplaria, in Bethabara scribunt. Nam Bethania non est sita trans Jordanem, aut in Deserto, sed prope Hierosolyma.*

Theophylactus: *Sciendum autem*, inquit, *quòd Exemplaria emendatiora habent, in Bethabara. Bethania enim non trans Jordanem est, sed prope Hierosolyma.*

Quid recentiores Interpretes laudem huic sententiæ subscribentes? Cardinalem *Cajetanum* in Commentar. dicentem: *Errore Scriptorum apud Latinos, & apud multos Græcos Codices, mutatum est nomen Bethabara in Bethania.* Cardinalem *Toletum*, qui recensitâ Patrum supra laudatorum sententiâ, secundùm quam *Bethabara* legendum est, de Modernis subdit: *Moderni sequuntur hanc sententiam, & legendum existimant, non Bethaniam, sed Bethabaram; & aliqui eorum notant Judæos revertentes de Ægypto hac via & loco transiisse Jordanem. In quo Mysterium est advertendum: Ubi enim consecratus est Baptismus noster, eò loci siccis pedibus hinc inde aquis consistentibus transierunt mirabiliter Judæi, nostrum in hoc figurantes Baptismum. Aliis Modernis hoc non placet, sed duas affirmant Bethanias, unam prope Jerusalem, alteram quæ sit trans Jordanem: sed opinio nullo solido consistit fundamento. Certum est enim non esse nisi unicam Bethaniam; sicut certum etiam est, Bethabaram esse locum ubi Joannes baptizabat, quæ erat trans Jordanem, & prope fluvium, quo loco erat transitus ipsius fluvii.* Non tamen satis sibi constat Doctissimus Cardinalis, cùm legendum esse *Bethaniam* asserit; & tamen hanc Bethaniam non esse illam, quæ est prope Jerusalem, sed esse eamdem quæ *Bethabara*. Et illam quidem scribi cum *ain*, istam verò cum *aleph*, & idem significare quod *Domus navis*, id est, locus ubi navicula est qua transitur flumen, quod idem est ac *Bethabara*. Certè cùm Villam *Bethabara* Bethaniam quoque fuisse appellatam, nec Origenes, nec Eusebius, nec S. Hieronymus Topographiæ Sanctæ peritissimi, & qui Sacra Palæstinæ Loca diligenter lustraverant, uspiam meminerint; neque a navicula, sed a transitu admirabili filiorum Israël, qui Jordanem alveo miraculosè exsiccato trajecerunt, locus ille dictus fuerit *Bethabara*, id est, *Domus transitus*, probabilis illa Toleti conjectura non videtur. Præterquàm quòd Origenem & Sanctum Hieronymum linguæ Hebraicæ peritissimos non fugisset duplicis Bethaniæ, quarum una per *ain*, & altera per *aleph* scriberetur, distinctio; nec eam prætermisissent, siquidem diversa fuissent loca. Hæ rationes prohibuerunt ne *Toleto*, & *P. Amelote*, qui ejus conjecturam suam fecit in Annotationibus Gallicis in Evangel. S. Joannis, subscriberem.

Andream Masium Doctissimum Scripturarum Interpretem non prætermittam, qui in Cap. III. Josue ita scribit: *Cæterùm illud*, e regione Jerichuntis, *significat trajecisse Populum omnem per eam Jordanis partem, quæ proximè erat Jerichunti objecta. Quam equidem partem opinor deinde appellatam esse ab hac trajectione*, Bethabara, *nimirum ubi Divus Joannes baptizabat: mendosè enim Bethania locus ab aquis remotus, in quibusdam Exemplaribus, meo certè judicio, scriptus est. Et profectò aptissimè in rem eccedisse existimandum est neque sine nutu, consilioque divino; ut quo loco sacer Baptismus primùm isto trajectu fuerat adumbratus, eodem quoque primùm perficeretur.*

Joannes Benedictus Theologus Parisiensis, non in Scholiis tantùm marginalibus, ut solet, observavit hunc locum emendandum esse, sed in Textu restituit, *Bethabara*, non absque MSS. probatorum auctoritate.

Maldonatus hunc locum exponens, ubi eorum sententiam recensuit, qui ut hunc nodum solvant, duas fuisse respondent Bethanias, de hac solutione ita censet: *Dicunt illi quidem, at non probant.* Tum de nostra sententia fert istud judicium: *Origenes, Chrysostomus, Epiphanius, Theophylactus, Euthymius, Bethabara legunt, & inter Latinos Hieronymus in Locis Hebraicis. Quod Doctissimus quisque magis probat.*

Frassenus verisimiliùs dicendum arbitratur, duas fuisse Bethanias, alteram cis Jordanem, & prope Hierosolyma, ubi erat domus Lazari, alteram trans Jordanem, quæ etiam Bethabara dicta est. Hanc responsionem innueram in Observatione mea. *Hinc alterutrum sequitur*, inquiebam, *aut duas fuisse Bethanias, aut hic legendum esse, Bethabara, non, Bethania.* Noveram *S. Thomam* Commentar. in Joannem, utramque proponere his verbis: *Cùm Bethania sit in Monte Oliveti, quod est juxtà Jerusalem, quomodo di-* In. 1.
cit quòd facta sunt trans Jordanem, qui multùm Joan. E-
distabat ab Hierusalem? Sed dicendum secundùm Ori- dict. 14.
genem & Chrysostomum, quòd non debet dici Bethania, sed Bethabara, quæ est quædam Villa ultra Jordanem, & hoc quod dicit, Bethania, corruptum est vitio Scriptorum. Sed quia tam libri Græci quàm Latini habent, Bethania, id ò dicendum est aliter, quod est duplex Bethania: una quæ est prope Hierusalem in latere Montis Oliveti, alia trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. Rationem verò mysticam utriusque loci assignat S. Doctor, *Quia hæc loca conveniunt Baptismo. Nam si dicatur Bethania, quæ Domus obedientiæ interpretatur, significat quòd necesse est per obedientiam Fidei ad Baptismum pervenire.* Rom. I. Ad obediendum Fidei in omnibus gentibus. *Si verò dicatur Bethabara, quæ interpretatur, Domus præparationis, significat quòd per Baptismum præparatur homo ad vitam æternam.* Duas responsiones cùm proponat *S. Thomas* priorem quæ Veterum auctoritate nititur, & gravissima ratione, sum amplexus; alteram quæ minùs probabilis est, ut evincunt momenta hoc in Articulo prolata, reliqui; non succensens tamen iis, quibus ista locum hunc explicandi ratio arrideret. Ideò dixi: *Hinc alterutrum sequitur, aut duas fuisse Bethanias, aut hic legendum esse, Bethabara, non Bethania.*

ARTICULUS XLV.

Observatio Alexandri in Versum XXII. Capitis XXI. S. Joannis propugnatur.

IBi legimus secundum Vulgatam nostram: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Observavit Alexander legendum esse: *Si eum volo manere.* Omnia quippe exemplaria Græca habere ἐὰν quod est, *si*, non οὕτως quod est, *sic*. Ita legisse *SS. Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum, Hieronymum*, & *Theophylactum*, quibus & *Nonnum* addiderim: & antiquissimorum integerrimorum Codicum auctoritate eam lectionem confirmari. Quamvis *SS. Ambrosius* & *Augustinus*, *Beda*, *Rupertus*, Glossæ Ordinariæ Auctor, & *S. Thomas* legerint: *Sic eum volo manere donec veniam*, &c. Momenta quibus probatur esse legendum, *Si eum volo manere*, breviter indicaveram, Nunc ea uberiùs expono.

Textus Græcus sic habet: Λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς: ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σε. Hoc est:

Si

Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?

Syriaca Versio: *Si velim hunc manere usque dum veniam, quid ad te?*

Versio Ariæ Montani: *Si eum volo manere*, &c.

Erasmi Versio permissa: *Si eum velim manere*, &c.

Sanctus Joannes Chrysostomus. Ita legit: Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν. *Si eum volo manere*. Atque Christum his verbis nos docuisse, *Neque dolendum, neque curiosius præter divinam voluntatem investigandum. Nam cùm Petrus semper in hujusmodi interrogationes prosiliret, iterum ejus fervorem retundens, quòd non sit ulteriùs inquirendum, in hunc modum respondit*.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus legit: Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν. *Si eum volo manere*, &c. Quem locum sic exponit: *Absurda visa est Petri interrogatio, & curiosi potiùs, quàm utilia quærentis animi, accepta suarum rerum notitiâ aliena scrutari. Hanc opinor ob causam Dominus respondit quidem aliquid, verùm non rectâ ad interrogata, sed aliò veluti percontantis scopum avertens, non immortalem fore Joannem ait: sed, Si velim eum vivere, inquit, donec veniam, quid hoc ad te, quæso? Hoc est, Audisti, ô Petre! quæ ad te pertinent, cur aliena sciscitaris, & Divinorum Judiciorum scientiam intempestivè scrutaris? Nam etsi non moriatur prorsus*, inquit, *jam tuam curam aliqua in re istud levabit!*

Sanctus Hieronymus, Lib. I. Adversùs Jovinianum Cap. XIV. *Rursum, post auditam sententiam, quod ab alio cingendus esset Petrus, & ducendus quò nollet, & Crucis fuisset illi Passio prophetata: & ille diceret*: Domine, Quid iste? *Nolens deserere Joannem, cum quo semper fuerat copulatus, dixit ei Dominus*: Si eum sic volo esse, quid ad te? *Unde & sermo exivit inter Fratres, Illum Discipulum non moriturum*.

Nonnus, Panoplia in Evangelium S. Joannis:

Ἐὶ μὲν τοῦς ἐθέλοιμι, ἐθέλοιμι ἐνθάδε μίμνειν,
Περὶ σοὶ τί τοῦτο πέλει;
Si eum, donec venero, volo hic manere,
Ad te quid hoc pertinet?

Theophilactus legit: Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι *Si eum velim manere donec veniam*, &c. Quod sic exponit: *Opus, inquit, quod tibi concreditum est, perfice, & sequere me, qui educo te ad prædicationem, & totum orbem in manus tuas trado. Illum autem si velim manere in hoc loco, Galilææ scilicet, & non mittere tecum, quid ad te?* Donec veniam, *quidam sic exponunt: Donec, inquit, contra Judæos qui me crucifixerunt, veniam percussurus eos in virga Romanorum, & subversurus eorum civitatem. Dicunt enim Apostolum illum ferme usque ad Vespasiani Imperium locaque superiora peragrasse, prædicantem & manentem illic: quando autem capienda erant Hierosolyma, transiisse ...... Quidam autem sic intelligunt. Cùm audisset Petrus quòd moriatur pro Christo, dixit*: Et Joannes quid? *Num morietur & ipse? Christus autem hoc non rejecit. Omnis enim qui natus est, etiam morietur. Dixit autem*: Si voluero manere, *id est, vivere eum usque ad consummationem sæculi, ut & tunc de me testetur. Unde & dicunt vivere eum, & ab Antichristo occidendum cum Elia prædicantem Christum ...... Alii autem affirmant quòd mortuus fuerit: Et dicit*: Si eum volo manere, *intelligunt sicut interpretati sumus. Omnes opiniones diximus, ne quam ignorent studiosi. Nobis autem placet, ut* Donec veniam, *intelligatur sicut Chrysostomo divino & aureo illi ori videtur, non de vita, sed quòd non sit jungendus Petro*.

Euthymius ita legit: *Si eum velim manere donec veniam, quid ad te?* Quæ verba sic interpretatur: *Si eum velim in vivis manere, donec secundo adventu veniam; quid illi tecum in hoc commune est?*

Theophanes Cerameus eodem modo legit: *Si eum volo manere*, &c. Quibus verbis hoc ait significari: *Si eum Hierosolymis manere volo, donec veniat ipsum etiam ad prædicandum exire jubeam, quid hoc ad te?*

S. Thomas, etsi Vulgatam Lectionem sequatur, nostram Observationem confirmat: *Sed sciendum*, inquit, *quòd in Græco non habetur*, Sic, *sed*, Si eum volo manere, *&c*.

Suffragantur Interpretum recentiorum doctissimi. Cardinalis *Cajetanus* in hunc locum: *Corruptus est*, inquit, *Textus Latinus, non ab Interprete, sed a nescio quo. Legendum est*; Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? *Ita quòd non est adverbium*, sic, *sed conjunctio conditionalis*, si; *Et ita quilibet debet non solùm legere in Ecclesia, sed delere de proprio Codice*, sic. *Et hoc auctoritate veritatis Evangelicæ: Quia non est mutandus sensus Textûs Evangelici propter inveteratum errorem Scriptorum. Et est sermo nihil definiens, nisi quòd non pertinebat ad Petrum, si Jesus vellet manere Joannem usque ad suum adventum*.

Cardinalis *Toletus* de eodem loco sic censet: *Lectio illa mihi magis placet, quæ habet*, si, *quàm quæ habet*, sic. *Duo mihi hanc lectionem persuadent. Unum est quia dictio Græca id significat*, ἐὰν *Alterum est, quia si legamus*, sic, *tunc sententia absolvitur, & terminatur in verbo posteriori, nempe*, Sic volo manere donec veniam. *At si legamus*, si, *suspensa est oratio usque ad eam partem, nempe*, Si volo eum manere donec veniam, quid ad te? *Hanc autem orationem talem esse ut terminetur in his verbis*: Quid ad te? *indicant verba sequentia. Repetens enim Joannes, eadem omnia repetiit*: Et non dixit Jesus, Quia non moritur, sed, Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? *Si oratio completa esset in verbo*, Veniam *non erat cur repeteretur*, Quid ad te? *Hoc enim ad propositum mortis nihil facit. Repetitum est ergo, quia oratio in eo completur: & proinde non possumus legere*, sic, *sed*, si. *Et est hoc efficax argumentum*.

Ferus, Ordinis Minorum, in Joannem: *Cæterum Græci hunc locum legunt conditionaliter*: Si eum velim manere, quid ad te? *Quasi diceret: Etiamsi istum vellem minimè mori, quid tu ex hoc emolumenti, quidque consolationis inde consequereris?*

Claudius Guillaudus in Commentariis Cardinali de Guisia Archiepiscopo Remensi dicatis, & cum approbatione Sacræ Facultatis Parisiensis editis: *Græcis legitur* ἐὰν, *id est*, si, *non* sic. *Et est conditionalis oratio nihil definiens, hoc tantùm insinuans, quòd ad Petrum non spectabat, si Jesus vellet Joannem manere usque ad suum adventum ... ... Ex hoc igitur sermone*, Si eum volo manere, &c. *ortus est rumor, quòd Discipulus ille Jesu dilectus non esset moriturus violenta morte, sed permansurus in vita, donec veniret Dominus judicare vivos & mortuos*. Tum sequentem Versum, *Et non dixit ei Jesus, Non moritur*, &c. Interpretationem esse ait verborum Christi, *Si eum volo manere, quid ad te? Quæ*, inquit, *de vocatione intelligenda sunt, non de morte Joannis. Quòd verò hic nonnulli se torqueant an Joannes obierit mortem, necne, perspicuè docet ipse Evangelista, Dominum noluisse ut istud sciremus. Quare curiosum fuerit & vanum istud inquirere ...... Imò si etiam Christus sine conditionali dixisset*, Volo ut maneat, donec veniam, *adhuc intelligi posset, ipsum die novissimo, cùm venturus Dominus est, moriturum. Nunc autem ait*; Si eum volo manere,

non

non expeimens quid velit. Cùm itaque fermo ille conditionalis nihil definiat de morte Joannis, curiosum fuerit & vanum aliquid hîc certi definire.

Joannes Benedictus in Scholiis, *fi*, legendum observat.

Versio Gallica Bibliorum a Theologis Lovaniensibus adornata,& edita Lugduni anno MDCIV. *Jesus luy dit: Si je veux q'il demeure jusques à ce que je vienne, qu'en as tu affaire?*

Jansenius Gandavensis Episcopus Commentar. in Concordiam Evangel. Cap. CXLVIII. *Caterùm hanc supervacuam Petri a Joanne curam corrigens Dominus, & ad id quod ad se pertinebat, considerandum excitans, respondet:* Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere. *Legendum enim esse, si, & non sic, ut multi tamen libri corruptè habent, meritò adeò certum esse debet, ut de eo contendere, protervi videatur, qui inveteratum errorem agnoscere nolit, aut agnitum corrigere. Primùm enim Græci Codices omnes habent, si, & non sic, & Interpretes omnes Græci suis Commentariis testantur se legisse conjunctionem conditionalem, si, qua nihil affirmat: Nec aliqua est apud Græcos similitudo inter ἐὰν hoc est si, & οὕτως hoc est, sic, ut hac occasione lapsus possit videri Interpres. Unde nemini dubium esse debet quia errore Librarii conjunctio, si, mutata sit in adverbium, sic: Cùm apud nos facilis prolapsus sit a, si, in sic, ob vocum affinitatem. Idem deinde arguit, quòd non in omnibus Latinis Codicibus habeatur, sic, sed in plerisque etiam legatur, si. Ita enim reperitur in Codicibus nonnullis antiquissimis MSS. ut indicarunt nonnulli. Ita legisse constat Divum Hieronymum Lib. I. contra Jovinianum. Præterea, non posse legi adverbium, sic, ipse sermonis contextus palam satis arguit. Cùm enim retulisset Joannes, occasione horum verborum Domini exiisse sermonem inter Fratres, quòd Discipulus ille non moreretur, tamquam corrigere volens hanc ex Domini verbis conceptam opinionem, subjecit:* Et non dixit Jesus, Non moritur, *&c. Si autem legatur:* Sic eum volo manere, *Planè dixit eum non moriturum, quod Joannes negat a Domino dictum.* Refellit deinde Jansenius *Gregorii Trapezuntii* opinionem, qui in Libello quodam Romano Pontifici Eugenio IV. nuncupato, contendit legendum esse, *sic*, & Interpretem eo modo rectè vertisse, quòd dictio Græca ἐὰν, cui correspondet nostra conjunctio, *si*, affirmativè sit accipienda, quando conjungitur verbo indicativi modi, quemadmodum & conjunctio, *si*; conditionaliter verò quando conjungitur verbo subjunctivo. Atque tum ex hoc loco tum ex aliis quibusdam argumentis,conatur ostendere Joannem needum esse mortuum. Verùm, inquit Jansenius, *Ut rationes illius non concludunt, ita jam dicta sententia magis concordat cum Ecclesia traditione. Cæterum sicut omnino improbabiles & falsa sunt jam dictæ opiniones, quibus bene convenit illa lectio,* Sic eum volo manere, *&c. Ita secundùm veram Ecclesia de Joannis morte sententiam, nullus aptus afferri potest sensus illius recepta apud Latinos lectionis. Divus Augustinus enim, qui manifestè legit,* sic *deceptus nimirum mendo Codicis post longam intelligentia verborum Christi inquisitionem, ad mysticum confugit intellectum, intelligens Dominum significasse, se velle vitam contemplativam, cujus Joannes typum gessit, manere sic, ut nunc est, imperfectam, donec ipse venturus sit, quando illam in vita beata est perfecturus: cùm vita activa, cujus Petrus typum tulit, imperfecta non sic manere debeat ut est, nec expectare suam post adventum Domini perfectionem, sed hîc ad perfectionem tendere debeat: vultque Divus Augustinus verbum,* manere, *hic positum esse pro,* expectare. *Verùm salva tanti viri reverentia, quis non videat coactam nimis esse hanc interpretationem, & literali intentioni Domini non convenire? Ut enim alia omittamus, certum est,* manere, *dictum esse, pro* permanere, & non mori: *alioqui enim ex his verbis Domini Apostoli occasionem non habuissent putandi Discipulum illum non moriturum. Itaque alii, quo aliquem literæ convenientem reddant sensum, intelligunt, cùm dicitur,* donec veniam, *Dominum non locutum de novissimo suo adventu, sed de adventu suo contra Judæos, ad percutiendum eos per Romanos, sub Tito & Vespasiano, atque significasse Joannem usque ad illa tempora victurum sicut & reverà vixisse constat. Sed & hoc coactius est, ut de illo adventu intelligatur Dominus hîc locutus. cùm aliàs semper in tali locutione loqui soleat de novissimo ad judicium adventu: ut omittamus Joannem non tantùm vixisse usque ad illa tempora, sed longè ultra. Pervenit enim usque ad Trajani tempora, moriens sexagesimo-octavo post Passionem Domini anno, hoc est, triginta propemodum annis post Hierosolymorum excidium. Venerabilis Beda, & post eum plerique, sic hanc lectionem exponunt,* Sic eum volo manere donec veniam, *hoc est, Non eum per Passionem Martyrii volo consummari, sed absque violentia persecutoris diem expectare novissimum, quando ipse veniens, cum in æterna Beatitudinis mansione recipiam placidè sine dolore violenta mortis. Nec potest sanè convenientior ejus lectionis afferri sensus: sed quando & is variis modis valde coactus est, restat ut ea lectione mutata, qua nullum aut verum, aut convenientem habet sensum, eam potiùs recipiamus, quam certum est omnes habere concorditer Græcos Codices, quamque valde verisimile est etiam Interpretem primùm fideliter Latinis reddidisse, sicut in Latinis plerisque incorrupta inventa est semper. Quam germanam esse, etiam ex ipsis verbis, ipsaque intentione Domini facilè potest ostendi. Per hoc enim quòd Petro roganti de Joanne Dominus respondendo dixit,* Quid ad te? *Patet Dominum notare voluisse superfluam curiositatem: proinde non conveniebat ut illius curiositati satisfaceret: cui tamen satisfecit, si dixit:* Sic eum volo manere donec veniam. *Cui affirmationi jam non satis cohæret subsequens reprehensio;* Quid ad te? Tu me sequere. *Sed nec conveniebat ut Joannes, cùm Fratrum falsum intellectum refellere vellet, subjiceret:* Et non dixit Jesus, Non moritur, sed, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? *Omittendum erat.* Quid ad te? *Sicut Omisit,* Tu me sequere; *Quia illud ad perfectionem Sententia qua videri poterat Dominus significasse Joannem non moriturum, pertinebat. Cæterùm depravatio hujus loci per Librarios videri potest ex eo nata, quòd quia, si, positum erat cum verbo indicandi,* volo, *non animadverterint illud positum pro,* an, *aut,* quid si, *aut,* quia; *alioqui non videbatur quare Apostoli ex illis verbis intellexissent Discipulum illum non moriturum. Aut demum propter opiniones illas de Joanne non morituro usque ad Judicii diem, quas qui sequebantur, lectionem illam induxerunt, aut inventam alicubi, ubique inculcaverunt.*

Estius in Annotationibus: *Sic, irrepsit pro,* Si. Si, *non* Sic *legendum, manifestè patet ex Græco ἐὰν Non enim inter Græcas voces ἐὰν & οὕτως ea affinitas est, ut errore aliquo alterum in alterum mutari potuerit, sicut apud Latinos, si, in sic, mutatum fuit. Idem confirmat ex vetustis Latinis Codicibus, & ex auctoritate Cardinalis Bessarionis, Petrus de Rivo Theologus Lovaniensis, in Libro de anno, de die & feria Dominicæ Passionis, Tractatu II. Cap. III. testificans Paulum a Middelburgo id bene observasse ..... Clevardus quoque in Epistolâ ad Rutgerum Rescium, testatur in Codice Arabico ante annos sexcentos e Græco translato,* legi

legi, Si eum volo manere. *Syra Translatio*, si, *non*, sic *legit*. *Mitor Biblia Sixtina Correctionis retinere*, sic. *Videtur autem hujus lectionis occasio fuisse ex Officio Ecclesiastico de Sancto Joanne, in quo*, sic, *legebatur*.

Maldonatus; *A multis jam ante nos observatum est, triplicem hujus loci lectionem reperiri. Prima est illa maximè vulgaris, qua in omnes ferè Latinos pervasit Codices, eosque incredibili Scriptorum negligentiâ contaminavit*, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? *Nulla prorsus specie probabilitatis. Nam & Sententia particulam conditionalem*, Si, *necessariò requirit, & nulla inter ἐὰν, qua in omnibus Græcis legitur libris, & οὕτως est similitudo, ut suspicio esse possit Interpretem nostrum unam pro altera legisse. Altera lectio est*, Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? *Quæ lectio in omnibus, quos legere potui, Græcis Codicibus, etiam illo celebratissimo Vaticano, & apud omnes Græcos Enarratores summo consensu reperitur*, Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι. Si eum volo manere donec veniam. *Quemadmodum & Syriaca Exemplaria, & nonnulla Latina, & vetusta Manuscripta, quæ ab eis qui præcipuam hac in re operam posuerunt, nota sunt*, &c. *Vera lectio est, ut ex Græcis Codicibus apparet*, Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? *Sed aut incuriâ, ut fit, Notariorum, pro*, si, *cœptum est scribi*, sic; *aut ab aliquo fortasse, qui nolebat Joannem esse mortuum, studiosè per speciem correctionis locus corruptus est*.

Mariana S. J. in Scholiis, hanc lectionem, *Si eum volo manere*, inveniri ait *in quibusdam vetustis Codicibus Latinis, & in omnibus Græcis Codicibus, præter unum Velezii, in quo ad marginem legitur οὕτως, id est*, sic, *pro ἐὰν, id est*, si.

Ex his omnibus perspicuum est, quantùm *Frassenum* invaserit, carpendi *Alexandri* cachoëtes, quem ob eas ipsas Observationes insectatur, quæ Græcæ Veritatis, antiquiorum Patrum, & numero plurium, ac omnium penè Virorum Eruditorum testimonio ac suffragio fulciuntur, approbantur, defenduntur.

Verùm quia nobis pertinaciter opponit SS. Augustinum & Ambrosium, Bedam, Rupertum, Lyranum, qui mendosos Codices secuti, legerunt, *Sic eum volo manere*, noverit quod jam sæpius diximus, sed quod iterum ipsi inculcare necesse est: His licèt maximis viris, anteponendos esse Sanctum Joannem Chrysostomum, Sanctum Cyrillum Alexandrinum, Nonnum, Euthymium, Theophilactum: siquidem lectio, quam secuti sunt, ea ipsa est, quam Græca Veritas exhibet: eaque in omnibus Codicibus Græcis, absque varietate prorsus ulla habetur. Porrò *Novum Testamentum, quod Græcum esse non dubium est, cùm in nostro sermone discordat, & in diversos rivulorum tramites ducit, uno de Fonte quærendum est..... Si veritas quærenda est de pluribus, cur non ad Græcam Originem revertentes, ea quæ vel a Præsumptoribus imperitis emendata perversiùs, vel a Librariis dormitantibus aut addita sunt aut mutata, corrigimus!* (inquit Sanctus Hieronymus Præfatione in IV. Evangelia ad Damasum.) Hinc alibi Græcum Textum, *Fontes undam purissimam*, appellat: & passim *Græcam Veritatem*. Porrò in nostro sermone discordat Novum Testamentum eo quem tractamus loco. Quidam Codices habent, *Si eum volo manere donec veniam*. Plurimi: *Sic eum volo manere*. Nonnulli: *Si sic eum volo manere*. Ad Græcos itaque Codices recurrendum est. Quam Regulam Sanctus Augustinus confirmat Lib. II. De Doctrina Christiana Cap. XI. *Latinæ linguæ homines*, inquit, *Hebrææ & Græcæ linguæ cognitione opus habent, ut ad Exemplaria præcedentia recurrant, si quam dubitationem intulerit Latinorum Interpretum varietas*. Cùm itaque Græci Codices absque ulla prorsus varietate habeant: Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν. *Si eum volo manere*: Ea lectio legitima esse censenda est, quæ Romani Pontificis auctoritate restitui possit.

ARTICULUS XLVI.

Observatio Alexandri in Versum XV. & XVI. Capitis VII. Actuum Apostolorum adversùs Frassenum propugnatur.

LEgimus ibi secundùm Vulgatam nostram: *Et descendit Jacob in Ægyptum, & defunctus est ipse & Patres nostri. Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem*. Hunc locum esse mendosum observavi. Pro Ἐμμὸρ vicina forsan voce scriptum fuisse Ἐφρὼν Ab Ephrone scilicet Abrahamum emisse monumentum [*Genes*. 23. *Vers*. 17.] & in eodem sepultum fuisse Jacob (*Genes*. 50. *V*. 13.) Varias proposui circa hunc locum conjecturas. Tum subdidi: Si Vulgata Lectio servetur, dicendum, Sanctum Stephanum lapsu memoriæ duo facta similia confudisse, emptionem scilicet ab Abrahamo factam, de qua *Genes*. 23. cum ea quæ a Jacobo facta est, *Genes*. 33. *Vers*. 10. Agrum quidem, in quo erat spelunca duplex, emisse Abraham ab Ephron quadringentis siclis argenti: Jacob verò emisse partem agri in qua fixerat tabernacula, a Filiis Hemor Patris Sichem centum agnis; S. Stephanum utramque Historiam confudisse, S. verò Lucam ne iota quidem unum immutare voluisse in Sancti Protomartyris verbis.

Me *Frassenus* insectatur, quòd iis *ex parte consenserim*, qui Sancto Stephano, qui *Plenus erat fide & Spiritu Sancto*, memoriæ lapsum tribuerunt, Quasi verò Fides eximia, & Spiritus Sanctus, memoriæ vim indeficientem Sanctis, in quibus inhabitat, largiatur; exceptis Canonicorum librorum Scriptoribus in actuali ipsa scriptione. Octavumne Spiritûs Sancti donum *Frassenus* obtrudet scilicet donum memoriæ? Sanè probabilem admodum esse Alexandri solutionem nodo huic plusquam Gordio adhibitam, Venerabilis Bedæ & Rabani doctissimorum mediæ ætatis virorum suadet auctoritas. Bedæ verba exhibere satis erit: *Docet Genesis*, inquit, *Abraham ab Ephron Filio Seor Ethei in Cariatarbe locum sepulchri quadringentis argenti siclis emisse, in quo ipse Abraham, Isaac, & Jacob, & Adam protoplastus sepulti. Itemque Jacob de Mesopotamia reversum, juxtà urbem Sichem, partem agri, quo tabernacula tenderet, ab Emor Patre Sichem datis centum agnis accepisse. Non emit ergo Abraham sepulchrum ab Emor Sichimita, sed ab Ephron Hethæo, in quo duodecim Patriarchæ non sunt sepulti, sed in Sichem. Verùm B. Stephanus vulgo loquens, vulgi magis in dicendo sequitur opinionem, Duas enim pariter narrationes conjungens, non tam ordinem circumstantis Historiæ quàm causam, de qua agebatur, intendit. Qui enim insimulabatur adversùs Locum Sanctum & Legem docuisse, pergit ostendere quomodo Jesus-Christus ex Lege monstratur esse promissus, & quòd ipsi, nec tunc Moysi, nec Domino nunc servire maluerint. Hæc, ut potui, dixi, non præjudicans sententiæ meliori, si adsit*. Eadem ferè habere *Rabanum* observat *Melchior Cano*, *lib. II. De Locis Theologicis*, Cap. XVIII. *Quibus verbis*, inquit vir maximus, *verecundè quidem ac modestè significarunt, Stephano, id quòd vulgò fere solet, accidisse: ut in longa videlicet narratione, eaque præsertim subita, confuderit nonnulla & miscuerit; in quibusdam etiam memoriâ lapsus fuerit*,

fuerit, in his dumtaxat, quæ ad rem parum aut nihil omnino attinerent. Nam causa de qua potissimum agebatur, erat intentus. Lucas verò Historiæ veritatem retinere volens, ne iota quidem immutavit; sed eam, ut a Stephano narrata erat, exposuit. Nos autem non Stephanum ab omni lapsu, sed Evangelistam vindicare debemus. Solis quippe Apostolis, Prophetis & Evangelistis hunc honorem deferre Catholica Fide docente didicimus, ut nullum eorum vel memoriâ lapsum esse credamus, nullum nec in magnis, nec in parvis errasse. At Stephanus plenus erat Spiritu Sancto. Fateor. At Spiritus loquebatur in eo. Et id quidem fateor. Sed aliter in Christo Spiritus loquitur, aliter in Prophetis & Apostolis, aliter in Stephano, & Ambrosio. Ac certè per hos omnes, loquebatur. Per Concilium Generale Deus Ecclesiæ loquitur, per Ecclesiæ Pastores Deus Ecclesiæ loquitur: per veteres Sanctos Deus Ecclesiæ loquitur. Et hi omnes tamen in parvis labi possunt, memoriâ præsertim, ubi lapsus facilior est. Scriptorum ergo sacrorum hoc privilegium est, ut eorum nullus in docendo erret. Stephano privilegium hoc nec ratio concedit, nec auctoritas. Nec verò ab sacris Auctoribus alienum est, errantium quoque verba referre. Sic enim Jephte, Judic. II. trecentos annos possessionis pretendit, cùm revera trecenti non fuissent. Et sacer tamen Historicus trecentos retulit. Sic etiam Matthæus, si Hieronymo credimus, Prophetiam Michææ, non ut a Michæa scripta erat, sed ut a Scribis erat enuntiata, retulit. Hæc vir doctissimus, cui Bedæ Venerabilis, & Rabani, imò Scripturæ ipsius, auctoritate freto, ex parte consensisse, ut *Frassenus*, exprobrat, nequaquam pœnitenda res est.

Matt. 2.
Mich. 5.

Ut Vulgatam Lectionem, quam verisimilitudine & probabilitate maxima hic mendosam esse conjicimus, *Frassenus* propugnet, fingit *Ephronis* patrem fuisse binomium, & dictum Seor in Genesi, hic verò *Hemor:* & cùm plures habuerit filios, *Ephron*, utì majorem natu, nomine cæterorum Fratrum *Sepulchrum vendisse* * *Abraham*. Sed inane prorsus ac vanum figmentum istud esse, quis non videat, non primùm quidem a *Frasseno* excogitatum, sed ex translatitiis commentariis exscriptum, nulla nixum auctoritate, nulla fultum ratione, nisi ista: Si binomius non fuisset Pater *Ephronis*, & *Ephron* non fuisset natu major, qui nomine cæterorum agrum Abraham vendidisset, falsa esset opinio mea, quâ contendo Vulgatæ Textum Actorum VII. Vers.15. non esse mendosum, ut arbitratur *Natalis Alexander:* Atqui opinio mea non est falsa: Ergo binomium fuisse patrem Ephronis, & rem ita contigisse necesse est. Esto, nec Scriptura Sacra, nec Veterum ullus, id testentur; *Haud tamen absimile est, quia Palæstinis plura fuisse nomina plurimis exemplis liquet in Veteri Testamento.* Diceres *Frassenum*, qui tam confidenter id asserit, locum aliquem habere ex Instrumento Veteri, quo Palæstinos omnes binomios fuisse probetur. Id verò falsissimum esse, patet ex Scriptura Sacra, in qua pauca hujusmodi exempla videre est. Rogo te, Pater Guardiane! si eleemosynam uberem vestro Fratrum Minorum Conventui Illustris cujuspiam Viri Testamento legatam vindicare velles, causamque ageres in Supremo Galliarum Senatu adversùs heredes Benefactoris: illi verò nihil se debere Fratribus Minoribus contestarentur, quia supremæ, quas proferres, tabulæ, aut earum apographum, alterius hominis ac familiæ nomen adscriptum haberent: vinceresne causam dicendo hunc fuisse binomium, quia ea Gallis quibusdam consuetudo est, pluribus ut nominibus appellentur? Litem habeo contra te, *Frassene Frater!* in Senatu virorum eruditorum judicandam. De agro agitur, quem emit Abraham in possessionem sepulchri. Contendis Sanctum Patriarcham illum emisse a filiis Hemor, prout Sanctus Stephanus dixisse refertur in Actis Apostolorum, nec eam Lectionem esse mendosam. Intercedo; mendosamque Lectionem esse oppono. Instrumenta profero incorrupta, scilicet loca laudata Geneseos XXIII. & L. Capp. quæ Abraham sepulchrum illud ab Ephrone filio Seor emisse testantur. Priori namque loco dicitur: *Surrexit Abraham, & adoravit populum terræ, filios videlicet Heth: Dixitque ad eos: Si placet animæ vestræ ut sepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor: ut det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui: Pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri.* Et infra: *Abraham appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat: quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ*, &c. Posteriori verò loco legimus: *Fecerunt ergo filii Jacob sicut præceperat eis. Et portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethæo, contra faciem Mambre.* Tu verò, *Frassene*, respondes, Patrem *Ephronis* duplici nomine, *Hemor*, & *Seor* appellatum esse. Peto Instrumenta proferas quæ id probent. Id minimè necessarium esse clamas: satis esse quod id vero non absimile sit, cùm multos in Palæstina binomios fuisse constet. Sic divinationem tuam omnium Instrumentorum auctoritate superiorem esse vis, omnibus rationum momentis præponderare. Tua ne an mea potior causa sit, Eruditi quique judicabunt.

*Sic Frassenus loquitur, ad Grammaticos sæpiùs amandandus.

Vulgares hujus loci expositiones in Observatione mea strictim retuli, sed quæ (ut ingenuè dicam quod sentio) omnes coactæ sunt. *Sanctus Hieronymus* Epist. CI. ad *Pammachium*, *De optimo genere interpretandi*, hancce difficultatem proposuit, solutionem verò distulit, quam nusquam ipsum dedisse, ex ejus Operibus compertum est. *Lucas*, inquit, *vir Apostolicus & Evangelista scribit, Stephanum Primum Christi Martyrem in Judaica Concione narrantem:* „ In septuaginta quin-

Act. 7.

„ que animabus descendit Jacob in Ægyptum: „ Et defunctus est ipse: Et Patres nostri translati „ sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, „ quod emit Abraham pretio argenti a filiis Emor

Genes. 23.

„ patris Sichem. „ *Hic locus in Genesi multò aliter invenitur, quòd scilicet Abraham emerit ab Ephron Hethæo filio Seor, juxtà Hebron, quadringentis drachmis argenti speluncam duplicem, & agrum circa eam, sepelieritque in ea Saram uxorem suam. Atque in eodem legimus libro, postea*

Genes. 33.

revertentem de Mesopotamia Jacob cum uxoribus & filiis suis posuisse tabernaculum ante Salem urbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, & habitasse ibi, & emisse partem agri, in quo habebat tentoria, ab Emor patre Sichem centum agnis, & statuisse ibi altare, & invocasse ibi Deum Israël. Abraham non emit specum ab Emor patre Sichem, sed ab Ephron, filio Seor, nec sepultus est in Sichem, sed in Hebron, quæ corruptè dicitur Arboch. Duodecim autem Patriarchæ non sunt sepulti in Arboch, sed in Sichem: qui ager non est emptus ab Abraham, sed à Jacob. Differo solutionem istius quæstiunculæ. Ut obtrectatores mei quærant, & intelligant, non verba in Scripturis consideranda, sed sensus. Sanè si existimasset *Sanctus Hieronymus* hanc solvi quæstionem dicendo, *Ephronis* patrem fuisse binomium, quia Palæstini plures binomii erant, non erat cur illius solutionem differret. Forsan illi deerat recentiorum quorumdam Interpretum & *Frasseni* acumen?

Aliud mendum hoc in loc observavi, scilicet in his verbis, *Filii Sichem*, pro quibus legendum

est, *Patris Sichem*; fuit enim *Emor* pater *Sichem*, non filius, ut colligitur ex Genes. 33. ubi de Jacob dicitur: *Emitque partem agri in qua fixerat tabernacula, a filiis Emor patris Sichem centum agnis.* Et ex Lib. *Josue* Cap. 24. Vers. 32. Ubi dicitur: *Ossa quoque Joseph, quæ tulerant filii Israël de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Jacob a filiis Hemor patris Sichem centum novellis ovibus.*

Reponit sui figmenti vanitate captus *F. Claudius Frassenus*, Hemor patrem habuisse Sichem, non quidem illum a cujus filiis Jacob emit partem agri, sed alterum longè antiquiorem: Quia non est insolitum in eadem familia varios filios & patres ejusdem appellationis reperiri. Sed cùm nullum Hemor filium Sichem Historia Sacra commemoret, sed solùm Hemor patrem Sichem, ariolatur *Frassenus*, & contra Scripturam Sacram duos hujus appellationis homines fingit, unum a cujus filiis Jacob emit partem agri, & alterum antiquiorem. Nullum præterea ex Veteribus hujus opinionis auctorem habet: Profero autem pro Sententia mea Textum Græcum, in quo habetur dumtaxat τῦ Σίχεμ omissa voce, *filii*; Sanctum Hieronymum Epist. CI. supra laudata hunc locum Actorum ita referentem: *Et positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor patris Sichem.* Profero & Venerabilem Bedam in Commentar scribentem: *Porrò quod dicitur:* A filiis Hemor filiis Sichem, *In Græco exemplari scriptum est*, a filiis Hemor, qui fuit in Sichem; *Quod Genesis Historia magis concordare videtur.*

Ita supplendum Græci Textus sensum, qui habet dumtaxat, τῦ σύχεμ, Beda existimavit.

Tandem viros doctissimos suffragatores habeo, Melchiorem Cano, Andream Masium, Estium, Emmanuelem Sa: *Si mihi conjectura uti liceat* (inquit Masius in Cap. ult. Josue) *Dixerim Stephanum illic de Josephi sepultura locutum esse: Atque ad hunc modum emendari debere Codices Græcos, ut pro Abraham, scribatur, Jacob; illudque τοῦ σύχεμ expungatur tanquam supervacaneum, & non minore audacia quàm inscientia olim a quopiam additum sacris verbis. Neque enim temerè omissum a Syro esse opinor, Interprete longè vetustissimo. Quod si verò retinendum est, scribendum omnino esse, πατρὸς τοῦ σύχεμ, ut est in Geneseos libro..... Non sum equidem nescius, quibus alii hunc locum rationibus a mendo vindicare conentur. Sed ego nefas non esse puto, iis mendis admovere manus, quæ Sacris Literis apertè testata, & veluti digito indicata sunt.*

Estius in Annotationibus: *Multiplex*, inquit, *hic difficultas in Historia conciliandа. Ac primùm leve illud est, quod postremo loco dicitur:* Hemor filii Sichem, *cùm Hemor pater fuerit Sichem. Nam in Græco tantùm habetur τῦ σύχεμ. Quod juxtà fidem Historiæ Geneseos, & Josue, vertendum potiùs erat,* patris Sichem. *Sed cætera multùm discrepare videntur, & continere commixtas diversas Historias; nempe de spelunca duplici in Hebron, quam ab Ephron Hethæo emit Abraham quadringentis siclis argenti, ubi sepulti sunt, Sara, Abraham, Isaac, Rebecca, Lia, Jacob, Genes. 23. 25. 35. 49. & 50. & alteram de agro in Sichem, quem a filiis Hemor Hethæi patris Sichem emit Jacob centum agnis, ubi sepultus est Joseph. De eo habes Genes. 33. & Josue ultimo. Possit autem tota Stephani sententia suppleri hoc modo:* Et descendunt *Jacob in Ægyptum, & defectus est ipse* & Patres nostri, & translati sunt; *Jacob quidem in Hebron, Joseph autem in Sichem.* Et positi sunt, *Jacob quidem* in sepulchro quod emit Abraham pretio argenti *ab Ephron Hethæo; Joseph autem* in sepulchro quod emit *Jacob centum agnis; vel ut in Josue legitur, centum novellis ovibus*, a filiis Hemor *patris* Sichem. *Quidam putant mendum esse in nomine Abraham posito pro Jacob. Verùm nec sic sublata est difficultas. Non enim Jacob, sed Abraham emit pretio argenti.*

Verùm difficultas, quam semper mansuram ait *Estius*, nulla prorsus esset, quia vocem Hebræam *cessita*, nummi genus, non agnas significare, quod Chaldæus, LXX. Latinus, arbitrati sunt, Sanctus ipse Stephanus sancivit, cùm diceret, τιμῆς ἀργυρίου, hoc est, *pretio argenti* (inquit Andreas Masius.) Idem observat *Mariana* in Scholiis ad Cap. 33. Genes. vocem *Kesitah*, & ovem significare, & monetam, meghæ, seu gheræ, id est, oboli pondere. Eumdemque nodum occurrere notat Jobi ultimo Vers. 11. cùm refertur singulos amicos post redditam sanitatem, dedisse illi ovem „ unam: Ubi vox eadem *Kesitah* Hebraicè est. „ Et sanè in tanta copia pecoris, & a viris prin„ cipibus, quale donum esset ovis una? Fuit er„ go pecunia, & quidem aurea, & magni pon„ deris, olim ovis dicta, quod ovis formâ per„ cussa esset: Ut & apud Latinos pecunia dicta „ est eadem de causa, & quòd ea in com„ merciis uterentur vice pecudum, cum quibus „ merces alias mutare solebant antea.

Seu, Kesitah.

Emmanuel Sa, in Annotationibus eruditis de hoc Actorum loco ita censet: *Quidam dicunt, Stephanum intentum, ut fit, in aliud pro* Jacob, *dixisse*, Abram, *& pro* patris Sichem, filii Sichem. *Lucam verò fideliter, quod ille dixerat, retulisse. Quæ mihi opinio non displicet. Nec enim id repugnat Stephani sapientiæ, & Spiritui quo plenus erat. Accidit enim id interdum sapientissimis & sanctissimis. Vide Genes. 33. Quamquam quod attinet ad vocem* filii, *Græcè est τῦ σύχεμ quod potest intelligi*, patris Sichem.

Salianus in Annalibus Ecclesiasticis Veteris Testamenti, ad annum Mondi 2175. Num. VIII. *Gravis*, inquit, *hoc loco exoritur difficultas ex VII. Actorum ubi D. Stephanus ait: Hunc sepulchri locum ab Abrahamo emptum* a filiis Hemor filii Sichem. *Cùm hic dicatur emptus ab Ephron filio Seor.* Tum relatâ eorum sententiâ, qui ajunt, Ephronis patrem fuisse binominem; subdit: *Verùm quia dicitur Jacob emisse partem agri a filiis Hemor patris Sichem, censuit Beda & Rabanus D. Stephanum duas pariter narrationes conjunxisse, nec tam ordinem historiæ, quàm causam de qua agebatur, intendisse.* Tandem ita concludit.: *Eligat lector utram interpretationem amplecti malit. Ego Venerabilis Bedæ & Rabani expositionem non improbo, cui vides graves & doctos viros subscripsisse.* Ex his judicent viri quique cordati an sapienter & eruditè *Claudius Frassen* Observationem *Alexandri* reprehenderit.

ARTICULUS XLVII.

Respondetur ad quamdam Frasseni criminationem superiùs prætermissam.

F*Rassenus* pag. 347. Versum XXII. Capitis II. libri Exodi expendens, quem in Vulgata Versione sic legimus: *Alteram verò peperit, quem vocavit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei eripuit me de manu Pharaonis:* Me obliquè carpit quòd *ridiculam hanc conclusionem* intulerim: *Versus quidam abest ab Hebræis: ergo Vulgata Versio quæ illum continet, est rejicienda.* Tum observat Syriacam & Arabicam Versionem eum Versum habere. Subdit demùm: *Hæc, quam attulimus solutione dilui debent nonnulla alia objectiones, quas Natalis Alexander profert, quæque petuntur ex Numer. 8.*

mer.8. v.10. Cap.XX. v.6. Josue Cap.XXI. v.35. I. Reg. Cap.V. v.5. ubi ex redundanti aliquo Versu, infert depravatam esse nostram Versionem: Falsa est enim illa conclusio; & miror talia argumenta Theologo Parisiensi probari potuisse, maximè verò cùm pleraque testimonia, quæ delenda putat, reperiantur vel in aliis Scripturæ locis, vel in aliquo recepta Versione.

Quòd hanc intulerim consequentiam, *Versus quidam abest ab Hebrais: ergo Vulgata Versio quæ illum continet, est rejicienda*: putida calumnia est.

Alexander, pag. 355.

De Versu XX. Capitis II. Lib. Exodi observavi illum *abesse ab Hebrais, Chaldaicisque Codicibus, & a Græca Editione Sixti V. viderique huc intrusum ex Versu IV. Capitis XVIII. Syriacam & Arabicam hunc Versum habere: sed Textûs Hebraici auctoritatem, Versionem LXX. & Chaldaicam Paraphrasim, his* duabus Versionibus *esse anteponendas*. Nihil prætcrea de hoc loco dixi: Conclusionem, quam mihi Frassenus affingit, non intuli. Et si mihi rem, ut se habet, simpliciter proponenti conclusio aliqua tribui potest; non aliam certè mihi tribuent æqui rerum æstimatores, quàm quæ ex quæstionis meæ inscriptione sequitur; Hunc locum unum ex iis esse, *quæ auctoritate Ecclesia corrigi possunt*: sive, ex eorum esse numero mendorum, *Quæ in Vulgata nostra Editione Latina superesse videri possunt; quæque possunt emendari, non privato quidem virorum eruditorum arbitrio, sed auctoritate Ecclesiæ, cui has Observationes subjicio*. Hæc enim verba mea sunt in fine Dissertationis.

Alexander pag. 316.

Circa Versum, non 10. (ut Frassenus notat) sed 2. Capitis VIII. Numerorum, observavi hæc verba, *Candelabrum in Australi parte erigatur. Hoc igitur præcipe, ut lucernæ contra Boream e regione respiciant ad Mensam Propositionis*. Observavi (inquam) hæc *omitti in Hebræo Textu, & Græcis Codicibus, & in MSS. Latinis optimæ notæ*: Et huc *intrusa videri ex Exodi XL. Versu* 22. Tum exhibui Versiones LXX. Interpretum, Syriacam, Arabicam, & Targum Onkelosi, Hebræo & Samaritano Textui consentientes. Nihil aliud ibi. Nullam infero, quam mihi Frassenus tribuit, consequentiam. Nullum argumentum informo.

Ibidem.

Circa Versum VI. Capitis XX. Numerorum, observavi hunc *omittere Codices Hebræos, Græcos, Chaldaicos, Versiones Syriacam, & Arabicam, Textum Latinum Regii Operis, & Textum Rabani Commentario adjunctum*. Atque ita omnino se res habet. Nihil præterea hìc scripsi. Conclusionis, quam mihi Frassenus affingit, ne tenue quidem ibi vestigium.

Alexander, pag. 324.

Circa Versum XXXVI. Capitis XXI. libri Josue, observavi *Viros eruditos contendere hunc Versum delendum esse*. Quibus tamen me non assentiri dixi, quòd *LXX. Interpretes, Syriaca Versio Andreæ Masii, Chaldaica Paraphrasis, Versio Arabica, & Latinorum Codicum plurimi hunc retineant*. Hæc-ne sapiunt consequentiam quam mihi Frassenus affingit; *Abest ab Hebrais Codicibus: ergo Vulgata Versio quæ illum continet, est rejicienda?*

Alexander, pag. 326.

Circa Versum VI. Capitis V. libri I. Regum, observavi illum *non haberi in Hebræo Textu, in Chaldaica Paraphrasi, in Syriaca Versione, in multis Codicibus Latinis. Lyranum & Tostatum* hæc verba *addititia* censere. Græcum Regiorum Bibliorum Textum illa etiam omittere: *Quamvis alii Codices Græci, & Sixtina Editio hæc interserant*. Simplex Observatio est, nulla ibi Conclusio quam mihi per calumniam Frassenus affingit: *Abest ab Hebræis Codicibus; ergo Vulgata Versio quæ illum continet, est rejicienda*. Vel, *Redundat hic Versus in Hebræo; ergo depravata est nostra Versio*.

Sed, quamvis ultimam illam Conclusionem intulissem, haud indigna Theologo Parisiensi videri deberet. Cur enim Theologo Parisiensi probari posse mireris, Frassene? argumenta quæ ex Regulis a SS. Hieronymo & Augustino traditis informantur? *Sicut autem*, inquit Sanctus Hieronymus, *in Novo Testamento, si quando apud Latinos Quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo Novum scriptum est instrumentum: Ita in Veteri Testamento, si quando inter Græcos, Latinosque diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem.*

Epist. ad Suniam & Fretelam.

Cùm aliquid diversum in utrisque Codicibus invenitur, inquit Sanctus Augustinus, *quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum, ei linguæ potiùs credatur, unde est in aliam per Interpretes facta Translatio*. Porrò in his, quos redundare in Vulgata Versione observavi, Textibus, inter Græcos Latinosque diversitas est, ut ex eorum collatione evidens est: Ad Hebraicam igitur Veritatem est recurrendum. At Hebræi Codices eos Versiculos non habent, quos Vulgata Versio. Non immeritò igitur conjiciunt Viri Eruditi, illos in Vulgata redundare; & Ecclesiæ auctoritate expungi posse. An istud argumentum, quod *Theologo Parisiensi probari potuisse* Frassenus miratur, revera sit Parisiensi Theologo indignum, Viri Eruditi quos Judices opto, censebunt.

Lib. XV. De Civit. Dei Cap. XIII.

Urget Frassenus, *Pleraque testimonia, quæ delenda putat* Alexander, *reperiri vel in aliis Scripturæ locis, vel in aliqua recepta Versione*. Quo ex principio colligit, Vulgatam non esse iis locis depravatam.

Rursus hìc repetere cogor, Frassenum calumniari. Loca illa ex Vulgata nostra Versione *delenda* nusquam dixi, aut sensi; sed, *Ecclesiæ auctoritate deleri posse*. Quale verò ratiocinium! Quàm lachrymabile! Quàm dignum Disquisitore Biblico! *Versus isti reperiuntur in aliis Scripturæ Scripturæ locis, vel in aliqua recepta Versione: ergo hic non redundant in Versione Vulgata, quamvis ab Hebræo Textu, a Versione LXX. Interpretum, a Chaldaica Paraphrasi, a Versionibus Orientalibus, & a plerisque Codicibus Latinis absint*: ut abesse probat Alexander. Si Textus Hebræus, & LXX. Interpretes in aliis locis quosdam Versuum laudatorum habent, in quibus pariter habet Vulgata nostra; verbi gratia hunc Versum IV. Capitis XVIII. libri Exodi: *Alter verò Eliezer Deus enim, ait, Patris mei adjutor meus, & eruit me de gladio Pharaonis*: Rectè inde colligitur, Versus illos non redundare in Vulgata iis in locis, in quibus cum Hebræo Textu, cum LXX. Interpretibus, &c. consentit: Sed ineptè Frassenus infert, Vulgatam non abundare, cùm Versum habet aliquem in certo Scripturæ Sacræ Capite, quem ibi nec Hebræus Textus, nec LXX. Interpretes, nec pleraque Biblia MSS. Vulgatæ ipsius Versionis habent. Laudatus itaque Versus Exodi capite XVIII. non redundat; sed hinc colligere, quod Cap. II. pariter non redundet, in quo nec Hebræi, nec Græci, neque Chaldaici Codices illum habent, solus Disquisitor Biblicus pro suo privilegio potest.

ARTICULUS XLVIII.

Respondetur ad ea quæ Feassenus scribit in fine Disquisitionis De Versione Vulgata: Et ab ejus etiam conviciis Clarissimus Abbas D. HUETIUS *vindicatur.*

Nunc Abrincensis Episcopus.

„ NOnnullas alias Notulas, inquit, *Feassenus*, „ ex Francisco Luca Brugensi, & Grotio, „ exscribit, & subjicit *Natalis Alexander*, in „ quibus mendosum esse Vulgatæ Editionis Lati- „ næ in Epistolis Apostolicis Codicem demonstra- „ re se putat. At quàm prospero parum visu, „ facilè deprehendet Lector, non solùm ex Com- „ mentariis, sed etiam ex eis quæ hactenus di- „ cta sunt: Quamobrem in his, utpote nullius „ momenti referendis & refellendis, operam & „ tempus non perdam.

Tu qui Dominicanorum despicis omnia, & *Alexandri* maximè, Notulas meas te silentio prætermittere profiteris, sive quia nihil ad illas reponendum habes, sive quia tibi per tempus non licet illas refellere, homini *tumultuantibus negotiis*, ut ais, implicato, & distracto. Ex Luca Brugensi, & Grotio has me exscripsisse eadem æmulationis vertigine deblateras, qua alia in me probra huc usque conjecisti. Scilicet ita me tenulter in Scripturæ Sacræ lectione versatum censes, ita bardum & hebetem, ita in SS. Patrum & optimorum quorumque Auctorum libris evolvendis negligentem, ut ex iis fontibus Observationes haurire meas non quiverim, ex quibus suas Grotius & Brugensis derivarunt. Me fanè potuisse has qualescumque Observationes, de quibus judicium esto penes Eruditos, non penes æmulum nominis mei & Ordinis Dominicani *Feassenum*, ex proprio penu proferre fatebuntur, qui ad eas contra *Claudii Feassen* Criticam vindicandas, me nec *Lucæ Brugensis*, nec *Grotii* genium videbunt invocasse.

Parum prospero nisu ostendisse me scribis, mendosum esse in nonnullis Apostolicarum Epistolarum textum, idque facilè deprehensurum lectorem, non solùm ex Commentariis, sed etiam ex iis quæ hactenus a te dicta sunt. Ex Commentariis scilicet, quorum exquisitiora mihi favent: ex his quæ a te dicta sunt, qui de his locis nihil dixisti. Sed cur ex Græco Textu, ex Versionibus Orientalibus, ex Patribus tum Græcis, cùm Latinis, Observationum mearum te demonstrare posse falsitatem non dixisti? Hos tibi non licuit adire fontes, homini tot *negotiis tumultuantibus* impedito? Ex iis certè Observationes meas derivatas esse perspexisses: ut & fatebuntur quicumque eas legerint, & cum Textu Græco, cum Versionibus, aut Patribus a me laudatis contulerint. Cur non & ex *Estio* Paulinarum Epistolarum doctissimo inter recentiores Interpretes, me aliquas ex his Notulis hausisse scripturiisti? Nullius aut levioris momenti Observationes hasce meas esse ais. Et tibi in his, quæ me, ac mea, Prædicatorumque Ordinem spectant, fidei tam sublestæ homini fidem ab omnibus facilè putas adhibendam? In iis referendis ac refellendis operam & tempus perdere te nolle thrasonicè gloriaris. Tuę fanè industriæ gratulandum, *Feassene*! quòd tam compendiaria, tamque facili via ab omnibus difficultatibus te expedias. Sed pœnitere te debet, quòd in cæteris Criticæ nostræ locis impugnandis operam ac tempus inaniter consumpseris, qui id non es assecutus, quod pertendebas, Deo cœptis meis favente. Non vis *ut quis existimet te in alicujus invidiam & offensam scripsisse*. Etiamsi hanc de te opinionem haberi nolis, habebitur nihilò secius ab iis qui mea tuaque legerint animo a præjudiciis libero, judicabuntque num veritas caritatis, & caritas veritatis, te ad mea Opera, meque ipsum deprimendum, consputandum, dilacerandum, an verò æmulatio, & gloriolæ captandæ studium impulerint.

Sed veniâ dignum videri posset peccatum tuum, si unum Alexandrum conviciis proscinderes. Id scilicet Opusculo suo, quod inscribitur, *Collatio Dominicani cum F. Minore, De Titulo Præceptoris S. Thomæ ex Elogio Alexandri Alensis expungendo*, Ipsum promeritum forsan diceres: Quamquam nec in isto, nec in aliis Operibus aliquid contra te vel contra Seraphicum Ordinem scripserit. At qua ratione tua in Clarissimum & Doctissimum Abbatem *Danielem Huëtium* convicia excusabis? Virum eruditione sua celebrem, de Sacris Literis & de Ecclesia bene meritum, cujus apud omnium gentium eruditos viros venerandum nomen est; qui ob eximias ingenii, doctrinæ, pietatisque dotes, dignus a Rege Christianissimo judicatus est, qui Serenissimi Delphini studia operâ suâ juvaret atque promoveret; Virum qui te nusquam læsit, cum Hæreticis conjungis, Lib. III. Cap. I. §. I. Disquisitionum tuarum, ubi agis *De Libris Canonicis universim*. Hos ipsi spargis flosculos: *Huëtius verò cum plurimis Heterodoxis, maximè Riveto, Hottingero, &c. putat unicum dumtaxat apud Judæos fuisse Sacrorum Librorum Canonem*. Ita virum tractas, cui manibus dare lilia plenis deberes: Si quidem eo ipso in loco exscribis & furaris quicquid de Canone Scripturæ Sacræ eruditè scripsit laudatus *Huëtius* Abbas, & rationes ante ipsum a nemine prolatas adoptans, ejus (ut ita loquar) spoliis ornatus superbè incedis, quem oris gladio feriisti, cum plurimis Heterodoxis iniquè conjungens. Conferantur quę scribis Pag. 425. Disquisitionum tuarum, cum iis quæ Clarissimus *Huëtius* habet Propositione IV. Demonstrationis Evangelicæ, Pag. 262. Quid verò fidem spectat quæstio illa, utrùm unus vel multiplex fuerit apud Hebræos Scripturæ Canon, ut illustrem, pium, ac eruditum Auctorem cum plurimis Heterodoxis ibi sensisse observes, ipsumque quasi violatæ fidei reus esset, insecteris, scripturiendo: *Huëtius cum plurimis Heterodoxis?* Sic te Christiana charitas, sic Franciscana humilitas & modestia proximo insultare docuerunt? Non minùs iniquè Clarissimum eumdem Auctorem accusas Pag. 13. quòd *contumeliosas voces in Sanctissimos Prophetas immiserit*: Et quòd *integram Valesii Observationem, ne quidem semel laudato ejus nomine exscerpserit*. Calumniam in virum doctissimum effundis. Qui scripsit Prophetas Spiritu Sancto afflante futura præcinuisse, & divino illo afflatu agitatos, narrationis ordinem & connexionem non adeò observasse: Quia scabrum quid, salebrosum, & dissipatum edere solet ecstasis: Cæterùm ipsos sui compotes, placido serenoque animo edidisse Oracula; non emota mente, ut Montanum, Priscam, Maximillam, vim Propheticam sibi arrogantes: Isne citra calumniam dici potest *contumeliosas voces in Sanctissimos Prophetas immisisse?* Nonne potiùs Prophetarum vindex prædicandus est? Nonne vim & affectus admirabiles ecstaseos, & Propheticorum Oraculorum characterem est assecutus? Id autem asserit Clarissimus *Huëtius*, Propositione XI. Pag. 631. Evangelicæ Demonstrationis suæ. Contumeliam igitur ipsi facis, cùm ipsum *contumeliosas voces in Sanctissimos Prophetas immisisse* scribis. Tandem non solùm illiberaliter & inurbanè, sed falsò ipsi exprobras, quòd integram Valesii Observationem exscripserit, ne quidem semel laudato

ejus

ejus nomine. Siquidem Miltiadem, & Anonimum Cataphrygum Adversarium a Miltiade prolatum, apud Eusebium Lib. V. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. XVI. & XVII. SS. Cyprianum, & Dionysium, aliosque Ecclesiasticos Scriptores de ecstasi differentes laudat; & ex iis fontibus, non ex Valesii Observatione derivavit, quod scripsit eo loco vir immensæ lectionis, & eruditionis exquisitæ, quem bili tam atra proscindis ac laceras, & quasi Valesii Exeriptorem traducis. Et tamen *Non vis ut quis existimet te in alicujus invidiam, & offensam scripsisse*.

In hanc te convitiandi Palæstram nusquam te daturum religiosè spondes. Virum qui sua fama, studiis, labore, Operibus non ignobiliter parta fruitur, qui illustrandæ Historiæ Ecclesiasticæ, refellendis Hæresibus veteribus ac novis, aliorum studiis juvandis pro virili navat operam, *Exscriptorem, Hodiernum Historiæ Ecclesiasticæ Compilatorem*, Virum *qui Hæreticis blanditur*, qui *minùs religiosus est in Vulgatum Interpretem quàm Protestantes, sciolum, temerarium*, &c. appellare, id verò non est convitiari? *Pejorem sentire* te dicis *conditionem convicium dicentis, quàm patientis*. Rectè. Sed si ista est sincera sententia tua, cur ei non respondent verba, Scriptaque tua? *Ad benedicendum*, inquis, *nati sumus, non ad maledicendum*. Benedicis revera mihi in Critica tua, quo modo Benedictionis nomen usurpavit Scriptura Sacra Job. 1. *Extende*, inquit Satan ad Deum, *pauxillum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi*.

Nimis Criticum ac morosum Alexandrum forsan effuties, qui te ob convicia tam severè arguat; ipsum injustitiæ accusabis, & cæteros omnes qui te violatæ fraternæ caritatis reum agent, utpote qui scripseris in fine Præfationis tuæ: *Si quid præter mentem exciderit, quod caritati fraternæ adversari videatur, id totum expunctum volo*. Idem tibi peccata contra fraternam caritatem excusanti, quod olim A. Albino, eventurum non
„ dubito, Frassene, „ *Albinus*, qui cum L. Lucu-
„ lo Consul fuit, res Romanas oratione Græca
„ scriptitavit. In ejus Historiæ principio scriptum
„ erat: Neminem succensere sibi convenire, si
„ quid in his Libris parum compositè, aut mi-
„ nùs eleganter scriptum foret. Nam sum homo
„ Romanus, natus in Latio: Græca oratio a no-
„ bis alienissima est: Ideòque veniam gratiamque
„ malæ existimationis, si quid esset erratum, po-
„ stulavit. Ea cùm legisset M. Cato: *Næ tu*, in-
„ quit, *nimiùm nugator es, cùm maluisti culpam deprecari, quàm culpâ vacare. Nam veniam petere solemus, aut cùm imprudentes erravimus, aut cùm compulsi peccavimus. Tibi*, inquit, *oro te, quis pertulit ut id committeres, quod priusquam, faceres, peteres ut ignosceretur?* Ita refert Cornelius Nepos. Tibi verò, Frassene, qui ubi immania ac frequentia contra nos convicia evomuisti, veniam deprecaris, *si quid præter mentem exciderit, quod caritati fraternæ adversari videatur*; nonne M. Cato, sive Sapiens quilibet jure merito reponet faciliùs fuisse convicia, maledicta, calumnias, contra Clarissimum & Doctissimum Abbatem D. *Huetium*, & F. *Natalem Alexandrum*, vitare, quàm excusare cùm id sciens volens commiseris? *Næ tu nimium nugator es, cùm maluisti culpam deprecari, quàm culpa vacare*.

Ostendere te voluisse ais, Vulgatum Interpretem *ab omni prorsus labe esse immunem*. Infœliciter: Contra ipsius Clementis VIII. contra Correctorum ipsorum Romanorum, contra Virorum
Frassen. pag. 379. omnium Eruditorum sententiam, contra teipsum, qui superiùs fassus es, hanc a te confessionem extorquente veritate, *Nondum mendas omnes ab Editione Vulgata esse sublatas*. Non minùs *probandam illius lectionem*, te demonstrare voluisse, inquis, *quàm quæ a Novellis Criticis ex Fontibus Hebraïs aut Græcis profertur*. Id si ostenderis, longè oculatior fuisti Origene, SS. Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Cassiodoro, qui ad Fontem recurrendum esse senserunt, cùm aliqua in utrisque Codicibus varietas invenitur. *Merito jure habere* scribis *Vulgatum Interpretem*, quòd cum Regio Vate conqueratur: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me: Pro eo ut me, diligerent, detrahebant mihi, & odio habebant me gratis*. Longè potiori jure de te conqueri possunt, non solùm LXX. Interpretes, non solùm Sanctus Hieronymus, sed ipsi Scriptores Hagiographi, ipsi Prophetæ, ipsi Evangelistæ & Apostoli, quòd in Originarios ipsorum Textus debacheris, iisque detrahas; quòd Hebraicam & Græcam Veritatem Versioni Vulgatæ authenticæ quidem, sed non eodem authentiæ gradu quo Fontes ipsi, postponas; quòd *Fontis undam purissimam* omnino relinqui velis.

Maximam te commendationem a viris Catholicis & cordatis mereri gloriaris, quòd tuam *posueris operam in ea propugnanda Sacrorum Bibliorum Editione, quam ex Decreto Concilii Tridentini universa approbat Ecclesia*. Eam nonne & nos authenticam propugnamus, ut Sacra Synodus decrevit? Nonne veneramur & amplectimur? Tu verò ab omni mendo immunem contendis, contra Concilii mentem, contra Theologorum Doctissimorum qui Concilio adfuerunt, vel post ipsum vixere & scripsere, sententiam, contra Clementis VIII. & Romanorum Correctorum opinionem, ipsam Hebraicæ ac Græcæ Veritati, Fidei, Auctoritati, anteponendam censes. At si censeres tantùm, nec probabiliùs sentientibus ac veriùs insultares, in tuo te sensu abundare pateremur. Cùm verò me invidiosè fueris aggressus, & contumeliosè in me scripseris, ne mirere quòd insultus tuos stylo repulerim, Operaque mea defenderim.

Speras fore ut ad id saltem conducat labor tuus *Ut Criticorum in Vulgatam criminationes ex parte amolliat*. (Sic enim Latinè loqueris.) Sed te barbarè loquentem ferrent aures nostræ, si veraciter loquereris. Nunc autem calumnias tuas cogimur amoliri; tibique repetere, nos Vulgatum Interpretem non criminari, sed conjecturas nostras modestè proponere, ut Catholicos Theologos decet, easque Ecclesiæ Judicio & Sedis Apostolicæ Censuræ subjicere; menda verò quæ in Vulgata adhuc superesse censemus, in Scribarum imperitiam & oscitantiam: maximam partem rejicere, paucissima Interpreti tribuere, quem Prophetam non fuisse certum est, aut Privilegio non errandi in Versione sua a Spiritu Sancto donatum. Novimus enim & usurpamus, quod S. Augustinus ad Sanctum Hieronymum Vulgatæ Versionis maxima ex parte auctorem scribebat: *Ego enim fateor Caritati tuæ, solis eis Scripturarum Libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum Auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam: At si aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati; nihil aliud quàm vel mendosum esse Codicem, vel Interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideò verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quòd a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi Frater, sentire aliquid aliter existimo. Prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle, tamquam Prophetarum & Apostolorum: De quorum Scriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium est*.

Fa-

Facturum Deum confidis, *Ut ex Criticorum grege aliquis hanc Disquisitionem tuam ægrè ferens, pro innata sua aliorum labores vellicandi & criminandi prurigine, suis Scriptis tibi ansam præbeat novas & uberiores cudendi pro Vulgato Interprete vindicias*. Me Dissertationi tuæ responsurum, ut existimo, prævidisti, nec adeò famam neglecturum meam, ut Apologeticam & Anticriticam Dissertationem non scriberem. Id verè non pro innata (quæ indoles tua est, *Frassene!*) labores aliorum vellicandi & criminandi prurigine, sed justæ defensionis necessitate compulsus, præstiti. Norunt omnes, me in Opus meum intentum, neminem huc usque aggressum fuisse, nisi aut Hæreticos, aut eos qui S. Thomæ Angelici Doctoris gloriæ detrahere ausi sunt: Nec Biblicas Disquisitiones tuas impugnassem, nisi me non solùm inurbanè, sed contumeliosè fuisses aggressus, ut de me cresceres; mihique plurima per calumniam affinxisses. Quamobrem si has adversùs te Vindicias scripsi, in te culpa est, qui provocasti, non in me, qui respondere compulsus sum. Nec aliud tamen ægrè fero in Disquisitionibus tuis, quàm violatam a te Viro Religioso charitatem; cætera enim humani ingenii tenebris facilè condonanda sunt. Si eodem ingenio scripturire adversùs me pergas, te responsionis honore non dignabor. Meum silentium non solùm responsionis inutilitas (Fama enim mea, ut spero, tuis insultibus erit superior) sed quibus sum implicatus, sexdecim Sæculorum negotia excusabunt. Cæterùm ne existimes, *Frassene Frater!* me caritatem erga te abjecisse, quem in Christo complector: Mallem enim scientiæ defectum pati, quàm caritatis; aurea ista Sancti Hieronymi verba recolens: *Minùs certè assequatur illa quæ inflat, dum non offendatur illa quæ ædificat*.

Nota.

AGnoverat optimè Natalis aliorum scripta refellenda non solùm juxta leges charitatis, sed modestiæ insuper urbanitatisque, ac ab omni convicio hominem ad honestatem informatum abstinere necesse esse: nihilominus subirati animi non ita habenas moderatur, ut Frassenum adversarium injuriis lacessere desinat, ut superiorem Dissertationem legenti statim apparet. O quam sanctè, quàm christianè Natalis ab imitando Frassenum abstinuisset, a quo inurbanis dicteriis se impetitum conqueritur; tot etiam ironicè dicta omittendo, cùm ita agere charitatis, modestiæ, urbanitatisve leges non permittere agnovisset. Semper utique optavi Natalem ex tot capitibus de republica literaria bene merentem, nec a Frassenio justè aggressum, non conviciis, sed rationibus tantùm suos Adversarios redarguisse.

Non respondendum stulto juxta stultitiam suam, ne eidem similes efficiamur, docemur. *Proverb. 6*. Non increpandus nihilominus, qui ea ratione contumeliam repellit, ne iterum contumeliis assuetus in eadem prolabatur peccata, vel etiam si contumeliati vita in aliorum posita exemplum exposcit contumeliarum detegi falsitatem. *S. Th. 2. 2. q. 72. ar. 3.* At re vera non sine stomacho illi leguntur Auctores, qui convicia conviciis rependendo, probris, maledicisque dicteriis suos Contradictores dehonestare conantur. Audiatur quæso S. Basilius *hom. 10. de ira* ita loquens. *Ne fratres dilectissimi, malum malo curate, nec contendite invicem calamitate mutua vincere. In malis enim pugnis miserior est, qui vicit, quia peccatis longè gravior discedit. Noli ergo malam referre gratiam, neque mali mutui restitutor esse. Contumeliam intulit iratus, vince, amoveque silentio malum. Tu autem contra facie, qui velut nudam fluentem illius iram in cordis penetralia suscipiens, ventos imitaris, qui contrariis flatibus quod illatum est, repellunt. Noli tuo adversario pro Magistro uti, nec quem odio persequeris hunc æmulari, nec fieri veluti speculum irati velis illius, formam in te ipso ostendens. Ille maledixit, tu benedicas. Verberavit, tu patere. Exspuit, nihilque te existimavit: tu cogita quemadmodum ex terra es, & in terram reverteris. His namque modis, atque rationibus te confirmans, longe leviora, quàm revera sint, invenies tibi adversarii facta jurgiaque. Sic etiam ultionem illi securiùs reddes, ostendesque quàm sis contumeliis invulnerabilis, ac præclaram tibi patientiæ coronam comparabis, dum alterius insaniam occasionem philosophiæ, ac tuorum feceris meritorum. Quamobrem, si mihi credis, probra, contumeliasque magno etiam animo contemnes, & te adhuc viliorem esse concedes. Obscurum te, & ingloriam vocavit, nulliusque æstimationis: terram te, ac cinerem esse dicas: Nec tu illustrior es Patre nostro Abraham, qui seipsum his nominibus appellavit. Ignaram, pauperem, & nullius pretii te dixit: tu vermem te dicas, & e stercore genus ducere, verba David memorans &c.* Pergit deinde S. Doctor demonstrare contumelias pro contumeliis rependentem, non hominum Deo gratorum, sed eorum, qui maligno arripiuntur spiritu, esse discipulum, & quamvis provocatum, nullam habiturum coram Deo excusationem, quia ipse agit quod in aliis reprehendit: eò maximè etiam quia victoriæ coronam sine adversario nemo adipiscitur.

Ipse Joannes Clericus quamvis hetherodoxus eristica scripta prorsus proscribenda vult, tria observando *in Dissertatione ethica ad Philippum Limburgium*, quæque habetur in calce tertii voluminis Artis Criticæ. Primò observat hujusmodi scripta eorumdem auctori non prodesse; si etenim convicia non negligat, eorumdem propulsandorum affectu incensus, dolore, ira, aliisque animi perturbationibus quàm maximè afficitur, atque ita ab omni tranquillitate excidit animi. Neque etiam jurgiis Calumniatoribus respondendo propriæ consulere famæ admonet; nam potiùs ita hominis jurgiosi, & non modicâ superbiâ intumescentis nomen acquirit. Et re vera non melius famam augeri animadvertit, quàm cùm in hoc præliandi genere, rationibus dumtaxat hostis impetitur; iis enim tantum armis illum superare conceditur. Addit illi auctori famam conciliari, qui a conviciis abhorrere demonstrat, & suis scriptis hominem ad parendum Dei præceptis instruit.

Observat deinde contumeliosa scripta neque aliis prodesse. Non quidem legentibus, quia studiis addicti non vitia, aut delicta quærunt scribentium, sed ex aliorum libris aliqua addiscere: immo dum vident auctores passim conviciis inter se pugnare, tandem pertæsi ipsorum abjiciunt libros; neque etenim homo solius veritatis, honestatisque amans hujusmodi delectatur certaminibus. Obscurari insuper veritatem considerat, dum nostris legitur admixta affectibus; suspicio etenim statim insurgit, an quæ leguntur, dicta potiùs sint ad suam famam tuendam, ac ad se de hoste ulciscendum, quàm ad veritatem propugnandam. Sed neque prodesse iis adversùs quos exarata sunt dicit Clericus, cùm fateri nequeant se errasse, vel quia inani sua capti æstimatione dare manus victas summo probro ducunt; vel quia magnâ præpediti ignorantiâ, non nisi difficillimè ad sui erroris cognitionem perducuntur; vel quia veritatem non quærunt, sed victoriam partium, a quibus stant; vel quia libidine solùm Scripto-


res

res oppugnandi calamum sumpsere, ac diris calumniandi artibus sibi gloriam acquirere concupiscunt.

Demum animadvertit erastica scripta Deo displicere, eaque iisdem legibus prohibuisse, quibus prohibet vindictam; Christi monitis adversari, qui *Matth.* 5. ait. *Benedicite maledicentibus vobis — Orate pro calumniantibus vos;* sicut etiam ejusdem exemplis, ut dicitur enim 1. *Petr.* 2. *Cùm malediceretur non maledicebat.* Addit neque hoc scriptorum genere utendum contra Adversarios veritatis, neque etenim hæc ex conviciis innotescit; & Dei gloria magis promovetur, si a probris abstinendo Scriptor Christi, Sanctorumque exempla imitetur. Si aliter se gerat, concludit Clericus, a divina non se subtrahet ultione; cùm Christus in Evangelio innotuerit supplicium ei non defuturum, qui proximum suum stultitiæ insimulaverit.

Dum hæc ex Jo: Clerico observavi, sciat Lector me non ignorasse a tali Auctore excripsisse, qui usque adeo a vera fide defecit, ut ipsum Socinianismum amplexum esse non paucis placeat. Sciat etiam me non latuisse ipsius esse mentem etiam catholicos scriptores carpere, quasi ipsis non sola veritas cordi sit, sed de adversariis quibuscumque artibus triumphum canere. Cùm nihilominus ab iis oculum deflectendo, quas adducit Clericus rationes demonstrent etiam ambulantes in tenebris, & in umbra mortis agnoscere erastica scripta esse proscribenda, ab eisdem recensendis nolui abstinere, ut pudeat Catholicum non vitare, quæ vituperanda dicunt & ipsi hostes nostræ fidei.

Summopere displicebat Scriptores conviciis contra hæreticos agere etiam Francisco Cardinali Bonvisio, præclarissimo Lucæ patriæ meæ lumini, cujus memoria in æternum vivet. Vivet, inquam, quia Pontificii Nuncii munus implens Viennæ an. 1683. quando Turca innumerabilibus penè copiis non illius urbis solùm, sed universi christiani orbis cladem meditabatur, christiani exercitus unionem impiger promovit, ac ut urbi jam ferè subactæ suppetias ferret, sategit; quapropter ipsius etiam consiliis ac vigilantiæ de prostrato Turca triumphus meritò adscribendus. Vivet pariter quia Viennæ, quamvis purpurâ decoratus, usque ad obitum Innocentii XI. perseverans, pio Imperatori Leopoldo carus, sedulò tot illas victorias promovit, quibus Ungariæ regnum Turcæ ereptum, fidei etiam fuit restitutum. Vivet demum ob magnam impensam curam in nostra Lucana Diœcesi regenda, ubi verè bonus Pastor ac pauperum Pater, ultimum diem clausit. Hic dum pluribus antea annis Coloniæ Agrippinæ ut Pontificis Nuncius resideret, in epistola ad Cardinalem Alterium Clementis X. nepotem data optat omnia convicia adversùs hæreticos amandari, atque illius verba latinè reddita ita sonant: *Oro etiam atque etiam Eminentiam Tuam, Regularium Superioribus Generalibus accersitis moneas, ut omnibus suis interdicant Religiosis sive in concionibus, sive in literariis concertationibus, sive in libris, quos publici juris faciant, verbis uti conviciosis adversùs hæreticos, audio etenim de hujusmodi conqueri. Video a me lubentissimè audire Sedem Apostolicam eos odio non prosequi, sed peramanter inquirere, ut ad viam perducat veritatis.*



PANOPLIA ADVERSUS HÆRESES SÆCULI QUARTI.

DISSERTATIO XLI.

Adversùs Donatistas.

QUÆSTIO UNICA.

De Ecclesia.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm Ecclesia toto Orbe diffusa sit; & insignes etiam peccatores complectatur; Nec eorum usquam vitiis violari possit, aut deficere?

PROPOSITIO.

Ecclesiam Catholicam totò Orbe diffusam; insignes etiam peccatores continentem; nusquam eorum vitiis violandam; nusquam defecturam; ut revera nusquam defecit; contra Donatistas, & consequenter contra Calvinistas & Lutheranos, invictè probant Sacrarum Scripturarum auctoritas, & Sanctorum Patrum testimonia: ex quibus proinde ostenditur evidenter, tam veteres illos, quàm recentiores Hæreticos, sacrilegi Schismatis reos esse, vel ex uno isto capite, quòd se ab Ecclesiâ præciderunt.

Ecclesia Catholica toto orbe diffusa. Probatur prima pars, nimirùm quòd Ecclesia Catholica toto sit Orbe diffusa. Primò ex Genes.22. cap. ubi Deus his verbis Abraham alloquitur: *Per memetipsum juravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Quo in loco semen Abrahæ non populum tantùm significat ex carne Abrahæ propagatum, sed Christum in quo benedicentur omnes gentes, id est Ecclesia toto orbe diffusa. Sic enim intellexit semen Abrahæ Sanctus Paulus ad Galatas 3. *Hominis*, inquit, *confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit: & seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: & semini tuo, qui est Christus.* Quæ verba Sanctus Augustinus expendens lib. *de Unitate Ecclesiæ*, cap.6. ait: *Ecce in quo semine benedicentur omnes gentes. Ecce Testamentum Dei, aperite aures. Hominis*, inquit, *confirmatum testamentum nemo irritum facit, aut superordinat. Quare vos irritum facitis Testamentum Dei, dicendo, nec in omnibus gentibus esse completum, & periisse jam de gentibus, in quibus erat semen Abrahæ? Quare superordinatis, dicendo, in nullis terris hæredem permansisse Christum, nisi ubi potuerit cohæredem habere Donatum?*

Et infra: *Date mihi hanc Ecclesiam, si apud vos est, ostendite vos communicare omnibus gentibus, quas jam videmus in hoc semine benedici. Date hanc, aut furore deposito accipite, non a me, sed ab illo ipso in quo benedicuntur omnes gentes.*

Probatur secundò ex Prophetis. Isaiæ 54. *Lauda sterilis quæ non paris: decanta laudem, & hinni quæ non pariebas: quoniam multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clavos tuos consolida. Ad dexteram enim, & ad lævam penetrabis: & semen tuum gentes hæreditabit, & civitates desertas inhabitabit.* Quod testimonium Sanctus Augustinus & cæteri Africani Patres in Collatione Carthaginensi contra Donatistas urgebant. Cui testimonio jungendum est illud capitis præcedentis: *Ideò dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam.* Quæ testimonia Sanctus etiam Augustinus urgens, *lib. de Unitate Ecclesiæ cap.6.* ait: *Quid est, Hæretici, quod de paucitate gloriamini, si propterea Dominus noster*

Jesus

Jesus Christus traditus est ad mortem, ut hæreditate multos possideret? Et postquam aliud testimonium *Isaiæ, cap.*54. subjunxit, *Lætare sterilis quæ non paris, quoniam multi filii desertæ magis quàm ejus quæ habet virum:* unum cum altero conferens locum, sic urget: *Nonne isti sunt multi, de quibus paulò ante dictum est, Ideò ipse hæreditate possidebit multos? Nam quæ est hæreditas ejus, nisi Ecclesia ejus? Multi, inquit, filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum: Synagogam scilicet Judæorum volens intelligi virum habentem, quoniam acceperat Legem. Hic jam potest dijudicari quod dicimus. Comparent isti multitudinem suam in Afris, vel in Africa constitutam, cum multitudine Judæorum per omnes terras quacunque dispersi sunt, & videant quàm sint in illorum comparatione paucissimi. Quomodo ergo de se dictum assignabunt; Multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum? Rursùs comparent multitudinem Christianorum per omnes gentes, quibus non communicant, & videant quàm pauci sint in comparatione omnes Judæi; & tandem aliquando intelligant, in Ecclesia Catholica toto orbe diffusa istam Prophetiam esse completam, Multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum. Sed cui habenti virum hæc deserta prælata fuerit in multitudine filiorum, sit obscurum, sit in ænigmate: hanc tamen esse Ecclesiam Christi, de qua dictum est; Multi filii desertæ, quisquis contradicit, non mihi, sed Apostolo contradicit.*

Probatur item ex illo Isaiæ 49. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

Idem probarunt Africani Patres in Collatione Carthaginensi, ex illis verbis Malachiæ I. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestrâ: ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus.*

Probatur tertiò ex Psalmis, quibus Ecclesia toto orbe diffusa prædicta est. Psalmo 21. *Reminiscentur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ: & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ Gentium. Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur Gentium.* Et Psalmo 49. *Deus Deorum Dominus locutus est, & vocavit terram, a solis ortu usque occasum: ex Sion species decoris ejus.* Et Psalmo 56. *Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua:* quæ verba Sanctus Augustinus urgens, *lib. de Unitate Ecclesiæ*, ait: *Ecce habes Christum in passione dormisse, & resurrectione super cælos ascendisse. Et unde gloria ejus super omnem terram, nisi quia Ecclesia ejus per omnem terram? In his duabus sententiis brevissimis, vos Hæretici, totum quod inter nos agitur interrogo. Cur Dominum Christum exaltatum super cælos prædicatis, & ejus gloria super omnem terram non communicatis?*

Idem probant hæc verba Psalmi 71. *Et dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Et adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes Gentes servient ei. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes Gentes magnificabunt eum. Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum, & replebitur majestate ejus omnis terra: fiat, fiat.* Quæ verba expendens Sanctus Augustinus, lib. *de Unitate Ecclesiæ, cap.* 8. ait: *Ite nunc Donatistæ, & clamate; Non fiat, non fiat. Vicit vos verbum Dei dicens; Fiat, fiat.*

Imprudens sum, si omittam illud Psalmi 2. *Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

Probatur 4. ex ipsis Christi verbis, Lucæ 24. *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis, Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertiâ die: & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes Gentes, incipientibus ab Hierosolyma.* Quæ verba exponens Sanctus Augustinus, *lib. de Unitate Ecclesiæ, cap.*10. ait: *Teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam, unde cœptura, & quousque perventura esset; cœptura scilicet ab Hierusalem, & perventura in omnes Gentes.*

Respondebant Donatistæ, Hæc verba figuratè accipienda esse: quam responsionem Sanctus Augustinus sic refellit: *Hic jam quisquis dixerit, Hierusalem non illam visibilem civitatem intelligendam, sed figuratè positam, ut spiritaliter accipiatur tota Ecclesia æterna in cælis, & ex parte in terris peregrina, potest etiam illud figuratè dictum, Quia oportebat Christum pati, & resurgere tertiâ die. Quod quisquis dixerit, nec quoquomodo Christianus habendus est. Sicut ergo illud propriè positum est, ita & quod adjunctum est de omnium Gentium Ecclesiâ incipiente ab Hierusalem. Exposuit enim Dominus hæc de se dicta esse in Lege, & Prophetis & Psalmis: & utique ipsa expositio non potuit esse figurata, alioqui non esset expositio. Deinde cùm Hierusalem figuratè posita, & spiritaliter intellecta, universam Ecclesiam significet, quomodo universa Ecclesia incipit ab universâ Ecclesia, tanquam Hierusalem incipiat ab Hierusalem? manifestum est ergo propriè positum de illa civitate, unde etiam cœpisse probatur Ecclesia, etiam atque etiam ipso manifestante, & nullam insidiarum latebram calliditati hæreticæ relinquente.* Porrò Sectam suam toto terrarum orbe diffusam esse, & ab Hierosolymis incœpisse, Donatistæ probare non poterant: nec id de suâ probabunt unquam Calvinistæ, Lutherani, & alii Hæretici: adeòque sectam suam esse veram Ecclesiam nusquam evincent.

Denique id confirmant verba Christi mox in cælos ascensuri, relata a S. Luca Actuum 1. *Et eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.* Quæ verba Sanctus Augustinus, *lib. de Unitate Ecclesiæ, cap.* 11. prolixiùs urget.

Scripturæ autem Sacræ testimoniis maximè nitebantur SS. Patres, iisque præsertim agendum putabant contra Donatistas, ut earum testimoniis convincerentur Ecclesiam toto orbe diffusam esse, non verò intra sectam eorum conclusam. *Sunt certè libri Dominici* (inquit Sanctus Augustinus) *quorum auctoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus caussam nostram.*

Lib. De Unitate Ecclesiæ, *cap.* 1.

Et infra: *Nolo humanis documentis, sed divinis Oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari. Si enim sancta Scriptura in Africa solâ designaverunt Ecclesiam, & in paucis Romæ Rupitanis & Montensibus, & in domo vel patrimonio unius Hispanæ mulieris, quicquid de chartis aliis aliud proferatur non tenent Ecclesiam nisi Donatistæ. Si in paucis Mauris Provinciæ Cæsareensis eam sancta Scriptura determinant, ad Rogatistas transeundum est. Si in paucis Tripolitanis & Byzacenis, & Provincialibus Maximianistæ ad eam pervenerunt. Si in solis Orientalibus, inter Arianos, & Macedonianos & Eunomianos, & si qui illic alii sunt, requirenda est. Quis autem possit singulas quasque hæreses enumerare gentium singularum? Si autem Christi Ecclesia Canonicarum Scripturarum divinis & certissimis testimoniis in omnibus Gentibus designata est;*

quicquid attulerint, & undecumque recitaverint, qui dicunt, Ecce hic Christus, ecce illic: audiamus potiùs, si oves ejus sumus, vocem Pastoris nostri dicentis: Nolite credere. Illæ quippe singulæ in multis Gentibus, ubi ista est, non inveniuntur: hæc autem quæ ubique est, etiam ubi illæ sunt, invenitur.

Et infra; *Quia cum Donatistis quæstio nobis est, non de Capite, sed de Corpore, id est, non de ipso Salvatore Jesu-Christo, sed de ejus Ecclesia, ipsum Caput de quo consentimus, ostendat nobis Corpus suum de quo dissentimus, ut per ejus verba jam dissentire desinamus.*

Cùm ergo Scripturæ Sacræ Ecclesiam toto orbe diffusam testentur, convincuntur Calvinistæ & Lutherani veram Ecclesiam non habere, sicut nec Donatistæ habebant. In regionibus siquidem innumeris nomen Christi colitur, ut in omnibus Ecclesiis Orientalibus, in plurimis Occidentis, ut in Hispania & Italia, ubi Calviniana & Lutherana religio nusquam stabilita est.

Probatur eadem prima pars Propositionis ex SS. Patribus. Primò ex Sancto Cypriano, lib. de Unitate Ecclesiæ: *Ecclesia*, inquit, *Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit: unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latiùs expandit: unum tamen caput est, & origo una, & una Mater fœcunditatis successibus copiosa.*

Probatur secundò ex Optato Milevitano, lib. 2. contra Parmenianum. *Ecclesia*, inquit, *una est, cujus sanctitas de Sacramentis colligitur; non de superbia personarum ponderatur. Hæc apud omnes Hæreticos & Schismaticos esse non potest. Restat ut uno loco sit. Ergo ut in particula Africa, in angulo parvæ regionis apud vos esse possit: apud nos in alia parte Africæ non erit. In Hispaniis, in Italia, in Gallia, ubi vos non estis, non erit. Si apud vos tantummodò esse vultis, in tribus Pannoniis, in Dacia, Mysia, Thracia, Achaia, Macedonia, & in tota Græcia, ubi vos non estis, non erit. Ut apud vos esse possit, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Pamphylia Phrygia, Cilicia, & in tribus Syriis, & in duabus Armeniis: & in tota Ægypto, & in Mesopotamia, ubi vos non estis, non erit. Et per tot innumerabiles Insulas, & cæteras Provincias, quæ numerari vix possunt, ubi vos non estis, non erit. Ubi ergo proprietas Catholici nominis, cùm inde dicta sit Catholica, quòd sit rationabilis & ubique diffusa? Nam si sic pro voluntate vestra in angustum coarctatis Ecclesiam: si universas subducitis Gentes, ubi erit illud quod Filius Dei meruit? ubi erit quod libenter ei largitus est Pater, in secundo Psalmo dicens: Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ? Ut quid tale infringitis promissum, ut in vobis mittatur quasi in quemdam carcerem latitudo regnorum? Permittite Filium possidere concessa. Permittite Patri promissa complere. Cur ponitis metas? cur figitis limites? Cùm a Deo Patre Salvatori tota terra promissa sit, non est quidquam in aliqua parte terrarum, quod a possessione ejus videatur exceptum...... O vestra ingrata, & stulta præsumptio! Christus vos cum cæteris in societatem regni cœlestis invitat, & ut cohæredes sitis, hortatur: & vos cum in hæreditate sibi a Patre concessa, fraudare laboratis, dum Africæ partem conceditis, & totum terrarum orbem, qui ei & a Patre donatus est, denegatis.*

Et infra, urgens contra Donatistas illa verba Psalmi 95. *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra....... Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus*, hæc habet; *Qui omnes populos dixit, neminem excepit. Et vos solos ab omnibus populis, de quibus hoc mandatum est, separatos vos esse gratulamini. Et vultis vos solos esse totum, qui in omni toto non estis. Laudandum, inquit, nomen Domini a totâ terrâ, & ab ortu solis usque ad occasum. Numquid Pagani extra legales possunt cantare Deo, aut laudare nomen Dei: & non sola Ecclesia, quæ in lege est? Quam si apud vos tantummodò esse dicitis, fraudatis aures Dei. Si vos soli laudatis, totus tacebit orbis, qui est ab ortu solis usque ad occasum. Clausistis ora omnium Christianorum Gentium: indixistis silentium populis universis, Deum per momenta laudare cupientibus. Igitur si & Deus debitas sibi laudes expectat, & ut soneat Spiritus Sanctus hortatur, & totus orbis, quod debet, paratus est reddere, ne fraudetur Deus, etiam vos ipsi laudate cum omnibus: aut quia noluistis esse cum omnibus, soli conticescite.*

Probatur tertiò ex Sancto Augustino, *lib. de Unitate Ecclesiæ*, cap. 19. *Utrum ipsi Ecclesiam teneant*, inquit, *nonnisi de divinarum Scripturarum Canonicis Libris ostendant: quia nec nos propterea dicimus nobis credi oportere, quòd in Ecclesia Christi sumus, quia ipsam quam tenemus, commendavit Milevitanus Optatus, vel Mediolanensis Ambrosius, vel alii innumerabiles nostræ Communionis Episcopi: aut quia nostrorum Collegarum Conciliis ipsa prædicata est, aut quia per totum orbem in locis sanctis quæ frequentat nostra Communio, tanta mirabilia vel exauditionum, vel sanitatum fiunt; aut quia ille somnium vidit, & ille spiritu assumptus audivit, sive ut iret in partem Donati, sive ut recederet a parte Donati. Quæcumque talia in Catholica fiunt, ideò sunt approbanda, quia in Catholicâ fiunt: non ideò ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt. Ipse Dominus Jesus, cùm resurrexisset a mortuis, & Discipulorum oculis videndum, manibusque tangendum corpus suum offerret, ne quid tamen fallaciæ se pati arbitrarentur, magis eos testimoniis Legis & Prophetarum, & Psalmorum confirmandos esse judicavit, ostendens ea de se impleta, quæ fuerant tantò ante prædicta. Sic & Ecclesiam suam commendavit, dicens, prædicari in nomine suo pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes Gentes, incipientibus ab Hierusalem. Hæc sunt causæ nostræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta. Legimus in Actibus Apostolorum dictum de quibusdam credentibus; quòd quotidie scrutarentur Scripturas, an hæc ita se haberent. Quas utique Scripturas, nisi Canonicas Legis & Prophetarum? Huc accesserunt Evangelia, Apostolicæ Epistolæ, Actus Apostolorum, Apocalypsis Joannis. Scrutamini hæc omnia, & eruite aliquid manifestum, quo demonstretis Ecclesiam vel in sola Africa remansisse, vel ex Africa futuram esse, ut impleatur hoc quod Dominus dicit, * Prædicabitur hoc Evangelium regni* * Matth.
in universo orbe in testimonium omnibus Gentibus 24.
& tunc veniet finis.

Præterea. Id probat Sanctus Augustinus contra Donatistas, testimonio Tichonii viri ex ipsorum Secta doctissimi, quod urget „ lib. 1. contra Epistolam Parmeniani, *cap.* 1. Tichonius omnium „ sanctarum Paginarum vocibus circumtusus evigilavit, & vidit Ecclesiam Dei toto orbe dif„ fusam, sicut de illa tantò ante per corda & „ ora Sanctorum prævisum atque prædictum est, „ Quo perceptò, suscepit adversùs ipsos suos de„ monstrare & asserere, nullius hominis quam„ vis sceleratum & immane peccatum præscribe„ re promissis Dei, nec id agere quorumlibet in„ tra Ecclesiam constitutorum quamlibet impieta„ tem, ut fides Dei de Ecclesia futura & diffun„ denda usque ad terminos orbis terræ, quæ in „ promissis Patrum retenta, & nunc exhibita est,

„ eva-

evacuaretur. Hoc ergo Tichonius, cùm vehementer copiosèque dissereret, & ora contradicentium multis, & magnis, ac manifestis sanctarum Scripturarum testimoniis oppilaret; non vidit quod consequenter videndum fuit; illos videlicet in Africa Christianos pertinere ad Ecclesiam toto orbe diffusam, qui utique non istis ab ejusdem orbis communione atque unitate sejunctis, sed ipsi orbi terrarum per Communionem connecterentur.

Tertiò. Idem Sanctus Augustinus, *lib.3. contra Cresconium, cap.67.* eamdem veritatem confirmat de Ecclesia toto orbe diffusa. „ Alii quippe hìc, alii verò alibi, atque alibi hæretici, diffusa ubique Catholica unitate consligunt: Ubique est enim illa de qua exierunt, qui esse ubique minimè potuerunt, dicentes, secundùm id quod de illo prædictum est: Ecce hic est Christus, ecce illic, alii hoc loco; alii alias variarum præsumptionum vel potiùs amputationum proprias particulas ostendentes, atque impiâ superbiâ radicem unde fracti sunt abnegantes. Huic ergo Ecclesiæ, quæ copiosis successibus cùm dilatatur toto orbe terrarum, ex omni gente, tribu & lingua, parit multitudinem candidatorum & palmatorum, sicut in Apocalypsi scriptum est, quam nemo numerare potest. Huic, inquam, Ecclesiæ, cui partem Donati non communicare manifestum est, majores vestri probare debuerunt quæcumque vera documenta de Traditoribus habuerunt.

Legendus idem Sanctus Augustinus „ Enarratione in Psalmum 49. *ad illa verba:* Deus Deorum Dominus locutus est, & vocavit terram: A solis ortu usque ad occasum, ex Sion species decoris eius. *Et* in Psalm.56. *ad illa verba*, Exaltare super cælos Deus, & in omni terra gloria tua. *Quæ sic urget contra Hæreticos:* Qualem vesaniam patiantur Hæretici, quæso ut attendatis. Illi præcisi a compagine Ecclesiæ Christi, & partem tenentes, totum amittentes, nolunt communicare orbi terrarum, quò diffusa est gloria Christi. Nos autem Catholici in omni terra sumus, quia omni terræ communicamus, quacumque gloria Christi diffusa est. Videmus enim quod tunc cantatum est, modò completum: Exaltatus est super cælos Deus noster, & super omnem terram gloria ipsius. O hæretica insania! Quod non vides, credis mecum; quod vides, negas. Credis mecum exaltatum Christum super cælos, quod non videmus: & negas gloriam ejus super omnem terram, quod videmus.

Et in Psalmum 65. ad illa verba: *Jubilate Deo omnis terra*, ait: *Videtis, Fratres, quemadmodum commendetur universitas Ecclesiæ toto orbe diffusæ: & non solùm dolete Judæos, qui gratiam istam Gentibus invidebant, sed plus hæreticos plangite. Si enim dolendi sunt, qui collecti non sunt quantò ampliùs qui collecti divisi sunt? Jubilate Deo omnis terra. Nemo jubilet in parte: omnis terra jubilet, Catholica jubilet, Catholica totum tenet. Quicumque partem tenet, & a toto præcisus est, ululare vult, non jubilare.*

Probatur quartò eadem prima pars Præpositionis ex Vincentio Lirinensi, Commonitorio I. adversùs Hæreses, cap.3. *In ipsa item Catholicâ Ecclesiâ*, inquit, *magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: Hoc est etenim verè propriéque Catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat, quæ omnia ferè universaliter comprehendit, Sed hoc ita demum fiat, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo: si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem verò ita, si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos Majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est: Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones, sententiasque sectemur.*

Probatur secunda pars Propositionis, scilicet quòd Ecclesia insignes etiam peccatores complectatur, nec eorum violetur criminibus: primò ex Scripturâ Sacrâ, Matth.18. Christus correctionis fraternæ legem ferens, ait: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, &c. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* De verâ certè Ecclesiâ Christus loquitur. Hæc autem continet peccatores in crimine ita pertinaces & obduratos, ut fraternâ correptione emendari non possint: qui ejus in sinu tolerantur, donec inde per sententiam Prælatorum ejecti sint. Item Sanctus Paulus Ecclesiæ Corinthiorum scribens, 1. *ad Corinthios, cap.1,* ait: *Significatum est mihi quòd contentiones sunt inter vos.* Et cap.5. *Auditur*, inquit, *inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat*, Certè ille incestuosus erat in Ecclesia: siquidem jubet Apostolus ut ex illius sinu per excommunicationem ejiciatur. *Tollatur*, (inquit) *de medio vestrûm qui hoc opus fecit.*

Ecclesia peccatores complectitur, nec eorum criminibus violatur.

Et Apocalypsis 2. & 3. cap. S. Joannes septem Ecclesias, & earum Episcopos de rebus nequaquam levibus reprehendit. Ait enim Episcopo Sardensis Ecclesiæ, per Angelum figurato, *Nomen habes quod vivas, & mortuus es.*

Tertiò. Id probant Evangelicæ Parabolæ: areę in quâ triticum paleæ, permixtum est [*Math.13.*] Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregantis [*Matth.13.*] Ovilis, in quo oves cum hœdis concluduntur [*Matth.25.*] Nuptialis convivii, ad quod boni pariter & mali sunt ingressi [*Math.22.*] quibus Parobolis Catholici Antistites Donatistas urgendos esse existimarunt, ut constat ex ipsorum mandato selectis Episcopis, qui Ecclesiæ caussam in Collatione agere debebant, dato: *Homines quilibet in Ecclesia*, inquiunt, *si boni sunt, triticum, vel frumenta ejus sunt, oves ejus sunt, pisces boni ejus sunt: sin autem mali sunt, Zizania, palea, hœdi, pisces mali ejus sunt. Non ergo propter eos tota messis, tota area, grex totus, piscatio tota damnata est, ne, cùm ante tempus audemus quasi temerè de malis judicare, & aliis aliorum objectare peccata, bonos propter malos sacrilega separatione deseramus; enim potiùs malos propter bonos pia unitate tolerare debeamus. Urgendi ergo sunt ii harum Evangelicarum Similitudinum & tam perspicuæ veritatis inimici, ut doceant quod intendunt, ac priùs ostendant, si voluerint, quomodo Ecclesia, quam incipientem ab Hierusalem in Scripturis sanctis per propinqua & longinqua fructificantem, atque crescentem accepimus, & tenemus, quorumlibet, quos accusant, contagione perierit, & in Donati parte remanserit.*

Eamdem malorum cum bonis in Ecclesiâ commixtionem in Carthaginensi Collatione probaverunt Catholici Episcopi Prophetarum exemplis, qui populum peccatorem, & Deum multis execrabilibus abominationibus offendentem, tam severis vocibus arguebant, & flagellis correptionis duros atque indomitos animos usque ad inimicitias adversùm se horribiles excitabant; nec tamen se ab eo populo, in quo utique etiam boni inter malos erant, corporali discrimine dividebant, melius judicantes per patientiam ferre ma-

los

los, quàm per calumniam relinquere bonos.

Idem probarunt exemplo Christi, qui Traditorem suum non solùm cognitum in Discipulorum numero pertulit, verùm etiam præcognitum in Discipulorum numerum assumpsit. Dixit etiam Discipulis suis: *Et vos mundi estis, sed non omnes:* ut scirent munditiam suam alienâ immunditiâ non posse sordescere.

Idem probarunt ex Sancto Paulo inter falsos fratres gemente, & quosdam per invidiam Christum annuntiantes in Epistola sua notante: quos tamen boni, propter unitatem Christi conservandam, sine ullâ suâ perditione, in Sacramentorum communione tolerabant, ab eorum licèt malitiâ abhorrerent. Hæc perspicua sunt ex Actis Collationis Carthaginensis, & ex Sancto Augustino in Breviculo Collationis diei 3. cap. 8. quorum argumentorum pondere oppressi Donatistæ, vix mutire potuerunt, ut ex eodem S. Doctore constat.

Probatur secundò Ecclesiam complecti malos, nec eorum scéleribus violari, testimonio Sancti Cypriani, quod Africani Antistites in Collatione contra Donatistas urgebant. Illud autem habetur Epistolâ 51. ad Confessores ex schismate reversos. ,, Nam etsi, *inquit*, videntur in Ecclesiâ esse zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut Caritas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesiâ cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis tantummodò laborandum est ut frumentum esse possimus, ut cùm cœperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus. Apostolus in Epistolâ suâ dicit: In domo autem magnâ non solùm vasa sunt aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem honorata, quædam verò inhonorata. Nos operam demus, & quantùm possumus, laboremus, ut vas aureum, vel argenteum simus. Cæterùm fictilia vasa confringere, Domino soli concessum est, cui & virga ferrea data est. Esse non potest major domino suò servus. Nec quisquam sibi, quod soli Filio Pater tribuit, vindicare potest, ut putet aut ad aream ventilandam & purgandam paleam ferre se jam posse, aut a frumento universa zizaoia humano judicio segregare. Superba est ista obstinatio, & sacrilega præsumptio, quam sibi furor pravus assumit. Et dum sibi semper quidam plus, quàm mitis justitia deposcit, assumunt, de Ecclesia pereunt: & dum se insolenter extollunt, ipso suo timore cæcati, veritatis lumen amittunt.

Quod Sancti Cypriani testimonium contra Donatistas etiam urget Sanctus Augustinus, *lib. 3. Contra Cresconiam, cap. 34. 35. & 36. & ex eo ita colligit:* Ecce ab hac invictissima ratione dissimulare non sino. Si non communicantes peccatis malorum, propter ipsam tantùm communionem Sacramentorum, mali perdunt bonos: quandò in præteritum ex hæresi ad Ecclesiam venientes sine Baptismo admissi sunt, contagione suâ bonos utique perdiderunt. Jam tunc ergo non erat Ecclesia, quam Cyprianus teneret, prædicaret, nec unde postea Donatus exiret. Si autem bonos contagio illa non perdidit, nec eorum, quos accusatis, contagio Christianum orbem perdere potuit. Nolite calumniari separati, & ad Ecclesiam redite correcti. Cæcilianum & socios ejus, contra quos tunc Secundus Tigisianus contraxit, condiditque Concilium, necesse est tibi accusare, mihi non est necesse defendere. Accusa eos quantis viribus potes. Si innocentes fuerunt, nihil eis tanquam frumentis oberit ventositas tua: si nocentes fuerunt, non debuerunt propter illam zizaniam frumenta deseri, quibus nihil obfuerunt. Accusa quantùm potes: vinco si non probas, vinco, si probas: vinco, inquam, si non probas, judice te ipso: vinco, si probas, teste Cypriano. Quid eos vis fuisse? Si innocentes, cur frumentis Dominicis, cùm sitis zizania, calumniamini? Si nocentes, cur a frumentis Dominicis propter zizania separamini? Extat Ecclesia cunctis clara atque conspicua, quippe civitas quæ abscondi non potest super montem constituta; per quam dominatur Christus a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terræ, tamquam semen Abrahæ multiplicatum sicut stellæ cœli, & sicut arena maris, in quo benedicuntur Gentes.... Hæc ut in frumentis suis non accusaretur, aut propter zizania non desereretur, unum horum vobis etiam vos ipsi respondete, alterum Cypriani monitis discite. Ipsius enim verba suot attestantis, & dicentis: Nam etsi videntur in Ecclesia esse zizaoia, non tamen impediri debet aut Fides, aot Charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia credimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Vos contagione malorum Afrorum periisse dicitis de orbe terrarum, & in parte Donati ejus reliquias remansisse tamquam in frumentis, & zizaniis, & paleâ separatis, contra Cyprianum apertissimè sentientes, qui dicit nec malorum permixtione bonos perire in Ecclesia, nec eosdem malos posse aote tempus judicii divini a bonorum permixtione separari. ,, Ecclesia igitur complectitur malos, nec eorum vitiis violatur.

Probatur tertiò ex Sancto Joanne Chrysostomo, in illa verba Psalmi 39. ,, Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem: multiplicatæ sunt super capillos capitis mei. *Quæ sic exponit:* Nec ex perfectis quidem universa constat Ecclesia, sed habet eos etiam qui otio & socordiæ se dedunt, mollemque & dissolutam vitam amplectuntur & libenter serviunt voluptatibus: & quoniam unum est corpus, tamquam ex unâ persona hæc & illa pronuntiat.

Probatur quartò, ex Sancto Hieronymo in Dialogo contra Lucisetianns. ,, Arca Noë, *inquit*, Ecclesiæ typus fuit. Ut in illâ omnium animalium genera, ita & in hâc universarum & gentium, & morum homines sunt. Ut ibi pardus & hœdi, lupus & agni: ita & hìc justi & peccatores, id est, vasa aurea & argentea cum ligneis & fictilibus commorantur. *Et infra:* Non solùm in Ecclesia morantur oves, nec mundæ tantùm aves volitant, sed frumentum in agro seritur, & inter nitentia culta, lappæque, & tribuli, & steriles dominantur avenæ.

Probatur quintò ex Sancto Augustino, qui hoc argumentum cæteris Patribus uberiùs & luculentiùs tractavit. Præclara sunt quæ hac de re habet, ,, lib. 7. de Baptismo contra Donatistas, *cap. 51. ubi ait:* Alios ita esse in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei quæ dicitur ædificari super petram, quæ unica columba appellatur, quæ sponsa pulchra sine maculâ & ruga, & hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum. Quæ domus etiam claves accipit, ac potestatem solvendi & ligandi. Hanc domum si quis corripientem corrigentemque contempserit, sit tibi, inquit, tamquam ethnicus & publicanus. De hac domo dicitur: Domine dilexi decorem domus tuæ, &c. Hæc domus etiam triticum dicitur, sive tricenum, sive sexagenum, sive centesimum fructum afferens cum tolerantia. Hæc domus est in vasis aureis & argenteis, & lapidibus pretiosis. Hæc quippe in bonis fidelibus est, & sanctis Dei servis ubique dispersis, & spiritali unitate de-

vin-

,, viodtis in eadem commuoione Sacramentorum.
Alios autem notat Sanctus Augustinus ita dici esse
in domo ,, Ut non pertineant ad compagem
,, domûs, nec ad societatem fructiferæ pacificæ-
,, que justitiæ, sed sicut esse palea dicitur in
,, frumentis: nam & istos esse in domo negare
,, non possumus, Paulo Apostolo dicente: In
,, magnâ autem domo non solùm aurea vasa
,, suot, vel argentea, sed & lignea, & fictilia;
,, & alia quidem sunt in honorem, alia verò in
,, contumoliam, Ex hoc numero innùmerabili,
,, non solùm turba intus premens cor paucoruoi
,, in tantæ moltitudinis comparatione sanctorum,
,, sed etiam diruptis retibus hæreses, & schis-
,, mata existunt in eis, qui jam magis ex do-
1. Joan. ,, mo, quàm io domo esse dicendi sunt, de qui-
2. 19. ,, bus dicitur; Ex nobis exierunt, sed non erant
,, ex nobis: separationes enim sunt: tam etiam
,, corporaliter segregati, quàm illi qui interiùs
,, carnaliter & animaliter vivunt, & spirituali-
,, ter separati sunt.

,, *Et lib.*3. Contra Epistolam Parmaniani *cap.*2.
,, Quid eis prodest, *inquit*, quòd avaros & ra-
,, paces, cum quibus cibum sumi vetat Aposto-
,, lus, modò se vel non habere in congregatio-
,, ne sua, vol incognitos sibi esse mentiuntur:
,, quandoquidem fuerunt tales in illâ unitatis
,, Ecclesia, unde isti exortos sic se jactitant, ut
,, eam in sola sua societate, id est, in commu-
,, niono Donati remansisse, persuadere conentur?
,, Si enim dicunt per talinm communionem pe-
,, rire Ecclesiam, cur eam non dicunt jam Cy-
,, priani periisse tomporibus? Ac sic per seipsos
,, unde existerent non invenientes, dicere desi-
,, nant apud se Ecclesiam remansisse, quam totam
,, prioribus periisse temporibns dicunt. Si autem
,, in bonis; quibus talia displicent, semper man-
,, sit, & manot, & manebit Ecclesia, discant isti
,, aliquando non sic intelligere quod ait Aposto-
,, lus: Auferte malum ex vobis ipsis; ut per
,, schismata conantes colligere zizania; eradicent
,, simul & triticum. ,, De eadem malorum cum
bonis in Ecclesia commiationo, lege Sanctum
Augustinum, lib. *de Unitate Ecclesia*, cap.14. &
in Breviculo Collationis diei 3. *cap.*8. 9. & 10.
& in libro *ad Donatistas post Collationem*, *cap.* 4.
& 5. ubi recensitis Parabolis Evangelicis, quæ
commixtionem illam significant, hæc subjungit:
,, Quibus parabolis & figuris Ecclesia prænuntia-
,, ta est usque ad finem sæculi, bonos & malos
,, simul babitura: ita ut nec mali bonis obesse
,, possint, cùm vel ignorsntur, vel pro pace
,, & tranquillirate Ecclesiæ tolerantur, si eos pro-
,, di aut accusari non oportuerit, aut aliis bo-
,, nis non potuerit demonstrari: ita sanè ut nec
,, emendationis vigilantia quiescat, corripiendo,
,, degradaodo, excommunicando, cæterisque
,, coërcitionibus licitis atque concessis, quæ sal-
,, vâ unitatis pace in Ecclesia quotidie fiunt, se-
2. Thessa- ,, coodùm præceptum Apostolicum caritate ser-
lon. 3. ,, vatâ, qui dixit: * Si quis autem non obaudit
,, verbo nostro, per Epistolam hunc notate, &
,, nolite commisceri cum eo, ut erubescat; &
,, non ut inimicum existimetis, sed corripite ut
,, fratrem. Sic enim & disciplina servat patien-
,, tiam, & patientia temperat disciplinam, &
Cap. 5. ,, utrumquo refertur ad caritatem, ne fortè aut
,, indisciplinata patientia, foveat iniquitatem,
,, aut impatiens disciplina dissipet unitatem. *
,, Ista cùm fiunt a bonis, oon inquinantur a ma-
,, lis, qoia nec eorum peccatis consentiendo com-
,, municant, & ab eis, etsi non corporali segre-
,, gatione, tamen spiritali vitæ dissimilitudine &
,, morum diversitate discedunt.... Non itaque
,, polluunt mali bonos in eodem agro, in eadem
,, area, in eisdem pascuis, in eisdem retibus con-
,, stituti; quia non eis communicant boni, sed al-
,, tari & Sacramentis Dei. Communicant autem Roman. 1.
,, malis, qui consenriunt malorum factis. Scri-
,, ptum est enim: * Non solùm qui faciunt ea,
,, verùm etiam qoi consentiont facientibus.

Respondebant Donatistæ; Occultos quidem
malos esse in Ecclesiâ, non manifestos, & prop-
terea Ecclesiam retibus comparari, quæ malos
etiam pisces, sed sub aquis latentes continet.
Quam responsionem elidit Sanctus Augustinus,
cap.10. aliâ similitodine Evangelicâ, scilicet areæ,
quæ paleam, non latentem, sed manifestam &
trituratoribus conspicuam, cum tritico simul in-
cludit; unde colligit S. Doctor etiam manifestos
malos in Ecclesiâ esse intelligendos.

Probatur sextò ex eodem Sancto Augustino,
,, *lib.* De onico Baptismo contra Petilianum, *cap.*
,, 16. Non sanè, *inquit*, parva est, parumque
,, gloriosa consolatio cujuscumqoe nostrùm, si ab
,, inimicis Ecclesiæ cum ipsâ Ecclesia criminamur.
,, Ejus tamen defensio non in eorum hmninum
,, defensione consistit, quos isti nominatim falsis
,, criminationibus appetunt. Prorsus qualescum-
,, que fuerint, nihil præjudicat Ecclesiæ Catho-
,, licæ toto terrarum orbe diffusæ. Nulln modo
,, eorum innocentiâ coronamur: Nullo modo eo-
,, rum iniquitate damnamur. Si boni fuerunt,
,, in areæ Catholicæ tritura tamquam grana
,, mundati sunt. Si mali fuerunt, in areæ Ca-
,, tholicæ tritura tamquam stipulæ comminuti
,, sunt. Intra istam aream boni & mali esse pos-
,, sunt; extra eam buni esse non possunt. Quis-
,, quis ab hac unitate vento superbiæ tanquam
,, sola palea separatur, areæ Dominicæ propter
,, commixtam paleam quid calumniatur?

,, *Et cap.*18. In ipsa, *inquit*, unitate Domini-
,, cæ areæ nec propter bonos laudandi sunt ma-
,, li, nec propter malos deserendi sunt boni: ut
,, in uno homine, nec propter illud quod in eo
,, integrum est, ejus est accipienda perversitas:
,, nec propter illnd quod in eo perversum est,
,, negari debet ejus integritas. Legatur & *cap.*
,, 49. *lib.* 18. De Civitate Dei.

Probatur septimò ex Sancto Fulgentio, *lib.* de
,, Fide ad Petrum, *cap.*40. Firmissimè tene, *in-*
,, *quit*, & nullatenus dubites, aream Dei esse
,, Ecclesiam Catholicam, & intra eam usque in
,, finem sæculi, frumento mixtas paleas contine-
,, ri, hoc est, bonis malos Sacramentorum com-
,, munione misceri, nec pro malis bonos dese-
,, rendos; sed pro bonis malos, in quantùm exi-
,, git fidei & caritatis ratio, tolerandos, &c.
Legatur etiam Sanctus Gregorius Magnus Ho-
milia 38. in Evangelia, ubi eamdem confirmat ve-
ritatem.

His omnibus addendum illud Salviani Massilien-
sis Presbyteri, lib. 1. *Ad Ecclesiam Catholicam*,
,, sic Ecclesiam ipsam alloquentis: Nescio quo-
,, modo pugnante cnntra temetipsam tua fœlici-
,, tate, quantùm tibi auctum est populorum, tan-
,, tùm penè vitiorum: quantùm tibi copiæ acces-
,, sit, tantùm disciplinæ recessit, & prosperitas
,, venit quæstuum, cum magno fœnore detrimen-
,, torum. Multiplicatis enim fidei populis, fides
,, imminuta est, & crescentibus filiis, mater æ-
,, grotat, factaque es, Ecclesia, profectu toæ fœ-
,, cunditatis infirmior, atque accessu relabens,
,, & quasi viribus minùs valida. Diffudisti siquidem
,, per omnem mundum religiosi nominis membra,
,, religionis vim non habentia: ac sic esse cæ-
,, pisti turpis opolentiâ, fide pauper: quantò di-
,, tior multitudine, tantò egentior devotione;
,, latior corpore, angustior mente; eodemque,
,, ut ita dixerim, & in te major, & in te mi-
,, nor,

,, nor, novoque penè & inaudito genere processûs
,, & recessûs, crescens simul & decrescens. Ubi
,, enim est illa nunc eximiæ formæ tuæ totius cor-
,, poris pulchritudo? Illud de vivis virtutibus
,, tuis divinorum apicum testimonium, dicens:
,, Multitudinis credentium erat cor unum & ani-
,, ma una; & nemo quidquam ex eo quod pos-
,, sidebat, suum esse dicebat? Cujus tu nunc, o
,, dolor, lectionem tantùm habes, virtutem non
,, habes: quæ tantùm scientiâ, tantùm interim
,, conscientiâ abes, &c. Sanctorum igitur Patrum testimoniis contra Donatistas, & consequenter contra recentiores Hæreticos evincitur, Ecclesiam insignes etiam peccatores complecti, nec eorum vitiis violari.

Ecclesia numquam defectura. Probatur tertia pars Propositionis, scilicet Ecclesiam nusquam defecturam, ut revera nusquam defecit; primò ex Psalmis. Dicitur enim *Psalmo* 47. qui totus est de Christo & Ecclesia, *Deus fundavit eam in æternum*. Et Psalm. 88. *Thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis...... Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cæli.*

2. Probatur Ecclesiæ perpetuitas ex Prophetiis. *Isaiæ* 61. Quod de Ecclesia Novi Testamenti intelligi docuit Christus *Lucæ* 4. Sic autem habet ad nostrum institutum Propheta: *Et fœdus perpetuum feriam eis: & scietur in Gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.*

3. Idem probant verba Christi, Matthæi 16. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* At si deficeret Ecclesia, portæ inferi adversùs eam prævalerent: nusquam igitur defectura est. Et Matthæi ultimo: *Ecce ego vobiscum sum*, inquit Christus, *usque ad consummationem sæculi.* Quæ verba non Apostolos & Discipulos solos, sed Ecclesiam spectant universam: cum qua proinde ad finem usque sæculi manebit Christus.

4. Idem probant Apostolicæ literæ, ad Ephesios 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Prophetas, alios Apostolos, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ministeria igitur Pastorum & Doctorum, & ædificatio perennis Corporis Christi, erunt in Ecclesia, ad supremum usque judicii diem, ac proinde tamdiu stabit Ecclesia visibilis.

Et 1. ad Timoth. 3. *Hæc tibi scribo...... ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.*

Probatur tertiò perpetuitas Ecclesiæ ex S. Au-
,, gustino: Enarratione 2. In Psalmo 101. *ad illa verba*: ,, In conveniendo populos in unum, &
,, Reges ut serviant Domino: respondit ei in via
,, virtutis suæ. *Sic autem habet*: In hoc ei ergo
,, respondet in unitate: qui autem non est in
,, unitate, non ei respondet. Ille enim unus est,
,, Ecclesiæ unitas. Non respondet uni nisi uni-
,, tas. Sed existunt qui dicant: Jam hoc factum
,, est, respondit ei in omnibus gentibus Eccle-
,, sia, pariens filios plures quàm illa quæ habe-
,, bat virum. Respondit ei in via fortitudinis
,, suæ: credidit enim Christum resurrexisse; cre-
,, diderunt in eum omnes gentes: sed illa Eccle-
,, sia quæ fuit omnium gentium, jam non est,
,, periit. Hoc dicunt, qui in illa non sunt. O
,, impudentem vocem! Illa non est, quia tu in
,, illa non es? Vide ne tu ideò non sis: Nam
,, illa erit, etsi tu non sis. Hanc vocem abomi-
,, nabilem & detestabilem, præsumptionis & fal-
,, sitatis plenam, nullâ veritate suffultam, nulla
,, sapientia illuminatam, nullo sale conditam,
,, vanam, temerariam, præcipitem, pernicio-
,, sam, prævidit Spiritus Dei, & tamquam con-
,, tra illos cùm annuntiaret unitatem: In con-
,, veniendo populos in unum, & regna ut ser-
,, viant Domino. Cùmque subdidisset, Respon-
,, dit ei utique laus ejus, utique Hierusalem ma-
,, ter nostra de peregrinatione revocanda, fœto-
,, sa cum multis filiis, magis quàm ea quæ habe-
,, bat virum. Quoniam quidam dicturi erant con-
,, tra, Fuit, & non est. Exiguitatem, inquit,
,, dierum meorum annuntia mihi. Quid est quòd
,, nescio qui recedentes a me, murmurant con-
,, tra me? Quid est, quòd perditi me periisse
,, contendunt? Certè enim hoc dicunt, quia fui,
,, & non sum: Annuntia mihi exiguitatem die-
,, rum meorum. Non a te quæro illos dies æter-
,, nos: illi sine fine sunt, ubi ero, non ipsos
,, quæro: temporales quæro: temporales dies mi-
,, hi annuntia. Et annuntiavit, nec vacua fuit
,, vox ista. Quis annuntiavit mihi nisi ipsa via?
,, Quomodo annuntiavit? Ecce ego vobiscum sum
,, usque ad consummationem sæculi.

Nec de Ecclesia invisibili Sanctus Augustinus loquitur, ut hæretici respondent. Agit namque contra Donatistas, qui Ecclesiam invisibilem non periisse, nec perituram usquam esse fatebantur: sed de Ecclesia visibili, quam ex toto terrarum orbe periisse, & in sua tantùm secta remansisse incorruptam asserebant. *Ecclesia visibilis.*

Præterea. Ecclesia visibilis est: est enim *Civitas supra montem posita.* * *In sole posuit tabernaculum suum* * Christus Dominus, id est, *in manifesto posuit Ecclesiam suam*, ut Sanctus Augustinus exponit. * *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens*, inquit Sanctus Cyprianus, *Epistolâ* 69. adeòque est visibilis. Societas est hominum per ejusdem fidei professionem & in eorumdem Sacramentorum communione Deum colentium, quod fieri non potest, nisi sit visibilis. *In nullum quippe nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur*, inquit Sanctus Augustinus, *lib.* 19. *contra Faustum, cap.* 11. Certè si Ecclesia invisibilis esset, quomodo ipsam agnoscere possent, qui ab ea sunt separati, ut in ejus gremium redirent? Quomodo fratrem ex correptione fraternâ minimè emendatum, ad Ecclesiam deferri Christus juberet? Matthæi 18. *Dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Præclarè igitur Sanctus Augustinus, lib. 3. contra Epistolam Parmeniani, cap. 5. ait: *Nulla est securitas unitatis, nisi ex promissis Dei Ecclesiâ declaratâ, quæ super montem constituta, abscondi non potest: & ideò necesse est ut omnibus terrarum partibus nota sit.* Ecclesia igitur invisibilis, qualem hæretici comminiscuntur, merum figmentum est.

Matth. 5.
Psalm. 18.
Tractat. 2. in Epist. Joannis.

Nec obstat quòd *Lucæ* 17. dicatur: *Regnum Dei non venit cum observatione: neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim Regnum Dei intra vos est.* Et Joannis 4. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.* Et ad Hebræos 12. *Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accensibilem ignem, sed ad Sion montem, & civitatem Dei viventis.* Et illud 1. Petri 2. *Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias Deo.* Hæc, inquam, omnia non probant Ecclesiam invisibilem esse. Nam primus locus intelligitur de regno Dei

per

per gratiam & caritatem, quod verè intra nos est; non verò de Ecclesiâ. Vel intelligitur de Regno Messiæ, de quo a Pharisæis interrogatus Christus: *Quando venit Regnum Dei?* respondit: *Regnum Dei intra vos est*. Id est, Messiam ne ampliùs expectetis, jam apud vos præsens est. Secundus locus significat tantùm, cultum Dei in Ecclesiâ præcipuum, internum esse, quia *non colitur nisi amando*: ut ait Sanctus Augustinus; non esse adorandum Deum ceremonis præsertim externis, corporeis, & umbraticis, quales erant ceremoniæ religionis Judaicæ, sed spiritali præsertim cultu, & mysteriorum jam impletorum commemorativo. Tertius locus per *Montem Sion*, *& civitatem Dei viventis*, non significat militantem Ecclesiam, sed triumphantem, Discrimen quippe inter Veteris Novique Testamenti homines constituit Apostolus, quòd illi ad montem Sina corporeum accesserint, Deum per corporeas Imagines visuri: Christiani verò, non re, sed spe ad montem Sion spiritualem, id est ad cælestem gloriam accesserint, Deum facie ad faciem conspecturi. Unde statim subjungit Sanctus Paulus: *Et civitatem Dei viventis, Hierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cælis*. Quartus denique locus non probat Ecclesiam spiritalem esse secundùm substantiam, adeòque invisibilem: sed spiritalem esse ratione interioris regiminis; quia regitur a Spiritu sancto; ratione finis, quia spiritalem ad finem, fruitionem scilicet Dei ordinatur; ratione gratiæ, virtutum & donorum, quibus Christiani fiunt domus Dei, & templa ipsius consecrantur.

Nec obstat secundò Ecclesiæ visibilitati hic Symboli articulus: *Credo sanctam Ecclesiam*: quasi credi non possit, nisi sit invisibilis, cùm fides argumentum sit non apparentium. Aliud enim videmus, aliud credimus. Videmus Ecclesiam; credimus Ecclesiæ veritatem: Id est, cœtum fidelium adunatum Pastori, & eorumdem Sacramentorum Communione in ejusdem religionis professione conjunctum videmus, sed istum cœtum veram esse Ecclesiam, oculis non cernimus, sed fide apprehendimus; sicut Apostoli hominem, qui est Christus Filius Dei vivi, videbant: At hunc hominem esse Dei Filium non videbant, sed credebant.

Ecclesia deficere non potest.

Probatur quintò tertia pars Propositionis. Si deficere posset Ecclesia, vel posset deficere per errorem, vel per morum corruptelam. At neutro modo potest deficere. Non secundo, quia & ipsa in se sancta est, ut Christi sponsa, digna planè Sponso suo: nec peccatorum, quos continet, criminibus maculatur, ut probavimus. Non primo, quia errare non potest Ecclesia, cujus Christus est Caput, & quam *Spiritus veritatis docet omnem veritatem*. Hinc Tertullianus, lib. de Præscriptionibus adversùs hæreticos, cap. 28. ait: *Age nunc, omnes Ecclesiæ erraverint, nullam respexerit Spiritus Sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus a Patre, ut esset Doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicus, Christi Vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos prædicabat: ecquid verisimile est ut tot ac tanta in unam fidem erraverint?*

Joann. 16.

Et cap. 29. *Quoquo modo sit erratum; tamdiu utique regnavit error, quamdiu hæreses non erant. Aliquos Marcionitas & Valentinianos * liberanda veritas expectabat: interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata: tot Sacerdotia, tot ministeria perperam functa: tot denique martyria perperam coronata*,

Dicamus, aliquos Calvinianos, & Lutheranos.

Hinc Sanctus Augustinus, lib. 1. contra Cresconium Grammaticum, cap. 33. ait: *Scripturarum a nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas: ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ullâ ambiguitate Sancta Scriptura demonstrat*.

Schismatis rei sunt, quicumque se ab Ecclesia separant.

Probatur ultima pars Propositionis, scilicet tam veteres, quàm recentiores Hæreticos sacrilegi schismatis reos esse, ex eo quòd ab Ecclesiâ se præciderunt: Primò ex Sancto Cypriano, *Epist.* 69. ubi postquam præmisit quòd *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens*, subjungit: *Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse; & frustrà sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quæ Catholica una est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa, & cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata*. Cùm itaque Donatistæ Ecclesiam scinderent, nec Episcopis & Sacerdotibus totius orbis cohærerent, sacrilegi schismatis rei erant. Quanto magis rei Calvinistæ, qui nullos Sacerdotes, nullos Episcopos habent, quibuscum communione jungantur?

Confirmatur ex eodem Sancto Cypriano, lib. „ de Unitate Ecclesiæ: Quisquis ab Ecclesia se- „ gregatus, adulteræ jungitur, *inquit*, a promis- „ sis Ecclesiæ separatur. Nec perveniet ad Chri- „ sti præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alie- „ nus est, profanus est hostis est. Habere jam non „ potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet „ matrem. Si potuit evadere quisquam qui extra „ arcam Noë fuit; & qui extra Ecclesiam foris „ fuerit, evadit. Monet Dominus, & dicit: Qui non „ est mecum, adversùs me est: & qui non mecum „ colligit, spargit. Qui pacem Christi & concordiam „ rumpit, adversùs Christum facit. Qui alibi præ- „ ter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit. „ Dicit Dominus: Ego & Pater unum sumus: „ & iterum de Patre & Filio, & Spiritu Sancto „ scriptum est: Hi tres unum sunt: & quisquam „ credit hanc unitatem de divina firmitate ve- „ nientem, Sacramentis cœlestibus cohærentem, „ scindi in Ecclesia posse, & voluntatum colli- „ dentium divortio separari? Hanc unitatem qui „ non tenet, Dei legem non tenet, Patris & „ Filii fidem, vitam non tenet & salutem. Hoc „ unitatis sacramentum, hoc vinculum concordiæ „ inseparabiliter cohærentis ostenditur, quando „ in Evangelio tunica Domini Jesu Christi non „ dividitur omnino, nec scinditur, sed sortien- „ tibus de veste Christi, quis ipsam potiùs in- „ dueret, integra vestis accipitur, & incorrupta „ atque individua tunica possidetur.

Et infra: „ Quam sibi pacem promittunt ini- „ mici fratrum? Quæ sacrificia celebrare se cre- „ dunt æmuli Sacerdotum? An secum esse Chri- „ stum, cùm collecti fuerint, opinantur, qui ex- „ tra Christi Ecclesiam colliguntur? Tales, etiamsi „ occisi in confessione nominis fuerint, macula „ ista nec sanguine abluitur; inexpiabilis, & gra- „ vis culpa discordiæ, nec passione purgatur: es- „ se Martyr non potest, qui in Ecclesia non est „ .... Occidi talis potest, coronari non potest.

Et infra: „ Adversandus est, atque fugiendus, „ quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. An esse „ sibi cum Christo videtur, qui adversus Sacer- „ dotes Christi facit? Qui se a Cleri ejus, & ple- „ bis societate secernit? Arma ille contra Eccle-

„ siam portat, contra Dei dispositionem repugnat, hostis altaris, adversùs sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens servus, filius impius, frater inimicus, contemptis Episcopis, & Dei Sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ Hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanare. Ex quibus colligitur, tum Donatistas, cùm recentiores hæreticos, Calvinistas nimirum & Lutheranos, sacrilegi schismatis reos esse, hoc ipso, quòd se ab Ecclesia disciderunt: siquidem contemptis Episcopis, Dei Sacerdotibus derelictis, constituere ausi sunt aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ Hostiæ, quæ in sacrosancto Missæ sacrificio immolatur, veritatem, per falsa sacrificia, id est per umbraticam & ludicram Cœnam, quæ sacrificium non est, profanare.

Probatur secundò ex Optato Milevitano, lib. 1. *Contra Parmenianum*, sic Donatistas alloquente: „ Deserta Matre Catholica, impii filii dum foras excurrunt, & se separant, ut vos fecistis, a radice Matris Ecclesiæ invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abscedunt.

Idem lib. 2. sic Donatistas alloquitur: „ Intelligite vel serò vos esse filios impios, vos esse ramos fractos ab arbore, vos esse abscissos palmites a vite, vos esse rivum concisum a fonte. Non enim potest esse origo rivus, quia parvus est, & non de se nascitur; aut arbor a ramo concidi, cùm arbor fundata suis radicibus gaudeat, & ramus, si fuerit exsectus, arescat. Quæ eadem verba ad fratres nostros a Romanæ Ecclesiæ communione segreges dirigi possunt.

Et lib. 3. „ Et hic in Africa jamdudum populo in unitato manente, vestis fuerat sana: æmula manu inimici discissa est. Pendebant quodammodo panni de una vestis origine, & de una radice venientes. Ut quid se pars parti anteponit? Aut quid supra alterum pannum alter pannus extollit, cùm meliorem se probare non poterit? Quid enim si dicat contemptus pannus? Quid te tantum extollis? in ove pares crevimus: in manibus conficientium simul fuimus. Apud lotorem pariter mundati sumus; inimicus nos voluit ab invicem scindere. Adversarius pulchritudinem nostram voluit deformare. In parte vestis adhuc unum sumus, sed in diversa pendemus. Quod enim scissum est, ex parte divisum est, non ex toto concisum.

Ibidem Schismaticos *ruinosum parietem ædificare* ait, & falsos illos Vates esse de quibus Ezechielis *cap.* 13. *v.* 10. Domus Dei una est (*inquit*.) Qui foras exeuntes, partem facere voluerunt, parietem fecerunt, non domum: quia non est alter Deus, qui alteram domum inhabitet. Ideò parietem fecisse dicuntur falsi Vates, in quo si janua fuerit collocata, quicumque intraverit foris est. Nec lapidem habero angularem unus paries potest, qui lapis est Christus, *&c.* Qunt commoda habet domus, tot incommoda paries. Domus inclusa custodit, tempestatem retundit, pluviam diffundit; latronem, aut furem, aut bestiam non admittit. Sic & Ecclesia Catholica omnes filios pacis gremio & sinu suo complectitur. Contra paries qui est ædificatus ruinosus, nec lapidem angularem sustinet, & januam sine causa habet, nec inclusa custodit: pluvia undatur, tempestatibus cæditur: non potest arcere latronem nec venientem prohibet furem. Paries enim res de domo est, sed domus non est. Et pars vestra quasi Ecclesia est, sed Catholica non est.

Probatur tertiò ex Sancto Hieronymo, Epistolâ 57. ad Damasum, ad quem ita scribit: Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Igitur cùm Donatistæ, tum Calvinistæ & Lutherani, & omnes generatim Hæretici, qui Cathedræ Petri communione non junguntur, profani sunt, spargunt, Antichristi sunt, peribunt; utpote sacrilegi schismatis rei.

Probatur quartò ex Sancto Augustino, lib. de unitate Ecclesiæ, *cap.* 4. Totus Christus caput & corpus est (*inquit*) Caput unigenitus Dei Filius, & corpus ejus Ecclesia, sponsus & sponsa, duo in carne una. Quicumque de ipso capite ab Scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus: Quicumque de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, & unitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia, quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt. Verbi gratiâ, qui non credunt Christum in carne venisse de Virgine Maria ex semine David, quod apertissimè Scriptura Dei loquitur; aut non in corpore ipso resurrexisse, in quo crucifixus & sepultus est, etiamsi per omnes terras inveniantur, per quas est Ecclesia, non utique sunt in Ecclesia: quia ipsum caput Ecclesiæ non tenent, quod est Christus Jesus. Nec in aliqua divinarum Scripturarum obscuritate falluntur, sed notissimis, & apertissimis earum testimoniis contradicunt. Item quicumque credunt quidem quòd Christus Jesus, ita ut dictum est, in carne venerit, & in eadem carne, in qua natus & passus est, resurrexit, & ipse sit Filius Dei, Deus apud Deum, & cum Patre unum & incommutabile, Verbum Patris, per quod facta sunt omnia: sed tamen ab ejus corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, ut eorum communio non sit cum toto, quacumque diffunditur, sed in aliquâ parte separata inveniatur, manifestum est eos non esse in Catholica Ecclesia. Donatistæ igitur, qui ab Ecclesia ita dissentiebant, ut eorum communio non esset cum toto, sed in aliqua parte separatâ, non erant in Ecclesiâ Catholicâ. Ergo nec in ea sunt Calvinistæ, & Lutherani, qui cum cæteris orbis Ecclesiis non communicant; sed sacrilegi sunt schismatis rei, hoc ipso quòd se ab Ecclesia præciderunt.

Idem confirmat Sanctus Augustinus, *cap.* 19. „ Ad ipsam salutem ac vitam æternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia; quam, sicut ipsum caput, in Scripturis sanctis Cannnicis debemus agnoscere, non in variis hominum rumoribus & opinionibus, & dictis, & factis, & visis inquirere.

Probatur quintò ex eodem Sancto Augustino, *lib.* 3. contra Cresconium Grammaticum, *cap.* 35. „ Ego, *inquit*, in Ecclesia sum, cujus membra sunt illæ omnes Ecclesiæ, quas laboribus Apostolorum natas atque firmatas simul in Literis Canonicis novimus. Earum communionem, quantùm me adjuvat Dominus, sive in Africa, sive ubicumque, non deseram. In hac communione, si fuerunt, quos nescio Traditores, cùm eos demonstraveris, & carne, & corde mortuos detestabor: Nequaquam tamen a vivis in ejusdem Ecclesiæ sancta unitate manentibus, pro-

„ propter mortuos alienabor. Neque ipsi hanc Ecclesiam condiderunt, sed in eâ, si boni, frumentum; si autem mali, palea fuerunt. Vos autem, quos tam manifestæ Ecclesiæ zizania, vel palea maculare non posset, quæ caussa fuit vestræ divisionis, nisi appetitus sacrilegi schismatis? Igitur Donatistæ sacrilegi schimatis rei erant, & ejusdem criminis rei sunt Hæretici recentiores, hoc ipso quod se ab Ecclesia separaverunt.

Confirmatur ex *lib.2.* Contra Epistolam Parmeniani, *cap.11.* „ Hæc de Scripturis sanctis documenta proferimus, *inquit*, ut appareat facilè non esse gravius quidquam sacrilegio schismatis: quia præcidendæ unitatis nulla est justa necessitas, cùm sibi nequaquam spiritaliter nocituros malos ideò tolerent boni, ne spiritaliter sejungantur a bonis, cum disciplinæ severitatem consideratio custodiendæ pacis refrænat aut differt, quam tamen securitas exerit, cùm apparet sine vulnere schismatis ad salubrem correctionem posse aliquid Ecclesiastico Judicio vindicari.

Probatur sextò ex eodem S. Doctore, *lib.2.* de Baptismo contra Donatistas, *cap.5.* „ Aliter sapere quàm se res habet, *inquit*, humana tentatio est. Nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus, usque ad præcidendæ communionis, & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est. In nullo autem aliter sapere quàm se res habet, angelica perfectio est. Qui itaque homines sumus, sed spe Angeli sumus, quibus æquales in resurrectione futuri sumus, quamdiu perfectionem Angeli non habemus, præsumptionem diaboli non habeamus. Urget deinde Donatistas exemplo Sancti Cypriani, qui cùm aliter saperet, sententiam diversæ opinionis vinculo non præposuit unitatis, & subjungit: „ Respondete, quare vos separastis? Quare contra orbem terrarum altare erexistis? Quare non communicatis Ecclesiis, in quibus Epistolas Apostolicas missas tenetis, & legitis, & secundùm ipsas vos vivere dicitis? Respondete, quare vos separastis? Propterea certè ne malorum communione periretis. Quomodo ergo non perierunt Cyprianus & tot Collegæ ipsius? Qui cùm crederent hæreticos & schismaticos Baptismum non habere, sine Baptismo tamen receptis, cùm peccata eorum tam immania, tamque sacrilega super eos esse crederent, eis tamen communicare, quàm separari ab unitate maluerunt. Si ergo tali communione malorum pereunt justi, jam Ecclesia temporibus Cypriani perierat. Unde igitur extitit origo Donati? (Dicamus pariter; Undè extitit origo Calvini, & Lutheri, si defecerat Ecclesia antequam novi illi Apostoli prædicassent?) „ Ubi cathechizatus est? ubi baptizatus? ubi ordinatus; quando jam Ecclesiam contagio communionis extinxerat? Si autem erat Ecclesia, nihil obesse mali bonis in una communione potuerunt.

„ Et *cap.6.* Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio nostro, dicentes, Hoc grave, hoc leve est: sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis, tamquam de thesauris Dominicis, & in illâ quid sit gravius appendamus: imò non appendamus, sed a Domino appensa recognoscamus. Tempore illo quo Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cavenda monstravit, & idolum fabricatum, atque adoratum est, * & Propheticus liber irâ Regis contemptoris incensus, * & schisma tentatum: Idololatria gladio punita est, exustio libri bellicâ cæde, & peregrinâ captivitate; schisma hiatu terræ, sepultis Auctoribus vivis, & cæteris cœlesti igne consumptis. * Quis jam dubitaverit hoc esse sceleratiùs commissum, quod est graviùs vindicatum?

Exod. 22. Jerem. 36. Num. 16.

Et *cap.16.* hæc habet cedro digna. *Non habent Dei caritatem, qui Ecclesiæ non diligunt unitatem.*

VII. Probatur eadem veritas ex Vincentio Lirinensi in Commonit. 1. adversùs hæreses, *cap.5.* „ Tempore Donati, *inquit*, a quo Donatistæ, cùm sese multa pars Africæ in erroris sui furias præcipitaret, cùmque immemor nominis, religionis, professionis, unius hominis sacrilegam temeritatem Ecclesiæ Christi præponeret, tunc quicumque per Africam constituti, profano schismate detestato, universis mundi Ecclesiis associati sunt, soli ex illis omnibus intra sacraria Catholicæ Fidei salvi esse potuerunt: egregiam profectò relinquentes posteris formam, quemadmodum scilicet deinceps bono more, unius, aut certè paucorum vesaniæ universorum sanitas anteferretur. Constat igitur Donatistas sacrilegi schismatis reos fuisse, quòd se ab Ecclesia præciderint: Nec minùs reus esse Calvinistas & Lutheranos, aliosque Hæreticos, ob suam ab Ecclesia separationem.

VIII. Contra eos qui se ab Ecclesia separant, audiendus est Sanctus Fulgentius Africanæ Ecclesiæ fidem a majoribus acceptam, Petro Diacono exponens. *Firmissimè tene*, inquit, *& nullatenus dubites, quemlibet hæreticum, sive schismaticum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari. Omni enim homini, qui Ecclesiæ Catholicæ non tenent unitatem neque Baptismus, neque eleemosyna quàmlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta, proficere poterit, ad salutem &c.*

Objicies in primam partem Propositionis argumentum Donatistarum petitum ex Cantici Canticor. cap. 1. ubi Sponsa, id est, Ecclesia ad Sponsum ait: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Ex quibus verbis Donatistæ colligebant, Ecclesiam Africæ finibus esse circumscriptam, eò quòd Africa in meridiana orbis parte constituta sit.

Respondet Sanctus Augustinus *primò: immensum falli Donatistas, qui hac in sententia Sponsæ interrogationem, & Sponsi responsionem contineri somniarunt: quasi Ecclesia interrogaret, *Ubi pascis? ubi cubas?* Et Christus responderet, *In meridie pasco, in meridie cubo:* cùm omnia ista verba eamdem ad interrogationem pertineant: *Ubi pascis, ubi cubas in meridie?* Unde & verba sequentia adhuc a Sponsa proferuntur: *Ne fortè fiam sicut operta super greges sodalium tuorum.* Jam verò Sponsus respondet: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres.* Non ergo his verbis ostenditur, in sola parte meridiana esse Ecclesiam; sed in aliis mundi partibus constituta, interrogat fortasse quid ad ejus communionem pertineat in meridie, id est, ubi Sponsus ejus pascat & cubet in meridie; quia suos pascit, & in suis cubat. Annuntia mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie? Id est, qui sunt meridies ubi tu pascis, & ubi cubas? Id est, qui habent caritatem, & non dividunt unitatem.

Lib. de Unit. Eccles. cap. 16.

Respondet 2. Sanctus Augustinus, eorum verborum, *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*, eumdem sensum esse ac istorum quæ habentur ex persona Moysi, Psalm. 99. *Dexteram tuam notam fac mihi & eruditos corde in sapientia.* IN ILLIS *enim meridies dicitur, propter ingentem sapientiæ lucem, & ingentem caritatis ar-*

dorem. Unde quemdam cùm exhortaretur Spiritus Dei ad bona opera per Prophetam, hoc illi
* Ifai.58. etiam promittit: * *Et tenebræ tuæ ficut meridies erunt*.

Refpondet tertiò Sanctus Auguftinus, quòd etfi Sponfæ interroganti, *Indica mihi ubi pafcas, ubi cubes?* refponderet Sponfus, *In meridie*, & terrenum aliquem locum meridiei nomine defignaret, non continuò Africam accipere deberemus. Africa enim in parte quidem meridiana mundi eft, fed ad Africum, non ad Auftrum, ubi verè meridies eft: fub qua cæli plaga Ægyptus invenitur. Si ergo Sponfus a Sponfa tamquam de loco familiarius dilecto, & cubili quodam fuo fecreto interrogatus, refponderet effe in meridie: multò probabilius Ecclefia Catholica id membris fuis agnofceret, quæ funt in Ægypto in millibus fervorum Dei, qui per Eremum fancta focietate vivunt, perfectionem præcepti Evangelici ftudentes tenere quo dictum eft: *Si vis perfectus effe vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni & fequere me*.

Refpondet quartò, debere Donatiftas manifeftum aliquem Scripturæ locum proferre, quo Ecclefia ad folam Africam, & ad folam Donati partem reftringatur: illum namque locum ex Canticis Canticorum, myfticum & figuratum effe, ex quo proindè certum & invictum argumentum erui non poffit. Perfpicua autem effe ejufdem Scripturæ loca, nec egentia interpretæ, quæ orbe toto diffufam teftantur Ecclefiam.

Refpondet quintò, Donatiftas, quacumque in orbis parte effent, proferre poffe fimilia Scripturæ facræ loca, quæ in pravum detorta fenfum, veram illis Ecclefiam vendicare videantur. Nam fi in partibus Aquilonis effent, dicerent de fe dictum effe: *Montes Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni*. Nam civitas Regis magni eft Ecclefia. Sed fortafsè illo teftimonio Marcion hæreticus ufus effet, qui ex Ponto fuit, ad Aquilonem conftituto. Rursùs, fi in Occidente fuiffent Donatiftæ, illud velut de fua Secta dictum protuliffent: *Iter facit ei qui afcendit fuper occafum: Dominus nomen illi*. Sed, inquit Sanctus Auguftinus, *Hæc myftica funt, operta funt, figurata funt: aliquid manifeftum, quod interprete non egeat, a vobis flagitamus*.

Objicies fecundò. Vera Ecclefia ex paucis admodum electis conftat, qui per arctam viam, & anguftam portam ad vitam perveniunt. Sic Enoch fua ætate unus inter omnes placuit Deo, & translatus eft. Noë folus cum conjuge, filiis, & nuribus, diluvium evafit. Loth folus cum filiabus ab incendio Sodomæ liberatus eft. Abraham, Ifaac, & Jacob temporibus, pauci fuerunt Deo placentes, cæteri cultui idolorum dediti. Multi ex Chrifti Difcipulis ab ipfo recefferunt. Non eft igitur Ecclefia toto orbe diffufa: & Donatiftæ qui pauci erant, veram apud fe habere Ecclefiam videbantur: eamdemque fibi poffunt vindicare pufilli Calvinianorum, & Lutheranorum greges.

Refpondeo, Fruftra hæreticos veteres & recentiores de fua paucitate gloriatos fuiffe. Nam & Paganorum fuit major quàm Donatiftarum numerus; & Mahumetanorum modò quàm Calviniftarum & Lutheranorum ingentior eft multitudo. Cæterùm falfum eft quòd Ecclefia folis Electis conftet: qui tamen & in Ecclefia multi funt abfolutè, quamvis comparatione multitudinis malorum pauci fint. Multitudinem autem bonorum, cùm per feipfam confideratur, non tacuiffe Scripturas, evidens eft, *Unde enim ipfum femen Abrahæ ficut ftellæ cæli, & ficut arena maris promittitur*, * *nifi propter innumeram multitudinem?*
* Genef. 35. *Cùm dicat Apoftolus* * *ideò dictum effe: In Ifaac vocabitur tibi femen: quia non filii carnis, fed filii promiffionis deputantur in femine. Unde multi filii defertæ, magis quàm ejus quæ habet virum?* * Roman.9.
Unde multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Ifaac & Jacob in regno cælorum, filii autem regni ibunt in tenebras exteriores, * *hoc eft, impii Judæi? Unde dicit Apoftolus, Ut mundaret nos fibi populum abundantem, æmulatorem bonorum operum? Unde Apocalypfis millia millium dicit effe fanctorum Ecclefiæ filiorum?* * Ifai. 5.
* *Ecce ipfi dicuntur multi, qui dicuntur & pauci. Quare, nifi multi perfeipfos confiderati: pauci autem in comparatione iniquorum?* Hæc Sanctus Auguftinus, *lib. de Unitate Ecclefiæ*, cap. 14. *Matth.8.

Objectio prima in fecundam partem Propofitionis petitur ex Scripturis Sacris, Ifaiæ 52. *Induere veftimentis gloriæ tuæ Jerufalem, civitas Sancti: quia non adjiciet ultra ut pertranfeat per te incircumcifus & immundus*. Et infra: *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere*. Ergo impii & immundi, feu infignes peccatores ad Ecclefiam non pertinent. Idem probant illa verba Apoftoli, 2. ad Corinthios 6. *Quæ participatio juftitiæ cum iniquitate? aut quæ focietas luci ad tenebras? Quæ conventio Chrifti ad Belial?* &c. Peccatores igitur ejufdem Ecclefiæ gremio cum juftis non continentur. Ad Tit. 2. Apocal. 5.

Præterea idem Apoftolus ad Romanos 8. ait: *Qui Spiritum Chrifti non habet, hic non eft ejus*. Et 1. ad Corinthios 12. *In uno Spiritu*, inquit, *omnes nos in unum corpus baptizati fumus*. Peccatores itaque qui Chrifti Spiritum non habent, non funt ejus membra: proindeque ad corpus ejus, quod eft Ecclefia, non pertinent.

Refpondeo ad primum locum, hæc verba: *Non adjiciet ultra ut pertranfeat per te incircumcifus & immundus*, ad Ecclefiam triumphantem pertinere, non ad militantem. Sic Africani Antiftites in Collatione Carthaginenfi refponderunt. Sic Sanctus Auguftinus in lib. ad Donatiftas poft Collationem, cap. 8. diftinguenda effe tempora Ecclefiæ fcribit: *Non enim nunc effe tamen, qualis poft refurrectionem futura eft: nunc malos habere permixtos, tunc omnino non habituram: ad illam ejus puritatem, non ad hujus temporis permixtionem, illa divina teftimonia pertinere, quibus eam Dominus prædixit ab omni malorum permixtione penitus alienam*. Unde etiam notat Sanctus Auguftinus dictum effe a Propheta: *Non adjiciet ultra*. Quibus verbis oftendit, *Eos priùs folere tranfire, fed ultra non tranfituros*. Recedendum autem ab impiis monet Propheta. *Non corporali fegregatione, fed fpiritali vitæ diffimilitudine, & morum diverfitate*, ut exponit S. Auguft. loco fupra laudato, cap. 5. *Nam qui hoc non fpiritualiter obfervandum putant*, inquit idem Pater, *arrogantia vanitatis in illud incidunt, quod per eumdem Prophetam Dominus deteftatur dicens: * Qui dicunt, Noli me tangere, quoniam mundus fum, hi fumus indignationis meæ*. * Ifai.63.
Quo etiam fenfu intelligenda funt Apoftoli verba. *Cùm enim*, inquit Sanctus Auguftinus, cap. 6. ejufdem libri: *Mali pace confervanda neceffitate tolerantur, non iniquitatis communicanda focietate appetuntur, ut cum zizaniis triticum fuavem pluviam pariter bibat, fervet tamen ubertatem fuam, nec convertatur in zizaniorum fterilitatem; fed utrumque fimul ufque ad meffem crefcant, ne fortè cùm colliguntur zizania, eradicetur fimul & triticum: Nullam cum bonis habent mali participationem falutis, vel perditionis. Quæ enim participatio juftitiæ ad iniquitatem? Nullam habent cum bonis mali focietatem regni, aut ignis æterni. Quæ enim focietas luci ad tenebras? Non habent mali cum bonis confonantiam vitæ voluntatis. Quæ enim confonantia Chrifti ad Belial? Non habent boni cum malis partem nec in pœna criminis, nec in præmio* pie-

pietatis. Qua enim paet fideli cum infideli? Et cùm intra eadem retra donec ad litus perveniant, paciter divina Sacramenta percipinnt, isti faciantur, illi dissociantnr: isti consonant, illi dissonant; isti habent partem cum misericordia, illi cum judicio: quoniam misericordiam & judicium cantat Ecclesia Domino.

Ad alia loca respondeo, Eos qui Spiritum Christi non habent, non esse ejus membra simpliciter & univocè (ut Theologi de Schola loquuntur) id est, membra vera, & viventia; sed esse membra ipsius æquivocè & secundùm quid, id est, membra mortua, non tamen a corpore præcisa, quia pertinent ad Corpus Christi Mysticum ratione fidei quam profitentur, & quæ per charitatem reviviscere potest. Quòd autem mali non sint verè & simpliciter membra Christi, sed humorum instar putridorum se habeant, qui in corpore manent, & pectus premunt, constat ex Sancto Augustino Tractatu 3. in Epistolam S. Joannis, ubi hæc habet: *Et qui intus sunt, certé sunt in corpore Domini nostri Jesu Christi, quando adhuc curatur corpus ipsius: & sanitas perfecta non erit nisi in resurrectione mortuorum: sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali: quando evomuntur, tunc relevatur corpus: sic & mali, quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur. Et dicit, quando eos evomit atque projicit corpus: Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est, non erant ex me? Non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant, cùm inessent.*

Et Tractatu 61. in Joannem, exponens quomodo Judas unus esset ex Discipulis Domini, adeòque Ecclesiæ a Christo institutæ membrum, ait: *Unus numero, non merito: unus specie, non virtute: commixtione corporali, non vinculo spirituali: carnis adjunctione, non cordis socius unitate*, Et infra, de improbis generatim ait: *Utrumque verum est; & ex nobis, & non ex nobis. Secundùm aliud ex nobis: secundùm aliud non ex nobis: secundùm communionem Sacramentorum ex nobis: secundùm suorum proprietatem criminum non ex nobis.*

Contra. Qui non sunt Filii Dei, non sunt de Ecclesia: sed iniqui non sunt Filii Dei, cùm Spiritu Dei non agantur. Nam *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei* (ex Apostolo, *Roman.* 8.) igitur improbi non sunt de Ecclesia.

Respondeo, distinguo majorem: Qui non sunt filii Dei regeneratione & doctrinâ, concedo: qui non sunt filii Dei imitatione, nego. Mali autem quamvis imitatione filii Dei non sint, regeneratione tamen & doctrinâ filii Dei sunt, quia Christi Doctrinam & Fidem profitentur, & Evangelio credunt, quamvis non secundùm Evangelium vivant. Eruitur hæc responsio ex Sancto Augustino, lib. contra Adimantum, cap. 5.

Objicies secundò ex Sancto Joanne Chrysostomo: Hæc verba Apostoli, *In magnâ domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea & fictilia*; non esse intelligenda de Ecclesia, sed de Mundo, *Quia in Ecclesia nullum est vas ligneum, aut fictile, sed argentea omnia, & aurea*: ergo mali non sunt de Ecclesia.

Respondeo, distinguo antecedens: Ait hæc verba non esse intelligenda de Ecclesia, quasi mali per vasa lignea & fictilia designati, Ecclesiæ necessarii sint, sicut in magnâ domo vasa hujusmodi sunt necessaria, concedo: quasi mali per vasa illa significati nullatenus sint in Ecclesia, & de Ecclesia, nego. Hunc esse Sancti Joannis Chrysostomi sensum constat ex ejus verbis: *Quemadmodum*, inquit, *in majori domo necessaria est magna differentia vasorum, ita & in Orbe toto. Non enim eam similitudinem ad Ecclesiam refert, sed ad Mundum universum. Quippe in Ecclesia nullum vult esse vas ligneum, aut fictile, sed argentea omnia & aurea. Ibi enim est Corpus Christi, virgo casta non habens maculam, neque rugam. Noli*, inquit, *perturbari, si sunt homines nequam & scelerati. In magnâ enim domo sunt vasa hujusmodi. Sed non eodem modo*, inquies, *honore fruuntur, verùm alia in honorem, alia in contumeliam sunt. Ita sanè: sed vasa illa, vilia licèt, ministerium tamen aliquod in domo implent, usumque sui præstant: in Mundo verò non his ipsis ad alia utitur Deus? Verbi gratia, inanis gloria cupidus plurima ædificat, cupidus item negotiator, caupo, princeps. Sunt quædam in mundo opera, quæ illis congruunt. Porrò aureum vas nihil hujusmodi est, sed circa regiam versatur mensam. Non itaque inter necessarias res malitia est.*

Homil. 6. in Epist. ad Roman.

Objectio tertia petitur ex Sancto Hieronymo in illa verba capitis 5. Epistolæ Sancti Pauli ad Ephesios, *Ecclesia subjecta est Christo*, dicente: *Ecclesia Christi gloriosa est, non habens maculam, neque rugam, neque aliquid hujusmodi. Qui ergo peccator est, aut aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici*. Igitur mali non sunt de Ecclesia.

Respondeo, Malos secundùm Sanctum Hieronymum, non esse de Ecclesia quatenus solos perfectos complectitur, sed esse de Ecclesia absolutè. Hæc solutio innititur doctrinæ ipsius Sancti Hieronymi in cap. 1. Epistolæ ad Galatas, ubi hęc habet: *Quod autem ait* (Apostolus) *Ecclesiis Galatiæ, & hoc notandum, quia hic tantùm generaliter non ad unam Ecclesiam unius urbis; sed ad totius Provinciæ scribat Ecclesias, & Ecclesias vocet, quas postea errore arguat depravatas. Ex quo noscendum dupliciter Ecclesiam posse dici: & eam quæ non habet maculam aut rugam, & verè Corpus Christi sit: & eam quæ in Christi nomine absque plenis perfectisque virtutibus congregetur. Quomodo sapientes bifariam nuncupantur; tam hi qui sunt plena perfectaque virtutis, quam illi qui incipiunt, & in profectu positi sunt. De perfectis dicitur* * *Mittam ad vos sapientes. De incipientibus: Argue sapientem & diliget te.* Matth. 23. Proverb. 9.

Objectio quarta petitur ex Sancto Paciano Barcinonensi Episcopo, Epistola 3. ad Sympronianum, dicente: *Peccator & Pœnitens non est Ecclesiæ macula, quia quamdiu peccat, & non pœnitet, extra Ecclesiam constitutus est; ubi desinit peccare, jam sanus est.*

Respondeo, Sanctum Pacianum loqui de peccatoribus, qui crimina perpetraverant publicæ pœnitentiæ obnoxia, quam si subire recusarent, extra Ecclesiam erant constituti, non ratione peccati, sed ratione excommunicationis, quæ contumacibus, & impœnitentibus infligebatur. Cæterùm Ecclesiam peccatores etiam complecti, ibidem contra Novatianos asserit Sanctus Pacianus, dum Sympronianum his verbis sugillat: *Tu totum orbem paucorum vinculis alligas, tu totam Ecclesiam exigua portionis infirmitate condemnas. Quid apud te Sancti omnes quos Novatus cudit, quos Evaristus elegit, quos Nicostratus docuit, quos Novatianus instituit? Tu spinas & tribulos resugisti, tu non habes in tuâ fruge zizania; tibi jam grana purgata sunt; ad te sine ventilabro Purgator ille venturus est; tu solus ex omnibus paleas non habebis: Age, dic reliqua: Ecclesia est corpus Christi. Corpus utique, non membrum: Corpus multis in unum partibus, membrisque collectum, sicut ait Apostolus* [a]*; Nam & corpus non est unum membrum, sed multa. Ergo Ecclesia plenum est corpus, & corpus solidum, & toto jam orbe diffusum. Sicut civitas, inquam, cujus partes in unum, non, ut vos estis, Novatiani, quædam insolens portiuncula, tuberque collectum, & a reliquo corpore separatum. Ecclesia est templum Dei, templum certè amplissi-* 1. ad Timoth. 2.

plificam, domus magna, habens quidem vasa aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia, quædam in honorem, multa verò magnifica in multiplices usus variorum operum destinata. Ecclesia est virgo sancta, castissimis sensibus sponsa Christi. Virgo, verum est, sed & mater ..... Multus igitur huic virgini partus, & proles innumera, quâ totus orbis impletur, quâ circumfluit semper alvearibus populosum fervet examen. Magna in filios cura matris istius, & mollis affectus: honorantur boni, castigantur superbi, curantur ægroti, nullus perit, nemo despicitur, securi fœtus sub indulgentia matris retinentur. Ecclesia est non habens maculam, neque rugam, hoc est, hæreses non habens: non Valentinianos, non Cataphrygas, non Novatianos. In his sunt enim quidam sinus maculosi atque rugosi pretiosarum vestium ornatibus invidentes. Cæterùm peccator & pœnitens, non est Ecclesiæ macula, quia quamdiu peccat, & non pœnitet extra Ecclesiam constitutus est. Ubi desinit peccare, jam sanus est: Hæreticus verò vestem Domini, Ecclesiam Christi scindit, intercipit, vitiat, irrogat. Itaque Sanctus Pacianus peccatores etiam insignes esse de Ecclesia agnoscit.

Objectio quinta sumitur ex Sancto Augustino, lib. 4. de Baptismo, contra Donatistas, cap. 3. ubi de illis loquens qui sæculo verbis, & non factis renuntiant, ait: *Nec isti Ecclesiæ devoti sunt, qui videntur esse intus, & contra Christum vivunt, id est, contra Christi mandata faciunt: nec omnino ad illam Ecclesiam pertinere judicandi sunt, quam sic ipse mundat lavacro aquæ in verbo, ut exhibeat sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam.*
Cantic. 6. ** Quòd si in ista Ecclesia non sunt, ad cujus membra non pertinent, non sunt in Ecclesia, de qua dicitur: Una est columba mea, una est matri suæ; ipsa est enim sine macula & ruga: aut asserat, qui potest, hujus columbæ membra esse, qui sæculo verbis, non factis renuntiant.*

Et lib. 6. cap. 3. postquam adstruxit malos nequaquam in melius commutatos habere Baptismum, & tradere, & accipere, hæc de iisdem subjungit: *Quos non pertinere ad sanctam Ecclesiam Dei, quamvis intus esse videantur, ex hoc apertissimè apparet, quia isti sunt avari, raptores, fœneratores, invidi, malevoli, & cætera hujusmodi: illa autem columba unica, pudica, & casta, sponsa sine macula & ruga, hortus conclusus, fons signatus, paradisus cum fructu pomorum, & cætera quæ de illa similiter dicta sunt: quod non intelligitur nisi in bonis, & sanctis & justis, id est, non tantùm secundùm operationes munerum Dei bonis malisque communes, sed etiam secundùm intimam & supereminentem caritatem Spiritum Sanctum habentibus; quibus Dominus dicit: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei: & si cui tenebitis, tenebuntur.*

Et lib. 7. cap. 49. recensitis verbis Sancti Cypriani in Epistolâ ad *Magnum*, ubi dicit, *In domo Dei, id est, in Ecclesia, nonnisi concordes, atque unanimes habitare*, ait: *Si enim in Ecclesiâ Christi nonnisi concordes atque unanimes habitant, proculdubiò non habitabant in Ecclesia Christi, quamvis intus esse viderentur, illi qui per invidiam & contentionem sine caritate Christum annuntiabant, quos ipse intelligit non hæreticos vel schismaticos a Paulo Apostolo commemoratos, sed falsos fratres cum illo interiùs conversantes, qui certè baptizare non debebant, quia in Ecclesia non habitabant, in qua ipse dicit non habitare nisi concordes & unanimes: nisi fortè quisquam sic abhorret a vero, ut dicat concordes & unanimes fuisse invidos & malevolos, & sine caritate contentiosos.*

Et lib. 2. *Contra literas Petiliani*, cap. 108. loquens de omnibus peccatoribus qui regnum Dei non possidebunt, & ideò ad sinistram partem cum diabolo pertinebunt, ait: *Nec ideò putandi sunt esse in Christi corpore, quod est Ecclesia, quia Sacramentorum ejus corporaliter participes fiunt. Illa enim & in talibus sancta sunt & eis indignè tractantibus & sumentibus ad majus judicium valebant, ipsi autem non sunt in illa Ecclesiæ Christi compage, quæ in membris Christi per connexum & contactum crescit in incrementum Dei. Illa quippe Ecclesia in petra est, sicut Dominus dicit: * Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Illi autem in arena ædificant, sicut idem Dominus dicit:* Matth. 16.
** Qui audit verba mea & non facit ea, similabo eum viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam.* Matth. 7.

Et lib. *de Unitate Ecclesiæ*, cap. 25. ait illos qui malâ cupiditate agunt illa opera, de quibus dictum est: * *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*, etiam antequam præcidantur Galat. 5.
per excommunicationem, non esse de Ecclesia: *Et multi tales*, inquit, *sunt in Sacramentorum communione cum Ecclesia, & tamen jam non sunt in Ecclesia: alioquin si tunc quisque præciditur cùm visibiliter excommunicatur, consequens erit ut tunc rursùs inseratur, cùm visibiliter communioni restituitur. Quid si ergo sic huc accedat, atque adversus veritatem & Ecclesiam cor inimicissimum gerat, quamvis peragatur in eo illa solemnitas, numquid reconciliatur, numquid inseritur? Absit. Sicut ergo jam denuo communicans nondùm insertus est: sic & antequam visibiliter excommunicetur, quisquis contra veritatem, quâ convincitur & arguitur, inimicum gestat animum, jam præcisus est.*

Et lib. 2. *Contra Cresconium*, cap. 21. *Tingere ergo possunt*, inquit, *& boni & mali: abluere autem conscientiam non nisi ille qui semper est bonus. Ac per hoc, etiam nesciente Ecclesia, propter malam pollutamque conscientiam damnati a Christo, jam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata: proinde & ipsi extra Ecclesiam baptizant. Omnia quippe ista monstra absit omnino ut in membris illius columbæ unicæ computentur: absit ut intrare possint limites horti conclusi, cujus ille custos est qui non potest falli. Qui tamen si confiteantur, & corriguntur, tunc intrant, tunc mundantur, tunc in arboribus horti conclusi, tunc in membris unicæ columbæ numerantur, nec tamen denuo baptizantur:* Ex quibus omnibus colligitur, malos ad Ecclesiam non pertinere, secundùm Sanctum Augustinum.

Respondeo, Hæc omnia loca probare dumtaxat malos non esse de Ecclesia, ita ut sint ipsi domus Dei, sed ita esse de Ecclesia, ut non pertineant ad compagem domus: sive, non esse de Ecclesia secundùm statum quem in perpetuum habitura est; sed non evincunt malos non pertinere ad Ecclesiam secundùm statum quem nunc habet. Ipse se explicat S. August. lib. 7. *de Baptismo cap. 51.* cujus verba relata sunt inter probationes Propositionis. Et *lib. 2. Retractationum*, recensens libros *de Baptismo contra Donatistas*, eosque recognoscens, ita se spectasse Ecclesiam ait, quoties malos ad eam non pertinere asseruit. *Ubicumque autem*, inquit, *in his libris commemoravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est quasi jam sit, sed quæ præparatur ut sit, quandò apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias, & infirmitates membrorum suorum, habet unde quotidie tota dicat: Dimitte nobis debita nostra.*

Et lib. 3. *De Doctrina Christiana, cap. 32.* secundam Ticonii regulam exponens, quæ est *de Domini corpore bipartito*, notat Christi corpus non ita debuisse appellari. *Non enim*, inquit, *revera Do-*

mini

mini corpus est, quod cum illo non erit in æternum. Sed dicendum fuit, de Domini corpore vero atque permixto, aut vero atque simulato, vel quid aliud: quia non solùm in æternum, verùm etiam nunc, hypocritæ non cum illo esse dicendi sunt, quamvis in ejus esse videantur Ecclesia. Unde poterat ista regula & sic appellari: De permixta Ecclesia. Quæ regula lectorem vigilantem requirit, quando Scriptura, cùm ad alios jam loquatur, tamquam ad eos ipsos ad quos loquebatur, videtur loqui: vel de ipsis, cùm de aliis jam loquatur, tamquam unum sit utrorumque corpus, propter temporalem commixtionem & communionem Sacramentorum. Ad hoc pertinet in Canticis Canticorum, Fusca sum & speciosa ut tabernacula Cedar, speciosa sum ut pelles Salomonis. Non enim ait: Fusca fui, & speciosa sum: sed utrumque se esse dixit, propter temporalem unitatem intra una retia piscium bonorum & malorum.

Idem constat ex Breviculo Collationum cum Donatistis, in *Collatione diei 3. cap.9.* ubi ait, Catholicos Episcopos sic ostendisse divinorum testimoniorum, quibus Ecclesia nunc solos bonos, nunc bonos & malos complecti dicitur, concordiam, *Ut & illa quibus commendaretur Ecclesia cum malorum commixtione, hoc tempus ejus significarent, qualis est in præsenti sæculo: & illa testimonia quibus commendatur non habere commixtos malos, illud ejus tempus significarent, qualis venturo sæculo in æternum futura est: sicut nunc mortalis est, id est, ex mortalibus hominibus constat; tunc autem immortalis erit, quando in ea nemo morietur: sicut ipse Christus illo tempore fuit pro illa mortalis; post resurrectionem autem jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: quod etiam Ecclesia sua in fine sæculi præstiturus est. Hæc duo tempora Ecclesiæ, qua nunc est, & qualis tunc erit, significata esse etiam duabus piscationibus: unâ ante resurrectionem Christi, quando mitti jussit retia, nec sinistram, nec dexteram nominans partem, ut nec solos malos, nec solos bonos, sed commixtos bonis malos intra retia suorum Sacramentorum futuros doceret: post resurrectionem autem, quando jussit retia mitti in dexteram partem, ut post resurrectionem nostram bonos solos in Ecclesia futuros intelligeremus, ubi ulteriùs hæreses & schismata non erunt, quibus retia dirumpantur. Nam & Evangelium non tacuit, in prima piscatione commemorare retia esse dirupta: & in novissima dictum, Et cùm tam magni essent pisces, retia non sunt dirupta: de tali Ecclesia dictum esse, quòd per illam non erat transiturus incircumcisus & immundus. Hoc etiam significasse, quòd corvus, avis immunda, exierit de Arca & non redierit. Quæ tamen Arca, exeunte corvo, non omnibus immundis animalibus caruit, sed in ea fuerunt & munda, & immunda, usque ad diluvium; sicut in Ecclesia boni & mali usque ad sæculi finem. Sed sicut non de immundis, sed de mundis animalibus Noë obtulit sacrificium: ita non ii qui mali sunt in Ecclesia, sed ii qui boni sunt, perveniunt ad Deum.*

Objicitur in tertiam partem Propositionis. Tempore Moysis tota Ecclesia defecit, cùm Aaron Pontifex Maximus vitulum proposuit adorandum, cla-
Exod. 32. mante populo: *Hi sunt Dii tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* 2. Tempore Eliæ Ecclesia visibilis defecerat; ait enim Elias 3. Reg. 19. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filii Israël: altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus.* 3. Dicitur Isaiæ 1. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognovit. A planta pedis usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas.* Et Jeremiæ 2. *Confusi sunt domus Israël, ipsi & Reges eorum, Principes & Sacerdotes, & Prophetæ eorum dicentes ligno. Pater meus es tu. Quid vultis mecum judicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus.* Et 2. Paralipomenon 15. *Transibunt dies multi in Israël sine Deo vero, sine Sacerdote & Doctore, & sine Lege.* Aliquando igitur defecit Ecclesia.

Respondeo ad primum, falsum esse quod Ecclesia Moysis tempore defecerit. Nam Moyses, qui tunc erat Ecclesiæ visibilis caput, erroris, criminisque totius plebis non fuit particeps; & Levitæ omnes ab eo crimine alieni fuerunt, ut constat ex eodem Capite. Dixit enim Moyses stans in porta castrorum: *Si quis est Domini, jungatur mihi, congregatique sunt ad eum omnes filii Levi.* Dixi Moysem tunc fuisse visibilis Ecclesiæ caput, quia nondum Aaron inauguratus erat summus Pontifex, cujus consecratio cap. tantùm 40. refertur.

Ad secundum respondeo, Eliam non asserere quòd omnis Judæorum populus a veri Dei cultu defecerit, sed solùm maxima pars eorum qui parebant Regi Israël. Tunc enim divisum erat Regnum in duas partes. Sed & de Regno Israëlis ibidem ait Dominus: *Et derelinquam mihi in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, & omne os quod non adoravit eum osculans manus.*

Præterea, Etsi gens omnis Judaica defecisset ad idololatriam, non sequeretur Ecclesiam defecisse: quia & inter Gentes erant aliqui veri Dei cultores, qui proinde ad Ecclesiam pertinebant.

Ad tertium respondeo; Propheticas illas increpationes universum populum Israël non spectare, sed partem solùm maximam, quamvis ad populum universum dirigantur. *Plerumque enim sermo divinus impias turbas Ecclesiæ, quæ nec in Ecclesia deputantur, tamen propter Sacramenta quæ cum Sanctis communiter habent, quia in eis est quædam forma pietatis, cujus virtutem negant; sic redarguit tamquam omnes tales sint, & nullus bonus omnino remanserit. Inde quippe admonemur in suo quodam numero eos dici omnes, id est omnes filios gehennæ, quò eos Deus pertinere præscivit.* Responsio est S. Augustini, *lib. De Unitate Ecclesiæ cap. 13.*

Objicitur secundò. Finis Ecclesiæ prædictus est *Danielis 9.* his verbis; *Deficiet hostia & sacrificium;* Quæ Prophetia tempore Antichristi implebitur. Deinde, Christus de ultimi adventûs sui temporibus loquens, *Luce 18.* ait: *Filius hominis cùm venerit, putas inveniet fidem in terra?* Cùm igitur absque fide stare non possit Ecclesia, consequens est illam ante diem judicii defecturam.

Respondeo, Ibi Hierosolymitani Templi eversionem, & cessationem sacrificii Judaici a Daniele esse prædictam, ut exponunt SS. Patres, Chrysostomus & Hieronymus *in cap. 24. Matthæi*, Augustinus *Epistolâ 80. ad Hesychium* datâ, & ante ipsos Eusebius, *lib. 8. Demonstrationis Evangelicæ, cap. 2.* Tertullianus, *lib. Contra Judæos, cap. 5.* Et Julius Africanus a Sancto Hieronymo laudatus. *in cap. 9. Danielis.* Unde perperam ab hæreticis hæc verba ad Christiani sacrificii cessationem detorquentur.

Ad secundum locum, respondeo, verba Christi non significare quòd peritura sit fides de orbe terrarum, sed quòd perfecta & eximia fides vix tunc invenienda sit, propter justorum paucitatem, & iniquorum multitudinem. Adde quòd verba illa Christi sunt interrogantis, non asserentis. Sic respondet Sanctus Augustinus, lib. *de Unitate Ecclesiæ, cap. 15.* ubi de Donatistis loquens, hæc habet: *Item dicunt de apostasia orbis terrarum dictum esse quod ait Dominus: Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra? Quod nos intelligimus dictum, vel propter ipsam fidei perfectionem,*

qua

qua ita difficilis est in hominibus, ut in ipsis quoque admirabilibus Sanctis, sicut in ipso Moyse, inveniatur aliquid ubi trepidaverint, vel trepidare potuerint: vel propter illam iniquorum abundantiam, & paucitatem bonorum, de qua satis diximus. Propterea enim tamquam dubitans hoc Dominus dixit. Neque enim ait: Veniens Filius hominis non inveniet fidem in terra, sed: Putas inveniet fidem in terrâ? Cui utique cuncta scienti, & praescienti, de aliqua re dubitare non convenit, sed illius dubitatio nostram dubitationem figuravit: quia propter multa scandala circa finem saeculi pullulantia, hoc quoque erat quandoque infirmitas humana dictura.

Objectio tertia arcessitur ex Sancto Hilario, *lib. contra Auxentium*, innuente Ecclesiam suis temporibus ita obscuratam fuisse, ut in latebris tantùm & cavernis inveniretur, adeòque visibilem Ecclesiam defecisse. Sic autem habet: *Unum moneo: Cavete Antichristum: malè enim vos parietum amor cepit: malè Ecclesiam Dei in tectis aedificiisque veneramini: malè sub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est in his Antichristum esse sessurum? Montes mihi, & sylvae, & lacus, & carceres & voragines sunt tutiores: in his enim Prophetae aut manentes, aut demersi, Dei Spiritu prophetabant.*

Respondeo, Sanctum Hilarium non loqui de Ecclesia universa, sed tantùm de Ecclesia Mediolanensi, quam infestabat Auxentius Episcopus Arianus, multos pervertens, omnes ferme decipiens, Catholici nominis simulata professione. Quapropter Sanctus Hilarius Catholicos monet Mediolani residentes, ne cum Auxentio in Ecclesiam conveniant, & sacros conventus in sylvis potiùs & cavernis agant, quàm haeretica communione foedentur. En Sancti Hilarii verba: *Cùm placuisset igitur scribi, Deum verum esse Christum, & unius cum Patre divinitatis esse atque substantiae: ponitur talis ab eo ut a callidissimo diabolo sententia, quae significaret Christum ante omnia tempora natum Deum, verum Filium: ut secundùm Arianos veritas ad Filium, non ad Deum referretur. Et ut longè major differentia hujus significationis existeret, subjicitur, Ex vero Deo Patre: ut in Patre Dei veritas esset, in Christo veritas tantùm Filii scriberetur. Dehinc procedente sermone, una ab Auxentio divinitas praedicatur, & in ea non confitetur & Filium: ut in solo Patre, non etiam in Filio, esset sola una divinitas. Spargitur verò per populos, Auxentium, verum Deum Christum, & unius cum Patre divinitatis ac substantiae scripsisse, neque ab exposita per me fidei dissidere sententiâ; postque ad communionem ejus Rex pro fidei sinceritate advenit. Sed cùm hoc mysterium impietatis diu occultatum jam non taceretur, diceremque fingi omnia, fidem negari, Deum atque homines illudi, jubeor de Mediolano proficisci: cùm consistendi mihi in eâ invito Rege esset nulla libertas. Hac igitur, fratres, quibus Dei judicium in metu est, ita gesta esse significo. Auxentius, quod negare timuit, noluit confiteri: nam expositionis ipsius exemplar subjeci. Si idem scripsit, arguite fallentem: si verò aliud descripsit quàm professus est, intelligite jam, Christum per eum alium, id est, Antichristum praedicari. Lusit quidem ille verbis, quibus posse fallere electos, sed patet impietatis tuntae professio. Negat se duos Deos praedicare, quia non duo Patres sunt.*

Et infra: *Unum moneo, Cavete Antichristum: malè enim vos parietum amor cepit, &c. Absistite itaque ab Auxentio Satanae Angelo, hoste Christi, vastatore perdito, fidei negatore, quam sic est Regi professus, ut falleret: sic fefellit ut blasphemaret.*

Respondeo secundò: Quòd etsi Ecclesia Sancti Hilarii temporibus obscurata fuerit multitudine scandalorum, firma tamen & eminens mansit in pluribus. Ita Sanctus Augustinus respondet, *Epist. 48. ad Vincentium Donatistam* datâ, qui Sancti Hilarii auctoritate abutebatur, ad probandum Ecclesiam ex toto orbe defecisse. *Ipsa est*, inquit, [Ecclesia] *quae aliquandò obscuratur, & tamquam obnubilatur multitudine scandalorum, quando peccatores intendunt arcum, ut sagittent in obscura luna rectos corde. Sed etiam tunc in suis firmissimis eminet. Etsi aliqua in his verbis divinis distributio facienda est, fortasse non frustrà dictum sit de semine Abrahae, * Sicut stellae coeli, & sicut arena quae est ad oram maris: ut in stellis coeli pauciores, firmiores, clarioresque intelligantur; in arena autem maritimi litoris, magna multitudo infirmorum atque carnalium, quae aliquando tranquillitate temporis quieta & libera apparet, aliquando autem tribulationum & tentationum fluctibus operitur, atque turbatur. Tale tunc erat tempus de quo scripsit Hilarius, unde putasti, insidiandum contra testimonia tot divina, tamquam perierit Ecclesia de toto orbe terrarum. Potes hoc modo dicere, nec tot Ecclesias Galatiae tunc fuisse, quando dicebat Apostolus: O stulti Galatae, quis vos fascinavit, ut cùm Spiritu coeperitis, nunc carne consummemini? Sic enim calumniaris docto viro, qui tardi cordis, & timidos graviter increpabat, quos iterùm parturiebat, donec Christus formaretur in eis. Quis enim nescit, illo tempore, obscuris verbis multos parvi sensûs fuisse delusos, ut putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant: alios autem timore cessisse, & simulatè consensisse, non rectè ingredientes ad veritatem Evangelii, quibus tu postea correctis, quemadmodum ignotum est, nolles ignosci?* Genes. 22.

Et infra, haec subjungit de iisdem temporibus: *Quamquam & illi qui tunc firmissimi fuerunt, & verba haereticorum insidiosa intelligere potuerunt, sed pauci quidem in comparatione caeterorum, sed tamen etiam ipsi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant. At sic Ecclesia, quae per omnes Gentes crescit, in frumentis Dominicis conservata est, & usque in finem, donec omnino gentes omnes, etiam barbaras teneat, conservabitur.*

Et infra, *Hilarius ergo decem Provinciarum Asianarum, aut zizania, non triticum arguebat; aut ipsum etiam triticum, quod defectu quodam periclitabatur, quanto vehementiùs, tantò utiliùs arguendum putabat. Habent enim etiam Scripturae Canonicae hunc arguendi morem, ut tamquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perveniat.*

Denique nec Mediolani tunc periisse Ecclesiam constat ex Sancto Hilario, qui testatur sub Auxentio Ariano Episcopo plebem Catholicam permansisse. *Et hujus quidem usque adhuc impietatis occasio per fraudem perficitur*, inquit, *ut jam sub Antichristi Sacerdotibus Christi populus non occidat, dum hoc putant illi fidei esse, quod vocis est: audiunt Deum Christum, putant esse quod dicitur: audiunt Filium Dei, putant in Dei nativitate inesse Dei veritatem: audiunt ante tempora, putant idipsum ante tempora esse, quod semper est. Sanctiores aures plebis, quàm corda sunt Sacerdotum.*

Objectio quarta eruitur ex Sancto Hieronymo in *Dialogo contra Luciferianos*, ubi de iisdem temporibus loquens, scilicet de tempore Ariminensis Concilii: *Tunc*, inquit *Usia nomen abolitum est, tunc Nicaenae fidei damnatio conclamata est: ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est.* Tunc igitur defecit Ecclesia.

Respondeo Sanctum Hieronymum impropriè & abusivè locutum fuisse, & nomine totius orbis, bis, intellexisse maximam orbis partem: nec intellexisse propriè fuisse Arianum totum terra-

rum orbem, sed Episcopos qui Synodo Ariminensi subscripserant, Arianorum communione incautè fuisse maculatos, & eorum dolis deceptos probasse Formulam fidei, quam putabant esse Catholicam, & quæ revera nihil nisi Catholicum sonabat; sed quam Ariani suo non oppositam errori, imò faventem, post Concilium prædicarunt, tum quia vocem ὁμοούσιον silentio premebat; tum quia Filium creaturam in ea Fidei Formula eo tantùm sensu se negasse asserebant, quòd non esset creatura similis cæteris creaturis. Cæterùm Episcopos omnes Ariminensis Concilii Arianos non fuisse, nec hæresi subscripsisse, Dissertatione singulari probavimus, & illi Sancti Hieronymi testimonio fusiùs respondimus.

Recolendum illud *Sancti Athanasii*, Epistolâ ad Afros, post Ariminense Concilium scripta: *Huic Nicænæ Synodo & olim universus orbis assensus est, & nunc cùm multa facta sint Synodi, omnes tamen ejus memores sunt, tum per Dalmatiam, Dardaniam, Epirum, &c. & subscriptione approbarunt, adeò ut si quis relictus apud eos sit ex radice Arianorum, sursum germinans amaritudinem] loquimur autem de Ursatio, Valente, cæterisque qui idem sentiunt] per ista scripta abscinduntur & rejiciuntur.* In memoriam revocandum illud *Sancti Ambrosii*, Epistolâ 20 Editionis novissimæ Parisiensis: *Et certè major numerus Arimini Nicæni Concilii Fidem probavit, Ariana Decreta damnavit.* Perpendendæ Luciferianorum querelæ, suam paucitatem a multitudine Catholicorum opprimi expostulantium. Ita enim in Libello Precum Marcellini, & Faustini ad Imperatores habetur: *Nec in exiguis hominibus despicitis veritatem, nec in multis vel potentibus roboratis mendacium. Siquidem jus sæculi ideò scriptum est, ne contra verum æquumve potentia vel multitudo prævaleat, etiamsi ab exiguis vindicetur...... quomodo in negotiis divinis sanctæ fidei veritas impiorum caterva & fraudulentissimis eorum circumventionibus offuscatur & premitur?* Et infra: *Sed quia apud quosdam multitudo præponitur veritati, eò quòd pauculos habeat sectatores: & ob hoc affligimur, quòd in paucis sequimur inviolabilem fidem,&c. Una est pars in qua sunt multi Episcopi; sed ubi sunt multi, illic per prævaricationem sacra Christi fides violata est, semper ante defensa: Illic metu Regis, Arii surrepta impietas est, semper ante damnata. Ubi verò paucissimi sunt, illic per exilia, per cruciatus, per effusionem sanguinis, per ipsam mortem Fides Christi vindicatur, & Arii impietas atque omnis hæresis, ut summum malum execrabiles sunt. Sed etsi non est dubitandum paucos Episcopos esse pretiosos de merito confessionis & inviolabilis fidei; multos verò vilissimi are merito hæreseos vel prævaricationis: Quia in causa veri, maximè in causa Religionis & sacræ Fidei, non numerus numero comparandus est, sed pura illa & Apostolica Fides, probata exiliis, probata cruciatibus, licèt unius, multorum infidelitatibus præponenda est.* Igitur post Synodum etiam Ariminensem, cujus occasione Luciferiani ab Ecclesia Catholica secesserunt, invidiam faciebat Ecclesiæ paucitas Schismaticorum, quasi multitudinem & potentiam suam ostentanti, & eâ unâ potiùs quam veritatis præsidio vincenti.

Denique *S. Hieronymus* Ecclesiæ indefectibilem universitatem adversùs Luciferianos propugnat, in Dialogo contra illos edito. *Absit*, inquit, *ut frustra Deus mortuus sit. Allocutio patris impleta est. POSTULA a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. In sole posuit tabernaculum suum, nec est qui se abscondat a calore ejus. Et ubi quæso isti sunt nimiùm religiosi imò nimium profani qui plures Synagogas asserunt esse quàm Ecclesias? Si Ecclesiam non habet Christus, aut si in Sardinia tantùm habet, nimium pauper factus est.*

Impugnatur ultima pars Propositionis. Jeroboam, cum decem tribubus filiorum Israël, secessit a tribubus Juda & Benjamin, & a Roboam filio Salomonis, Rege Juda: ergo separatio ab aliqua Ecclesiæ parte fieri potest absque sacrilegio schismatis.

Respondeo, nego consequens. Illa etenim Jeroboami & decem tribuum secessio nequaquam schismatica fuit, ut probat Sanctus Augustinus lib. *de Unitate Ecclesiæ*, cap. 13. *Deus enim easdem tribus jusserat separari, non ut religio, sed ut regnum divideretur, & hoc modo vindicaretur in regnum Juda. Deus autem numquam jubet schisma vel hæresim fieri. Neque enim quia & in orbe terrarum plerumque regna dividuntur, ideò & Christiana unitas dividitur, cùm in utraque parte Catholica inveniatur Ecclesia.* Quamquam post illam Regni divisionem, Jeroboam non schismate tantùm, sed Idololatriâ se populumque sibi subditum polluit. Refertur enim 3. Regum 12. dixisse: *Nunc revertetur regnum ad domum David, si ascenderit populus iste ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem: & convertetur cor populi hujus ad Dominum suum Roboam Regem Juda, interficientque me, & revertentur ad eum. Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis, Nolite ultra ascendere in Jerusalem: ecce Dii tui, Israël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti.*

Quæ ex Antiocheno schismate sumi possunt argumenta, ex iis quæ in Dissertatione singolari supra diximus facilè solvi possunt, in quâ probavimus, nec Meletium, nec Paulinum schismaticos fuisse; adeòque nec plebes alterutrius communionis fuisse schismaticas; quia mediatam saltem communionem cum totius orbis Ecclesiis, & cum Romana, quæ centrum communionis est, fovebant [ut explicuimus] & ab ineunda pace non abhorrebant, si judicio Synodi sanciretur. De aliis idem dicendum schismatibus, quæ in quorumdam electionibus Pontificum, aut in Conciliorum celebratione orta sunt, quale fuit schisma Orientalium in Ephesina Synodo, schisma Occidentis, cujus occasione Constantiense Concilium celebratum est; & dissidium Concilii Basileensis; quorum alteri Petrus de Luxemburgo, alteri Ludovicus Arelatensis Viri Sanctissimi, & miraculis post obitum clari adhæserunt. Dissidia enim fuerunt illa, potiùs quàm propriè dicta schismata: quia non erat certum quis esset legitimus Pontifex; vel Pontificum, Conciliorumque jura obscura erant: nec una pars, aut Obedientia damnabat alteram, aut Ecclesias cum alterâ communione junctas, vel communionem suam, sive obedientiam suspendentes aversabatur, aut earum communionem ejurabat: sicque mediata communione connectebatur utraque pars. Et propensos ad unitatem gerebant animos: pro qua strenuè laborarunt, vel quam non multò post amplexæ sunt.

Lutherani & Calvinistæ suam ab Ecclesia Romana secessionem nulla ratione legitima excusare possunt.

Objicies: Non rectè præscribi contra Lutheranos & Calvinistas, ex Donatistarum schismate. 1. Quia Lutherani & Calvinistæ schisma non fecerunt, sed Romana potiùs Ecclesia schisma fecit, eos extra sinum suum ejiciendo. 2. Quia separatio ab Ecclesia Romana est separatio ab Ecclesia particulari, quæ schismaticum non facit. 3. Quia justæ fuerunt separationis caussæ; scilicet capitales contra fidem errores, in quos Romanam Ecclesiam lapsam esse, Lutherani & Calvinistæ contendunt. At Donatistæ schisma fecerant, se ab universali Ecclesia segregantes, idque absque caussa: siquidem nullum errorem objiciebant Ecclesiæ Catholicæ circa fidei capita, sed tantùm circa personas.

Respondeo, Lutheranos & Calvinistas fæliciùs se purgare non posse a labe schismatis, quàm Donatistas. Nam & illi schisma fecerunt. Separatio enim a prima unitate, schisma est. At secessio Lutheranorum & Calvinistarum ab Ecclesia Romana, est separatio a prima unitate, qua scilicet nulla prior ostendi potest; in qua nostri illorumque majores vixerunt. Sunt itaque rei schismatis, qui cùm in eadem unitate baptizati essent, ac diu vixissent, eam postea deseruerunt. Hoc argumento Donatistas urgebat Optatus Milevitanus. *De Divisione agitur:* (inquit ille lib.1.) *& in Africa, sicut & in cæteris Provinciis una erat Ecclesia, antequam divideretur ab Ordinatoribus Majorini, cujus tu hereditariam Cathedram sedes. Videndum est quis in radice cum toto orbe manserit: quis foras exierit: Quis Cathedram sederit alteram, quæ ante non fuerat: quis altare contra altare erexerit: quis Ordinationem fecerit, salvo altero Ordinato: quis jaceat sub sententia Joannis Apostoli, qui dixit, Multos Antichristos foras exituros.*

2. Una est Christi Ecclesia, quam qui dividere aggreditur, schismaticus est. Romana Ecclesia in cujus sinu Lutherus, Calvinus, ac priores ipsorum discipuli & sectatores vivebant, erat, estque etiamnum Ecclesia Christi: ab ea igitur secedentes, schismatis sacrilegio polluti sunt. Enimverò non ab Ecclesia Romana, quatenus Ecclesia particularis est, secessere, sed ab ea quatenus est Ecclesiæ totius Catholicæ caput, ac centrum communionis, ad quod Ecclesiæ particulares conveniunt. Porrò si vera Ecclesia non erat illa, ostendant veram Ecclesiam, cui se adjunxerint: ostendant cum quibus junxerint communionem. Certè nec Orientales Ecclesiæ ipsorum communionem admittere voluerunt: nec ulla earum quæ Romano Pontifici communione junguntur. Evidens itaque est ipsos Conventiculum congregasse extra veram Ecclesiam. Non absimili ratione Donatistas premebat Optatus Milevitanus, lib.2. *Quis*, inquit, *dubitet vos illud legitimum in Sacramentorum mysterio præterire non posse? Offerre vos Deo dicitis pro Ecclesia, quæ una est: hoc ipsum mendacii pars est, unam te vocare, de qua feceris duas. Et offerre vos dicitis pro una Ecclesia, quæ sit toto terrarum orbe diffusa. Quid si unicuique vestrûm dicat Dominus: Quid offers pro tota, qui non es in tota?*

3. Illi schisma fecerunt, apud quos legitima successio non reperitur: atqui apud Lutheranos & Calvinistas legitima successio non reperitur, sed in Ecclesia Romana illa servata est: schisma itaque fecerunt illi ab Ecclesia Romana. Hoc argumentum ex SS. Patrum doctrina desumptum est, qui successionem legitimam Episcoporum veræ Ecclesiæ notam esse tradiderunt, schismaticos verò judicarunt Conventus, qui successione destituerentur. Ita Sanctus Irenæus, lib.4. cap.43. *Eis qui in Ecclesia sunt Presbyteris obedire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione, charisma veritatis certum, secundùm placitum Patris acceperunt. Reliquos verò qui absistunt a principali successione, & quocumque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos, & malæ sententiæ, vel quasi scindentes & elatos, & sibi placentes*, &c. Et lib.3. cap.3. *Quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis Traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam*, &c. Et cap.4. *Tanta ostensione cùm sint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere: cùm Apostoli quasi in depositorium dives, plenissimè in eam contulerint omnia quæ sint veritatis: uti omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus: omnes autem reliqui fures sunt & latrones: propter quod oportet devitare quidem illos; quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summa diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem.* Devitandi sunt igitur tamquam fures & latrones, qui successione destituuntur, secundùm Sanctum Irenæum.

Pergit Irenæus. *Ante Valentinum non fuerunt, qui sunt a Valentino; neque ante Marcionem erant, qui sunt a Marcione, neque omnino erant reliqui sensus maligni, quos supra enumeravimus, antequam initiatores & inventores perversitatis eorum fierent.* Sic ante Lutherum non fuerunt, qui sunt a Luthero, nec ante Calvinum, qui sunt a Calvino. Lutherus itaque & Calvinus non suæ quam vocant, Ecclesiæ adunati, sed a verâ Ecclesia, in quâ ille Monachus, iste Canonicus erat, in quâ uterque Sacerdotio fungebatur, sacrilego schismate divisi sunt.

Pergit idem Sanctus, cap. 40. *In Ecclesia posuit Deus Apostolos, Prophetas, Doctores, & universam reliquam operationem Spiritûs, cujus non sunt participes omnes qui non concurrunt ad Ecclesiam: sed semetipsos fraudant a vita, per sententiam malam, & operationem pessimam. Ubi enim Ecclesia, ibi & Spiritus Dei; & ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia & omnis gratia: Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque a mamillis Matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem, sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis & de cœno putridam bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiæ, ne traducantur, rejicientes verò Spiritum ut non erudiantur, alienati verò a veritate.* &c. Quàm bellè nostratibus Hæreticis hæc conveniunt, qui schismate facto privata instituerunt conventicula, *Nemini succedentes, a se ipsis orti*, ut de Novatiano Sanctus Cyprianus loquitur Epistolà 76. ac per hoc nefarii schismatis rei. *Habere namque aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est.* Vel Romana Ecclesia erat vera Ecclesia tempore defectionis Lutheri & Calvini, vel non. Si primum, schismatis convincuntur, qui ab ea secesserunt: si secundum, in vera Ecclesia non sunt ordinati; adeòque Lutherani & Calvinistæ veram Ecclesiam non habent.

Idem argumentum ex legitimæ successionis defectu, contra Donatistas urgebat Sanctus Optatus Milevitanus, lib.2. *Videndum est, qui, & ubi prior Cathedra sederit; si ignoras, disce: si nosti, erubesce... Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam... In quâ una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, nec cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra unica est, quæ est prima de dotibus. Sedit prior Petrus, cui successit Linus*, &c. *Vestræ Cathedræ vos originem edicite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare. Si Victori* [si Luthero, si Calvino] *diceretur ubi sederit, nec ante se aliquem illic fuisse monstraret; nec Cathedram aliquam nisi pestilentiæ ostenderet... Unde est quòd Claves regni vobis usurpare contenditis, qui contra Cathedram Petri, vestris præsumptionibus & mendaciis sacrilegio militatis? In consilio impietatis eum*

est

est *à Majoribus vestris, ut dividerent Ecclesiam*, &c.

Idem argumentum urget S. Augustinus *Epistolâ* 165. *ad Generosum*, & Episcoporum successione a S. Petro recensita, subdit: *In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur*. In hac successione, quam a S. Petro ad Innocentium XII. ducimus, Lutheranum, vel Calvinistam Episcopum Protestantes ostendant.

Lutherani nonnulli schisma Catholicis tribuunt, illudque a Leone X. Pontifice effutiunt inchoatum, qui Lutherum excommunicando, & ab eo, ejusque Sectatoribus se abstrahendo, Ecclesiam diviserit. Sed quamvis injustè fuisset excommunicatus a Leone X. Lutherus, quod falsum est, non ideò schisma Leoni X. sed Luthero ejusque Partiariis tribuendum. Esto enim fuisset aliqua Pontificis culpa, num ea totam Ecclesiam Catholicam nocentem reddidisset? Si id dixerint Protestantes, Donatistæ sunt: Si negent, innocentium communionem a se desertam fateantur oportet: adeòque se schismatis reos esse. Præterea, qui privata convanticula instituit ex desertoribus prioris unitatis, schismaticus est, quamvis injustè supponantur excommunicati. Cùm enim injusta excommunicatione percussi, adhuc Ecclesiæ, & Christo conjuncti sint, unitatem illam sponte deserunt, si privata convanticula instituant. Denique Meletius Ægyptius Episcopus ab Ecclesia damnatus, se injuriam passum caussabatur. Privata instituit conventicula; ideò damnatus est ut Schismaticus a Nicæna Synodo. Arius ab Ecclesia ejectus, ptopter erecta privata conventicula ab unitate priori divisa, non hæreseos tantùm, sed schismatis auctor habitus est. De aliis Hæreticis idem compertum. Non itaque suffragatur Lutheranis excommunicatio Lutheri ad justitiam suæ separationis approbandam.

Justis de caussis ab Ecclesia Romano-Catholica suos Majores secessisse, ideòque se meritò extra eam perseverare, Calvinistæ contendunt: quòd Ecclesia illa in errores capitales lapsa sit. Sed si hæc legitima separationis caussa, cur ipsi Lutheranos, quos in Capitales errores lapsos esse agnoscunt, qui & ipsos velut hæreticos execrantur, in Synodo Carentonica susceperunt? Cur cum Arminianis in capitales errores lapsis, & a Synodo Dordreektana damnatis, communionem fovent? Sed quo judice in capitales errores lapsam Ecclesiam Romano-Catholicam probant? Calvino ipso, Luthero, eorumque sectatoribus? At non competit ipsis legitimum de doctrina Romanæ Ecclesiæ judicium. Schismaticis enimverò non competit judicium de doctrina ejus Ecclesiæ a qua separati sunt; imò Ecclesiæ, a qua facta est separatio, competit judicium de doctrina schismaticorum: & judicium de hæresibus convenit Ecclesiæ, cum qua communicabant Hæretici antequam illas conderent ac promulgarent. Nec Ecclesia de illis judicans, in propria caussa judicare censetur. Ita cùm Arius, cùm Macedonius, cùm Nestorius, cùm Eutyches, hæresim condidere, Ecclesia legitimo judicio ipsorum hæreses, ipsosque damnavit, quamvis Episcopi qui judices in Conciliis sedebant, nec Ariani, nec Macedoniani, nec Nestoriani, nec Eutychiani essent. Sic Arminiani in judicio Dordrecktanæ Synodi, quam ex Ministris cum Gomaro sentientibus & ab Arminio velut a Novatore dissentientibus compositam esse compertum erat, acquiescere debuerunt, secundùm sententiam Ecclesiarum, quas falsò vocant reformatas. Cùm itaque Lutherus & Calvinus, prioresque Lutherani & Calvinistæ, ab Ecclesia Romano-Catholica secesserint, cujus gremio fovebantur antequam hæresim conderent; ad eamdem Ecclesiam pertinebat, pertinetque judicium de illorum doctrina, & schismate; non verò pertinet ad Lutheranam, vel Calvinianam factionem judicium de doctrina Ecclesiæ Romanæ. Quod si negent, ut negant absque ratione, fateantur necesse est, Arianos, Nestorianos, Eutychianos, Anabaptistas, Socinianos, qui Ecclesiam Catholicam in errorem lapsam circa Trinitatem, Incarnationem, Baptismum, &c. contendebant, vel contendunt, ab ipsa legitimè damnatos non fuisse: imò ipsis esse integrum accusare Catholicam Ecclesiam, sicut isti id integrum sibi putant. Cùm itaque probari non possit justam esse Reformatorum separationem, nisi legitimè condemnatâ Ecclesia Romano-Catholicâ, & nedum condemnatio nulla proferri ab ipsis possit; imò nec legitimum illis judicium competat: colligitur illos non minùs sacrilegi schismatis reos esse, quàm Donatistas. Accedit, quòd non esse faciendum schisma propter errorem in articulis non fundamentalibus, neque necessariis, Calviniani post Magistrum suum lib. 4. *Institutionum*, cap. 1. §. 12. asserant. Neque propter eversionem fundamenti per solam consequentiam, quam non admittit is cui error impingitur: ut Pastores Pseudo-Ecclesiæ Gallicanæ Reformatæ in Epistolâ ad Duræum, & Dallæus in Apologia fatentur. At Ecclesiam Romano-Catholicam in articulis fundamentalibus errare non probant, cùm nullo judicio legitimo erroris convicta sit: Lutheranam verò, & Calvinianam factionem errare probamus, quia judicio Concilii Oecumenici, erroris convictæ sunt, & damnatæ. Enimverò an articuli fundamentales sint, vel non, judicare ad Ecclesiam pertinet, a qua discesserunt. Si enim ad partem quæ ab Ecclesia secedit, pertinet judicare quinam articuli necessarii sint, quinam minimè necessarii, Dordrecktanam Synodum suam qua ratione tuebuntur adversùs Arminianos, qui doctrinæ suæ controversa capita esse necessaria contendebant? Quòd si non necessarios articulos esse dicant, in quibus dissidebant Arminiani ab Ecclesia Belgica: & nihilominus ipsos acquiescere debuisse judicio Synodi Dordrecktanæ bos articulos damnantis, fateantur necesse est Majores suos acquiescere debuisse judicio Synodi Tridentinæ, quamvis articulos, ut ipsi contendunt, non necessarios definiverit, ac addiderit. Quamquam falsissimum est Ecclesiam Romanam ad doctrinam fidei aliquid addidisse, & Tridentinam Synodum articulos constituisse minimè necessarios.

Quis enim prætensæ illius additionis judex erit? An Scriptura sacra? Sed eam pro se allegat utraque pars, eamque in erroris sui patrocinium trahunt hæreses omnes, Ariani, Nestoriani, Eutychiani, Sociniani, Anabaptistæ, &c. cùmque errori & veritati simul non faveat, tribunal aliquod dari oportet, & judicem aliquem, qui de Scripturæ sensu legitimo pronuntiet, controversiasque finiat: Judex esse non potest alius a vera Ecclesia: nec Ecclesiæ Judices esse possunt accusatores Ecclesiæ, & ab ejus unitate segreges. Itaque Lutherani & Calvinistæ, qui peregrina, & fidei Ecclesiæ Catholico-Romanæ, cujus gremio fovebantur, penitus repugnantia dogmata prædicarunt, & judicium de ejusdem Ecclesiæ doctrinâ usurpantes, anteverterunt Synodi Generalis judicium, violataque sacrorum, & conventuum communione, publicam secessionem fecerunt, rei convincuntur sacrilegi schismatis, non minùs quàm Donatistæ.

Ab Ecclesia Romana se secessisse clamant, quòd ea in idololatriam lapsa sit: sed cùm eam consequentiam non admittat Ecclesia, id est, in idololatriam se lapsam esse, propter Christi adorationem in Eucharistia, aut propter honorariam ima-

imaginum venerationem: imò argumentis certissimia probet, se panem non adorare, quem non credit superstitem; sed Corpus Christi, quod realiter præsens sub Sacramento credit; & imaginibus cultum latriæ non deferre, quo nec Sanctos ipsos prosequitur; sed honorariam duntaxat venerationem, propter eos quos adumbrant, qui in imaginibus non consistit, sed ad Sanctos refertur: Cùm, inquam, id Ecclesia Catholico-Romana doceat: non debuerunt Calvinistarum Majores ab ea secedere: siquidem schisma non esse faciendum eorum Doctores profitentur propter eversionem fundamenti per solam consequentiam, quam non admittit is, cui error affingitur. Iniquè igitur ab Ecclesia Catholico-Romana secessere; impiè ab eadem avulsi manent eorum posteri.

Redeant ergo ad Ecclesiam, quæ ipsis maternas ulnas expandit. In re ex qua salus æterna pendet, ne cunctentur. Deum promereri nusquam possunt, qui ab Ecclesia alieni sunt: colendus Pater, sed honoranda & Mater: resilit in alterum alterius injuria. Qua de re S. Augustinum audiant egregiè disserentem Enarratione in Psalmum 88. *Amemus Dominum Deum nostrum: amemus Ecclesiam ejus: illum sicut Patrem, istam sicut Matrem .... Nemo offendit unum, & promeretur alterum. Nemo dicat, Ad Idola quidem vado, arreptitios quidem & sortilegos consulo, sed tamen Dei Ecclesiam non relinquo: Catholicus sum: tenens Matrem, offendis Patrem, Alius item dicit: Absit a me, non consulo sortilegum, non quæro arreptitium, non quæro divinationes sacrilegas, non eo ad dæmonia: sed tamen in parte Donati sum,* (Lutheri, Calvini.) *Quid tibi prodest non offensus Pater, qui offensam vindicat Matrem? Quid prodest si Dominum confiteris, Deum honoras, ipsum prædicas, Filium ejus agnoscis, sedentem ad dexteram Patris confiteris, & blasphemas Ecclesiam ejus? Non te corrigunt exempla humani conjugii? Si haberes aliquem Patronum, cui quotidie obsequereris, cujus limina serviendo contereres, quem quotidie non dico salutares, sed & adorares, cui impenderes fidelia obsequia: si unum crimen de ejus conjuge diceres, nunquid domum ejus intrares? Attendite ergo, charissimi, tenete omnes unanimiter Deum Patrem, & Ecclesiam Matrem.*

DISSERTATIO XLII.

Adversùs Arianos.

QUÆSTIO UNICA.

De Filii Dei Consubstantialitate.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm Arianis Filio Dei Divinitatem auferentibus, sacra Scriptura & Traditio faveant?

VEterum Arianorum Hæresim suscitarunt posteriori sæculo recentiores hæretici, scilicet Valentinus Gentilis natione Italus, urbe Consentinus, & Faustus Socinus Senensis. Prior, ut ex ejus scriptis, præsertim e Prothesibus apparet, quas Calvinus in libro contra ipsum edito publicavit, in Sacrosancta Trinitate personas tres, & hypostasi & essentiâ distinctas asseruit, Nam unum esse summum Deum, ac verum credidit, qui sit essentia ipsa divina. *Qui autem unum Deum in tres proprietates, seu personas distinguit, vel sibi præstigias facit, vel necessario unius Dei substantiam dividit, atque discerpit* [inquit Gentilis *Prothesi* 10.] Hunc verò Deum *essentiatorem* aiebat esse Filii ac Spiritus sancti: qui longè illo minores erant. Quippe *unum Deum & λογον ejus duas esse ejusdem naturæ substantias intelligentes, idest, duos æternos spiritus consubstantiales, longeuo gradu, ordine & proprietate distinctos*: ita tamen *ut solus Pater sit immensa substantia: Filius verò Spiritus sit ex Deo ineffabiliter genitus, paternæ voluntatis executor, ac pro generationis modulo circumscriptus*, ut ait *Prothesi* 21. & 23. Gentilis iste, urgente Calvino, Genevæ in carcerem detrusus est, ubi metu supplicii perfidiam abjuravit, ac fide jurejurando data, se injussu Senatus urbe non egressurum, clam nihilominus evasit, Arianamque hæresim per Galliam, Germaniam, & Poloniam ubique sparsit. Demum apud Bernam in Helvetiis comprehensus, capitali pœna meritò affectus est.

Iisdem temporibus floruit Michael Servetus Hispanus, qui in libris quos *de erroribus Trinitatis* inscripsit, cùm Sabellianismum, tum Arianismum instaurare aggressus est. Personas enimverò divinas, externas tantùm idæas esse voluit, quæ verè non subsistant in essentiâ Dei. Christum verò alia ratione Dei Filium esse negavit, nisi quatenus in utero Virginis genitus est ex Spiritu sancto. Effutiit præterea nomen hoc Filius, in sacris Literis propriè tribui hominis Filio, nec ullum in Evangeliis posse inveniri locum, in quo ponatur ea vox, *Filius*, quæ non accipiatur pro hominis Filio, Ista constant tum ex Calvino *lib.1. Institutionum cap.13. & lib.2. cap.14. & in libro Refutationis errorum Serveti*: Tum ex ipsius Serveti responsione ad Articulos Calvini. Ceterum Servetus ille Genevæ comprehensus auctore Calvino, & conjectus in vincula vivus incendio traditus est, anno Christi 1555.

Servetum secuti sunt Georgius Blandrata, Paulus Alciatus, Franciscus David aliique Poloni ac Transylvani Ministri: quos inter majus sibi nomen fecit Faustus Socinus, qui Georgii Blandratæ Archiatri Stephani Poloniæ Regis ope & auctoritate fretus, in eodem regno Cerinthianæ, Sabellianæ, Paulinianæ, Arianæ, Photinianæ, hæreseos patrocinium suscepit. (Harum enim omnium hæreseon colluvies est Sociniana, cui nomen dedit Socinus, & quæ nunc per Poloniam ac Transylvaniam immaniter grassatur.)

Contendunt itaque Sociniani, Unicum & singularem esse, non essentia solùm sed etiam persona, Deum verum ac summum qui est Pater Domini nostri Jesu Christi; Christum verò nullâ alia præterquam humanâ constantem naturâ, Filium Dei nominari ob unctionem gratiæ, ob Dei inhabitationem, ob excellentem functionis dignitatem ac muneris, quod ei a summo Deo injunctum est, ut hominum apud ipsum Mediator esset: proindeque falsa esse omnia, quæ de sempiterna generatione Verbi ex Patris substantia, deque ejus Incarnatione, in Ecclesia docentur, & a tot retro sæculis prædicata sunt: vel certè figura quadam & tropo dicta esse. Hanc hæresim quam in Cerinthi errore *Tom.I. Dissertatione 26. art.1.* profligare cœpimus, cum Ariana, sequenti propositione expugnabimus.

PROPOSITIO.

ARianos, *Arianisque peiores Socinianos, Filium Dei verum esse Deum, Patri consubstantialem & coæternum, impiè negantes, Scriptura sacra & Traditio, ad Nicæni usque Concilii tempus, & inde usque ad nos propagata refellit.*

Ariani & Sociniani refelluntur. ex Scripturis Sacris.

Prima pars probatur. Ille quem nomen, nativi-

tivitas, natura, potestas, professio, verum esse Deum demonstrant, verus Deus est, Patrique consubstantialis ac coæternus: Atqui Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, Deum esse *nomine, nativitate, natura, potestate, professione*, ex Scripturis demonstratur, ut ait S. Hilarius *lib.7. de Trinitate* Igitur Filius Dei verus Deus est Patri consubstantialis & coæternus.

Mitto loca Veteris Testamenti, quamvis aliqua sint inculeatissima in Psalmis & Prophetis, præsertim Isaia 9. Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus, &c. In Hebræo nomen Adonai habetur, quod magni Dei proprium est.

Probatur prima pars minoris, ex illo Evangelii S. Joannis initio; *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum .... omnia per ipsum facta sunt ... & Verbum caro factum est*, Ubi S. Evangelista illum apertè Deum prædicat quem a Patre toto illo capite discernit, quemque apud Deum fuisse dicit. Et ipsa vox, *erat*, quæ tempus definitum non exprimit, ab æterno productum fuisse demonstrat, & illum ipsum qui carnem induit Deum esse. Quem locum contra Arianos urgent S. Athanasius *Oratione 4. pag.273.* S. Hilarius, *lib.7. de Trinitate*, & S. Cyrillus, *lib.32. Thesauri*, S. Ambrosius, *lib.1. de Fide ad Gratianum, cap.5.* S. Basilius *Homilia 15. in principium Joannis*, & in libris *Contra Eunomium*. S. Gregorius Nyssenus lib.3. contra eumdem Hæreticum, S. Gregorius Nazianzenus *Oratione 49.* & S. Augustinus *lib.1. de Trinitate, cap.6.* Notat verò S. Hilarius simplicem esse hoc in loco Dei Verbi nuncupationem, & quæ careat offendiculo adjectionis alienæ. *Non est*, inquit, *hic deputata aut assumpta nuncupationis relicta suspicio ut ei quod Deus est, non ex natura sit nomen. Respice ad cæteras aut deputativas, aut assumptivas appellationes. Ad Moysem dictum est, Dedi te Deum Pharaonis. Sed numquid non adjecta nominis caussa, est cum dicitur, Deum Pharaonis? aut numquid Dei naturam ei intulit, & non potiùs in eam qui metueret terrorem, cum dracones magicos draco Moysi mox virga manens devorat, cum cynomiyam, quam immiserat, abigit; cum grandinem, potestate qua evocaverat, avertit, cum locustas, ea virtute quâ invexerat, repulit; cùm in operationibus ejus Magi confiteantur digitum Dei esse? Sic Moyses Pharaoni Deus datus est, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur. Et aliud est Deum dari, aliud est Deum esse. In Pharaonem enim Deus datus est: cæterum non ei est & natura, & nomen ut Deus sit. Memini quoque & alterius nuncupationis, ubi dicitur: Ego dixi, Dii estis. Sed in eo indulti nominis significatio est. Et ubi refertur, Ego dixi, loquentis est potiùs sermo quàm rei nomen: quia res nomen intelligentiam rei affert, cæterùm voluntas appellationis ex alio est. Et ubi se nuncupationis auctor ostendit, ibi per sermonem auctoris est nuncupatio, non naturale nomen in genere. At verò hic Verbum Deus est: res existit in Verbo, Verbi res enuntiatur in nomine. Verbi enim appellatio in Dei Filio de sacramento nativitatis est.*

Dices non posse colligi hoc ex loco Verbum a S. Joanne vocatum fuisse Deum: siquidem in quibusdam Codicibus interpunctio post hæc verba, *& Deus erat*, legebatur, sicque tota efferebatur sententia: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat*. Sequentia verò ad aliam sententiam pertinebant, quæ sic exprimebatur: *Verbum hoc erat apud Deum*.

Respondeo, Hanc interpunctionem habuisse quosdam tantùm Codices ab Arianis depravatos, ut colligitur ex S. Augustino *lib.3. de Doctrina Christiana, cap.2.* Perperam autem fuisse transpositam, luce meridiana clarius est. Quorsum enim dixisset Evangelista: *& Deus erat*; quâ de re ambigebat nemo? Præsertim cum jam dixisset: *Et Verbum erat apud Deum*: quâ enim ratione apud Deum esse poterat, si Deus non erat?

Dices; Nomen Dei Græcè articulum emphaticum non habere, quemadmodum habet in membro præcedenti, cum pro Patre ponitur: itaque Patrem quidem verum esse Deum, qui adjuncto articulo dicatur ὁ θεὸς, Filium non verè, qui sine articulo θεὸς quasi minor quidam Deus appelletur.

Respondeo huic Arianorum objectioni, cui Origenes etiam suffragatur, nego consequens. Nam & Pater æternus θεὸς sine articulo interdum appellatur, ad Romanos 1. v.7. & hoc ipso *Joannis cap. v.6.* aliisque compluribus in locis. Contra verò Filius ὁ θεὸς cum articulo quandoque vocatur, ut ad Romanos 9. v.5. ut observat S. Chrysostomus *Homilia 3. in Joannem*. Quam autem ob rem Evangelista hoc loco articulum non addiderit, ex linguæ Græcæ proprietate rationem reddit Maldonatus; quòd nempe non soleat in prædicato, sed in subjecto articulus poni. Itaque non potuit dicere, καὶ ὁ λόγος ἦν ὁ θεός, cum nomen Verbi sit subjectum, nomen Dei prædicatum.

Eadem prima pars minoris probatur ex illis verbis, quibus sanctus Thomas Christum post resurrectionem ex contactu cicatricum agnitum compellat: *Dominus meus, & Deus meus*. Quæ verba nedum Christus non reprehendit; sed vehementer approbat. Hunc locum urgent S. Athanasius *Oratione 3. contra Arianos, pag.204.* & S. Hilarius *lib.7. de Trinitate*, & S. Cyrillus *lib.32. Thesauri*. Et quidem Hilarius observat, *non hic honoris esse nomen, sed naturæ confessionem*: idque Christum docuisse cum dixit: *Quia vidisti me, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt*. Ex quo sic colligit S. Hilarius: *Anne ergo nomen Dei non naturæ res existimabitur, cùm professio nominis fidem naturæ credita sit sequuta? Nam utique religiosus filius, & qui non voluntatem suam, sed ejus qui se miserat, faceret, & qui non honorem suum, sed ejus a quo venerat, quæreret, honorem hujus in se nominis recusasset, ne quod ipse unum Deum prædicaverat, solveretur: sed vera & Apostolica fidei mysterium confirmans, & naturæ in se paternæ nomen agnoscens, beatos esse docuit, qui cùm se resurgentem a mortuis non vidissent, Deum tamen per resurrectionis intelligentiam credidissent*. Ex hac igitur S. Thomæ confessione, evidens est Dei nomen Christo convenire, nec honoris tantùm caussâ ipsi deferri, sed ad naturæ significationem, fideique professionem.

Tertiò idem probatur ex Epistolâ 1. Canonica S. Joannis v, 16. *In hoc* (inquit) *cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit*. Vides illum ipsum appellari Deum, qui pro nobis mortuus est. Hic autem est Christus Dei Filius; huic igitur Dei nomen a dilecto Discipulo tribuitur. Et cap.5. v.20. *Et scimus*, inquit, *quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna*.

Quem locum adversùs Arianos urgent S. Hilarius *lib.6. de Trinitate* pag.36. *Cyrillus* initio Dialogi *4. de sancta Trinitate*, S. Augustinus lib. 1. *de Trinitate*, cap.6. Quamobrem temerè Erasmus hæc verba, *Hic est verus Deus*, ad Patrem referenda esse contendit. Certè pronomen demonstrativum illam potiùs personam demonstrat, cui proximè adjunctum est, quàm remotam. Pronomen autem, *hic*, in testimonio mox laudato S. Joannis, proximè adjungitur Filio, demonstrat itaque Filium esse verum Deum.

4. Idem probatur ex *Actuum cap.20. v.28.* ubi S. Paulus Majores natu Ecclesiæ sic alloquitur: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, quam

quam acquisivit sanguine suo, Ex quibus sic colligo. Qui redemit Ecclesiam sanguine suo, Deus est. Atqui Filius Dei Christus Dominus Ecclesiam redemit sanguine suo: Filius igitur Dei Christus Jesus verus Deus est.

5. Idem probatur ex Epistola ad Romanos cap. 9. v. 5. *Quorum Patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς. Quo in loco vocem *Deus*, irreptitiam esse Erasmus temerè suspicatur, propter quod a Beza meritò vapulat, ac vetustissimorum Codicum consensu refellitur, necnon antiquorum Patrum auctoritate, qui & istud S. Pauli testimonium iisdem verbis laudant, & ad Filium Dei referunt. Hos satis sit appellasse, nimirum S. Irenæum, lib. 3. cap. 18. Tertullianum lib. contra Praxeam, cap. 13. & 15. S. Cyprianum lib. 2. Testimon. contra Judæos: *Athanasium Orationibus* 2. & 5. *Contra Arianos*, Gregorium Nyssenum lib. 10. *Contra Eunomium*, Hilarium lib. 4. & Sanctum Ambrosium lib. 4. *de Fide, cap. 6.* Cyrillum *lib. 1. Thesauri*, Augustinum *lib. 2. de Trinitate cap. 13.* &c. Apostolus igitur Christum non solùm Deum, sed super omnia Deum nominavit. Non convenit igitur soli Patri ut sit summus Deus, sed Filius est idem summus & super omnia Deus cum Patre. Huic testimonio penitus consonat alter locus ex Epist. ad Titum cap. 2. v. 13. *Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ Magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis.* Quibus verbis Christus non utcunque Deus, sicut veteres Ariani fatebantur, conceduntque ultro Sociniani, sed magnus Deus, quod Patris proprium esse impiè contendunt, significatur. Hoc testimonio adversùs Arianos pugnat S. Athanasius lib. *De communi essentia Patris & Filii*, *pag.* 383. Accedit, quod 1. Corinthios 2. v. 8. Christus *Dominus gloriæ* ab Apostolo prædicatur. *Quam nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

6. Idem evincitur ex cap. 1. Epistolæ ad Hebræos, ubi Apostolus Christum Angelis longè præstantiorem esse ostendit, quòd filius sit, ac Deus, ad idque Psalmorum testimonia adducit. *Tantò melior*, inquit, *Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?... Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos Spiritus, & Ministros suos flammam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui, &c.*

Et cap. 3. Christum Moysi anteponendum esse docet, tamquam Deum famulo, & architectum domui, *Amplioris enim gloriæ*, inquit, *iste præ Moyse dignus est habitus, quantò ampliorem honorem habet domus qui fabricavit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo. Qui autem omnia creavit, Deus est.* Hunc locum urget S. Cyrillus *lib.* 32. Thesauri. Ex his omnibus colligitur Filium Dei Christum Dominum, ex nomine Deum probari luculentissimis divinæ Scripturæ testimoniis. Porrò *Neque Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apostoli, eum qui non esset Deus, definitivè & absolutè Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus:* [inquit S. Irenæus *lib.* 3. *Adversùs Hæreses, cap. 6.*]

Probatur secundò Christum Deum esse *nativitate*, ex locis laudatis Epistolæ ad Hebræos, cujus hoc est exordium: *Multifariam, multisque modis, olim Deus loquens Patribus in Prophetis: novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula: qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis.* Et infra: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium.* Ex hoc testimonio constat, Filium Dei verè a Patre genitum esse, ac proinde esse nativitate Deum. Nam *Intelligentia istud humana sensûs excludit, ut aliquid a natura originis suæ nascendo diversum sit* (inquit S. Hilarius lib. 7. de Trinit.) *& cùm hæc in corporalibus causis ita sint, quis rogo furor est, nativitatem Unigeniti Dei ad degenerem ex Deo referre naturam?*

Idem probatur ex iis omnibus locis in quibus Christus Dei Filius nuncupatur, scilicet ex Patris æterni testimonio, quod non semel de cælo personuit: * *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quem locum sic urget S. Hilarius lib. 6. de Trinitate. *Proprietatis*, inquit, *significatio est, ubi &, Hic est, dictum esse auditur, &, Meus est. Legeram, Filios genui, & exaltavi: sed non legeram, filios meos... Ne igitur per communionem adoptivæ hæreditatis cognomentum Filii unigenito Deo adderetur, naturæ veritas per significationem proprietatis ostensa est. Assignetur sanè hoc communionis in Christo nomen, ut filius sit, si de quo, quam dictum reperiatur, Hic est Filius meus. Sin verò proprium ac singulare ei est, quid calumniam Deo Patri professa de Filio proprietatis afferimus? Anne tibi in eo quod dicitur, Hic est, non hoc significare videtur, alios quidem cognominatos ab eo in filios: sed, Hic Filius meus est: Donavi adoptionis plurimis nomen, sed iste mihi Filius est. Hunc ego tamquam indice digito, ac verbi significatione contingo: quia diro, & meus est, & hic est, & Filius est, &c.*

Matth. 3. & 17. Marc. 1. Luc 3.

Idem confirmant hæc verba Christi Domini (Matth. 11.) *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo: & nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et Joannis 8. *Neque me scitis, neque Patrem meum. Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.* Et ibidem Judæis a Christo quærentibus, *Tu quis es?* ipse respondit: *Principium qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui & judicare. Sed qui me misit, verax est: & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum*, ut observat sanctus Evangelista. Ex his autem patet Filium Dei Christum Dominum ex natura Dei esse: *Cùm ideirco Deum solus noverit, quia solus ab eo sit, Habes igitur proprietatem cognitionis de proprietate generationis* (inquit, Sanctus Hilarius lib. 6.) *Et quod ab eo est, non creaturæ in eo virtutem: nam omnia a Deo per virtutem creationis existunt; sed nativitatis veritatem; per quam solus Patrem novit, cùm cætera eum, quæ ab eo sunt, ignorent.* Certè si creata esset persona illa, quæ loquitur locis mox laudatis, ignorari non posset. *Ignorari enim unde sit non potest quicquid subsistit ex nihilo: quia hoc ipsum quod non ignoratur ex nihilo ignorationem ejus unde sit non habet:* (inquit S. Hilarius.) Nec est quòd novi Ariani respondeant, Christum se Filium dixisse ratione sanctitatis eximiæ. Si enim aliud nihil significare voluisset, non adeò commoti fuissent Judæi, ut hoc præcipuè ob crimen illum cruci addicerent: *Quia Filium Dei se fecit:* (Joann. 19.)

Idem confirmat responsio Marthæ (Joann. 11.) *Utique, Domine, ego credidi quia tu es Christus*

Fi-

Filius Dei vivi. Et confessio Petri [Matth. 16.] *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Quam Christus his verbis commendat: *Beatus es, Simon Barjona; quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est*. Quem locum S. Hilarius hac expositione illustrat. *Neque enim tantùm Petro ex confesso honore laus reddita est, sed ex agnitione mysterii: quia non Christum solùm, sed Christum Dei Filium esse confessus est. Namque ad confessionem honoris suffecerat dixisse: Tu es Christus. Sed inane fuerat Christum ab eo confessum fuisse, nisi Dei Filium confiteretur. In eo enim quod ait: Tu es, virtutem & proprietatem naturalis veritatis explicavit. Et Pater dicendo, Hic est Filius meus, Petro revelavit ut diceret: Tu es Filius Dei. Super hanc igitur confessionis Petram Ecclesiæ ædificatio est ... Nunquid nuncupatio potiùs quàm natura Petro revelata est? Si nuncupatio, jam hanc a Domino frequenter audierat, se esse Dei Filium confitente. In quo ergo revelationis est gloria?* &c.

Accedit insignis S. Joannis locus Evangelii 19. cap. *Hæc*, autem inquit, *scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*. Quem locum S. Hilarius lib. 6. contra Arianos vehementer urget. *Scribendi igitur Evangelii*, inquit, *non aliam prætulit caussam quàm ut omnes crederent Jesum esse Christum Filium Dei. Si sufficit ad salutem Christum credere, cur adjecit, Filium Dei?*

Sed vix locus proferri potest hoc in genere insignior, quàm ille cap. 1. ejusdem Evangelista: *Deum nemo vidit umquam, Unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit*. Quæ verba Sanctus Hilarius *lib. 6. de Trinitate*, contra Arianos sic urget: *Naturæ fides, non satis explicata videbatur ex nomine filii, nisi proprietatis extrinsecùs virtus per exceptionis significantiam adderetur. Præter Filium enim, Unigenitum cognominans, suspicionem penitus adoptionis excidit: cùm veritatem nominis Unigeniti natura præstaret ..... Quæro quid significatio ista Unigeniti sibi postulet, & videamus an hoc sit, quod tu esse profiteris, idest creaturam Dei perfectam; sed Deum Unigenitum Filium Joannes dixit, non creaturam perfectam. Non enim ignoravit hæc blasphemiæ nomina, dicens: Qui est in sinu Patris, & a Domino suo audiens. Sic enim dilexit mundum Deus ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Deus mundum diligens hoc dilectionis suæ in eum testimonium protulit, ut Unigenitum Filium suum daret. Si dilectionis hinc fides est, creaturam creaturis præstitisse, & pro mundo id quod mundi est dedisse, & ad ea quæ ex nihilo sunt substituta redimenda, eum qui ex nihilo substitit, præbuisse; non facit magni meriti fidem vilis & spernenda jactura. Pretiosa autem sunt, quæ commendant caritatem, & ingentia ingentibus æstimantur. Deus diligens mundum, Filium non adoptivum, sed suum, sed unigenitum dedit. Hic proprietas est, nativitas est, veritas est: non creatio est, non adoptio est, non falsitas est. Hinc dilectionis, & charitatis fides est, mundi saluti & Filium, & suum, & unigenitum præstitisse.*

Idem probant hæc verba Epistolæ ad Romanos: *Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Proprius autem Filius dici non potest, qui non est ex substantia generantis, ejusdemque cum eo naturæ. Hinc S. Hilarius Apostolicæ illius vim sententiæ *lib. 6. de Trinitate*, expendens ait: *Nunquid nam etiam nunc, adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen? Apostolus enim volens caritatem erga nos Dei ostendere, ut magnificentia Dei dilectionis ex comparationis genere nosceretur, non pepercisse Deum proprio Filio suo docuit. Nec utique pro adoptandis adoptato: neque pro creatis creatura, sed pro alienis suo, pro connuncupandis proprio. Quare virtutem dicti, ut magnitudinem caritatis intelligas. Quid sit proprium expende, ne ignores veritatem*. Ex quibus evidenter colligitur, Filium Dei Christum Jesum nativitate Deum esse.

Denique dæmones ipsi Christum esse Filium Dei vel inviti confessi sunt, Lucæ 9. *Quid mihi & tibi est, Jesu Fili Dei altissimi? ne me torqueas*. Quæ verba S. Hilarius lib. 6. de Trinitate adversùs Arianos objicit: *Invitis*, inquit *veritas elicuit confessionem, & naturæ potestatem testatur dolor obediendi. Virtute vincuntur, dùm possessa diu corpora deserunt: Honorem reddunt, dum naturam confitentur. Dei se inter hæc Filium Christus & opere testatur, & nomine. Unde tibi inter istas confitentium dæmonum voces o hæretice, præsumis nomen creaturæ, & indulgentiam adoptionis? Quid sit Christus, ab his saltem qui nesciunt, disce, ut impietatem tuam ipsa illa ignorantium necessaria professio arguat. Namque cùm Judæi Christum corporeum nescirent, scirent tamen eum, qui Christus esset, esse Filium Dei: cùm falsis adversùs eum testibus sine ulla veritatis assertione uterentur, Sacerdos eum interrogat: Tu es Christus Filius Dei benedicti? Sacramentum nescientes, naturam tamen non ignorant, neque interrogant an Christus Filius Dei sit, sed an hic sit Christus Filius Dei. Error in homine est, non in Dei Filio. Nam non quod Christus Filius Dei sit ambigitur: atque ita dum interrogatur an hic sit, tamen quod Christus sit Dei Filius non negatur.*

Probatur tertiò, Christum Deum esse naturâ, ex illis Christi verbis Joann 10. *Ego & Pater unum sumus*. Et rursus ex illis Joannis 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum.... Ego in Patre, & Pater in me est*.

Respondebant Ariani, sicut nunc Sociniani respondent, hæc loca probare solùm unitatem affectûs, & voluntatum conspirationem summam inter Patrem & Filium, cujusmodi Sanctorum inter se & cum Deo esse dicitur, non verò naturalem & propriè dictam.

Contra. Christus hæc verba: *Ego & Pater unum sumus*, protulit ad probandum oves suas non esse in æternum perituras, nec eas quemquam de manu sua rapturum; quia quod dedit illi Pater nempe natura & potentia, quam ab illo communicatam accepit, majus est omnibus; *Ego* inquit, *vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum sumus*. Probat oves suas tam de sua, quàm de Patris manu rapi non posse, quia ipse & Pater unum sunt. Atqui si sola voluntatum consensione unum essent, nihil concluderet. Non est igitur intelligenda Christi sententia de sola unitate morali & conspiratione voluntatum; sed saltem de unitate potestatis. Porrò si una est Patris Filiique potestas, una est utriusque natura, ut S. Chrysostomus *Homil. 61. in Joannem* colligit.

Secundò ex ipso Judæorum agendi modo refellitur cavillatio Arianorum: statim namque ac illi dicentem Christum audiere: *Ego & Pater unum sumus*, lapidibus illum obruere conati sunt. Cujus rei caussam quærenti responderunt: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia homo cùm sis, facis te ipsum Deum*. Intellexerunt itaque Judæi hæc Christi verba: *Ego & Pater unum sumus*, Naturæ unitatem, non voluntatum consensionem dumtaxat exprimere. At si Christus unius essentiæ cum Patre, unusque Deus non fuisset, facilè hanc a se calumniam depulisset, negando

gando se unum esse cum Deo natura, sed sola unitate affectus, eo modo qui viri sancti. Verùm non hanc excusationem adhibuit Servator, sed hoc ipsum quod de se Judæi animo conceperant, & cujus caussâ ipsum lapidare volebant, ex divinis operibus verum esse demonstrat; seque Deum esse probat a minori ad majus. *Nonne*, inquit, *scriptum est in Lege vestra: Quia ego dixi, Dii estis? Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis quia Pater in me est & ego in Patre.*

Hæc loca contra Arianos urgent SS. Patres, Augustinus lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 18. S. Epiphanius Hæresi 62. S. Gregorius Nyssenus lib. 5. contra Eunomium, S. Hilarius lib. 8. sed præ cæteris audiendus est S. Athanasius Oratione 4. contra Arianos, ubi cavillationem illam Arianorum de sola voluntatum & doctrinæ consensione sic refellit: *Si ea ratione idem habendi sunt Pater & Filius, necesse est Angelos, cæteraque in cœlo apparentia, solem, lunam, stellas, ita Filios habenda esse, ut Christus est Filius, ac de illis quoque hoc dictum pronuntiari, & ipsa, & Patrem unum esse, & unumquodque eorum & imaginem Dei, & Verbum esse, cùm ea quæ velit Deus, & ipsa quoque velint. Hac etiam ratione complures inter homines Patri similes reperiuntur. Multi enim Martyres extitere, & ante Martyres Apostoli, & Prophetæ, & ante Apostolos & Prophetas Patriarchæ, plurimique etiamnum sunt qui servant præcepta Patris.... Quorum nemo tamen neque Verbum, neque Sapientia, neque Unigenitus Filius, neque Imago fuerit. Neque quisquam eorum ausus est dicere: Ego & Pater unum sumus. Aut ego in Patre & Pater in me est: sed ab omnibus dicitur: Quis similis tibi inter Deos Domine? aut quis æquabitur Domino inter Filios Dei?*

Objicies ex verbis Apostoli 1. ad Corinthios cap. 6. *Qui adhæret Deo unus Spiritus est*: & ex illis Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una*, colligi non posse unitatem essentiæ Christianorum cum Deo, aut inter se, sed solam voluntatum consensionem: adeòque nec ex illis Christi verbis: *Ego & Pater unum sumus*, rectè inferri unitatem deitatis in Patre & Filio.

Respondeo nego paritatem. Ratio discriminis posita est in principio quod statuit S. Augustinus lib. 3. contra Maximinum, cap. 20. *Quando*, inquit, *de rebus duabus aut pluribus dicitur, Unus est, vel una est, & additur quid unus, vel quid una; & de his quæ diversa, & de his quæ unius sunt substantiæ dici potest. Diversæ enim sunt substantiæ spiritus hominis, & Spiritus Domini: & tamen dictum est: Qui adhæret Domino unus Spiritus est. Unius autem substantiæ sunt anima hominum, & corda hominum: de quibus dictum est: Erat illis anima una, & cor unum. Ubi autem dicitur de duobus aut pluribus, unum sunt: nec additur quid unum sint, non diversa intelliguntur, sed unius esse substantiæ: sicut dictum est: Qui plantat, & qui rigat, unum sunt, &, Ego & Pater unum sumus.*

Confirmatur Christum naturâ Deum esse, ex illis Christi verbis Joannis 16. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*: si omnia, igitur æqualis est Patri, uniusque cum ipso naturæ.

Confirmatur secundò ex illis Apostoli verbis ad Philippenses II. ita de Christo Jesu loquentis: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*. In forma Dei, id est, in natura Dei Christus est; nec rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, id est, *non alienum arbitratus est esse quod natus est*, ut exponit S. Augustinus *lib. 2. contra Maximinum Arianum cap. 5.* Hunc locum & S. Joannes Chrysostomus Commentario in hunc locum, & S. Hilarius lib. 8. de Trinitate pag. 53. & S. Athanasius Oratione 4. contra Arianos, p. 273. eodem sensu intelligendum esse docent. Et certè si *forma servi*, quam ibi opponit Apostolus formæ Dei, naturam ipsam hominis significat, *forma Dei*, naturam essentiamque divinam exprimit. Itaque reus est temeritatis Erasmus, qui formam ibi pro externa specie, sive pro externis operibus, in quibus fulgebat divinitas, ab Apostolo positam esse interpretatur.

Confirmatur tertiò, ex Apostolo ad Colossenses 1. Christum nominante *Imaginem Dei invisibilis* & ad Hebræos 1. de ipso dicente: *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ*. Porrò vivens ac spirans imago in nullo diversa est ab eo cujus imago est. Hinc S. Hilarius lib. 7. de Trinitate adversùs Arianos ex hac imaginis notione sic ratiocinatur: „ Intellectus Deus Filius id præstat, „ ut intellectus & Pater sit: dum ita imago est, „ ut non differat genere, sed significet Auctorem, „ &c.

Et initio lib. 11. ostendit „ Deum esse viventis „ Dei vivam imaginem, quæ nisi perfectam paternæ beatitudinis habeat formam, & absolutam naturæ totius referat speciem, non est in „ imaginis veritate. Si autem innascibilis Dei unigenitus Deus imago est, perfectæ atque absolutæ in eo naturæ veritas inest, per quam efficitur esse eum imaginem veritatis. Potens est „ Pater; sed si infirmus est Filius, imago jam non „ est potentis. Bonus est Pater: sed si in diversi „ generis divinitate Filius est, boni imaginem „ mali natura non reddit..... Verus Deus est „ Pater: si Filius in Dei falsitate est, jam non „ est veri imago qui falsus est. Non ex parte „ imaginem, neque ex portione formam eum Dei „ Apostolus prædicat; sed imaginem esse eum „ Dei invisibilis loquitur.

Probatur quartò, Christum Deum esse „ potestate, *ex ipsius verbis, Joannis* 5. Pater meus usque modò operatur, & ego operor. *Quæ referens S. Evangelista, observat, quòd* Propterea „ magis quærebant eum Judæi interficere: quia „ non solùm solvebat Sabbatum, sed & Patrem „ suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo, „ *Idem probant hæc Christi verba ibidem*: Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius, „ quos vult, vivificat. Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio, „ ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. *Et infra*: Opera quæ dedit mihi „ Pater ut perficiam ea: ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater „ misit me.

Objicies verba Servatoris eodem in capite dicentis: „ Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. „ Quæcumque enim ille fecerit: hæc & Filius similiter facit. Ex quibus colligi videtur Filium non esse ejusdem cum Patre potestatis.

Respondeo, Filium eo sensu dici non posse a se facere quidquam, quia non est ingenitum principium, sed principium de principio; nimirum de Patre, a quo sicut essentiam, ita & eamdem potestatem generatione communicatam accipit. Non autem hæc de se pronuntiat, quasi sit a Patre dependens, ejusque legibus subditus & imperio secundùm divinitatem. Id ita exponit S. Augustinus lib. 2. de Trinitate cap. 1. ubi hanc in istis

& si-

& similibus loquendi formis presinit regolam, ut
,, non inæqualitas, sed nativitas Filii ostendi *credatur* ,, Et ita videt Filius Patrem, ut quo eum
,, videt, hoc ipso sit Filius. Non enim aliud il-
,, li est esse de Patre; id est, nasci de Patre,
,, quàm videre Patrem, aot aliud videre operan-
,, tem, quàm pariter operari. Sed ideò non a
,, se, quia non est a se. Et ideò, quæ viderit Pa-
,, trem facientem, hæc eadem facit & Filios si-
,, militer, quia de Patre est. Neque enim alia
,, similiter, sicut pictor alias tabulas pingit, quem-
,, admodum alias ab alio pictas videt: nec ea-
,, dem dissimiliter, sicut corpus easdem literas ex-
,, primit, quas animus cogitavit: sed, Quæcum-
,, que, inquit, Pater facit, hæc eadem Filius
,, facit similiter. Et hæc eadem dixit, & simili-
,, ter, ac per hoc inseparabilis & par est opera-
,, tio, Patri & Filio, sed a Patre est Filio.

Probatur qnintò Christum esse Deum *peofessione*, ex loco insigni quo baptismi formam præscribit Matth.28. *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti*. Enim verò nisi Filins & Spiritus sanctus Patri æquales essent, & ejusdem cum eo natnræ, baptismus in eorum nomine ac professione non daretur: cùm Deo sit nefas conjungi & connumerari creaturam. Quod argumentum urget S. Athanasius Orat 3. contra Arianos.

Idem significant Concilii primi Constantinopolitani Patres in Synodicâ ad Occidentales Epistolâ, dum asserunt, *Fidem nostram baptismo consentaneam doceee nos eredere in nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti: nempe ut diviaitas & virtus, & substantia uua Patris, & Filii, & Spiritus sancti eredatur*.

Id etiam eviocunt insignia illa ex Evangelio S. Joannis petita testimonia. (Joannis 3.) *Qui eredit in eum, non judicatur: qui autem non eredit, jam judicatue est: quia uon credit in nomine unigeniti Filii Dei*. Et, *Qui eredit in Filium, habet vitam aternam: qui autem incedulus est Filio, non videbit vitam, sed iea Dei manet supee eum*. Et cap.6. *Hoc est opus Dei, ut eredatis in eum quem misit ille*. Et cap.9. Christus sanatum a se cæcum natum interrogat, dicens: *Tu eredis in Filium Dei?* illo verò sciscitante, *Quis est, Domine, ut eredam iu eum?* Respondit Jesus: *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est*. Tum ille: *Credo*, inquit, *Domine, & procideus adoravit eum*. Quod illius factum Christus approbavit. Et cap.11. ad Martham de seipso loquens: *Ego sum*, inquit, *eesurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi moetuus fuerit, vivet: & omuis qui vivit, & eredit iu me, non morietur in aternum*. Et cap.14. his verbis Discipulos compellat: *Creditis in Deum, & in me eredite*. Quæ testimonia Filium pariter ac Patrem objectum esse primarium fidei nostræ demonstrant; adeòque illum professione Deum esse.

Ariani & Sociniani refelluntur ex Traditione.

Probatur secunda pars propositionis, refelli scilicet Arianos & Socinianos Filii Dei consubstantialitatem cum æterno Patre negantes, auctoritate Traditionis: cujus originem ducimus a Clemente Romano in Epistolâ ad Corinthios: *Per hunc*, inquit, (scilicet Jesum Christum) *vultum ejus*, id est, Dei Patris, *immaculatam & sublimem tamquam iu sperulo intuemur. Per hunc oculi cordis uostei apeeti sunt, per hunc intellectus noster insipiens & obtenebratus admieabilem ejus lucem attentè contemplatue. Qui magnificentia ejus splendor & radius existens, tantò major est Angelis, quantò prastantius nomen sortitus est. Sceiptum est enim: Qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos flammam iguis. De Filio autem suo sic dixit Dominus, Filius meus es tu, ego hodie genui non feci te*.

Eidem doctrinæ attestatur S. Ignatius Martyr, in Epistolis ad Ephesios & ad Magnesianos, quarum loca retulimus Dissertatione 26. in Histor. 1. Sæculi, Articulo 1. Secundo sæculo eandem doctrinam tradidit S. Justinus in Apologia ad Antoninum Imperatorem. *Profitemur*, (inquit) *nos talium, qui habentur, Deorum esse expertes, & Atheos, sed non verissimi illius Dei, Pateis justitia & eastitatis, & virtutum aliarum. Verum hunc ipsum, & qui ab eo venit Filium, & Spiritum Propheticum colimus, & adoramus, cum eatione & veritate veneeantes*. Lege alia ejusdem S. Justini loea a nobis laudata & descripta ex utraque Apologia & ex Dialogo cum Tryphone Judæo, Dissertatione 20. in Historiam 1. Sæculi Art. 1. & Dissertatione 5. in Historiam. 2. Sæculi, ubi & argumenta ex S. Justino a novis Arianis proposita diluimus.

Accedit Athenagoras in Apologia pro Christianis ad M. Aurelium Antoninum, & L. Aurelium Commodum Imperatores datâ, in qua Christianos non esse Atheos probat (quod ipsis passim ab Ethnicis objiciebatur,) quòd unum Deum colant, *Ingenitum & aternum, nec aspectabilem, patiendi expertem, qui neque compeehendi, neque loco capi possit, cùm solâ mente ac ratione comprehendatur. . . . a quo universitas est facta per Verbum ipsius, eademque digesta est, & continetur*. Mox de Dei Filio loquens, asserit esse *Verbum ipsius in idea & efficientia. Nam ab ipso, & per ipsum omnia facta sunt; cùm sit unum Patee & Filius; ac Filius in Patre, & Pater in Filio sit unione & potentiâ Spiritus. Mens, & Verbum Dei Filius est Dei*. Addit, *Peimigeniam esse Patris progeniem, non quasi factum sit, [a principio quippe Deus qui est aterna mens habebat in se ipso λόγον, id est, rationem, cùm ateeràm sit rationalis.] Sed ita ut cùm materiâ concreta omnia, informisque natuea, atque terra instar vehiculi subjieiantue, in iisque crassiora levioribus admixta sint, ad hoc ut idea & actus illorum esset, prodierit*.

Quæ verba cur Petavius Arianis favere existimaverit, prorsus nescio; cùm Filium ab æterno in Patre existere hoc in loco Athenagoras asserat. Nec refert quòd rationem, sive sermonem, & ideam rerum condendarum vocaverit. Hæc enim cum Verbi, aut Filii nomine apud Veteres vocabula synonima sunt. Quòd autem ait Verbum prodiisse ut idea, & actus esset infimarum rerum, hoc est, ut illas confusas & tumultnarias perpoliret: non probat Athenagoram existimasse tunc primùm prodiisse hypostasim Verbi, cùm mundus conditus est, sed tunc solùm Verbum extrinsecùs fuisse operatum.

S. Iræneus ejusdem traditionis testis est lib. 3. adversùs Hæreses, cap. X. ubi ait; Magos Christum in cunis adorantes, *Per ea qua obtulerunt munera ostendisse quid erat qui adorabatur. Myrrha quidem, quòd ipse erat, qui pro mortali humano genere moreretur, & sepeliretur. Aurum verò, quoniam Rex cujus eegni finis non est. Thus verò, quoniam Deus qui & notus in Judaa Deus factus est, &c.* Deus porrò in Judæa notus verè & propriè Deus est, magnusque Deus. Et cap. 16. *Cùm*, inquit, *declaratum sit manifestè, quoniam neminem alium Deum vocaverunt, vel Dominum nominaveeunt, qui veritatis fuerunt Pradieatores, & Apostoli libeetatis, nisi solum verum Deum Pateem & Verbum ejus, qui in omnibus principatum habet: manifestè erit osteasum, quòd Patrem eali & terra, & qui locutus sit tum Moyse, & legis dispositionem ei dedeeit, qui convocaverit Pateer, Dominum Deum confiteri eos, & alterum neminem nosse*. Et cap. 20. *Exclusa est*, inquit, *omnis contradictio dicentium: Si ergo tunc natus est, non erat ante Christus*.

fuit. Ostendimus enim quia tunc non cœpit Filius Dei, existens semper apud Patrem. Et lib. 4. cap. 11. *Ipse igitur Christus cum Patre vivorum est Deus, qui & locutus est Moysi, & qui Patribus manifestatus est.* Lege alia ejusdem S. Irenæi testimonia a nobis laudata Dissertatione 26. in Historiam Ecclesiasticam 1. Sæculi.

Objici potest S. Irenæum lib. 4. cap. 17. Filium vocare Ministrum Patris, *Ministrat*, inquit, *ei ad omnia sua progenies, & figuratio sua: id est, Filius & Spiritus sanctus, Verbum & sapientia, quibus serviunt, & subjecti sunt omnes Angeli.* Et cùm illa Psalmi 33. verba retulisset: *Quoniam ipse præcepit, & creata sunt, ipse dixit & facta sunt*, mox addit: *Cui ergo præcepit, Verbo scilicet; per quod*, inquit, *cæli firmati sunt.*

Respondeo, Benignè exponendum esse ministerii verbum, prout idem significat ac cooperationem. Vult itaque S. Irenæus creandi voluntatem Patri tanquam primo principio adscribendam & Filio per Patrem communicatam. Quàm autem innoxius sit hìc loquendi modus, ex eo constat, quòd ipsi Patres qui post Concilium Nicænum contra Arianos scripserunt, eundem passim usurpaverint; quod ex S. Hilario ostendimus Dissertatione 5. in Historiam 2. Sæculi.

Catholicum de Filii Divinitate dogma æquè asserit Clemens Alexandrinus, lib. 1. Pædagogi, cap. 6. *Sed eum Filium*, inquit, *cùm Deus esset, nihil didicisse fuit consentaneum. Neque enim quis Verbo major fuerit; sed neque magister, aut doctor est ejus qui solus est magister. An non ergo vel inviti fatebuntur, Verbum perfectum ex perfecto Patre natum?* Lege alia loca ejusdem Patris Dissert. 7. in Historiam Ecclesiasticam 2. Sæculi; in qua & eis quæ ex ejus Operibus adversùs Filii divinitatem objici solent, respondimus.

Dionysius Romanus Pontifex, qui sedebat anno Christi 259. eidem Fidei testimonium perhibet, ut constat ex ipsius Epistola contra Sabellianos, cujus locum insignem laudat S. Athanasius in libro de Synodi Nicænæ Decretis. *Deinceps*, inquit, *adversùs eos dicam, qui dividunt & secant & evertunt religiosissimum dogma Ecclesiæ Dei, Monarchiam in tres quasdam virtutes partientes, & diversas hypostases, ac deitates tres. Nam audio quosdam apud vos esse institutores & doctores divini Verbi, qui illius sunt opinionis auctores: qui ex diametro, ut sic dicam, pugnant cum Sabellii placitis. Hic enim blasphemat, Filium ipsum asserens esse Patrem, & e converso Patrem esse Filium. At isti tres quodammodo Deos prædicant, dum sanctam Monadem dividunt in tres hypostases peregrinas, a se invicem planè separatas. Etenim necesse est uniri omnium Deo Dei Verbum, & in Deo manere, & habitare Spiritum sanctum: jam verò divinam quoque Trinitatem in unum, velut in caput quoddam, ac summam, Deum universorum colligi, & coalescere, prorsus est necesse. Quippe Marcionis est insani dogma, in tria principia secare, ac dividere: quæ est diabolica doctrina: non autem eorum qui verè discipuli sunt Christi, & Salvatoris disciplinâ delectantur. Nam hi Trinitatem a Scriptura sacra prædicari planè intelligunt: tres autem Deos neque in Veteri, neque in novo Testamento doceri.*

Sanctus quoque Dionysius Alexandrinus eamdem tradidit doctrinam, ut ostendimus in Dissertatione singulari de illius sententia. Plurima ejus testimonia legere est apud S. Athanasium libro in quo ipsius vindicias suscepit. *Numquam fuit*, inquit, *quando Deus Pater non erat.... Cùm enim sit splendor lucis æternæ, prorsus æternus est & ipse.* Ait denique Filium *ὁμοούσιον* esse Patri, id est, *ejusdem cum Patre esse substantiæ.*

Tertullianum Filii Divinitatem professum fuisse ac propugnasse demonstravimus Dissertatione 8. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 2. ubi & objectiones in contrarium pugnantes diluimus.

S. Cyprianus Magistro Tertulliano apertiùs loquitur. In libro enim de Idolorum vanitate, hæc habet: *Unus omnium Dominus est Deus. Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cùm sola omnem teneat potestatem.* Et infra: *Hic Deus noster, hic Christus est.* Christum itaque unum esse ac verum cum Patre Deum S. Cyprianus & credidit, & docuit. Et lib. De bono Patientiæ: *Hic est*, inquit, *Deus noster, id est, non omnium, sed Fidelium & credentium Deus, qui cùm in secundo adventu manifestus venerit, non silebit.* Et, *Pater Deus præcepit Filium suum adorari.* Lege alia loca ex lib. *Testimoniorum adversùs Judæos* a nobis laudata Dissertat. 26. in Historiam Ecclesiasticam secundi Sæculi.

Minucii Felicis in *Octavio* insignem locum ad Christi Divinitatem asserendam, ibidem protulimus.

Arnobius lib. 2. contra Gentes idem constanter & dilucidè profitetur. *Et ideò*, inquit, *Christus, licèt vobis invitis, Deus; Deus, inquam, Christus [hoc enim sæpe dicendum est, ut infidelium dissiliat, & disrumpatur auditus] Dei principis jussione loquens, sub hominis formâ*, &c. Et lib. 1. *Deus ille sublimis*, inquit, *Deus radice ab intima, Deus ab incognitis regnis, & ab omnium Principe Deus Sospitator est missus.* Existimavit itaque Arnobius, Christum esse verum & sublimem Deum, unum & eumdem essentiâ cum eo a quo missus est.

Lactantius Arnobii Discipulus Christi Divinitatem egregiè confirmat. *Lib. 4. Divinarum Institutionum cap. 12.* ait, Christum numquam vocatum fuisse Emmanuelem, sed Jesum, qui Latinè dicitur salutaris, sive Salvator, qui cunctis gentibus salutifer venit. *Sed Propheta declaravit hoc nomen, quòd Deus ad homines in carne venturus esset. Emmanuel autem significat, Nobiscum Deus: scilicet quia illo per Virginem nato, confiteri homines oportebat Deum secum esse, id est, in terra & in carne mortali. Unde David in Psalmo 84. Veritas, inquit, de terra orta est, quia Deus in quo veritas est, terrenum corpus accepit, ut terrenis viam salutis aperiret.*

Et cap. 13. *Filium*, inquit, *bis nasci oportuit, ut ipse fieret ἀπάτωρ, atque ἀμήτωρ. In prima enim nativitate spiritali ἀμήτωρ fuit, quia sine officio matris a solo Deo Patre progeneratus est. In secunda verò carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam sine Patris officio virginali utero procreatus est, ut mediam inter Deum & hominem substantiam gerens, nostram hanc fragilem, imbecillemque naturam, quasi manu ad immortalitatem posset educere, factus est Dei Filius per Spiritum, & hominis per carnem, id est, Deus & homo, Dei virtus in eo ex operibus, quæ fecit, apparuit: fragilitas hominis ex passione quam pertulit.... Interim & Deum fuisse, & hominem ex utroque genere permixtum, Prophetis vaticinantibus discimus.* Deinde ad id probandum laudat illa verba Isaiæ 45. *Quoniam in te Deus est, & non est alius Deus præter te. Tu enim Deus es, & nesciebamus, Deus Israël Salvator.* Et illa Baruch. 3. *Hic Deus noster, & non deputabitur alius absque illo, qui invenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Jacob puero suo, & Israël dilecto sibi. Post hæc in terris visus, & cum hominibus conversatus est.* Et illa Psalmi 44. *Thronus tuus Deus in sæculum sæculorum, virga æquitatis, virga regni tui.*

Denique cùm Arius pestiferam hæresim evomuit, statim ab Ecclesia ut Dei hostis, & Catholicæ veritatis proditor ejectus est, & anathemate con-

confossus, in Conciliis Alexandrinis, ac deinde in Concilio 1. Nicæno Oecumenico, quod in Symbolo Fidei Dominum nostrum Jesum *Christum*, *Filium Dei* professum est, *genitum ex Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris: Deum de Deo lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: Genitum non factum; consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt quæ in cælo sunt, & in terra*. Professioni verò Fidei hoc anathema subjunxerunt trecenti decem & octo Patres: *Eos autem qui dicunt, Fuit aliquando tempus cùm non esset, & antequam gigneretur non erat; vel quòd de non extantibus factus est: aut qui ex alterâ substantia vel essentia dicunt esse Filium Dei, aut creatum, conversioni, mutationique obnoxium, anathematizat sancta Catholica & Apostolica Ecclesia*.

Exinde Patres omnes Arianam hæresim confutarunt, ac debellarunt: quorum nomina & Opera laudavimus in Synopsi Cap.3. Art.5.

Objicies primò. Qui creatura est, non est verus Deus: sed Filius Dei creatura est; non est igitur verus Deus.

Probatur minor ex Scriptura sacra, Proverb. 8. ubi secundùm Versionem 70. Interpretum ita legitur: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*. Et Ecclesiastici 24. *Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium: & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*. Et, *Ab initio & ante secula creata sum*.

Arianorum & Socinianorum argumentis respondetur.

Respondeo, nego minorem. Ad ejus probationem respondeo, aliter ex Hebræo trasferendum esse, nimirum Κύριος ἐκτήσατό με, *Dominus possedit me*, (ut habet Vulgata nostra) non verò ἔκτισε id est, creavit, vel condidit, quemadmodum plerique Veterum legerunt. Hebraicam lectionem hoc in loco potiùs esse sequendam Eusebius Cæsareensis contendit lib.3. *de Ecclesiastica Theologia* cap.11. *Multùmque interesse* notat *inter creare, & possidere: Quòd creatio ex communioni notione, transitum significet ab eo quod non est, ad id quod est; possessio verò rei jam existentis proprietatem in eo qui possidet*. Sic eundem locum ex Hebræo castigat S. Hieronymus Epistolâ 139. ubi & multam diversitatem inter possessionem & creationem esse monet: Quia *Possessio significat, quòd semper Filius in Patre, & Pater in Filio fuerit. Creatio autem ejus, qui prius non erat, conditionis exordium*. Communem quoque illam lectionem, in qua habetur, ἔκτισε, *creavit*, S. Basilius lib.2. & S. Gregorius Nyssenus lib.1. contra Eunomium & S. Epiphanius *Hæresi 69. num.25.* vehementer improbant.

Respondeo secundò, Hunc locum, & alia in objectione laudata, de Sapientia incarnatà intelligenda esse, sive de natura assumpta a Verbo: non verò de Sapientia increata, sive de Verbo ut Deus est. Nam ipsa Sapientia illud verbum, *creavit*, aliis dictionibus paulò post interpretata est, dum ait: *Sapientia ædificavit sibi domum. CERTUM enim est domum Sapientiæ esse nostrum corpus, quo assumpto, sapientia ista homo facta: atque ideò meritò ab Joanne dictum est: Verbum caro factum est:* ut ait S. Athanasius Orat.3. *adversùs Arianos*. Verba igitur illa: *Dominus creavit me initio viarum suarum*, eandem vim habent ac ista: *Pater mihi corpus perfecit, & inter homines me creando constituit pro hominum salute. Nam quemadmodum ex Joanne audientes, Verbum carnem factum esse: non totum Verbum carnem esse factum intelligimus, sed carnem induisse, & hominem esse factum: atque audientes, Christum pro nobis maledictum esse factum, non in totum illum piaculum aut peccatum factum esse credimus, sed illud piaculum quod in nobis fuit, suscepisse: ita quoque si audiamus in Proverbiis hanc vocem: Creavit, non debemus in totum Verbum naturaliter creaturum esse existimare; sed creatitium corpus induisse, Deumque illud pro nobis creavisse, nostri causâ id corpus creatitium perficientem, ut in eo instaurari & deificari possemus*. Ita S. Athanasius.

Observat idem Pater, eodem in loco Proverbiorum Sapientiam de seipsa dicere, *Ante omnes colles genuit me*, neque dixisse, *genuit me initium viarum suarum*, sed absolutè, *genuit me*. At verò creandi verbo adjecisse, *initium viarum suarum*, ut ostenderet non simpliciter absolutèque creatam intelligi, sed secundùm quid (ut Scholastici loquuntur) sive alicujus rei obeundæ gratiâ. En S. Athanasii verba: *Nam & istic hoc verbum [creavit] caussam cur creatus sit, subsequentem habet, quia additum est [ad opera] contra nativitatem suam ex Patre absolutè exprimens, statim subintulit: Ante omnes colles genuit me: non cur genitus esset, quemadmodum in hoc dicto, [creavit] subjunxit, ad opera sua; sed simpliciter & absolutè, genuit me: quemadmodum & hoc, In principio erat Verbum. Nam etiamsi opera condita non fuissent, atqui tamen erat Verbum Dei, & Deus erat Verbum. Cæterùm ut fieret homo, numquam destinatum fuisset, nisi hominum necessitas ejus rei caussam præbuisset. Non igitur creatura Filius haberi potest. Si enim creatura esset, numquam dixisset, genuit me. Nam creaturæ nihil essentiæ Creatoris habent: quippe quæ duntaxat sint opera. Verùm, genitum esse, non extraneum quiddam, quale opus est, denotat: sed quiddam proprium, quod ex substantia Patris emersit*.

Respondeo tertiò, Duo illa verba, *creare*, & *generare*, idem significare sæpius apud Latinos; quod S. Hieronymus in cap.4. Epistolæ ad Ephesios, & S. Augustinus *lib. de Fide & Symbolo*, notarunt. Idcirco autem vox creationis in Scriptura sacra usurpatur, ut demonstretur divinam generationem omnis esse mutationis & passionis expertem. Ista responsio est S. Hilarii *lib. de Synodis*, pag.105. *Sapientia*, inquit, *quæ se dixit creatam, eadem in consequenti se dixit & genitam; creationem referens ad parentis indemutabilem naturam, quæ extra humani partus speciem & consuetudinem, sine imminutione aliquâ, ac demutatione sui, creavit ex seipsa quod genuit. Creantis enim opus non habet passionem aut permixtionis, aut partûs. Esse enim aliquando incipit, quod creatur ex nihilo. Et qui creat, efficit pro potestate quod creat: & est opus virtutis creatio, non naturæ ex naturâ gignente nativitatis. At verò nativitas, legitimæ originis & genuinæ naturæ profectus est. Ex naturâ enim generante naturam sumpsit genita natura. Sed quia Dei Filius non corporalis partitudinis est genitus exemplo, sed ex perfecto Deo perfectus Deus natus est: idcirco ait creatam se esse Sapientia, omnes in generatione suâ corporales passiones excludens. At verò ut ostenderet non creationis in se, sed nativitatis naturam esse, subjecit & genitam; ut cùm creatam se & genitam confitetur, absolutam nativitatis suæ intelligentiam præstaret: dum & indemutabilem Patris naturam in creatione significat; & legitimam ac propriam ex Deo Patre genitæ naturæ suæ ostendit esse substantiam. Atque ita perfectæ nativitatis intelligentiam creationis & generationis attulit sermo: cùm alterum sine demutatione, alterum in proprietate naturæ est*.

Respondeo quartò, Laudata in objectione testimonia exponi posse de increatæ Sapientiæ vestigio & imagine, quæ conditis rebus impressa est. Cùm autem hæc imago creata sit, Archetypum ejus, nimirum æterna ipsa Sapientia creatam se dicit translatione quadam attributorum. Hæc responsio est S. Athanasii Oratione 3. contra Arianos. *Dominus*, inquit, *creavit me in opera*,

Mea est enim imago, qua in creatis rebus apparet. Ac sic ego me ad officium accommodavi. Neque verò mirari convenit, quòd de imagine sua, tamquam de seipso loquatur Filius: quandoquidem istud ipsum appellare non veretur Deum. Et cùm Saulus persequeretur Ecclesiam, in qua typus erat illius & imago, tamquam ipse persecutionem pateretur, dixit; Saule quid me persequeris?

Respondeo quintò, Nec increatam, nec creatam sapientiam his testimoniis intelligi; sed sapientiam in genere, prout agentium dianoëticorum operibus præsidet, eaque in opificiis condendis, ordinandis, & exornandis dirigit. Illam itaque Salomon in Proverbiis, ubi figuratarum locutionum solennis est usus per Prosopopœiam inducit ita loquentem *Dominus creavit me initium viarum suarum*. Quasi persona quædam esset, puta virgo ac regina, a Deo ante omnia procreata. Hanc responsionem approbat S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 36. & S. Augustinus *Sermone* 58. *de verbis Domini secundùm Joannem*.

Objicies secundò. Ille non est æqualis & consubstantialis Patri, quo major est Pater: atqui Filio major est Pater: igitur Filius Dei non est æqualis & consubstantialis Patri: nec proinde verus Deus. Probatur minor ex verbis Christi, Joannis 14. *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.*

Respondeo, distinguo minorem, & sententiam Christi. Filio major est Pater, si spectetur Filius secundùm naturam assumptam, concedo: secundùm divinitatem, nego. Christus itaque se minorem Patre professus est secundùm naturam humanam, qua susceptâ minoratus est, non a Deo solùm, sed etiam ab Angelis, ut Apostolus ait. Sic intelligendum esse hunc locum, patet ex Christi consilio. Volebat ille Discipulos consolari suos ob proximum illius e mundo discessum lugentes. Majorem ipsis gaudii, quàm doloris esse rationem ait, quia mox rediturus erat ad Patrem; & posito mortali statu, paternam in gloriam recipiendus. Quemadmodum si Principis filius peregrè profectus in longinquam regionem egestatem, ac ærumnas multas passus sit, & ad Patris ditionem ac ædes redire propterea gestiat consors regni futurus, gaudere debent qui illum amant, quòd ad Patrem revertatur. Porrò Christus revertebatur ad Patrem ut homo: cùm itaque se minorem Patre dixerit quatenus redibat ad Patrem: consequens est ipsum dixisse Patrem se majorem quà homo est, non quà Filius. Hæc Expositio est S. Cyrilli lib. X. in Joannem cap. 1. pag. 846. & sequentibus; ubi fusè, subtiliter & erudite hunc locum pertractat. Sic illum interpretatur & S. Athanasius lib. *de humana natura suscepta*, S. Hilarius lib. 9. *de Trinitate*, S. Ambrosius lib. 3. *de Fide*, cap. 4. aliique cum S. Ambrosio Italiæ Episcopi in Concilio Aquileiensi contra Palladium ac Secundinum Arianos Episcopos, S. Augustinus lib. 3. *contra Maximinum cap.* 14. & alibi passim, aliique Patres, quos vel enumerare longum esset.

Contra. Plerique SS. Doctorum, Patrem Filio majorem esse asserunt, etiam quà Deus est, scilicet S. Alexander Patriarcha Alexandrinus in Epist. ad Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum, Concilium Sardicense in Epist. Synodica, S. Athanasius *Oratione* 2. *contra Arianos*, S. Basilius Magnus lib. 1. *contra Eunomium*, S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 35. 36. & 40. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. Thesauri, S. Joannes Damascenus *lib. 1. cap. 6.* S. Hilarius lib. 9. *de Trinit.* S. August. lib. *de Fide & Symbolo, cap. 9. & lib. 3. contra Maximinum, cap. 14.* Ergo non solùm ratione susceptæ humanitatis, sed ratione etiam divinitatis Filius minor est & inferior Patre.

Respondeo, distinguo antecedens, Patrem Filio majorem esse asserunt, notione quadam & dignitate personali, quatenus Filio prior est origine, & ejus principium, concedo: majorem dignitate naturæ, quasi Filius ipsi naturâ inferior, posterior duratione, perfectione sit impar nego. Non aliud voluit S. Alexander in Epistolâ laudatâ, apud Theodoret. lib. 1. Histor. Eccles. cap. 4. *Hunc*, inquit, *conversionis ac mutationis expertem proinde ac Patrem, nullius egentem, & perfectum Filium, Patrisque similem esse didicimus, hoc solo inferiorem Patre quòd ingenitus non est. Est enim imago Patris exactissima, & in nullo discrepans. Quippe liquet eum imaginem esse plenè omnia continentem, quibus maxima similitudo declaratur, sicut ipse Dominus docuit, cùm ait: Pater major me est.*

Et infra: *Itaque Patri quidem ingenito propriam dignitatem servare oportet, nullam eum habere existentiæ suæ causam profitendo. Filio verò competens honor tribuendus est principio carentem ex Patre generationem ei assignando, cultumque ei, sicut diximus, exhibendo: ita ut tantummodo, erat, & semper, & ante sæcula, piè ac religiosè de illo prædicemus: divinitatem quidem ejus nequaquam rejicientes, sed imagini atque exemplari Patris respondentem in omnibus similitudinem ei adscribentes. Solùm verò, ingenitum, Patris proprium esse dicamus, cùm & ipse Servator dixerit, Pater major me est.*

Non aliud voluere Sardicenses Patres in Epistolâ Synodicâ. *Nemo*, inquiunt, *negat Patrem Filio majorem esse, non ob aliam hypostasim* (id est substantiam) *nec ob aliam differentiam; sed quia nomen Patris ipsum majus est nomine Filii.*

Non aliud voluit S. Athanasius *Oratione* 2. *contra Arianos, pag.* 180. ubi notat eam ob causam non esse dictum a Filio *Patrem suum se meliorem esse, ne seipsum externum, alienumque ab illius natura existimarent: sed Pater, inquit, major est, non quidem magnitudine aut ætate, sed quia ex illo ortum habebat.* Noluit aliud S. Basilius Magnus lib. 1. contra Eunomium: *Pater*, inquit, *major me est, quatenus videlicet est Pater. Porrò vox ista, Pater, quid aliud significat, nisi quod caussa sit & principium ejus qui a se genitus est? Porrò autem substantia major substantiâ, vel minor secundùm sapientiam vestram non dicitur.* Mens eadem fuit S. Gregorii Nazianzeni *Oratione* 35. dicentis, *Patrem, quantùm ad caussam, Filio Majorem esse.* Instantibus verò Arianis, inde sequi Patrem naturâ majorem esse Filio, quia naturâ causa est seu principium Filii: respondet: *Non simpliciter quæcumque de aliquo dicuntur, etiam de eo quod ipsi subjectum est dici.* Naturam esse quasi subjectum cui proprietas illa & dignitas veluti inest, proindeque necesse non esse ut naturæ conditio illa *majoris* tribuatur, quamvis in causam seu principium cadat. Hanc itaque Arianorum objectionem fallaciâ peccare monet S. Gregorius Nazianzenus; & *Ab eo quod secundùm rationem quamdam dicitur, ad id quod simpliciter dicitur, captiosè progredi. Nam cùm nos*, inquit, *hanc vocem, majus causa naturæ tribuamus, inferunt ipsi naturâ majorem esse. Quod perinde est ac si dicentibus nobis, Hic mortuus homo, inferrent ipsi: Ergo homo.*

Eadem mens fuit S. Cyrilli Alexandrini in Thesauro Assertione 11. pag. 85. *Nostra verò consuetudini sese accommodans* [inquit] *Patri hoc tribuit, ut major sit: ut nimirum undequaque dualitas personarum gignentis & geniti significetur. Tribuit autem æqualitatem, ne aliqua Patris a Filio essentiæ dissimilitudo intelligatur. Æqualis itaque essentia*

tia

tia ratione existens cum Patre Filius, similisque per omnia, majorem illum vocat, tamquam principio carentem ipse principium habens, eo tantùm ratione quòd ex Patre est: tametsi existentia ratione cum eo conveniat,

Addit S. Cyrillus, Minùs aptè, minùsque commodè ea inter se conferri quæ diversæ naturæ sunt: nemo enim hominis naturam inquirens, dixerit, bovem homine esse majorem: ea autem inter se optimè comparari ait, quæ sunt ejusdem naturæ. Ex quo colligit, Filium ejusdem esse naturæ cum Patre, hoc ipso quòd cum eo in ratione majoris & minoris confertur. Consubstantiale namque non potest consubstantiali majus aut minus esse ratione substantiæ. Sic homo non est homine major quatenus homo est. Aliud statuit principium S. Cyrillus, nempe differentiam in iis quæ ὁμοούσια sunt, ex accidentibus peti. Hæc verò ut plurimùm ex passione, aut alia causa emergere, non in ratione substantiæ sita esse. Sic homo homine major est mole & robore corporis, aut mentis acumine, non verò substantiâ. Cùm igitur Deus omnis passionis expers sit, nulla planè ratione superare Patrem Filium consequens est. *Dicitur verò major, ut Principium coæterni germinis.*

Eadem mens fuit S. Joannis Damasceni *lib. 1. de Fide Orthodoxa*, cap 6. *Quod si dicimus* (inquit) *Patrem esse Principium Filii, eoque majorem: non priorem illum esse Filio significamus tempore, vel naturâ (Nam per ipsum fecit sæcula) aut alio quopiam; præterquam ratione caussæ: nimirum quia Filius a Patre genitus est; non Pater a Filio: & quia Pater naturaliter est caussa Filii.*

Ante istos mens eadem fuit S. Hilarii lib. 9. de Trinitate. *Numquid* (inquit) *Pater major non est? Major utique Pater est, dum Pater est: sed Filius dum Filius est, minor non est. Nativitas Filii Patrem constituit majorem; minorem verò Filium esse, nativitatis natura non patitur.* Et infra: *Si igitur donantis auctoritate Pater major est, numquid per doni confessionem minor Filius est? Major itaque donans est; sed minor jam non est, cui unum esse donatur .... Major itaque Pater Filio est, & planè major, cui tantum donat esse, quantus ipse est; qui innascibilitatis esse imaginem, Sacramento nativitatis impertit; quem ex se in forma sua generat; quem rursum de forma servi in formam Dei renovat.*

Mens eadem fuit Marii Victorini lib. 1. contra Arium, dicentis: *Major Pater, quòd ipse dedit ipsi omnia, & caussa est ipsi Filio ut sit, ut isto modo sit.*

Denique mens eadem fuit S. Augustini lib. *de Fide & Symbolo, cap. 9.* ubi illum S. Joannis locum, *Pater major est*, partim *propter administrationem suscepti hominis* dici ait: partim quia Filius *Patri debet quod est, hoc etiam utique debens Patri quòd eidem Patri æqualis, aut par est: Pater autem nulli debet quicquid est.* Et lib. 3. contra Maximinum, cap. 14. minurem dici Filium ostendit *vel ex forma servi, in qua verè minor est Patre: vel ut demonstraretur alter esse ex altero.*

Objicies tertiò. Qui nescit diem judicii, non est unius essentiæ cum Patre, & verus Deus: siquidem non conveniunt ipsi omnia Dei attributa, quorum unum est omnium scientia: Atqui Filius nescit diem extremi judicii: non est igitur unius essentiæ cum Patre & verus Deus.

Probatur minor ex illis verbis Christi, Marci 13. *De die autem illo, vel hora, nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Et Matth. 24. *De die autem illa & hora, nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater.*

Responderunt huic argumento SS. Patrum nonnulli, Christum nescire diem judicii ut hominem, scire ut Deum. Ita S. Athanasius Oratione 4. adversùs Arianos, *Cum hominibus* (inquit) *tanquam homo nescit. Divinitas autem existens in Patre, utpote Verbum, & Sapientia, novit, & nihil ignorat.* Eodem modo hunc locum exponunt Eustathius Antiochenus apud Facundum lib. 11. p. 462. S. Gregorius Nazianzenus Oratione 36. S. Basilius Epistolâ 391. S. Cyrillus Alexandrinus in Thesauro, Assertione 22. & alibi passim. Nosse autem Christum diem & horam judicii, ut Dei Filium; primò quia omnia per ipsum facta sunt, in quibus est & ipse judicii dies. *Si ipse est conditor sæculorum & temporum, atque hoc verè ita est: quomodo unum diem atque horam ignorare vobis censetur? Quomodo item ea quæ fecit, nescire potest?* (inquit S. Cyrillus) Secundò, quia *Omnia quæ Pater habet, sunt Filii, ut ipse testatur: at Pater ultimum illum diem & horam novit.* Igitur *novit etiam Filius. Ita enim verè dixerit: Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Tertiò, quia Filius est absolutissima Patris imago. Sed *Pater novit diem illum & horam; Filius itaque similis est hac in parte Patri; & sicut novit ille, novit & ipse.* Quartò, quia Filius Patrem novit. Igitur & finem creaturarum, supremique judicii diem novit. Enimverò, *Si omni notitiâ superius, præstantiusque est nosse Patrem: quomodo is qui, quod majus est, novit; ignorabit id quod minus est?* Quintò, quia Spiritus sanctus diem judicii non ignorat, nec ipsum ab istius diei notitia Christus exclusit. Et certè *Si Spiritus omnia scrutatur, etiam occulta Dei [ut scriptum est:] novit profectò omnia quæ in ipso sunt. Quod si Spiritus qui omnia scit, omniaque inquirere potest, a Filio accipit [Ille enim, inquit, de meo accipiet] quomodo Filius censebitur ignorare, qui Spiritui omnia sciendi suppeditat?* Has rationes apud S. Cyrillum, loco suprà laudato, legere est.

Verùm longè probabilius cùm sit, Christum, qui *Constitutus est a Deo judex vivorum & mortuorum, & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi*, nequidem ut homo est, supremi judicii diem & horam, vel quidvis aliud ignorasse: Respondeo, Locutionem illam qua se id ignorare Filius asserit, figuratam esse, idque dicere Christum nomine membrorum, & in ipsorum personâ. Cùm enim judicii diem ignorent homines, Christus quod nobis convenit, sibi ipsi tribuit ut caput nostrum. Ita hunc nodum solvit Eulogius Alexandrinus Patriarcha in libro adversùs Agnoëtas, (apud Photium *Cod.* 230.) ubi ait: *Christum Jesum Dominum nostrum, neque secundùm humanitatem quidem, multò minùs secundùm divinitatem, ignorasse sepulchrum Lazari; neque etiam illum ultimum diem. Neque enim humanitas Christi in unam inaccessibilis & substantialis sapientiæ hypostasim admissa, quidquam velut rerum præsentium, ita futurarum poterit ignorare. Neque falsum esse potest quod dixit: Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. An ergo & Patri, nihil non audentes, ignorantiam adscribent? Enimverò hoc quod dicit Salvator, Ubi posuistis Lazarum? eò dixisse ait, ut præsentes Judæi scirent, illorumque memoriam firmaret. Docet etiam alia de Christo dicta κατὰ ἀναφοράν, secundùm figuram, alia κατὰ ἀλήθειαν secundùm veritatem. Figuratè dicitur, Illum pro nobis peccatum, & maledictum factum esse: neque enim fuit quidquam horum. Sed veluti sibi caput vendicat ea, quæ sunt reliqui corporis: ita Christus ea quæ corporis sunt sibi assignat. Secundùm veritatem autem dicitur homo factus, & esurisse, & sitivisse, & hoc genus similia. Quòd si verò quis velit dicere eum figuratè & anaphoricè aliquid ignorare, eo quòd corpus non sit extra ignorantiam: aut humana vox cujus ipse caput est, is non absurdè loquitur, &c. ...... Illud autem quod de extremo judicii die dictum, quòd illum nemo novit, ne-*

que

que Angeli, neque Filius, nisi solus Pater, id quidam ob eam rationem dictum existimant, ut Discipuli arbitrati quotidie ultimam diem imminere, semper vigilarent. Sed nihil obstat quominus & hoc figuratè dictum interpretemur; quemadmodum & illud, Tu scis insipientiam meam. Sunt qui censeant illum dixisse quòd ignoraret ultimum diem, ut humana natura signum proprium, quod illi inest, declararet & ostenderet: non quòd ipse ignoraret... Sed cùm, ut B. Cyrillus docet, subtili mentis concepta, & animi imaginibus per contemplationem, rem a se dividimus; tum videmus proprias naturæ cujusque ut in se est, notas & proprietates. Aut [ut Gregorius Theologus tradit] quando natura ratione distinguuntur, etiam nomina naturarum simul dividuntur: Sed nuda, puraque humanitatis signum proprium est ignorantia: Hac ratione ergo Christi humanitati, ut simplici & puræ humanitatis naturæ, considerata præcisè secundùm ea, quæ a seipsa habet, adscribi poterit ignorantia. Et hoc est quod Theologus explicavit, quando dixit: Scit quidem ut Deus, nescit verò ut homo. Quibus dictis addit, quòd, *si qui ex Patribus ignorantiam in Salvatore ex parte humanitatis admiscent; id tamen non ut dogma sanxerunt: sed Arianorum insaniam repressuri, qui omnia, quæ in Christo erant humana, ad Unigeniti divinitatem transtulerunt, ut increatum Dei Verbum creaturam ostenderent; rectiùs hæc de humanitate dici posse existimarunt, quàm humana ab illis ad divinitatem trahi. Et si fortè qui dixerit, etiam Patres figuratè, seu anaphoricè locutos esse, religiosiùs videbitur judicasse.*

Ex quibus patet, facilè exponi posse Patrum supra laudatorum sensa, qui inscitiam Christo homini affingere visi sunt. Nempe non ex propria mente, nec absoluto destinatoque judicio ipsos id fecisse, sed quadam veluti concessione, ut Arianorum impetus retunderent. Hi namque Christi divinitatem alterius a Patre substantiæ professi, defectus huic omnes adscribebant, utpote quam animæ loco extitisse Christo homini arbitrabantur. Hanc igitur injuriam a Divinitate avertere cupientes Sanctorum Patrum plurimi, eam derivare in humanam naturam studuerunt; & ipsam inprimis inscitiam; sed id (ut dixi) quadam veluti concessione, & superabundanti responsione, quasi dicerent: Dato & non concesso, quòd ignorantia, & alii ejusdem generis defectus a Christo segregari non possint: certè non est necesse ad Divinitatem Christi illos referre: cùm in humanam potiùs naturam refundi posse videantur. Sic exponendi sunt illi Patres, qui ignorantiam diei judicii ad humanam naturam referunt.

Respondeo tertiò, Christum nescivisse diem judicii nobis, non sibi: id est, licèt absolutè sciverit, nescivit tamen illum ut nobis revelaret. Cùm nempe Christus ut homo a Patre omnia didicisset, non tamen omnia quæ sciebat loquendi potestatem habuit; sed quædam revelare prohibitus est. Quod testatur ipsemet Joannis 12. *Quia ego ex me ipso non sum locutus. Sed qui misit Patre, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar &c. Quæ ergo loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Nescit igitur diem & horam supremi judicii Christus, ut homo est, quia nescit eam ut Patris legatus & interpres. Id ita exponit S. Cyrillus, lib. 9. de Trinitate: *Hanc*, inquit, *nescita diei professionem, non ignorationis esse infirmitatem, sed tacendi dispensationem.* Et ad finem libri: *Non itaque ignorat Filius, quod non ignorat Pater: neque quia solus pater scit, idcirco nescit & Filius, cùm unitate naturæ Pater & Filius maneant. Quòd autem Filius nesciat, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt, tacendi dispensatio sit, sicut ipse Dominus testatus est, cùm quærentibus Apostolis de temporibus respondit: Non est vestrùm scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Cognitio negatur, neque solùm negatur, sed & solicitudo cognitionis inhibetur, cùm scire hæc tempora non est eorum. Ipsi certè nunc post resurrectionem loquendi tempus jam arbitrantes esse, interrogant. Atque illis Filius non jam se nescire ait: sed quòd scire non sit eorum quæ Pater in potestate sua posuerit, ne ad scientiam humana cognitionis evaderet, & Filius interrogatus, nescire se dicens, nunc rursum non nescire se respondeat, sed eorum esse nescire: Patrem verò tempora non in scientiâ suâ, sed in potestate posuisse. Nam cùm dies & momentum intra temporum nomen sit: non potest videre diem & momentum restituendi ea regnum Israël, ipse ille qui restituturus eum est ignorare. Sed nos ad intelligentiam nativitatis suæ, per exceptionem paternæ potestatis erudiens, neque se nescire respondit, & facultatem ipsis sciendi non concessam esse demonstrans, idipsum in sacramento paternæ potestatis consistere est professus.*

Contra. Si Christus ideò dicitur nescivisse diem judicii, quia non revelavit, sequitur & Patrem nescivisse, quia pariter non revelavit. Atqui dici non potest quòd Pater nesciverit diem judicii, quamvis illum non revelaverit: ergo nec propterea diceretur Filius nescivisse, quòd non revelasset arcanum illius mysterium hominibus.

Respondeo, nego consecutionem majoris. Ratio discriminis est, quia non est officium Patris enuntiare aliquid hominibus, ac legatione fungi, cùm ipse ingenitus sit, nec ab alio missus. Unde nulla fuit ratio cur aliqua exciperet, quæ nescire diceretur. Imò solus ea nosse dicitur, quæ sibi uni reservavit (ut *Actor.* 1. Christus ipse loquitur) *Non est vestrùm nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* At Filius a Patre missus est in mundum ut humanam indutus formam paternorum consiliorum administer esset, atque arcanorum interpres. Unde Pater quædam sibi servare potuit, quæ Christus ut homo potestatem revelandi hominibus non haberet: & quæ propterea nescire se profiteretur.

Objicies quartò. Ille cujus non est regnum dare a Patre paratum, non est æqualis Patri: sed regnum dare a Patre paratum, suum non esse Filius profitetur: igitur Filius non est æqualis Patri.

Probatur minor ex illis verbis Christi (Matth. 20.) *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.*

Respondeo, distinguo minorem: Filius profitetur non esse suum regnum dare, id est, non esse suæ æquitatis regnum dare propinquitatis jure, aut per meram gratiam indulgere, quod labore ac meritis comparandum est, concedo: id est, negat esse suæ potestatis regnum dare, nego. Vel iterum distinguo: Non est suum dare, ut homo, concedo: ut Dei Filius, nego. Unde Sanctus Augustinus, lib. 1. de Trinitate, cap. 12. *Non est humanæ potestatis hoc dare; ut intelligatur hoc dare, per quod & Deus æqualis est Patri.*

Objicies quintò. Qui est primogenitus omnis creaturæ, non est Deus, sed Christus est primogenitus omnis creaturæ: ergo non est Deus.

Probatur minor ex testimonio Sancti Pauli in Epistolâ ad Colossenses, cap. 1. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ.* Quæ verba divinam potiùs quàm humanam spectare naturam, Apostoli ratio ostendit: *Quoniam* (inquit) *in ipso condita sunt universa in Cælis, & in terra.* In eo enim sunt omnia condita ut Verbum est, non ut homo est. Ref-

Respondeo, distingno majorem: Si sit ita primogenitus omnis creaturæ ut sit e rerum creatarum numero, & ante creatas res omnes procreatus sit, eoocedo; si sit primogenitus omnis creaturæ, tum quia ab æterno ex Patre genitus, ereaturarum caussa fuit; tum etiam quia filiorum adoptionem cum ereaturis primus communicavit, nego. Hoc autem posteriori dumtaxat sensu Christus omnis creaturæ primogenitus nuncupatur. Sicut enim Primogenitus mortuorum non ideò dicitur, quòd priùs mortuis cæteris vitâ functus sit, sed quòd caussa sit resurrectionis ex mortuis: *Ita Primogenitus creatura nominabitur, quòd caussa sit educenda eu non extantibur, ad hoc ut extet creatura* (inquit Sanctus Basilius, lib.4. contra Eunomium.) Suffragatur Sanctus Cyrillus in Thesauris, Assertione 25. ubi Christum asserit Primogenitum vocari, quòd primus Filii appellationem cum hominibus communicaverit, ejusque caufa fuerit. *Quippe*, inquit, *Scriptura demonstrare voluit, nos omnes in Filio, & per Filium ad eamdem vocatos esse formam, Dei Filios per gratiam effectos. Atque ipse principium est dota nobis gratia; & ex immensâ sua benignitate similes sibi facit eos, qui per ipsum facti sunt.*

Objicies sextò. Qui sunt unum concordiâ dumtaxat & consensione voluntatum, non sunt unum essentiâ; sed Pater & Filius sunt unum dumtaxat concordiâ & consensione voluntatum: ergo non sunt unum essentiâ; proindeque Pater & Filius non sunt unus Deus.

Probatur minor ex verbis Christi (*Joannis* 17.) ubi pro Discipulis suis orat; *Ut sint unum*, inquit, *sicut & nos unum sumus*. Et in versu præcedenti: *Ut omnes*, inquit, *unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Ex quibus sic colligo: Similem unitatem Christus Discipulis adprecatur illi quâ unus est cum Patre: atqui Christus Discipulis solam unitatem concordiæ adprecatur. Solâ itaque concordiâ Pater & Filius unum sunt.

Respondeo, nego minorem. Ad ejus probationem distinguo minorem. Christus adprecatur similem unitatem quantùm ad aliqua, concedo; quantùm ad omnia, nego. Adprecatur enim illis unitatem quam homines consequi possunt; at cùm Christus unum sit cum Patre & essentiâ & concordiâ, solam concordiæ unitatem homines consequi possunt: Igitur solam illis unitatem concordiæ adprecatur. Sicut cùm ait: *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est:* ad infinitam illus & divinam sanctimoniam non adhortatur, sed ad eam, ad quam homines aspirare possunt, divinæ sanctimoniæ imitationem. Ita hunc locum exponit Sanctus Athanasius Oratione 4. contra Arianos, p.266. *Non igitur*, inquit, *ut nos essemus qualis ipse, dictum est ab eo, Ut unum sint, quemadmodum & nos sumus: sed ut quemadmodum ille, utpote Verbum in Patre suo est, ita quoque & nos aliquâ similitudine & rudi formulâ, dum in eum respirimus, efficeremur unum, unâ inter nos & mutuâ concordiâ animi & spiritûs unitate, nec dissentiamus ut Corinthii, sed ita concordes simus, ut quinque illa millia in Actibus Apostolorum; qui quasi unus homo censeri poterant. Ut enim filii, non autem ut ille Filius, & ut dii, non autem ut ille ipse Deus; & misericordes veluti Pater, non ut Pater: ita unum sitis, quemadmodum Pater & Filius; non quòd futuri simus ita ut Pater naturaliter est in Filio, aut Filius in Patre: sed pro nostrâ naturâ, & quatenus fieri potest, ut iade formulam, similitudinemque mutuemur, discamusque nos oportere unum esse, eâ ratione quam in miserendo paulò ante didicimus.*

Eam expositionem confirmat Sanctus Athanasius ex istis verbis: *Ego gloriam quam dedisti mihi, dedi illis; ut sint unum, quemadmodum nos unum sumus.* Quæ sic declarat: *Qui dicit, Quemadmodum, similitudinem & exemplum ejus, de quo loquitur, significat. Verbum igitur jure & essentialiter identitatem natura cum Patre obtinet. Nobis autem datum est ut imitemur: nam statim subiatulit: Ego in illis, & tu in me, ut absolutè in unum perficiantur. Quo loco in posterum majus quiddam & perfectius a nobis Dominus postulavit. Certum enim est Verbum in nobis esse factum, quippe quod nostrum corpus induerit. Tu autem in me, Pater, quoniam tuum sum Verbum, & quia tu in me, eo quod tuum sim Verbum. Ego porrò in illis per corpus meum; & quia per te in me hominum salus perficitur; rogo te, ut & ipsi fiant unum secundùm rationem mei corporis, & secundùm ejus perfectionem, ut & ipsi perfecti reddantur, cùm habeant cum corpore meo unitatem, & in eo unum fiant, & quasi quos ipse gestem, pariter unum corpus fiant, & unus spiritus.* Legatur & Oratio V. pag. 307. & 312. In eamdem expositionem conspirat Sanctus Cyrillus in *Thesauro, Assertione* 12. *pag.*121.

Respondeo secundò, nego secundam minorem, quòd scilicet eo in loco solam unitatem concordiæ Christus Discipulis adprecetur. In Fidelibus enim arctior est unitas quàm voluntatis solius: cùm inter eos naturalis etiam unitas existat aliqua: primò quia per naturam Fidei unum sunt. Deinde, quia regenerati sunt in unius vitæ atque æternitatis naturam. Tertiò, quia naturalis unitas in nobis efficitur, eò ipso quòd verè Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico sumimus. Quibus tamen unitatis quadamtenus naturalis modis, longè diversa est, longèque præstantior Patris & Filii unitas, utpote quæ in essentiæ identitate posita sit. Hæc responsio est Sancti Hilarii lib.8. de Trinitate. *Si ergo*, inquit, *per fidem, id est, per unius fidei naturam, unum omnes erant: quomodo non naturalem in his intelligis unitatem, qui per naturam unius fidei unum sunt?* Et infra: *Sin verò regenerati in unius vitæ atque æternitatis naturam sunt, per quod anima eorum & cor unum est: cessat in his affectûs unitas, qui unum sunt in ejusdem regeneratione natura.* Et ibidem notat, Dominum ita precatum non fuisse: *Pater, sicut nos unum volumus, ita & illi unum velint, & unum per concordiam simus omnes.* Sed, *Ut unum fiat, sicut & nos unum sumus*, ut cùm in nobis, tum in Patre & Filio, naturalem unitatem ostenderet; quamvis in Patre & Filio, quàm in nobis, præstantiorem.

Et infra: ,, Eos nunc, *inquit*, qui inter Patrem
,, & Filium voluntatis ingerunt unitatem, inter-
,, rogo, utrum-ne per naturæ veritatem hodie
,, Christus in nobis sit, an per concordiam vo-
,, luntatis? Si enim verè Verbum caro factum
,, est, & nos verè Verbum carnem cibo Domi-
,, nico sumimus: quomodo non naturaliter ma-
,, nere in nobis existimandus est, qui & naturam
,, carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo na-
,, tus assumpsit, & naturam carnis suæ ad na-
,, turam æternitatis, sub Sacramento nobis com-
,, municandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes
,, unum sumus: quia & in Christo Pater est, &
,, Christus in nobis est. Quisquis ergo naturali-
,, ter Patrem in Christo negabit, neget prius na-
,, turaliter vel se in Christo, vel Christum sibi
,, inesse, quia in Christo Pater, & Christus in
,, nobis, unum in his esse nos faciant. Si verè
,, igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit,
,, & verè homo ille, qui ex Maria natus fuit,
,, Christus est, nosque verè sub mysterio carnem
,, corporis sui sumimus, & per hoc unum erimus,

,, quia

„ quia Pater in eo est, & ille in nobis: quomo-
„ do voluntatis unitas asseritur, cùm naturalis
„ per Sacramentum proprietas perfectæ Sacramen-
„ tum sit unitatis? ..... Est ergo in nobis ipse
„ per carnem, & sumus in eo, dum secum hoc
„ quod nos sumus in Deo est. Quàm autem in
„ eo per Sacramentum communicatæ carnis & san-
„ guinis simus, ipse testatur dicens: Et hic mun-
„ dus jam me non videt, vos autem me vide-
„ bitis, quoniam ego vivo, & vos vivetis, quo-
„ niam ego in Patre meo, & vos in me, & ego
„ in vobis. Si voluntatis tantùm unitatem intel-
„ ligi vellet, cur gradum quemdam atque ordi-
„ nem consummandæ unitatis exposuit: nisi ut
„ cùm ille in Patre per naturam divinitatis es-
„ set, nos contra in eo per corporalem ejus na-
„ tivitatem, & ille rursum in nobis per Sacra-
„ mentorum inesse Mysterium crederetur; ac
„ sic perfecta per Mediatorem unitas doceretur,
„ cùm nobis in se manentibus ipse maneret in
„ in Patre, & in Patre manens maneret in no-
„ bis, & ita ad unitatem Patris proficeremus,
„ cùm qui in eo naturaliter secundùm nativita-
„ tem inest, nos quoque in eo naturaliter ines-
„ semus, ipso in nobis naturaliter permanente?
„ Quàm autem in nobis naturalis hæc unitas sit,
„ ipse ita testatus est: Qui edit carnem meam,
„ & bibit sanguinem meum, in me manet & ego
„ in eo, &c.

Addit Sanctus Hilarius, Diversam, longèque excellentiorem unitatem esse Patris & Filii, quàm ipsorum inter se hominum: „ Unitatem nostram
„ ad Deum, *inquit*, Dominus pro nobis preca-
„ tus est, suam verò obtinet ille, & in ea ma-
„ net. Nec per Sacramentum dispensationis unum
„ sunt, sed per naturæ nativitatem, dum nihil
„ in eo ex se Deus eum gignendo degenerat.
„ Unum sunt, dum quæ de manu ejus non ra-
„ piuntur, non rapiuntur de manu Patris: dum
„ eo cognito Pater cognitus est, dum eo viso Pa-
„ ter visus est, dum quæ loquitur, Pater in se
„ manens loquitur, dum in operante se operatur
„ Pater, dum ipse in Patre est, & Pater in eo
„ est. Hoc non præstat creatura, sed nativitas:
„ non efficit voluntas, sed potestas: non loqui-
„ tur unanimitas, sed natura. Quia non est unum
„ creari & nasci, neque velle idipsum est quod
„ & posse, neque concordare idem est quod ma-
„ nere.

Patres Ante-Nicani Arianis & Socinianis non favent.

Objicies septimò. Trium priorum sæculorum Patres Filium non esse verum Deum, & Patri consubstantialem atque coæternum propugnarunt, scilicet Sanctus Justinus Martyr in *Dialogo cum Triphone*; Sanctus Irenæus, Tatianus Justini Martyris discipulus in lib. contra Græcos, *ubi ita*
„ *scribit*: Deus erat in principio: principium au-
„ tem rationis esse potentiam accepimus. Etenim
„ Dominus omnium, cùm ipse esset totius uni-
„ versi substantia, quatenus nulla adhuc erat fa-
„ cta creatura, solus extabat. Quatenus verò to-
„ ta vis & potentia, ac tam eorum quæ videri
„ possunt, quàm quæ videri nequeunt, substan-
„ tia erat ipse, cum eo erant omnia. Nam cum
„ ipso per rationalem vim λογος ipse, qui in illo
„ erat, produxit. Voluntate porrò simplicitatis
„ ipsius λογος erupit: qui quidem non in vacuum
„ emanans, primigenium opus Patris fuit. Filium igitur Patris voluntate, non natura productum, & primam dumtaxat creaturam esse existimavit Tatianus.

Non absimilis fuit Theophili Antiocheni sententia, lib. 2. *Ad Autolycum*, ubi de Deo sic loquitur: *Verbum operum suorum administrum adhibuit, ac per ipsum omnia molitus est*. Et cùm scripsisset, Deum in Paradiso inambulasse, quærit qua ratione Deus ambulare dicatur, qui nullo loco coërceri potest: & respondet: „ Deum ipsum ac
„ Patrem universorum comprehendi loco non pos-
„ se, nec in eo deprehendi, sed Verbum ipsius
„ per quod omnia molitus est, quæ est virtus i-
„ psius ac sapientia, personam in se Patris, &
„ omnium Domini suscipiens, in paradisum venit
„ sub persona Dei, & cum Adamo collocutum
„ est. *Tum enarrat quomodo Verbum a Patre pro-*
„ *ductum sit*. Antequam ulla res existeret, *in-*
„ *quit*, consiliarium habebat istum, qui est mens
„ ipsius & sapientia. Cùm autem efficere voluit
„ Deus quæcumque deliberaverat, hunc λογον ge-
„ nuit prolatitium, primogenitum omnis crea-
„ turæ: non ut Verbo vacuus ipse fieret, sed
„ ut Verbum gigneret, & cum Verbo suo per-
„ petuò versaretur. *Et postquam subjecit verba 1.*
„ *cap. S. Joannis*: In principio erat Verbum,
„ *&c. subjungit*: Verbum itaque cùm sit Deus,
„ & ortum habeat ex Deo, quandocumque vult
„ Pater universorum, mittit ipsum quemlibet ad
„ locum: eòque veniens, auditur, ac videtur,
„ ab illo missum, & in loco reperitur. Porrò qui loco comprehenditur, qui sermo prolatitius est, qui mittitur a Patre quòcumque ipse vult, qui est operum Patris administer, ille non est verus Deus, consubstantialis & coæternus Patri: ergo Filium non esse verum Deum Patri consubstantialem & coæternum, Teophilus Antiochenus opinatus est.

Ejusdem opinionis fuit Origenes in libris περὶ ἀρχῶν. Tomo 2. in Joannem, aliisque in locis. Et ne peculiaris ea fuisse Origenis videatur, Clemens Alexandrinus, in libris *Stromatum* & *Hipotyposeon*, & Dionysius Alexand. in lib. *Contra Sabellium*, ubi Filium Dei *Opus quoddam* vocat, quod non *erat antequam fieret*, in eamdem assertionem conspirarunt, ut communis ea fuisse totius Alexandrinæ Ecclesiæ sententia videri possit.

Sanctus Gregorius Neocæsareensis Filium quoque Dei vocavit *creaturam & opus*, teste Sancto Basilio Magno, *Epistolis* 4. *&* 60.

Sanctus Methodius Martyr apud Photium „ Cod.
„ 235. *eidem sententiæ favet*. Duas vires, *inquit*,
„ in iis quæ ante confessa sunt, esse diximus ef-
„ fectrices; unam quæ ex non extantibus nuda
„ voluntate, sine cunctatione, simul ac voluit,
„ per seipsam molitur quicquid vult facere, ea-
„ que est Pater. Alteram, quæ componit, & va-
„ rietate quadam exornat ad prioris imitationem
„ quæ jam facta sunt; & est Filius omnipotens,
„ ac fortis manus Patris, in qua postquam fecit
„ materiam ex non extantibus, exornat. Si autem Pater & Filius sint duæ virtutes (ut Methodius asserit) Pater & Filius non sunt unus Deus.

Tertullianus lib. *Contra Praxeam*, cap. 5. & 7. & lib. *Contra Hermogenem*, cap. 3. & lib. 2. *Contra Marcionem*, cap. 27. ejusdem assertor est dogmatis. Necnon & Novatianus, lib. *De Trinitate*. Non constat igitur ex Traditione Filium esse consubstantialem Patri.

Respondeo, nego antecedens. Licèt enim Patrum aliqui ante ortum Arianæ hæreseos minùs propriè & minùs cautè quædam interdum scripserint, & quæ specie tenus huic hæresi patrocinari videntur, fidem tamen Sacro-sanctæ Trinitatis & Divinitatis Filii Dei, quoad substantiam & caput Catholici Dogmatis, constantissimè asseruerunt. Ratio autem cur minùs accuratè locuti sint, ea est, quòd ad Philosophiæ Platonicæ decreta Christianæ Fidei explicationem temperandam esse duxerint, atque similia ferè scripserint iis quæ a Philosophis istius Sectæ de Patre universorum, & de Mente ipsius, quæ & λόγος ab ipsis dicebatur, doceri consueverant. Sic Sanctus A-

tha-

Differt. 7. & 8. Histor. ... culi 2. Item ... fert. ... Art. 3 ... Art. 4. ... Posit. ... Differt ... 26. in ... Histor. Sæculi ... Art. 2. ... Differt. ... 29.

thanasius, lib. *De Incarnatione Verbi*, Filii Divinitatem persuadere Gentilibus studet, argumentis ex Platonicorum doctrina depromptis, ut fidem nostram nihil proponere incredibile luculentiùs ostendat. *Nam si confitentur* (inquit) *esse aliquem Dei λόγον & hunc ducem universitatis esse, atque in ipso creaturam omnem a Patre fabricatam esse: hujus item providentiâ illuminari cuncta, vivificari, & esse, ipsumque in omnibus regnare: adeò ut ex providentia operibus, tam ipse, quàm per eum Pater agnoscantur: Animadverte, obsecro, annon imprudentes contra semetipsos irrisionem illam contorqueant,*

De veteribus illis tritum priorum sæculorum Patribus Sanctus Hieronymus, in *Apologia 2. contra Ruffinum* sic loquitur. *Non statim illos hæreticos judicabo. Fieri enim potest ut vel simpliciter erraverint, vel alio sensu scripserint, vel a librariis imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint. Vel certè antequam in Alexandria quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam & minùs cautè locuti sunt, & quæ non possint perversorum hominum calumniam declinare.*

Fatendum tamen est, hoc in dogmate, sicut in aliis Fidei Catholicæ capitibus, factum esse, ut emergentibus hæresibus, quæ illius puritatem infuscare conatæ sunt, multùm ad ejus professionem perspicuitatis accesserit. Unde locum hìc habet celebris illa Sancti Augustini sententia, lib. 16. *De Civitate Dei*, cap. 2. *Multa quippe ad fidem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callidâ inquietudine agitantur, ut adversùs eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur: & ab adversario mota Quæstio, discendi existit occasio.*

Et lib. 2. *de bono Perseverantiæ*, cap. 20. *Dicimus enim*, inquit, *singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentiùs defenderetur Scriptura divina, quàm si nulla talis necessitas cogeret.* Testimonia porrò SS. Justini, Irenæi, Gregorii Neocæsareensis, Clementis Alexandrini, & Dionysii Alexandrini, necnon Tertulliani, & Novatiani, in secundo & tertio hujus Operis Tomo, propriis locis, ac Dissertationibus exposuimus; illosque Auctores eripuimus Arianis & Socinianis. Origenem in luto erroris hærentem deseruimus. Tatianus exponi benignè potest, ut qui Filium *Opus primigenium Patris*, vocaverit, quatenus sermo exterior est, ad effectum productus, cùm dixit Deus, *Fiat lux, fiat firmamentum*, &c. Non quatenus est sermo interior ex Deo prodiens ad cogitatum. Sic enim Patri coeternus est. Voluntate porrò Patris erupit λόγος priori modo spectatus: sed sub secunda illa ratione, non erupit voluntate, nisi concomitante, (quatenus non invitus Pater Filium genuit) sed naturâ. Unde *Verbum a Patre genitum, ad imitationem illius, a quo genitus est, Patris, immortalitatis imaginem hominem fecisse*: Necnon *Deum in hominis formâ natum esse*, idem Auctor asserit.

Differt. 6. 7. & 8. in Histor. Sæculi 2. Item Differt. 9. Art. 3. & Art. 4. Proposit. 2. Differtat. 16. in Histor. 3. Sæculi, Art. 2. & Differt. 39.

Theophilus Antiochenus eodem sensu Filium *Sermonem prolatitium* appellat: missum autem & loco circumscriptum ait, secundùm formam extraneam, quam assumpsit; vel ad tempus, ut se hominibus aspectabilem præberet ante Incarnationem, (secundùm sententiam Theophilo cum aliis Patribus Græcis communem) vel in perpetuum, cùm homo factus est. *Patris* autem dicit *administrum*, non quòd per ipsum velut per instrumentum condiderit universa, sed quòd una sit Patris Filiique potestas ac operatio. Unde in eodem libro ait: *Non erant Prophetæ cùm mundus creatur; sed sapientia Dei quæ in ipso est, Sermoque ejus Sanctus semper præsto erat: quapropter per Salomonem Prophetam sic fatur: Cùm ipse præpararet cælos, aderam.* Ibidem: *Ut constaret Deum Sermone suo creasse cælum & terram, scriptum est: In principio creavit Deus cælum & terram.* Ibidem *Filium Dei* vocat *Sermonem perpetuò existentem, & insitum in corde Dei Patris. Antequam enim quidquam eorum, quæ facta sunt, fieret, hunc consiliarium habuit*, &c.

Methodius duas vires appellat Patrem & Filium, non κατ' οὐσίαν, sed ὑποστατικῶς: & ita impropriè vocat duas personas, quamvis una sit virtus & potestas Patris & Filii.

Sed alia in *Convivio decem Virginum* duriora habet Methodius, & quæ non satis ex Theologiæ normâ dicta sint, ut illud quod legitur *Oratione* 3. Christum esse *Antiquissimum Æonum* & *primum Archangelorum*. Sed nihilominus ipsum quà verbum est, verum, perfectumque Deum confitetur. De Adamo enim ait: *Verbum, quod est ante sæcula, in illum venit, seque illi conjunxit. Decebat enim primogenitum Dei ac unigenitum germen (id est Sapientiam) primùm formato, primoque ac primogenito hominum generi hominis admixtum, hominem fieri. Id enim Christum esse hominem purâ perfectâque deitate plenum, & Deum qui in homine capitur. Congruentissimum quippe erat antiquissimum Æonum, & primum Archangelorum cum hominibus versaturum, in antiquissimo primoque hominum inhabitare, id est Adamo.* Filium igitur Dei *primum Archangelorum* vocavit Methodius, non quòd ex ordine sit Angelorum, solaque donorum ac missionis præstantiâ sit illis prior: sed quòd a Patre missus in mundum ad salutem humanam consummandam, *Angelus magni consilii* meritò fuerit a Prophetis nuncupatus.

S. Methodius Arianis & Socinianis non patrocinatur.

Duriùs quoque dictum videri posset, quod eodem in Opere habet *Oratione* 7. ubi Virgines a Christo, qui major ipsis est, habere testimonium ait, sicut Filius testimonium habet a Patre qui ipso major est. Sed nihil hìc asserit Methodius ab aliorum Patrum sensu & communi Ecclesiæ fide alienum. Vel enim de Filio secundùm naturam assumptam loquitur, vel Patrem Filio secundùm Divinitatem spectato majorem esse vult auctoritate Principii, non substantiâ & naturâ: *Decebat*, inquit, *ut aliis omnibus secundùm Patrem major, eo teste uteretur, qui solus ipso major esset, id est Patre. Et ego horum quæ in laudem constitutis peroraturus sum, non homines producam auctores, sed eum cui curæ sumus, & qui cunctis eminet, omnemque tulit partem, hunc illius cultorem asseram, ipsiusque formæ amatorem, ac planè idoneum testem. Idque adeò etiam in Cantico Canticorum, omnibus qui velint, perspicuè intelligere licet, ubi Christus sit, in Virginitatis firmiter proposito constantes, laudibus coronans, ait: Sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum.* Lege Leonis Allatii hunc in Methodii locum Observationes.

Dici etiam posset cum Photio, ab Hæreticis violatum esse hoc Methodii Opus. *Observandum* (inquit ille in Bibliotheca Codice 237.) *Dialogum hunc, qui Symposium inscribitur, sive de castitate, magnam partem adulteratum esse: offendes enim in illo adjectas & Arianas vanasque opiniones, aliasque malè sentientium fabulas.* Et Codice 162. refert Andream quemdam inclusum ex Hæreticorum *Incorrupticolarum* secta, Sanctorum Patrum, in quibus & Methodium nominat, sententias depravasse: quam propter temeritatem ab Eusebio Thessalonicensi Episcopo vapulavit. *Patrum item lectissimorum sententiis*, inquit, *Athanasii, & trium Gregoriorum: admirandorum, inquam, illius patratoris, & Gregorii Theologi, ac Beati Nysseni Episcopi, Basilii similiter Cæsareæ Antistitis, & Joannis Chrysostomi, Cyrilli Alexan-*

dria, Constantinopolitanæ sedis Præsulis Procli, sancti ad hæc Martyris Methodii, & Quadrati, Quorundam enim ex his dicta quædam Andreas avulserat, ac perverterat, simulque malitiosè, aut imperitè interpretando, errorem suum ex illis, ut sibi quidem persuasit, confirmarat. Verùm ob hæc omnia justas Eusebio pœnas dedit, ob adulterationem, inquam, Sanctorum Patrum, & improbitatem atque inscitiam: quodque Hæreticorum dicta quædam compilans, sanctis ea Patribus attribuere sit ausus, Sed cùm Andreæ error Filii Divinitatem non impugnaret, sed passibilis dumtaxat, atque corruptibilis corporis in Christo ante resurrectionem naturam; non est quòd Methodii Symposium in iis quæ de Filio Dei duriùs dicta videntur, ab Andrea illo interpolatum suspicemur.

Lactantius Arianis & Socinianis non favet.

Objicies octavò auctoritatem Lactantii, lib. 4. cap. 8. ubi hanc statuit inter Angelos & Verbum differentiam; *Illi enim* (inquit) *ex Deo taciti Spiritus exierunt, quia non ad doctrinam Dei tradendam, sed ad ministerium creabantur. Ille verò tùm sit & ipse Spiritus, tamen cum voce ac sono ex ore Dei processit, sicut Verbum, eâ scilicet ratione, quia voce ejus ad populum fuerat usurus; id est, quòd ille Magister futurus esset Doctrinæ Dei.* Igitur Filius Dei ex ordine est Spirituum creatorum, Lactantio teste, hocque solo ab Angelis differt, quòd ex ore Dei processerit sicut Verbum, prolatitium sanè, siquidem cum voce & sono. Et lib. 4. cap. 6. *Deus igitur*, inquit, *machinator constitutorque rerum, antequam præclarum hoc opus mundi adoriretur, sanctum & incorruptibilem & incomprehensibilem Spiritum genuit, quem Filium nuncuparunt. Et quamvis alios post innumerabiles per ipsum creavisset, quos Angelos dicimus; hunc tamen solum primogenitum divini nominis appellatione dignatus est, patriâ scilicet virtute ac majestate pollentem.* Licèt ergo Filius Dei ante mundum & creaturas omnes genitus sit, non tamen Patri coæternus est, neque naturâ, sed dignatione Deus.

Et cap. 29. *Cùm quis* (inquit) *habet Filium, quem unicè diligit, qui tamen sit in domo & manu Patris, licèt ei nomen Domini potestatemque concedat, civili tamen jure & domus una, & unus Dominus nominatur sic hic mundus una Dei domus, & Filius & Pater, qui unanimes incolunt mundum, Deus unus, quia & unus est tamquam duo, & duo tamquam unus. Neque id mirum, cùm Filius sit in Patre, quia Pater diligit Filium, & Pater in Filio, quia voluntati Patris fideliter paret.* Sicut ergo in humanis Filius non est unus dominus cum Patre, nisi civili quadam & morali ratione; ita Filius Dei non est unus Deus cum Patre nisi moraliter, ob unitatem affectûs, ob gratuitam dominii communicationem cum ipso a Patre factam, ob mutuum amorem: & quia Filius voluntati Patris obsequitur. Non obsequeretur autem nisi minor esset.

Ad primum. Respondeo, nego consequens. Namque *ad ministerium creatum* Dei Filium negat Lactantius, sicut conditi sunt Angeli: *Deum ex Deo genitum*, appellat; *Bis natum, primùm in Spiritu, postea in carne* profitetur: *Nulli alii opera Dei esse nota, nisi Filio soli, qui est Verbum Dei, & quem regnare in perpetuum necesse est*, contestatur; idque ex illis verbis *Psalmi* 44. demonstrat; *Eructavit cor meum Verbum bonum: dico ego opera mea Regi.* Urget quoque illud S. Joannis oraculum: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc fuit in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Ex quibus evincitur, Lactantium existimasse Filium Dei verum Deum esse & Verbum Patri coæternum.

Cùm autem ait, ipsum processisse ex ore Dei cum voce ac sono, spectat ipsum quà Verbum externum est, & ad creaturarum molitionem exteriùs prolatum, non quatenus Verbum est interius, & ratio ac sapientia Patris: *Meritò igitur* (inquit) *sermo & Verbum Dei dicitur: quia Deus procedentem de ore suo vocalem Spiritum, quem non utero, sed mente conceperat, inexcogitabili quadam Majestatis suæ virtute ac potentiâ in effigiem, quæ proprio sensu ac sapientiâ vigeat, deprehendit.* Sed quatenus Verbum internum est, Patri coæternum, & ejusdem cum illo virtutis agnoscit Lactantius: *Nostræ voces*, inquit, *licèt misceantur, atque vanescant, tamen plerumque permanent literis comprehensæ; quantò magis Dei vocem credendum est & manere in æternum, & sensu ac virtute comitari, quam de Deo Patre, tamquam rivus de fonte traduxerit. Quòd si quis miratur ex Deo Deum prolatione vocis ac Spiritûs potuisse generari, si sacras voces Prophetarum cognoverit, desinet profectò mirari.* Et initio cap. 9. ait, Filium Dei, *meliùs a Græcis λόγον dici, quàm a nobis Verbum sive sermonem λόγος enim & sermonem significat, & rationem: quia ille est vox & sapientia Dei.* Potest itaque spectari duplici respectu Dei Filius: & ut vox est ac sermo exterior; & ut ratio est, & Sapientia Dei seu Verbum interius.

Ad secundum locum respondeo: Ibi Verbum istud, *dignatus est*, æquè & strictè non sumi, sed impropriè, prout communicationem significat alicujus dignitatis, sive fiat illa gratiæ nomine, sive nativitatis jure. Certè Lactantius non ob aliam rationem Filium Dei hoc nomine insignitum fuisse asserit a Patre, quàm quòd *paternâ virtute ac majestate polleret*; secum nempe vi generationis communicatâ. Unde statim subjungit: *Esse autem summi Dei Filium, qui sit potestate maximâ præditus, non tantùm congruentes in unum voces Prophetarum, sed etiam Trismegisti prædicatio, & Sibyllarum vaticinia demonstrant, &c. Sibylla Erythræa in Carminis sui principio, quod a summo Deo exorsa est, Filium Dei ducem & imperatorem omnium his versibus prædicat, &c.* Et initio cap. 7. *Fortasse* [inquit] *quærat aliquis hoc loco, quis sit iste tam potens, tam Deo charus, & quod nomen habeat; cujus prima nativitas non modò antecesserit mundum, verùm etiam prudentiâ disposuerit, virtute construxerit? Primùm scire nos convenit, nomen ejus ne Angelis quidem notum esse, qui morantur in cælo, sed illi soli ac Deo Patri.* Qui autem mundum prudentiâ disposuit, virtute construxit, æquo jure cum Patre rerum omnium creator est, adeòque verus Deus: & cujus nomen ipsi soli, ac Deo Patri notum est, ille a nulla creata mente potest comprehendi, quæ est veri Dei notio. Adde Lactantium, cùm loquitur de Filio, non dicere quòd Pater ipsum fecerit, aut creaverit, sed genuerit: Cùm verò loquitur de Angelis, ait Patrem ipsos per Filium genuisse.

Ad tertium locum, nego consequentiam: comparatio enim illa Lactantii ex humano jure & usu petita, non est accurata quoad omnia, sed tantùm quoad aliqua, & secundùm analogiam dumtaxat vera est. Quia scilicet Filius Dei unus est Dominus cum Patre, sicut Filius hominis alicujus unus est Dominus cum homine: licèt non sit eadem in Filio Dei, & in Filio istius hominis dominii ratio. Nam civili tantùm jure filius homo cum Patre homine unus Dominus est: naturâ autem & indivisa potestate ac virtute, Dei Filius unus Dominus est cum Patre. Id constat ex verbis Lactantii in eodem capite: *Cùm dicimus*, inquit, *Deum Patrem & Deum Filium, non diversum dicimus, nec utrumque secernimus: quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius a Patre secerni; si-*

quidem nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari. Cùm igitur & Pater Filium faciat, & Filius Patrem; una utrique mens, unus Spiritus, una substantia est: sed ille quasi exuberans fons est, hic tamquam defluens ex eo rivus: ille tamquam sol; hic quasi radius a sole porrectus, qui quoniam summo Patri fidelis & carus est, non separatur, sicut nec rivus a fonte, nec radius a sole, quia & aqua fontis in rivo est, & solis lumen in radio: aquè neque vox ab ore sejungi, nec virtus aut manus a corpore divelli potest. Cùm igitur a Prophetis idem manus Dei, & virtus, & sermo dicatur, utique nulla discretio est: quia & lingua sermonis ministra est, & manus, in qua est virtus, individuæ sunt corporis portiones. Et post verba in argumento laudata, continuò subjungit: *Denique unum Deum esse tam Patrem, quàm Filium, Isaias in illo exemplo, quod superiùs posuimus ostendit, cùm diceret: Adorabunt te, & te deprecabuntur, quoniam in te Deus est, & non est alius Deus præter te. Sed & alio loco similiter ait: Sic dicit Deus Rex Israël, & qui eruit eum Deus æternus: Ego primus, & ego novissimus, & præter me non est Deus. Cùm duas personas proposuisset Dei Regis, id est Christi, & Dei Patris, qui eum post passionem ab inferis excitavit, sicut ostendisse diximus Oseam Prophetam, qui ait: Et de manu inferorum eruam eum: tamen ad utramque personam referens, intulit; Et præter me non est Deus: cùm posset dicere præter nos: sed fas non erat plurali numero, separationem tantæ necessitudinis fieri. Unus est enim solus liber, Deus summus, carens origine, quia ipse est origo rerum; & in eo simul Filius & omnia continentur. Quapropter cùm mens & voluntas alterius in altero sit, vel potiùs una in utroque, meritò unus Deus uterque appellatur: quia quidquid est in Patre ad Filium transfluit, & quicquid in Filio, a Patre descendit.*

Objicies, *Lactantium*, libri 4. *Divinarum Institutionum*, Cap. 14. ipsius Christi testimonio probare, unum Deum esse colendum, quòd numquam se Deum esse dixerit. *Nec umquam se Deum esse dixit: quia non servasset fidem, si missus ut Deos tolleret, & unum assereret, induceret alium præter unum.*

Respondetur, Christum ex *Lactantii* mente, non se dixisse Deum a Patre diversum: Id enim si præstitisset, Deos Gentium non sustulisset pro munere missionis suæ; nam alium Deum præter unum induxisset, seque ab eo separasset: Sed ubi Christus se Deum dixit, se unum cum Patre Deum, ipsique coæternum nuncupavit; & ea ratione nonnisi Deos Gentium exclusit. Eam esse *Lactantii* sententiam, ex locis supra citatis, & ex Doctrinæ illius serie perspicuum & exploratum est. Ideò in capitibus sequentibus pro Christi Divinitate pugnat, & eas quæ ex passione peterentur objectiones solvit: Imò cap. 16. asserit eum qui *Ipse Virtus, & ipse justitia est, descendisse ut eam doceret, hominemque formaret.* Cap. 17. asserit illum esse æternum, & missum fuisse *Ut denuo per eum qui esset æternus, legem sanciret æternam.* Cap. 18. *ait: Cùm igitur ea quæ Deus fieri voluit, quæque per Prophetas suos multis sæculis ante prædixit, Christus impleret, ob ea incitati, & Divinas Literas nescientes, coierunt ut Deum suum condemnarent.* Et infra: *Quid de hujus crucis indignitate dicemus, in qua Deus a cultoribus Dei suspensus est atque suffixus?* Cap. 23. tradit Deum solum esse posse hominis Doctorem. Cap. 24. ait, Christum, si Dei majestatem ostentasset, mortales oculus claritatem majestatis ejus conspicere ac sustinere non potuisse. Capite denique 25. docet Christum fuisse Deum & hominem, inter Deum & homines medium constitutum, ut hominem perducere ad Deum posset: quia si Deus tantùm fuisset, exempla virtutis homini præbere non posset; si homo tantùm, non posset homines ad justitiam cogere. *Ideirco Mediator advenit, id est, Deus in carne, ut caro eum sequi posset, & ut eriperet morti hominem, cujus est dominatio in carne.*

Dices, Lactantius, *lib. 4. Institutionum, cap. 3.* ait *Factum esse Dei Filium per Spiritum.* Itaque sensit Filium Dei creaturam esse.

Respondeo, Lactantium loqui de temporali, non æterna Christi nativitate, ut locum inspicienti facilè constabit. Cùm autem Dei Verbum sola Spiritus sancti operâ sine virili congressu ex Virgine Maria caro factum sit; rectissimè scripsit Lactantius, eum per Spiritum factum esse, ut hominem, Dei Filium. Quod ipsum Angeli verba apud S. Lucam perspicuè probant: *Spiritus Sanctus superveniet in te ..... Ideòque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Dices Lactantium, *lib. 4. cap. 29* unitatem Patris & Filii per mutuum consensum, & amoris concordiam explicare, ut inde manifestissimè appareat unitatem essentialem non esse intelligendam.

Respondeo, Unitatem essentiæ in Patre & Filio ibidem adstruere Lactantium his verbis: *Cùm dicimus Deum Patrem, & Deum Filium, non diversum dicimus, nec utrùmque secernimus, seu separamus; siquidem nec Pater sine Filio potest esse, nec Filius a Patre secerni; cùm nec Pater sine Filio potest nuncupari, nec Filius sine Patre generari. Cùm igitur & Pater Filium faciat, & Filius faciat Patrem, una utrique mens, unus Spiritus, una substantia est. Sed ille quasi exuberans fons est, hic tanquam defluens ex eo rivus.*

Objicies. *Lactantium*, libro 11 cap. 8. Verbum Patri coæternum negare. *De Matre*, inquit, *natus est, qui ante eam fuit, de Patre, qui aliquando non fuit: Hoc fides credat, intelligentia non requirat; ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat singulare.*

Respondetur, Hæc verba ab aliquo Ariano inserta, ab octo Vaticanis Codicibus MSS. aliisque plurimis, & antiquioribus, & melioris notæ abesse; in Editionibus ad illos Codices collatis non haberi: sibi ipsi non attendisse interpolatorem, cùm priora verba destruant, quod ille sequentibus adstruere voluit. Filium quippe coæternum & æqualem esse Patri profitetur. *Sicut Mater*, inquit, *sine exemplo genuit Auctorem suum; sic ineffabiliter Patrem genuisse credendus est coæternum Deum.* Sed & quæ sequuntur in sinceris *Lactantii* Codicibus MSS. & in editis, Arianum illud assumentum penitus discerpunt. *Cùm esset Deus ad excogitandum prudentissimus, ad faciendum solertissimus, antequam ordiretur hoc opus Mundi,* (hoc est, phrasi Scripturis usitatissima, Ab æterno) *quoniam pleni & consummati boni fons in ipso erat, sicut est semper; ut ab eo bono tamquam rivus oriretur, longèque profflueret, produxit similem sui Spiritum, qui esset virtutibus Dei Patris præditus. Quomodo autem id fecerit, in quarto libro docere conabimur.* Pater Lactantio boni fons est, Filius rivus ab eo procedens: Rivus autem cum fonte ejusdem planè naturæ atque substantiæ est; ac proinde æterni fontis rivus æternus. Præterea, similis est Patri Spiritus, virtutibus Dei Patris præditus, id est, attributis omnipotentiæ, omniscientiæ, cæterisque Deo propriis perfectionibus.

Denique Lactantius Arianos nominatim in Hæreticorum ordinem redigit, lib. 4. cap. ultimo. *Cùm enim*, inquit, *Phryges, aut Novatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Ariani nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt.*

Scio Petavium sentire hanc vocem, *Ariani*, perperam in contextum irrepsisse, imò in editionibus Thomasii & Isæi minimè reperiri. Sed Petavio Baronium Cardinalem opponimus, asserentem vocem illam in novem Lactantii Operum MSS. exemplaribus in Vaticana Bibliotheca conservatis extare.

Dices, Arianos post Lactantii ætatem exortos, adeòque Lactantium ipsos nominatim non perstrinxisse. Id verò inficior: Lactantius enim libros Divinarum Institutionum conscripsit grassante Licinii persecutione, anno Christi 316. (ut observat Cardinalis Baronius) idque patet ex Operis Præfatione in qua Constantinum magnum his verbis alloquitur: *Pro quo facto*, (scilicet ob pacem Ecclesiæ redditam) *dabit tibi Deus fœlicitatem ..... Nam malis qui adhuc adversùs justos in aliis terrarum partibus sæviunt*, &c. (Hoc est in Oriente sub Licinio) Licinius autem eam ob causam anno 317. a Constantino bello petitus, proximo victus, & Imperio exutus est. Arius verò (ex Orosio, lib. 7. cap. 28.) manifestè innotuit anno 315. quo tempore a Concilio Alexandrino ut hæreticus damnatus est. Jam igitur orta erat Ariana Hæresis cùm Lactantius libros Divinarum Institutionum conscripsit.

Objicitur ultimò auctoritas Arnobii, qui Lactantium præcessit, ejusque præceptor fuit. Hic passim Deum ingenitum credi debere asserit, & non habere Patrem, Matrem, &c. (lib. 1. & lib. 2.)

Arnobius ab Arianorum & Socinianorum errore alienus.

Respondeo, Arnobium his in locis solam excludere a Deo generationem, quam Gentiles Diis suis tribuebant, quos ex maris & fœminæ commixtione in tempore esse genitos profitebantur. Sic lib. 1. *Deus omnipotens neque genitus fertur, neque novam in lucem aliquando prolatus, nec ex aliquo tempore cœpisse ...... At verò Juppiter, ut vos fertis, & patrem habet, & matrem, avos, avias, fratres, nunc nuper in utero matris suæ formatus, absolutus mensibus & consummatus decem. Ergo si hæc ita sunt, Juppiter esse Deus qui potest?* Et lib. 7. sic Gentiles alloquitur. *Vos Deos profitemini esse natos, & ex masculorum fœminarumque seminibus conventionum progenitos lege ...... At verò nos contra ingenitos esse censemus. Hoc enim religiosum est credere. Vos habere sexus Deos ...... Nos discretos esse sexibus abnegamus*, &c. Sed mirum est quòd Arnobii auctoritate Sociniani abutantur, qui tam luculenter Christum verum esse Deum asserit. Cùm enim Christianos Deum Principem, summitatem omnium summorum obtinentem adorare scripsisset, lib. 1. Gentilem introducit ita opponentem: Non idcirco Dii vobis infesti sunt, quòd omnipotentem colatis Deum, sed quòd hominem natum, & crucis infami supplicio interemptum, Deum fuisse contenditis, & quotidianis supplicationibus adoratis. Nihil porrò horum negat Arnobius, sed sic retorquet argumentum in Gentiles. *Natum autem colimus. Quid enim? Vos hominem nullum colitis ...... Si vos Liberum, quòd usum repererit vini, si quòd panis Cererem .... honoribus quantis afficiendus est nobis qui ab erroribus non magnis insinuatâ veritate traduxit? ... Christus non habetur a nobis Deus? Nec qui omnium alioquin vel maximus potest excogitari divinitatis afficiatur cultu? Sed patibulo affixus interiit. Quid istud ad causam? Nonne Liberum & vos Patrem membratim a Titanibus dissipatum fanorum consecrationi aptatis? Nonne Æsculapium post pœnas & supplicia fulminis? Nonne Herculem concrematum. & Romulum Senatorum manibus dilaceratum in adytis adoratis amplissimis?*

Et infra, Paganis objicientibus, *Natum hominem colitis o Christiani*, respondet: *Etiamsi esset id verum* (id est si verum esset Christum esse merum hominem quod planè diffiteor) *tamen pro multis & tam liberalibus donis, quæ ab eo profecta in nobis sunt, Deus dici appellarique deberet. Cùm verò Deus sit, & certa & sine ullius dubitationis ambiguo infitiaturos arbitramini nos esse quàm maximè illum a nobis coli, & præsidem nostri corporis nuncupari?*

Et infra: *Ergone, inquiet aliquis furens iratus & percitus, Deus ille est Christus? Deus, respondebimus & interiorum potentiarum Deus.*

Et infra Christum esse Deum probat ex miraculis. *Nulla Major est*, inquit, *comprobatio gestarum ab eo rerum, quàm virtutum novitas. Has Christus sine ullis adminiculis rerum, sine ullius ritûs observatione, vel lege nominis sui possibilitate fecit.*

Gentiles objiciebant. Si Deus fuit Christus, cur in forma hominis visus est? cur morte Crucis interemptus? Quibus Arnobius respondet. *An aliter potuit invisibilis illa vis, & habens nullam substantiam corporalem, inferre se & commodare mundo, conciliis interesse hominum, quàm ut aliquod tegmen materiæ solidioris assumeret, quod oculorum susciperet injectum? ...... Mors illa quam dicitis, assumpti hominis fuit. Ipsius gestaminis, non gestantis ...... Non enim ipse interemptus est. Neque enim cadere divinas in res potest mortis occasus, nec interitionis dissolutione dilabi, id quod est unum & simplex, nec ullarum partium congregatione compactum.*

Et rursus lib. 1. *Nihil magicum, nihil præstigiosum in Christo. Derideatis, licèt ex more, atque in lasciviam dissolvamini cachinnorum, Deus ille sublimis fuit, Deus ab intima radice, Deus ab incognitis regnis, & ab omnium Principe Deus Sospitator missus est.*

Non favet igitur Socinianis Arnobius hac in causâ. Sed etsi faveret, non magnum ex hujus Auctoris testimonio commodum contra Ecclesiam reportarent: siquidem hos libros nondum Catechumenus scripsit, & in iis summam Ecclesiasticorum Dogmatum imperitiam testatur. Quod patet ex absurdissimis ipsius de Anima, & de alterius vitæ suppliciis, erroribus: quos licèt propugnent Sociniani, illos tamen vel ab uno Doctorum Ecclesiasticorum assertos, vel Scripturæ Sacræ non repugnantes, probare nec possunt, nec saltem conantur, quia conatus inanes suos fore pervident. *Quid?* (inquit Arnobius, lib. 2.)

Arnobii errores de Anima, & de Alterius vitæ suppliciis.

„ Plato idem vester in eo volumine, quod de
„ Animæ immortalitate composuit, non Ache-
„ rontem, non Stygem, non Cocytum fluvios,
„ & Pyriphlegetontem nominat, in quibus ani-
„ mas asseverat volvi, mergi, exuri? Et homo
„ prudentiæ non pravæ, & examinis judiciique
„ perpensi, rem inenodabilem suscipit, ut eum
„ animas dicat immortales, perpetuas, & corpo-
„ rali soliditate privatas, puniri eas dicat tamen
„ & doloris afficiat sensu? Quis autem hominum
„ non videt, quod sit immortale, quod simplex,
„ nullum posse dolorem admittere? Quod autem
„ sentiat dolorem, immortalitatem habere non
„ posse? Nec tamen ejus auctoritas plurimùm a ve-
„ ritate declinat. Quamvis enim vir lenis, & be-
„ nevolæ voluntatis inhumanum esse crediderit, ca-
„ pitali animas sententia condemnare, non est ta-
„ men absonè suspicatus, jaci eas in flumina tor-
„ rentia flammarum globis, & cœnosis voragini-
„ bus tetra. Jaciuntur enim & ad nihilum redactæ
„ interitionis perpetuæ frustratione vanescunt.
„ Sunt enim mediæ qualitatis, sicut Christo au-
„ ctore compertum est, & interire quæ possint,
„ Deum si ignoraverint, vitæ & ab exitio libe-
„ rari, si ad ejus se minas atque indulgentias ap-
„ plicarint. Et ut quod ignotum est pateat, hæc
„ est hominis mors vera, hæc nihil residuum

„ fa-

faciens. Nam illa quæ sub oculis cernitur, animarum est a corporibus dijugatio, non finis abolitionis extremus. Hæc, inquam, est hominis mors vera, cùm animæ nescientes Deum per longissimi temporis cruciatum consumentur igni fero.

Et infra: „ Quid quòd eadem ratio non tantùm incorporeas indicat eas non esse, verùm etiam privat immortalitate has omni, & ad fines applicat quibus vita consueta est terminari? &c.

Nec solùm immortales esse animas hominum Arnobius negat, sed etiam a Deo conditas, Si enim fortè nescitis, *inquit*, & antea vobis incognitum propter rei novitatem fuit, accipite serò & discite ab eo qui novit, & protulit in medium Christo, non esse animas Regis maximi filias, nec ab eo, quemadmodum dicitur, generatas cœpisse se nosse, atque in sui nominis essentia prædicari, sed alterum quempiam Genitorem his esse, dignitatis & potentiæ gradibus satis plurimis ab Imperatore disjunctum: ejus tamen ex aula, & eminentium nobilem sublimitate natalium.

Addit infra, se nescire a quo Animæ conditæ sint, suamque ignorantiam inepta prorsus ratione tuetur. Sed si parens, etiam genitor animarum, inquitis, Deus non est, quo auctore progenitæ, & quâ sunt ratione prolatæ? Confitemur nos istud ignorare...... Sed quas Dei negamus, cujus sint debemus ostendere? Nihil istud necessariò sequitur. Non enim si negemus muscas, scarabæos, & cimices, nitedulas, curculiones, & tineas omnipotentis esse opus Regis: sequaciter postulandum a nobis est, ut quis ea fecerit institueritque dicamus. Possumus enim nulla cum reprehensione nescire qui & illis originem dederit, & obtinere non esse a Deo superiore prolata tam supervacua, tam vana, tam ad nulla pertinentia rationes, quinimò aliquando & noxia...... Consimiliter hìc quoque cùm animas renuamus Dei esse Principis prolem, non continuò sequitur, ut explicare debeamus quonam parente sint editæ, & causis cujusmodi procreatæ. Ostendit idem Auctor se hominis lapsum, humanæque naturæ per peccatum corruptionem ignorasse, cùm hos libros scripsit: siquidem non esse Auctorem animarum Deum hac unica ratione probat, quòd nihil a rerum Principe fieri possit, nisi quod sit plenum & integrum, & in suæ integritatis perfectione finitum. „ Porrò (*inquit*) consoicimus homines, id est animas ipsas, (quid enim sunt homines nisi animæ corporibus illigatæ?) fœvitate innumerabili vitiorum ipsos se indicare non esse patritii generis, sed ex mediocribus familiis procreatos. Sicut ergo hæc errorum monstra non ex Doctrina Ecclesiæ, imò nec ex rectæ Philosophiæ Scholis Arnobius hausit: sed in eorum assertione & Scripturæ Sacræ repugnat, & rationi: seque divinarum literarum penitus ignarum probat; ita si Deum non esse dixisset, qui genitus sit, & Patrem habeat, eo sensu quo Sociniani contendunt, non sequeretur hanc fuisse Christianorum fidem. Unde meritò diceremus Socinianos Arnobium quoad istud dogma sequentes, Christianos non esse; sicut ipsum sequendo in horrendis illis, quos modò exposuimus, de animæ origine & natura, erroribus, non solùm a Christiana Religione penitus alienos se probant; sed etiam a vera Philosophia & a recta ratione, quâ maximè gloriantur, atque Philosophis ethnicis, qui aliquam sibi sapientiæ laudem pepererunt, multis gradibus inferiores.

DISSERTATIO XLIII.

Adversùs Hæresim Macedonianorum.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm Spiritus Sanctus sit verus Deus, ejusdemque cum Patre & Filio majestatis & dignitatis?

PROPOSITIO.

Macedonianos Spiritus Sancti hostes Scriptura Sacra & Sanctorum Patrum testimonia profligans, ejus divinitatem, & eamdem cum Patre & Filio dignitatem atque majestatem asserentia.

Probatur prima pars ex verbis Sancti Petri, Actuum 5. ubi Ananiam sic alloquitur: *Anania cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri?* Mox cui mentitus sit declarat: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Quibus ex verbis colligitur Spiritum Sanctum verum Deum esse. Hunc locum urgent Sanctus Basilius, lib.5. *Contra Eunomium*, p.124. & lib. *de Spiritu Sancto*, cap.16. Sanctus Gregorius Nazianzenus *Oratione* 37. Sanctus Cyrillus in Thesauro Assertione 34. Theodoretus, lib.5. *Contra Hæreses, cap. de Spiritu Sancto*, Sanctus Ambrosius, lib.1. *de Spiritu Sancto, cap.4. & lib.3. cap.* 10. Sanctus Epiphanius, *Hæresi* 74. Sanctus Augustinus, *lib.3. contra Maximinum, cap.21.* & *alii*. *Spiritus Sancti divinitas ex Scripturis Sacris probata.*

Idem probant loca illa Scripturæ Sacræ, in quibus cum Spiritus Sanctus locutus esse referatur, Deus locutus esse dicitur. Ita quod Isaiæ 6. *Dominus Deus exercituum* locutus esse dicitur, *Audite audientes, & nolite intelligere*, &c. Apostolus ad Hebræos 3. *a Spiritu sancto pronuntiatum esse* dicit: *Quia benè Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad Patres nostros, dicens; Vade ad populum istum, & dic ad eos, Aure audietis, & non intelligetis*, &c. Ergo idem est Dominus exercituum ac Spiritus Sanctus. Hoc argumentum urgent Sanctus Gregorius Nyssenus, *lib.1. Contra Eunomium*, & Sanctus Basilius, *lib.4.* contra eumdem, Sanctus Cyrillus in *Excerptis de Spiritu sancto*, Proclus *Oratione* 16. Paschasius, *lib.1. de Spiritu sancto*, & alii.

Idem probatur ex Apostolo 1. *ad Corinthios* 3. ubi Fideles templum Dei vocat: *Nescitis*, inquit, *quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* & subinde *. eosdem Spiritus Sancti templum esse asserit; *An nescitis*, inquit, *quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* Ex quibus Spiritum Sanctum Deum nominari & esse colligit Sanctus Athanasius, lib. ad Serapionem de Spiritu Sancto. „ Si Spiritus creatura esset, non efficeretur per eum consociatio Dei in nobis, sed creaturæ conjungeremur, alienique a divina natura redderemur, ut nusquam ejus participes facti. Nunc ubicumque dicimur participes Christi, Dei etiam participes dicimur. Constat igitur unguentum quo imbuti sumus, & sigillum quo signati sumus, non esse naturæ rerum conditarum, sed Filii, ob Spiritum qui in eo est, qui nos coaptat Patri. Id enim * Joannes docuit: In hoc cognoscimus quod in Deo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Si autem ex præsentia Spiritus qui nobiscum est, efficimur consortes divinæ naturæ, insanierit profectò, si quis hoc dicat fieri per spiritum creatum, &

* Cap. 6.

* 1. Joann. 5.

„ non

" non per Spiritum Dei. Ob eam enim causam " in hominibus est, & ii in quibus est, deificantur. Quòd si ille deificet, ambiguum esse non " potest, quin hujus natura Dei sit natura.

Idem probatur ex eo quòd Apostolus 1. *Cor.* 12. divisa Spiritus Sancti opera, beneficiaque percensens, ea promiscuè Deo, ac Spiritui Sancto velut auctori tribuit: *Divisiones* (inquit) *gratiarum sunt, idem autem Spiritus*, &c. *& divisiones operationum sunt; idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*. Quibus singillatim enumeratis, ita concludit: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*. Quem locum ad Spiritus Sancti Divinitatem comprobandam urgent Sanctus Athanasius, *in lib. ad Serapionem*, Cyrillus *in Thesauro, Assertione* 13. & 14. Theodoretus, *lib.5. Contra Hæreses*, & alii.

Idem probant illa verba Christi, (Joannis 15.) *Cùm autem venerit Paraclitus, quem mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*. Quo ex loco Sanctus Ambrosius Spiritum Sanctum creaturam non esse probat, *lib. 1. de Spiritu sancto*, cap.7. *Sicut*, inquit, *creata dici non potest Sapientia quæ ex ore Dei procedit: nec Verbum quod eructatur ex corde; nec virtus in qua plenitudo majestatis æterna est: ita etiam creatus non potest Spiritus æstimari, qui ex ore Dei funditur, cùm ipse Deus tantam ostenderit unitatem, ut effundere se de Spiritu suo dicat*. Hinc Paschasius, *lib.1. de Spiritu sancto, cap.12.* notat Christum non dixisse, *Qui a Patre creatus est; sed a Patre procedit, id est, de paterna societate potentia, & de proprietate naturæ*. Et paulò post subjungit: *Quia ergo Spiritus sanctus a Patre procedit, tria in eo privilegia deitatis ostendit; id est, ut in persona sua subsistere, & sine ullo temporis spatio permanere, & omnino ex substantia Patris probetur existere*. Idem argumentum urgent Didymus, *lib.2. de Spiritu Sancto*, & Theodoretus, *lib.5. adversùs Hæreses*.

Idem probat forma Baptismi, in qua Deo Patri ac Filio tertius adjungitur Spiritus Sanctus, utique non adjungendus in unum cum illis dignitatis & honoris consortium, nisi Deus esset; neque in Sacramento fidei nominandus, nisi fidei nostræ esset objectum, quod creaturæ non convenit. Hoc argumentum urget Sanctus Athanasius ad Serapionem scribens *de Spiritu sancto*. Idem argumentum urgent Didymus, lib.2. de Spiritu Sancto, Sanctus Hilarius, lib.2. de Trinit. Theodoret. lib.5. contra Hæres. cap. de Spiritu Sancto. Sanctus Basilius, lib.5. contra Eunomium cap. 20. Spiritusque cum Patre & Filio invocationem *unius esse divinitatis testimonium* colligit, *quoniam nec sine Filio agit Pater, nec sine Spiritu Filius*. His Sanctus Ambrosius, lib.1. de Spiritu Sancto, cap.14. suffragatur. Ubi ex eo etiam quòd jussi sunt baptizari Fideles in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non in nominibus, colligit unum tribus nomen esse commune, quod est divinitas. Idem argumentum Sanctus Augustinus urget *Tract.6. in Joannem*.

Idem probant illa Scripturæ testimonia, in quibus Patri & Filio, ceu ejusdem consors majestatis adjungitur Spiritus Sanctus, 2. ad Corinthios 13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & caritas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis*. Et 1. ad Corinthios 16. *Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri*.

Respondebant Pneumatomachi, Deo in Scripturis Sacris quandoque creaturas adjungi, ut 1. ad Timotheum 5. *Testificor coram Deo, & Jesu Christo, & electis Angelis*, &c. Sic Exodi 14. *Crediderunt Domino, & Moysi servo ejus*. His reponebant Sanctus Athanasius, *in Epistolâ ad Serapionem*, & Sanctus Basilius, *lib. de Spiritu sancto, cap.13.* Angelos in primo loco adduci tamquam testes, quo modo ipsæ etiam rationis & sensûs expertes creaturæ quandoque advocantur, ut Isaiæ 1. *Audite cæli, & auribus percipe terra*. At verò Spiritus Sanctus locis suprà laudatis, tanquam socius, & eorum, (quæ Dei propria sunt,) efficiendorum auctor & particeps cum Patre & Filio adhibetur. In posteriori verò loco vox *servi* Moysi adjuncta; ostendit ipsum in societatem & consortium divinitatis non admitti. Quamquam verò 1. ad Corinthios 10. *in Moysem baptizati* dicantur Hebræi, nihil inde inferri potest ad elevandum argumentum, quod ex formulâ Baptismi petitur, ad Spiritus Sancti divinitatem asserendam: Dicuntur enim in Moysem baptizati, non quòd ille objectum esset Fidei ipsorum; sed quòd legem a Moyse tamquam a Mediatore datam professi essent.

Idem probat locus insignis Apostoli ad Corinthios scribentis, Epistola 1. *cap.* 2. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei*. Quo ex loco Patres colligunt Spiritum Sanctum esse Deum, ejusdemque cum Patre substantiæ. Dei namque arcana novisse, ac profunda scrutari, creata res nulla potest: & quemadmodum hominis spiritus, qui ea novit, quæ sunt hominis, ejusdem cum homine substantiæ est, non extraneus, ac peregrinus: sic Dei Spiritus a Deo alienus, eoque inferior esse non potest, qui ea quæ Dei sunt cognoscendo penetrat. Hoc argumentum Sanctus urget Athanasius, in Epistolâ ad Serapionem, Sanctus Ambrosius, lib.2. de Spiritu Sancto, cap.11. & alii. Sic inter alios Ambrosius. *Neque cum omnibus quæ per Filium facta sunt, annumerandus est Spiritus, cùm Deum Patrem noverit, quem [sicut scriptum est] quis potest nosse nisi Filius? Sed & Spiritus Sanctus novit. Quid ergo? cùm dicitur universitas creaturarum, non Spiritus Sanctus comprehenditur. Nunc velim respondeant, quid est in homine quod cognoscat quæ sunt hominis? Utique rationabile, quod cæteris animæ virtutibus supereminet, & quo præcipuè natura hominis æstimatur. Quid est igitur Spiritus, qui alta Dei novit, per quem Deus omnipotens revelatur? Numquid plenitudine divinitatis inferior est, qui ejusdem cum Patre substantiæ etiam hoc exemplo probatur? Aut aliquid ignorat, qui novit consilia Dei, & mysteria ejus ab initio abscondita? Quid est quod nesciat, qui novit omnia quæ Dei sunt? Spiritus enim etiam alta Dei scrutatur. Ac ne putes quòd scrutetur incognita, & ideò scrutetur ut discat id quod ignorat; ante præmisit, Quia revelavit nobis Deus per Spiritum suum: simul ut disceres, quia novit Spiritus quæ nobis per ipsum Spiritum revelantur, in posterioribus ait: Quis enim scit hominum, quæ hominis sunt, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Sic & quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei. Ergo si hominis spiritus novit quæ hominis sunt, & antequam scrutetur novit; potestne aliquid Dei esse, quod Spiritus Dei nesciat? De quo non otiosè Apostolus dixit: Quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei: ut non scrutando cognoverit, sed noverit per naturam. Non quòd accidens in eo scientia divinorum, sed cognitio naturalis sit. Verùm si te movet, quia dixit, Scrutatur, accipe quia id quoque de Deo scriptum est, eo quòd sit* Jerem. 17. *scrutator cordis & renum. Ipse enim dixit:* " Ego cap.4.

feru-

*scrutans corda & renes. Etiam de Filio Dei habes ad Hebræos: * Qui scrutatur est animi & cogitationis. Unde liquet, quia nemo inferior superioris scrutatur arcana. Divina enim solius est potestatis occulta novisse. Similiter ergo scrutator est Spiritus Sanctus, ut Pater, similiter scrutator ut Filius, cujus proprietate sermonis id exprimitur, ut videatur nihil esse quod nesciat, quem nihil præterit.*

Totam istius vim argumenti paucioribus verbis complectitur Sanctus Fulgentius in Responsione ad Inquisitiones Ferrandi: *Istam quippe plenitudinem cognitionis*, inquit, *sola possidet unitas naturalis, per quam sic est in Deo Spiritus ejus, ut unus sit cum illo naturaliter Deus.*

Utuntur & Patres ad probandam Spiritûs Sancti Divinitatem illis Scripturæ Sacræ testimoniis, quibus peccatum in ipsius Majestatem admissum irremissibile dicitur, *Marci* 3. *Matthæi* 12. *Lucæ* 12. Sic inter alios hæc urget loca Sanctus Ambrosius, *lib.*1. *de Spiritu Sancto*, cap.3. *Quomodo igitur inter creaturas audet quisquam Spiritum computare? aut quis sic se obligat, ut si creaturæ derogaverit, non putet sibi hoc aliquâ veniâ relaxandum? Nam si Judæi, quia adoraverant Militiam cœli, divino præsidio destituti sunt: qui autem adorat & confitetur Spiritum Sanctum, acceptus est Deo; qui non confitetur, sacrilegii reus sine veniâ damnatur: atque hinc æstimari potest, non inter omnia, sed super omnia esse Spiritum Sanctum, cujus injuria æternis suppliciis expiatur. Cur autem dixerit Dominus: Qui blasphemaverit in Filium hominis, remittetur ei; qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, nec in futurum remittetur ei; diligenter adverte. Nunquid alia est offensa Filii, alia Spiritus Sancti? Sicut enim una dignitas, sic una injuria. Sed si quis corporis specie deceptus humani, remissius aliquid sentit de Christi carne, quàm dignum est, habet culpam, non est tamen exclusus a venia, quam fide possit adsciscere. Si quis verò Sancti Spiritus dignitatem, majestatem, & potestatem abnegat sempiternam, & putet non in Spiritu Dei ejici dæmonia, sed in Belsebud, non potest ibi exoratio esse veniæ, ubi sacrilegii plenitudo est: quia qui Spiritum negavit, & Deum Patrem negavit, & Filium.*

Probatur insuper Sancti Spiritus Divinitas ex operibus, quæ cùm solus Deus edere possit, ea tamen Spiritui Sancto velut auctori tribuuntur, inter quæ sanctificatio hominum, adoptio, remissio peccatorum, principem locum obtinent. Porrò *Sanctificare nulla creatura aliam penitus potest: largitio sanctificationis, munificentia solius est Majestatis*, inquit Paschasius, *lib.*1. *de Spiritu Sancto, cap.*11. Cùm igitur proprium istud sit Spiritus Sancti, unde & *Spiritus sanctificationis* (ad Romanos 1.) & *Spiritus adoptionis* (ad Romanos 8.) & *Spiritus gratiæ*, (ad Hebræos 11.) & *in nationes gratia Spiritus Sancti effusa* dicatur [Actorum 10.] & *oblatio Gentium sanctificata in Spiritu sancto* (Roman. 15.) & *Caritas Dei diffusa sit in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis* (Roman.5.) & Deus *salvos nos fecerit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum* (ad Titum 3.) & *nemo possit dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* [1. ad Corinthios 12.] colligitur Spiritum Sanctum creaturam non esse; sed verum Deum. Hoc argumentum urget Sanctus Ambrosius, lib.1. de Spiritu Sancto, cap. 5. *Creatura* [inquit] *sanctificatur; sanctificat autem Spiritus Sanctus..... Non ergo potest sanctificatio & corruptela unius esse naturæ: & ideò non potest gratia sancti Spiritus, & creatura unius esse substantiæ. Itaque cùm omnis invisibilis, præter Trinitatem, reliqua natura, cujus rationabilem & incorpoream jure quidam substantiam putant, non impertiat spiritalem gratiam, sed acquirat; nec participet, sed assumat; separanda est utique a societate Spiritus Sancti communitas creaturæ.*

Eòdem spectant verba Christi Nicodemum alloquentis (Joann.3.) *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Et subinde: *Sic est omnis qui natus est ex Spiritu.* Quem locum Sanctus Cyrillus Alexandrinus in Thesauro, Assertione 34. cum altero ejusdem Evangelistæ comparans [cap.1.] *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*, Spiritum Sanctum esse Deum colligit. Idem testimonium urget Sanctus Ambrosius, *lib.*3. *de Spiritu Sancto, cap.*11.

Idem probant illa Scripturæ loca, quæ Spiritum Sanctum in nos effusum testantur, *Joël* 2. *Roman.*5. *Tit.*3. quibus in locis *ipsum effusionis nomen increatam Spiritus Sancti substantiam probare* contendit Dydimus, lib. 2. de Spiritu Sancto: *Neque enim Deus, cùm Angelum mittit aut aliam creaturam, Effundam dicit de Angelo meo, aut Principatu, aut Throno: in solis quippe his quæ ab aliis participantur, hic sermo consentit.* Id est, de solis accidentibus dicitur, de nulla verò substantiâ spiritali creatâ, sed de increata tantùm & divinâ dici potest. Eadem loca urget Sanctus Ambrosius, *lib.*1. *de Spiritu Sancto, cap.*7. & Paschasius, *lib.*2. *cap.*2. dicens: *Auctori tantùm debetur hoc privilegium, ut conscientiam possit intrare secretam. Anima verò animæ, aut Angelus Angelo conjungi potest, infundi non potest.*

Idem probant loca Scripturæ Sacræ, quibus viri sancti Spiritu Sancto repleti dicuntur, & Spiritus Sanctus in iis esse & manere. Act.2. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto:* & alibi passim. *Nemo autem sive in Scripturis, sive in consuetudine, plenus creaturâ dicitur. Soli divinæ naturæ convenit hic sermo;* inquit Dydimus, *lib.*1. *de Spiritu Sancto:* qui & *lib.*3. clariùs hanc propositionem explicat dicens, *Animum*, vel *mentem hominis nullam creaturam juxtà substantiam posse implere, nisi solam Trinitatem:* Quamvis *secundùm operationem, & voluntatis errorem, sive virtutem, animus de his quæ creata sunt, impleatur.* Idem argumentum urget Sanctus Ambrosius, *lib.*1. *de Spiritu Sancto, cap.*7. & pariter ac Didymus, Spiritûs Sancti divinitatem ex incircumscripta ejus substantiâ probat. *Creaturam* enim *omnem certis naturæ suæ limitibus circumscriptam esse* docet: *Spiritum verò Sanctum in omnibus, & ubique semper esse.* Quod Apostolorum confirmat exemplo. *Incircumscriptus* igitur, inquit, *& infinitus Spiritus Sanctus, qui se Discipulorum sensibus per separatarum divortia discreta regionum, remotosque fines totius orbis infundit, quem nihil potest præterire, vel fallere.*

Quod spectat Spiritus Sancti in nobis inhabitationem & mansionem, eam Christus luculentissimè descripsit Joann.14. „ Ego, *inquit*, rogabo
„ Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut
„ maneat vobiscum in æternum: Spiritum veri-
„ tatis, quem mundus non potest accipere, quia
„ non videt eum, nec scit eum: vos autem co-
„ gnoscetis eum, quia apud vos manebit, & in
„ vobis erit. *Et* 1. *Joann.*4. In hoc cognoscimus,
„ quia in ipso manemus, & ipse in nobis, quia
„ de Spiritu suo dedit nobis. SI ERGO, inquit
Sanctus Cyrillus, in Thesauro, Assertione 34.
„ inhabitante in nobis per participationem Spi-
„ ritu, Deus est qui inhabitat, ipseque in nobis
„ sit, & nos in ipso, quia Spiritum in nobis ge-
„ stamus; quomodo non erit Spiritus Deus, qui

„ totam

totam Dei ac Patris deitatem in se essentialiter continet, cujus & Spiritus est, & per Filium creaturis donatur?

„ *Et infra:* Christus alicubi de iis qui participatione deitatis digni sunt, ita ait: Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Atqui constat eum per Spiritum in sanctis habitare. Cùm ergo Spiritus Sanctus, Patris simul & Filii præsentiâ nos impleat: quomodo non sit manifestum, Spiritum a divina essentia sejungi non posse: sed ex ipsâ naturaliter emitti, & universam Patris & Filii operationem habere?

Spiritus Sancti divinitas ex Traditione confirmata.

Probatur secunda pars Propositionis, adducendo Patrum testimonia, qui Spiritus Sancti Divinitatem scriptis suis propugnarunt. Profero in primis Tertullianum lib. adversùs Praxeam, cap. 13. „ Duos, *inquit*, definimus Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu sancto, secundùm rationem œconomiæ, quæ facit numerum..... Duos tamen Deos, & duos Dominos numquam ex ore nostro proferimus; non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & Deus unusquisque, &c. *Et cap.* 4. Radix & frutex duæ res sunt, sed conjunctæ. Et fons & flumen duæ species sunt, sed indivisæ. Et sol & radius duæ formæ sunt, sed cohærentes..... Tertius & Spiritus Sanctus a Deo, & Filio, sicut tertius a radice fructus ex frutice: & tertius a fonte rivus ex flumine: & tertius a sole apex ex radio. Nihil tamen a matrice alienatur, a qua proprietates suas ducit. Ita Trinitas per consertos & connexos gradus a Patre decurrens, & Monarchiæ nihil obstrepit, & οἰκονομίας statum protegit.

Profero secundò Sanctum Athanasium in Epistolâ ad Serapionem: „ Res conditæ (*inquit*) ex non existentibus extiterunt, cùm habeant principium suæ essentiæ. Ex Deo autem dicitur Spiritus. Nemo enim, inquit, novit quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis qui, est in illo: ita quæ sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei. Nos autem non Spiritum mundi accipimus, sed Spiritum qui ex Deo est. Quę igitur, secundùm ista verba, cognatio est Spiritui sancto cum creaturis: cùm creaturæ aliquando non erant, Deus autem semper sit, ex quo Spiritus sanctus? Quod autem ex Deo est, non est ex nihilo, neque conditum quidpiam in se habere poterit.

„ *Et infra:* Spiritus iste, Spiritus sanctificationis & renovationis & est, & dicitur: creaturæ autem non dant, sed accipiunt sanctificationem & renovationem.... Quod igitur non sanctificatur ab alio, neque particeps redditur sanctificationis, sed sanctificationem impartit, in quo creaturæ omnes sanctificantur, quomodo illud fuerit unum ex vulgo rerum conditarum? Necessum enim est iis qui hoc loquuntur, dicere etiam, Filium per quem omnia sunt condita, unum esse ex hoc vulgo universitatis.

„ Spiritus quoque vivificator dicitur. Qui excitavit enim (*inquit*) Jesum Christum ex mortuis, vivificabit mortalia corpora vestra per inhabitantem in vobis Spiritum. Et Dominus est ipsissima vita, & dux, & subministrator vitæ, ut inquit Petrus. Dixit porrò illis Dominus: Aqua quam ego dabo ei, fiet in illo fons aquæ salientis in vitam æternam: hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Jam quod non aliunde particeps redditur vitæ, sed vivificat res conditas, quam habet cognationem cum creaturis?

„ Videamus tamen adhuc illam ipsam ab initio traditionem, & doctrinam, & fidem Catholicæ Ecclesiæ, quam Christus quidem dedit: Apostoli verò prædicaverunt, & Patres servaverunt. In hac enim Ecclesiâ fundamur, & qui inde excidit, neque esse, neque dici poterit Christianus. Trinitas igitur sancta & perfecta in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, rationem deitatis accipit, nihil alienum, aut foris superinductum possidet, neque ex Creatore & creatura consistit, sed tota est ex Creatore & conditore rerum, sibi similis, & naturâ indivisibilis, unaque ejus operatio. Pater enim per Verbum in Spiritu sancto omnia facit. Atque ita unitas Trinitatis servatur, & ita unus Deus in Ecclesia prædicatur, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus. Super omnia quidem ut Pater, ut Principium & fons: per omnia verò per Verbum. In omnibus porrò in Spiritu sancto.

Profero tertiò Sanctum Basilium Magnum, *lib.* de Spiritu sancto, *cap.* 9. Jam verò, *inquit*, etiam de Spiritu sancto, communes nostræ sententiæ cujusmodi sint expendamus, tum eas quæ nobis de illo e Scripturis collectæ sunt, tum eas quas Patrum traditione sine scripto accipimus. Primùm igitur qui audivit appellationes Spiritus; erigitur animo, & ad supremam naturam cogitationem attollit. Nam Spiritus Dei dictus est, Spiritus veritatis qui ex Patre procedit; Spiritus rectus, principalis; Spiritus sanctus, quæ postrema propria est illius ac peculiaris appellatio. Quod sanè nomen omnium maximè declarat id quod est incorporeum, & ab omni materia purum, atque incompositum. Quaptopter & Dominus, ut animum qui putat Deum in loco adorandum, doceat eum incomprehensibilem & incorporeum esse, Spiritus, inquit, est Deus. Proinde fieri non potest, ut qui audit Spiritûs naturam loco circumscriptam, aut mutationibus & alterationibus obnoxiam, aut omnino creaturæ similem imaginationem imprimat menti suæ: sed ad id quod summum est cogitatione proficiscens, intelligibilem substantiam cogitet necesse est, virtute infinitam, magnitudine incircumscriptam, nec temporum nec sæculorum dimensionem recipientem, nemini bona quæ habet ipsa invidentem..... sic perficientem cætera ut ipse in nullo deficiat: non aliunde partâ vitâ viventem, sed qui sit ipse vitæ largitor, nec accessionibus augescentem, sed plenum, rectum, in seipso collocatum, qui nusquam non adest, sanctificationis parentem, lucem intelligibilem, universæ potentiæ rationali ad veritatis investigationem velut illustrationem quamdam ex se se præbentem: naturâ inaccessum, sed qui capi possit ob benignitatem: omnia quidem implentem virtute, sed solis iis qui digni sunt communicabilem..... simplicem juxtà essentiam, sed potentiis varium; qui singulis totus adest, & totus ubique est, *&c.*

„ Et *cap.* 12. Proinde si in Baptismo separare Spiritum a Patre & Filio, ut periculosum est baptizanti, ita Baptismum accipienti inutile, quomodo nobis tutum fuerit a Patre & Filio distrahere Spiritum? Fides ac Baptisma duo sunt modi parandæ salutis inter se cognati & inseparabiles. Nam fides perficitur per Baptismum, Baptismus verò fundamento fidei nititur, & utraque res per has voces impletur. Sicut enim credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, sic & baptizamur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Et *cap.* 16. Spiritus Sancti cum Patre & Filio communionem probat ex rerum creatione, ac intelligibilium præsertim substantiarum: „ In ho-

„ rum

„ rum autem creatione, *inquit*, cogita mihi prin-
„ cipalem causam eorum quæ fiunt, Patrem,
„ dein conditricem Filium, perfectricem Spiri-
„ tum sanctum: ut vol ntate quidem Patris sint
„ administratorii Spiritûs, Filii verò operatione
„ perducantur ut sint, Spiritûs autem adventu
„ perficiantur. Porrò Angelorum perfectio est san-
„ ctificatio, & in hac perseverantia. Ac nemo me
„ credat tres originales substantias ponere, aut
„ Filii operationem imperfectam esse. Principium
„ enim eorum quæ sunt, unum est, per Filium
„ condens, per Spiritum sanctum perficiens.

Id confirmat sacro oraculo Psalmi 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* In quo tria intelligi monet, *Mandantem Dominum, creans Verbum, & confirmantem Spiritum sanctum. Quæ porrò*, inquit, *alia possit esse confirmatio, quàm in sanctimonia perfectio, confirmationis verbo significante constantiam, immutabilitatem, ac soliditatem in bonis? Sanctificatio verò non est absque Spiritu: neque enim caelorum virtutes suapte naturâ sancta sunt. Nam si id esset, nullâ re differrent a Spiritu sancto.*

Et infra, omnes Providentiæ divinæ dispositiones circa hominem in Spiritum sanctum refundit: Cæterum, *inquit*, dispositiones circa ho-
„ minem, quæ factæ sunt a magno Deo & Ser-
„ vatore nostro Jesu Christo, juxtà bonitatem Dei
„ & Patris, quis negabit per Spiritus gratiam
„ esse peractas? Sive igitur velis prisca spectare,
„ veluti Patriarcharum benedictiones, auxilium
„ per legem datum, figuras, Prophetias, forti-
„ ter in bellis gesta, miracula per Sanctos edi-
„ ta: sive quæ circa Christi in carne adventum
„ dispensata sunt: per Spiritum gesta sunt om-
„ nia. Primò enim adfuit ipsi carni Dominicæ,
„ dum illi factus est unctio, & inseparabiliter
„ conjunctus, sicut scriptum est: Super quem vi-
„ deris Spiritum descendentem, & manentem su-
„ per eum, hic est Filius meus dilectus. Dein-
„ ceps omnis actio præsente Spiritu sancto pera-
„ gebatur. Hic aderat simul cùm & a diabolo ten-
„ taretur. Deductus est, inquit, Jesus a Spiritu
„ in desertum ut tentaretur. Tum edenti mira-
„ cula simul aderat. Si enim, inquit, in Spiri-
„ tu ejicio dæmonia. Nec deseruit excitatum a
„ mortuis. Dominus enim qui renovabat homi-
„ nem, eique reddebat gratiam, quam & affla-
„ tu Dei acceptam amiserat, cùm inspirasset in
„ faciem Discipulorum, quid ait? Accipite Spi-
„ tum sanctum, &c. Jam verò Ecclesiæ ordo &
„ gubernatio nonne palam & citra contradictio-
„ nem per Spiritum sanctum peragitur? Ipse, in-
„ quit, dedit Ecclesiæ, primùm Apostolos, dein-
„ de Prophetas, tertiò Doctores, &c. *Addit*, Ne
„ in tempore quidem apparitionis de cælo Do-
„ minicæ, quam expectamus, otiosum fore Spi-
„ ritum sanctum, sed simul adfuturum in die quo
„ se manifestabit Filius. Quis enim adeò igna-
„ rus est bonorum, quæ Deus præparavit dignis,
„ ut nesciat justorum coronam esse Spiritûs be-
„ neficium, quod tum largiùs perfectiùsque da-
„ bitur, spirituali gloriâ cuique pro rectè gestis
„ distributâ?

Deinde, hanc Christi Domini contra servum nequam comminationem: *Dividet eum, & partem ejus ponet cum hypocritis*, non ita intelligendam esse ait, quasi dimidium hominis peccatoris pœnis addicatur, aut duas in partes secetur anima; *Sed dissectio animæ*, inquit, *est perpetua a Spiritu sancto alienatio. Nunc enim tametsi non admiscetur indignis, attamen aliquo pacto videtur adesse semel baptizatis, expectans ut ad salutem convertantur. Tum verò in totum ab anima, quæ gratiam ipsius profanaverit, resecabitur. Eoque non est in inferno qui confiteatur, neque in morte qui memor sit Dei: quod jam non adsit sancti Spiritus adjutorium. Quomodo igitur intelligi potest absque Spiritu sancto fieri judicium, cùm Scriptura sacra declaret, Spiritum esse Justorum præmium, quando pro arrhabone exhibebitur quod perfectum est?*

Et cap. 21. Spiritûs sancti divinitatem ex eo probat, quòd *Dominus* in Scripturis appelletur, quodque homines in iisdem vocentur templum Dei. *An Scriptura*, inquit, *admisit unquam ut servile domicilium appellatione templi honoraret?* Id etiam probat ex eo quòd sacra Scriptura *divinitus inspirata* dicatur, *eo quòd afflatu Spiritûs scripta sit.*

Et cap. 22. probat Spiritum sanctum cum Patre & Filio Deum unum esse, non solùm ex hoc quòd easdem habet appellationes, & in operationibus consors est Patri & Filio: *Verùm etiam ex eo quòd pariter atque illi, incomprehensibilis est intellectu.*

Denique Sanctus Basilius Divinitatem Spiritus sancti probat ex Hymno Glorificationis, quo tribuebatur ab omni Ecclesia *Gloria Patri cum Filio, & cum Spiritu sancto*: vel *per Filium in Spiritu sancto.* Utramque enim glorificandi formulam Sanctus usurpavit Basilius, utramque propugnavit adversùs eos qui negotium ipsi propterea facessebant, quod utramque indifferenter usurparet. Hinc 25. libri laudati capite, ostendit primò hanc syllabam, *in*, idem significare ac illam conjunctionem, *cùm*, secundùm Scripturæ sacræ phrasim; atque adeò Hæreticos Scripturam sacram in alienum & pravum detorquere sensum, cùm hunc loquendi modum usurpant (*in Spiritu sancto*) ut Spiritum sanctum inferiorem Patre & Filio obtrudant. *At ego*, inquit, *nequaquam dixerim hanc syllabam, in, sensum minùs honorificum, imò potiùs, si sanè accipiatur, ad maximam Spiritûs celsitudinem erigere mentem, quandoquidem observavimus hanc frequenter usurpari pro, cum, quod genus est illud; Ingrediar domum tuam in holocautomatibus, pro eo quod erat, cum holocautomatibus: &, Eduxit eos in argento & auro; pro, cum argento & auro.*

Secundò asserit Sanctus Basilius indifferentem esse utriusque vocis usum, si sano sensu usurpetur; ac pluribus explicat, quomodo, *cum* eamdem vim habeat, quam, *Et*, nec ita facilè ab Hæreticis carpi possit. *Nos enim*, inquit, *ambas dictiones e Fidelium usu mutuati, ambabus utimur, Glorificationem quidem ex æquo per utramque impleri persuasi: iis verò qui depravant veritatem, magis obturari os credimus propositâ dictione, quæ cùm vim habeat Scripturis congruentem, non ita facilè ab adversariis carpi potest. Est autem hæc cui non ab istis contradicitur, quæ pro, Et, conjunctione sumitur: nihil enim refert utrùm dicas, Paulus, & Sylvanus, & Timotheus, an, Paulus, cum Timotheo, & Sylvano. Nominum enim connexio utraque pronuntiatione similiter servatur. Itaque, si cùm Dominus diceret, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ipse dicam, Patrem & Filium cum Spiritu sancto, nihil diversum dixero, quod ad sententiæ vim attinet.*

Tertiò, ostendit hanc conjunctionem, *cum*, majorem vim habere, quàm, *Et*, quia non solùm Sabellianos, ut illa, jugulat, sed & Arianos confodit. *Etiam rationem reddam*, inquit, *juxtà quam Patres nostri non otiosè simul amplexi sint hujus præpositionis usum. Nam præterquam quòd hæc idem valet quod, Et, ad refellendam Sabellii malitiam, & similiter atque illa conjunctio personarum proprietatem declarat, velut; Ego & Pater veniemus; Ego & Pater unum sumus: eximium habet sempiternæ communionis, ac perpetuæ conjunctionis testimonium. Nam qui dixit, cum Patre Filium esse, simul &*

personarum proprietatem, & inseparabile consortium expressit.

Cap.26. demonstrat hanc syllabam, *in*, apprimè tribui Spiritui sancto in Glorificatione, ac duplicem ex illa consurgere sensum, utrumque Ortodoxum. *Coterùm*, inquit, *magis pium est dicere eum esse cum Patre & Filio, quàm inesse Patri. Nam gratia ab eo manans, habitante in iis qui digni sunt, ac suas operationes in illis exercente, rectè dicitur inesse iis qui sunt illius capaces. At illius subsistentia, qua fuit ante sæcula, nec umquam desitura perpetuitas cum Filio & Patre considerata, sempiternæ potentiæ & conjunctionis requirit appellationes .... Proinde quoties peculiarem Spiritûs dignitatem intelligimus, cum Patre & Filio ipsum esse contemplamur. Ubi verò gratiam in iis qui Spiritûs participes sunt, sentimus, in nobis esse Spiritum dicimus. Et quæ a nobis defertur glorificatio Spiritui, non habet professionem dignitatis illius, sed nostræ imbecillitatis confessionem: Dum ostendimus quòd nec idonei sumus a nobis ipsis glorificare, sed sufficientia nostra est in Spiritu sancto, in quo corroborati, pro beneficiis acceptis Deo nostro gratias absolvimus, juxtà quòd a malitia purgati sumus. Secundùm unum igitur modum, sic piè gratiarum actionem in Spiritu persolvimus.*

Alter autem intellectus est, nec ipse rejiciendus, quòd sicut in Filio videtur Pater, sic Filius videtur in Spiritu. Itaque adoratio quæ fit in Spiritu, animis nostris velut in lucem adductis vim suam fugerit, ut discere licet ex his quæ Samaritanæ dicta sunt. Dominus enim adorationem, quo juxtà regionis illius consuetudinem erat usitata, suâ doctrinâ abrogans; in Spiritu, inquit, & veritate oportet adorare; nimirum seipsum appellans veritatem. Quemadmodum igitur in Filio dicimus adorationem, velut in imagine Dei ac Patris: sic & in Spiritu sancto dicitur, tamquam in seipso Domini Divinitatem exprimente.

Cap.27. inter se non pugnare asserit utramque dictionem, *in Spiritu*, & *cum Spiritu*, sed utramque peculiarem intellectum ad pietatem afferre. *Siquidem præpositio, in, magis denotat Dei societatem nobiscum: at præpositio, cum, exprimit communionem Spiritûs cum Deo: ideòque vocibus ambabus usi sumus, alterâ quidem dignitatem Spiritûs exprimentes; alterâ gratiam, quæ nobis ab illo est, declarantes... ... Confirmat autem rationem nobis Apostolus indifferenter utrâque voce usus, interdum ita loquens: In nomine Domini Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. Et rursus: Congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi: nihil interesse ratus ad nominum conjunctionem, sive utaris conjunctione, sive præpositione.*

Denique, cap. 29. cùm veneranda esse vetusta dogmata dixisset, quòd ob antiquitatem & canitiem quamdam habeant quid reverendum: celeberrimos Patres laudat, qui indiscriminatim his vocibus usi sunt, nihilque referre existimarunt ad rectam pietatis intelligentiam, quibus quis uteretur. Laudat itaque Irenæum, Clementem Romanum, Dionysium Alexandrinum, Eusebium Palæstinum, Origenem, Julium Africanum, Gregorium Taumaturgum, Firmilianum, Meletium Ponticum, qui hunc loquendi morem passim in Glorificatione usurparunt. Laudat etiam sui temporis morem, & omnium Ecclesiarum consuetudinem, quæ Patrem cum Filio & Spiritu sancto glorificabant. *Sed quid opus est*, inquit, *vetera commemorare? Imò nunc qui sunt Orientales, nonne hoc uno potissimùm piè sentientes agnoscunt, hâc voce veluti signo suos ab alienis dijudicantes? Ut autem ego a quodam Mesopotamo audivi, viro & lingua erudita, & mentis integra, neque fieri potest ut linguâ vernaculâ aliter loquantur, etiamsi velint; sed necesse illis est, ut per syllabam, Et, vel potiùs per æquipollentes usi voces, juxtà proprietatem linguæ regionis illius, glorificationem offerant. Quin & Cappadoces sic juxtà regionis morem loquimur. Quid porrò Occidens totus propemodum ab Illyrico usque ad fines nostri Orbis? Nonne hanc vocem tuetur? Qui fit igitur ut ego sim innovator, & recentiorum verborum architectus, cùm totas Nationes, & civitates, & consuetudinem omni hominum memoriâ vetustiorem; insuper & Viros Ecclesiæ columnas, & omni scientia ac virtute Spiritûs venerandos, duces & defensores hujus vocis exhibeam?*

Profero quartò Sanctum Gregorium Nazianzenum *Oratione* 37. dicentem: *Si Spiritus adorandus non est, quomodo me Deum per Baptismum efficit? Si autem adorandus, an non colendus & venerandus? Si porrò venerandus? an non Deus? Unum uni cohæret, ac verè aurea quædam & salutaris est hæc catena. Et quidem a Spiritu regenerationem habemus, a regeneratione instaurationem, ab instauratione cognitionem dignitatis illius, a quo instaurati sumus. Atque hæc sunt, quæ ab eo afferri queant, qui Spiritus Divinitatem nullo Scripturæ loco niti concesserit. Jam verò tibi auctoritatum examen prodibit, ex quibus Scripturæ testimonia admodum confirmatam esse Spiritûs divinitatem ostendetur. Sic autem expende. Nascitur Christus, præcurrit Spiritus. Baptizatur ille, hic testimonium fert. Tentatur ille: hic abducit. Miracula edit ille, hic comitatur. Ascendit ille, hic succedit. Quid enim adeò magnum & divinum est, quod non ipse possit? Quod tam divinum nomen est, quo non excepto ingeniti & geniti nomine appelletur?*

Proferò quintò Concilium Constantinopolitanum primum, Oecumenicum secundum, adversùs Macedonianos congregatum quod in Symbolo profitetur sancti Spiritus divinitatem his verbis: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum: qui locutus est per Prophetas.* Lib.1.c.

Et in Epistolâ Synodicâ ad Episcopos Occidentis, centum quinquaginta Patres sic loquuntur: *Etenim ista Fides, tum a nobis, tum a vobis, tum ab omnibus qui verbum veræ Fidei non pervertunt, approbari debet; quippe cùm & antiquissima sit, & lavacro Baptismatis consentanea, & nos doceat credere in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, æqualem dignitatem, & coæternum regnum, in tribus perfectissimis hypostasibus, sive in tribus perfectis personis, adeò ut neque quidquam loci detur pestiferæ Sabellii Hæresi, quâ confunduntur personæ; neque blasphemia Eunomianorum, Arianorum, aut eorum qui Spiritum sanctum oppugnant quidquam habeat ponderis: quæ quidem essentiam, naturam sive divinitatem discindit, & Trinitati quæ increata, & consubstantialis, & coæterna est, naturam posterius genitam, aut creatam, aut quæ sit alterius essentiæ inducit.*

Matth.

Lucæ 1

Profero sextò Synodicam Damasi Romani Pontificis Epistolam anno Christi 382. datam ad Paulinum Antiochenum, cum e Romana Synodo rediens, unà cum Ascolio Thessalonicæ substitisset. Hac in Epistolâ, quam describit Theodoretus, *lib.5. Historiæ Ecclesiasticæ cap.11.* Pneumatomachi his verbis confodiuntur. *Et quia post Concilium Nicænum hic error inolevit, ut quidam ore sacrilego auderent dicere, Spiritum Sanctum factum esse per Filium, anathematizamus eos, qui non tota libertate proclamant, eum, cum Patre & Filio unius potestatis esse atque substantiæ. Anathematizamus Arium atque Eunomium, qui pari impietate, licèt sermone dissimili Filium & Spiritum Sanctum asserunt esse creaturas. Anathematizamus Macedonia-*

Cap. 11. 12. & 1

Cap. 14.

Cap. 15.

1. Joann. 1.

nianot, qui de Arii stirpe venientes, non perfidiam mutavere, sed nomen ...... Si quis non dixerit semper Patrem, semper Filium, semper Spiritum sanctum fuisse & esse, anathema sit.

Si quis non dixerit Spiritum sanctum de Patre esse verè ac propriè, sicut Filius de divina substantia, & Deum verum, anathema sit.

Si quis non dixerit omnia posse Spiritum sanctum, omnia nosse, & ubique esse, sicut Filium & Patrem, anathema sit.

Si quis dixerit Spiritum suuctum facturam esse, aut per Filium factam, anathema sit.

Si quis non dixerit omnia per Filium qui incarnatus est, & Spiritum sanctum, Patrem fecisse, id est, visibilia & invisibilia, anathema sit.

Si quis non dixerit, Patris & Filii, & Spiritus sancti unam Divinitatem, potestatem, majestatem, potentiam, unam gloriam, dominationem, unum regnum, atque unam voluntatem ac veritatem, anathema sit.

Si quis tres personas non dixerit veras, Patrem & Filium, ac Spiritum sanctum, æquales, semper viventes, omnia continentes, visibilia & invisibilia; omnipotentes, omnia judicantes, omnia vivificantes, omnia facientes, omnia salvantes, anathema sit ..... Si quis non dixerit Spiritum sanctum adorandum ab omni creatura, sicut Filium, & Patrem, anathema sit.

Si quis de Patre, & Filio bene senserit, de Spiritu autem sancto non rectè habuerit, * *Hæreticus est: quia omnes Hæretici de Filio Dei, & Spiritu sancto malè sentientes, in Judæorum atque Gentilium perfidiâ inveniantur.*

Profero septimò Sanctum Ambrosium in libris *de Spiritu Sancto*, e quibus has rationes deflora-
Lib.1.c.5. vimus. *Omnis mutabilis creatura: sed non mutabilis Spiritus Sanctus. Neque enim aliquo vitio mutari potest, qui omnium abolet vitia, peccata condonat. Quomodo ergo mutabilis, qui sanctificando alios mutat ad gratiam, nec ipse mutatur? Quomodo mutabilis qui bonus semper est? Neque enim umquam malus Spiritus sanctus, per quem nobis quæ bona sunt, ministrantur: Unde & Evangelistæ duo, in uno eodemque loco, diversis quidem inter se verbis, sed eadem designarunt. Habes enim in Matthæo: Si vos cùm sitis mali, nostis,*
Matth. 7. *bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester qui in cælis est, dabit bona petentibus se? Secundùm Lucam autem invenies ita scriptum:*
Lucæ 11. *Quantò magis Pater vester de cælo dabit Spiritum sanctum petentibus se? Advertimus ergo bonum esse Spiritum Sanctum Domini judicio, Evangelistarum testimonio: quando alius pro sancto Spiritu bona, alius pro bonis sanctum Spiritum nominavit.*

Cap. 11. 12. & 13. II. Ratio. * *Una gratia, una Caritas, una communicatio est Patris & Filii & Spiritûs sancti*, ex Scripturâ Sacra. *Una ergo operatio est; Et ubi una operatio est, utique non potest virtus esse divisa, discreta substantia. Nam quomodo operationis ejusdem gratia conveniret?*

Cap. 14. III. Ratio. * *Unum nomen est Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Scriptum est enim: Ite, baptizate gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti ...... Una Divinitas, una Majestas est, quia unum nomen.* Ostendit autem inter Filium & Spiritum sanctum nominum esse commu-
Cap.15. nionem Sanctus Ambrosius. * Nam Paraclitus appellatur Filius, sicut & Spiritus sanctus: unde
1. Joann. 2. Christus ait: *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Et S. Joannes ait: * *Si quis peccaverit, Paraclitum habemus apud Patrem, Jesum Christum.* Ita enim legit Sanctus Ambrosius, ubi nos legimus: *Advocatum habemus apud Patrem.* Et Spiritus sanctus veritas etiam nominatur, sicut Christus. (1. Joannis 5.) *Quoniam Spiritus est veritas.* Ita legit S. Ambrosius, ubi legimus *Quoniam Christus est veritas.* Sed (ut verum fatear) vel in mendosos Codices incidit S. Ambrosius, in quibus hoc testimonium mutilum esset, vel ipsum memoria fefellit. Ita enim habet S. Joannes: *Et Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas.* Ostendit deinde quod *Sicut* Cap. 16. 18. 19. &
Pater lumen, ita etiam Filius lumen, & Spiritus 20.
sanctus lumen est. Quod utique divina potentia est. Quòd *sicut Pater vita, & Filius vita, & Spiritus sanctus vita est.* Quòd *sicut Pater fons vitæ est, ita & Filius, & Spiritus sanctus.* Quòd *sicut Pater flumen, ita & Filius, ita & Spiritus sanctus. Neque enim civitas Dei illa Jerusalem meatu alicujus fluvii terrestris alluitur, sed ille ex vitæ fonte procedens Spiritus sanctus, cujus nos brevi satiamur haustu, in illis cælestibus Thronis, Dominationibus, & Potestatibus, Angelis & Archangelis, redundantiùs videtur effluere, pleno septem virtutum spiritalium fervens meatu. Si enim fluvius riparum editis superfusus exundat, quantò magis Spiritus omnem supereminens creaturam, cùm reliqua tamquam inferiora nostræ mentis arva perstringat, cælestem illam creaturarum naturam effusiore quadam sanctificationis ubertate lætificat?*

IV. Ratio. Spiritus sanctus est Virtus, sicut Filius & Pater. Unum est Patris, & Filii, & Spiritus sancti consilium. Vivificat Spiritus sanctus Lib. 2.
sicut Pater & Filius: *Vivificare autem quis abnuat* cap.2.3.4
esse majestatis æternæ? Spiritus sanctus Creator est 5. & 6.
omnium, sicut Pater & Filius, nec quidquam nisi cum Spiritu sancto Deus omnipotens Pater intelligitur operatus: quandoquidem & in principio creaturæ Spiritus superferebatur super aquam: *Si igitur creator est Spiritus, non est utique creatura. Creaturam enim Apostolus Creatoremque divisit, dicens, Servierunt creaturæ potiùs quàm creatori. Simul Creatori admonet serviendum, damnando eos qui serviunt creaturæ. Et quoniam creatorem Spiritum noverat, docet eidem serviendum, dicens: Nos*
enim sumus Circumcisio, qui Spiritui Deo servimus. Cap. 8.

V. Ratio. *Spiritus Sanctus qui creavit Dominicæ Incarnationis Sacramentum, quod super omnes est creaturas, quomodo esse potest creatura?*

Idem urget apparitionem Spiritus sancti super Lib. 3.
Christum, in ejus Baptismo, in Columbæ specie cap. 1.
descendentis: quod factum esse ait, *Ut per speciem crederet, qui Spiritum non videbat: & per speciem declararet, unius honoris in imperio, unius operationis in mysterio, unius muneris in lavacro, cum*
Patre & Filio sibi esse consortium. Additque * Spi- Cap. 55.
ritum sanctum descendisse in specie columbæ, *Ut & Sapientia testimonium fieret, & Sacramentum lavacri spiritalis impleret & unius se cum Patre & Filio operationis ostenderet.*

Profero octavò Sanctum Augustinum, lib.3. *contra Maximinum Arianum*, cap.3. *Objicis mihi*, inquit, *quòd dicam Spiritum sanctum æqualem esse Filio. Dico planè. Da, inquis, testimonia ubi adoratur Spiritus Sanctus ...... Quales homines estis quàm religiosæ humilitatis, qui Spiritum sanctum adorare non vultis, cùm legatis: Litera occidit, Spiritus autem vivificat? Non vultis ergo adorare, quem vivificare animas non negatis ...... Sed da, inquit, testimonia, ubi adoratur Spiritus sanctus, quasi non ex iis quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus, intelligamus. Sed ne quærere multa compellar, tu ubi legisti Patrem Deum ingenitum vel innatum? Et tamen verum est. Quod verò aliquoties dixisti, etiam Filio esse incomparabilem Patrem, nec legitur, nec verum est. Si autem religionem quâ colitur Deus, sicut dignum est, cogitares, multò plus esse cerneres quòd habet Spiritus sanctus templum, quàm si eum legeres adoratum: & homines enim a Sanctis novimus adoratos. Templum*

verò non est factum ab hominibus, nisi aut vero Deo, sicut Salomon fecit, aut iis qui pro Diis habentur, sicut gentes qua ignorant Deum. Spiritus autem sanctus [quod cum magno honore de Deo dictum est] non in manufactis templis habitat, sed corpus nostrum templum est Spiritus sancti. Et ne corpora nostra contemnas, membra sunt Christi. Qualis ergo est Deus, cui templum adificatur, & a Deo, & de membris Dei? Lege etiam Sanctum Fulgentium, lib.3. *ad Trasamundum*, *cap.35.*

Macedonianorum Objectionibus respondetur.

Objicies primò. Spiritus Sanctus nusquam Deus in Scripturis sacris nominatur: nusquam adorandus vel invocandus legitur: ergo noo est Deus. Confirmatur. In plurimis Scripturæ locis, Ubi Patris, & Filii, nonnunquam & Angelorum fit mentio, nulla fit Spiritus sancti: ergo non est Deus, aut persona a Patre, & Filio distincta, sed sola Dei summi energia.

Respondeo primò, distinguo antecedens: Nusquam Deus nominatur, &c. expressè, ita ut hujusmodi enuntiationes *Spiritus sanctus est Deus*, *Spiritus sanctus est adorandus*, totidem verbis in Scriptura sacrâ legantur, concedo; ita ut ex Scripturæ sacræ testimoniis Spiritui sancto tribuentibus, quæ soli Deo convenire possunt, evidenter non colligantur, nego. Respondeo secundò, dato & non concesso antecedente, nego consequens. Non enim necesse est omnia fidei dogmata in Scripturis exprimi, quoniam *Ex iis qua legimus, aliqua etiam qua non legimus, intelligimus*, ut Sanctus Augustinus ait huic argumento a Maximino proposito respondens. Sic respondet & Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 37. quæ est de Spiritu sancto: *Rursum undenam tu voces illas tuas, ingenitum, & auarchum * accepisti, aut nos etiam immortalis vocem? Hoc nominatim & expressè ostende, ac ea vel rejiciemus, quia in Scripturâ non extant, vel expungemus. Nonne perspicuum est, hac de iis sumpta esse ex quibus colliguntur, tametsi minimè dicantur? ..... Quid causa est cur litera tantopere servias, Judaicaque sapientia teipsum adjungas, relictisque rebus, syllabas consecteris?*

** Id est principii expers.*

Sic respondet & Sanctus Basilius, lib. *de Spiritu Sancto*, cap.29. *Si nihil aliud est receptum absque Scripturis*, inquit, *ne hoc quidem recipiatur. Sin plurima arcana citra Scripturam a nobis recepta sunt, cum aliis pluribus etiam istud admittamus. Arbitror autem Apostolicum esse, etiam non scriptis Traditionibus inhærere.*

Cur autem Spiritus sancti Divinitas subobscurè sit sacris in Scripturis prædicata, præclarè exponit Sanctus Grægorius Nazianzenus Oratione mox laudatâ. Id ut exequatur, præmittit: ,, Duo Te-
,, stamenta non repente, nec ad primam aggres-
,, sionis impulsionem commutata esse, ne vi per-
,, traheremur, sed persuasione adduceremur. *Deum*
,, *proinde* Pædagogi cujusdam & medici more, pa-
,, trios ritus partim subtraxisse, partim concesf-
,, sisse, *ait*, nonnihil videlicet hominum volup-
,, tati indulgentem quemadmodum Medici ægro-
,, tantibus, ut medicamentum suavioribus rebus,
,, arte temperatum & edulcatum admittant. Ne-
,, que enim facile est ab iis, quæ longo usu, &
,, diuturno tempore in honore ac pretio fue-
,, runt, ad alia transilire. Ergo primùm subla-
,, tis simulachris, sacrificia permisit. Deinde sub-
,, motis sacrificiis, circumcisionem minimè pro-
,, hibuit. Ac postea, ut semel sibi subtrahi ali-
,, quid æquo animo tulerunt homines, jure quo-
,, que sibi concesso, hoc est, illi sacrificiis, hi
,, circumcisione cesserunt, atque ut ex Ethnicis
,, Judæi, ita ex Judæis Christiani facti sunt, per
,, mutationes paulatim ad Evangelium pellecti.
,, Hujus rei tibi fidem faciat Paulus, qui ex eo
,, quòd circumcidebat, ac purificabatur, eò tan-
,, dem progressus est ut diceret: Ego autem,
,, Fratres, si circumcisionem prædico, quid adhuc
,, persecutionem patior? Illud consilii erat &
,, dispensationis; hoc perfectionis. Huic exem-
,, plo Divinitatis doctrina comparari potest, nisi
,, quòd contrario modo res procedit. Illic enim
,, ex subtractione mutatio fiebat: hic autem ex
,, accessione, atque incremento ad perfectionem
,, ventum est. Sic enim se res habet. Vetus Te-
,, stamentum Patrem apertè prædicabat, Filium
,, obscuriùs: Novum autem nobis Filium perspi-
,, cuè ostendit; & Spiritus Divinitatem subobscu-
,, rè quodammodo indicavit. Nunc verò Spiritus
,, ipse nobiscum versatur, seseque nobis apertiùs
,, declarat. Neque enim tutum erat, Patris di-
,, vinitate nondum confessâ, Filium apertè præ-
,, dicari: nec Filii divinitate nondum admissâ.
,, Spiritum sanctum, velut graviorem quamdam
,, (si ita loqui fas est) sarcinam nobis ingeri;
,, ne alioqui, velut cibis ultra vires gravati, ac
,, solis radiis hebetes oculos adjicientes, iis quo-
,, que, quibus præditi eramus, viribus pericli-
,, taremur: quin tacitis potiùs accessionibus, &
,, ut David loquitur, ascensionibus, atque ex glo-
,, riâ in gloriam progressionibus & incrementis,
,, Trinitatis lumen splendidiùs illuceret. Ob hanc
,, causam ad Discipulos quoque sigillatim se con-
,, fert, ad excipientium videlicet captum, mo-
,, dulumque sese impartiens, nimirum in Evan-
,, gelii principio virtutes perficiens, post Chri-
,, sti passionem insufflatus, post Ascensum in
,, igneis linguis apparens. Quin etiam ab ipso
,, Jesu paulatim declaratur. Rogabo Patrem, in-
,, quit, & alium Paraclitum mittet vobis, Spiri-
,, tum veritatis. Quæ quidem verba eò dixit, ne
,, adversarius quispiam Dei esse, aut quasi ab aliâ
,, quadam potestate sermonem facere videretur.
,, Postea Mittet quidem, cæterùm, in nomine
,, meo. Hic omisso rogandi verbo, mittendi ver-
,, bum retinuit. Mox, Mittam: ut propriam au-
,, ctoritatem ostendat. Tum denique, Veniet: quo
,, verbo Spiritùs potestas indicatur.

Addit Sanctus Gregorius Nazianzenus. ,, Ha-
,, bebat quædam Salvator, quæ a Discipulis, li-
,, cèt alioqui multiplici doctrina implerentur,
,, tunc tamen portari posse negabat. Ac rursus
,, dicebat fore ut ab adveniente Spiritu omnia
,, edocerentur. Ego unum ex eorum numero es-
,, se censeo ipsam Spiritus sancti Deitatem in po-
,, sterum apertiùs declarandam, tum videlicet,
,, cum, jam post Salvatoris in integrum restitu-
,, tionem, matura, & perceptibilis esset ipsius co-
,, gnitio, utpote cui, ob tam insigne miraculum,
,, fides non jam abrogaretur. Quid enim hoc ma-
,, jus vel ille polliceri, vel hic dicere potuisset;
,, si modò magnum aliquid existimandum est,
,, Deique magnificentiâ dignum, quod promitte-
,, batur, vel docebatur?

Ad confirmationem respondeo, nego consequens. Non enim necesse est ut dum unius aut alterius personæ fit mentio, omnium fiat. Satis est ad confitendum Spiritus sancti Divinitatem, ibi eum ad duas alias adjungi personas, ubi nullum creaturæ consortium admitti potest, nempe in forma Baptismi. Adde, Scripturam sacram, cum de ipsâ formulâ Baptismi loquitur, sæpe unius dumtaxat personæ nominatim meminisse: *Quicumque* [inquit] *in Christo baptizati estis. Christum induistis*; nec propterea in solius Christi nomine baptizati fuerunt Galatæ. Sic qui baptizati *in nomine Domini Jesu*, passim in Actis Apostolorum dicuntur, in Patris etiam & Spiritus sancti nomine baptizati intelligendi sunt. Ad hæc: multis in Scripturæ locis prædicatur Sancti Spiritus pote- Galat 3.

stas

stas, in quibus vel de Patre, vel de Filio nihil expressit, sed iotelligendum reliquit. *Nunquid ergo cùm gratia Spiritus prædicatur, Dei Patris, aut unigeniti Filii denegatur? Non ita: quia sicut Pater in Filio, & Filius in Patre, ita etiam diffusa est caritas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Et sicut qui benedicitur in Christo, benedicitur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quia unum nomen, potestas una: ita etiam ubi operatio aliqua divina, aut Patris, aut Filii, aut Spiritus designatur, non solùm ad sanctum Spiritum, sed etiam ad Patrem refertur & Filium: nec solùm ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur & Spiritum.* Ita Saoctus Ambrosius. Sicut ergo cum ait Apostolus, *Omnes in uno Spiritu baptizatos esse*, non excludit Patrem & Filium, quia una est trium Personarum operatio; ita cùm dicit, *Ex Patre omnia, & per Filium omnia*, Spiritum sanctum noo excludit, ob eamdem rationem.

S. Ambros. lib. 2. de Spiritu Sancto, cap. 3.

Objicies secundò. Qui non loquitur a semetipso, sed audit quid loqui debeat, instar Legati qui ab alio instruitur, & qui ab alio accipit, non est verus, & summus Deus: sed Spiritus sanctus non loquitur a semetipso, sed audit quid loqui debeat, instar Legati qui ab alio instruitur, & ab alio accipit, scilicet a Filio; ergo Spiritus sanctus non est verus & summus Deus.

1. Cor. 12.

Probatur minor ex verbis Christi, Joan. 16. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audit loquetur, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

Respondeo; nego minorem. Non enim istius loci sensus est quòd Spiritus sanctus ea tantùm loqui possit, quæ audit, instar Legati qui ab alio mittitur & docetur; sed quòd scientiam non habeat a seipso, sicut nec essentiam, sed a Patre & Filio, a quibus procedit. Spiritum igitur sanctum audire vel discere a Patre & Filio, nihil aliud est quàm procedere. Ab eo autem accipit ut a principio, non ut a caosa: quæ cum unius veri summique Dei notione non pugnant. Audire præstat duo Ecclesiæ lumina SS. Ambrosium & Augustinum hoc testimonium exponeotes. Præibit Ambrosius, lib. *de Spiritu sancto*, cap. 12. *Ubi*, inquit, *ostensio Spiritus, ibi Dei virtus: nec potest esse discretio, ubi opus unum est; & ideò quod loquitur Filius, loquitur & Pater, & quod Pater loquitur, loquitur & Filius, & quod loquitur Pater & Filius, loquitur & Spiritus sanctus. Unde & de Spiritu Filius Dei dicit: Non enim loquetur a se, hoc est, non sine mea, & Patris communione. Neque enim divisus ac separatus est Spiritus, sed quæ audit loquitur: audit videlicet per unitatem substantiæ, & per proprietatem scientiæ. Neque enim foraminibus aliquibus corporalibus recipit auditum, & quibusdam divinæ modulis carnalibus vox resultat, vel audit id quod ignorat; quoniam in rebus humanis scientiam plerumque auditus operatur: & tamen nec in ipsis hominibus semper alloquium corporale, aut carnalis auditus est. Qui enim loquitur linguis non hominibus loquitur, sed Deo. Nemo enim audit: Spiritu autem loquitur, mysteria*, inquit Apostolus 1. ad Corinth. 14...... *Quid est ergo, Non enim a se loquitur? Hoc est, non sine me loquitur, qui loquitur veritatem, sapientiam aspirat. Non sine Patre loquitur, quia Dei Spiritus est: Non a se audit, quoniam ex Deo omnia. Omnia accepit a Patre Filius, quia ipse dixit: Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Omnia Patris habet Filius, quia iterum ait: Omnia quæ Pater habet, mea sunt. Et quæ accipit ipse per unitatem naturæ ex ipso per eamdem unitatem accipit & Spiritus sicut ipse Dominus Jesus declarat de Spiritu suo dicens: Propterea dixi: De meo accipiet, & annuntiabit vobis. Quod ergo loquitur Spiritus, Filii est: quod dedit Filius, Patris est. Ita nihil a se aut Filius loquitur, aut Spiritus, quia nihil extra se Trinitas loquitur.*

Sanctus verò Augustinus, *Tractatu 99. in Joannem*, sic locum illum exponit. *Non ergo loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur. Ab illo audiet, a quo procedit. Audire, illi scire est: scire verò, esse. Quia ergo non est a semetipso, sed ab illo a quo procedit, a quo illi est essentia, ab illo scientia, ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud quàm scientia.*

Objicies tertiò. Qui scrutatur profunda Dei, non est verus summusque Deus. Nemo enim dicitur scrutari ea, quorum clarissima & perfectissima notitia ipsi primò inest, & quæ ab ipsomet primò constituta sunt & decreta. Atqui Spiritus sanctus scrutatur profunda Dei: ergo non est verus summusque Deus. Probatur minor ex Apostolo 1. Cor. 2. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum, Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

Respondeo, distinguo maiorem. Si scrutari propriè sumatur, prout inquisitionem significat eorum quæ occulta sunt, & ignota, concedo: si sumatur, tropicè, prout idem est ac perfectè nosse; non obscurè, & quasi perfunctoriè, nego. Hoc autem secundo modo Spiritus sanctus dicitur scrutari profunda Dei. Sic Deus cui cordium nostrorum omnino explorata sunt arcana, *Renes & corda scrutari* dicitur. Sed præstat audire Sanctum Ambrosium libro 2. *de Spiritu sancto cap. 11.* hunc locum interpretatione sua illustrantem, cujus verba superiùs dedimus. *Similiter ergo scrutator est Spiritus sanctus ut Pater, similiter scrutator ut Filius, cujus proprietate sermonis id exprimitur, ut videatur nihil esse quod nesciat, quem nihil præterit.*

Objicitur quartò Veterum silentium, qui Spiritum sanctum Deum appellandum esse noo dixerunt. Neque enim Sanctus Hilarius in duodecim *de Trinitate* libris ipsum disertè Deum nominavit, quod observavit Erasmus Præfatione in Hilarium: & sanctus Basilius œconomia & dispensatione quadam Dei nomen suppressit, cùm de Spiritu sancto loqueretur, quod non fecisset, si dogma Fidei existimasset assertionem Divinitatis Spiritus sancti. Hanc autem Magni Basilii œconomiam laudat, Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 20. *Sed tamen*, inquit, *propriam & apertam vocem interim usurpare differebat, tum ab ipso Spiritu, tum ab aliis etiam sinceris ipsius propugnatoribus gratiam petens, ac rogans ne hoc suo consilio offenderentur: nec omitterent, ut dum unam voculam mordicus retinere conarentur, propter inexplebilem cupiditatem omnia perderent, convulsa nimirum turbulentissimo tempore, ac distracta pietate. Ipsos enim nihil ex eo incommodi ac detrimenti accepturos, si dictiones paululum immutentur, modò aliis verbis eadem doceantur: neque enim salutem nostram in sermone magis quàm in rebus consistere: quippe cùm ne Judæi quidem rejicendi sint, si ad aliquod tempus, pro Christo vocem Uncti sibi concedi postulantes, religioni nostræ assentiri vellent. At Reipublicæ non posse majorem pestem ac perniciem afferri, quàm si ab Hæreticis occuparetur Ecclesia.*

Respondeo, SS. Hilarium, Basilium, & quosdam alios Veterum, qoamvis Spiritum sanctum nominatim Deum non appellaverint, Deum tamen, & credidisse, dum ea ipsi tribuerunt, quæ veri summique Dei propria suot, & in creaturam non cadunt: oam Sanctus Hilarius ipsum non esse creatum constanter affirmat, *lib. 12. de Trinitate*

ate ubi sic Deum Patrem compellat: *Magna mihi erga res tuas religio est: neque quia te solum innascibilem, & unigenitum ex te natum sciens, genitum tamen Spiritum sanctum non dicturus sim, dicam umquam creatum. Hujus ego dicti, quod mihi cum cæteris a te substitutis commune est, ad te quoque prorepentis timeo contumeliam. Profunda tua Spiritus sanctus tuus, secundùm Apostolum, scrutatur, & novit: & interpellator pro me tuus inenarrabilia a me tibi loquitur: & ego natura sua ex te per Unigenitum tuum manantis, potentiam creationis nomine non modò non eloquar, sed etiam infamabo? Nulla te nisi res tua penetrat: nec profundum immensæ majestatis tuæ, peregrina, atque aliena a te virtutis causa metitur. Tuum est quicquid te init; neque alienum a te est, quicquid virtutis scrutantis inest.* Spiritum sanctum igitur creaturam esse disertè negavit Sanctus Hilarius; sed & ipsum expressè Deum asseruit *Commentar. in Matth.* enarrans illa verba: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.* Sub hac autem formula verborum eos baptizandos juberi, ait Sanctus Hilarius, *Ut quorum est una Divinitas, sit una largitio, nomenque Trinitatis unus est Deus.*

S. verò Basilius Divinitatem Spiritus sancti propugnavit acerrimè, ut ex probationibus compertum est, nec prudens ipsius œconomia Catholico ullatenus officit dogmati, quia idem erat Spiritum sanctum negare creaturam, ac Deum asserere; nec vocibus, sed rebus nostra Religio Fidesque astringitur. Unde nec centum quinquaginta secundæ Synodi œcumenicæ Patres, in Fidei Symbolo, Deum Spiritum sanctum, appellarunt. Sicut ergo Catholici habiti sunt, qui Filium ex Patris substantia genitum profitebantur, quamvis ὁμοούσιον Patri dicere renuerent, & ὁμοιούσιον dumtaxat prædicarent, quia rem camdem hoc vocabulo significabant, quam alii voce ὁμοούσιος; ita Sanctus Basilius Spiritum sanctum Deum interdum non appellans, sed tamen creatum negans, Divinitatis illius constans & perpetuus assertor nihilo seciùs putandus est. Sed & Patres Basilio & Hilario antiquiores eidem Catholico suffragati sunt dogmati, nimirum S. Dionysius Alexandrinus in responsione ad Propositiones Pauli Samosateni, dicens: *Non impune feret is, qui adversùs benignum Spiritum sanctum blasphemus est. Spiritus autem est Deus.* Et in Epistolâ ad eumdem Hæresiarcham: *Nisi enim esset Christus Deus Verbum non potuisset non esse peccato obnoxius. Nullus enim non obnoxius est peccato, nisi unus Christus ut & Pater Christi, & Sanctus Spiritus.*

Et ante Sanctum Dionysium Alexandrinum Sanctus Irenæus, lib. 5. adversùs Hæreses, cap. 6. ait, *Per manum Patris, id est, per Filium, & Spiritum sanctum, factum esse hominem secundùm similitudinem Dei.* Et cap. 12. distinguens Spiritum sanctum ab afflatu illo, quo Adamus animatus est, ait: *Afflatus temporalis, Spiritus autem sempiternus.*

Obiicies quintò. Gemitus & oratio Deo non conveniunt: atqui gemitus & oratio conveniunt Spiritui sancto: ergo Spiritus sanctus non est Deus.

Probatur minor ex Apostolo ad Romanos 8. *Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus. Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundùm Deum postulat pro Sanctis.*

Respondeo, nego minorem. Ad eius probationem respondeo, nonnullos Veterum, præeunte Sancto Chrysostomo, hunc locum interpretari vel de Spiritu hominis, quatenus gratiam orationis a Spiritu Sancto accepit; vel de ipso orationis dono, quod hominibus a sancto Spiritu infusum est. Nam Spiritus sancti dona in Scripturis Sacris Spiritus sancti nomine significari solemne est. Unde & Spiritum precum legimus, *Zachariæ 12. cap.* Hunc itaque locum exponunt de dono orationis, quo in primitiva Ecclesia quidam instructi, pro universo populo, qui alioqui sæpe per ignorantiam inutilia postularet, precabantur; quorum in locum postea Diaconus pro populo supplicans successerit. His consonat Sanctus Ambrosius, qui *lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 12.* Spiritum hîc interpretatur gratiam spiritalem.

At eos sequendo Patres, qui hunc locum Apostoli de ipsa sancti Spiritus persona exponunt, respondeo, ipsum dici pro nobis postulare, & ingemiscere, quòd efficaci sua in nobis operatione nos orantes faciat, nosque doceat orare & gemere. Ita exponit Origenes. *Ubi*, inquit, *viderit Spiritus Dei laborantem spiritum in adversando carni, & adhærendo sibi, porrigit manum, & adjuvat infirmitatem ejus: & velut si Magister suscipiens ad rudimenta Discipulum, & ignorantem penitus literas, ut eum docere possit, & instituere, necesse habet inclinare se ad Discipuli rudimenta, & ipse priùs dicere nomen literæ, ut respondendo Discipulus discat, & fit quodammodo Magister incipienti Discipulo similis, ea loquens, & ea meditans, quæ incipiens loqui debeat, ac meditari: Ita & sanctus Spiritus, ubi oppugnationibus carnis perturbari nostrum spiritum viderit, & nescientem quid orare debeat secundùm quòd oportet, ipse velut Magister orationem præmittit, quam noster spiritus, si tamen Discipulus esse sancti Spiritus desiderat, prosequatur: ipse gemitus offert, quibus noster spiritus discat ingemiscere, ut repropitiet sibi Deum. Si verò Spiritus quidem doceat, & noster spiritus, id est, mens nostra non sequatur, suo vitio infructuosa ei sit magistri doctrina. ...... Quòd autem dicit, Quia Spiritus interpellat, hoc est, quod edocet non minimam dispensationem per Spiritum sanctum in hominibus geri.*

Sic etiam exponit Sanctus Augustinus, Epistolâ 121. *Dictum est*, inquit, *Interpellat pro Sanctis, quia interpellare Sanctos facit, sicut dictum est: Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis eum, hoc est, ut scire vos faciat. Interpellare itaque Sanctos facit gemitibus inenarrabilibus, inspirans eis desiderium etiam adhuc incognitæ tantæ rei, quam per patientiam expectamus. Quomodo enim narratur, quando desideratur quod ignoratur? Nam utique si omni modo ignoraretur, non desideraretur: & rursus si videretur, non desideraretur, nec gemitibus quæreretur.*

Obiicies. Si postulat Spiritus sanctus pro nobis, quia postulare nos facit: igitur & Pater pro nobis postulat, siquidem & ille postulare nos facit. Atqui ut Pater pro nobis postulare dicatur, piæ aures non sustinent: igitur Spiritus sanctus non eo duntaxat sensu postulare dicitur pro nobis, quòd postulare nos faciat.

Respondeo, nego consecutionem majoris. Sicut enim Pater non dicitur mitti (licèt ea operatio ad quam persona aliqua divina mittitur, exempli gratiâ, sanctificatio hominis, sit toti Trinitati communis) propterea quòd necesse sit personam quæ mittitur, a mittente procedere, a qua videlicet cum operatione simul accipit & naturam: Ita de hac postulatione dicendum: quæ quamvis significet effectum in hominibus, quem etiam Pater, imò tota Trinitas operatur, non tamen tota Trinitas postulare rectè dicitur: sed ea tantùm persona, quæ accipit ab alia, ut faciat homines postulantes. Etenim ut mitti, sic & postulare, respicit alterum, a quo vel recipitur aliquid, vel

ex-

expectatur; quod Patri convenire non potest. Ita hunc nodum solvit doctissimus Estius Commentario in hunc locum Apostoli.

Objicitur sextò. Si Spiritus Sanctus est Deus, aut ingenitus est, aut genitus. Si ingenitus, ergo duo erunt principii expertes. Si autem genitus, aut ex Patre genitus est, aut ex Filio. Si ex Patre, duo igitur sunt Filii, ac fratres: si ex Filio, jam Deum nepotem habebimus.

Respondeo, nego consecutionem majoris. Medium quiddam enim datur inter ingenitum esse, & genitum, scilicet procedere, quod sancti Spiritus proprium est. Ita respondet Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 37. „ Quoniam, *inquit*, divisionem tuam primam, qua inter ingenitum & genitum nihil medium esse arbitraris, haudquaquam admittimus, protinus tibi cum præclara tua divisione fratres illi & nepotes peribunt. Ubi enim quæso, pones id quod procedit, quod quidem inter duas divisionis tuæ partes interjectum esse constat, atque a Theologo multò te præstantiori, nimirum a Christo, introducitur? Nisi fortasse vocem illam, propter tertium tuum Testamentum, ex Evangeliis sustulisti, Spiritus Sanctus qui a Patre procedit. Qui, quatenus ab illo procedit, creatura non est: quatenus rursus genitus non est; Filius non est: quatenus autem inter ingenitum & genitum medius est, Deus est. Quæ est ergo hæc Processio? (inquies) Dic tu, quæ Patris ingenitura sit, & ego Filii generationem, & Spiritûs processionem explicare aggrediar, ut ambo mentis vesaniâ præcipites agamur, in Dei mysteria oculos injicientes: idque qui tandem? Nempe qui ne ea quidem, quæ ante pedes sunt, scire, nec arenam maris, aut pluviæ guttas, & dies sæculi enumerare possumus, nedum in Dei profunda penetrare, naturæque adeò arcanæ, atque omnem orationis facultatem superantis rationes reddere. Quid ergo est, inquiunt, quod Spiritui deest ad hoc ut sit Filius? Nisi enim aliquid deesset: Filius esset. Deesse nihil dicimus. Non enim Deo quidquam deest. Verùm manifestationis, ut ita dicam, mutuæque eorum relationis differentia, diversa quoque ipsis nomina procreavit.

DISSERTATIO XLIV.

ADVERSUS AERIUM.

De Episcoporum supra Presbyteros Eminentia Divino Jure instituta.

Qua refellitur Liber DAVIDIS BLONDELLI, Calvinistæ, inscriptus, APOLOGIA S. HIERONYMI.

PResbyteros Episcopis cùm Ordine, tum Jurisdictione, æquales esse, si jus divinum spectetur, Protestantes acerrimè propugnant. Hunc errorem a Calvino Magistro suo renovatum Salmasius, Blondellus, aliique ex eadem secta, totis viribus, quamquam infelici conatu, editis libris tueri sunt aggressi. Præiverant Calvino Witclefsus, Albigenses, Waldenses, quibus Præceptoribus Calviniani, Lutheranique gloriantur. Horum omnium antesignanus Aërius, cujus inter hæretica dogmata Sanctus Epiphanius Hæresi 75. hoc recenset, quòd nullum Episcopum inter & Presbyterum discrimen agnoverit. Hunc errorem suscipio refellendum; etsi non ignorem viros eruditos ut P. Petavium Societatis Jesu Professorem & alios in Blondello impugnando laudabilem operam posuisse. Cùm enim ipsius librum, inscriptum *Apologia S. Hieronymi*, attentiùs accuratiùsque perlegissem & expendissem ipsum ab eruditis illis Auctoribus omni ex parte non fuisse confutatum animadverti, sed plurimas gravissimasque objectiones fuisse neglectas, & absque responsione præteritas. Id me movit, ut Opus istud Scriptoris, cujus in Calviniana Secta ob eruditionem summa est nominis celebritas, singillatim excuterem, ac refellerem; divinamque Episcopalis Ordinis & auctoritatis supra Presbyteratum eminentiam contra veritatis fideique hostes propugnarem. Quod ut majori perspicuitate præstem, Catholicam Propositionem statuo;

PROPOSITIO.

EPiscopos jure divino Presbyteris esse superiores sacra Scriptura & Traditio disertè testantur.

§. I.

Catholici Dogmatis probatio ex Scriptura Sacra.

EPiscopos Jure divino Presbyteris esse superiores, invictè probatur Scripturæ Sacræ testimoniis, scilicet ex Apostolo ad Titum 1. scribente: *Hujus rei gratiâ, reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Certè superior erat Titus iis quos constituebat, & Civitates multas, quantùm ad Religionem Christianam attinet, administrabat, quod Episcoporum proprium est, & sine præfectura quadam non potest intelligi. Cùm itaque hoc illi præcepisset, reique gerendæ ordinem tradidisset S. Paulus, consequens est institutionem Episcoporum præceptum esse divinum ab Apostolis promulgatum, & ipsis viventibus executioni mandatum. Præterea, etsi daremus Sectariis Timotheum non fuisse Episcopum singularem, id est, alicui urbi addictum, sed Apostolum secundi Ordinis, id est, Apostolorum Coadjutorem, ut ipsi exponunt, non minùs colligitur ex hoc Apostoli testimonio singulares Episcopos ab Apostolis constitutos fuisse, atque ordinatos, qui singulares Ecclesias regerent. Nomine quippe Presbyterorum hìc intelligendos esse Episcopos, quales adulta habuit Ecclesia, Græci Interpretes auctoritatis maximæ asserunt. Ita sanctus Chrysostomus Homil. in Epistolam ad Titum; ubi de sancto Paulo sic loquitur: *Ea quidem in quibus pericula plurima & difficultates erant, præsens peragebat. Quæ verò honoris magis quàm laboris habebant, Discipulo permittebat, Episcoporum scilicet Ordinationes, & cætera, quæ aliqua correctione indigebant, atque per sessione majore. Et constitueres*, inquit, *per Civitates Presbyteros. Episcopos hìc intelligi vult, neque enim profectò vult Insulam totam uni viro permitti, sed unicuique propriam curam ac sollicitudinem indici.* Ita Oecumenius in eumdem locum: *Hunc*, inquit, *reliquerat* [S. Paulus Timotheum] *ut singulis Civitatibus constitueret Episcopos, cùm eum priùs creasset Episcopum. Singulis civitatibus Presbyteros. Neque enim volebat totam Cretæ insulam, quæ magna erat, uni commissam esse Episcopo, sed singulas civitates suum habere Pastorem. Presbyteros autem vocat Episcopos.* Ita Theophylactus in hunc locum: *Episcopos hìc ait, quemadmodum in Epistolâ ad Timotheum. Per Civitates autem*, inquit. *Noluit enim universam insulam uni commissam esse, sed quamlibet*

urbem propriam habere Pastorem. Sic enim & labor levior esset, & cura exactior. Et certè cùm in Creta Insula quam Paulus ad finem converterat, Civitates plus minùs centum essent, palam est, phrasi ista non unam, sed plurimas Civitates intelligendas esse, quarum omnium Metropolita Titus ipsis Episcopos ex Sancti Pauli mandato præfecit. Quòd autem Titus singularis Episcopus fuerit, affirmat Eusebius libro 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 4. *Timotheus*, inquit, *Ephesinæ Ecclesiæ Episcopatum primus accepisse dicitur: quemadmodum etiam Titus Insulæ Cretæ Ecclesiarum Episcopus fuisse memoratur.*

Idem probatur ex 1. ad Timoth. cap. 3. *Fidelis sermo: si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse*, &c. Istud de singularibus Episcopis dictum esse, qui a Presbyteris distincti erant, ipsisque superiores, sanctus Chrysostomus, & Theodoretus agnoscunt, quibus Theophylactus succinit. Ita quippe sanctus Chrysostomus hunc locum exponens Homilia 10. in Epist. ad Timoth. *Dicturus*, inquit, *de Episcopatus officio, cujusmodi esse Episcopum deceat, indicat. Neque id quasi Timotheum admonens, sed ut omnibus simpliciter loquens, ac per illum quid conveniat omnibus dictans. Si quis*, inquit, *Episcopatum desiderat, non culpo, non improbo, opus quippe regiminis est. Si quis hunc idcirco appetit, non principatus ac dominationis fastu, verùm curâ regiminis, & charitatis affectu, non improbo, inquit; bonum quippe desiderat opus ..... Facit autem hoc Paulus non absque ratione, qui ejusmodi monitis utitur: verùm quia & Timotheo ipsi cura incumbebat Episcopos ordinandi, sicut & Tito, quem etiam de hujusmodi admonet. Et quia par erat plurimos ejus rei desiderio allici, idcirco tantâ illum diligentiâ pingit, ut qui se ad eam rem præparare vellent, ad quantum virtutis celsitudinem sibi eundeundum esse agnoscerent.*

Et infra: *Quid sibi, quæso, vult, quod de Episcopo disserens, ipsum oportere non ebrium esse dixit, sed hospitalem, cùm longè excellentiora pro celsitudine gradûs exigere debuisse videntur? Cur enim non ait, Oportet autem Episcopum Angelum esse, nulli humanæ perturbationi, vitiove subjectum? Cur non item magna Christi illa Præcepta ab Episcopo requirit, quæ etiam subditis necessariò inesse debent, scilicet circumferre crucem suam, atque in manibus habere animam semper pro fratribus exponendam? Cæterùm his omnibus omissis, oportere ait non esse vinolentum. Præclara sanè spes, si de hujusmodi Episcopum, oporteat admoneri. Verùm quæ sæcularibus jussit, ea Episcopo implenda non jubet. Quid enim illis ait? Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt ...... Cur igitur hæc in Episcopo requirenda non dixit? Quia perpaucos hujusmodi inveniri fas erat, Episcopis autem plurimis tunc opus fuit, qui per singulas Civitates magistri constituerentur. Ne igitur Ecclesiæ negotia fructusque perirent, idcirco moderatam virtutem proposuit inquirendam, non supremam illam atque cælestem.*

Et Homil. 11. rationem afferens cur Apostolus prætermissis Presbyteris, post Episcopos Diaconorum statim meminerit, ait id ipsum fecisse. *Quia inter Episcopum atque Presbyterum interest ferme nihil. Quippe & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est: & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt. Sola quippe Ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantùm plusquam Presbyteri habere videntur.* Apostolus itaque ex interpretatione sancti Chrysostomi, Presbyteros omisit, dum sacrorum Ministrorum dotes recenseret, non quòd iidem tunc essent Presbyteri & Episcopi, vel potiùs idem Presbyteratus & Episcopatus, sed quòd longum inter eos discrimen non esset, solàque Ordinationum potestate superiores essent Presbyteris Episcopi: & quòd eædem dotes utrisque essent necessariæ. Ergo Apostolicis temporibus, & in ipsis rei Christianæ exordiis Episcopi jure divino superiores Presbyteris erant, quibus scilicet data erat hæc potestas Presbyteros ordinandi, quæ Presbyteris data non erat. Chrysostomi vestigia pro more sequitur Theophylactus.

Theodoretus verò licèt has leges Presbyteris primò positas agnoscat, qui temporibus Apostolicis Episcopi vocabantur, cùm ii qui postea Episcopi vocati sunt, dicerentur Apostoli: adjicit tamen manifestum esse, *Quòd has leges oportet primos servare Episcopos, qui majorem dignitatem sortiti sunt.*

Idem probat alter locus ex eadem Epistolâ, cap. 5. *Adversùs Presbyterum*, inquit Apostolus, *accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue ut & cæteri timorem habeant.* Sive enim Presbyter ibi nomen sit ætatis, non dignitatis, & ad seniorem quemvis hæc Apostoli verba pertineant, contra quem non ita facilè recipienda est accusatio, ut Chrysostomus & Theophylactus interpretantur, sive sit Ordinis Ecclesiastici nomen, ut vult Theodoretus, perspicuum est Apostolum his verbis exprimere officium & auctoritatem Judicis in subditos. Igitur Episcopus, qualis Timotheus erat, ex institutione divina auctoritatem habet juris in Ecclesia dicendi, quam in Presbyteros & in omnes Christianos exequatur peccantes coram omnibus arguendo, & pœnis Ecclesiasticis castigando noxios, puta excommunicatione, aut pœnitentiâ publica.

Idem probat sanctus Epiphanius Hæresi 75. ex versu 1. ejusdem capitis, quo Apostolus sic Timotheo jubet: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem.* Ubi nomine senioris Presbyterum intelligens prout Ecclesiastici nomen Ordinis est, hæc habet: *Quid autem attinebat Episcopo vetare, ut ne Presbyterum objurgaret, nisi majorem ipse potestatem obtineret? Quare deinceps admonet: Adversùs Presbyterum citò accusationem ne admiseris, nisi duobus, tribusve testibus. Non alicui ex Presbyteris præcepit, ut accusationem contra Episcopum non admitteret, aut Episcopum non objurgaret.*

Denique singulares Episcopos per Civitates in ipsis Ecclesiæ exordiis, & cùm superstites adhuc essent Apostoli, constitutos fuisse, probatur ex Apocalypsi sancti Joannis, ubi ex mandato Christi Epistolæ scribuntur ad septem Ecclesiarum Angelos, id est, Episcopos. Ibi enim Angelorum nomine Episcopos intelligi, consentiunt Interpretes. Ita Auctor Commentarii in Epistolas sancti Pauli sancto Ambrosio olim adscripti in 1. Cor. c. 11. ubi explicans quod Apostolus ait, debere mulierem *Velamen habere supra caput propter Angelos*: Per Angelos Episcopos intelligi scribit, *Sicut docetur in Apocalypsi Joannis.* Auctor etiam Commentarii in Apocalyps. sub ejusdem Ambrosii nomine, septem Angelos *Rectores septem Ecclesiarum* interpretatur, adeòque *omnes Rectores Ecclesiæ Catholicæ* in numero septenario. Huic interpretationi subscribunt Venerabilis Beda, Rupertus, Richardus a Sancto Victore, & recentiores universi. Hoc Angeli titulo summum Sacerdotem Judæorum insignitum fuisse, ex Malachia satis notum est. *Ille enim*, inquit, *Angelus Domini exercituum est.* In Concilio Calchedonensi Act. 11. dicitur: *A Sancto Timotheo ad hoc tempus viginti septem Episcopi in Epheso ordinati sunt.* Ex quibus patet, vel Timotheum ipsum, vel ejus Successorem, hunc ipsum Angelum fuisse, de quo Apocal. 2. dicitur: *Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe*

be

be. Idem de Smyrnensis Ecclesiæ Angelo affirmat Sanctus Irenæus, libro 3. cap. 3. Polycarpum scilicet, quem ipse puer senem viderat, non solùm *Ab Apostolis ad fidem conversum, & cum multis, qui Christum viderant, versatum, sed & ab Apostolis in Asiam missum, in Ecclesia Smyrnensi Episcopum constitutum esse*. Itaque Polycarpum intelligendum esse nomine Angeli, de quo dicitur Apocal. 2. *Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe*, omnino verisimile est. His de Angelis Tertullianus, libro 4. adversùs Marcionem, cap. 5. *Habemus*, inquit, *Joannis alumnas Ecclesias. Ordo Episcoporum ad originem recensendus in Joannem stabit Auctorem*. Valeant itaque Novatores, qui Angelorum nomine Ecclesias in Apocalypsi significatas obstinatè contendunt. Certè Joannes Angelos istos ab Ecclesiis apertè discernit, dum istas sub alio schemate, nempe *Candelabrorum septem* exhibet. Præterea quæ de Angelis illis dicuntur, singularibus personis, non Ecclesiis totis conveniunt, ut legenti & expendenti patet.

§. II.

Catholici Dogmatis probatio ex S. Ignatii Martyris Epistolis.

Episcopos jure divino Presbyteris esse superiores, Traditio confirmat ab Apostolis ad nos derivata, quæ promicat primò in genuinis sancti Ignatii Epistolis, quas Vossius ex Codice Mediceo descripsit: sic enim habet Vir Apostolicus invictusque Martyr in Epist. ad Ephesios, *Etenim Jesus Christus inseparabilis nostra vita, Patris est sententia, ut & Episcopi per terræ terminos definiti, ex Jesu Christi sunt sententia. Unde decet vos in Episcopi sententiam concurrere, quod & facitis. Nam memorabile vestrum Presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum est Episcopo, ut chordæ citharæ*.

Ibidem. *Siquidem singuli communiter omnes, ex gratia, nominatim convenitis in una fide, & uno Jesu Christo, secundùm carnem ex genere Davidis, Filio hominis, & Filio Dei: ut obediatis Episcopo, & Presbyterio mente indivulsa; frangentes Panem unum, qui Pharmacum immortalitatis est, Antidotum ne moriamur, sed vivamus semper in Jesu Christo*. Et rursus: *Episcopi secundùm fines terræ determinati Jesu Christi sententiâ sunt*.

Et in Epistolâ ad Magnesianos. *Sed & vos decet*, inquit, *non familiariùs ac superbè uti ætate Episcopi, sed secundùm virtutem Dei Patris omnem impertiri illi reverentiam, quemadmodum novi sanctos facere Presbyteros, non respicientes ad apparentem juvenilem Ordinationem, sed ut prudentes in Deo cedentes ipsi, non ipsi autem, sed Patri Jesu Christi, omnium Episcopo. In honorem igitur illius qui vult, decet vos obedire sine ulla hypocrisi: quia neququam Episcopum hunc quis fallit qui videtur, sed illudit invisibili..... Decet itaque non modò vocari Christianos, sed etiam esse: quemadmodum nonnulli Episcopum quidem nominant, sed sine ipso omnia faciunt. Tales verò non bona conscientia mihi præditi esse videntur*.

Et infra: *Hortor ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere, Episcopo præsidente Dei loco, & Presbyteris loco Senatus Apostolici, & Diaconis mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi*.

Et infra: *Quemadmodum igitur Dominus sine Patre nihil fecit, ipsi unitus, neque per seipsum, neque per Apostolos; ita neque & vos sine Episcopo & Presbyteris quidquam agite*.

Ibidem. *Studete igitur ut confirmemini in dogmatibus Domini & Apostolorum..... Cum dignissimo Episcopo vestro, & dignè contexta spirituali corona Presbyterii vestri, & secundùm Deum agentibus Diaconis*.

Et in Epistolâ ad Trallianos: *Cuncti similiter revereantur Diaconos, ut mandatum Jesu Christi: & Episcopum ut eum qui est figura Patris, Presbyteros autem ut consessum Dei, & ut conjunctionem Apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur*.

Et in Epistolâ ad Philadelphios. *Operam igitur detis*, inquit, *ut unâ Eucharistiâ utamini. Una enim est caro Domini nostri Jesu Christi, & unus Calix in unitatem Sanguinis ipsius: unum altare, sicut unus Episcopus, cum Presbyterio, & Diaconis conservis meis, ut quod facitis secundùm Deum faciatis*.

Ibidem. *Clamavi cùm interessem, locutus sum magna voce, voce Dei: Episcopo attendite & Presbyterio, & Diaconis. Quidam autem suspicati sunt me ut præscium divisionis quorumdam hæc dicere. Testis autem mihi is est in quo vinctus sum, quòd a carne humana non cognoverim, sed Spiritus annuntiavit, dicens ista: Sine Episcopo nihil facite*.

Et in Epistolâ ad Smyrnæos. *Omnes*, inquit, *Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem; & Presbyterium, ut Apostolos. Diaconos autem revereamini ut Dei mandatum. Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad Ecclesiam spectant. Rata Eucharistia habeatur illa, quæ sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit. Ubi comparuerit Episcopus, ibi & multitudo sit: quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi Catholica est Ecclesia. Non licet sine Episcopo baptizare, neque Agapen celebrare: sed quodcumque ille probaverit, hoc & Deo est beneplacitum.... Bene habet Deum Episcopum respicere. Qui honorat Episcopum, a Deo honoratus est. Qui clam Episcopo aliquid agit, diabolo præstat obsequium*.

Et in Epistola ad Polycarpum, sic ipsum alloquitur. *Post Dominum tu viduarum curator esto: nihil sine sententia tua fiat. Si quis se plus Episcopo scire putet, corruptus est. Decet autem & ducentes uxores, & quæ ducuntur, ex sententia Episcopi unionem facere.... Episcopo attendite, ut & vobis Deus attendat. Ego animam meam libenter eorum loco substitui cuperem, qui Episcopo, Presbyteris, Diaconis obsequuntur*. Denique Episcopos, Presbyteros, Diaconos simul alloquens: *Collaborate invicem*, inquit, *ut Dei œconomi, aut dispensatores* (sic Episcopos) *ut assessores* (sic Presbyteros) *& Ministri* (sic Diaconos nuncupat.) Epistola inscribitur: *Polycarpo Smyrnensis Ecclesiæ Episcopo*.

Ex his patet, sancti Ignatii temporibus constitutos fuisse Episcopos a Presbyteris distinctos, iisdemque jure divino superiores.

Respondet Blondellus, Sanctum Ignatium has Epistolas non scripsisse, sed tanti sub larva nominis ab aliquo impostore secundo Sæculo confictas. Idem ante Blondellum responderat Salmasius. Idem post ipsum Dallæus, & recentior ex eadem secta ipsius vindex: sed invictissimis argumentis refelluntur, quibus illas Ignatio vindicavimus Dissertatione 20. in Historiam Ecclesiasticam primi Sæculi, ubi & adversariorum objectiones diluimus. Sed enim quæ præterea objiciunt, quæque ibi sunt a nobis ut levioris momenti prætermissa, futilia planè & inania sunt.

Scilicet has Epistolas impugnat Salmasius sub Walonis Messalini larva personatus, quòd in iis Dominicæ diei observandæ Traditio habeatur. Sed non animadvertit Dominicæ mentionem a Sancto Joanne factam esse Apocal. 1. & a Sancto Luca unam Sabbathorum memorari, qua cum panis fractione cœtus cogebantur (Act. 20. 7.)

quaqoe collectæ ad usum egenorum seponi a Paulo jubebantur (Cor.16. v.1.)

Secundò impugnat istas Epistolas ex eo capite quòd Episcopus *ἀρχιερεὺς* *Pontifex* dicatur, in Epist. ad Philadelph. Sed Christus ipse, non Episcopus, isto Pontificis nomine intelligendus est, nec quidpiam Ignatius peccasse existimabitur, nisi sanctus Paulus in Epist. ad Hebræos eadem accusatione opprimendus sit.

Tertiò arguit, quòd altarium nomen pro mensis usurpet. Imperitè prorsus. Nam altare inter Judæos a Deo ipso disertè mensa vocatur. (Ezechiel. cap.41. v.22.) *Altare ligneum trium cubitorum*, &c. *& dixit mihi, Hæc est mensa quæ est coram Domino*. Sic & Malach.1. v.7. *Obtulistis profanum Panem super altari meo, & dicitis, in quo profanavimus te? In eo quod dicatis, Mensa Domini vilis est*. Sic sanctus Cyprianus mensam, cujus in Proverbiis mentio est, per altare Christi tanquam per notius & sæculo suo accommodatius explicandam censuit Epist.63. ad Cæcilium. *Sed & per Salomonem*, inquit, *Spiritus sanctus typum Dominici Sacrificii ante præmonstrat, immolatæ hostiæ; & panis & vini, sed & altaris & Apostolorum faciens mentionem. Sapientia*, inquit, *ædificavit sibi domum*, &c. *& paravit mensam suam*, &c. (Proverb.3.) Sed & ab ipso Christo in concione, non coram promiscua Judæorum multitudine, sed solis Discipulis cum eingentibus habita, Matth.5. v.24. talis altaris mentio fit, ut ab ea vocem hanc Ecclesia Christi accepisse meritò existimetur.

Quartò has Epistolas Ignatio abjudicat Salmasius ob Laicorum, & Clericorum distinctionem. Sed nec Laicorum & Clericorum voces in Codice Mediceo occurront; nec si occurrerent, probarent Epistolas illas Ignatio suppositas esse: cùm in novo Testamento voces planè synonymæ, & ad significandum illud ipsum, quod Ignatius adstruit, destinatæ occurrant, nempe Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Fratrum item & Fidelium.

Quintò objicit Salmasius contra istarum Epistolarum germanitatem, Judæorum odium quod Christianis adeò inculcant: cùm tamen Judæos tunc temporis non adeò aversaretur Ecclesia. Verùm nec id rectè harum Epistolarum auctori objici potest; nec si posset, eum Ignatiom non fuisse concluderet. Locus ad quem respexisse videtur, in prioribus tantùm Epistolæ ad Philadelphios editionibus reperitur: *Eos qui Deum odio habent, oportet & vos odio excipere*. At nec ea in Mediceo Codice inveniuntur. Nec verò quidquam continent quod Apostolicum virum non deceat, cùm statim explicet quomodo ab eorum consortio debeamus separari, nempe *ut illos ad mentem bonam, & ad resipiscentiam revocare possimus*. Addi potest, nec illud ipsum ad Judæos pertinere, sed ad istius planè ævi hæreticos Gnosticos, quos magna ubique cum ratione Ignatius noster fugiendos monet. Istos quidem *Pseudo-Judæos* Epist. ad Magnesios vocat; *Judaismum Sectatoribus suis interpretantes & docentes*, Epist. ad Philadelphios.

Objicit Blondellus. Cui verisimile sit statim post Ignatii in Asiam adventum, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, ejusdem rogatu ordinatos, qui ad Antiochenos Asianorum Epistolas gratulatorias deferrent?

Respondeo 1. talibus legationibus nihil novi aut incredibilis inesse. Nam & in Ignatii Actis dicitur, Ecclesiam omnem Smyrnensem, per sanctum Episcopum suum Polycarpum, & per sanctos Presbyteros & Diaconos rogasse, ut iret ad propositum suum. Instituta scilicet ab Ecclesia ad Ignatium legatio, ut eum ad Martyrium fortiter obeundum animaret. 2. Notandum est, hoc ipso temporis articulo, post unum Ignatium Antiochensibus ereptum, persecutionis rabiem statim in Syria sedaram esse; adeòque huic legationi opportunitatem fuisse defuturam, nisi statim post adventum ejus in Asiam imposita & suscepta fuisset. Tertiò respondetur, in rerum gestarum narrationibus nihil rationi minùs consentaneum esse, quàm ut earum verisimilitudo ad calculos nostros exigatur, aut argumenta a nobis efficta, tandemque effictoribus probabilia visa, quidquam ad fidem historiæ faciendam vel derogandam posse putentur, cùm ea narrantis auctoritati tota debeatur. Certè quamplurima in dies fieri videmus, quæ non sunt usque adeò probabilia, & quæ numquam acta fuisse posteris nostris argumentum unum aut alterum satis probabile persuasurum esse non dubito. Piget dicere, quid de ipsa Sacrosancta Historia & Scriptura sacra fiet, si sceleratæ hujusmodi quæstiuncularum libidini, dirisque hisce ingeniorum malè feriatorum equuleis submittatur? Quartò quid in hac ipsâ narratione minùs verisimile argui, aut credi potest? Post persecutionem gravissimam, pax Ecclesiæ Antiochenæ seu Syriacæ reddita est, libertasque cœtus Ecclesiasticos celebrandi restituta. Hinc Martyri sanctissimo æquum visum est Smyrnensem Ecclesiam ea de re commonere, ut literæ ab aliis Ecclesiis in Syriam gratulatoriæ mitterentur. Ad hoc Legatum sacrum mitti necesse erat. Ibi *χειροτονεῖν* non significat Episcopum aut Presbyterum consecrari & de novo fieri; sed eorum, qui priùs Ordinibus sacris initiati erant, aliquem ad hanc legationem eligi aut designari. Sic respondet Hammondus in Dissertationibus eruditis contra Salmasium & Blondellum.

II. Blondellus Ignatii Epistolas falsi postulat, quòd in Epistolâ ad Ephesios scribat, tria latuisse principem hujus sæculi, *Virginitatem Mariæ, partum ipsius, & mortem Domini*.

Respondeo, Hoc ipsum addito Ignatii nomine ab antiquis Patribus non sine approbatione recitari, scilicet a sancto Hieronymo Comment. in Matth. 1. Ambrosio in Lucæ 1. Origene Homil.6. in Levitic. Jobio Monacho, apud Photium in Biblioth. & Andrea Hierosolym. Cretensium Episcopo, cujus locum ex Scriniis Savilianis protulit Usserius. Quæ omnia sic intellecta, ut non de satana in universum, quòd Christus Filius Dei fuerit, ignorante, sed per tempus aliquod hæc tria non perspiciente, 1. Mariam post partum Virginem fuisse; 2. Christum modo supernaturali, inscio Josepho, conceptum; 3. A Deo decretum esse ut morte sua Christus mortem ipsam, ipsumque satanam superaret, locutus sit Ignatius, nihil a vero alienum continere putanda sunt.

Tertiò reprehendit Blondellus quòd in Epistolâ ad Ephesios de Stellæ Magos ducentis insolito splendore scripsit; *Astrum in Cœlo resplenduit super omnia Astra, & Sol & Luna chorus facta sunt illi Astro*.

Sed quid in his falsi accusari potest? Splendorem astri hujus quòd spectat super minores cœli ignes omnes præfulgentis; deinde novitatem ejus priùs invisam, ideòque admiratione dignissimam, non est argumentis opus ut ea cuivis credibilia existimentur. Fuisse verò Sydus illud eo tempore totius Cœlestis Chori ducem, cui reliqua Astra respondebant, lumenque suum super omnia jaculatum fuisse, nihil aliud significat, quàm hanc insolitam stellam a Chaldæis observatam, quâ novi Regis nativitas prænuntiabatur, oculos omnium ad se unam pertraxisse, quod verissimum est. An

Sydus

Sydus illud luce sua Solis istius lucem superaverit, non constat, nec perspicuum est id affirmasse Ignatium; sed fortassis illud tantùm, super omnes mundi plagas, super inferiora hæc omnia, sic ut aspici a cælorum Observatoribus ubique posset, lucem suam superjaculatum esse: aut certè super astra omnia quæ noctis spatio lucere solent. Sed quid si ipsius Lunæ Solisque lucem luce hac sua superasse dicatur? Quid si putemus hoc divinius astrum longè infra Solis spheram positum [ita ut ædes Bethleemiticas, ubi Christus natus est, distinctè & quasi digito monstraret] ista propinquitate ad terram, compensato magnitudinis defectu, lucem solarem (licèt non corpus ipsum Solis) fulgore, aut saltem solatio vicisse?

Quartò. Contra has Epistolas objicit Blondellus, quòd illarum Auctor Ephesios nihil latere cælestium & terrestrium scripserit.

Respondeo, Nihil hujusmodi legi eâ in Epistolâ. Multa eo loco Ignatius de frequentandis cœtibus Ecclesiasticis prædixerat, quorum commoda deinde recenset: *Cùm frequenter in unum convenitis, destruuntur potentia Satanæ, dissolvitur perditio ejus in unanimitate fidei vestræ. Pace nihil melius est, in qua bellum omne cælestium & terrestrium evacuatur*. Quid illud sit, statim apparet: *Nemo fidem repromittens, peccatum committit*; ex quo bellum illud cæleste Dei contra peccatorem nascitur. *Nemo caritatem possidens, odio quemvis habet*: Ex quo terrestre bellum, mutuæ hominum inimicitiæ oriuntur. *Quorum nullum vos latet, si perfectè in Jesum Christum habeatis fidem & caritatem*. Nullus hìc de cognitione cælestium & terrestrium sermo est, quem huic Auctori, conjungendo quæ separanda erant, Blondellus affinxit. Asserit solùm ea quæ de concordia & unitate dixerat, apud omnes qui Christiana fide & caritate præditi essent, in confesso fuisse.

Arguit quintò Blondellus quòd in eâdem ad Ephesios Epistolâ habet hic Auctor: *Ego condemnatus, vos misericordiam adepti*: illamque oppositionem quasi non satis accuratam criminatur. Sed quid hac in oppositione a recta ratione alienum fingi potest? Condemnatum se dicit, non a Deo Supremo omnium Judice, sed a tyranno, cujus tribunali jam sistitur invictissimus Athleta. Unde subdit: *Ego sub periculo, vos firmati*, id est: per misericordiam Christi summa tranquillitate Ephesii fruebantur, dum Ignatius ad bestias damnaretur.

Objicit sextò Blondellus, in Epistolâ ad Philadelphios scriptum esse, *Confugiendum esse ad Evangelium ut ad carnem Jesu, & ad Apostolos ut ad Presbyterium Ecclesiæ*. Ex quibus sic argumentatur: Cùm Trajani tr. Apostoli nulli superfuerint, nec per Apostolos, qui Ignatii nomine abusus est, aliud intellexisse videatur quàm Apostolica scripta, an non pluris divinitus inspiratas Epistolas facere debuit, quàm hominum quorumcumque errori per se obnoxiorum cœtum?

Respondeo, Fatemur Apostolos jam singulos e vivis excessisse. Fatemur Apostolorum nomine Apostolica Scripta significari. At quid obstat quominus illos ipsos Apostolos post Christi mortem adhuc in vivis agentes, qui tunc Presbyterium Ecclesiæ constituebant, ad quod in rebus dubiis tamquam ad oraculum recurrebatur [Act. 15.] indigitet? Evangelio itaque, seu Christi sermonibus in Scriptura nobis traditis, Apostoli, id est, Apostolorum scripta post eos relicta; & pari modo Christi carni, id est, ipsi Christo in terris degenti, Presbyterium Ecclesiæ, id est, Apostolorum post mortem Christi consessus, ex Paralello respondent. Sensus itaque est, ad scriptum Christi Evangelium, tamquam ad Christum in terris degentem; ad Apostolorum Epistolas, tamquam ad Apostolorum Hierosolymis commorantium consessum, se lubenter confugere.

Arguit septimò Blondellus, quod hic Auctor Philadelphiorum Episcopum extraordinaria missione & vocatione, qualis sancto Paulo contigit, non ab hominibus, ad hoc ministerium promotum fuisse asserat.

Respondeo, Philadelphiorum Episcopi modestiam & gravitatem illic ab Ignatio laudari, ut aliorum ambitioni opponebatur. Ait enim eum *Non ex seipso*, id est, ex proprio impulsu, aut ambitu; neque *ab hominibus*, id est, suffragiis aut missione merè humanis, ad Episcopatum promotum esse, sed in amore Dei Patris, & communis Ecclesiæ boni intuitu, hanc suscepisse dignitatem.

Arguit Blondellus, quòd ait hic Auctor, se revelatione singulari, aut inspiratione edoctum affirmare, *Quod nihil sine Episcopo faciendum esset*.

Respondeo, Deceptum esse, aut alios decipere voluisse Blondellum. Res sic se habet: *Clamavi*, inquit, *magna voce, Episcopo attendendum esse, & Presbyterio, & Diaconis. Si suspicamini me cùm hæc dixerim, prævidisse quorumdam divisionem: testis mihi in quo vinctus sum, id est Deus, quòd a carne humana non cognovi, id est, quòd nemo mortalium hoc mihi nuntiaverit, ut sic prascire possem: Spiritus verò prædicavit hæc dicens: Sine Episcopo nihil facite; carnem vestram ut Templum Domini servate, unitatem diligite, divisiones fugite, imitatores estote Jesu Christi*. Hæc nempe omnia & singula ab Apostolis in Epistolis & sermonibus suis contra Gnosticorum Hæresim in Ecclesia præcipuè Asiatica jam longè pervagantem, ubique inculcata esse compertum est; primù, ut se Præpositis Ecclesiæ morigeros præberent, secùs quàm Gnostici faciebant. Secundò, ut ab obscœnitatibus carnis sibi sedulò caverent, cùm Gnostici ipsa libidinum omnium sentina meritò audirent. Tertiò, ut pacem & caritatem fraternam in primis colerent, cùm Gnostici unitatem Ecclesiæ discinderent. Hæc autem Præcepta divina sunt, non ab hominibus tradita.

Arguit nonò Blondellus dictum illud de Christo Domino in Epistolâ ad Ephesios. *Propterea hoc unguentum in capite suo recepit Dominus, ut spiret Ecclesiæ incorruptionem*.

Respondeo, Nihil in eo aut falsò, aut minùs commodè dictum esse. Ephesiis contra Gnosticorum pestem caveri voluit Martyr sanctissimus, qui fidem Christi multis perniciosis doctrinis corruperant, quibus ideò inextinguibilem ignem, similiter ac iis omnibus qui ipsos audiunt, interminatur. Hæc Gnosticorum corruptela fœda fuit libidinum colluvies, quam eleganter, *tetrum doctrinæ hujus Sæculi Principis odorem* nuncupat: Cui optimè opponit *incorruptionem, quam ut Ecclesiæ suæ inspiraret, unguentum*, inquit, *in capite Dominus Christus accepit*: unguenti scilicet urceum istum aut alabastrum, Marci 14. a muliere supra caput ejus effusi, quo quidem se unctum ad funerationem ipse Christus edixit. Quis sit unguenti istius usus, satis notum est, nempe ut mortuorum corpora, quorum in numero crucifixi Christi corpus mysticum Ecclesia figuratè ponitur, a putrefactione & fœtore vindicentur. De hac itidem inunctione affirmat Joannes, cap. 12. domum universam (eam etiam universæ Ecclesiæ imaginem) odore unguenti sic profusi impletam esse. Quidni igitur unguentum illud in se recepisse Christus dicatur, quò mors ejus notaretur? Quidni mortem ipsam subiisse ad hoc ipsum ut hanc Ecclesiæ incorruptionem, ut demortui capitis corpori, jam in dies a putidissimis Gnosticorum doctrinis periclitanti inspiraret? Omnia certè ele-

ganter enuntiata, & in quibus nec veritatem, nec acumen, nec venustatem desideres,

Reprehendit decimò Blondellus, quòd Baptismus ὅπλα, *tela*, in plurali vocetur. Fides nihilominus galeæ, Caritas clypeo, Panopliæ perseverantia comparetur. Quid enim, inquit, Blondellus, Fides, dilectio, patientia conferunt jam per Baptismum armato? Et si Christiani Panoplia perseverantia est, quid novi ex Fide accedit jam galeato?

Verùm cur non Baptismo telorum titulus competat? Ita tamen ut quælibet virtus Christiana, cujus actus Deo nostro in futura vita præstandos solemniter in Baptismo spondemus, peculiari etiam titulo gaudeat, galeæ Fides, clypei Caritas, panopliæ perseverantia. Nec enim sic nos inaccessibiles Satanæ, sic invulnerabiles Baptismus præstiturus est, ut non singulis virtutibus Christianis ad repellendos jam frequentes petulantis hostis insultus nobis opus sit. Ni fides ut galea interioris hominis caput, caritas ut clypeus pectus, & integram demum personam, id est, omnes vitæ actiones perseverantia sibi tutandas assumpserit, metuendum certè est, ne, qui jam stare videtur, cadat. Ita Salmasii sub Walonis Messalini larva personati, & Blondelli argumentis contra sancti Ignatii Epistolas Episcopatus singularis vindices respondet, eruditè quidem & eleganter, Hammondus. His quæ supererant, objectionibus dilutis, ad Propositionis probationes revertendum.

§. III.

Catholicæ Veritatis probatio ex Episcoporum successione in Ecclesia Antiochena.

CAtholicum Dogma confirmatur ex Episcoporum successione in Antiochena Ecclesia post sanctum Petrum, qui Ecclesiam illam fundavit, & septennio rexit, ex Eusebio, lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 22. *Apud Antiochiam*, inquit, *defuncto Evodio, qui primus ejus loci constitutus fuerat Episcopus, secundus tum maximè florebat Ignatius.*

Et lib. 4. cap. 20. *Antiochena verò Ecclesiæ Episcopatum sextus ab Apostolis Theophilus gubernabat. Quippe Cornelius Heronis Successor, quartus ab Apostolis eidem Ecclesiæ præsederat. Quem deinde excipiens Eros, quinto ab Apostolis loco eamdem Ecclesiam rexit.* Igitur in ipsis nominis Christiani Exordiis, & primo secundoque Sæculo, singulares Episcopi Antiochenam Ecclesiam rexerunt.

§. IV.

Veritatis ejusdem probatio ex Ecclesiæ Alexandrinæ Traditione.

CAtholicam Veritatem confirmat Ecclesiæ Alexandrinæ Traditio. Nam & in ea Episcoporum successio post sanctum Marcum, & Patrum qui in ea floruerunt, doctrina, Catholicum dogma confirmant. De prima quidem Eusebius, lib. 2. cap. 24. *Neroue*, inquit, *octavum Imperii annum agente, primus post Marcum Evangelistam Alexandrinæ Ecclesiæ administrationem suscepit Anianus, vir Deo acceptus, & omni ex parte mirabilis.*

Et libro 3. cap. 21. *Cùm Avilius qui per tredecim annos Alexandrinam rexit Ecclesiam, mortuus esset, in ejus locum successit Cerdo. Tertius hic ab Anniano ejus civitatis Antistes fuit.*

Et libro 4. cap. 1. *Circa duodecimum annum Imperii Trajani, Cerdo Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus abiit, vita; quartusque ab Apostolis Ministerium ejus Ecclesiæ sortitus est Primus.*

Et cap. 4. *Mortuo primo, anno Episcopatus sui duodecimo, Alexandrinæ Ecclesiæ Sacerdotium suscepit Justus.*

Et cap. 5. *Anno deinde & mensibus aliquot interjectis Eumenes Alexandrinæ Ecclesiæ administrationem sextus ordine suscepit, cùm decessor ipsius annos undecim præfuisset.*

Et cap. 11. *Alexandriæ cùm Eumenes tredecim annos explesset, Marcus in ejus locum Antistes designatus est. Quo deinde post decem Pontificatus annos mortuo, Alexandrinæ Ecclesiæ administrationem Celadion suscepit.*

Et cap. 19. *Cùm Celadion per annos quatuordecim Ecclesiæ præfuisset, Agrippinus sedem ejus obtinuit.*

Et libro 5. cap. 9. *Anno primo Commodi, Julianus Alexandrinæ Ecclesiæ suscepit Sacerdotium, cùm Agrippinus duodecim annos Episcopalis administrationis explesset.*

Cap. 22. *Cùm Julianus decimum annum explesset, Ecclesiarum Alexandriæ administrationem suscepit Demetrius,*

Et libro 6. cap. 26. *Nec multò post Demetrius Alexandrinorum Episcopus fato functus est, cùm per tres & quadraginta annos Ecclesiam administrasset. In hujus locum successit Heraclas.* Constat itaque ex Episcoporum successione in Alexandrina Ecclesia post sanctum Marcum, a quo illa Sedes Evangelica dicta est, semper in illa Ecclesia, ab ejus institutione, singulares Episcopos fuisse, qui illam regerent, & qui Presbyteris omnibus essent Præpositi.

Idem probatur ex illius Ecclesiæ doctrina. Clemens Alexandrinus diu ante Heraclam, lib. 6. Stromatum: *Quoniam*, inquit, *& hic in Ecclesia progressiones Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, imitationes, ut arbitror, sunt gloriæ Angelicæ, & illius dispensationis*

Origenes libro 3. contra Celsum ait: ,, Ubi
,, præscribuntur præcepta Episcopis. quos vocant,
,, Paulum in Episcopo formando etiam Doctorem
,, requirere. Et quemadmodum unius uxoris maritum
,, iteranti matrimonium præfert in Episcoporum
,, delectu, irreprehensibilem reprehensibili,
,, temperantem intemperanti...... Ita vult
,, Episcopum decenter constituendum habere docendi
,, facultatem, & obstruendi os contradictoribus,

Et in eodem libro Senatum Ecclesiasticum, id est, Presbyteros & Clericos, ab iis qui rempublicam Ecclesiasticam administrant, id est, ab Episcopis, ex institutione divina distingui, non obscurè indicat. ,, Sic enim, *inquit*, Senatum
,, Ecclesiasticum si componas ad Senatus singularum
,, civitatum, invenies quosdam Senatores Ecclesiasticos
,, dignos ubivis Gentium administrare
,, divinitus constitutam rempublicam; Senatores
,, verò istos qui passim reperiuntur, nihil in moribus
,, habere eximium præ plebeis hominibus.
,, Eodem modo Magistratus Ecclesiastici cum urbanis
,, Magistratibus conferendi, ut intelligas
,, Magistratus Ecclesiæ, etiam qui inter Collegas
,, paulò frigidiùs versantur in officio, tamen in
,, morum & virtutum ratione vulgaribus Senatoribus
,, atque Magistratibus præcellere.

Et Homil. 13. in Lucam. ,, Si audacter expe-
,, dit loqui Scripturarum sensum sequenti, per
,, singulas Ecclesias bini sunt Episcopi, alius visibilis,
,, alius invisibilis; ille visui carnis; hic
,, sensui patens.

Et postquam locum sancti Joannis in Apocaly-

psi

psi de Angelis Ecclesiarum laudavit, subjungit: ,, Si autem Angelis solicitudo est, quomodo Ecclesiæ gubernentur, quid necesse est hominibus dicere quantum metum habeant, ut possint cum Angelis laborantibus laborantes salutem consequi. Ego puto inveniri simul posse & Angelum, & hominem bonos Ecclesiæ Episcopos, & quodammodo unius operis esse participes. Quod cùm ita sit, petamus omnipotentem Deum ut Angeli & homines Ecclesiarum Episcopi adjumento sint nobis, & sciamus quoniam utrique pro nobis a Domino judicentur.

Et Homil.17. ,, Neque Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec vidua, possunt esse digami.

Et Tractatu 1. in Matth. Episcoporum auctoritatem a Christo Domino nostro collatam asserit, sicut sancto Petro ligandi atque solvendi tradita potestas est; imò hanc eamdem ad ipsos pertinere potestatem asserit. ,, Quoniam autem, *inquit*, ii qui Episcoporum locum sibi vendicant, utuntur eo dicto, sicut Petrus, & claves regni cælorum a Servatore acceperunt, docentque ea quæ ab illis ligata fuerint, hoc est condemnata, eadem & in cælis ligata: rursus ea quæ soluta fuerint ab Ipsis, eadem & in cœlis esse soluta: Dicendum est illos rectè loqui, si pariter & facta habuerint, ob quæ dictum est illi qui erat Petrus, Tu es Petrus: Sique tales fuerint ut a Christo super eos ædificetur Ecclesia.

Et Tractat.12. Summam Ecclesiastici Principatus in Episcopis agnoscit. Exponens enim illa verba; ,, Principes Gentium dominantur eorum .... Non ita erit inter vos, *&c. hæc habet:* Episcopi autem quidam crudeliter comminantur aliquando quidem occasione peccati; aliquando autem contemnentes pauperum curam, cùm sit scriptum; Quantùm magnus es, tantùm humilia te, & invenies gratiam coram Domino. Principes ergo Gentium dominentur eorum: Principes autem Ecclesiæ serviant subditis: sed & maiores Gentium potestatem exerceant fidelium: audiant autem eum qui dicit: Discite a me quia mitis sum, & humilis corde, Non ista dicimus ut inclinemus Ecclesiasticum Principatum. Est enim interdum, quando, secundùm vocem Apostolicam, peccantes coram omnibus arguant, ut & cæteri metum habeant, Est aliquando ut utens potestate sua tradat peccantem satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvetur in die Domini; tamen hoc rarò fieri debet,

Et Homil.11. in Jeremiam. ,, Quando vita nostra fuerit istiusmodi, ut nullus nobis sensu, sermone, gestis coæquetur, tunc possumus dicere: Solus sedebam. Licet ei qui non est Presbyter, aut Episcopus, aut Diaconus, aut alia qualibet decoratus Ecclesiæ dignitate, bene viventi, dicere, Solus sedebam .... ,,

Synodus Alexandrina in causa sancti Athanasii congregata, Ischyram Presbyterum non fuisse ex eo probat, quòd a Collutho ordinatus esset, qui non erat Episcopus, sed simplex Presbyter; adeòque Sacerdotes ordinare non poterat, Agnoscit proinde laudata Synodus ordinandi potestatem divino jure solis Episcopis convenire, nec a Presbyteris consecrari posse tam Episcopos, quàm Presbyteros. Etenim Colluthus verè Presbyter fuit, & ab Alexandrina Synodo, Osio Præside in gradu atque ordine receptus. Idem porrò Ischyram, & alios quosdam Laicos manuum impositione Presbyteros ordinaverat. Igitur verè Presbyteri erant ab eo consecrati, si ex divina institutione Presbyter omnis quà Presbyter est, jus habet ordinandi Presbyterum ... Jure enim Ecclesiastico adimi non potest sacro Ordini, quod ei ex Christi institutione convenit. Hinc ordinati a Meletio Schismatico & exauctorato, non pro Laicis admissi, sed inter Episcopos & Presbyteros recepti sunt, inita pace, quia Meletius Episcopus erat. Itaque si Colluthus pariter Episcopus fuisset ac pari cum Episcopis potestate præditos quatenus Presbyter erat, Ischyras & alii ab eo ordinati, inter Presbyteros recepti fuissent. Certè nequissimus Presbyter, excommunicatus, degradatus, validè consecrat, quamvis illicitè, Corpus Christi: non aliam utique ob causam, quàm quod conficiendæ Eucharistiæ potestas ex institutione Christi adnexa est Sacerdotio. Igitur si potestas ordinandi Sacerdotes & Episcopos ex Christi institutione simplicibus Presbyteris conveniret, validè ordinati essent, quibus manus imposuerat Colluthus; adeòque Ischyram Presbyterum esse non negassent Alexandrinæ Synodi Patres. Sic autem scribunt illi in Epistolâ Synodicâ. ,, Hic est ille toties rumoribus iactatus Ischyras: qui neque ab Ecclesia electus Presbyter; neque cùm a Meletio constitutos Presbyteros Alexander in Ecclesiam recipiebat, In eorum numero umquam habitus fuit. Ita nec illinc quidem constitutus est. Unde igitur Presbyter est Ischyras, aut a quonam ordinatus? Utrùm a Collutho? Hoc enim restat. Atqui Colluthum in Presbyteratu mortuum esse, & omnem ab illo factam manuum impositionem irritam, omnesque, quos in schismate ordinaverat ille, ad Laicorum gradum redactos, & inter Laicos in Ecclesia congregari notum est, nec ulli omnino dubium. Quinam ergo privatus homo, & privatam domunculam incolens mysticum credatur habere poculum? Et Clerici Mareotici in Relatione ad Curiosum & Philagrium Præfectum Ægypti, quam Sanctus Athanasius, Apol.2. descripsit, aiunt: ,, Ischyram, qui se Presbyterum vulgaret, non esse Presbyterum. Siquidem ordinatus est ab Collutho Presbytero, qui sibi imaginarium vendicaret Episcopatum: & postea in generali Synodo ab Osio, & cæteris cum eo collectis Episcopis jussus erat pro Presbytero se habere, qualis antea fuerat: & ex consequenti omnes qui a Collutho erant ordinati, ad eumdem locum redacti sunt, in quo antea censebantur: quemadmodum & Ischyras ipse inter Laicos relatus est.

S. Cyrillus Alexandrinus libro 13. de Adoratione in spiritu & veritate, eidem veritati suffragatur. ,, Quòd si quis velit etiam Ecclesiæ ordinem perquirere, *inquit*, eam quæ in lege est præfigurationem jure admirabitur. Episcopis enim, ac si tunc principatum sortiti essent atque etiam iis qui inferiorem gradum gerunt, Presbyteris inquam, concreditum est altare, & quæ sunt intra velum; quibus etiam dici convenit. Et custodient Sacerdotium suum; Diaconis verò illud, Custodient custodias tabernaculi.

§. V.

Idem Dogma confirmat Traditio Ecclesiæ Hierosolymitanæ.

Ejusdem Catholici Dogmatis fides confirmatur ex Traditione Ecclesiæ Hierosolymitanæ, cujus primus Episcopus ab Apostolis constitutus est Jacobus Frater Domini, cognomento Justus, teste Hegesippo, quem sanctus Hieronymus in

Ca-

ganter enuntiata, & in quibus nec veritatem, nec acumen, nec venustatem desideres.

Reprehendit decimò Blondellus, quòd Baptismus ὅπλα, *tela*, in plurali vocetur, Fides nihilominus galeæ, Caritas clypeo, Panopliæ perseverantia comparetur. Quid enim, inquit, Blondellus, Fides, dilectio, patientia conferunt jam per Baptismum armato? Et si Christiani Panoplia perseverantia est, quid novi ex Fide accedit jam galeato?

Verùm cur non Baptismo telorum titulus competat? Ita tamen ut quælibet virtus Christiana, cujus actus Deo nostro in futura vita præstandos solemniter in Baptismo spondemus, peculiari etiam titulo gaudeat, galeæ Fides, clypei Caritas, panopliæ perseverantia. Nec enim sic nos inaccessibiles Satanæ, sic invulnerabiles Baptismus præstiturus est, ut non singulis virtutibus Christianis ad repellendos tam frequentes petulantis hostis insultus nobis opus sit. Ni fides ut galea interioris hominis caput, caritas ut clypeus pectus, & integram demum personam, id est, omnes vitæ actiones perseverantia sibi tutandas assumpserit, metuendum certè est, ne, qui jam stare videtur, cadat. Ita Salmasii sub Walonis Messalini larva personati, & Blondelli argumentis contra sancti Ignatii Epistolas Episcopatus singularis vindices responder, eruditè quidem & eleganter, Hammondus. His quæ supererant, objectionibus dilutis, ad Propositionis probationes revertendum.

§. III.

Catholica Veritatis probatio ex Episcoporum successione in Ecclesia Antiochena.

CAtholicum Dogma confirmatur ex Episcoporum successione in Antiochena Ecclesia post sanctum Petrum, qui Ecclesiam illam fundavit, & septennio rexit, ex Eusebio, lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 22. *Apud Antiochiam*, inquit, *defuncto Evodio, qui primus ejus loci constitutus fuerat Episcopus, secundus tum maximè florebat Ignatius.*

Et lib. 4. cap. 20. *Antiochena verò Ecclesia Episcopatum sextus ab Apostolis Theophilus gubernabat. Quippe Cornelius Heronis Successor, quartus ab Apostolis eidem Ecclesiæ præsederat. Quem deinde excipiens Eros, quinto ab Apostolis loco eamdem Ecclesiam rexit.* Igitur in ipsis nominis Christiani Exordiis, & primo secundoque Sæculo, singulares Episcopi Antiochenam Ecclesiam rexerunt.

§. IV.

Veritatis ejusdem probatio ex Ecclesia Alexandrina Traditione.

CAtholicam Veritatem confirmat Ecclesiæ Alexandrinæ Traditio. Nam & in ea Episcoporum successio post sanctum Marcum, & Patrum qui in ea floruerunt, doctrina, Catholicum dogma confirmant. De prima quidem Eusebius, lib. 2. cap. 24. *Nerone*, inquit, *octavum Imperii annum agente, primus post Marcum Evangelistam Alexandrina Ecclesiæ administrationem suscepit Annianus, vir Deo acceptus, & omni ex parte mirabilis.*

Et libro 3. cap. 21. *Cùm Avilius qui per tredecim annos Alexandrinam rexit Ecclesiam, mortuus esset, in ejus locum successit Cerdo. Tertius hic ab Anniano ejus civitatis Antistes fuit.*

Et libro 4. cap. 1. *Circa duodecimum annum Imperii Trajani, Cerdo Alexandrina Ecclesia Episcopus abiit, vita; quartusque ab Apostolis Ministerium ejus Ecclesia sortitus est Primus.*

Et cap. 4. *Mortuo primo, anno Episcopatus sui duodecimo, Alexandrina Ecclesia Sacerdotium suscepit Justus.*

Et cap. 5. *Anno deinde & mensibus aliquot interjectis Eumenes Alexandrina Ecclesiæ administrationem sextus ordine suscepit, cùm decessor ipsius annos undecim præfuisset.*

Et cap. 11. *Alexandria cùm Eumenes tredecim annos explesset, Marcus in ejus locum Antistes designatus est. Quo deinde post decem Pontificatus annos mortuo, Alexandrina Ecclesia administrationem Celadion suscepit.*

Et cap. 19. *Cùm Celadion per annos quatuordecim Ecclesia præfuisset, Agrippinus sedem ejus obtinuit.*

Et libro 5. cap. 9. *Anno primo Commodi, Julianus Alexandrina Ecclesia suscepit Sacerdotium, cùm Agrippinus duodecim annos Episcopalis administrationis explesset.*

Cap. 22. *Cùm Julianus decimum annum explesset, Ecclesiarum Alexandria administrationem suscepit Demetrius.*

Et libro 6. cap. 26. *Nec multò post Demetrius Alexandrinorum Episcopus fato functus est, cùm per tres & quadraginta annos Ecclesiam administrasset. In hujus locum successit Heraclas.* Constat itaque ex Episcoporum successione in Alexandrina Ecclesia post sanctum Marcum, a quo illa Sedes Evangelica dicta est, semper in illa Ecclesia, ab ejus institutione, singulares Episcopos fuisse, qui illam regerent, & qui Presbyteris omnibus essent Præpositi.

Idem probatur ex illius Ecclesiæ doctrina. Clemens Alexandrinus diu ante Heraclam, lib. 6. Stromatum: *Quoniam*, inquit, *& hic in Ecclesia progressiones Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, imitationes, ut arbitror, sunt gloriæ Angelicæ, & illius dispensationis*

Origenes libro 3. contra Celsum ait: „ Ubi
„ præscribuntur præcepta Episcopis, quos vocant,
„ Paulum in Episcopo formando etiam Doctorem
„ requirere. Et quemadmodum unius uxoris ma-
„ ritum iteranti matrimonium præfert in Episco-
„ porum delectu, irreprehensibilem reprehensibi-
„ li, temperantem intemperanti . . . . . Ita vult
„ Episcopum decenter constituendum habere do-
„ cendi facultatem, & obstruendi os contradicto-
„ ribus.

Et in eodem libro Senatum Ecclesiasticum, id est, Presbyteros & Clericos, ab iis qui rempublicam Ecclesiasticam administrant, id est, ab Episcopis, ex institutione divina distingui, non obscurè indicat. „ Sic enim, *inquit*, Senatum
„ Ecclesiasticum si componas ad Senatus singula-
„ rum civitatum, invenies quosdam Senatores Ec-
„ clesiasticos dignos ubivis Gentium administrare
„ divinitus constitutam rempublicam: Senatores
„ verò istos qui passim reperiuntur, nihil in mo-
„ ribus habere eximium præ plebeis hominibus.
„ Eodem modo Magistratus Ecclesiastici cum ur-
„ banis Magistratibus conferendi, ut intelligas
„ Magistratus Ecclesiæ, etiam qui inter Collegas
„ paulò frigidiùs versantur in officio, tamen in
„ morum & virtutum ratione vulgaribus Senato-
„ ribus atque Magistratibus præcellere.

Et Homil. 13. in Lucam. „ Si audacter expe-
„ dit loqui Scripturarum sensum sequenti, per
„ singulas Ecclesias bini sunt Episcopi, alius vi-
„ sibilis, alius invisibilis; ille visui carnis; hic
„ sensui patens.

Et postquam locum sancti Joannis in Apocaly-

psi

psi de Angelis Ecclesiarum laudavit, subjungit: „ Si autem Angelis solicitudo est, quomodo Ecclesiæ gubernentur, quid necesse est hominibus dicere quantum metum habeant, ut possint cum Angelis laborantibus laborantes salutem consequi. Ego puto inveniri simul posse & Angelum, & hominem bonos Ecclesiæ Episcopos, & quodammodo unius operis esse participes. Quod cùm ita sit, petamus omnipotentem Deum ut Angeli & homines Ecclesiarum Episcopi adjumento sint nobis, & sciamus quoniam utrique pro nobis a Domino judicentur.

Et Homil.17. „ Neque Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec vidua, possunt esse digami.

Et Tractatu 5. in Matth. Episcoporum auctoritatem a Christo Domino nostro collatam asserit, sicut sancto Petro ligandi atque solvendi tradita potestas est; imò hanc eamdem ad ipsos pertinere potestatem asserit. „ Quoniam autem, *inquit*, ii qui Episcoporum locum sibi vendicant, utuntur eo dicto, sicut Petrus, & claves regni cælorum a Servatore acceperunt, docentque ea quæ ab illis ligata fuerint, hoc est condemnata, eadem & in cælis ligata: rursus ea quæ soluta fuerint ab ipsis, eadem & in cœlis esse soluta: Dicendum est illos rectè loqui, si pariter & facta habuerint, ob quæ dictum est illi qui erat Petrus, Tu es Petrus: Sique tales fuerint ut a Christo super eos ædificetur Ecclesia.

Et Tractat.12. Summam Ecclesiastici Principatus in Episcopis agnoscit. Exponens enim illa verba; „ Principes Gentium dominantur eorum .... Non ita erit inter vos, *&c. hæc habet*: Episcopi autem quidam crudeliter comminantur aliquando quidem occasione peccati; aliquando autem contemnentes pauperum curam, cùm sit scriptum; Quantùm magnus es, tantùm humilia te, & invenies gratiam coram Domino. Principes ergo Gentium dominentur eorum: Principes autem Ecclesiæ serviant subditis: sed & majores Gentium potestatem exerceant fidelium: audiant autem eum qui dicit: Discite a me quia mitis sum, & humilis corde. Non ista dicimus ut inclinemus Ecclesiasticum Principatum. Est enim interdum, quando, secundùm vocem Apostolicam, peccantes coram omnibus arguant, ut & cæteri metum habeant. Est aliquando ut utens potestate sua tradat peccantem satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvetur in die Domini; tamen hoc rarò fieri debet.

Et Homil.21. in Jeremiam. „ Quando vita nostra fuerit istiusmodi, ut nullus nobis sensu, sermone, gestis coæquetur, tunc possumus dicere: Solus sedebam. Licet ei qui non est Presbyter, aut Episcopus, aut Diaconus, aut alia qualibet decoratus Ecclesiæ dignitate, bene viventi, dicere, Solus sedebam ......

Synodus Alexandrina in causa sancti Athanasii congregata, Ischyram Presbyterum non fuisse ex eo probat, quòd a Collutho ordinatus esset, qui non erat Episcopus, sed simplex Presbyter; adeòque Sacerdotes ordinare non poterat. Agnoscit proinde laudata Synodus ordinandi potestatem divino jure solis Episcopis convenire, nec a Presbyteris consecrari posse tam Episcopos, quàm Presbyteros. Etenim Colluthus verè Presbyter fuit, & ab Alexandrina Synodo, Osio Præside in gradu atque ordine receptus. Idem porrò Ischyram, & alios quosdam Laicos manuum impositione Presbyteros ordinaverat. Igitur verè Presbyteri erant ab eo consecrati, si ex divina institutione Presbyter omnis quà Presbyter est, jus habet ordinandi Presbyterum ... Jure enim Ecclesiastico adimi non potest sacro Ordini, quod ei ex Christi institutione convenit. Hinc ordinati a Meletio Schismatico & exauctorato, non pro Laicis admissi, sed inter Episcopos & Presbyteros recepti sunt, inita pace, quia Meletius Episcopus erat. Itaque si Colluthus pariter Episcopus fuisset ac pari cum Episcopis potestate præditos quatenus Presbyter erat, Ischyras & alii ab eo ordinati, inter Presbyteros recepti fuissent. Certè nequissimus Presbyter, excommunicatus, degradatus, validè consecrat, quamvis illicitè, Corpus Christi: non aliam utique ob causam, quàm quod conficiendæ Eucharistiæ potestas ex institutione Christi adnexa est Sacerdotio. Igitur si potestas ordinandi Sacerdotes & Episcopos ex Christi institutione simplicibus Presbyteris conveniret, validè ordinati essent, quibus manus imposuerat Colluthus; adeòque Ischyram Presbyterum esse non negassent Alexandrinæ Synodi Patres. Sic autem scribunt illi in Epistolâ Synodicâ. „ Hic est ille toties rumoribus jactatus Ischyras: qui neque ab Ecclesia electus Presbyter: neque, cùm a Meletio constitutos Presbyteros Alexander in Ecclesiam recipiebat, in eorum numero unquam habitus fuit. Ita nec illinc quidem constitutus est. Unde igitur Presbyter est Ischyras, aut a quonam ordinatus? Utrùm a Collutho? Hoc enim restat. Atqui Colluthum in Presbyteratu mortuum esse, & omnem ab illo factam manuum impositionem irritam, omnesque, quos in schismate ordinaverat ille, ad Laicorum gradum redactos, & inter Laicos in Ecclesia congregari notum est, nec ulli omnino dubium. Quinam ergo privatus homo, & privatam domunculam incolens mysticum credatur habere poculum? Et Clerici Mareotici in Relatione ad Curiosum & Philagrium Præfectum Ægypti, quam Sanctus Athanasius, Apol.2. descripsit, ajunt: „ Ischyram, qui se Presbyterum vulgaret, non esse Presbyterum. Siquidem ordinatus est ab Collutho Presbytero, qui sibi imaginarium vendicaret Episcopatum: & postea in generali Synodo ab Osio, & cæteris cum eo collectis Episcopis jussus erat pro Presbytero se habere, qualis antea fuerat: & ex consequenti omnes qui a Collutho erant ordinati, ad eumdem locum redacti sunt, in quo antea censebantur: quemadmodum & Ischyras ipse inter Laicos relatus est.

S. Cyrillus Alexandrinus libro 13. de Adoratione in spiritu & veritate, eidem veritati suffragatur. „ Quòd si quis velit etiam Ecclesiæ ordinem perquirere, *inquit*, eam quæ in lege est præfigurationem jure admirabitur. Episcopis enim, ac si tunc principatum sortiti essent atque etiam iis qui inferiorem gradum gerunt, Presbyteris inquam, concreditum est altare, & quæ sunt intra velum; quibus etiam dici convenit. Et custodient Sacerdotium suum: Diaconis verò illud, Custodient custodias tabernaculi.

§. V.

Idem Dogma confirmat Traditio Ecclesiæ Hierosolymitanæ.

EJusdem Catholici Dogmatis fides confirmatur ex Traditione Ecclesiæ Hierosolymitanæ, cujus primus Episcopus ab Apostolis constitutus est Jacobus Frater Domini, cognomento Justus, teste Hegesippo, quem sanctus Hieronymus in Ca-

Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap.4. laudat, & sequitur. „ Hegesippus, *inquit*, vicinus „ Apostolicorum temporum, in quinto Commentariorum libro de Jacobo narrans ait: Suscepit Ecclesiam Hierosolymæ post Apostolos Frater Domini Jacobus cognomento Justus. „ Clemens Alexandrinus in 6. Hypotyposeon, ut refert Eusebius, lib.2. Histor. cap.1. eumdem ait a Petro, Jacobo, & Joanne Hierosolymorum creatum Episcopum. „ Tunc etiam, *inquit Eusebius*, Jacobum qui Frater Domini dicebatur, quòd esset Josephi filius, Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopatum primum accepisse „ perhibent. Clemens certè in 6. Institutionum „ libro ita tradit. Ait enim post Servatoris Ascensum, Petrum, Jacobum & Joannem quamvis Dominus ipsos cæteris prætulisset, non „ idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse, sed Jacobum cognomine Justum Hierosolymorum Episcopum elegisse. „ Idem testatur Auctor Constit. Apostolicar. lib.8. cap.35. Idem S. Epiphan. Hæresi 29. & 78. Cyrillus Hierosolymit. Catechesi 4. & 14. S. Chrysostomus, Homil.38. in Epistolam 1. ad Corinthios, Homil.3. & 33. in Acta ubi & eam causam affert cur post S. Petrum in Concilio Hierosolymitano locutus sit Jacobus, quòd Hierosolymorum esset Episcopus.

Idem ostendit Hierosolymitanorum Episcoporum successio, quam ex Veterum monumentis acceptam descripsit Eusebius libro 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap.5. „ Ex veterum, *inquit*, Scriptorum monumentis didici ad illam usque obsessionem Judæorum quæ imperante Hadriano „ contigit, quindecim Episcopos continua successione illi Ecclesiæ præfuisse: quos omnes origine Hebræos fuisse memorant, & fidem Christi sincerè atque ex animo suscepisse. Adeò ut „ ab illis qui de hujusmodi rebus judicium ferre poterant, Episcopali officio dignissimi censerentur. Quippe tunc temporis universa Hierosolymorum Ecclesia conflata erat ex Hebræis „ Fidelibus, qui jam inde Apostolorum ætate ad „ illam usque obsidionem permanserant...... Primus fuit Jacobus, is qui Domini Frater vocabatur. Secundus Symeon: tertius Justus: „ quartus Zacchæus: quintus Tobias: sextus Benjamin: septimus Joannes: octavus Matthias: „ nonus Philippus: decimus subrogatus est Seneca, cui successit undecimus Justus, post quem „ Levi duodecimus ordine fuit: Ephres deinde „ secutus est post hæc Joseph. Omnium postremus fuit Judas ordine quintus decimus. Itaque ab Apostolorum temporibus singulares Episcopi Hierosolymitanam Ecclesiam rexerunt.

Objicit Blondellus, absurdum esse ut tot Episcopi tam exiguo temporis intervallo, triginta scilicet annorum circiter, qui a Symeonis martyrio ad Marci primi ex Gentibus Hierosolymorum Episcopi inaugurationem fluxerunt, gesserint Episcopatum cujusmodi nunc est, nempe ut singilla tim suo quique spatio præsederint, quasi ex composito, sive potius miraculo quodam, biennio plus minus exacto, vita pariter & cathedra cesserint universi. Probabilius igitur est illos omnes Presbyteros, eosdemque Episcopos fuisse: qui non electione, sed antiquitatis jure alii post alios primatum obtinuerint.

Respondeo, Non esse incredibile & absurdum ut singuli illi Episcopi, non quidem biennio circiter velut ex composito sederint (quod Blondelli divinantis figmentum est) sed quod paucis aliqui mensibus, alii diebus præfuerint, reliqui plures, paucioresve annos impleverint. Quid enim simile in Romanorum Pontificum occurrit Catalogo. Scilicet ab anno Christi 883. quo Marinus Papa creatus est, ad annum 912. quo Anastasius Tertius obiit, & Joannes decimus Pontificatum iniit, annis 30. quatuordecim Romani Pontifices numerantur: quorum plerique paucis diebus, alii mensibus, cæteri paucis annis Petri Sedem occuparunt: cum unus tantùm ex illis cæsus memoretur Stephanus Septimus, pulsi duo, Leo V. & Christophorus, ut constat ex Annalibus Ecclesiasticis Baronii. Non est igitur incredibile quod narrat Eusebius, tot Episcopos Hierosolymis pari intervallo sedisse, & Ecclesiam illam administrasse.

Confirmatur ex sancto Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 4. ubi de libris Canonicis sic loquitur, „ Hos solos studiosè meditare, quos & „ in Ecclesia securè tutòque recitamus. Multò prudentiores te erant Apostoli, veteresque illi „ Episcopi Ecclesiæ Antistites qui hos tradiderunt. „ *Et Catech.14.* Deinde, *inquit*, & hic Episcopi „ Hierosolymitani ex Hebræis per successionem „ constituebantur.

§. VI.

Ejusdem Dogmatis assertor S. Epiphanius.

CAtholico Dogmati novum robur accedit ex S. Epiphanii testimonio, Hæresi 75. ubi de Aërio sic loquitur: *Est autem illius dogma supra hominis captum furiosum & immane. Imprimis enim: Quanam*, inquit, *in re Presbytero Episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus Ordo, par, & idem honor ac dignitas. Manus imponit Episcopus, imponit & Presbyter: baptizat Episcopus, idem facit & Presbyter. Divinum omnem cultum administrat Episcopus: non minus id facit & Presbyter. Episcopus in throno sedet: sedet & Presbyter. His in vulgus jactatis, plerosque in errorem adduxit quorum secta Princeps extitit.* Parem itaque dignitate & honore Episcopo Presbyterum asserere, Hæresis, est, quam in Aërio Ecclesia exhorruit & damnavit. Illam autem stoliditatis plenam, ut vocat sententiam hac ratione refellit S. Epiphanius: *Episcoporum ordo ad gignendos Patres præcipuè pertinet. Hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio. Alter cùm Patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit; non tamen Patres aut Magistros. Quinam verò fieri potest, ut is Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat? Aut quomodo Presbyter Episcopo dici potest æqualis?* Itaque jus ordinandi Presbyteros solis Episcopis convenire, non verò simplicibus Presbyteris, sanctus Epiphanius cum Ecclesia sui temporis credebat, dogmaque istud tamquam Catholicum contra Aërium propugnabat.

§. VII.

Ecclesia Romana Traditio Dogmatis ejusdem confirmatrix.

ECclesiæ Romanæ cæterarum Ecclesiarum Matris & Magistræ Traditio idem dogma confirmat in qua continua Episcoporum a Sancto Petro successio, ab Irenæo, Eusebio, Optato Milevitano, Hieronymo, Augustino celebrata, demonstrat singulares Episcopos Romanam Ecclesiam, ex quo fundata est, administrasse, eosdemque fuisse, ut nunc sunt Episcopi nostri, Presbyteris superiores: eodem quidem jure quo Sanctus Petrus fuit secundi Ordinis Sacerdoti-

bus

hus dignitate superior, scilicet ex Institutione Christi.

Idem probatur ex Epistolâ 1. Sancti Clementis Romani ad Corinthios, ubi de Apostolis sic loquitur: *Per regiones igitur & urbes Verbum prædicantes, primitias eorum spiritu probantes, Episcopos & Diaconos eorum qui credituri erant, constituerunt. Neque hoc quidem novum institutum fuit, multis enim retro sæculis de Episcopis & Diaconis scriptum est; sic enim alicubi dicit Scriptura: Constituam Episcopos eorum in justitia, & Diaconos eorum in fide. Et quid mirum, si quibus in Christo a Deo hoc munus commissum fuit, prædictos constituerint?* &c. Christi itaque mandato Episcopos ab Apostolis constitutos esse docuit sanctus Clemens. Pergit ille: *Et Apostoli nostri per Jesum Christum Dominum nostrum cognoverunt, contentionem de nomine Episcopatus oborituram, atque ob hanc causam perfectâ præscientiâ præditi, constituerunt prædictos, ac descriptas deinceps ministrorum officiorumque vices reliquerunt, ut in defunctorum locum alii viri probati succederent, & illorum munia exequi possent. Constitutos itaque ab illis, vel deinceps ab aliis viris celebribus, cum consensu universæ Ecclesiæ, qui inculpatè ovili Christi deservierunt ..... Quique longo tempore ab omnibus testimonium præclarum reportarunt, hos non sine injuria munere vel officio exui debere existimamus. Non enim leviter peccabimus, si eos repudiaverimus, qui sanctè & sine reprehensione Episcopatûs munera offerunt.*

Respondet Blondellus, binos tantùm Cleri gradus, Episcoporum nimirum & Diaconorum a S. Clemente agnitos fuisse, adeòque recensitos ab ipso in Episcopis Presbyteros. Addit, seditionem in Ecclesia tunc temporis excitatam fuisse, non adversùs singularem tunc incognitum Episcopum; sed adversùs Presbyteros, quos Episcopatu functos Clemens dixerat, idque colligit ex his verbis: *Turpe est, dilecti, imò valde turpe, & conversatione quæ in Christo est indignum, audire firmissimam antiquamque Corinthiorum Ecclesiam, propter unum aut alterum, adversùs Presbyteros seditionem concitare.*

Denique ovili Christi non singularem Episcopum, sed Presbyterorum Collegium præfectum fuisse, colligit ex his verbis: *Quis igitur inter vos generosus? Quis facilè ad misericordiam movetur? Quis charitate confidentior fastus dicat; Si propter me seditio & contentio, & schismata concitantur, secedo, abeo quòcumque vultis, quæque a multitudine præscripta fuerint, facio; ovile solùm Christi cum constitutis Presbyteris pace fruatur.*

Verùm nec Episcopos & Diaconos tantùm, sed Presbyteros etiam illa in Epistolâ non semel memorat sanctus Clemens: & quamvis non nominasset, satis illos Episcoporum nomine significavit; non quòd ab Episcopis nullo differrent intervallo Presbyteri; sed quòd in Episcopatu tamquam in superiori & præstantiori gradu Presbyteratus contineatur potestate & eminentia quadam virtutis, eo ferè modo quo in anima rationali sensibilis & vegetans continentur. Ad hæc cum Episcopi nomen primi & secundi Ordinis Sacerdotibus tunc commune esset, utrumque Ordinem apud Clementem significat. Porrò licèt Corinthi Senatus Ecclesiasticus esset, seu Collegium Clericorum ab Apostolis constitutum, quorum consilio, & auctoritate Ecclesiasticæ res administrabantur; non ex eo sequitur nullum ibi fuisse Episcopum singularem, qui non ovili solùm, id est, Christianæ plebi, cùm Presbyteris & Diaconis prospiceret ac ministraret, sed ipsis etiam præcipua vi dignitatis & potestatis præesset. Certè cùm sanctus Clemens ex Hierarchia Synagogæ in qua summi Sacerdotis dignitas inferiorum Sacerdotum officio præstantior erat, probet Ordinem in Ecclesia servandum, nec perturbandam esse Hierarchiam, argumento est in Ecclesia etiam summos Sacerdotes, tum Sacerdotes secundi Ordinis, & Levitas reperiri, ex quibus Hierarchia Ecclesiastica coalescat; id est, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos. *Summo quippe Sacerdoti*, inquit, *sua munera tributa sunt; Sacerdotibus locus proprius assignatus est; & Levitis sua Ministeria incumbunt. Laicus præceptis laicis constringitur. Unusquisque vestrûm, Fratres, in suo ordine & statione manens, Deo in bona conscientia gratias agat, & cum decore intra præscriptum Ministerii sui Canonem se contineat.*

Eruitur præterea Romanæ Ecclesiæ Traditio ex Epistolâ Cleri Romani ad sanctum Cyprianum, quæ inter ejus Epistolas extat ordine trigesima prima. *Quamquam*, inquit, *nobis differendæ hujus rei necessitas major incumbat, quibus post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani nondum est Episcopus propter rerum & temporum difficultates constitutus, qui omnia ista moderetur, & eorum qui lapsi sunt possit cum auctoritate & consilio habere rationem. Quamquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipse tractasti priùs, Ecclesiæ pacem sustinendam; deinde sic collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Confessoribus, pariter ac stantibus laicis facta, Lapsorum tractare rationem.*

Et infra: *Cujus temperamenti moderamen nos hîc tenere quærentes diu, & quidem multi, & quidem cum quibusdam Episcopis vicinis nobis & appropinquantibus, & quos ex aliis Provinciis longè positis persecutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus; ut interim dum Episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt dilationis sustinere causa teneatur*, &c. Itaque regendæ Ecclesiæ Romanæ & aliarum potestas, penes singulares Episcopos erat, qui gravioribus de causis Ecclesiasticæ Disciplinæ decernebant, quique Presbyteris & Diaconis erant superiores. Cùmque hæc Hierarchiæ Ecclesiasticæ, aut sacri regiminis forma tunc primùm non incœperit, nec ejus post Apostolica tempora inveniatur origo, argumento est eam ad Apostolorum ætatem, & ad institutionem Christi esse referendam.

§. VIII.

Eidem Dogmati suffragatur Traditio Ecclesiæ Africanæ.

HUjus assertor est Tertullianus, libro de Præscriptione Hæreticor., cap. 32. ubi ex Apostolicæ Traditionis fontibus ostendit singulares in Ecclesiis Episcopos, tum Apostolis ipsis, tum sibi deinceps ordine successisse. *Cæterùm*, inquit, *si quæ audent interserere se ætati Apostolicæ, ut ideò videantur ab Apostolis tradita, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert: sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum edit. Perinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum consti-*

tutes Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid Hæretici.

Idem Tertullianus, cap.41. ejusdem libri, Episcopatûs supra Presbyteratum eminentiam satis ostendit, non ratione solùm consessûs, aut Primatûs cujusdam qui ætati conferretur, sed ratione Ordinationis quæ Presbyterum ad altiorem gradum promovet, cùm Episcopus inauguratur, sicut Diaconus ad altiorem Ordinem evehitur, cùm creatur Presbyter. *Ordinationes eorum temerariæ*, inquit, *leves, inconstantes: nunc Neophitos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros; ut gloriâ eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam faciliùs proficitur, quàm in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laicis Sacerdotalia munera injungunt.*

Eidem veritati suffragatur libro de Baptismo, cap.17. ubi de istius Sacramenti Ministro sic decernit. *Dandi quidem habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus: Dehinc Presbyteri & Diaconi: non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est. Alioquin etiam Laicis jus est: quod enim ex æquo accipitur: ex æquo dari potest: nisi Episcopi jam, aut Presbyteri, aut Diaconi vocantur discentes. Domini Sermo non debet abscondi ab ullo. Proinde & Baptismus æquè Dei census, ab omnibus exerceri potest: sed quantò magis Laicis Disciplinæ verecundia & modestia incumbit? Cùm ea majoribus competant, ne sibi assumant dicatum Episcopis officium Episcopatûs.*

Idem libro de Fuga in persecutione, cap.11. *Sed cùm ipsi Auctores*, inquit, *id est, ipsi Diaconi, Presbyteri, & Episcopi fugiunt, quomodo Laicus intelligere poterit, qua ratione dictum, Fugite de Civitate in Civitatem?*

Idem libro de Jejuniis, capite 13. *Bene autem quòd & Episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent.*

Idem lib.4. adversùs Marcionem, cap.5. *Si constat id verius quod prius, id prius quod & ab initio, id ab initio quod ab Apostolis; pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit Sacrosanctum. Videamus quod lac a Paulo Corinthii hauserint; ad quam regulam Galatæ sint recorrecti; quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii; quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium Petrus & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. Habemus & Joannis alumnas Ecclesias. Nam etsi Apocalypsim ejus Marcion respuit, Ordo tamen Episcoporum ad originem recensus in Joannem stabit auctorem.*

Idem lib. de Pudicitia, cap.19. *Quòd si clementia Dei*, inquit, *ignorantibus adhuc & infidelibus competit, utique & pœnitentia ad se clementiam invitat, salvâ illa pœnitentiæ specie post fidem, quæ aut levioribus delictis veniam ab Episcopo consequi poterit; aut majoribus & irremissibilibus a Deo solo.*

Denique libro de velandis Virginibus, cap.9. *Planè scio*, inquit, *alicubi Virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatam; cui si quid refrigerii debuerat Episcopus, aliter utique salvo respectu Disciplinæ præstare potuisset.*

Ex quibus Tertulliani locis constat, non solùm ipsius ætate in Ecclesia Africana, sed Apostolicis temporibus in Ecclesia universa Episcopatum a Presbyteratu distinctum fuisse, & Episcopos fuisse Presbyteris superiores; utique ex Christi Servatoris nostri institutione: hancque fuisse Ecclesiæ Africanæ doctrinam ex Traditione acceptam.

Ejusdem Traditionis locupletissimus testis est sanctus Cyprianus, Epist.37. ad Lapsos datâ. *Dominus noster*, inquit, *cujus Præcepta metuere & observare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens in Evangelio loquitur, & dicit Petro: Ego tibi dico quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam, & tibi dabo claves regni cœlorum; & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Inde per temporum & successionum vices, Episcoporum Ordinatio & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem Præpositos gubernetur. Cùm hoc itaque divina lege fundatum sit, miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse; quando Ecclesia in Episcopo & Clero, & in omnibus stantibus sit constituta.* Divina itaque lege constitutum Episcopi honorem, & Ordinatione, nedum Primatu ætatis, superiores esse Presbyteris Episcopos, sanctus Cyprianus existimavit.

Et Epist.35. *Admonitos nos & instructos sciatis dignatione divina, ut Numidicus Presbyter adscribatur Presbyterorum Carthaginensium numero, & nobiscum sedeat in Clero...... Et promovebitur quidem, cùm Deus permiserit, ad ampliorem locum religionis suæ, quando in præsentiam protegente Domino venerimus.* Numidicum Presbyterum gloriâ Confessionis illustrem promovendum aliquando ad Episcopatum significat, quod vocat *ad locum ampliorem promoveri*. Igitur Episcopatus gradus est in Ecclesia Presbyteratu superior ac præstantior.

Et Epist. 52. Secundùm quòd tamen ante fuerat destinatum: persecutione sopita, cùm data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros & incolumes fides sua, & Domini tutela protexit, in unum convenimus, *&c.* Ac si minùs sufficiens Episcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium Collegam nostrum, qui & ipse cum plurimis Coëpiscopis habito Concilio, in eamdem nobiscum sententiam pari gravitate, & salubri moderatione consensit.

Et infra de Cornelii electione ita scribit: Venio jam nunc ad personam Cornelii Collegæ nostri, ut Cornelium nobiscum veriùs noveris: non de malignorum & detrahentium mendacio, sed de Domini Dei judicio, qui Episcopum fecit, & Coëpiscoporum testimonio, quorum numerus universus per totum mundum concordi unanimitate consensit. Nam quòd Cornelium charissimum nostrum Deo, & Christo, & Ecclesiæ ejus, item Consacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat, non ille ad Episcopatum subitò pervenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in divinis administrationibus Dominum sæpe promeritus, ad Sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Tum deinde Episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, nec ut cæteri, quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor inflat, invasit, sed quietus & modestus, & quales esse consueverunt qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditę verecundiæ, non ut quidam vim fecit, ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est ut Episcopatum coactus acciperet. *Et* factus est, Episcopus a plurimis collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant, qui ad nos literas honorabiles & laudabiles, & testimonio suæ prædicationis illustres de ejus Ordinatione miserunt. Factus est autem Cornelius Episcopus

copus

copus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, & de Sacerdotnm antiquorum & bonorum omnium Collegio; cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atqoe omninm nostrûm consensionc firmato; quisquis jam Episcopns fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat Ecclesiasticam Ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem. Ibi singulares Episcopos in Romana, in Africana, & in omnibus orbis Christiani Ecclesiis habes, qui sacra Ordinatione constituantur, qui locum sancti Petri primi Romanæ Ecclesiæ Episcopi impleant, qui sublime Sacerdotii fastiginm ascendant, cùm inaugnrantur, qui sint adeò Presbyteris superiores, qui ad graviores Ecclesiæ causas disponendas & judicandas in Conciliis congregentur, qui Presbyteros ipsos Lapsos, vel ab Ecclesia rejiciant, vel suscipiant, & ad Laicam detrudant Communionem loco & functionibus Sacerdotnm privatos, prout postulat Disciplinæ ratio: sicut Tropbimum Presbyterum lapsum suscepit Cornelius, ut Laiens communicaret, non ut locum Sacerdotis usnrparet: quod ex eadem sancti Cypriani Epistola habetur. Legatur & Epistola 55. & Epistola 10. ad Clerum contra Presbyteros qui temerè pacem Lapsis dederant, necdum sedata persecutione, & citra conscientiam Episcoporum, in qua hæc habet: Quod enim non periculum metuere debemus de offeosa Dei, quando aliqui de Presbyteris nec Evangelii, nec loci sui memores, sed neque futurum Domini Judicium, neque nunc sibi præpositum Episcopum cogitantes, quod numquam omnino sub Antecessoribus factum est, cum contumelia & contemptu Præpositi totum sibi vendicent? Atqne utinam non prostrata Fratrum nostrorum salute sibi omnia vendicarent! Contumelias Episcopatus nostri dissimulare & ferre possem, sicut dissimulavi semper & pertnli: sed dissimulandi nunc locns non est; quando decipiatur fraternitas nostra a quibusdam vestrûm, qui dum sioe ratione restituendæ salutis plausibiles esse cupiunt, magis Lapsis obsunt.

Et Epistola 12. Audio tamen quosdam de Presbyteris, nec Evangelii memores, nec quid ad nos Martyres scripserint cogitantes, nec Episcopo honorem Sacerdotii sui & Cathedræ reservantes, jam enm Lapsis communicare cœpisse, & offerre pro illis, & Eucharistiam dare, quando oporteat ad hæc per Ordinem pervenire.

Legatnr & Epistola ejusdem 28. ad Clerum Carthaginensem data, in qua Presbyteris, Diaconisque suis gratulatur, quòd a Gaii Diddensis Presbyteri & Diaconi ejus, qui Lapsis temerè communicabant, Communione abstinerent. Tum in alios Presbyteros & Diaconos, qui paris temeritatis rei fuerint, sententiam excommunicationis profert: *Interea*, inquit, *si quis immoderatus & praeeps, sive de peregrinis, ausus fuerit ante sententiam nostram communicare cum Lapsis, a communicatione nostra arceatur, apud omnes nos causam dicturus temeritatis suæ, quando in unum, permittente Domino, convenerimus*. Superiorem esse Presbyteris Episcopum, qui Presbyterorum sit Judex, qnique ipsos a Communione removeat, omnino necesse est. Quod cùm sancti Cypriani ætate non primùm incœperit, imò Episcopi auctoritatem non semel ex sacris literis asserat Cyprianus, jure divino constitutam esse illam præeminentiam colligitur.

Denique Epist. 68. ad Clerum & Plebes in Hispania consistentes, ubi præmisit, Ordinationes Sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, idque ex divina auctoritate descendere probavit exemplo ex Testamento Veteri petito, mox subjungit: *Quod postea, secundùm divina Magisteria, observatur in Actis Apostolorum; quando de ordinando in locum Judæ Episcopo Petrus ad Plebem loquitur. Surrexit*, inquit, *Petrus in medio discentium: fuit autem turba in uno. Nec hoc in Episcoporum tantùm & Sacerdotum, sed in Diaconorum Ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus*.

Et infra: *Propter quod diligenter de Traditione divina & apostolica observatione observandum est & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per Provincias universas tenetur, ut ad Ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente...... Quod & apud vos factum videmus in Sabini Collegæ nostri Ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos literas fecerant judicio, Episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur*.

Tertiò. Ecclesiæ Africanæ Traditio ex Optato Milevitano innotescit, libro 2. adversùs Parmenianum. *Igitur negare non potes*, inquit, *scire te in urbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus...... Ergo Cathedra unica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus: cui successit Linus; Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus, Evaristo Sixtus*, &c.

Et infra: *Certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Ministros, & turbam Fidelium. Dicite cui generi hominum in Ecclesia nostra hoc possit adscribi, quod objicere voluisti? specialiter nomina aliquem Ministrum, ostende aliquem Diaconum nomine suo. Indica hoc ab aliquo factum esse Presbytero. Proba hoc Episcopos admisisse*.

Et infra. *Extendistis enim manum, & super omne caput mortifera velamina prætendistis: ut, cùm sint quatuor genera capitum in Ecclesia, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Fidelium; nec uni parcere voluistis...... Invenistis Diaconos, Presbyteros, Episcopos, fecistis Laicos*.

Probatur denique ex Canonibus Conciliorum Africanorum, quos recensere longum esset: & ex sancto Augustino, lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, cap. 53. ubi inter Aerii errores hunc numerat, quòd dixerit, *Presbyterum ab Episcopo nullâ differentiâ debere discerni*.

Et lib. de Utilitate Credendi, cap. 17. *Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit*.

Et lib. 1. contra Adversarium Legis & Prophetarum, cap. 20. *Sanè*, inquit, *de Apocryphis iste posuit testimonia, quæ sub nominibus Apostolorum Andreæ, Joannisque conscripta sunt. Quæ si illorum essent, recepta essent ab Ecclesia, quæ ab illorum temporibus per Episcoporum successiones certissimas usque ad nostra & deinceps tempora perseverat, & immolat Deo in corpore Christi sacrificium laudis*. Igitur ab Apostolorum ætate perpetuam Episcoporum singularium successionem agnovit sanctus Augustinus, quos & Presbyteris superiores ex Ecclesiæ doctrina & fide propugnavit.

Idem constat ex ipsius Sermone 59. de Verbis Apostoli, ubi exponens sancti Pauli præcepta de constituendis Episcopis in Epistolâ ad Titum datâ, ea ad se & ad Coepiscopos suos pertinere agnoscit, ac proinde talem fuisse Episcopatum sancto Paulo scribente, qualis erat ipso Augustino prædicante, pariter a Presbyteratu distinctum, pariter eo præstantiorem. *Beati*, inquit, *Apostoli Epistola cùm legeretur de constituendis Episcopis, commemoravit nos sine dubio respicere in nos: & vos commemoravit non judicare nos..... Inter cætera ait, Episcopum debere esse potentem in doctrina sana, ut contradicentes redarguere possit. Magnum opus est, gravis sarcina, clivus arduus.*

Idem enarratione in Psalmum 44, Episcopos Apostolorum loco in Ecclesia asserit constitutos. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii. Genuerunt te Apostoli: ipsi missi sunt, ipsi prædicaverunt, ipsi Patres. Sed numquid nobiscum corporaliter semper esse potuerunt?..... Ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia? Absit. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii. Patres missi sunt Apostoli; pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi qui sunt per totum mundum unde nati sunt. Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, ipsa illos constituit in sedibus Patrum.*

§. IX.

Traditio Ecclesiæ Gallicanæ.

IDem confirmatur ex Traditione Ecclesiæ Gallicanæ, cujus testis est sanctus Irenæus, libro 3. adversùs Hæreses, cap.3. ubi ut Hæreticorum dogmatum vanitatem ex novitate refelleret, ad Apostolorum Traditionem provocat: quam ex omnibus illis Ecclesiis, in quibus ab Apostolis Instituti sunt Episcopi, & eorum successoribus, usque ad tempus suum, ait posse repeti. *Traditionem*, inquit, *Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest perspicere omnibus qui vera velint audire: & habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, ut Successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita Mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maximè traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos & irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos & Successores relinquebant, suum ipsorum locum Magisterii tradentes.* Ex quibus patet, Apostolos in pluribus Ecclesiis singulos instituisse Episcopos qui illis præessent, quique illis in sacro Principatu succederent. Et quoniam ex omnium Ecclesiarum tabulis Episcoporum Catalogos describere longum erat; unius Romanæ Sedis Episcopos recenset Sanctus Irenæus: hoc ipsum quod in Ecclesia principe factum est, in cæteris solemne fuisse demonstrans. *Sed quoniam valde longum est*, inquit, *in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis Traditionem, & annuntiatam hominibus Fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præter quàm oportet colligunt.* Subjicit Romanorum Pontificum indiculum ab Apostolis Petro & Paulo usque ad Eleutherium, quem duodecimum numerat. *Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt..... Succedit autem ei Anacletus. Post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens; qui & vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis*, &c. Romanæ igitur Ecclesiæ ex Apostolica Traditione singulares Episcopi præfuerunt: quorum successio ab Apostolis derivata, res erat notissima sancti Irenæi temporibus. Alioqui inepta fuisset illius ex Episcoporum successione ad successionem doctrinæ, seu Traditionem persuadendam argumentatio. Nec Romæ tantùm, sed in aliis etiam Civitatibus eadem ab Apostolis forma constituta est gubernandarum Ecclesiarum. Falsò itaque comminiscuntur Protestantes, secundo solùm cadente sæculo singulis Ecclesiis singulos præpositos fuisse Episcopos, cùm antea a toto Presbyterorum Collegio, pari jure ac potestate regerentur.

Eruitur præterea Gallicanæ Ecclesiæ Traditio ex Epistolâ Viennensis, & Lugdunensis Ecclesiarum ad Ecclesias Asiæ & Phrygiæ, relata ab Eusebio libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.1. in qua sanctum Pothinum Lugdunensis Ecclesiæ Episcopatum singulari & præcipua auctoritate administrasse testantur. *Beatissimus autem Pothinus*, inquiunt, *qui Episcopatum Lugdunensis Ecclesiæ administrabat, nonagenario major, & corpore admodum infirmo, ob præsentem quidem corporis imbecillitatem ægrè spiritum trahens, cæterùm pro cupiditate imminentis Martyrii mirabili animi alacritate firmatus, etiam ipse ad tribunal ferebatur*, &c.

§. X.

Traditio Ecclesiæ Hispaniensis.

EJus testes sunt Illiberritanæ Synodi Patres, Canonibus 36. & 37. & Sanctus Pacianus Barcinonensis Episcopus Epist.1. adversùs Sympronianum Novatianum, ubi probat non solis Apostolis, sed eorum Successoribus Episcopis concessam a Christo fuisse remittendorum peccatorum potestatem. *An tantùm*, inquit, *hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum sanctum dare solis, & solis Gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis quàm Apostolis imperatum est*, &c. *Si ergo & Lavacri & Chrismatis potestas, majorum longè Charismatum, ad Episcopos inde descendit, & ligandi quoque jus adfuit atque solvendi. Quod & si nos ob peccata nostra temerariè vindicamus; Deus tamen illud ut sanctis & Apostolorum Cathedram tenentibus non negabit; qui Episcopis etiam Unici sui nomen indulsit.* Et paucis interjectis: *Nemo*, inquit, *Episcopum hominis contemplatione despiciat. Recordemur quòd Petrus Apostolus Dominum nostrum Episcopum nominarit. Sed conversi*, inquit, *modò ad Episcopum & Pastorem animarum vestrarum. Quid Episcopo negabitne, in quo Dei nomen operatur?* Igitur Episcopos singulares Apostolorum Successores esse, & exortis cujusdam potestatis in Mysteriorum Dei dispensatione, Ecclesiæque regimine hæredes, Hispaniensis Ecclesia docuit & prædicavit.

§. XI.

Ultima probatio arcessitur ex Ordinationibus Presbyterorum Chorepiscopis prohibitis.

AD cumulum accedit petita probatio ex iis omnibus Antiquitatis Ecclesiasticæ Monumentis, quibus Chorepiscopia vetitæ Presbyterorum Ordinationes leguntur, & in irritum missæ, quòd Presbyteri simplices essent & 72. Discipulorum, non verò Apostolorum Successores. Ex iis enim locis compertum est, potestatem ordinandi Presbyteros Episcopis divino jure esse propriam. Si enim Presbyteris ex Christi concessione, & ex Ordinis sui charactere pariter conveniret, validæ fuissent & ratæ Ordinationes a Chorepiscopis celebratæ, quantumvis secundi tantùm Ordinis Sacerdotes fuisse supponantur: sicut validus erat Baptismus, & verè consecrata Eucharistia a Presbytero, qui Episcopo præsente, nec jubente, aut permittente, baptizasset, aut Eucharistiam confecisset, iis temporibus, quibus has Ministerii partes præsentibus Episcopis, absque eorum concessione & mandatis obire, Canones Presbyteris prohibebant.

§. XII.

Objectiones Blondelli ex Scriptura Sacra petita diluuntur.

OBjicit Blondellus contra Catholicam veritatem ex Scriptura sacra. Primò: quisquis qualis Presbyter ordinari debeat probaturus, Episcopum describit, eumdem Presbyterum, qui & Episcopus sit, ex professo statuit. Apostolus Epist. ad Titum cap.1. qualis Presbyter ordinari debeat probaturus, Episcopum describit. Ergo Apostolus, Epist. ad Titum, eumdem Presbyterum qui & Episcopus sit, ex professo statuit.

Secundò. Quisquis plures eodem tempore Civitatis unius Episcopos agnoscit, Episcopatum cum Presbyteris communicat, ut eodem æquo jure fungantur. At Paulus plures eodem tempore Civitatis unius (Philippensium nimirum) Episcopos agnoscit ad Philipp.1. his verbis usus. *Omnibus Sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus*. Ergo Paulus Episcopatum cum Presbyteris communicat ut eodem æquo jure fungantur. Certè cùm inter Episcopos & Diaconos nullum Ordinem Apostolus interponat, eos intelligit Episcoporum nomine, qui & Presbyteri dicebantur.

Tertiò. Quoscumque Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam attendere gregi, &c. ii veri nominis ac propriè dicti Episcopi censendi sunt: quid enim aliud præstare suum putent, quos nunc Episcopos vocamus? At [Paulo teste] cujuscumque Civitatis, verbi gratia Ephesinæ, quoscumque Presbyteros Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam, attendere gregi, &c. ad Presbyteros enim seu Majores natu Ecclesiæ Ephesinæ verba faciens, Act.20. ait: *Attendite vobis & universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Ergo Paulo teste cujuscumque Civitatis Presbyteri veri nominis, ac propriè dicti Episcopi censendi sunt.

Quartò. Cujuscumque est pascere gregem Dei & Episcopum agere, is est veri nominis Episcopus: atqui Presbyteri cujuscumque, Petro teste, Epist.1. cap.5. est pascere gregem Dei, & Episcopum agere: *Seniores ergo*, inquit, *qui in vobis sunt, obsecro*, &c. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum*, &c. Ergo Presbyter quicumque, Petro teste, est veri nominis Episcopus.

Ex quibus omnibus hunc quintò Syllogismum nectit Blondellus. Quale fuit Ecclesiæ inter Philippenses, Ephesios, Hierosolymitas, Ponticos, &c. toto Apostolorum Sæculo regimen, tale inter Christianos omnes ubivis Gentium fuit. Atqui tale Ecclesiæ inter Philippenses, Ephesios, Hierosolymitas, Ponticos, &c. toto Apostolorum Sæculo regimen fuit, ut pluribus una Episcopis, Præpositis, &c. subjiceretur fraternitas, qui eam in commune regerent: ergo apud Christianos omnes ubivis Gentium eadem fuit regiminis Ecclesiastici forma.

Sextò. Idipsum confirmat Apostolus 1. ad Timoth.4. his verbis: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii*. Sive enim per Presbyterium Presbyterorum Collegium, sive Presbyterale munus intelligi placeat, æquè stringitur nodus hoc modo. Ad quemcumque cœtum spectat Ordinatio Episcopi, is est verè & propriè Episcopalis: Ad Presbyterium, seu Presbyterorum cœtum spectat Ordinatio Episcopi, ex loco laudato Apostoli: ergo Presbyterium, sive Presbyterorum cœtus est verè Episcopalis. Item. Quæcumque gratia per impositionem manuum Timotheo, quem inter Episcopos extitisse nemo negat, collata est, verè est Episcopalis: Presbyterium, seu Presbyteri munus est gratia per impositionem manuum Timotheo collata: Ergo Presbyterium, seu Presbyteri munus est gratia verè Episcopalis.

Ad primum Respondeo, distinguo majorem. Si nomine Presbyterii, cujus de Ordinatione agit, intelligat secundi Ordinis Sacerdotem, quales modò sunt Presbyteri simplices, concedo. Si nomine Presbyteri Sacerdotem primi Ordinis, quales nunc sunt Episcopi, significet, nego. Distinguo pariter minorem. Apostolus ad Titum, cap.1. qualis Presbyter ordinari debeat probaturus, Episcopum describit: & Presbyteri nomine primi Ordinis Sacerdotem intelligit quales nunc sunt Episcopi, concedo. Et secundi Ordinis Sacerdotem significat, quales nunc sunt Presbyteri, nego. Cùm igitur sanctus Paulus scribit se Tito dedisse in mandatis ut constituat per Civitates Presbyteros, hoc nomine Episcopos intelligit quales adulta habuit Ecclesia, ut constat ex sancto Joanne Chrysostomo, ex Oecumenio, & Theophylacto in prima Propositionis probatione adductis.

Respondeo 2. distinguo eamdem majorem. Eumdem Presbyterum qui & Episcopus sit, ex professo statuit: eumdem quoad nomen & quoad dotes; vel etiam eumdem hominem qui utramque dignitatem gerat, concedo: Eumdem quoad gradum & dignitatem, nego. Itaque sanctus Paulus Presbyterum & Episcopum iisdem characteribus delineat, quia in illis rei Christianæ exordiis, Presbyteri & Episcopi nomina promiscuè usurpabantur, & eædem prope dotes, idemque virtutum apparatus Presbytero & Episcopo necessarius est: & aliunde Presbyteratus in Episcopatu tamquam in Ordine superiore continetur; adeòque unum plerumque sunt subjecto. Sed iisdem lineamentis Presbyterum & Episcopum non describit, quòd Presbyteratus & Episcopatus idem sint essentiâ, id est, quòd sint idem Ordo, eadem sacra dignitas, & quòd omnis Presbyter sit Episcopus. Sic idem homo Melchisedech Rex erat & Sacerdos: non tamen eadem erat dignitas Regis & Sacerdotis

Ad secundum respondeo, distinguo majorem. Quisquis plures Civitatis unius Episcopos agnoscit, id est plures, quibus Episcopi dignitas & supremi Sacerdotii gradus communis esset, concedo: quibus nomen tantùm Episcopi commune esset, non verò dignitas Episcopatus, qualis nunc est, nego. Distinguo pariter minorem: Paulus plures unius Civitatis Episcopos agnoscit, id est, plures Presbyteros qui tunc Episcopi vocabantur, concedo; id est plures qui ordine & dignitate Episcopi essent, quales nunc habet Ecclesia, nego. Favet huic distinctioni Theodoretus in Commentar. cap. 3. Epist. 1. ad Timoth. ubi asserit, *Eosdem olim Presbyteros appellatos, & Episcopos. Quos autem Episcopos hodie nominant, tunc Apostolos vocasse. Procedente deinde tempore, Apostolatus nomen iis, qui verè Apostoli dicti sunt, reliquerunt; Episcopatus autem appellationem iis imposuerunt, qui quondam Apostoli nominabantur.* Idem ex Sancto Hieronymo colligitur in Commentar. Epistolæ ad Philippenses.

Respondeo secundò, non esse penitus inconcussam majoris Propositionis veritatem. Quamvis enim in una Ecclesia aut cœtu plures simul Episcopi non fuerint, nihil tamen obstat quin eadem in Civitate duo aliquamdiu disterminati cœtus fuerint, duobus ab Apostolis ad fidem adducti, diversis forsan dialectis & ritibus aliquando disjuncti, quibus duo itidem Episcopi seorsim & divisis Cleris præsiderent.

Respondeo tertiò, nego minorem. Philippenses enim, ad quos hæc Epistola dabatur, non unius tantùm Civitatis aut cœtus nomen esse contendo, sed integræ Provinciæ aut Diœceseos, in qua plures Civitates fuerunt, adeòque plures Episcopi. Philippos quippe unius Provinciæ in Macedonia primam Civitatem fuisse, constat ex Act. 16. v. 12. adeòque Metropolim. Hinc colligitur istam sancti Pauli Epistolam Philippensibus suis datam, ad totam Diœcesim inscriptam esse, universum scilicet Civitatum confinium (quarum Metropolis Philippi) in quibus plures absque dubio Episcopi fuere. Illud etiam suadet sanctus Lucas, qui Philippos non tantùm Metropolim fuisse affirmat, sed & Coloniam Romanorum. Porrò quòd Episcopi propriè dicti in hoc Apostoli loco intelligendi sint, auctor est sanctus Epiphanius Hæresi 75. ubi erroris ansam Aërio porrectam esse asserens ex eo quòd Apostolus Episcopis & Daconis scribat, statim adjicit: *Ubi jam Episcopi constituti fuerant* (propriè dicti) *ad Episcopos & Diaconos scribebat.* Quod sine dubio ejus dictum hunc ad Philippenses locum spectat. Quod nulla Presbyterorum interjecta mentione, Episcopis & Diaconis Epistolam illam inscripserit Apostolus, inde contigit, quòd in illis Christianæ Reipublicæ exordiis nonnullæ Civitates essent, quibus unus Episcopus cum Diaconis præsidebat, nulli verò quos hodie vocamus secundi Ordinis Presbyteros: quia tam numerosa non erat plebs Christiana, ut cœtus Presbyterorum illi necessarius esset: Nec multos Sacerdotio dignos erat reperire. *Neque enim*, inquit sanctus Epiphanius, *subinde omnia ab Apostolis ordinari poterant: & quidem Presbyteris in primis & Diaconis opus erat; a quibus videlicet ambobus Ecclesiastica negotia administrari possunt. Quare ubi nondum Episcopatu dignus aliquis occurrerat, nullus ei loco præpositus est Episcopus. At ubi & necessitas postulabat, nec eorum, qui Episcopatu digni erant, copia deerat, ibi Episcopi constituti. Sed cùm haud magna multitudo foret, reperiri nulli potuerunt, qui Presbyteri crearentur: unde solo Episcopo contenti fuerunt. Sine Diacono verò Episcopus esse non potest. Quare in id Apostolus incubuit, ut ministrandi gratia Episcopo Diaconi suppeterent. Itaque cum nondum Ecclesia suis omnibus functionibus expleri posset, per illud tempus istiusmodi singulorum locorum status extitit. Neque verò ulla res est, quæ ab initio suis omnibus numeris absoluta fuerit: sed procedente demum tempore, sua opportunitatibus omnibus ad perfectionem accessio contigit.* Singulares itaque Episcopos suis adjutos Diaconis, singulis Macedoniæ Civitatibus præfuisse constat, præsertim cùm hæc ipsa Philippensium Ecclesia, ut & Thessalonicensium altera, inter eas nominatim recenseantur a Tertulliano, apud quas, ejus ætate, Apostolorum Cathedræ suis adhuc locis segebantur, ipsæque eorum authenticæ literæ recitabantur. Quæ satis probant Episcopum singularem in hac Philippensium Ecclesia (Epaphroditum dixit Theodoretus) ab Apostolo ipso constitutum esse, (Cur non & Thessalonicæ, & in aliis Macedoniæ Civitatibus?) Nec igitur Presbyteros compares ἐπισκόπους, sed solos verique nominis Episcopos diversarum Civitatum Philippensi Metropoli subditarum intelligendos esse.

Resondeo quartò, dato & non concessu Presbyteros, quos hodie dicimus, compares eo loco intelligendus esse, nihil ex ea hypothesi concludi posse quod causæ nostræ quovis modo officiat, cùm vel Philipporum sedes vacare, vel ipsorum Episcopus eo temporis articulo a sede sua abesse potuerit. Et illud quidem constat, Epaphroditum (Theodoreto, Chrysostomo, Theophylacto testibus) Philippensium Episcopum ipsorum oblationes ad usus sancti Pauli necessarios deferentem (cap. 4. v. 18.) Romæ tunc, cùm Apostolus hanc Epistolam scriberet, adfuisse, ipsamque hanc Epistolam, quam ideò nomini ejus inscribi consentaneum non fuit, ad eos retulisse.

Ad tertium respondeo, distinguo minorem: si positi sint regere Ecclesiam & attendere gregi ut summi Ecclesiæ Præsides, summique Pastores gregis, concedo; ut rectores Ecclesiæ sub Episcopis, nego. Porrò secundi Ordinis Sacerdotes, quibus animarum cura demandata est, ut illi qui hodie Curati dicuntur, Ecclesiam quidem, secundùm aliquas portiones regunt, attenduntque gregi; sed ut administri sub Principe, ut minores opiliones sub summo Pastore, commissos sibi greges sub Episcopo, qui universo gregi præest, pascunt & moderantur.

Respondeu secundò, nego minorem. Ad unam enimverò Civitatem non est restringeodus grex ille cui præponebantur Episcopi. Testis est hujus veritatis sanctus Irenæus, libro 3. cap. 14. ubi devocatis Miletum Episcopis aut Presbyteris sermone habito, statim addit: *Ab Ephesو & reliquis proximis Civitatibus convocatos esse.* Certè plures Apostolorum tempore in Asia Episcopos fuisse, sanctus etiam Hieronymus pronuntiat in Catal. Scriptor. Eccles. cap. 9. ab ipsis rogatum S. Joannem Evangelium suum scripsisse affirmans. Huic veritati lucem afferet laudati capitis Actor. v. 31. *Propter quod vigilate*, inquit sanctus Paulus, *memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessavi, cum lacbrymis monens unumquemque vestrûm.* Quinam verò erant illi quibus ita commonendis & erudiendis tres annos solidos Apustolus insumpsit? Num unius Civitatis Christiani? Imò consulatur Historia rei gestæ cap. 19. proposita. Paulus Ephesum venit, v. 1. Discipulis 12. primùm in nomine Jesu baptizatis, v. 5. postea etiam manus imposuit, v. 6. Spiritu sancto statim dona linguarum & Prophetiæ iis largiente. Post hæc in Synagoga Ephesina per tres menses prædicavit, v. 8. dein per spatium aliquod in Schola Tyranni cujusdam, v. 9. dein prædicationi & miraculorum operationi biennium integrum in-

insumpsit; ex quo factum est ut omnes Asiam universam incolentes audirent Verbum Domini, v. 10. dein, v.22. missis in Macedoniam Timotheo & Erasto, ipse Paulus in Asia moram fecit: tandemque, v.26. Manifestum esse ait Demetrius, non solùm Ephesi, sed per universam ferè Asiam, multitudinem non exiguam ad Fidem a Paulo conversam esse. Ideòque in ista regione portam magnam sibi apertam esse Paulus affirmat, Cor. 16. v.9. ex quibus colligitur, universam Asiam, non unicam Asiæ Civitatem Ephesum, gregem hìc dici, cujus Episcopos Miletum sanctus Paulus convocavit. Nihil igitur obstat quin singuli singularium urbium Antistites hoc titulo significentur.

Id luculentius demonstratur ex v.18.cap. laudati: ubi Sanctus Paulus dictos Episcopos prædicationis & conversationis inter illos suæ, non Ephesi solùm, sed & per totam Asiam, conscios, & testes advocat. *Vos scitis*, inquit, *a prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim*: & v.25. *Et nunc ecce ego scio, quia ampliùs faciem meam non videbitis vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei*. Quinam verò illi fuerunt inter quos, ex quo in Asiam descenderat, tantum insumpserat temporis Apostolus; inter quos non sedem fixerat, sed in transcursu a loco in locum prædicans regnum Dei transiverat? Certè non unica urbs Ephesina, sed aut integra regio, aut certè præcipuę & nobilissimæ Asiæ Civitates: quas cùm tanto cum profectu sanctus Paulus peragrasset, verisimillimum est eum in illis, æquè ac Ephesi, Episcopos singulares gregibus singulis pręfecisse: quos hic Meletum vocavit, ut illis curam gregis commendaret.

Id confirmatur ex antiquissimo Martyrii sancti Thimothei Scriptore, apud Photium in Bibliotheca Cod.254. dicente Sanctum Joannem Apostolum cum 7. Episcopis (illis sine dubio qui septem Ecclesiarum Angeli in Apocal. nominantur) universam Asiam gubernasse, Ephesi substitisse, ibique septem illos ut in Concilio adfuisse Episcopos. Idem confirmatur ex Sancto Joanne Chrysostomo, Homil.15. in 1. ad Timoth. ubi de Timotheo testatur, ipsum quà Ephesi Episcopum universæ Gentis Asiaticæ curam commissam habuisse.

Ad quartum respondeo, nego minorem. Seniorum namque & Presbyterorum nomine sanctus Petrus compares Presbyteros non significavit, sed Episcopos, qui tunc etiam Presbyteri, vel Seniores vocabantur, Presbyteri & Senioris voce ab ætatis notione ad honoris & dignitatis appellationem translata. Unde sanctus ipse Petrus *Consenatorem* se sive *Compresbyterum* vocat & sanctus Joannes se *Presbyterum*, seu *Seniorem* inscribit. Vox igitur *Presbyter*, aut *Senior* alio sensu nunc usurpatur ab eo quo in Apostolicis Epistolis interdum usurpata est; Apud nos enim ordinis & gradus vocabulum est ab episcopatu distincti illoque inferioris: apud illos autem reverentiæ, honoris & dignitatis nomen est. Unde non sequitur, si Apostoli Presbyteros appellant eos qui revera essent Episcopi, ipsos unum & eumdem Ordinem Episcopatum & Presbyteratum existimasse. Id apposito illustrat exemplo. Petavius lib.2. de Ecclesiast. Hierach. cap.3. Romæ *Prætor* olim commune nomen fuit majorum omnium Magistratuum, *Qui jure & exercitu præirent* ut scribit Varro: vel ita dictus, *Qui præiret exercitui Imperator ab Imperio populi*. Unde & *Prætorium* in castris, ubi Imperatoris gubernaculum erat: & *Prætoria porta, cohorsque Prætoria*. Post verò peculiaris Magistratus nomen evasit. Nec rectè ratiocinaretur qui ex eo quòd illos qui Consules postea dicti sunt, olim Prætores vocatos esse legeret, concluderet eumdem in Romanorum Republica fuisse Prætorem & Consulem. Nam Prætor secundùm priscam vocis notionem, non certi Magistratus, sed universim & indefinitè majoris omnis Magistratus nomen est, secundum posteriorem verò. unum & peculiarem aliquem designat Consulatu minorem. Non dissimili ratione, *Presbyter*, quà dignitatis & honoris dumtaxat nomen est, primi, & secundi Ordinis Sacerdotibus commune fuit: deinde a communi ambobus significatione ad propriam Ordinis secundi translatum atque restrictum est. Neque tamen inde rectè colligunt Heterodoxi Presbyteratum & Episcopatum unum & eumdem Ordinem fuisse, & Presbyterorum nomine quos Apostolus Petrus ad pascendum gregem hortatur, simplices comparesque Presbyteros intelligendos esse.

Ad quintum respondeo, nego minorem: huncque ex adverso Syllogismum adversùs Blondellum conficio. Quale fuit Ecclesiæ inter Cretenses, Asianos, Philippenses, Hierosolymitas, Antiochenos, Romanos, toto Apostolorum sæculo regimen, tale inter Christianos omnes ubivis Gentium fuit: Atqui tale Ecclesiæ inter Cretenses, Asianos, Philippenses, Hierosolymitas, Antiochenos, Romanos, toto Apostolorum sæculo regimen fuit ut singulari Episcopo subjiceretur fraternitas, qui Presbyteros ordinaret, cuique ipsi parerent; ergo apud Christianos omnes ubivis Gentium eadem fuit regiminis Ecclesiastici forma. Minor evidens est cùm ex probationibus Propositionis, tum ex iis quæ hucusque in argumentorum solutione diximus.

Ad sextum respondeo, distinguo minorem: Et Presbyterii nomine non intelligitur simplicium, quos hodie vocamus, seu comparium Presbyterorum cœtus concedo: & intelligitur ab Apostolo cœtus Presbyterorum, quales nunc vocantur id est Sacerdotum secundi Ordinis, nego. Vel enim ad Apostolorum Collegium, quod Sanctus Ignatius, πρεσβυτέριον τῆς ἐκκλησίας in Epist. ad Philadelphios, nuncupat, aut ad Apostolicorum virorum, seu Episcoporum cœtum aliquem refertur ista vox, *Presbyterium*, qui simul cum sancto Paulo Timotheum ad Episcopale munus consecrarunt. Certè cum sancti Apostoli Petrus & Joannes Presbyteros se inscribant: cùm de SS. Paulo & Barnaba Actor. 14. v. 23. dicatur, eos per Civitates Presbyteros constituisse: cùm denique de Sancto Ignatio affirmet Sanctus Joannes Chrysostomus ipsi a beatis Apostolis manus impositas fuisse; nihil obstat quominus, quod Pauli & Barnabæ, & aliorum Apostolorum manibus factum fuit, *Per manuum impositionem Presbyteris*, factum dicatur: Cùm tamen 2. ad Timoth.1. v. 6. disertè affirmet sanctus Paulus, per manus ejus gratiam illi datam esse. *Propter quam causam admoneo te*, inquit, *ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*; & sanctus quidem Chrysostomus, Homil. 13. in Epist.1. ad Timotheum, de Episcopis, quales adulta habuit Ecclesia, hunc locum Apostoli exponit. *Non de Presbyteris istbic loquitur*, inquit, *neque enim Presbyteri Episcopum ordinabant*. Suffragantur Oecumenius & Theophylactus in eumdem locum.

Objicitur secundò. Omnem Episcoporum hodiernorum Primatum S. Joannes in Diotrephe damnavit, Epist. 3. v. 9. *Scripsissem forsitan Ecclesiæ*, inquit, *sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes non recipit nos*. Ergo tunc nulli erant Episcopi qui Primatum inter Presbyteros gererent, sed solùm Presbyteri compares.

Respondeo nego antecedens. Diotrephes enim

non

non solùm comparibus suis, sed & ipsi Joanni Apostolo præponi voluit, dignitatemque ambiit, non quæ Presbyterorum Collegio, sed quæ sanctissimo Apostolo debebatur, & schisma faciebat in Ecclesia. *Diotrephes*, inquit, *non recipit nos. Propter hoc si venero, commonebo ejus opera quæ facit verbis malignis garriens in nos: & quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres, & eos qui suscipiunt prohibet & de Ecclesia ejicit.* Quid ergo hoc ad primatum Episcoporum qui Apostolis ipsorum primatum, auctoritatem & dignitatem incolumes relinquunt, sed ut Apostolicæ dignitatis hæredes in Ecclesia præsident, claviumque a Christo datarum exercent potestatem, non proprii commodi gratiâ, sed ut alios sub se omnes in unitate fidei conservent, & ad salutem æternam promoveant; In Ecclesia scilicet Asiatica Joannis Apostoli curæ subjecta, nullo modo ad Diotrephen primatus pertinebat: Nulla ab Apostolis missio, aut manuum impositio ipsum ad supremum in Ecclesia gradum ordinemque evexerat: Propriæ ambitionis motu & suffragio, non tantùm non jubente, sed etiam renitente Sancto Joanne Apostolo, ad primatum ascendere voluit. Quid porrò ex hoc adversùs Episcopos inferri potest jubentibus & consecrantibus Apostolis, non ex ambitione aut cupiditate primatûs; sed ex missione & providentia Christi erga suam Ecclesiam, ad illud Sacerdotii fastigium provectos?

Prætcrea (ut rectè contra Salmasium & Blondellum argumentatur Hammondus) aut Episcopatu singulari, supra Presbyteros eminente, fungebatur Diotrephes, aut non. Si fungebatur, cur non affectatæ illius super pares dignitatis ipsum Apostolus incusavit? Cur idem tantùm ei, quia Joannem ipsum, seu literas Joannis Apostolicas non recipiebat, dies dicebatur? Aut cur demum, quod Diotrephi impunè cessit, ab Apostolo vivente & vidente neutiquam damnatum, id in Episcopis nostris adeò immaniter plectendum clamant Protestantes? At si Diotrephes Episcopus non erat, tunc statim illud in confesso est, nihil ad Episcoporum Ordinem Diotrephis exemplum spectare.

§. XIII.

Respondetur Objectioni Blondelli ex Epistolâ Sancti Polycarpi, & ex forma Regiminis Ecclesiastici.

OBjicit tertiò Blondellus testimonium S. Polycarpi in Epist. ad Philippenses apud Eusebium lib. 4. cap. 15. *Subjecti*, inquit, *estote Presbyteris & Diaconis, sicut & Deo, & Christo, seu Virgines inculpatâ & castâ conscientiâ gradientes: Presbyteri autem sint faciles ad compatiendum affectu præditi.* Cùm nulla, inquit, Blondellus totâ Epistolâ Episcopi qui Philippensi Presbyterio superemineret, mentio appareat, eo ipso manifestissimum sit, Philippensium Presbyteros fraternitatem in commune rexisse. Secundò, binos tantùm Christiani Cleri gradus Polycarpum statuisse.

Respondeo, nego consequens. Presbyterorum enim nomine, etiam Episcopi a sancto Polycarpo significantur. Utrique enim Ordini commune erat illa ætate Presbyteri & Episcopi nomen. Certè Polycarpum ipsum fuisse singularem Ecclesię Smyrnensis Episcopum, non verò aliquem ex comparibus Presbyteris, constat ex Epistolâ Smyrnensis ipsius Ecclesiæ ad Ecclesias Ponti, apud Eusebium libro 4. Histor. Eccles. cap. 15. ubi Martyrum suorum certamina describens, ait: *Quorum ex numero hic certè unus fuit nostra ætate, Apostolicus & Propheticus Doctor, Catholicæ Smyrnensium Ecclesiæ Episcopus.*

Idem constat ex sancto Irenæo, apud Eusebium libro 4. cap. 14. *Sed & Polycarpus*, inquit, *vir qui non solùm ab Apostolis eruditus, & cum multis qui Dominum viderant familiariter versatus; verùm etiam in Asia Smyrnensi Ecclesia ab ipsis Apostolis ordinatus est Episcopus: quem nos quoque adhuc adolescentes vidimus..... Hic, inquam, Polycarpus ea semper docuit, quæ ab Apostolis didicerat, & quæ etiamnum tradit Ecclesia, & quæ sola sunt vera. Testantur hoc Ecclesiæ omnes quæ in Asia constitutæ sunt, & quicumque ad nostram usque ætatem in Polycarpi locum successerunt.*

Idem testatur Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptor. Ecclesiastic. cap. 17. *Polycarpus*, inquit, *Joannis Apostoli Discipulus, & ab eo Smyrnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit. Quippe qui nonnullos Apostolorum, & eorum, qui viderant Dominum, Magistros habuerit, & viderit.* Porrò Polycarpus a S. Joanne constitutus & ordinatus Smyrnæ Episcopus non esset, si plures in una Ecclesia Episcopi fuissent Ecclesiam communi consilio regentes, & eorum unus solâ ætatis prærogativa, non alieno suffragio, aut nova Ordinatione sacram Præfecturam suscepisset. Sed & Polycarpus ipse ab iis qui ipsi adsistebant Presbyteris se distinguit, ut demonstrat laudatæ Epistolæ inscriptio: *Polycarpus, & qui cum ipso sunt Presbyteri.*

Objectionem quartam petit Blondellus, ex forma regiminis Ecclesiastici, quo tempore Marcion Romam advenit: de quo sanctus Epiphanius, Hæresi 42. ita scribit: *Cùm Senioribus usque tunc superstitibus, quique ab Apostolorum Discipulis prodierant, collatione facta, se in Synaxim recipi petebat: nemo verò ipsi permisit. Cæterùm invidiâ elatus, velut cui nec præsidentia, nec ingressus Ecclesiæ datus, id sibi cogitavit, ut ad Cerdonis impostoris Hæresim confugeret. Incœpit autem Presbyteris, qui tunc temporis aderant, hoc quæsitum prætendere*, &c. Ibidem repulsum tenebrionem illum refert sanctus Epiphanius, cùm hac expostulatione usus esset: *Qua de causa me non suscepistis?* Et sequenti responso repressum: *Quia id facere non possumus sine honorandi Patris tui permissu: una enim fides est, unaque animorum consensio, nec possumus Collegæ bono Patri tuo contraire.* Ex quibus colligit Blondellus, secundo Sæculo pares Episcopis Presbyteros, ejusdem & Collegii Fratres, & Ministerii consortes Romæ creditos: & nullum tunc temporis reale inter eorum munera discrimen ibidem excogitatum.

Respondeo nego consequens: imò contrarium omnino colligitur ex Marcionis Historia a sancto Epiphanio descripta, ejus quod Blondellus concludit. Perspicuum enim ac exploratum est, Marcionis patrem fuisse *Catholicæ Communionis in Ponto Episcopum, & in hac Episcopalis muneris administratione præstantem. Ab ipso* Marcionem ob illatum Virgini stuprum, *Ecclesiâ pulsum esse.* Romam pervenisse *post Hygini Papæ obitum, qui a Petro Pauloque Apostolis nonus Ecclesiæ præfuerat.* Adiisse *Presbyteros & Doctores Ecclesiæ Romanæ*, ut ab iis Communionem extorqueret: sed repulsam meritò passum esse. Ex quibus patet, Ecclesiis Ponti, & Romanæ, singulares tunc temporis præfuisse Episcopos, quorum gradus a Presbyterorum ordine distinctus esset. Licèt autem Presbyteros adierit ad Communionem obtinendam, non sequitur quòd Ecclesia Romana communi comparium Presbyterorum consilio regeretur, absque Episcopo sacri Senatus Præside: sed solùm, defuncto Episcopo Hygino, & vacante Sede, Romanæ Ec-

clesiæ

clesiæ Presbyteros *vice Pastoris* gregem rexisse. Unde ad illos, non ad Episcopum, qui tunc nullus erat, Marcion se contulit. Quod autem responderunt Marcioni ipsos importunius urgenti se absque jussu patris ipsum recipere ad Communionem non posse; non probat Presbyterorum & Episcoporum æqualitatem; sed Romani Cleri modestiam tantùm commendat, qui legis & consuetudinis Ecclesiasticæ rationem habuit, secundùm quas ab aliquo Episcopo excommunicatum, ab aliis ad Communionem recipi, nisi priùs satisfecisset, & ab ipso restitutus fuisset, nefas erat. Episcopum verò Marcionis parentem Romani Presbyteri Collegam vocant, ratione Sacerdotii, quia omnis Episcopus est Presbyter; non ratione Episcopatus & singularis ac præcipuæ in regenda Ecclesia auctoritatis: quasi omnis Presbyter Episcopus fuisset. Sic S. Augustinus Hieronymum, Deogratias, Sixtum, Casulanum, Victorianum, & alios quos Ordinis secundi Sacerdotes tantùm fuisse in confesso est, in literis ad ipsos datis *Compresbyteros* vocat.

§. XIV.

Objectionee Blondelli ex SS. Ignatio & Justino dissipantur.

OBjectionem quintam instruit Blondellus ex sancto Justino Martyre in Apologia Imperatoribus oblata; in qua Ecclesiarum sui temporis & statum, & morem graphicè descripsit his verbis: *Postea Fratrum Præposito panis & poculum offertur*, &c. *Postquam Præpositus gratias egit, totusque populus fausta omnia acclamavit, qui inter nos Diaconi vocantur, dant unicuique*, &c. *Postquam cessavit Lector, Præpositus sermonem monitorium habet*, &c. *Præpositus preces & Eucharistias, quantùm potest, sursum mittit; & populus faustè acclamat, Amen dicens; & unicuique distributio & participatio rerum Eucharistisatarum fit; absentibus quoque per Diaconos mittitur*. Ex quibus colligit Blondellus, sanctum Justinum binos tantùm Christiani Cleri gradus, Præpositorum scilicet, quocumque, sive Episcoporum, sive Presbyterorum nomine veniant, & Diaconorum agnovisse.

Respondeo nego consequens. Non enim erat necesse ut sanctus Justinus omnes Ecclesiæ Ordines recenseret. Ibi namque Synaxes Christianorum, & celebrandi Sacrificii ritus describebat: unde eos tantùm Ordines memorare opus habuit, qui ad Sacrificium celebrandum necessarii sunt, nempe Antistitem, seu Præpositum, sive ille sit Episcopus, sive tantùm Presbyter; & Diaconum.

Respondeo secundò, hoc προεστῶτος titulo, primis Ecclesiæ Sæculis Episcopum singularem insignitum fuisse, non compares Presbyteros. Id tribus testimoniis confirmat Hammondus. Primum est Dionysii Corinthiorum Episcopi, qui annis circiter quadraginta post Justinum floruit in Epist. ad Athenienses, apud Eusebium, libro 4. Histor. Eccles. cap. 23. ubi τοῦ πλείω προεστῶτος αὐτῆ mentione priùs facta, statim post Martyrium Publii, Quadrati eorum Episcopi meminit. Secundò, Marcellus Ancyranus Episcopus in Epistolâ ad Julium Romanum Episcopum, apud sanctum Epiphanium, Hæresi 72. de seipso, aliisque Episcopis locutus, quos hæretici persequebantur, ait: *Pessima quæque contra Ecclesias Dei, & nos earum Præfectos*, καὶ ἡμῶν προεστώτων αὐτῆ, *ausi sunt*. Tertiò Concilium Ephesinum Actione 8. *Ab omni violentia*, inquit, *& injuria immunitatem habebunt Antistites Ecclesiarum quæ in Cypro sunt*. In Græco habetur προεστῶτες iidem procul dubio qui in priori Canonis parte Episcopi appellantur. Verisimile est igitur & Justinum Martyrem προεστῶτος nomine singularem Episcopum significasse.

Objicit sextò Blondellus. Auctor Epistolæ ad Magnesios Ignatio adscriptæ, Collegium Presbyterorum, & Ecclesiæ per illud administrationem vocat χριστοῦ νόμον, *Christi legem*, quia ex institutione & voluntate Christi per Apostolos institutum est: νεωτερικὴν verò τάξιν, *Novellam institutionem* vocat eam, quæ suo tempore Episcopum Presbyteris præponebat. Non sunt igitur jure divino Presbyteris superiores Episcopi.

Respondeo 1. Episcopatum, ut Presbyteratu superior est, tunc quidem novellam institutionem fuisse, cùm sanctus Ignatius ad Martyrium duceretur. Sed cùm id intra 75. annos post Resurrectionem Christi contigerit, nihil obstat quin fuerit ex Christi institutione, & tamen dici potuerit recens.

Respondeo secundò sanctum Ignatium numquam vocasse Episcopatum novellam institutionem. Illa enim vox νεωτερικὴν non novitatem Episcopatûs, sed juventutem Episcopi ibi significat. Certè omnia vocabularia docent nunc juvenem, nunc novum significare. Et sanctus Paulus 2. ad Timoth. cap. 2. νεωτερικὰς ἐπιθυμίας fugiendas monet. Quo loco nemo Interpretum novas cupiditates, vel nova desideria reddidit, sed *juveniles cupiditates*, vel *juvenilia desideria*, omnes summo consensu verterunt: & Vulgatus Interpres ita vertit: *Juvenilia desideria fuge*. Cùm itaque ea sit apud Apostolum hujus vocis νεωτερικὴ acceptio, ut juvenilem significet, non novam, cur non & apud Ignatium? Maximè cùm & antiquus Ignatii Interpres, & Martyris sanctissimi scopus ita accipiendam esse persuadeant. Vetus Interpres Usserianus sic habet: *Sed & vos decet non conti ætate Episcopi, sed secundùm virtutem Dei Patris reverentiam ei tribuere, sicut cognovi & sanctos Presbyteros, non assumentes apparentem juniorem Ordinem, sed ut prudentes in Deo concedentes ipsi*. Secundò Vulgatus Epistolarum interpolatarum Interpres habet: *Non propter juventutem, quæ in eo videtur, arbitrantes eum contemnendum*. Secundò scopus sancti Ignatii hanc interpretationem necessariò postulat. Ostendit se vidisse Damam eorum Episcopum, & Sotionem ejus Diaconum laudat, quòd Episcopo suo, ut oportuit, subjectus esset. Monet igitur Magnesianos ne familiariter nimis cum ipso agant, aut ipsum contemnant, quòd videatur junior ætate, sed ut reverentiam ei exhibeant. Urget exemplum Presbyterorum, quorum duos secum tunc habuit, Bassum & Apollonium, quosque novit eidem Episcopo quamquam juniori, debitam reverentiam præstitisse. Ostendit juventutem ejus esse apparentem: innuit eum ætate quidem & conspectu juvenem, moribus autem senem fuisse: obedientiam ei præstandam docet, aut potiùs in eo ipsi Deo omnium Episcopo. Igitur Episcopi juventutem indicavit Ignatius, quæ contemnenda non esset: non Ordinis Episcopalis novam institutionem, quem ubique a Christo institutum agnoscit.

§. XV.

Objectio Blondelli ex Epistolâ Viennensis & Lugdunensis Ecclesiarum petita evertitur.

OBjectionem septimam petit Blondellus ex Epistolâ Viennensis & Lugdunensis Ecclesiarum ad Eleutherium Romanum Episcopum, apud Eusebium, lib. 5. Histor. Eccles. cap. 4. quam sanctus Iræneus Romam detulit. *Has*, inquiunt, *Literas ut ad te perferret, Fratrem & Collegam nostrum Irenaeum*

naum

num hortati sumus. Quem quidem ut commendatum habeas rogamus, utpote æmulatorem Testamenti Christi. Quòd si nobis compertum esset, locum cuiquam conferre justitiam, eum tanquam Presbyterum Ecclesiæ (hunc enim gradum obtinet) tibi imprimis commendassemus. Sederat, inquit Blondellus, in Lugdunensi Cathedra Irenæus novennio toto, Pothini loco a Fratribus constitutus, & colobio Episcoporum vestitus; nec minùs a delegantibus Presbyter dicebatur. Si gradu divinitus instituto a Presbyteris quibusque differebat Episcopus, collatumque ab universo Presbyterio in quemquam primæ Cathedræ jus, eum a communi Collegarum sorte eximebat; quì factum ut Gallicanæ Ecclesiæ Irenæum commendaturæ, omissâ potioris dignitatis mentione, in communi titulo hærereot, & quasi in minoribus perstantem describerent?

Respondeo, Falsò asserere Blondellum, quòd jam novennio toto in loco Pothini sedisset Irenæus, cùm hæc a Martyribus Lugdunensibus ad Eleutherium Epistola data est, adeoque totam ejus argumentationem concidere. Pothinum enim in M. Aurelii Antonini persecutione comprehensum unà cum aliis Martyribus, scribit Ecclesia Lugdunensis; & ex carcere productum ad tribunal Præsidis, ac diris tormentis excarnificatum, rursus ad carcerem retractum, biduo post obiisse. Iidem porro Martyres, dum adhuc in vinculis essent, literas ad Eleutherium scripserunt per Irenæum adhuc Presbyterum perferendas. Pothino igitur adhuc superstite datæ sunt. Quamobrem falsum est sedisse jam novennio toto in loco Pothini Irenæum, cùm hæc Martyrum Epistola scripta est ab ipso Romam perferenda. Idipsum confirmatur ex sancto Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 45. *Irenæus*, inquit, *Pothini Episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, Presbyter, a Martyribus ejusdem loci, ob quasdam Ecclesiæ Quæstiones Legatus, Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherum Episcopum perfert literas. Postea jam Pothino prope nonagenario ob Christum Martyrio coronato, in locum ejus substituitur.*

Præterea, hæ Martyrum literæ Blondelli causam jugulant, siquidem Irenæum *Presbyterum* tantùm vocant, & Fratrem; Eleutherum verò Patrem: *Te per omnia ac perpetuò optamus in Deo valere, Pater Eleuthere. Has literas ut ad te perferret, Fratrem & Collegam nostrum Irenæum hortati sumus.* Pothinum verò *Episcopum* vocant iidem Martyres in Epist. ad Ecclesias Asiæ & Phrygiæ data. Hæc autem nominum diversitas indicat satis distinctum illorum ordinem & locum fuisse, & superiorem Eleutheri & Pothini dignitatem Irenæi gradu, qui frater & socius ab iis nominatur.

§. XVI.

Blondello non favet Sanctus Irenæus.

OBjectionem octavam Blondellus arcessit ex sancto Irenæo, antiquam, ut pertendit Blondellus, de Episcopatus & Presbyterii identitate sententiam pluribus in locis exprimente, Libro 3. adversùs Hæreses, cap. 2. *Cùm*, inquit, *ad eam iterum Traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successionem Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur Traditioni, dicentes, se non solùm Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem.*

Et libro 4. cap. 43. *Eis qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet; his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt.*

Cap. 44. *Tales Presbyteros nutrit Ecclesia, de quibus & Propheta ait: Dabo principes tuos in pace, & Episcopos tuos in justitia.* In Epist. ad Florinum: *Hæc tibi qui ante nos fuerunt, quique Apostolis convixere Presbyteri, nequaquam tradidere dogmata...... Si quidquam tale beatus ille & Apostolicus Presbyter Polycarpus audiisset, &c.*

Et in Epistola ad Victorem: *Qui ante Soterem Ecclesiæ cui nunc præes, præpositi fuere Presbyteri, Anicetum dicimus, & Pium, Hyginumque, & Telesphorum, & Xistum, &c. nec Polycarpus Aniceto Presbyterorum, qui ante ipsum fuerant, consuetudinem se retinere debere dicenti, ut Asianorum morem servaret persuasit.* Ex quibus sic colligit Blondellus: Ad quoscumque Episcopatus & institutio, & successio, & προεδρία, & Prophetia de Episcopis spectant: ii sunt verè & propriè dicti Episcopi. Atquì ad quoscumque in Presbyterii Ordine constitutos, sive propriè dictos Presbyteros, Episcopatus & institutio, & successio, & προεδρία, & Prophetia de Episcopis, Irenæo auctore, spectant. Ergo quivis Presbyteri sunt verè & propriè dicti Episcopi.

Respondeo, Nego minorem. Presbyterorum enim vocabulo, quod honoris interdum nomen est, & quod primo & secundo Sacerdotum Ordini primis illis Ecclesiæ Seculis commune erat, singulares Episcopos Sanctus Irenæus his in locis intellexit. Et aliunde singulorum in singulis Ecclesiis Episcoporum successiones a sancto Irenæo memoratæ, singularem ab Apostolicis temporibus Episcopatum Presbyterio superiorem luculenter adstruunt. Lege insignia ejus loca in 8. probatione Propositionis. Certè Sacerdotis, quod idem est ac Presbyteri nomen, Episcopis non semel peculiare est apud Auctores Ecclesiasticos. Si Tertullianus libro de Baptismo: *Summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi.* Et sic sanctus Cyprianus, Epist. 63. ad Rogatianum Episcopum: *Si ultra te provocaverit Diaconus*, inquit, *eum vel deponas, vel abstineas; & si qui tales extiterint, & contra Sacerdotem Dei fecerint, vel coercere poteris, vel abstinere.* Idem planè Episcopus & Sacerdos Dei, cui coercendi Diaconos jus competebat. Sic idem alibi ait, omnium schismatum fontem esse, quòd *Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus ad tempus Sacerdos, & ad Tempus Judex vice Christi cogitatur.* Sic cùm Sanctus Ambrosius de se Episcopo Mediolanensi, & de aliis suis similibus pronuntiet; *Claves illas regni cælorum in Beato Petro Apostolo cuncti suscepimus Sacerdotes:* patet Sacerdotum nomine Episcopos significari. Sic in Synodo Andegavensi, cap. 1. Episcopi promiscuè Sacerdotes dicuntur. *Contra Episcopale judicium*, inquit, *Clericis non liceat prosilire: neque inconsultis Sacerdotibus suis sæcularia judicia expetere. Sed nec de loco ad alium sine Episcopi permissione transire: nec sine commendatitiis Sacerdotum suorum literis commeare.* Ea *Sacerdotis* appellatio Episcopis attributa, iis ipsis temporibus, quibus Presbyteratum ab Episcopatu fuisse distinctum, & superiores Presbyteris Episcopos in Ecclesia fuisse Protestantes ipsi fatentur, ex pluribus aliis cùm Patrum, tum Conciliorum locis confirmari potest. Igitur si, communione illa nominis non obstante, Episcopi Presbyteris præeminebant, Cypriani, Ambrosii, & secutis temporibus; non sequitur pares fuisse sancti Irenæi ætate, quamvis utrique Presbyteri vocarentur.

§. XVII.

Blondello non patrocinatur Clemens Alexandrinus.

OBjicit nonò Bloodellus testimonium Clementis Alexandrini, libro 4. Stromatum dicentis: *Licet igitur etiam nunc in Dominicis mandatis exercitos, quique ex cognitione secundùm Evangelium vixerunt, selecto Apostolorum numero adscribere; hic revera Ecclesiæ Presbyter est, verusque divinæ voluntatis Diaconus, si quæ Domini sunt, faciat & doceat: non ab hominibus ordinatus: nec quia Presbyter justus reputatus; sed quia justus est, in Presbyterio recensitus: licèt hic in terra primo consessu honoratus non sit.*

Et libro 6. *Eam, quæ meliores facit, in Ecclesia imaginem servant Presbyteri; ministratoriam Diaconi. Ambobus his Ministeriis Deo secundùm terrenarum rerum dispensationem serviunt, tum Angeli, tum ipse qui cognitione præditus est.* Ubi cùm binos tantùm Ecclesiasticos Ordines agnoscat Clemens Alexandrinus, Presbyterorum, & Diaconorum, negat consequenter distinctionem Episcopatus & Presbyterii divinitus institutam.

Respondeo, Clementem Alexandrinum his in locis Presbyterorum nemine duos Ordines, sive duos Sacerdotii gradus significare, Episcopatum & Presbyteratum, quibus Diaconos adjungit. Sed paulò post tres illos Ordines disertè distinguit. *Quoniam*, inquit, *& hic in Ecclesia progressiones Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, imitationes sunt gloriæ Angelicæ, & illius dispensationis.*

§. XVIII.

Tertulliani auctoritate Blondellus abutitur.

DEcimam objectionem trahit Blondellus ex Tertulliano docente, Ecclesias communi Presbyterii totius labore regi solitas, Apologet. cap.39. *Præsident*, inquit, *probati quique Seniores, honorem istum non pretio sed testimonio adepti.*

Et libro de Corona Militis, cap.3. Eucharistiæ, quam sacro Presbyterorum quorumcumque ore confici in confesso est, Ministerium Præsidentibus indiscriminatim addicit. *Nec*, inquit, *de aliorum manu, quàm Præsidentium, Eucharistiam sumimus.* In eamdem sententiam libro de Jejuniis cap. 17. in Psychicos suos, id est in Ecclesiam, Apostoli de Presbyteris Decretum torquere conatus, eos mordaci pro more dicterio impetit: *Hoc nimirum ad eligium gulæ tuæ pertinet, quòd duplex apud te Præsidentibus honor binis partibus deputatur; cùm Apostolus duplicem honorem dederit, ut Fratribus & Præpositis.* Ergo tempore Tertulliani Ecclesiæ a comparibus Presbyteris regebantur.

Respondeo nego consequens. Præpositorum enim & Præsidentium nomine Tertullianus non Presbyteros tantùm, sed etiam Presbyteris superiores Episcopos intellexit; quos ideò his nominibus promiscuè significavit, quòd in sacrificandi, & Eucharistiam Fidelibus distribuendi functione pares sint. De Synaxibus enim Christianorum, & de Eucharistiæ Communione prioribus in locis agit Tertullianus. Præerant autem Christianorum Synaxibus etiam Presbyteri, illis in Ecclesiis, in quibus non erat constitutus Episcopus. Præerant interdum absque Presbyteris Episcopi, illis in locis, in quibus Presbyteros ordinare nondum licuerat, quia nulli invehti fuerant ad hoc ministerium idonei. Tertius verò locus, ut & ille Apostoli (1. ad Timoth.5.) *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt*: æquo, imò potiori jure ad Episcopos, quàm ad Presbyteros simplices refertur. Potest enim sententia ista ad Hebræorum duplicem portionem referri, scilicet primogenitorum portionem & privilegia (Deuteronom. 21. v. 17.) inter quæ præfectura super tota familia, & tam in fratres minores, quàm in servos dominium numeratur (Genes. 27. v. 29.) Sic cùm Paulus & Barnabas ad Apostolatum & regimen Ecclesiæ designarentur, Actor.13. eadem dictione usus est Spiritus sanctus, quæ Exodi 13. v.2. in primogenitis Deo consecrandis usurpatur. *Segregate mihi Saulum & Barnabam*, &c. Potest etiam ad uberiorem in distribuenda hæreditate partem, ad duplicem alimoniæ portionem in distribuendis collectis & Fidelium oblationibus pertinere. Quem ad sensum restringendam esse illam sententiam, suadet adductum sequenti versu Scripturæ Veteris testimonium: *Dicit enim Scriptura, Non alligabis os bovi trituranti, & dignus est operarius mercede suâ.* Utroque autem sensu in Episcopos Presbyteris superiores, & Ecclesiæ προεστῶτες Præsidentes. Apostolica illa sententia apprime quadrat, qui qui munus suum inculpatè obibant, & non solùm annuntiando, ubi nondum innotuerat, Evangelio, sed & Christianæ plebi in fide confirmandæ operam locabant. Hunc locum Apostoli quidni eo sensu intellexit Tertullianus? Cæterum quòd singulares Episcopos & Presbyteris superiores, jam inde ab Apostolicis temporibus Ecclesiæ regimini admotos, & cum hac regiminis forma natam Ecclesiam agnoverit, constat ex ipsius testimoniis laudatis probatione sexta.

§. XIX.

Blondellus Origenem in alienum sensum detorquet,

OBjectionem undecimam eruit Blondellus ex Origene Homilia 11. in Numeros, binos tantùm Sacerdotum, & Diaconorum gradus cognoscente. *Putasne*, inquit, *qui Sacerdotio funguntur, & in Sacerdotali Ordine gloriantur, secundùm suum ordinem incedunt, & agunt omnia quæ illo ordine digna sunt? Similiter autem & Diaconi, putas secundùm ordinem Ministerii sui incedunt & agunt omnia quæ illo ordine digna sunt?*

Respondeo, Origenem Sacerdotii vocabulo primi & secundi Ordinis Sacerdotes, Episcopos & Presbyteros significasse, ut ex adjunctis patet: *Et unde est*, inquit, *quod sæpe audimus blasphemare homines & dicere: Ecce qualis Episcopus, aut qualis Presbyter, vel qualis Diaconus? Nonne hæc dicuntur, ubi vel Sacerdos, vel Minister Dei visus fuerit in aliquo contra Ordinem suum venire, & aliquid contra Sacerdotalem, vel Leviticum Ordinem gerere?* Non magis Blondelli causam juvar, imò ipsam jugulat, alter quem tam impudenter quàm inaniter urget Origenis locus ex Homil.2. in Cantica: *Vidit & sedes puerorum ejus*, Regina Saba, *Ecclesiarum puto Ordinem dicit, qui in Episcopatus, vel Presbyteri sedibus habetur. Vidit & ordinationes, sive stationes Ministrorum ejus. Diaconorum, ut mihi videtur, ordinem memorat, consistentem divino Ministerio.*

Contra. Origenes, Homil.7. in Jeremiam Ecclesiastici regiminis formam delineans, Clericos omnes ad προεστάναι vocat. *Nos*, inquit, *qui putamur aliquid esse, id est, qui in Clericatus vobis Ordine præsidemus, in tantum ut quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant pervenire, nosse debetis*

tis non statim in eo esse salvandos, quòd Clerici sumus: multi enim & Presbyteri pereunt, & Laici beatissimi reperiuntur: sed si Ordinem Clericatus & mereamur pariter & babeamus. Quia igitur sunt quidam Clerici non ita viventes, ut ipsi ex Ordine capiant fructum, & ornamento sua sint dignitati, idcirco ajunt qui exposuerunt Prophetam hunc dicentem: Cleri eorum non proderunt eis. Sedebat, prout ipsemet eodem loco notat, in agmine Presbyterorum, præsidebat tamen; ut inter plures qui Ecclesiam in commune regerent, divisam gregis curam, de Episcopis, quasi de Presbyteris indifferenter locutum; nullos alios, nisi qui in Presbyterio & Diaconatu Christo ministrarent, plebibus Deo dicatis jure divino Præpositos tunc temporis fuisse nemo non videat.

Respondeo, Quamvis Presbyteros Laicis in Ecclesia præsidere dicat Origenes: quod & nos fatemur, quia Clericorum Ordo superior est Ordine Laicorum, & plebem Christianam divinis Sacramentis, & verbo doctrinâque pascunt; non sequitur Presbyteris ipsis, Ministris, & toti plebi singularem Episcopum præsidentem, omnibusque dignitate præstantiorem, supra totam familiam Christi ab ipso Christo constitutum non agnovisse. Imò id ex verbis sequentibus, quæ Blondellus mala fide suppressit, colligitur. *Plura me*, inquit, *exigitur quàm a Diacono, plus a Diacono, quàm a Laico. Qui verò totius Ecclesiæ arcem obtinet*, (is est Episcopus) *pro omni Ecclesia reddet rationem. Propter hoc Apostolus Paulus* (videlicet *ut is cui fuerunt multa commissa*) *ajebat: Sic nos existimet homo ut Ministros Christi & dispensatores Sacramentorum Dei. Hìc jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. In tantum rarum est bonum dispensatorem invenire, ut Jesus qui futura cognoverat, loqueretur: Quis putas est fidelis dispensator & sapiens, quem constituit Dominus super familiam suam dare in tempore cibaria conservis suis?*

Objicit Blondellus illud ejusdem Origenis Tractatu 5. in Matth. *Christum caput Ecclesiæ esse, non ego, sed Apostolus intellexit. Sacerdotes autem rationabiliter possunt dici Ecclesiæ oculus, qui & speculatores habentur. Diaconi autem, cæterique Ministri, manus, quoniam per eos opera spiritualia universa geruntur*, &c. Quo ex loco binos tantùm Ordines in Ecclesia agnovisse Origenem colligit.

Respondeo, Sacerdotum nomine utrumque Ordinem ibi ab Origene intelligi, Episcoporum & Presbyterorum, qui speculatores habentur; & propterea Ecclesiæ oculi dici possunt: sed non negat Episcopos altiore fastigio speculæ sacerdotalis & pastoralis eminere, in quibus summam Ecclesiastici principatus agnoscit, ut constat ex ejus locupletissimis testimoniis in Propositionis probatione prolatis.

Denique non juvat Blondellum locus alter quem profert ex Tractatu 24. in Matthæum ubi ait: *Propriè Episcopus Dominus Jesus est. Et Presbyteri Abraham, Isaac, & Jacob, vel cæteri qui hoc nomine digni habiti sunt, quales fuerunt Apostoli Christi: Diaconi verò septem Archangeli sunt Dei: ad quorum Mysteria septem Diaconi in Actibus sunt ordinati*. Hic, inquam, locus Blondelli causæ nocet potiùs, quàm faveat. Quamvis enim totus in allegoria positus sit, tres tamen in Ecclesia majorum Clericorum Ordines esse supponit: quorum nominibus gloriari ipsos non debere ostendit, sed id curare unum, ut eorum proprias functiones dignè exerceant. Id ex antecedentibus perspicuum est. *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Et plerumque*, inquit, *omnes illi sunt tales, qui diligunt primos discubitus in conviviis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, aut aliquid quod simile est Rabbi huic: ut puta qui volunt vocari Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi: cùm deberet unusquisque eorum, etiamsi vocaretur ab aliquo, vel conscientiam suam ostendere Deo, quoniam non vult hoc nomine nominari, cujus nec scientiam habet, nec actum. Et si habet, tamen non debet velle vocari eo nomine, quod propriè alterius est. Propriè enim Episcopus Dominus Jesus est, &c.*

§. XX.

Romanum Clerum & Sanctum Cyprianum in partes suas trahere frustra conatur Blondellus.

PUgnat duodecimò Blondellus testimonio Romani Cleri, Epistola 3. apud sanctum Cyprianum, ex qua quid sibi in regimine Ecclesiastico juris vindicare solerent Clerici, fit manifestissimum. *Incumbit*, inquiunt, *nobis, qui videmur esse Præpositi, & vice Pastoris* [nimirum Christi] *custodire gregem*, &c. Eodem ferè tempore de restituenda Lapsis pace consulti, in hæc verba rescribunt, apud sanctum Cyprianum Epist. 31. *Placet*, &c. *collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Confessoribus, pariter ac stantibus Laicis facta, Lapsorum tractare rationem. Perquam enim nobis & invidiosum, & onerosum videtur, non per multos examinare, quod per multos commissum videatur fuisse, & unum sententiam dicere, cùm tam grande crimen per multos diffusum notetur exiisse: quoniam nec firmum decretum potest esse, quod non plurimorum videtur habuisse consensum*. Erant igitur ubique Presbyteri, imò Diaconi cum Presbyteris Præpositi, Christi Vicarii, Pastores, quorum erat [collatione cum Episcopis & fraternitate consiliorum factâ] in rebus quibuscumque gravissimis, non modò *tractare, examinare*, sed *sententiam dicere, decretum condere in commune*, divisâ inter omnes curâ fraternitatem regere ac custodire, &c.

Respondeo, Hæc Romani Cleri testimonia singulari & superiori Presbyteratu Episcopatui non officere; nam se Præpositos dicebant Urbis Clerici, & vice Pastoris gubernare gregem, interregni Pontificii tempore. Vacabat enim per obitum Fabiani Romana sedes. Scribebant etiam ipsi Lapsos non esse in Ecclesiam recipiendos, nisi collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis facta, adeoque tunc Episcopi in Ecclesia erant constituti, quorum gradus Presbyterio superior erat; qui omnia Disciplinæ Ecclesiasticæ negotia auctoritate sua & consilio moderarentur & judicarent. Unde expectandam esse censent Episcopi creationem, ut Lapsorum causæ discutiantur. Fateor Presbyteros, imò & Diaconos in partem quamdam ac societatem Ecclesiastici regiminis, ex illius ætatis Disciplina & consuetudine assumptos fuisse; sed non evincent Protestantes æquum fuisse illorum jus in rerum Ecclesiasticarum administratione, & in Ecclesiæ gubernatione, ac Episcoporum. His enim in locum Apostolorum subrogatis Christus singularem in Presbyteros ac totum adeo corpus subjectarum sibi Ecclesiarum potestatem & auctoritatem attribuit. Exinde verò ipsi sic a Christo instituti Episcopi, suæ potestatis usum in Ecclesiæ regimine cum toto Presbyterorum Collegio communicarunt, illosque consilii, judiciorum, totiusque gubernationis socios & participes fecere.

Pugnat decimo tertiò Blondellus auctoritate sancti Cypriani, qui toto administrationis tempore nihil aggressus est, nisi partitâ, quasi ex concepto voto, cum Comministris curâ & potestate.

Le-

Lege Epistolas 6. 10. 18. & 24. qua excusat quod Satnrom Lectorem, & Optatum Confessorem Hypodiaconum in secessu fecisset. Et Epist.33. & 34. de Aurelio & Celerino in Clerum cooptatis. Epist.28. quid de Philumeno & Fortunato Hypodiaconis & Favorino Acolutho, qui sæviente persecutione recesserant, sibi videretur, rogatus, ne quid sibi privatim arrogaret, sententiam distulit. Et 71. ad Quintum: *Nuper in Concilio plurimi Coëpiscopi cum Compresbyteris qui aderant, censuimus.* Et 83. *Quid de cætero nos observare conveniat*, &c. *instruente Domino in commune disponimus.* Idem Epist.68. ad Lucium Papam, *Cum Episcopo Presbyteros Sacerdotali honore conjunctos* monet; adeò ut unà præsideant. Sic enim Cornelium Epist.55. compellaverat. *Quamquam sciam, Frater charissime, pro mutua dilectione quam debemus, & exhibemus invicem nobis, florentissimo Clero illic tecum præsidenti*, &c. *legere te semper literas nostras.* Epist. 69. Præpositos quoscumque Apostolorum successores palam pronuntiat. *Per Apostolos*, inquit, *dicit Dominus ad omnes Præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt: Qui vos audit, me audit.*

Epist.62. Cleri corpus in duos tantùm Ordines partitur, Præpositos, & Diaconos: *Cùm*, inquit, *omnes omnino Disciplinam tenere oporteat, multò magis Præpositos & Diaconos curare hoc fas est.* Epist.65. *Meminisse Diaconi debent, quia Apostolos, id est Episcopos & Præpositos, Dominus elegit: Diaconos autem post Ascensum Domini in cælum Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ Ministros.* Epist.68. *Nec hoc in Episcoporum tantùm & Sacerdotum, sed in Diaconorum Ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus. Quod utique idcirco tam diligenter & cautè convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad Altaris Ministerium, vel ad sacerdotalem locum obreperet.* Epist.72. *Oportet Sacerdotes & Ministros integros esse.* Libro de Lapsis: *Non in Sacerdotibus Religio devota, non in Ministris Fides integra.* Erant igitur ex sancti Cypriani mente, binæ tantùm universi Cleri Classes; altera Præpositorum seu Sacerdotum, Episcopos & Presbyteros complexa; altera Diaconorum seu Ministrorum. Præpositi, seu Sacerdotes, quà tales, nemine excepto, Apostolis vicaria Ordinatione succedebant: eodem cum Episcopis (Sacerdotali nimirum) honore conjuncti; eodem a fraternitate cultu prosequendi: cum Episcopis manus pœnitentibus imponebant; facinorosos abstinebant; ordinandorum merita ponderabant; observanda quæque disponebant: in commune tractabant præsidebant, judicabant, & nihil privata sine iisdem sententia gerere audebant, qui Episcopatu fungebantur. Uno verbo iidem (de jure) erant cum Episcopis Presbyteri; licèt (de facto) ab invicem distinguerentur, ut qui revera munere pares erant, muneris usu impares fierent.

Respondeo, Nego consequens. Quamvis enim communicatis cum universo Clero consiliis, ipsiusque consensu ac suffragio Clericorum Ordinationes celebraret, Lapsorum causas disponeret, omniaque negotia Ecclesiastica moderaretur sanctus Cyprianus ex illius ævi Disciplina; non tamen inde colligi potest Presbyterorum cum Episcopis æqualitas; alioqui & Diaconos & inferiores Clericos pares Episcopis (de jure) fuisse sequeretur; quia æquè ipsorum suffragia in Ordinationibus, cæterisque pertinentibus ad Ecclesiæ gubernationem rebus expectabantur. Imò sequeretur Episcopos nullo discrimine a plebe Christiana fuisse distinctos, quia & plebis consensus ac testimonium, cùm in ordinandis Clericis, tum in Lapsis recipiendis, illa ætate intercedebat. Sed hæc Disciplina, Blondelli, aliorumque Protestantium caussam non juvat, quia exsors erat & superior Episcopi in hac Ecclesiæ administratione auctoritas: ita ut posset ipse Clericos ordinare absque suffragio Clericorum cæterorum; Presbyteri verò ne tali quidem suffragio intercedente id possent. Id ex Epist.213 demonstratur: in qua solam ad consuetudinem refert, quòd in Clericorum Ordinationibus, Cleri plebisque suffragia postulentur; & Aurelium Confessorem a se nihilominus Lectorem ordinatum ipsis inconsultis scribit: quem gradum in Ecclesia & Celerino pariter Confessori delatum testatur. *In Ordinationibus Clericis*, inquit, *solemus vos ante consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare: sed expectanda non sunt testimonia humana, cùm præcedunt divina suffragia. Aurelius Frater noster, illustris adolescens, a Domino jam probatus, & a Deo vocatus est*, &c. *Hunc igitur a me, & a Collegis, qui præsentes aderant, ordinatum sciatis; quod vos scio & libenter amplecti, & optare tales in Ecclesia nostra quamplurimos ordinari.*

Et Epistolà 24. de ipso unà & de Celerino ita scribit: *Hos tamen Lectores interim constitutos sciatis, quia oportebat lucernam super candelabrum poni, unde omnibus luceat, & gloriosos vultus in loco altiore constitui, ubi ab omni populo circumspecti, incitamentum gloriæ videntibus præbeant. Cæterùm Presbyterii honorem designasse nos illis jam sciatis, ut sportulis iisdem cum Presbyteris honorentur, & divisiones mensurnas æquatis quantitatibus partiantur, sessuri nobiscum provectis & corroboratis annis suis.*

Cæterùm quòd crederet Ecclesia sancti Cypriani tempore, ut nunc credit, Episcopos a Presbyteris ordinari non posse, sicut ab Episcopis ordinabantur Presbyteri, ex facto Novatiani demonstratur, qui Episcopos peregrinos non conduxisset, inebriatosque compulisset ut sibi manus imponerent, ac Episcopum consecrarent, si id juris ac potestatis penes Presbyteros fuisset; cùm aliquos in secta sua Presbyteros haberet. Istud factum ita refert Cornelius Romanus Pontifex in Epist. ad Fabium Antiochenum Episcopum, apud Eusebium, libro 6. Histor. Eccles. cap.43. *Nam egregius ille vir, qui tremendis quibusdam sacramentis affirmaverat se Episcopatum non concupiscere: repente tamquam ex machina quadam in medium projectus, Episcopus apparuit. Et is qui se Doctorem & Ecclesiasticæ Disciplinæ propugnatorem ferebat, cùm Episcopatum sibi a Deo minimè concessum rapere ac vindicare conaretur, duos deploratæ salutis homines sibi socios adjunxit: ut eos in exiguam ac vilissimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres Episcopos, homines planè rudes ac simplices, fraudulenta quadam molitione deciperet, constantissimè affirmans ipsos quamprimùm Romam proficisci oportere, ut omnis undecumque orta discordia ipsorum unà cum aliis Episcopis interventu atque arbitrio sedaretur. Qui cùm advenissent, vir ille a quibusdam sibi simillimis, quos ad id comparaverat, inclusos hora decima, temulentos & crapulâ oppressos, adumbrata quadam & inani manuum impositione Episcopatum sibi tradere per vim cogit: cumque nullo sibi jure competentem, per fraudem atque insidias vindicat...... Ergo ille Evangelii vindex, ignorabat unum Episcopum esse oportere in Ecclesia Catholica: in qua tamen sciebat Presbyteros quidem esse quatuor & quadraginta, septem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos*, &c. Tunc igitur persuasum omnibus erat, Episcopum a Presbyteris ordinari non posse. Tunc etiam Episcoporum & Presbyterorum distincti Ordines erant. Quos & sanctum Cyprianum agnovisse, non solùm *de facto*, verùm etiam *de jure*, di-

distinctos probant insignia ejus loca in probationibus Propositionis adducta. Frustra itaque ex nonnullis ejus testimoniis, quæ communi Præpositorum & Sacerdotum nomine utrumque designant Ordinem, colligere se putat Blondellus, duas tantùm Christiani Cleri classes jure divino constitutas: maximè cùm in ipsis plerumque locis quos laudat, Episcoporum diserta fiat mentio, iisque exsors quædam potestas tribuatur. Sic Epist. 62. ad Pomponium, excommunicandi potestas Episcopis asseritur, ubi loquens de Virginibus, quæ se nefariâ cum Diaconis dormitione polluerant, nec se ab eis separare, secundùm Episcopi mandata, paratæ erant, ait: *Nec putent sibi vitæ aut salutis constare rationem, si Episcopis & Sacerdotibus obtemperare noluerint; cùm in Deuteronomio Dominus Deus dicat: Et homo quicumque fecerit in superbia, ut non exaudiat Sacerdotem, &c. morietur homo ille, &c. Interfici Deus jussit Sacerdotibus suis non obtemperantes...... Et tunc quidem gladio occidebantur: nunc autem....... spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur.* Non mirum autem quòd hac in Epistola Episcoporum tantùm & Diaconorum meminerit. Cùm enim de Diacono Quæstio esset, qui cum Virgine dormierat, in quem ut animadverteret secundùm Ecclesiasticæ Disciplinæ leges, Pomponium Episcopum hortabatur, non erat necesse ut Presbyterorum meminisset, de quibus Quæstio nulla erat. Sic Epist. 65. *Episcopos*, quos & *Sacerdotes*, & *Præpositos* vocat, & *Diacones* tantùm nominavit, nulla facta Presbyterorum mentione: quia de Presbyteris non agebatur, sed de superbo Diacono, qui Rogatianum, ad quem illa Epistola data est, contumeliis suis exacerbaverat. Cæterum summam Episcoporum auctoritatem in Ecclesia fuisse, & divino quidem jure institutam, ibidem sanctus Cyprianus testatur. *Et tu quidem*, inquit, *honorificè circa nos, & pro solita tua humilitate fecisti, ut malles de eo nobis conqueri, cùm pro Episcopatûs vigore, & cathedræ auctoritate haberes potestatem, qua posses de illo statim vindicari; certus quòd Collegæ tui omnes gratum haberemus quodcumque circa Diaconum tuum contumeliosum Sacerdotali potestate fecisses, habens circa hujusmodi homines præcepta divina, &c.* Et post verba in objectione laudata continenter subjungit: *Quod si nos audere aliquid contra Deum possumus, qui Episcopos facit, possunt & contra nos audere Diaconi, a quibus fiunt. Et ideo oportet Diaconum, de quo scribis, agere audaciæ suæ pœnitentiam, & honorem Sacerdotis agnoscere, & Episcopo Præposito suo plena humilitate satisfacere ...... Quod si ultra te contumeliis suis exacerbaverit, & provocaverit: fungeris circa eum potestate honoris tui, ut eum vel deponas, vel abstineas.*

Epistola 68. de Ordinatione Episcoporum loquitur, de Presbyteris disertè non scribit, quia & circa Presbyterorum Ordinationes eadem servabatur Disciplina, *Ut sub populi assistentis conscientia celebrarentur*: tum quia de Martialis & Basilidis, qui se nefario Idololatriæ libellu polluerant, exauctoratione, deque aliis eorum in loca substituendis, ac ordinandis Episcopis agebatur. Proferri porro nihil luculentius potest ad προεδρίαν Episcoporum vindicandam totâ illâ Epistolâ, quâ insigniter abutitur Blondellus (ut in probationibus Propositionis ostensum est).

Epistola 62. Presbyterorum Ordinem ab Episcopali distinctum eoque inferiorem agnoscit & probat; siquidem Presbyteros & Diaconos ab Episcopis ordinari, & per eosdem a sacris Ministeriis suspendi, vel etiam ad Communionem Laicam detrudi posse testatur. De se enim & Coëpiscopis in Concilio congregatis sic loquitur: *Addimus planè & adjungimus, Frater charissime, consensu & auctoritate communi, ut etiam si qui Presbyteri, aut Diaconi, qui vel in Ecclesia Catholica priùs ordinati fuerint, & postmodum perfidi ac rebelles contra Ecclesiam steterint, vel apud hæreticos a Pseudoepiscopis & Antichristis contra Christi dispositionem profana Ordinatione promoti sint, & contra altare unum atque divinum Sacrificia foris falsa ac sacrilega offerre conati sunt, eos quoque hac conditione suscipi cùm revertuntur, ut communicent Laici, & satis habeant, quòd admittuntur ad pacem qui hostes pacis extiterint: nec debere eos revertentes ea apud nos Ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverint. Oportet enim Sacerdotes & Ministros, qui altari & Sacrificiis deserviunt, integros atque immaculatos esse.*

Libro de Lapsis, licèt Sacerdotum nomine Episcopos & Presbyteros unà designet, aliquando tamen de Episcopis ut superioribus loquitur, quibus divinitus commissa esset Ecclesiæ procuratio, quibus constituta Cathedra, ad quos & pauperum cura, & Lapsorum reconciliatio, & omnis Ecclesiasticæ Disciplinæ administratio pertineret. *Episcopi plurimi*, inquit, *quos & hortamento esse oportet cæteris & exemplo divina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fieri, derelictâ Cathedrâ, plebe desertâ: per alienas Provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari, esurientibus in Ecclesia Fratribus non subvenire, habere argentum largiter velle, &c.*

Et infra de Libellis Martyrum loquens: *Ut ab Episcopis*, inquit, *contra mandatum Dei fiat, auctores esse non possunt, qui ipsi Dei mandata fecerunt.*

Epist. 58. Quamvis *Presbyteros cum Episcopo Sacerdotali honore conjunctos* scribat, superiorem tamen in Episcopo Sacerdotii gradum ibidem agnoscit, cùm *Episcopum unum divina Ordinatione delectum* ait, & singularem *gregis Pastorem, Navis gubernatorem, plebis* Christianæ *Rectorem vocat. Gratulamur*, inquit, *quòd cùm eâdem gloriâ & laudibus vestris reduces vos denuo ad suos fecerit benigna Domini & larga protectio: ut pascendo gregi Pastor, & gubernandæ navi gubernator, & plebi regendæ Rector redderetur, & appareret relegationem vestram, sic divinitus esse dispositam, non ut Episcopus relegatus & pulsus Ecclesiæ deesset, sed ut ad Ecclesiam major rediret...... Intelligimus divinæ Majestatis salutaria & sancta consilia, unde illa repentina persecutio nuper exorta sit, unde contra Ecclesiam Christi & Episcopum Cornelium beatum Martyrem, vosque omnes sæcularis potestas subitò proruperit: ut ad confundendos hæreticos & retundendos ostenderet Dominus quæ esset Ecclesia, quis Episcopus ejus unus divina Ordinatione delectus; qui cum Episcopo Presbyteri Sacerdotali honore conjuncti.*

Et infra adventus Christi imaginem in reditu Lucii ab exilio præcessisse scribit. *Ut quomodo*, inquit, *Joannes Præcursor ejus & prævius venientem prædicavit, Christum venisse, sic nunc Episcopo Confessore Domini & Sacerdote redeunte, appareat & Dominum jam redire.*

Epistola 55. Etsi *Florentissimum Clerum* unà cum Cornelio Episcopo, Christianæ plebi Romæ *præsidere* scribat, æquo tamen jure præsidere non ait. Imò Episcopi majorem esse, non de facto tantùm, sed de jure, & quidem divino potestatem significat, quamvis Cleri consiliis uteretur, atque ita quandam præsidendi secum dignitatem cum illo communicaret. *Quòd si ita res est*, inquit, *ut nequissimorum timeatur audacia, & quod mali jure atque æquitate non possunt, temeritate ac desperatione perficiant*

friant; actum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesia gubernanda sublimi ac divina potestate &c.

Et infra: *Neque aliunde Hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur. Cui si secundùm Magisteria divina, fraternitas obtemperaret universa, nemo adversùm Sacerdotum Collegium quidquam moveret nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum, judicem se jam non Episcopi, sed Dei faceret.*

Et infra: *Cæterùm quando Episcopus in locum defuncti substituitur, quando populi universi suffragio in pace deligitur, quando Dei auxilio in persecutione protegitur, Collegis omnibus fideliter junctus, plebi suæ in Episcopatu quadriennio jam probatus ...... A quibusdam desperatis & perditis, & extra Ecclesiam constitutis impugnari videtur, apparet quis impugnet. Non scilicet Christus qui Sacerdotes aut constituit, aut protegit, sed ille qui Christi adversarius, & Ecclesiæ ejus inimicus, ad hoc Ecclesiæ Præpositum sua infestatione persequitur ut gubernatore sublato atrociùs atque violentiùs circa Ecclesiæ naufragia grassetur.*

Et infra: *Nec tamen de hoc tibi scripserum, quando hæc omnia contemnantur a nobis, & miserim tibi proximè nomina Episcoporum isthic constitutorum, qui integri & sani in Ecclesia Catholica Fratribus præsunt.*

Et infra: *Sublatâ pœnitentiâ, nec ullâ exomologesi criminis factâ, despectis Episcopis atque calcatis, pax a Presbyteris verbis fallacibus prædicatur.*

Denique Epistola 69. *Præpositorum* nomine, qui *Apostolis Vicaria Ordinatione succedunt*, Episcupos singulares, & Presbyteris superiores intelligit. Quod ex antecedentibus & adjunctis patet. Sic Florentium Pupianum alloquitur: *Persecutio veniens te ad summam Martyrii sublimitatem provenit: me autem proscriptionis onere depressit: Cùm publicè legeretur, Si quis tenet, vel possidet de bonis Cæcilii Cypriani Episcopi Christianorum: ut etiam qui non credebant Deo Episcopum constituenti, vel diabolo crederent Episcopum proscribenti. Nec hæc jacto, sed dolens profero, cùm te judicem Dei constituas, & Christi, qui dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes Præpositos, qui Apostolis Vicaria Ordinatione succedunt: Qui audit vos, me audit,* &c. *Inde enim schismata & Hæreses obortæ sunt, & oriuntur, & Episcopus qui unus est, & Ecclesiæ præest, superbâ quorumdam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus judicatur. Quis enim est hic superbiæ tumor, ad cognitionem suam Præpositos & Sacerdotes vocare? Ac nisi apud te purgati fuerimus, & sententiâ tuâ absoluti, ecce jam sex annis nec fraternitas habuerit Episcopum, nec plebs Præpositum, nec grex Pastorem, nec Ecclesia gubernatorem, nec Christus Antistitem, nec Deus Sacerdotem?* Ex his omnibus patet nullum ex sancti Cypriani locis a Blondello prolatis ipsius causam promovere.

Objectio 14. Blondelli petitur ex Firmiliano, Epist. 75. apud sanctum Cyprianum, ubi Ecclesiastici regiminis formam posteris delineavit. *Necessariò*, inquit, *apud nos fit, ut per singulos annos Seniores & Præpositi in unum conveniamus, ad disponenda ea quæ curæ nostræ commissa sunt, ut si qua graviora sunt, communi consilio dirigantur,* &c. *Quando omnis potestas & gratia in Ecclesia constituta sit, ubi præsident Majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi possident potestatem.* Quinam tunc erant Ecclesiarum Præpositi? inquit Blondellus, *Seniores, Majores natu*, seu *Presbyteri*. Qua illi potestate præditi? Tingendi, pœnitentes reconciliandi, ordinandi. Ne quis ullos ab Ordinationum jure Seniores arcendos putet. Quomodo regebant? Communi consilio.

Respondeo, Rectè argumentaretur Blondellus, si Majorum natu, & Seniorum nomine Presbyteros quoscumque Firmilianus intellexisset. Sed Episcopos, quorum ipse unus erat, intellexit, translato vocabulo a prima notione qua significat prærogativam ætatis, ad significandam dignitatem; neque enim ordinandi potestatem aliis quàm Episcupis datam, & eâ alios ab Episcopis de jure usos esse probare umquam poterunt Protestantes. Et certè singulares Episcopos Apostolorum Successores, adeoque jure divino Presbyteris superiores Firmilianum designasse his vocibus, *Seniores*, & *Majores natu*, ostendit Epistolę series. *Potestas ergo peccatorum remittendorum*, inquit, *Apostolis data est, & Ecclesiis quas illi a Christo missi constituerunt, & Episcopis qui eis Ordinatione Vicaria successerunt. Hostes autem unius Catholicæ Ecclesiæ in qua nos sumus, & adversarii nostri, qui Apostolis successimus, Sacerdotia sibi illicita contra nos vindicantes, & altaria profana ponentes, quid aliud sunt quàm Chore, Dathan, & Abyron?* Ibidem Stephano Romano Episcopo exprobrat, *Quòd qui sic de Episcopatus sui loco gloriatur, & successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, multas alias petras inducat, & Ecclesiarum multarum nova ædificia constituat.*

Objectio 15. Blondelli petitur ex Pontio Diacono, in Vita sancti Cypriani, scribente, ipsum adhuc Neophitum *Ad officium Sacerdotii, & Episcopatus gradum fuisse electum.* Quid, inquit Blondellus, ex Hieronymi sententia dici magis potuit? Cyprianum mox a lavacro ad Episcopalem thronom raptum, 1. Presbyterium & Sacerdotium accepisse. Secundò, in Presbyterio & Sacerdotio omnes Ecclesiasticorum honorum gradus ipsi creditos. Tertiò, vitæ ejus a Baptismo statum bipartitum, 1. inter Plebejos, 2. in Presbyterio. Quartò, Officium, cujus fulgore resplenduit, *Sacerdotium* fuisse scribit Pontius. Ergo Pontio Episcopus idem qui Presbyter fuit.

Respondeo, Sacerdotium æquè ac Episcopatum in hoc Pontii loco Presbyteratui opponi, ut ex antecedentibus patet. Sic enim ille in sancti Cypriani laudem: *Multa sunt quæ adhuc plebejus, multa quæ jam Presbyter fecit ...... Ad probationem bonorum operum* (eorum scilicet quæ Presbyter fecit) *solùm hoc arbitror satis esse: quòd judicio Dei, & Plebis favore, ad officium Sacerdotii, & Episcopatus gradum adhuc Neophytus, & ut putabatur, novellus electus est.* Adeò sine omni ratione ex his Pontii verbis concludit Blondellus, Episcopum illi Auctori eundem qui Presbyter fuisse. At clarissimè Pontius contrarium dixit, *Presbyterium* quidem & *Sacerdotium* accepisse nullâ morâ, nulla dilatione; statim quippe post acceptum Presbyterii gradum [ita tamen ut multa jam Presbyter fecerit] *Sacerdotali*, aut [quod idem est] *Episcopali* donatum esse; *Quis enim*, inquit, *non omnes honorum gradus crederet tali mente credenti?* Ubi Presbyteratus & Sacerdotium Diaconatui superadditi omnes honorum gradus sunt, non ejusdem honoris gradus.

§. XXI.

Eusebius Cæsariensis Blondello non suffragatur.

OBjicit decimo-sextò Blondellus testimonium Eusebii libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 8. *Qui maximè probati, celerisque per Palæstinam præsta-*

habant, Theoctistus Cæsareæ, & Alexander Hierosolymorum Episcopi, cùm prærogativis, supremoque honore dignum Origenem probavissent, ei manus ut Presbyterio fungeretur, imposuerunt. Ergo Eusebius Presbyterium *supremum honorem* censebat.

Et libro 7. de Demonstratione Evangel. c.2. hæc habet: *Tres in Ecclesia quoque Ordines sunt, Ductorum unus, subditorum verò alii duo; Ecclesia Christi populo in duas Classes diviso alteram fidelium, alteram eorum qui regenerationis lavacro digni nondum habiti sunt, id est, Catechumenorum.* Cùm igitur Ductorum nomine Episcopi, Presbyteri & Diaconi intelligendi sint, hinc colligitur, inquit Blondellus, Cleri totius operâ consilioque regi solitas Ecclesias.

Respondeo primò, etsi referat Eusebius insignes illos Antistites Origenem *Supremi honoris apice dignum, judicasse*, non sequi quòd existimaverit Presbyterium esse supremum honorem. Hi namque Origenem Episcopatu dignum judicare potuerunt, & interim Presbyterum dumtaxat consecrare.

Secundò, si Presbyteratum ab Eusebio, *Supremi honoris apicem* vocatum demus, ita nuncupatum comparatè ad inferiores gradus, non verò absolutè respondebimus. Nam Eusebius eos qui manus imponentes Origeni ipsum Presbyterum inaugurarunt, quod a nullo umquam Presbytero factum esse, aut fieri potuisse ullibi prodidit, ad superiorem certè honoris ac potestatis gradum evectos agnovit. Unde cap.23. de illius Ordinatione rursus agens, de supremi honoris apice nihil prorsus habet, sed solùm ait: Ipsum *Presbyterii gradum per impositionem manuum, Cæsareæ, ab illius regionis Episcopis accepisse.*

Cap.27. scribit Alexandrum Hierosolymorum, & Theoctistum Cæsareæ Episcopum Origenem, perpetuò tamquam Magistrum auscultantes, *Soli interpretationem sacræ Scripturæ, ac reliquum omne Ecclesiasticæ doctrinæ officium permisisse.* In eo igitur gradu constitutus erat Origenes in quo potestatem non habebat interpretandi Scripturam sacram in Ecclesia, nisi facultas Episcoporum accederet, adeòque non erat in supremi honoris apice constitutus.

Cap.36. scribit ipsum *Ad Fabianum Romanæ urbis Episcopum, & ad complures alios Ecclesiarum Antistites de recta fidei suæ ratione Epistolas scripsisse.* Erant igitur in Ecclesia Episcopi in superiori honoris gradu supra Origenem constituti, qui ipsum anathemate damnare, & ex Ecclesia pellere possent, si a recta fide deflecteret. Denique tota Eusebii Historia in qua Episcoporum successiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesiis orbis Christiani nobilissimis, Romana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana tam accuratè describit, planè evertit Blondelli, & aliorum Protestantium systema.

Ad alterum ipsius locum respondeo, Ipsum causæ nostræ nullatenus incommodare, quippe qui Presbyteros & Diaconos ad Hierarchiam Ecclesiasticam pertinere credamus; atque ita *Ductorum* nomine comprehendi; & in populi Christiani regimine suas partes habere, & sacri Principatus esse suo modo participes; sed in illo *Ductorum* Ordine Episcopos supremos esse, & summos Hierarchas contendimus; nec repugnantem habemus Eusebium.

§. XXII.

Sanctus Hilarius causam Blondelli non juvat.

OBjectionem decimam-septimam Blondellus adornat ex sancto Hilario Pictaviensi Episcopo Commentar. in Psalm.134. ubi exponens hos versus: *Domus Israël benedicite Dominum, domus Aaron benedicite Dominum, domus Levi benedicite Dominum; qui timetis Dominum, benedicite eum:* hæc habet: *In his nominum atque officiorum distinctionibus omnem Ecclesiæ populum complexus est, sed per nuncupationum & proprietatum significationem ipsa illa officiorum merita divisit*, &c. *In Aaron Sacerdotes significari non ambiguum est, Sacerdos enim in lege primus fuit Aaron, & exinde in successione ejus Sacerdotum honor mansit. In Levi autem Ministros ostendi absolutum est; hæc enim Tribus in Ministerium electa est. Reliquus autem populus, cui non Sacerdotii, nec Ministerii, sed timoris officium est; in his qui timent Dominum nuncupatur. Docet autem nos Apostolus super omnes hos esse Israël, cùm ait:* (Galat.6.) *Et quotquot regulæ huic obsecundabunt, pax super eos & misericordia, & super Israël. Sacerdotes & Ministros officii sui regula in eo quod agunt continet: sed præstat longè voluntate magis agere quàm lege*, &c. Non ignorabat sanctus Hilarius usu longo confirmatam Episcoporum supra Presbyteros præeminentiam, inquit Blondellus, sed intento in primitivam sacri regiminis sub Apostolis, Apostolicisque viris formam oculo, consuetum Ecclesiarum morem prætervectus, duo tantùm in Clero capitum genera recensuit, Sacerdotum nimirum sive Præpositorum, ac Seniorum quorumcumque in Aarone præfiguratorum; & Ministrorum, quorum in Levitica Tribu typus fuit.

Respondeo, Sanctum Hilarium Sacerdotum nomine Episcopos præcipuè intellexisse Presbyteris ex institutione divina superiores: ideòque hanc dicti sui rationem reddidit: *Sacerdos enim in Lege primus fuit Aaron, & exinde in successione ejus Sacerdotum honor mansit.* Aaron autem erat summus Pontifex, non simplex Sacerdos in Ecclesia Judæorum. Sed nihil proferri potest luculentius iis quæ scripsit sanctus Hilarius initio libri 8. de Trinitate, ubi & formam constituendi Episcopi ab Apostolo traditam docet & Episcopum Ecclesiæ Principem vocat. *Beatus Apostolus Paulus formam constituendi Episcopi fingens, & planè novum Ecclesiæ hominem præceptis suis condens, hanc veluti summam consummatarum in eo virtutum esse docuit, dicens: Obtinentem secundùm doctrinam fidei verbum, ut potens sit exhortari ad doctrinam sanam, & contradicentes revincere...... Quia non statim boni atque utilis Sacerdotis est, aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo scienter prædicare: cùm & innocens sibi tantùm proficiat, nisi doctus sit; & doctus sine doctrina sit auctoritate, nisi innocens sit. Non enim Apostolicus sermo probitatis honestatisque præceptis hominem tantùm sæculo conformat ad vitam; neque rursum per doctrinæ scientiam Scribam Synagogæ instituit ad Legem: sed perfectum Ecclesiæ Principem perfectis maximarum virtutum bonis instruit, ut & vita ejus ornetur docendo, & doctrina vivendo.*

§.XXIII.

§. XXIII.

Sanctus Basilius, Ambrosiaster, & Auctor Quæstionum Veteris & Novi Testamenti, a Blondelli errore sunt alieni.

Argumentum decimom-octavum Blondelli petitur ex sancto Basilio Magno Commentario cap.4. Isaiæ. *Quantascumque*, inquit, *Præsidentiâ dignus habitus, & Presbyterio adscriptus, sive qui Presbyteri caracterem irreprehensibiliter portat, maximè verò uxoris expers; hic Presbyter est: si verò secundùm Domini legem unius uxoris vir*, &c. *hic Presbyter est*. Ex ejus igitur sententia, ioquit Blondellus, quæcumque de Episcopis verba fecit Paulus, de Presbyteris intelligi, Presbyterosque veri nominis Episcopos esse necesse est. Rursus Moralium Regula 71. congestis in acervum Pauli de Ministrorum sacrorum officio locis, sequentem capiti primo titulum præfigit: *Quæcumque de Episcopis & Presbyteris conjunctim dicta sunt*. Quo manifestum facit, quantumvis Presbyteros Episcopis Ecclesiarum subdiderit consuetudo, divinæ Legis immotum robur perstare, quæcumque Episcopis nominatim, 1. Timoth.3. & 5. 2. Timoth. 2. & 3. Tit.1. præcepta sunt, eadem Presbyterorum omnium & singulorum propria esse; Presbyteros communi cum Episcopis jure *gregis Præpositos*, iisdem legibus adstrictos & caracteribus insignitos, eosdem revera esse.

Respondeo, Ex his B silii Magni verbis rectè colligi ipsum existimasse dicta sancti Pauli de Episcopis etiam ad Presbyteros pertinere, quia eamdem a vitiis & pravis cupiditatibos immunitatem, easdemque virtutes postulat utriusque Sacerdotii gradus: scd nihil ex his locis extundi potest, quo demonstretur Basilium in ea sententia fuisse, quòd propterea Apostoli præcepta Presbyteros æquè ac Episcopos spectent, quia unus illorum ordo & par dignitas est.

Telum decimum-ooοum sumit Blondellus ex Auctore Commentarii in *Epist.* sancti Pauli, qui inter Opera sancti Ambrosii legitur, quem Hilario Sardo Romanæ Ecclesiæ Diacono eruditi vulgò tribuunt. Is igitur in cap.4. Epist. ad Ephesios hæc habet: *Non per omnia conveniunt scripta Apostoli Ordinationi, quæ nunc in Ecclesia est, quia hæc inter ipsa primordia sunt scripta. Nam & Timotheum Presbyterum a se creatum, Episcopum vocat, quia primùm Presbyteri Episcopi appellabantur, ut recedente uno, sequens ei succederet. Denique apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus: Sed quia cœperunt sequentes Presbyteri indigni inveniri ad Primatus tenendos, immutata est ratio prospiciente Concilio: ut non Ordo, sed meritum crearet Episcopum, multorum Sacerdotum judicio constitutum; ne indignus temerè usurparet, & esset multis scandalum.*

Apostolicis igitur temporibus Primatus ioter Presbyteros, sive Episcopatus, non nova ioauguratione aut electione, sed sola Ordinationis antiquitate deferebatur; ita ut mortuo antiquiore, sequens ei succederet, ac Episcopus diceretur.

Respondeo, Nego consequens. Non enim is est istius Auctoris sensus, quem ipsi Salmasius & Blondellus affingunt. Sed sic est intelligendus, ut ex solo Presbyterorum Ordine primùm Episcopos Alexandriæ creatos esse dixerit. Hoc est enim *Uno recedente*, atque e medio sublato *sequentem*, id est, alterum ejusdem Ordinis successisse. *Sequens* igitur boc in loco idem est atque *alter*; non verò tempore Ordinationis antiquior. Sicut si dicam: Ex solo Cardioalium Collegio Pontificem Romanum ita fieri, ut uno recedente, seqoens ei soccedat: nihil aliud significavero, nisi alterum ei Cardinalem substitui. Minimè verò inde consequens erit, eum qui dignitate proximus sit Summo Pontifici, & creationis antiquitate sacri Collegii primus, sine electione succedere. Sic Optatus Milevitanus, lib.2. cùm de Coostantioi Magni actis contra Donatistas locutus esset, mox de Juliano ita scribit: *Deinde alter, ut omnibus notum est, secutus Imperator*. Non tamen ita secutus Constantinum Julianus, ut ei absque electione succederet, aut proximus ab ipso esset. Itaque ex Presbyterorum Ordine & cœtu creabatur Alexandrious Episcopus, & ab ipsismet Presbyteris Alexandrinis eligebatur. Tumque *Ordo, non meritum creabat Episcopum*, ut ait Ambrosiaster. Fieri enim poterat ut Presbyteri vel prorsus indigni, vel longè minùs digni essent Episcopatu, quàm aliqui ex Ordine Diaconorum. Quapropter immutata est hujus Disciplinæ ratio *Prospiciente Concilio* (quod Nicænum intelligit laudatus Auctor, cujus ad Canonem 4. alludit) & *multorum Sacerdotum judicio constitutum est, ut non Ordo, sed meritum crearet Episcopum*: Ut scilicet non ex solo Presbyterorum Collegio, nec a Presbyteris solis eligerentur Episcopi, sed ex Diaconorum etiam Ordinc creari possent, si in eo invenirentur hoc muncre digniores: & eligcreotur ab Episcopis, qui nequaquam privato erga sacrorum Ordinum aliquem studio, sed sola Ecclesiæ utilitate in electionibus hujusmodi moverentor. Primum novæ istius Disciplinæ specimen visum est in electione sancti Athanasii, qui ex Diaconorum Ordine, mense post Nicænam Synodum circiter 5. Episcopus in Alexandri locum creatus est.

Objicies ejusdem Ambrosiastri verba in 1. ad Timoth. cap.3. dicentis: *Post Episcopum, Diaconi Ordinationem subjicit. Quare? nisi quia Episcopi & Presbyteri una Ordinatio est? Uterque enim Sacerdos est. Sed Episcopus primus est, ut omnis Episcopus Presbyter sit, non omnis Presbyter Episcopus. Hic enim Episcopus est, qui inter Presbyteros primus est. Deinique Timotheum Presbyterum ordinatum significat: sed quia ante se alterum non habebat, Episcopus erat. Unde & quemadmodum Episcopum ordinet ostendit. Neque enim fas erat aut licebat ut inferior ordinaret majorem. Nemo enim tribuit quod non accepit*. Ex quibus sic colligo. Quorum una Ordinatio est, & quorum unus eo solùm differt ab altero, quia primus est, illi sunt æqoales ordine & dignitate. Sed Presbyteri & Episcopi una Ordinatio est ex laudato Auctore, & eo solùm differt Episcopus a Presbytero, quòd primus sit. Ergo Episcopus, & Presbyter non differunt ordine & dignitate.

Respondeo, Distinguo minorem. Episcopi & Presbyteri una Ordinatio est, quantùm ad aliqoa, concedo; quantùm ad omnia, nego. Itaque Presbyteri & Episcopi uoa Ordinatio est, quatenus Episcopus Presbyter est. Cùm enim ambo Sacerdotes sint, & æqualem habeant conficiendæ Eucharistiæ potestatem: una illam sunt Ordinatione consecuti. At non est absolutè una utriusque Ordinatio, quia *non omnis Presbyter Episcopus est*, ut ait laudatus Auctor.

Distinguo etiam secundam parteio minoris. Episcopus eo solùm differt a Presbytero, quòd primus sit, dignitate & potestate, concedo: Quòd primus sit, Ordinationis antiquitate, nego. Ait igitur laudatus Auctor hunc Episcopum esse, qui inter Presbyteros primus est, id est, qui totius Senatus Ecclesiastici Princeps: & Timotheum Episcopum fuisse, quia alterum ante se noo habebat; id est, quia novæ digoitatis accessione supra Presbyteros evectus fuerat, & omnibus Asiæ

Eccle-

Ecclesiis Præpositus, quamvis primùm Presbyter ordinatus fuisset. In ea autem posita erat dignitas illa potestasque sublimior, ut Episcopos ordinare posset, quod Presbyteri non poterant. *Neque enim fas erat, aut licebat*, inquit, *ut inferior ordinaret majorem, Nemo enim tribuit quod non accepit*.

Telum 10. Blondellus mutuatur ab Auctore Quæstionum Veteris & Novi Testamenti, inter Opera sancti Augustini, quem eumdem esse cum Auctore Commentariorum in sancti Pauli Epistolas Sancto Ambrosio adscriptorum, scilicet Hilarium Sardum, non malè Blondellus auguratur. Is igitur Auctor Quæstione 101. hæc habet: *Major Ordo intra se & apud se habet & minorem. Presbyter enim & Diaconi agit officium, & Exorcistæ, & Lectoris. Presbyterum autem intelligi Episcopum, probat Paulus Apostolus, quando Timotheum, quem ordinavit Presbyterum, instruit qualem debeat creare Episcopum. Quid est enim Episcopus, nisi primus Presbyter, hoc est summus Sacerdos? Denique non aliter quàm Compresbyteros hic vocat & Consacerdotes suos.* * *Numquid & Ministros Condiaconos suos dicit Episcopus? Non utique, quia multò inferiores sunt: & turpe est judicem dicere Primicerium. Nam in Alexandria & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter.* Ex quibus colligit Blondellus, 1. Presbyteros, seu Sacerdotes quoscumque a sancto Paulo Episcopos intelligi; ut uno eodemque eos divinitus instituto gradu ac Ordine cum Episcopis consistere necesse sit. 2. Qui ex Ecclesiæ usu Episcopi dicuntur, a cæteris quos Compresbyteros & Consacerdotes ex officio vocant, non gradu, sed sola ætatis prærogativa differre, ut summus Sacerdos ille sit, ante quem alius nullus ordinatus est. 3. Presbyterorum esse illas ipsas functiones, quas Episcopis solis Canones vindicant, exercere; ut Episcoporum propriæ jure dumtaxat canonico, non divino factæ videantur. Passim enim per Ægyptum, absentibus Episcopis, *Presbyteri consecrarunt*, id est, confirmarunt.

* *Fallitur hic Auctor, cùm negat Episcopum vocare Ministros suos* Condiaconos *suos. Nam, Sabinum, Eustathium, Elpidium S. Basilius in Epist. ad ipsos datis: Cælestinum S. August. Ep. 62. Ferrandum Carthaginensem S. Fulgentius, Respons. ad Quæst. Ferrandi, & lib. de Baptismo Æthiop.* Condiaconos *suos vocavunt.*

Ex eodem Auctore Quæst. 46. *Sacerdotis vicem agere non potest, qui non est Sacerdos*: adeòque non Episcopus Episcopi vicem agere nequaquam poterit. At (ex hypothesi) Episcopi Presbyter apud Ægyptios vicem egit. Ergo (ex hypothesi eadem) Presbyter apud Ægyptios Episcopus fuit.

Respondeo, Nego consequens. Nihil minùs enim ait Auctor laudatus, quàm quod ipsi Blondellus affingit. Nec Episcopis Presbyteros coæquat in Sacerdotii gradu, sed in Sacerdotio præcisè; ratione cujus Episcopus & Presbyter easdem functiones exercent, & Episcopus a Presbytero non differt, nisi quòd primus Presbyter est, & Presbyteros Consacerdotes suos vocat. Quia cùm *major Ordo intra se & apud se habeat & minorem*, ut ait iste Auctor, Episcopus Presbyteri Ordinem continet, quamvis novæ dignitatis accessione cumulatum.

Ad confirmationem respondeo, distinguo majorem. Qui non est Episcopus, Episcopi vicem agere non potest, in iis functionibus quæ sunt Episcopo ratione suæ Ordinationis & characteris singulares, nec possunt cum secondi Ordinis Sacerdotibus communicari, concedo: in iis quæ ita sunt Episcopis propriæ, ut tamen Presbyteris simplicibus, velut extraordinariis Ministris, conveniant, & cum iis communicari ab Episcopis possint, nego. At Episcopi vicem in secundi, non verò in primi generis functionibus Presbyter apud Ægyptios egit. Confirmandi namque potestas, quamvis Episcopo soli ut Ministro ordinario conveniat: Presbytero tamen ut extraordinario Ministro competit vi Sacerdotalis characteris: qui si Ecclesiæ concessione compleatur; Episcopi vicem in Confirmationis administratione obire Presbyteri possunt. Sic in Ægypto Presbyteri, absentibus Episcopis, confirmabant, ex Ecclesiæ Alexandrinæ Disciplina. Sed functiones ita proprias Episcopis, ut a secundo Sacerdotio nequidem extra ordinem possint exerceri, ut sunt Presbyterorum Ordinationes, & inaugurationes Episcoporum, vice Episcopi obire simplex Presbyter non potest. Nec verò obiit usquam in Ægypto aut ubivis Gentium.

Ideò porrò Auctor laudatus Presbyteros sic extollit ut eos coæquare Episcopis videatur, quia Romanorum Diaconorum fastum sibi sumit comprimendum, qui se supra Presbyteros efferebant. Unde ut ipsos longè inferiores esse Presbyteris ostendat, iisque subditos esse debere, Sacerdotum dignitatem cum Episcopali componit; quòd non illubenter Diaconi Episcopis subessent, longèquo infra Episcoporum Ordinem se positos faterentur. Ista patent ex antecedentibus & consequentibus. *Quidam*, inquit, *qui nomen habet Falcidii, duce stultitia, & Civitatis Romanæ jactantiâ, Levitas Sacerdotibus, & Diaconos Presbyteris coæquare contendit: non dicam præferre, quia stultius est, & fortè incredibile videtur; ne nos non emendatores, sed calumniatores habeamur. Qua igitur lege, quave consuetudine, quonam exemplo hoc aggredi audeat, nullum scire arbitror, ut istos quibus consessus in Ecclesia datus est, minimè iis coæquet, qui propter quòd Antistites Dei sunt, in domo Dei & in honore Christi cum dignitate consistunt. Qua audacia est Presbyteris Ministros ipsorum pares facere? Quæ temeritatis præsumptio, Sacerdotibus bajulos tabernaculi, & omnium vasorum ejus, & lignorum concisores, & portitores aquæ conferre? Hoc enim officium fuit Levitarum. Tale est si Præfectis Officiales, domini servi æquentur. Hoc enim scriptum est, dicente Domino ad Moysem: Accipe Tribum Levi de medio Filiorum Israël, & statue illos ante Aaron Sacerdotem, & deserviant ei. Quid hoc exemplo apertius? Quod etiam nunc in Ecclesia custoditur. Quamquam Romanæ Ecclesiæ Diaconi modicè inverecundiores videantur, sedendi tamen dignitatem in Ecclesia non præsumunt. Ut autem non omnia ministeriorum obsequia per Ordinem agant, multitudo facit Clericorum. Nam utique & altare portarent, & vasa ejus, & aquam in manus funderent Sacerdoti, sicut videmus per omnes Ecclesias, & sicut constitutum est a Domino per Moysen. Sic autem Diaconus adversùs Presbyteros defendit, quasi ex Presbyteris Diaconi, & non ex Diaconis Presbyteri ordinentur. Sed quia Romanæ Ecclesiæ Ministri sunt, idcirco honorabiliores putantur quàm apud cæteras Ecclesias, propter magnificentiam urbis Romanæ, quæ caput esse videtur omnium Civitatum. Si itaque hoc est, hoc debent & Sacerdotibus suis vindicare. Quia si ii qui inferiores sunt, crescunt propter magnificentiam Civitatis; quantò magis qui potiores, sublimandi sunt? .... Quamquam apud justum Judicem Deum unicuique honor maneat, qui decretus est singulis Ecclesiarum officiis, ut qui Diaconus est, per omnes Ecclesias Diaconi honorem habeat. Non enim qualiscumque honor est Antistiti Dei servire in Ecclesia dumtaxat: sed Sacerdos totius honoris Ecclesiastici dignus habeatur. Major enim Ordo intra se & apud se habet & minorem*, &c. Et post verba in objectione laudata subjungit: *Nunc enim videmus Diaconos temerè quod Sacerdotum est, agere per convivia, & in oratione id velle ut respondeatur illis, cùm istud solis liceat Sacerdotibus. Diaconi ergo Ordo est accipere a Sacerdote, & sic dare plebibus, &c.*

§. XXIV.

§. XXIV.

Sanctum Hieronymum non intellexit Blondellus.

PRæcipuum causæ suæ præsidium petit Blondellus ex sancto Hieronymo in Commentario capitis 1. Epistolæ ad Titum, ubi explicans illa verba: *Et constituas per Civitates Presbyteros*, &c. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse*, &c. hæc habet; *Idem est ergo Presbyter qui & Episcopus; & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò unusquisque eos, quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, ut schismatum semina tollerentur. Putet aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, Episcopum & Presbyterum unum esse, & aliud ætatis, aliud esse nomen officii; relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis: Paulus & Timotheus servi Jesu Christi, omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconis, gratia vobis & pax. Philippi una est urbs Macedoniæ. Et certè in una Civitate plures [ut nuncupantur] Episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant; propterea indifferenter, de Episcopis quasi de Presbyteris est locutus.* Quod ubi Scripturæ sacræ testimoniis Hebr. 13. 1. Petri 5. Actor. 20. probavit continenter subjungit: *Hæc propterea, ut ostenderemus apud Veteres eosdem fuisse Presbyteros, quos & Episcopos: paulatim verò ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cùm haberet in potestate solus præesse populo Israël, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.* Ex quibus sic colligo. Episcopi non sunt Presbyteris jure divino superiores, si idem sit Presbyter qui & Episcopus. Atqui ex Sancto Hieronymo, idem est Presbyter qui & Episcopus. Igitur Episcopi non sunt jure divino Presbyteris superiores.

Secundò. Quorum supra Presbyteros eminentia non fuit ab Ecclesiæ exordiis, & in schismatis remedium instituta est, illi non sunt jure divino Presbyteris superiores. Sed Episcoporum supra Presbyteros eminentia non fuit ab Ecclesiæ exordiis, & in schismatis remedium instituta est ex Hieronymo: ergo Episcopi non sunt jure divino Presbyteris superiores.

Tertiò. Quorum communi consilio Ecclesiæ regebantur in Ecclesiæ incunabulis, ii erant Episcopis æquales. Sed communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ regebantur in Christiani nominis exordiis. Presbyteris igitur pares erant.

Quartò. Qui magis consuetudine Ecclesiæ, quàm dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris sunt majores, & in commune debent Ecclesiam regere, non sunt superiores Presbyteris. Atqui Episcopi magis ex consuetudine Ecclesiæ, quàm dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris sunt majores, & in commune debent Ecclesiam regere, ex sancto Hieronymo; ergn Episcopi non sunt jure divino superiores Presbyteris.

Respondeo, Distinguo majorem. Si idem sit Presbyter qui & Episcopus, quoad dignitatem, concedo: quoad nomen tantùm, nego. Atqui idem est Presbyter qui & Episcopus, nego minorem. Neque enim id sanctus Hieronymus ait: sed apud Veteres eosdem Presbyteros fuisse, quos & Episcopos: nomine quidem, non Ordine, non dignitate. Communia namque primi & secundi Ordinis Sacerdotibus tunc erant nomina, ut Episcopi vocabulo Presbyterorum, & Presbyteri vocabulo Episcoporum significari tunc solerent; quamvis aliqua esset inter illos Ordinis ac dignitatis differentia. Id illa Hieronymi verba significant: *Sed quia eosdem Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant: propterea indifferenter de Episcopis, quasi de Presbyteris est locutus.*

Ad 2. respondeo, distinguo majorem. Quorum supra Presbyteros eminentia non fuit ab Ecclesiæ exordiis, &c. eminentia omnis, concedo: aliqua, nego. Atqui Episcoporum supra Presbyteros eminentia non fuit ab Ecclesiæ exordiis, & in schismatis remedium instituta est: Eminentia aliqua, concedo; omnis, nego. Duplici ratione supra Presbyteros eminent Episcopi; primò interiori potestate, & Ordini ipsi, sive characteri Episcopali essentialiter conveniente, quâ Presbyteros & Episcopos alios ordinare possunt, sive *Patres Ecclesiæ gignere* (ut loquitur sanctus Epiphanius). Secundò eminent mystici Corporis Christi, id est, Ecclesiæ regimine; quod ex potestate jurisdictionis habent, ratione cujus leges ferre, sancire Disciplinam, ab Ecclesiæ liminibus publicos peccatores & adversùs Ecclesiam perduelles arcere, Lapsis pœnitentiam imponere, pœnitentes Communione donare, Christianæ plebis mores reformare possunt. Quoad priorem potestatem & illius usum, sive quoad Ordinem, & ordinandi Presbyteros auctoritatem, illiusque auctoritatis functiones, Episcopi fuere semper superiores Presbyteris, etiam in exordiis Ecclesiæ, & antequam schismata in populis orirentur. Idque sanctus Hieronymus in eo ipso, quem expendimus, loco agnovit. Veros enim proprièque vocatos Episcopos, etiam temporibus Apostolicis, non fuisse plures existimat in una Ecclesia, cùm plures fuisse fateatur Presbyteros. Nam cùm ad probandum eumdem apud Paulum esse Presbyterum & Episcopum, attulisset locum Actor. cap. 20. statim addit: *Ac ne quis contentiosè in una Ecclesia plures Episcopos fuisse contendat; audi & aliud testimonium, in quo manifestissimè comprobatur eumdem esse Episcopum & Presbyterum.*

Certè si sanctus Hieronymus Presbyteros in eodem cum Episcopis Ordine ac gradu tum fuisse, & Episcopali charactere insignitos existimasset, plures in una Ecclesia Episcopos fuisse minimè negasset; siquidem in una Ecclesia Presbyteros fuisse plures illo Actorum loco edoctus fatebatur. Episcopos igitur a Presbyteris Ordine & charactere distinctos, illisque sublimiores, etiam in Ecclesiæ incunabulis, sanctus Hieronymus agnovit. At quoad secundam illam potestatem, quæ in externa Ecclesiæ, & rerum ejus administratione posita est, non ea fuit ab initio, quæ secutis temporibus, Episcoporum supra Presbyteros eminentia. Tunc enim communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ regebantur; & res Ecclesiasticæ administrabantur, nihilque decernebatur, nisi ex ipsorum suffragiis, & ex communi totius Senatus Ecclesiastici sententia, cui tamen aliquis præsidebat cum prærogativa suffragii, & judicandi atque decernendi auctoritate. Sed hæc regiminis forma immutata est occasione schismatum, & ad unum omnis delata sollicitudo est. Ex quo patet responsio ad tertinm.

Quoad externam illam Ecclesiæ gubernationem & rerum ipsius administrationem, atque jurisdictio-

ctionis usum despoticum, *Magis Ecclesiæ consuetudiae, quàm dispositionis Dominica veritate*, Presbyteris esse majores Episcopos; quia non est juris divini ut ab Episcopo solo absque Pre-byterii consiliis & suffragiis illud Ecclesiæ regendæ, & juris dicundi in sacra Republica munus exerceatur. Imò convenientius est ut in commune Ecclesiam cum Presbyteris Episcopi regant, ait sanctus Hieronynius, *imitaates Moysen, qui cùm haberet iu potestate solas peaesse populo Israël, septuaginta elegit, cam quibas populum judicaret*. Ex quibus verbis & exemplo efflorescit, potestatem summam regendæ Ecclesiæ, & jurisdictionem amplissimam, cùm in plebem Christianam, tum in ipsum Presbyterorum, Clerique totius Collegium, Episcopis institutione divina fuisse concessam, quamvis eam cum secundi Ordinis Sacerdotibus commuoicarent primis Ecclesiæ temporibus: sicut Moyses collatam divinitus auctoritatem, cùm in populum oniversum, tum in septuaginta ipsos Seniores habuit; quamvis illos in consortium jurisdictionis suæ ac regiminis partem asciverit.

Denique hæc verba sancti Hieronymi: *In toto orbe decretum est ut aaus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesia cura pertiaeret, ut schismatum semina tolleretur*, Blondelli hypotesim evertunt. Quomodo enim fieri potuit, ut toto hoc orbe decerneretur, nullo jam Concilio Oecumenico ad illud decernendum congregato, si non ab Apostolis ipsis fidem toto orbe promulgantibos, & cum fide hanc regendi Ecclesias formam constituentibus, factum sit? Certè si hoc posterioribus sæculis ab Ecclesia decretum fuerit, sequitur aut non vidisse Apostolos qua in re Ecclesiæ salus penderet, aut cùm satis viderint, saluti tamen Ecclesiæ, etiam cùm apud Corinthios schismata exorirentur, non consuluisse; siquidem non statim omnem sollicitudinem ad unum detulerunt, ut dissensionum semina evellerentur. Hoc itaque esse videtur sancti Hieronymi systema: Apostolos omnes pari potentia & auctoritate ad Ecclesiam fundandam & moderandam, præditos fuisse ex instituto Christi Servatoris. Horum singulos cùm Evangelium prædicarent, Ecclesiasque fundarent, earum interdum supremum regimen penes se retinuisse; sic ut cùm ipsi abessent, Seniores seu Presbyteri (quo nomine utriusque Ordinis Sacerdotes tum significabantur) Fidelium gregi invigilarent, adeòque communi consilio recentes illas administrarent Ecclesias in iis quæ Disciplinam & externum sacræ Politiæ Ordinem spectabant. Ubi verò sub hoc in quibusdam Ecclesiis (a quibus earum Fundatores Apostoli diutius abessent) Presbyterorum regimine schismata oriri cœpta sunt, *Et unusquisque eos quos baptizaverat, suos putabat esse non Christi; postquam in populis dicebatur, Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego autem Cepha*, ubi, inquam, Evangelio Corinthi per Paulum plantato, dein per Apollo rigato, & aliquibus per Cepham conversis, imò ad aliquem fortassis in Ecclesia gradum provectis, studia in religione fierent, toto orbe decretom est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem (ut singularem planè Episcopum) omnis Ecclesiæ cura pertineret, ut schismatum semina tollerentur. Id autem factum est ante primam ad Corinthios exaratam Epistolam, id est anno Christi 55. longo 85. plus minùs annrum intervallo ante Blandelli æram, anno Christi 140. singularis Episcopatus initia constituentis.

Objiciunt Heterodoxi insignem alium locnm sancti Hieronymi ex Epistolâ 85. ad Evagrium, in quâ scribit *Apostolum disertè docere, eosdem esse Presbyteros, quos & Episcopos*. Idque probat ex Actor. 20. cap. ex Epistolâ ad Philippenses. cap. 1. ex 1. ad Timotheum, cap. 4. ex Epistolâ ad Titum, cap. 1. ex 1. Petri, cap. 5. ex 2. & 3. Epistola sancti Joannis, cap. 1. quibus testimoniis prolatis continenter subjungit: *Quòd autem postea unus lectus est, qui cæteris praeponeretur, in schismatis ermedium factum est: ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandria a Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant; quomodo si exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de se quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent*. Quo ex loco habemus primò in Christianæ rei exordiis eosdem Presbyteros quos & Episcopos fuisse, adeòque nullum esse jure divino Presbyteratûs & Episcopatûs discrimen. Secundò, in schismatis remedium factum esse, ut onus ex Presbyteris electus cæteris præponeretur.

Respondeo, Distinguo consequens. Ex hoc loco habemus eosdem Presbyteros, quos & Episcopos fuisse, nomine tenus, concedo: Ordine & dignitate, nego. Id igitur unum sanctus Hieronymus asserit, Presbyteri & Episcopi nomina secundi etiam Ordinis Sacerdotibus communia fuisse, adeòque sanctum Paulum in locis ab ipso laudatis Episcoporum nomine simplices, ut vocamus, Presbyteros intellexisse, non verò illos quibus proprium deinde factum est Episcoporum nomen; quia tunc plures in una Ecclesia non erant, sed unus uni præsidebat. Plures autem erant secundi Ordinis Sacerdotes. Hunc esse sancti Hieronymi sensum, tum propositum ejus, cùm verba demonstrant. Invehitur in quemdam nebulonem qui Diaconos Presbyteris anteferebat. Ejus vecordiam ut refellat, ostendit Episcopos, de quibus Apostolus loquitur, fuisse secundi Ordinis Sacerdotes, illis planè similes, ejusdemque classis cum illis qui suo tempore Presbyteri vocabantur, quos vecors ille disputator infra Diaconos deprimebat. Adeòque cùm perspicuum sit Presbyteros illos, qoos Apostolus Episcopos vocat, sublimioris longè dignitatis fuisse quàm Diaconos, colligit ferendam non esse illius temeritatem, qui Presbyteris Diaconos anteponeret. En porrò sancti Hieronymi verba: *Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id est, Episcopis anteferret. Nam cùm Apostolus perspicuè doceat, eosdem esse Presbyteros, quos & Episcopos; quis patiatur, mensarum & viduarum Minister ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi Corpus, Sanguisque conficitur? Quæris auctoritatem? Audi testimonium. Paulus & Timotheus servi Jesu Christi, omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus. Vis & aliud exemplum? In Actibus Apostolorum ad unius Ecclesiæ Sacerdotes ita Paulus loquitur: Attendite vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, ut regeretis Ecclesiam Domini quam acquisivit sanguine suo. Ac ne quis contentiosè in una Ecclesia plures Episcopos fuisse contendat, audi & aliud testimonium in quo manifestissimè comprobatur eumdem esse Episcopum atque Presbyterum*.

Quod autem ait sanctus Hieronymus, *In schismatis remedium factum esse, ut unus ex Presbyteris electus cæteris præponeretur*: jam antea dilutum est. Spectat nimirum sanctus Hieronymus rerum Ecclesiasticarum administrationem, quæ schismatum occasione tota ad unum delata est, singularem quidem Episcopum, cùm antea toti Presbyterorum Collegio cum Antistite communis esset. Quamobrem insolescere non debere Diaconos colligit, propterea quòd Ecclesiasticorum bonorum Oeconomi & Dispensatores essent (hac illis demandata ab Episcopis provincia) aut quòd

ad

ad ipsorum testimonium Presbyteri ordinarentur: quia utcumque se haberet Ecclesiæ his in rebus Disciplina, certum erat Presbyteros, quos Apostolus Episcoporum nomine designavit, esse Diaconis Ordine superiores; cùm ex Diaconis Presbyteri, non item ex Presbyteris Diaconi ordinentur. *Sciant*, inquit, *quare Diaconi constituti sint. Legant Acta Apostolorum, recordentur conditionis suæ. Presbyter & Episcopus, aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen. Unde & ad Titum, & ad Timotheum, de Ordinatione Episcopi & Diaconi dicitur, de Presbyteris omnino reticetur; quia in Episcopo & Presbyter continetur. Qui provehitur, de minori ad majus provehitur. Aut igitur ex Presbytero ordinetur Diaconus, ut Presbyter minor Diacono comprobetur, in quem crescit ex parvo: aut si ex Diacono ordinatur Presbyter, noverit se lucris minorem, Sacerdotio esse majorem.*

Contra. Quem Presbyteri ex se electum, & in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant absque nova inauguratione, ille jure tantùm humano Presbyteris erat superior. Sed Alexandriæ a Sancto Marco Evangelista, usque ad Heraclam & Dionysium, Presbyteri unum e suo Collegio electum, in sublimiori Cathedra collocabant, & Episcopum nominabant, absque nova inauguratione (ex Sancto, Hieronymo) itaque jure tantùm humano Presbyteris superiores Episcopos ipse agnovit: nullumque revera inter illos jure divino discrimen constitutum est.

Probatur minor: Nec enim Sanctus Hieronymus novæ Ordinationis meminit; & si quæ intercedebat, eam a Presbyteris esse factam necesse est, qui unum ex suo Collegio in excelsiori Cathedra collocatum Episcopum nominabant.

Præterea ita fiebat Presbyter Episcopus electione Compresbyterorum, sicut miles, vel Tribunus fiebat Imperator electione Commilitonum, & Diaconus, Archidiaconus creabatur Condiaconorum nominatione: atqui in creatione Imperatoris, vel Archidiaconi, ritus alius necessarius non erat ab Electione, ut his dignitatibus fruerentur: Ergo in Episcoporum creatione satis erat Presbyterorum electio, & collocatio illa in Cathedra sublimiori, qua illum in Episcopatus possessionem mittebant, citra novam Ordinationem.

Ad 1. respondeo, nego minorem. Novam enim ordinationem intercessisse, qua electus a Compresbyteris, inauguraretur Episcopus, sanctus Hieronymus satis innuit, cùm singularem ad quædam effecta potestatem agnoscit in Episcopis, quæ Presbyteris non conveniret, scilicet ad Presbyterorum & Episcoporum Ordinationes. Post verba nempe in objectione laudata, continenter subjungit: *Quid enim facit excepta Ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Ordinationum igitur sacrarum potestatem Presbyteris non convenire sanctus Hieronymus agnovit, non tantùm illis quos sua videbat ætate, sed absolutè Presbyterorum competere nemini, etiam eorum qui temporibus Apostolicis floruerunt, de quibus antea locutus est: ne Blondellus cavilletur. Secundò, sanctus Hieronymus Episcopos Apostolorum Successores ibidem vocat. Quamobrem sicut Apostoli superiores erant Presbyteris quos ordinabant, non humana institutione, sed Christi ipsos cum summa potestate mittentis, eisque Ecclesiæ suæ propagandæ & regendæ provinciam demandantis: ita Episcopos jure divino superiores esse Presbyteris consequens est; secundùm Sancti Hieronymi sententiam. *Ubicumque*, inquit, *fuerit Episcopus sive Romæ sive Engubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis; ejusdem meriti, ejusdem & Sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterùm omnes Apostolorum successores sunt.*

Tertiò. Hanc ad Evagrium Epistolam sanctus Hieronymus his verbis concludit. *Et ut sciamus Traditiones Apostolicas sumptas de Veteri Testamento; quod Aaron & Filii ejus, atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicent in Ecclesia.* Quibus verbis Episcopos cum Aarone, Presbyteros cum filiis Aaronis, componit. Nemo porrò parem potestatem Aaronis, qui Sacerdos Maximus, sive Pontifex fuit & filiorum ejus, qui Sacerdotes tantùm erant fuisse dixerit.

Quartò Episcoporum supra Presbyteros eminentiam inter Apostolicas Traditiones sanctus Hieronymus ibidem enumerat.

Quintò. In Dialogo adversùs Luciferianos idem dogma non obscurè adstruit. *Ecclesiæ salus* inquit, *in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quædam, & ab hominibus eminens detur potestas, tot erunt in Ecclesia schismata, quot Sacerdotes. Inde venit ut sine chrismate & Episcopi jussione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi.* In eodem Dialogo: *Si quæramus quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum: disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quòd Spiritus sanctus ad Apostolos descendit.* Si Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis, & singularis Episcopi eminentiorem potestatem habentis dignitate pendet, non satis providisset Ecclesiæ suæ Christus Dominus, nisi summos Sacerdotes id est Episcopos cum eminenti illa potestate instituisset.

6. Spiritum Sanctum nisi per manuum Episcopalium impositionem non dari agnoscit Sanctus Hieronymus, idque repetit ex Scriptura Sacra. Administrandæ igitur Confirmationis auctoritatem Episcopis, non Presbyteris, velut ordinariis Ministris divinitus datam sensit Sanctus Hieronymus: adeòque & hac Hierarchici Ministerii parte Episcopos esse Presbyteris jure divino superiores.

Idem libro 1. adversùs Jovinianum, cap. 19. *Episcopus & Presbyter, & Diaconus, non sunt meritorum nomina, sed officiorum, nec dicitur: Si quis Episcopatum desiderat* (unde eum de Apostolorum, non de suo ævo locutum fuisse apparet) *bonum desiderat gradum, sed bonum opus desiderat quod in majori Ordine constitus possit, si velit occasionem exercendarum habere virtutum ...... Non percussorem. Neque enim pugilem describit sermo Apostolicus, sed Pontificem instituit.*

Idem Epistolâ 2. ad Nepotianum: *Esto subjectus Pontifici tuo, & quasi animæ parentem suscipe.*

Idem Epistolâ 54. ad Marcellam hoc inter Catholicos & Montanistas discrimen ponit: *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent: apud eos Episcopus tertius est.*

Ad secundum argumentum distinguo majorem, Ita fiebat Presbyter Episcopus electione Compresbyterorum, sicut miles Imperator electione Commilitonum, & Diaconus, Archidiaconus electione Condiaconorum: quantùm ad aliqua, concedo: quantùm ad omnia nego. Comparationem enim in eo tantùm Sanctus Hieronymus instituit, quod ut olim ex corpore exercitûs eligebantur Imperatores; & ex Diaconorum societate eligebantur Archidiaconi: ita ex Presbyterorum Collegio crearentur Episcopi: non verò in eo quòd sola electione, & citra Ordinationem, ad hanc dignitatem promoverentur. Cæterùm quòd nova intercesserit Ordinatio, eamque necessariam S. Hieronymus existimaverit, adducta ejus loca satis ostendunt.

Ex his quæ hucusque de sententia sancti Hieronymi diximus, & ex responsione ad insignia ejus loca duo a Blondello objecta, aliorum Auctorum his simillima testimonia facilè solvi possunt, scilicet.

I. Testimonium Auctoris Commentariorum breviorum in Epistolas sancti Pauli, (apud sanctum Hieronymum) in cap.3. 1. ad Timoth. quo tamen in loco distinctum a Presbyteratu Episcopatum, eoque subliniorem gradum non obscurè docet. *Quæritur*, inquit, *cur de Presbyteris nullam fecerit mentionem, sed eos in Episcoporum nomine comprehenderit*, Apostolus: *quia secundus, imò penè unus est gradus, sicut ad Philippenses Episcopis ac Diaconis scribit; cùm una Civitas plures Episcopos habere non possit.*

II. Testimonium Auctoris Anonymi Libelli de septem gradibus Ecclesiæ ad Rusticum Narbonensem Episcopum (inter Opera sancti Hieronymi, Tom.4.) quo in libello, *& Presbyterum Episcopum dici ab Apostolo* probat, *& in Presbytero summam Sacerdotii collocari*: Et in necessitate Presbyteros chrisma posse conficere. Quamquam & hic Auctor Blondelli, Puritanorumque cæterorum causam jugulat his verbis: *Septimus Episcopalis Ordo est, & in Christo donatur, ex quo processus omnium gloriarum, & plenitudo est virtutum..... Ipse enim ordinat Sacerdotes, ipse Levitas, ipse Subdiaconos..... Ipse arundinem tenens metitur Jerusalem, ipse fabrica Dei præest, ipse quod unusquisque facere debet ostendit, ipse damnat, ipse recipit, ipse ligata solvit, ipse claves regni cælorum habet, ipse Thronum Dei reserat & claudit, supra se nihil habens...... Ad hunc pertinet chrisma, quia ipse Christus Christorum est, Sanctus Sanctorum, & Episcopus animarum...... Quod in Clericis consecratum esse prædiximus, Episcopum solum habere manifestum est. In illis esse partes & membra virtutum, in Episcopo plenitudinem divinitatis habitare corporaliter. Atque ita est ut in Episcopis Dominum, in Presbyteris Apostolos, qui & ipsi sunt, recognoscas.*

III. Ex his quæ in superiori responsione diximus, solvitur auctoritas Primasii Episcopi Adrumetini in Africa, qui Commentar. in Paulinas Epistolas in 1. Cor.11. in 2. Cor.1. in argum.1. ad Timoth. & in cap.3. & in argumento Epist. ad Titum, *Sacerdotum* duntaxat & *Ministrorum*, meminisse Apostolum affirmat. Quamquam hæc Primasii verba in cap.3. ad Timoth. Blondellum profligant: *Quæritur cur de Presbyteris nullam fecerit mentionem; sed in Episcopis etiam Presbyteros comprehendit: quia secundus, & penè unus est gradus, sicut multis Scripturarum testimoniis comprobatur.* Blondellus existimat Apostolum Episcoporum duntaxat, & Diaconorum his in locis meminisse, quia tota Cleri universitas in duos tantùm Ordines divisa est jure divino, Episcoporum & Diaconorum, & quia unus est Ordo Presbyteratus cum Episcopatu. Contra verò Primasius ab Apostolo Presbyterorum prætermissam putat mentionem, quia Presbyteratus in Episcopatu, ut inferior Ordo in superiori continetur. Blondellus Episcopatum a Presbyteratu non distingui absolutè pronuntiat. Primasius Presbyteratum secundum Sacerdotii gradum vocat, qui cum primo penè unus est; ab eo tamen distinctus; alioqui non jam secundus, sed unus esset.

IV. Ex nostra ad sancti Hieronymi loca responsione solvitur & Sedulii Scoti testimonium in cap.1. Epistolæ ad Titum, ubi & eosdem a sancto Paulo Episcopos, quos & Presbyteros vocari scribit, & communi Presbyterorum consilio gubernatas Ecclesias, antequam diaboli instinctu studia in religione fierent. Postea toto orbe decretum esse ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ut schismatum semina tollerentur. Quæ sancti Hieronymi verba sunt, a Sedulio, tacito ejus nomine descripta.

V. Eadem solutione diluuntur testimonia sancti Isidori Hispalensis, lib.2. de Ecclesiast. Officiis, cap.7. & lib.7. Etymolog. cap.12. ubi Presbyteris, non secus ac Episcopis, Mysteriorum Dei dispensationem esse commissam ait, ipsos Ecclesiæ Præsides, Episcoporum in Eucharistiæ confectione, doctrinâ, prædicandi officio consortes, sub Episcoporum nomine ab Apostolo assertos, & in Episcoporum nomine comprehensos. Quamquam & Blondelli, Puritanorumque cæterorum jugulum petit Isidorus, cùm ibidem ait: *Unde & Timotheus de Ordinatione Episcopi & Diaconi scribens, de Presbyteris omnino tacuit; quia eos in Episcopi nomine comprehendit. Secundus enim & penè conjunctus est gradus.* Et ibidem Ordinationum sacrarum potestatem soli Episcopo vindicat, non ut ipsi Jure tantùm Canonico reservatam, (ut Blondellus contendit) sed jure divino: quia Christi providentia hanc regiminis formam in Ecclesia instituit, quæ concordiam foveret, & scandalis obviam iret. *Sed sola*, inquit, *propter auctoritatem, summo Sacerdoti Clericorum Ordinatio & Consecratio reservata est, ne multis Ecclesiæ Disciplina vendicata, concordiam solveret, scandala generaret.*

VI. Solvitur eâdem viâ Venerabilis Bedæ auctoritas in cap.20. Actorum, exponentis illa sancti Pauli verba: *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos*, quæ tamen Bedæ interpretatio Blondelli causam non promovet, imò ipsi magis nocet. *Dixerat enim supra*, inquit, *Presbyteros Ephesi Miletum vocatos, quos nunc Episcopos, id est, superinspectores nominat. Non una Civitas plures Episcopos habere potuit; sed eosdem Presbyteros ut verè Sacerdotes sub nomine Episcoporum significat. Conjunctus est enim gradus & in multis penè similis.*

VII. Eodem modo solvuntur Auctores qui laudata sancti Hieronymi testimonia proferunt, & sua faciunt, scilicet Alcuinus lib. de Divinis Officiis, ubi agit de Ordinatione Episcopi. Synodus Aquisgranensis anno 816. congregata, cap.8. Amalarius Trevirensis, lib.2. de Officiis Ecclesiasticis, cap.13. & 16. Hincmarus Remensis in Opusculo capitum 55. cap.10.

§. XXV.

Sancti Augustini mentem Blondellus non est assecutus.

OBjectio vigesima-secunda Blondelli petitur ex sancto Augustino, Epistolâ 82. aliàs 19. ad sanctum Hieronymum, dicente: *Quamquam secundùm honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus Presbyterio major sit; tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.* Solo igitur Ecclesiarum usu, inquit Blondellus, non divina lege, Episcopi sunt Presbyteris superiores: qui usus non ab initio introductus, sed post Apostolorum omnium ætatem paulatim invaluit. Et synonima ab origine honorum vocabula, significationem detorquente pedetentim usu, novos dignitatum gradus designare cœperunt; sed qui priscam identitatem nequeant abolere.

Respondeo, Sanctum Augustinum usum Ecclesiæ recentem, vel post Apostolica tempora introductum non laudare, sed ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, nec de nudis honoris vocabulis loqui, sed quæ distinctos Dignitatum Ordinumve gradus in Ecclesia significent. Quæ nomina cùm ante funda-

datam Christi Ecclesiam nullius singularis dignitatis propria essent, sed unum ætatis, scilicet Presbyter, alterum officii cujuslibet Reipublicæ regimen spectantis, siquidem inspectorem vel superintendentem significat, scilicet Episcopus: fundata postmodum Ecclesiâ, ad Dignitates & Ordines a Christo institutos significandos translata sunt, & Ecclesiæ usu consecrata. Episcopatum itaque Presbyterio majorem dixit sanctus Augustinus, secundùm honorum vocabula, quæ usus Ecclesiæ obtinuit: quia nomen Episcopi jam a suis exordiis usurpavit Ecclesia ad majorem Presbyteratus dignitatem designandam.

Hinc ad Augustinum ipsum scribens sanctus Hieronymus ipsum propter Episcopatum vocat dignitate Patrem. *Vale*, inquit, *amice mihi charissime, ætate fili, dignitate Pater*. Denique quòd sanctus Augustinus, & ante ipsum Ecclesiæ Africanæ Doctores, senserint Episcopos ex Christi institutione Presbyteris esse superiores, constat ex ipsorum testimoniis prolatis in probatione sexta Propositionis.

§. XXVI.

Solvitur Objectio Blondelli ex Liberato & Eutychio Alexandrino petita.

OBjectionem vigesimam-tertiam instruit Blondellus ex Liberato in Breviario, cap. 20. referente ritum quo creabatur olim Alexandrinus Episcopus, in quo nullam Ordinationem videre est, sed solam ejus, qui defuncto succedebat, in Cathedra sancti Marci sessionem, postquam ejus funus curasset, & beati Marci Pallium collo suo imposuisset. *Consuetudo quidem est Alexandriæ*, inquit, *illum qui defuncto succedit, excubias super defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti suo imponere, & sepulto manibus suis, accipere collo suo beati Marci Pallium, & tunc legitimè sedere*. Ergo non erat necessaria nova Ordinatio Presbytero ut fieret Episcopus, adeòque nulla ipsi jure divino potestas nova accedebat.

Respondeo, Liberatum ibi solùm notare ceremoniam singularem Alexandrinæ Ecclesiæ; de Ordinatione, quæ cùm Alexandriæ, tum in cæteris Ecclesiis adhibebatur, nihil dicere, quia necesse non erat ad illud Historiæ caput quod ibi describit, fideliter tractandum: & aliunde nemini notissimum non erat, Presbyterum, nisi nova ab Episcopis inauguratione, Episcopum non fieri. Unum ex Liberati hac narratione liquidò constat, magnam fuisse Alexandriæ pacis gratiâ, in eligendo Episcopo festinationem, & insolitam pro honore sancti Marci in creando ceremoniam. Inde autem incredibilis illa festinatio ortum habuit, quòd non a Presbyterorum tantùm Collegio, sed etiam a populo Episcopus eligeretur, ut testatur sanctus Gregorius Naziaz. Orat. 21. de sancti Athanasii electione loquens. Cùm igitur populo suæ essent in electione Episcopi Alexandrini partes, & Civitas esset amplissima, & Presbyteri suas Ecclesias & distinctos cœtus haberent [testibus sancto Epiphanio Hæresi 69. & Sozomeno, lib. 1. cap. 15.] ideòque apud populum suum magnam quisque auctoritatem obtineret, electio subitò fiebat, ne mora tumultibus factionibusque præberet occasionem. Id testatur sanctus Epiphanius Hæresi 69. *Alexandriæ autem consuetudo est*, inquit, *ut post Episcopi mortem successor non diutiùs differatur, sed subinde pacis tuendæ gratia subrogetur, ne aliis hunc, aliis illum postulantibus, in populo jurgia & contentiones existerent*. Inde natus dubio procul mos ille Alexandrinis peculiaris, quem Liberatus memorat in Breviario. Sed credere par est Episcopos vicinos ad funus Alexandrini Patriarchæ convenisse, & ad Sucessoris Ordinationem, quam electione maturata, ob rationem quam diximus, ante peragebant, quàm defunctus Antistes tumulo mandaretur. Novus itaque Patriarcha subitò sic electus & inauguratus, excubias super Decessoris sui corpus agebat, manumque dexteram ejus capiti suo imponebat, & sepulto manibus suis, accipiebat beati Marci Pallium, & tunc legitimè sedebat.

In subsidium advocat Blondellus Eutychium Alexandrinum Patriarcham in Chronico, sive lib. de Originibus Ecclesiæ Alexandrinæ Arabicè conscripto, quem Latinitate donavit Seldenus; in quo hæc habet: *Constituit item Marcus Evangelista duodecim Presbyteros cum Anania, qui nempe manerent cum Patriarcha; adeò ut cùm vacaret Patriarchatus, eligerent unum e duodecim Presbyteris, cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent, & Patriarcham crearent ...... Neque desiit Alexandria institutum hoc de Presbyteris, ut scilicet Patriarchas crearent ex Presbyteris duodecim, usque ad tempora Alexandri Patriarchæ, qui fuit ex numero illo 318. Is autem vetuit ne deinceps Patriarcham Presbyteri crearent. Et decrevit, ut mortuo Patriarcha, convenirent Episcopi, qui Patriarcham ordinarent*.

Et paulò post. *Ab Anania, quem constituit Marcus Evangelista Patriarcham Alexandriæ, usque in tempora Demetrii Patriarchæ, ibidem nullus erat in Provinciis Ægypti Episcopus; nec Patriarchæ ante eum crearunt Episcopos. Ille autem factus Patriarcha, tres constituit Episcopos. Et primus fuit hic Patriarcha Alexandrinus qui Episcopos fecit. Mortuo Demetrio suffectus est Heraclas Patriarcha Alexandrinus, qui Episcopos constituit viginti*. Ex quibus duo habentur. Primum, Episcopos Alexandrinos a Presbyteris nedum electos, verùm etiam consecratos fuisse. Secundum, Ecclesias Ægypti annos ducentos absque Episcoporum administratione transegisse, ab Anania scilicet ad Demetrium usque Patriarcham, qui primus tres Episcopos creavit. Presbyterorum igitur & Episcoporum nullum fuit toto illo intervallo temporis in Ægypto discrimen.

Respondeo, Nullam esse Eutychio his in rebus adhibendam fidem, cum apertè convincatur falsitatis. In primis enim falsum est Patriarcham Alexandrinum fuisse a Presbyteris consecratum. Quod evincitur ex sancto Hieronymo, qui Alexandrinæ Ecclesiæ morem in creando Episcopo referens, ait: *Quid enim facit excepta Ordinatione Episcopus, quòd Presbyter non faciat?* Certè sanctus Hieronymus ignorare non poterat ipsos Presbyteros Alexandrinos manus ei imponere, quem e Collegio suo Patriarcham elegerant, si ita se res haberet; cùm hanc ipsis auctoritatem primum abrogasse Alexandrum, qui ad ætatem usque sancti Hieronymi vixit, referat Eutychius. Id, inquam, ignorare non potuit sanctus Hieronymus, qui sæpius Ægyptum adiit, & cum Ægyptiis Episcopis & Monachis familiares ac diuturnos iniit congressus, in quibus id didicisset. Nec istam, si nota ipsi fuisset, dissimulasset veritatem; qua ad reprimendum fastum Diaconorum nihil erat conducibilius.

2. Falsi convincitur Eutychius in eo quod habet, ab Anania usque in tempora Demetrii Patriarchæ, nullos fuisse in Provinciis Ægypti Episcopos. 1. Ex Adriano Imperatore in Epist. ad Servianum Consulem, apud Vopiscum, in Saturnino, ita scribente: *Ægyptum, quam mihi laudabas, totam didici levem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem. Illi qui Serapim colunt*,

Chri-

Christiani sunt ; & devoti sunt Serapi , qui se Christi Episcopos vocant .

3. Ex antiquo Vitæ sancti Marci Auctore ; ex NOTKERO in Martyrologio 7. Calendas Maji ; ex Nicephoro Callisto , lib. 2. Histor. Eccles. cap. 43. & ex Grecorum Synaxariis , habetur sanctum Marcum Episcopos longè latèque per Ægyptum ordinasse.

4. Ex sancto Athanasio Apologia 2. asserente , ex Ægypto , Libya , & Pentapoli centum propemodum Episcopos innocentiæ suæ esse suffragatos. Unde autem tot subitò emersere Episcopi , si annis ante hoc tempus nonaginta nullus erat in tota Ægypto Episcopus?

5. Ex sancto Dionysio Alexandrino in Epist. ad Fabium Antiochenum , apud Eusebium , lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ , cap. 42. constat Chæremonem quemdam grandævum , Nili urbis in Ægypto Episcopum , in persecutione Decii unà cum conjuge in Arabicum montem fugâ delatum , non ulteriùs reversum esse. Eodem tempore scripsit etiam idem Dionysius librum de Pœnitentia ad Canonem Hermopolytanæ Ecclesiæ Episcopum. Scripsit & Paschalem Epistolam ad Hieracem unum ex Ægypti Episcopis ; cujus fragmentum refert Eusebius , lib. 7. Hist. Eccles. cap. 21. Librum denique de Promissionibus composuit contra Nepotem quemdam Episcopum Ægypti , qui promissiones sanctis hominibus factas , in divinis Voluminibus , Judaico sensu exhibendas docebat , & mille annorum spatium corporalibus refertum deliciis in hac terra fore affirmabat. Migraverat autem e vita Nepos , antequam hos scriberet libros Dionysius.

6. Ex Tertulliano , qui initio libri adversùs Valentinianos , de Valentino affirmat , Episcopatum ab eo affectatum esse , ut qui eloquio multùm potuit ; cùm verò spe ista excideret , aliusque ex causa Martyrii ei anteponeretur , ad Hæresim divertisse. In Ægypto illud factum esse satis constat. Ipsum quippe Valentinum ex Ægypti regione quadam oriundum tradit sanctus Epiphanius. Jam igitur Episcopi erant in Ægypto Valentini temporibus.

Sed & alia multa sunt quæ fidem abrogent Eutychio in iis quæ fundationem Ecclesiæ Alexandrinæ , & mores ipsius antiquos spectant. Quòd nimirum ab illius Ecclesiæ originibus sit remotior , ut qui post annum Christi 876. floruerit. 2. Quòd fuerit Arabs , linguæ Græcæ , quæ antiquis Patriarchis , & plebi Alexandrinæ vernacula erat , planè ignarus. 3. Quòd tam negligenter Alexandrinæ Ecclesiæ Historiæ pertexuerit , ut non magis huius , quàm alterius monumenta ipsi fuisse cognita appareat. Scilicet Marcum Evangelistam tradit , 9. Claudii anno Alexandriam venisse , 2. Neronis ibidem Martyrio coronatum ; & tamen idem refert tempore Neronis Marcum scripsisse Romæ Evangelium dictante Petro. Hæc certè non ex Alexandrinæ Ecclesiæ tabulariis , sed ex diversis Scriptoribus qui contraria tradiderunt , sine judicio hausit. Origenem tempore V. Concilii vixisse ait , & a Justiniano citatum , neque Alexandrinum fuisse novit , & celeberrimum tertii ineuntis sæculi Scriptorem. *Fuit etiam* , inquit , *tempore Justiniani Origenes Episcopus Mangabensis , qui Metempsichosim asseruit , resurrectionem negans*. Eum , si Eutychio credimus , Justinianus Imperator Constantinopolim accersivit , & Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus excommunicavit. Addidit autem illi tres in itinere & excommunicatione comites , Ibam Episcopum Rohensem , Thaddæum Episcopum Massinensem , & Theodoretum Episcopum Ancyrensem , per Thaddæum Massinensem , Theodorum Mopsuestenum intelligens ; & Theodoretum pro Cyrensi Ancyrensem vocans. Scribit præterea Demetrium Patriarcham Alexandrinum ad Gabium Episcopum Hierosolymitanum , Maximum Patriarcham Antiochenum , & Victorem Patriarcham Romanum , de ratione Computi Paschalis & Jejunii Christianorum scripsisse. At Gabium ipse tradit 27. Aurelii anno Hierosolymis Episcopum creatum , tres tantùm annos sedisse. Aut igitur sub fine Imperii Aurelii , aut sub initio statim Commodi scripta est hæc Epistola : Quo tempore nec Demetrius Alexandriæ præfuit , sed Julianus , nec Victor Romæ , sed Eleuterus. Certè cùm Epistolæ ex Oriente ad Victorem de celebrando Paschate missæ sunt , Narcissus Hierosolymorum Episcopus fuit. Inter Gajanum autem , quem Gabium appellat Eutychius , & Narcissum , novem Patriarchæ Hierosolymis sederunt. Neque verò ulla extat memoria scriptæ ad Victorem a Demetrio Epistolæ. Scribit idem Eutychius , Alexandrum Patriarcham , Achillam , qui ante ipsum Patriarcha fuerat , de gradu Patriarchali dejecisse ; quia Ario recepto , contra Petri Alexandrini mandatum fecerat. Qua in narratione sibi contradicit. Scripserat enim antea Achillam , postquam sex annos sederat , mortuum fuisse. Quomodo igitur ad finem Concilii Nicæni Alexander eum de gradu Patriarchali dejicere potuit? Decepit eum nominis similitudo. Erat enim Achillas quidam Presbyter Ario consentiens , quem simul cum Ario excommunicavit Alexander. Quis igitur Eutychio tam imperito , tam inepto , tam secum ipso pugnanti Historico , fidem existimet adhibendam?

§. XXVII.

Nullum causæ Blondelli præsidium accedit ex eo quòd Episcopi Presbyteros olim vocarent
COMPRESBYTEROS & COLLEGAS.

ARgumentum Blondelli 25. sumitur ex usu Veterum , & solemnibus formulis , ex quibus constat , Episcopos Presbyteros vocasse *Compresbyteros , Comministros , Collegas & Fratres*. Idipsum confirmat Synodi Carthaginensis IV. Canon 34. decernens , *Ut Episcopus quolibet loco sedens stare Presbyterum non patiatur* : Et Canon 35. *Ut Episcopus in Ecclesia , & in consessu Presbyterorum sublimior sedeat , intra domum verò Collegam se Presbyterorum esse cognoscat*. Sive , ut ante annos plus minùs nongentos Egbertus Eboracensis , cap. 27. legit ; *Ut Episcopus in Ecclesia , consensu Presbyterorum , sublimior sedeat*. Si solus (quod Egbertus voluit , totique Anglicanæ Ecclesiæ suo tempore persuasit) Presbyterorum consensus sublimem Episcopis in Ecclesia thronum erexit. Si sedente in Ecclesia Episcopo , stare Presbyterum nefas fuit ; si Presbyterorum se Collegam in æternum profiteri debet Episcopus ; idipsum Presbyter est quod Episcopus ; nec alio jure sublimior sedet , quàm arbitraria concessione Fratrum ; qua liberis omnium suffragiis , totius Collegii Presbyteralis , ac Parœciæ caput effectus est.

Respondeo , Nego consequens. Presbyteros namque Episcopus Compresbyteros , Collegas , & Fratres vocat , non propter omnimodam , quæ inter ipsos intercedat , æqualitatem ; sed quòd in Presbyteratu pares sint , & æqualem habeant Eucharistiæ conficiendæ , & remittendorum peccatorum potestatem. Quam ob causam Presbyteros honorificè excipere debet , nec pati ut coram se stent umquam. Non autem Presbyterorum consensu factum est ut sublimiori loco in Ecclesia sederet Episcopus ; nec id Egbertus Eboracensis signi-

gnificavit, sed solùm decretum esse a Patribus intellexit, ut Presbyteri sublimiorem Cathedram Episcopo, quæ pro ejus dignitate ipsi debita erat, secundùm antiquos Ecclesiæ mores constitui curarent. Quamquam vel Egbertus Canonem Carthaginensem interpolavit, vel imperitus excerptorum ab Egberto Canonum Scriba. Siquidem loco horum verborum, *In Ecclesia, & in consessu Presbyterorum*, ita substituit; *In Ecclesia, consensu Presbyterorum*. Sanè Presbyterorum dumtaxat consensu Episcopos in Ecclesia sublimiores sedere, quòd senserit Egbertus, parum verisimile est, qui sine auctoritate vel coosensu Episcoporom Presbyteros in quibuslibet Ecclesiis constitui vetuit (Can.23.) qui locum Pauli 1. ad Timoth.3. *Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse*, &c. de veris, quales erant suo tempore, Episcopis, qui a Presbyteris meris distincti, iisque superiores essent, intellexit (Can.29.) qui denique Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Ordinationes ad solos Episcopos pertinere agnovit. (Can.96. & 97.) Carthaginensis porrò Synodus, quam Blondellus laudavit, Episcopos, quos Presbyterorum Collegas aliquo sensu appellat, iisdem potestate & auctoritate superiores agnoscit. Illis nempe solis competere agnoscit sacrarum Ordinationum potestatem, novem primis Canonibus, necnon Can.12. iisdem auctoritatem causas Ecclesiasticas audiendi, & ferendi sententiam vindicat; quod tamen ut præstent præsentibus Clericis, jubet Synodus. Presbyteros vocat *Inferioris gradus Sacerdotes*, quibus prohibet ne absque suorum Episcoporum concessione ad alias Ecclesias transmigrent. (Can.27.) Chrismatis consecrationem Episcoporum propriam supponit, quod proinde ut Presbyteri, qui per Diœceses Ecclesias regunt a suis Episcopis ante Paschæ solemnitatem petant, præcipit Synodus. (Can.36.) Decernit, *Ut discordantes Clericos, ratione vel potestate, Episcopus ad concordiam trahat*. Adeòque potestatem singularem & eximiam in Episcopo agnoscit supra Clericos omnes suæ Ecclesiæ (Can.59.) Auctoritatem excommunicandi accusatores fratrum, &, si vitium emendaverint, recipiendi eos ad Communionem, Episcopis convenire supponit Canon 55. Sed & Concilium Carthaginense III. Can.45. Episcoporum supra Presbyteros eminentiam, quoad jus præsertim Ordinationum, disertè adstruit. Posthumianus Episcopus dixit: *Qui unam habuerit, numquid debet illi unus ipsa Presbyter auferri? Aurelius Episcopus dixit: Sed Episcopus unus esse potest, per quem, dignatione divina, Presbyteri multi constitui possunt: unus autem Episcopus difficilè invenitur constituendus. Quapropter si necessarium Episcopatui quis habet Presbyterum, & unum, ut dixisti frater, habuerit, etiam ipsum ad promotionem dare debebit. Posthumianus Episcopus dixit: Ergò si habet alius abundantes Clericos, debet mihi alia plebs subvenire. Aurelius Episcopus dixit: Sanè quomodo Ecclesiæ alterius tu subveneris, persuadebitur illi qui plures habet Clericos ut unum tibi ordinandum largiatur*. Perperam itaque Blondellus Africanorum auctoritate Canonum Systema suum propugnare conatur.

§. XXVIII.

Quemlibet Presbyterum potestatem habuisse Presbyteros & Diaconos ordinandi, probare frustra conatur Blondellus.

Objicit vigesimo-sextò Blondellus: Quilibet Presbyter potestatem habet Diaconos & Presbyteros ordinandi; Ergo Presbyter est idem quod Episcopus.

Probat antecedens Blondellus, primò exemplo Novati. Is enim cùm Cypriani esset Presbyter, Felicissimo Diacono constituto, nec sanctissimi Episcopi gratiâ protinus excidit, nec Ordinatio rescissa est. Ipse est, inquit sanctus Cyprianus Epist.49. *Qui Felicissimum satellitem suum Diaconum fecit, nec permittente me, nec sciente, sua factione & ambitione constituit*. Nullas tamen violatorum per illegitimam Ordinationem Canonum pœnas dedit, ut testis est Cyprianus, Epist.6. ad Clerum anno Domini 250. e latebris data; de Novato honorificè & sensit, & locutus est, qui tamen anno 249. Ordinationem illam celebraverat. *Ad id*, inquit, *quod scripserant mihi Compresbyteri nostri Donatus & Fortunatus, Novatus, & Gordius, solus rescribere nihil potui*. Cùm Epist.49. eorum quæ ante persecutionem & fugam Novatus admiserat, catalogum texit, non modò nullam usurpatæ in Felicicissimi Ordinatione potestatis mentionem habet; sed antequam communione in Africa ob memorata scelera prohiberi posset, judicium Sacerdotum voluntaria discessione prævenisse docet. Hanc denique Epist.38. & 40. unam ob causam Felicissimum abstinendum censet: *Quòd intercederet ne quis ex iis quos ad Ecclesiastica administrationis officia promoverat, posset expungi, iisque qui primi accesserunt, quòd secum in mente non communicarent, comminari ausus, ducem se factionis & seditionis principem, temerario furore constitutus fuisset*. Cùm igitur non ob illegitimè susceptum, sed ob malè administratum Diaconatum, reus peractus sit, rata ejus Ordinatio fuit; quæ tamen a Presbytero solo, factione & ambitione, nec sciente, nec permittente Episcopo, facta fuerat.

Respondeo, Nego antecedens. Ad ejus probationem respondeo primò, ex hoc sancti Cypriani loco non haberi quòd Novatus Diaconum ordinaverit Felicissimum, sed solùm quod factione & ambitione sua ipsum ordinari & constitui curaverit, ab Evaristo forsan, quem sanctus Cyprianus ait, *De Episcopo jam nec laicum remansisse, Cathedra & plebis extorrem, & de Ecclesia Christi exulem*; cujus in locum Zetus fuerat canonicè constitutus Episcopus (ut idem testatur, Epist. 48. & 49.) Is enim Evaristus Novati Schismaticæ factioni se adjunxerat. Porrò ita esse intelligendum sanctum Cyprianum ex eo probatur, quòd eodem modo dicat Episcopum Romæ constitutum fuisse a Novato, quo dicit constitutum ab eo Diaconum Carthagine Felicissimum. *Romam quoque*, inquit, *ad evertendam Ecclesiam navigans, similia illic & paria molitus est, a Clero portionem plebis avellens, fraternitatis bene sibi cohærentis, & se invicem diligentis concordiam scindens. Planè quoniam pro magnitudine sua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic majora & graviora commisit. Qui istic adversùs Ecclesiam Diaconum fecerat, illic Episcopum fecit*. Atqui certum est Novatum Episcopum Romæ non fecisse, ordinando Novatianum, sed Schismatica factione efficiendo ut ab Episcopis deceptis & ebriis ordinaretur, & ipsum sic ordinatum in Cathedra sancti Petri collocando Antipapam adversùs Cornelium legitimum Pontificem, ejusque partes Schismaticas omnibus studiis ac tota contentione propugnando. Igitur nec Diaconum Carthagine constituit Felicissimum Ordinatione sacra, quam ipse peregerit, sed Schismatica factione.

Respondeo secundò, Esto Novatus ipse Felicissimum satellitem suum Diaconum ordinasset, nihil ex hoc Schismatici hominis facto adversùs Catholicum dogma colligi posse, aut legitimè concludi quòd Presbyteri quicumque potestatem haberent ordinandi Diaconos & Presbyteros; cùm

cùm non probetur sanctum Cyprianum illam Ordinationem præsumptitiam ratam usquam habuisse, imò adversùs Ecclesiam factam prnnuntiet. Quod licèt dicere potuerit propterea quod in Schismate facta erat, non tamen perspicuum est an ob hanc tantùm causam illam improbaverit sanctus Cyprianus. Cùm autem de Novato honorificè locutus est, nondum Schisma fecerat, nec Felicissimum Diaconum constituerat, ut Blondellus finxit. Quamquam nec satis constat utrùm idem sit Novatus Auctor schismatis, cum illo, de quo tam honorificè locutus est, an aliusejusdem nominis.

Objectio 27. Blondelli altero nititur exemplo ex Philostorgii Ecglogis deprompto, lib. 2. cap. 5. his verbis: *Regnante Valeriano & Gallieno molesta Scytharam reans Istrum habitantiam manus in solum Romanum transcendit, multamque Europa partem incursavit. Cùm verò Asiam & Galatiam pervasissent, Cappadociam etiam invaserunt, multosque captivos ceperunt, nonnullos quoque ex iis qui Clero adscripti erant, magnaque cum præda domum reversi sunt. Pias verò captivorum cœtus cum barbaris conversans, haud paucos eorum ad pietatem convertit, effecitque at Gracanica opinionis loco de fide cum Christianis sentirent. Ex hos captivoram numero Ulphila majores fueerunt, genese quidem Cappadoces, a vico verò qai Sadagolthina vocatur, prope Civitatem Parnassum sito oriandi. His igitur Ulphilas exitus Piorum dux fuit, primus eorum Episcopus constitutus. Hac verò ratione constitutus est. Ab eo qui Genti imperabat, Constantini tempore cum aliis in legationem missus [etenim barbara illa Gentes Imperatori subdebantur] ab Eusebio, iisque qui cum ipso erant, Christianismum in Getica profitentium Episcopus ordinatus est.* Cùm Clerici captivi Gothicas Ecclesias fundaverint, easdemque per annos ferè 70. ab anno circiter 260. ad 327. quo Sedem Nicomediensem recuperavit Ulphilæ primarius Ordinator Eusebius, pleno jure administraverint: penes Presbyteros Ecclesiarum illarum Rectores universa Ordinationum & jurisdictionis potestas mansit, nec ullus, si Philostorgium audiamus, fuit inter eos ante Ulphilam Præsul.

Respondeo, Nego consequens quoad illam partem qua concludit Ordinationum potestatem penes Presbyteros Gothicarum Ecclesiarum Rectores mansisse. Etenim licèt Ecclesiæ a Presbyteris fundari possint, cùm populos Ethnicę superstitioni addictos ad Christianam Fidem convertunt, licèt ab iisdem possint aliquo temporis intervallo administrari, sicut Japoniorum, & Sinarum Ecclesiæ fundatæ sunt & diu gubernatæ absque Episcopis, & multæ novi orbis Ecclesiæ eodem modo administratæ a solis Missionariis Apostolicis, qui & verbi divini & Sacramentorum ministerio his in regionibus pietate summa vacabant; qui tamen Ordinationum celebrandarum potestatem nusquam sibi arrogarunt: ita Gothorum Ecclesiæ a Clericis captivis fundari, & totis 70. annis administrari potuerunt: nec inde sequitur Clericos illos Ordinationum sacrarum potestatem habuisse.

Respondeo secundò, falsum esse quòd Ulphila primus fuerit Gothorum Episcopus; nam Theophilum illius Gentis Episcopum Nicæno Concilio præsentem subscripsisse testatur Socrates, lib. 2. Hist. Eccles. cap. 41. ubi postquam Formulæ Fidei in Conciliabulo Constantinopolitano ab Arianis editæ meminit, continenter subjungit: *Porro huic Fidei etiam Ulphila Gothorum Episcopus tunc primùm consensit. Nam ante illud tempus Nicenam Fidem amplexus fuerat: secutus Theophilum, qui cùm Gothorum esset Episcopus, Nicæno Concilio præsens subscripserat.*

Nulla igitur Philostorgio fides, qui legationem Ulphilæ, cujus occasione Episcopus constitutus est, ad tempora Constantini refert, quàm Socrates, lib. 4. cap. 33. Sozomenus, lib. 6. cap. 37. & Theodoretus, lib. 4. Hist. Eccles. cap. 37. sub Valente contigisse narrant. Ideo autem Philostorgius Arianus Historicus Ulphilam primum Gothorum Episcopum fuisse scripsit, ut Antistitem illum, qui ab Eudoxio deceptus & muneribus illectus Gothos ad Arianam Hæresim perduxit, ampliùs commendaret, & illam Ecclesiam ab Arianis fuisse fundatam ac institutam persuaderet.

Objicit Blondellus. Anno 370. paulò post suffectum Eudoxio Constantinopolitano Demophilum, *Ab ipsis ferè Illyrici montibus ad Thebaidem usque Hæreseos depascente malo, dimidio orbe aberrore absorpto*, ut scribit Basilius, Epist. 69. relegatisque Valentis Decreto Orthodoxorum Præsulibus, Meletio Antiocheno in Armeniam, Pelagio Laodiceno in Arabiam, Eusebio Samosateno in Thraciam, Ægyptiis in Palestinam, Flavianus & Diodorus Presbyteri, gregis curâ susceptâ, non modò Hæreticorum impetum propulsarunt, sed ubicumque necesse fuit, novis viduatas Ecclesias Episcopis regendas commiserunt. *Nunc* inquit Epiphanius Hæresi 73. *qui in eum* (Meletium) *propendent, & ad ejus [ex quo ille persecutionem passus, & proprio throno electus est] temporis morâ & persecutionis prolongatione agmen accedentes, eique additi, Dei sanctâ rectè sentiunt; plures enim erant agminis illius, & Synodum Nicænam sequentes populi, qui sibimet constitutis Episcopis, de Filio ὁμοούσιον profitentur, nec vocem ὁμοούσιον rejiciunt.* Hinc Blondellus infert, populos per Orientem complures persecutione sæviente, Episcopos sibimet constituisse, non per se, sed per reliquos Presbyteros, qui ipsos fide imbuerant, ordinantes: quandoquidem nec Orthodoxi Præsules longè semoti, nec Ariani a quibus successionem faciebant; nec Paulinus, quem Meletio superpositum indignabantur: nec Ægyptii Confessores Paulini partibus addicti, a plebibus expetitos provehere poterant.

Confirmatur. Quotquot ab Arianis, Meletianorum Antiochenorum exemplo per Orientem secesserant, ab Orthodoxo Clero moniti, non modò seorsim Collectas egerunt; sed novas sibi Cathedras erexerunt, & Episcopos constituerunt. Eudoxio vivis exempto, anno 370. translatoque Beroœa Thraciæ Constantinopolim ab Arianis Demophilo: *Qui ὁμοούσιον profitebantur, opportunè factam rati, Evagrium quemdam promovent. Hunc etiam ordinat Eustathius Antiochiæ olim Episcopus, qui priùs ab exilio revocatus a Joviniano fuerat, tunc autem Constantinopoli, eos qui pro fide ὁμοούσιον stabant, confirmandi gratiâ, aderat, ibidemque latens versabatur.* (Ex Socrate, lib. 4. cap. 13. & 14. & Sozomeno, lib. 6. cap. 13.) Sed, inquit Blondellus, cùm Eustathium magnum anno 359. antequam periret Eudoxius undecimo exeunte, Trajanopoli obiisse constet; siquidem Chrysostomus Orat. de S. Eustathio, de eo scribit: *Non abscessit* e vita *priusquam B. Meletium perduxit Deus, qui totam conspersionem* [anni 360. initio] *sumpturus venit*. Et Theodoretus, lib. 2. cap. 4. *Cùm ante Meletii Ordinationem decessisset Eustathius*, &c. alium ab Antiocheno Evagrii ordinatorem Eustathium quærere oportet, Constantinopolitanum scilicet, de quo ad annum Constantini 30. Christi 336. hæc scripsit Sanctus Hieronymus: *Eustathius Constantinopolitanus Presbyter agnoscitur, cujus industriâ in Hierosolymis Martyrium constructum est*. Hic scilicet vel octogenarius vel nonagenario major inter Constantinopolitanos Clericos ævo honoris primas habens, sed Presbyter tantùm Evagrium ab orthodoxis electum ordina-

dinavit, suoque Presbyteris omnibus exemplo jus χειροτονίας antiquum asseruit.

Respondeo ad primum, nego Blondellianam illationem. Nullo enim monumento probare potuit Episcopos fuisse a Presbyteris, grassante illa Valentis persecutione, ordinatos. Constituebant quidem Presbyteri & Fideles Episcopos viduatis in Ecclesiis eos eligendo, & Orthodoxis Antistibus offerendo inaugurandos: nequaquam verò ipsos consecrabant, aut absque consecratione regimini Ecclesiarum admovebant. Id vel una S. Eusebii Samosatensis Historia probat, de quo Theodoretus, lib.4. Histor. Eccles. cap.13. *Hic namque*, inquit, *cùm multas Ecclesias Pastoribus viduatas esse comperisset, militarem habitum sumens, & tiarâ capiti impositâ, Syriam, Phœnicem ac Palæstinam peragravit, Presbyteros ordinans ac Diaconos, aliosque Ecclesiæ ordines supplens. Ac si quando Episcopos eamdem cum ipso doctrinam Fidei profitentes reperisset, eos Antistites Ecclesiis indigentibus præficiebat.* Non fuisset autem necesse ut sic alieno indutus habitu huc illuc ad Ordinationes sacras faciendas excurreret Eusebius Samosatensis, si penes Presbyteros fuisset Ordinationum potestas.

Ad confirmationem respondeo, ordinari quidem non potuisse Evagrium ab Eustathio Antiocheno, qui vel anno 337. (ut conjicit Auctor doctissimus Vitæ Sancti Athanasii Gallico idiomate editæ) vel saltem initio 361. quo Meletius Antiochenus Episcopus creatus est, obierat. Quamobrem Socratem & Sozomenum in Eustathii illius Episcopatu nominis similitudine deceptos, certum est, ut observat eruditus Valesius in Annotationibus ad lib.4. Histor. Eccles. Socratis. Quare alium ab Antiocheno Evagrii Ordinatorem Eustathium quærendum esse fatemur cum Blondello: sed negamus hunc esse Eustathium Presbyterum Constantinopolitanum, quem nec tunc superstitem fuisse, omnino certum est. Episcopum namque fuisse illum, quisque fuerit, Evagrii Ordinatorem, Socrates & Sozomenus disertè testantur, quamvis in Episcopatus nomine decepti fuerint.

Objicit vigesimo-nonò Blondellus. Anno 390. a Paphnutio Presbytero, Monachorum in Eremo Scetica Patre, Danielem Discipulum Diaconum primò, exinde Presbyterum ordinatum, refert Cassianus Collatione 4. cap.1. *Inter cæteros*, inquit, *Christianæ Philosophiæ viros, Abbatem quoque vidimus Danielem, æqualem quidem in omni virtutum genere his qui in eremo Scythi commanebant, sed peculiariùs gratiâ humilitatis ornatum, qui merito puritatis ac mansuetudinis suæ a beato Paphnutio solitudinis ejusdem Presbytero, & quidem cùm multis junior esset ætate, ad Diaconii est prælatus officium. In tantum enim beatus Paphnutius virtutibus ipsius adgaudebat, ut quem vita meritis sibi & gratiâ parem noverat, coæquare sibi etiam Sacerdotii Ordine festinaret; siquidem nequaquam ferens in inferiore eum ministerio diutius immorari, optansque sibimet Successorem dignissimum providere, superstes eum Presbyterii honore provexit.* Igitur Presbyteris competit sacrarum Ordinationum potestas.

Respondeo, Nego consequens. Non enim dicitur Paphnutius Danielem ordinasse, sed ad Diaconatus officium & ad honorem Sacerdotii provexisse; non imponendo per se manus, sed ipsum Episcopis offerendo, & commendando, ut eum Diaconum, & Presbyterum ordinarent.

Objectio 30. Blondelli petitur ex Arausicanæ Synodi primæ anno 441. celebratæ Canone 30. quo sancitum est, *ut si quis Episcopus per infirmitatem debilitatemque aliquam, aut in hebetudinem sensûs inciderit; aut officium oris amiserit, ea quæ nonnisi per Episcopos geruntur, non sub præsentia sua Presbyteros agere permittat, sed Episcopum evocet, & quod in Ecclesia agendum fuerit imponat.* Ergo quæ Episcopi propria erant, per Presbyteros antea agenda curabant infirmi Episcopi. Ergo Episcopales functiones canonico tantùm, non divino jure, Presbyteris ademptæ sunt.

Respondeo, Distinguo consequens: Quæ Episcopi propria erant, per Presbyteros antea agenda curabant, aliqua concedo; omnia nego. Nusquam enim probabitur ipsos majorum Clericorum Ordinationes Presbyteris permisisse, sed alia quæ jure dumtaxat canonico Episcopis reservata erant. Sed quæcumque fuerint functiones illæ quas Episcopi infirmi Presbyteris exercendas imponebant, abusus manifestus fuit illa permissio, quam proinde Arausicanæ Synodi Patres prohibuerunt ac damnarunt. Certè jure divino vendicare nihil sibi posse Presbyteros in sacris Ordinationibus, constat ex Concilio II. Hispalensi, anno 689. Canone 5. quo Clerici, super quos (Presbytero benedictionem dante, seu Orationem, quæ Ordinationis sacræ forma est, pronuntiante) oculorum dolore detentus, adeòque legere non valens Egabrensis Episcopus manus tantùm imposuerat, velut non consecrati abjiciuntur, & a gradu Sacerdotalis vel Levitici Ordinis in quo pravè constituti sunt, removentur. At si Potestatem ordinandi agnovissent in Presbyteris, Hispaniæ Bæticæ Præsules, non rescidissent Ordinationem, in qua Episcopo manus imponente Presbyter Orationem impositioni manuum adjunctam recitaverat.

§. XXIX.

Presbyteros absque nova consecratione Episcopos constitutos, non probant Historia Catonis Presbyteri, S. Britii, Sacramentaria, aliaque ex Historia Scotica, & Britannica Monumentis, & ex Vita S. Hilarii Arelatensis a Blondello petita Argumenta.

OBjectio trigesima prima Blondelli petitur ex Historia Catonis Presbyteri, qui post obitum Galli Arvernorum Episcopi a Clericis postulatus Episcopus, absque consecratione & Ordinatione Episcopali munia obivit, Presbyteralem inaugurationem sibi sufficere persuasus. Qua de re legendus est sanctus Gregorius Turonensis, lib.4. Histor. Francorum, cap. 5. 6. 7. 11. & 15. *Cùm*, inquit, *ab hoc mundo migrasset*, sanctus Gallus, *& ablatus in Ecclesiam deportatus fuisset, Cato Presbyter continuò a Clericis de Episcopatu laudes accepit. Et omnem rem Ecclesiæ tamquam si jam esset Episcopus, in suam redegit potestatem. Ordinatores removet, Ministros respuit, cuncta per se ordinat. Episcopi tamen, qui advenerant ad sanctum Gallum sepeliendum, postquam eum sepelierunt, dixerant Catoni Presbytero: Videmus quia te elegit pars maxima populorum: veni, consenti nobis, & benedicentes consecremus te ad Episcopatum. Rex verò parvulus est, & si qua tibi adscribitur culpa, nos suscipientes te sub defensione nostra, cum Proceribus, & primis regni Theodovaldi Regis agemus, ne tibi ulla excitetur injuria .... At ille cothurno vanæ gloriæ conflatus, ait: Nostis enim, fama currente, me ab initio ætatis meæ semper religiosè vixisse .... Nec me Dominus Deus meus patitur hac Ordinatione privari, cui tantum famulatum exhibui ..... Quid enim mihi nunc restat, nisi ut Episcopatum, quem fidelis servitus promeretur, accipiam? Vos igitur revertimini ad*

Civitates vestras, & si quid utilitati vestræ competit, exercete. Nam ego canonicè assumpturus sum hunc honorem. Hæc audientes Episcopi, & in eo vanam gloriam execrantes, discesserunt. Igitur cum consensu Clericorum ad Episcopatum electus, cùm adhuc non ordinatus cunctis ipse præesset, Cautino Archidiacono diversas minas intendere cœpit, dicens: Ego te removebo, Ego te humiliabo, Ego tibi multas neces impendi præcipiam. Evasit interea Cautinus, Regem adiit, eiusque jussu Arvernensi Ecclesiæ præfectus est. Nihilosecius Cato se pro Episcopo gessit, ipsique pars maxima Clericorum parebat. Postea, cùm diem ultimum obiisset Guntharius Turonensium Episcopus, Cato Presbyter ad illius Ecclesiæ præfecturam, suggerente Cautino, præcipiente Rege, postulatus est. Ille verò Arvernorum sedem Turonensi Episcopatui præposuit.

Hæc ex Historia sic Blondellus colligit. Si Dominicæ dispositionis veritate Presbyteris maiores Episcopos, novamque ullam jam ordinatis Presbyteris, ut Episcopi fierent, divino jure præscriptam consecrationem, eum Gallicana Ecclesia universa credebat Cato; quid insanius, imò quid petulantius toto illo responso fingi potuit, quo insuperhabitâ Episcoporum officia spondentium benevolentiâ, eos ad Civitates suas reverti jussit? Sed eamdem Presbyteri & Episcopi Ordinationem esse, eamdem illam utrique (si divinum institutum spectes) potestatem conferri, unicam absolutè necessariam noverat, antiqui juris ex longo rerum usu callentissimus vir. Secundò, si prælatos divino jure Presbyteris Episcopos fuisse, aut electis ad Episcopatum Presbyteris Ordinatione nova opus esse censebat; qui factum ut Cautinus nullas divini juris violati, conculcatorum Canonum, proditæ Pontificum dignitatis, ludibrio habitæ regiæ Majestatis pœnas ab adversario reposceret, sed mutatâ in contrarium velificatione, non modò indemnem præstare conaretur, sed oblato Turonensium throno, ad insperatos honores invitaret? Episcopi Provinciales, quorum maximè intererat ne quid res Ecclesiastica detrimenti caperet, providere, Catoni nec restiterunt coram, nec violatos ab ipso Canones ulti sunt; imò nec de illata injuria questi, totos 20. annos ad clavum sedentem cum Cautino a Collegis ordinato luctari passi sunt. Arverni, quantumvis a Rege Episcopum datum libenter exceperint, Catonem a se electum minimè deseruerunt; huic alii, illi alii subditi fuerunt; stationem deserente ob luem Cautino, a susceptæ semel plebis cura nunquam destitit; tantùmque abfuit ut malè apud exteros audiret, aut Turonensibus ob neglectam Pontificum consecrationem, spretumque antiquum morem, minùs acceptus esset, ut ad eum apparatu magno properaverint, Regis voluntate, ad Episcopatum consecrandum. Sanè cùm nullas vel minimas admissorum pœnas Catonem pendere coegerit Ecclesia Gallicana, qua permittente, toto vitæ tempore, benedictionem Episcopalem non consecutus, Pontificalia omnia administravit: ex ejus sententia benedictionem illam, divino nullo jure, quod severè vindicandum fuisset, sed humano solo, cujus gratiâ fieri potest, præscriptam; ac proinde absolutè ac naturâ suâ minimè necessariam esse colligitur.

Respondeo, Nego Blondelli hypothesim, quòd scilicet absque nova Consecratione & Ordinatione Episcopalia munia Cato obiverit, & quòd eam minime necessariam divino jure Gallicana existimaverit Ecclesia. Nihil enim hujusmodi ex Gregorii Turonensis Historia extundi potest. Ex ea quidem habetur, Clericorum votis ipsum fuisse ad Episcopatum expetitum, & ipsi tanquam futuro Episcopo eos fuisse gratulatos, & Ecclesiæ bona in suam redegisse potestatem, *Tanquam si jam esset Episcopus*. Non igitur eum sola Clericorum electio, absque consecratione, Episcopum fecerat. Episcopos qui sancto Gallo justa persolverant, *Catoni Presbytero* dixisse testatur Gregorius Turonensis: *Veni, consenti nobis, ut benedicentes consecremus te ad Episcopatum*. Itaque ex illorum Antistitum sententia, & ex doctrina Ecclesiæ Gallicanæ, consecratio Episcoporum necessaria erat, ut quis Presbyter Episcopus fieret. Episcopis valere jussis, ait Cato: *Num ego canonicè assumpturus sum hunc honorem*. Quisnam autem canonicus illum honorem assumendi modus præter Ordinationem? (ut tota Gregorii Turonensis testatur Historia.) Designatus tantùm, non ordinatus Episcopus, cunctis quidem præerat, imò intentabat minas, sed usurpatâ, non legitimâ potestate. Nullam tamen sacrarum functionum, quæ Episcoporum propriæ sunt, exercuisse legitur: non Confirmationis Sacramentum administrasse, non Presbyteros, Diaconos, aut alios altaris Ministros ordinasse, non altaria consecrasse, non Chrisma confecisse legitur. Imò ipsum non se gessisse pro Episcopo, (quamvis spe Episcopatûs, quem sibi a Rege conferendum confidebat, rerum Ecclesiasticarum administrationem jam sibi arrogaret, & Clericos insolentiùs tractaret) colligitur ex verbis, quibus ipsum Cautinus Archidiaconus compellavit, referente Gregorio Turonensi: *Ego ad Regem pergam, & Episcopatum tibi obtinebo, nihil petens nisi ut promerear gratiam tuam*. Nondum igitur erat, nec agnoscebatur Episcopus, quia nec Episcopatum a Rege impetraverat, nec fuerat ab Episcopis ordinatus. Perlatum interim est nuntium ad Regem de obitu sancti Galli Arvernorum Antistitis. *Quod ille audiens, vel qui cum eo erant, convocatis Sacerdotibus apud Metensem Civitatem, Cautinus Archidiaconus Episcopus ordinatur. Cùm autem venissent nuntii Catonis Presbyteri, hic jam Episcopus erat. Tunc ex jussu Regis traditis ei Clericis, & omnibus quæ hi de rebus Ecclesiæ exhibuerant ..... Arvernos eum direxerunt. Qui a Clericis & civibus libenter exceptus, Episcopus Arvernis est datus*. Cato ubique Presbyter, Cautinus Episcopus a Gregorio Turonensi vocatur; & ideo jam Episcopus fuisse dicitur, cùm Legati Catonis ad Regem pervenerunt, quia fuerat ordinatus ab Episcopis apud Metensem Civitatem ad eum inaugurandum convocatis. Clericorum partem a Cautino avulsam adhæsisse Catoni testatur quidem Gregorius Turonensis, sed illi tamen ut Episcopo legitimo, huic ut Presbytero perduelli & schismatico, divisum Clerum se adjunxisse refert. *Grandes*, inquit, *postea inimicitiæ inter ipsum & Catonem Presbyterum ortæ sunt: quia nullus unquam potuit flectere Catonem, ut Episcopo suo subditus esset. Nam & divisio Clericorum facta est, & alii Cautino Episcopo erant subditi, alii Catoni Presbytero*: Post hæc Turonibus *decedente Gunthario Episcopo per missionem Cautini Episcopi, Cato Presbyter* (non Arvernorum Episcopus) *ad gubernandam Turonicæ urbis Ecclesiam petebatur*. Cato & Regiam Clotarii nominationem, & Turonensium vota, puerorum clamore vociferantium: *Cur nos deseris, bone Pater, filios quos nunc usque educasti? Quis nos cibo potuque reficiet, si tu abieris? Rogamus ne nos relinquas, quos alere consuevisti*: Superbus Presbyter elusit. Amicitias autem iniit cum Chramno Clotarii Regis filio, *promissionem ab eo accipiens, ut si contigerit in articulo temporis illius Regem mori Clotarium, statim ejecto Cautino ab Episcopatu, iste præponeretur Ecclesiæ. Sed qui cathedram beati Martini contemptui habuit, quam voluit non accepit. Impletumque est in eo quod David cecinit dicens: No-*

luit

luit benedictionem, & elongabitur ab eo. Cato itaque Episcopus non erat, nec Episcopo compar, sed Presbyter ad Arvernorum Episcopatum adrepere malis artibus tentans.

Denique Turonici audientes regressum fuisse Regem de cæde Saxonum, Eufronio Presbytero ad Episcopatum electo, ejus Majestatem adiere, ut ejus assensu electionem approbari suam impetrarent. Quibus respondit Rex: *Praeceperam enim ut Cato Presbyter illic ordinaretur, & cur est spreta jussio nostra? Responderunt ei: Petivimus enim eum, sed noluit venire. Hac illis dicentibus, advenit subitò Cato Presbyter, deprecans Regem ut ejecto Cautino, ipsum Arverno juberet institui. Quod Rege irridente, petiit iterum ut Turonis ordinaretur, quod ante despexerat. Cui Rex ait: Ego primùm præcepi, ut Turonis te ad Episcopatum consecrarent: sed quantùm audio, despectui habuisti Ecclesiam illam, ideòque elongaberis a dominatione ejus. De sancto verò Eufronio interroganti dixerunt, Eum nepotem esse Beati Gregorii. Respondit Rex: Prima hae est & magna generatio. Fiat voluntas Dei, & beati Martini electio compleatur. Et data praeceptione, 18. post B. Martinum sanctus Eufronius ordinatur Episcopus.* Constantissima igitur erat Gallicanæ Ecclesiæ sententia, Ordinationem & consecrationem esse absolutè necessariam, ut quis e Presbytero fieret Episcopus.

Incredibile porrò videri non debet, quòd Gallicani Episcopi, Catonis, non quidem Pontificalia munia obeuntis, ut fingit Blondellus, sed impotenti ambitione ad Episcopatum iohiantis, & adversùs proprium conspirantis Episcopum, superbiam & insolentiam non compresserint: & quòd Cautinus nullas ab eo violatorum canonum pœnas exegerit. Nam Cautinus ipsum metuebat, ut qui specie sanctitatis magnam sui famam excitasset, ac factionem haberet Arvernis: unde periculum erat, si exacerbaret Catonem, ne turbas adversùs se commoveret, atque ex Ecclesia & urbe expelleretur. Mirum verò non est quòd Episcopi in Catonem non animadverterint, quorum somma erat ignavia, & vix ullum erga Disciplinam Ecclesiasticam studium. Enimverò si quę in ipsis fuisset Pontificalis animi ad malum ex Ecclesia auferendum fortitudo, non modò Catonem ad officium revocassent, sed totam canonum severitatem in Cautinum ipsum distrioxissent, *In quo nihil sancti, nihil penè fuit*, ut testatur Gregorius Turon. *qui de omnibus Scripturis tam Ecclesiasticis, quàm secularibus ad plenè immunis fuit: Qui Judæis valde charus ac subditus erat, non pro salute, sed pro comparandis speciebus; quas cùm hic blandiretur, & illi se adulatores manifestissimè declararent, majori quàm constabant pretio venundabat. Qui vino ultra modum deditus erat, & pleramque ita infundebatur potu, ut de convivio vix a quatuor portaretur. Qui avaritia ia tantum incumbebat, ut cujuscumque possessionis fines ejus termino adhæsissent, interitum sibi putaret, si ab eisdem aliquid non minuisset: & a majoribus quidem cum rixa & scandalo auferebat, a minoribus autem violenter deripiebat.* Qui Anastasium Presbyterum bona quædam, quibus Chrotildis Reginæ concessione fruebatur, & donationis instrumenta ipsi tradere renuentem, tumulo vivum jussit mandari, sive in cryptam antiquissimam detrudi, in qua sepultum erat cadaver, cujus fœtore necaretur, ut refert idem Gregorius Turon. Et tamen tot tamque immanium flagitiorum reus Cautinus, nedum exauctoratus non est, sed ne quidem in judicium a Gallicanis Episcopis vocatus legitur. Adeò fracta jacebat Ecclesiastica Disciplina.

Objectio 32. Blondelli petitur ab exemplo Sancti Briccii, qui cùm anno Christi 433. stupri insimulatus, iteratis innocentiam suam miraculis confirmasset, *Non credentibus Turonicis, sed contradicentibus trahitur, calumniatur, ejicitur.... Quo ejecto Justinianum in Episcopatu constituunt. Denique Briccius Romana urbis Papam expetiit.... Post cujus abscessum, ajunt Turonici Sacerdoti suo: Vade post eum, & exerce negotium tuum; quia si eum prosecutus non fueris, ad nostrûm omnium contemptum humiliaberis. Justinianus verò egressus a Turonis Vercellas Italiæ Civitatem aggressus, judicio Dei percussus, obiit peregrinus. Turonici ejus obitum audientes, & in sua malitia perdurantes, Armentium in ejus loco constituunt* [ut refert Gregor. Turon. libro 2. Histor. Francor. cap. 1.] Nulla, inquit Blondellus, vel totius Lugdunensis tertiæ, vel vicinarum Diœceseon Synodo coacta, nullo ex finitimis Præsulibus advocato, soli sibi Turonici Episcopum constituunt. Episcopatum Armentii Briccius ipse ratum habuit. Post septennium enim Roma Laudiacum reversus, ad suos de ipsius sibi revelato cœlitus obitu loquens, ait: *Surgite velociùs, ut ad tumulandum fratrem nostrum Turonicum Pontificem occurramus.*

Respondeo, Solos sibi Turonenses Episcopum *de facto* constituisse, eligendo, & offerendo Episcopis inaugurandum, non per seipsos ordinando. Porrò licèt hujusmodi Ordinationis non meminerit Gregorius Turonensis, nec Episcopos nominet a quibus consecrati sunt Justinianus & Armentius, non sequitur illos absque nova Ordinatione Pontificia munia obiisse. Ordinatum certè Justinianum testatur sanctus Gregorius, lib. 10. cap. 31. *Expulso eo*, inquit, *Justinianum Episcopum ordinaverunt.*

Objectio 33. Blondelli petitur ex Consecrationis Episcopalis formula, quæ & in Concilio Carthag. 4. Can. 2. & in Sacramentario sancti Gregorii legitur. *Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput ejus, & uno super eum fundente benedictionem, rèliqui omnes Episcopi qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant. Hoc facto accipiat patenam cum oblatis, & calicem cum vino, & det ei dicens: Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missamque celebrare tam pro vivis, quàm pro defunctis.* Eadem igitur est Episcopi & Presbyteri Ordinatio, novæ dumtaxat ceremoniæ. Igitur æqualis est utriusque Ordo & potestas.

Respondeo, Nego antecedens. Orationes enim quibus ordinatur Episcopus, & quibus ordinatur Presbyter, sunt omnino diversæ. Traditio verò patenæ & calicis, & hæc verborum formula, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium*; &c. nec ad Presbyteralis, nec ad Episcopalis Ordinationis substantiam pertinent. In Ordinatione Presbyteri Ecclesia Græca nec ista verba usurpat, nec instrumenta tradit, ut in Euchologiis omnibus videre est. In Ecclesia Latina hæc instrumentorum traditio, & verba solemnia ipsi respondentia, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium*, &c. olim prorsus ignota erant. In antiquissimis libris Sacramentariis & Ritualibus a viro doctissimo Joanne Morino laudatis Exercit. 7. de Presbyteratu, c. 1. & in ipso sancti Gregorii Sacramentario, nullum extat ipsorum vestigium. Veteres Auctores, qui de Officiis Ecclesiasticis amplissimè scripserunt, sanctus Isidorus, Alcuinus, Amalarius, Rabanus Maurus, Valafridus Strabo hujus ritûs & verborum illorum nequidem meminerunt. In Concilio Carthaginensi IV. nec ad Presbyteri, nec ad Episcopi Ordinationem præscribuntur. In Sacramentario sancti Gregorii ista instrumentorum traditio, cum solemni formula;

Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, &c. legitur, non quidem in Ordinatione Presbyteri, sed Episcopi. Ideò antem usurpatur, non quòd alia potestas hac inauguratione Episcopo non conferatur quàm Presbytero; sed quòd Sacrificium Episcopo primùm conveniat, deinde Presbytero, permittente Episcopo, ot antiqui Canones docent: & quia Episcopatus est Summum Sacerdotium, Presbyteratus Ordinem & potestatem nedum supponens, sed includens; ita ut Diaconus qui Episcopus immediatè ordinaretur, Presbyteratus Ordine antea minimè suscepto, nihilominus potestatem haberet omnem (ot viris quibusdam eruditis visum est) quæ Presbyteris in eorum Ordinatione confertur, *Offerendi Sacrificium Deo, Missamque celebrandi tam pro vivis quàm pro Defunctis*, remittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, &c. Hujus assertionis Auctorem habemus Æneam Parisiensem Episcopum, lib. adversùs Græcos in responsione ad 7. objectionem. *De hoc autem*, inquit, *quod quæritur, quare apud Romam plerumque Diaconus quodam saltu, non percepta Presbyterali benedictione in Episcopum subitò consecretur, &c. Fortè illi qui istiusce Ordinationi assentiunt, hoc intelligi volunt, quia qui benedictione Pontificali perfungitur, reliquarum benedictionum honore decoretur; sive quia in consecratione Corporis Christi & Sanguinis officium Præsulis ac Presbyteri mysticè uniatur. Sicut enim in terrarum Rege diverso dignitates adscribuntur: nam Imperatores ex Consulibus creati, propter regale commercium quondam non omittebant, nec mutabant Consulis & Patritii nomen: ita credi potest quòd in sublimitate majoris Pontificis consistat etiam honor minoris Sacerdotis. Forsitan autem illi qui de Diacono ordinant Episcopum, prætermissa benedictione Presbyterali, assertioni beati Hieronymi in Epistolâ loquentis ad Titum ex parte concedere videntur, qui officium Presbyteri in aliquo comparticipari affirmat Ministerio Episcopali.* Extat Æneæ liber Tom. 7. Spicilegii.

Objectio 34. Blondelli petitur ex Historia Ecclesiæ Scotorum, de qua scribit Joannes Fordonus Scotic. Chronic., lib. 3. cap. 8. *Ante Palladii adventum, habebant Scoti Fidei Doctores ac Sacramentorum ministratores Presbyteros solummodò, vel Monachos, ritum sequentes Ecclesiæ Primitivæ.* Joannes Major de gestis Scotorum, lib. 2. cap. 2. idem testatur. *Per Sacerdotes*, inquit, *& Monachos, sine Episcopis, Scoti in fide eruditi.* Hector Boëtius Scotorum Histor. lib. 6. fol. 92. *Cœpere*, inquit, *nostri eo temporis* (sub Findoco, circa annum Dumini 263.) *Christi dogma accuratissimè amplexari, Monachorum quorumdam ductu & adhortatione, qui* [*quòd sedulò prædicationi vacarent, essentque frequentes in oratione*] *ab Incolis cultores Dei sunt appellati. Invaluit id nomen apud vulgus, in tantùm ut Sacerdotes omnes ad nostra penè tempora vulgo Culdei, id est, cultores Dei, sine discrimine vocitarentur. Pontificem inter se communi suffragio deligebant, penes quem divinarum rerum esset potestas: is multos deinceps annos Scotorum Episcopus* [*ut nostris traditur Annalibus*] *est appellatus.*

Et lib. 7. fol. 128. *Palladius primus omnium qui sacrum inter Scotos egere Magistratum, a summo Pontifice*, anno Domini 430. *Pontifex creatus, cùm antea populi suffragiis ex Monachis & Culdeis Pontifices assumerentur.* A Culdeis igitur sive Colideis, aut Keldeis suis, sine Episcopis, a Donaldi Regis, Victorisque Papæ I. anno 197. temporibus, ad annum 430. quo primùm a Cælestino Urbis Pontifice ordinatus Palladius, gubernatâ Scotorum Ecclesiâ, primitivæ imitatrix credita est.

Culdei verò non modò demortuis Ordinis sui hominibus successores dederunt, sed ipsum Collegii sui caput, participato cum plebe consilio, elegerunt, & ordinarunt. Nec eorum post Palladii electionem, novumque inductum morem, ante Malcolmi & Margaretæ Regum, Turgotique ex Priore Dunelmensi, sancti Andreæ Episcopi, anno 1108. Julii 30. consecrati, concidit auctoritas. *Nam in diebus illis*, attestante Chronico Dunelmensi, *totum jus Keledeorum per totum regnum Scotiæ transiit in Episcopatum S. Andreæ.* Plenam tamen universi juris illius abrogationem in annum Domini 1297. quo Andreapolitanum thronum, Nnvemb. 3. conscendit Gulielmus Lambertonus, differt Joannes Fordonus, Scotichronicon libro 6.

Respondeo, Scoticæ Ecclesiæ fundationem & primitivum regimen, Blondelli causam non promovere. Esto enim a Presbyteris & Monachis conversi sint ad Christum & in Christiana religione instituti Scotorum populi, illorumque Ecclesia plurium annorum intervallo fuerit ab illis administrata, quo modo Japoniorum, Sinarom, Indorumque Ecclesiæ ultimo sæculo a Viris Religiosis & Presbyteris fundatæ sunt, & multis annis absque Episcopis administratæ: non est consequens Presbyteros æquales esse Episcopis. Nec enim ex Auctoribus quos laudat Blondellus, nec ex aliis monumentis probari potest primos illos Presbyteros & Monachos Scotorum Ordinationes celebrasse, & Presbyteros ac Episcopos consecrasse: qua Ordinationom potestate Presbyteris præcipuè antecellunt Episcopi.

Respondeo 2. Non haberi ex Hectore Boëtio, qoòd Scoti usque ad Cælestini I. tempora nullos Episcopos habuerint, sed quòd ex Culdeis & Monachis sibi eligerent Pontificem, qui ad vicinarum Ecclesiarum Episcopos consecrandus procul dubio mittebatur: Palladium autem primum fuisse qui, contra priscum morem, aliunde quàm ex Culdeorum Collegio assumptus est; siquidem a Romano Pontifice creatus & ordinatus Episcopus, in Scotiam directus fuit.

Objectio 35. Blondelli petitur ex Ecclesiæ Britannicæ Historia, nimirum ex Beda, lib. 3. cap. 3. *Osuualdus mox ubi Nordanhumbrorum regnum suscepit*, id est anno 634. *desiderans totam, cui præesse cœpit Gentem Fidei Christianæ gratiâ imbui, misit ad majores natu Scotorum, petens ut sibi mitteretur Antistes, cujus doctrinâ & ministerio Gens, quam regebat Anglorum, Dominicæ Fidei & dona disceret, & susciperet Sacramenta. Nec aliquanto tardiùs, quod petiit, impetravit. Accepit namque Pontificem Aidanum summæ mansuetudinis ac pietatis, & moderaminis virum.... Cui Rex locum Sedis Episcopalis in Insula Lindisfarnensi, ubi ipse petebat, tribuit...... Imbuebantur Præceptoribus Scotis parvuli Anglorum unà cum majoribus, studiis & observatione Disciplinæ regularis: nam Monachi erant maximè qui ad prædicandum venerunt. Monachus ipse Episcopus Aidanus, utpote de Insula quæ vocatur Hy destinatus..... Ab hac ergo Insula, ab horum Collegio Monachorum, ad Provinciam Anglorum instituendam in Christo, missus est Aidanus, accepto gradu Episcopatûs. Ferunt autem, quia cùm de Provincia Scotorum Rex Osuualdus postulasset Antistitem, qui sibi suæque Genti verbum Fidei ministraret, missus fuerit primò alius austerioris animi vir, qui cùm aliquamdiu Genti Anglorum prædicans, nihil proficeret, nec libenter a populo audiretur, redierit in patriam, atque in Conventu Seniorum retulerit, quia nihil prodesse docendo Genti, ad quam missus erat, potuisset, eò quòd essent homines indomabiles, & duræ ac barbaræ mentis. At illi tractatum magnum in Concilio,*

lio, quid esset agendum, habere cœperunt, dessle- rantes quidem Genti quam petebant salutem esse, sed non recepto, quem miserant, Prædicatore, dolentes. Tunc ait Aidanus ad eum, de quo agebatur, Sacerdotem. Videtur mihi, frater, quia durior justo indoctis auditoribus fuisti, & non eis (juxta Apostolicam Disciplinam) primò lac doctrinæ mollioris præbuisti, donec paulatim enutriti Verbo Dei, ad capienda perfectiora, & ad facienda sublimiora Dei Præcepta sufficerent. Quo audito, omnium qui considebant, ad ipsum ora & oculi conversi, ipsum esse dignum Episcopatu, ipsum ad erudiendos incredulos & indoctos mitti debere decreverunt, sicque illum ordinantes, ad prædicandum miserunt .....Obiit 17. Episcopatus sui anno, Christi 651. *successit verò ei in Episcopatu Finan, & ipse illò ab Hy Scotorum Insula ac Monasterio destinatus, ac tempore non pauco in Episcopatu permansit* (ex Beda cap. 17.)

Ipso Middelenglorum Rege Peuda occiso [anno 655.] *cùm Osuvi Rex Christianissimum ejus regnum acciperet, factus est Diuma Episcopus Mediterraneorum Anglorum, simul & Merciorum, ordinatus a Finano Episcopo: paucitas enim Sacerdotum cogebat unum Antistitem duobus populis præfici. Qui cùm pauco sub tempore non paucam Domino plebem acquisivisset, defunctus est apud Mediterraneos Anglos, suscepitque pro eo Episcopatum Ceollach, & ipse de natione Scotorum, qui non multò post Episcopatu relicto, reversus est Insulam Hy, ubi plurimorum caput & arcem Scoti habuere Cœnobiorum; succedente illi* (circa annum 560.) *in Episcopatum Trumhere viro religioso & Monachica vitâ instituto, natione quidem Anglo, sed a Scotis ordinato Episcopo* [ex Beda, cap. 21. 24. & 25.] *Defuncto Finano* (anno 661.) *cùm Colmanus in Episcopatu succederet, ipse missus a Scotiis gravior de observatione Pascha, necnon & de aliis Ecclesiastica vita Disciplinis, controversia nata est. In parte Scotorum* (anno 664.) *erat venerabilis Orientalium Anglorum Episcopus Cedda, jamdudum ordinatus a Scotis* (ex Beda, cap. 25.) *Reverso in patriam Colmano, suscepit pro illo Episcopatum Nordhumbrorum famulus Christi Tuda, qui erat apud Scotos Austrinos eruditus, & ordinatus Episcopus.* (Ex Beda cap. 26.)

Feliciter ductâ ab Hiensibus Presbyteris propagine, fundatam per Nordhumbriam, Middelangliam, Merciam, & Eastangliam ex parte, Ecclesiam, locis laudatis memorat Beda, eodem ferinè tempore natus, anno scilicet 673. ex cujus fide hæc habemus: a Majoribus natu, Conventu Seniorum, Monachorum, cui Segenius Abbas & Presbyter præfuit, Collegio, Aidanum, Finanum, Colmanum, Tudam missos, destinatos, ordinatos, accepto Episcopatûs gradu, per annos continuos triginta Lindisfarnensem Ecclesiam rexisse. Secundò Middelenglis Diunam a Finano præfectum, postea Ceollach & Trumhere ab Hiensibus consecratos, successores habuisse. Tertiò Eastanglos Ceddæ a Finano consecrati fidei commissos. Quartò, In finitimis Provinciis & vicina Gallia, Episcopos non defuisse, qui rudibus populis Antistites consecrarent. Quintò, Tota libertate usos Reges, populosque ad fidem recèns conversos, Scotos Presbyteros vicinis quibuscumque Præsulibus antetulisse. Sextò, Qui Scotos Presbyteros ultra propriam sortem provectos, vel secum mussaret, repertum neminem: quod vel invitis extorqueat, nondum Bedæ ætate natos, qui ademptam jure divino Presbyteris Ordinationum, aliarumque Episcopis reservatarum functionum potestatem somniarent.

Respondeo, Scotos a quibus nominati a Beda ordinati sunt Episcopi, Presbyteros meros non fuisse, sed Episcopos: quamvis ex Hiensibus Monasteriis plerique assumpti essent. Nam Episcopos in Scotia fuisse, constat ex Epistola Laurentii, Melliti, & Justi, qui a sancto Augustino Anglorum Apostolo fuerant ordinati Episcopi, ad Scotos, quæ sic inscribitur; *Dominis charissimis Fratribus, Episcopis vel Abbatibus per universam Scotiam, Laurentius, Mellitus, & Justus Episcopi, Servi Servorum Dei.*

Idem constat ex Epistola Joannis IV. Romani Pontificis electi, ad Scotos conscripta, ut eorum errorem in celebratione Paschatis emendaret: cujus hæc est inscriptio: *Dilectissimis & sanctissimis Thomiano, Columbano, Chromano, Dimano & Bathano Episcopis: Chromano, Hermano, Lausteano, Stellano, & Segiano Presbyteris: Sarano, cæterisque Doctoribus, seu Abbatibus Scotis: Hilarius Archipresbyter, & servans locum sanctæ Sedis Apostolicæ, & Joannes Diaconus, & in Dei nomine electus,* &c. Præterea de Hibernia, quæ tunc a Scotis incolebatur, scribit Venerabilis Beda, lib. 3. Histor. Eccles. Gentis Anglorum, cap. 4. *Habere solet ipsa Insula Rectorem semper Abbatem Presbyterum, cujus juri & omnis provincia, & ipsi etiam Episcopi, ordine inusitato, debeant esse subjecti, juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Episcopus, sed Presbyter extitit & Monachus.* Apud Scotos igitur plures erant Episcopi, quamvis singulari & extraordinario more Abbati Presbytero subditi essent. Quæ consuetudo Blondello cæterisque Protestantibus non favet; nec probat jure divino pares Episcopis Presbyteros esse: cùm Episcopi ob sanctimoniæ reverentiam, quæ in Monachis & Abbatibus præfulgebat, & quòd ipsorum plerique ex Monasteriis ad Episcopatum essent assumpti, hanc sibi subjectionis & obedientiæ, in aliis regionibus & Ecclesiis insolitæ, legem spontaneo singularis pietatis & humilitatis affectu imposuissent.

Denique plures erant eo tempore in Anglia Episcopi a quibus illi ex Scotia selecti ordinarentur. Rosensem Ecclesiam rexit Justus, qui in ea Romanum pro se consecravit Episcopum, datâ sibi ordinandi Episcopos auctoritate a Pontifice Bonifacio, (ex Beda cap. 8. lib. 2.) Paulinus Nordhumbrorum primus Episcopus ab eodem Justo ordinatus est [ex eodem cap. 9.] Dorovernensem Ecclesiam rexit post Justum Honorius, a Paulino consecratus Antistes (ex eodem cap. 16. & 18.) Missus est iisdem temporibus in Britanniam Byrinus ab Honorio Romano Pontifice, cujus jussu per Asterium Genuensem Episcopum in Episcopatûs consecratus est gradum; & Civitate Dorcinca ab Osuvaldo Rege donatus est, ut ibi Sedem Episcopalem constitueret. (Ex Bedâ lib. 3. cap. 7.) Post hæc in Hyberniam profectus est Agilbertus Episcopus Gallicanus, illiusque Gentis Ecclesiæ præfuit: qui cùm ad Episcopatum Parisiensem translatus esset, misit illuc Eleutherium Nepotem suum, qui a Theodoro Archiepiscopo Dorovernensi consecratus, Gevissorum Episcopatum multis annis gessit. [Ex Beda ibidem] Post obitum Paulini Rosensis Episcopus creatus est Ithamar, ab Honorio Archiepiscopo ordinatus. [Ex eodem, cap. 14.] Defuncto Felice Orientalium Anglorum Episcopo, Honorius loco ejus ordinavit Thomam Diaconum ejus de Provincia Girviorum: quo ex hac luce sublato, Beretgilsum cognomine Bonifacium, de Provincia Cantuariorum, loco ejus substituit. Defuncto Honorio, Dorovernensis Archiepiscopus electus est Deusdedit, de Gente Occidentalium Saxonum, qui ab Ithamar Episcopo Rosensi ordinatus est: quo mortuo idem Ithamar in locum ejus consecravit Damianum, de genere Australium Saxo-

num

num oriundum. (Ex Beda cap.29.) Anno Domini 729. Rex Alchfrid misit Wilfridum Presbyterum ad Regem Galliarum, qui eum sibi, suisque, consecrari faceret Episcopum. At ille misit illum ordinandum ad Agilbertum, qui relicta Britannia, Parisiacæ Civitatis factus erat Episcopus, & consecratus est magno cum honore ab ipso, convenientibus plurimis Episcopis in vico Regio, qui vocatur in Compendio. Idem Rex misit Cantiam Ceadda Presbyterum & Abbatem religiosissimum, qui Eboracensis Ecclesiæ ordinaretur Episcopus. Is autem a Wini Occidentalium Saxonum Antistite Episcopus consecratus est. [Ex Beda lib.3. cap. 28.] A Vitaliano Romano Pontifice anno Christi 668. Theodorus Monachus ex Tharso Ciliciæ oriundus Episcopus consecratus est, & in Britanniam missus. Quò cùm appulisset, perlustrans universa, ordinabat locis opportunis Episcopos, & ea quæ minùs perfecta reperit, his quoque juvantibus corrigebat. Eo autem tempore quo defuncto Deusdedit, Dorovernensis Ecclesiæ Episcopus quærebatur, ordinabatur, mittebatur; Wilfridus quoque de Britannia in Galliam ordinandus est missus: & quoniam ante Theodorum rediit ipse Cantia, Presbyteros & Diaconos, usque dum Archiepiscopus ad Sedem suam perveniret, ordinabat. At ipse veniens mox in Civitatem Rofensem, in locum Damiani defuncti, ordinavit virum magis Ecclesiasticis Disciplinis institutum & vitæ simplicitate contentum, quàm in sæculi rebus strenuum, cui nomen erat Putta. (Ex Beda, lib.4. cap.2.)

Anno Christi 670. Concilium Herudfordiæ Theodorus congregavit, cui plures Episcopi interfuerunt. (Ex Beda, cap.5. lib.3.) Anno 680. congregata est a Theodoro Cantuariensi Archiepiscopo Synodus in Campo Hedtfeld, ad Ecclesias Anglorum contra Eutychianam & Monothelitarum Hæresim muniendas: quo in Concilio plures illius Gentis Episcopi cum Theodoro sederunt. [Ex Beda, cap.17. lib.4.] Anno Christi 732. Egbertus pro Wilfrido Eboracensis Episcopus ordinatus est, Anno 733. Taruvini Archiepiscopus, accepto ab Apostolica Sede Pallio ordinavit Aluvich & Sigfridum Episcopos. Anno 735. Nothelmus Archiepiscopus ordinatus est. Anno 740. sanctus Cudbertus Lindisfarnensis Ecclesiæ inauguratus est Episcopus. Ejus ad consecrationem septem Episcopi convenerunt, inter quos Theodorus Primatum tenebat. [Ex Beda, libro 4. cap.28.] Theodoro in Archiepiscopatu successit Berechtvvaldus, 692. & ordinatus est anno sequente a Goduvino Metropolitano Episcopo Galliarum. Cœteros quos commemorat Episcopos Venerabilis Beda, missos facio. Satis ista probant, plures & in Scotia, & in Anglia fuisse Episcopos, eosque non a Presbyteris, sed ab Episcopis ordinatos fuisse.

Objectio postrema Blondelli petitur ex sancto Hilario Arelatensi in Vita sancti Honorati ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopi, ubi de eo ita scribit: *Apparuit illic*, in Lirinensi nempe Insula, *Presbyter non duplici tantùm, sed multiplici honore dignissimus, coram quo nullam Sacerdotii distantiam, nullum nominis privilegium Episcopatus agnosceret. Nemo umquam Episcoporum sibi tantum usurpavit, ut se Presbyteri illius Collegam computaret*. Idem de ejus ad Arelatensem Episcopatum promotione: *Sacerdotium quippe suum*, inquit, *in Ecclesia hac nomine auctum vidimus, sanctimonià verò & actibus jam priùs summum*.

Ex quibus colligit Blondellus, inter Presbyteros & Episcopos, nullam, si jus divinum spectes, realem, sed nominalem tantùm Sacerdotii distantiam intercedere, Episcopatum merum nominis privilegium esse; soloque nomine augeri, qui humano instituto ex Presbytero in Episcopum crescit.

Respondeo falsas esse Blondelli illationes. Comparat enim sanctus Hilarius Arelatensis sanctum Honoratum adhuc Presbyterum cum Episcopis, non quantùm ad ordinem & dignitatem, quasi pari cum ipsis honoris & dignitatis consortio præditus esset, illisque jure divino æqualis: sed quantùm ad virtutem & sanctimoniam, ratione cujus nullus ei se coæquare Episcopus auderet. Unde & Sacerdotium ejus priùs summum fuisse ait, non dignitate quidem, sed sanctimonià & actibus. Nomine verò dumtaxat auctum videri, quia virtutibus Pontificiis adhuc Presbyter conspicuus erat: quarum gradibus ad hoc honoris fastigium ascendit.

SCHOLION I.

Religiosi Censores in Indiculo suo hanc Propositionem notant, velut ex hac Dissertatione, pag.110. Editionis primæ excerptam: *Episcopi erunt pares Presbyteris quoad gubernationem Ecclesiæ, non quoad Ordinationem tempore Apostolorum*.

R. Aliud est Ecclesiæ gubernatio, aliud Ecclesiam gubernandi potestas. Illa Jurisdictionis usum, ista jurisdictionem ipsam significat. Episcopos superiores jure divino fuisse Presbyteris tempore Apostolorum, non solùm Ordinis; sed etiam Jurisdictionis ratione, sive quoad potestatem regendi Ecclesiam, & sacri Juris dicendi, totâ Dissertatione doceo & propugno adversùs *Actium & Bondellum*: Sed externo Jurisdictionis usu aliquatenus pares olim fuisse non diffiteor. En verba mea, ex quibus innotescit, quæ mens mea sit. *At quoad secundam illam potestatem, quæ in externa Ecclesiæ & rerum ejus administratione posita est, non ea fuit ab initio, quæ secutis temporibus, Episcoporum supra Presbyteros eminentia. Tunc enim communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ regebantur, & res Ecclesiasticæ administrabantur, nihilque decernebatur nisi ex ipsorum suffragiis, & ex communi totius Senatus Ecclesiastici sententia, cui tamen aliquis* (scilicet Episcopus) *præsidebat cum prærogativa suffragii, & judicandi atque decernendi auctoritate*. Presbyteris consilium dumtaxat, Episcopis judicandi auctoritatem tribuo. Et infra: *Ex quibus efflorescit, potestatem summam regendæ Ecclesiæ, & jurisdictionem amplissimam, cùm in plebem Christianam, tum in ipsum Presbyterorum Clerique totius Collegium, Episcopis institutione divina fuisse concessam, quamvis eam cum secundi ordinis Sacerdotibus communicarent primis Ecclesiæ temporibus: sicut Moyses collatam divinitus auctoritatem, cùm in populum universum, tum in ipsos septuaginta seniores habuit; quamvis in consortium Jurisdictionis suæ ac regiminis partem asciverit*. Hæc Indiculi Censorii Auctores expendere debuerunt, non verò affingere mihi errorem, quem impugno & everto. Meminisse debuerant Regulæ a *Pelagio II.* Pontifice Maximo constitutæ Epistolâ 7. ad Eliam Aquilejensem Episcopum & alios Istriæ Episcopos datâ: *Quia*, inquit, *semper dictandi ordo tanta sibimet connexione subjungitur, ut & præcedentia subsequentibus serviant, & subsequentia ex præcedentibus suspendantur: eorum sensum quæ prolata sunt, meliùs pandimus, si infra supraque legentes, vel quò tendunt, vel unde pendeant, demonstremus*.

SCHOLION II.

In eadem Dissertatione, pag.153. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant

tant: *Forma Ordinis Presbyteralis non est*, Accipe potestatem: *Nec talis habetur in antiquis Ritualibus.*

R. Non negavi quin ad integritatem formæ hæc verba pertineant: *Ad substantiam Ordinationis* pertinere meritò negavi, quia Ecclesia Græca in Ordinatione Presbyteri nec ista verba usurpat, nec instrumenta tradit, ut in Euchologiis omnibus videre est. Quòd autem in antiquis Ritualibus hæc verba non habeantur, facti Quæstio est. Codices legantur; sin minùs, fides adhibeatur *Joanni Morino* sincero & erudito Auctori, cujus hæc sunt verba Exercitatione 8. cap. 1. n.12. *Antiqui Rituales Latini, non secùs ac Græci, istam instrumentorum Traditionem nobis non exhibent. Quicquid spectat ad illam materiam & formam ab iis abest. Duo Ritus Ordinationis editi: unus Romæ in sancti Gregorii Sacramentario, ex Bibliotheca Vaticana; alter Parisiis ab Hugone Menardo, ex Bibliotheca Corbejensi, ista omnia nobis non repræsentant. Duo antiquissimi Petaviani literis uncialibus scripti, qui præ cæteris eminent. Duo alii secundùm istos antiquissimi, & egregiè splendidèque scripti, quorum unus est Rotomagensis, alter Remensis. Tres alii, quorum primus Senonensis est, duo alii Corbejenses, unus a Rodrado scriptus nunc vertitur annus octingentesimus-primus, alter a Rotuldo præcedente multò junior, sed copiosissimus qui quæcumque noverat ad Ordinationem pertinere, iis ditavit Sacramentarium suum: Denique unus e Bibliotheca Thuana perantiquus, & alter Bellovacensis regnante Roberto Francorum Rege scriptus. Illi omnes antiquissimi Sacramentarii Libri, & illorum instrumentorum, & forma seu verborum solemnium, quæ nunc pronuntiari solent, cùm Ordinandis traduntur*, Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini, Amen, *non meminerunt; profundum & mirum est de hisce rebus apud eos silentium. Quis adeo desipit, ut sibi persuadeat istos scribas, & Episcopos qui eorum libris in Sacris agendis utebantur, ea amisisse quæ sola Presbyterum creabant: innumera verò quæ ad rem nihil pertinebant, tam diligenter, & tam magnificè descripsisse?* Hæc Doctissimus Morinus.

Nota.

ETiam Gaspar Juvenin in suis Commentariis historicis, & dogmaticis *de Sacr. Ord. dissert. 9. q. 3.* cùm putasset manuum impositionem, quæ secundo loco ab Episcopo adhibetur, esse sacramenti Ordinis materiam, subinde non desinit asserere illius formam adæquatam, & essentialem illas esse orationes, quæ correspondent eidem manuum impositioni. Nihilominus ita caput tertium claudit; *Hic monitum volumus lectorem, quòd licèt multùm probabilis sit nostra de forma presbyteratus opinio; cùm maximè cohæreat cum antiquitate, conciliet Græcorum ordinationes cum Latinis, defendaturque a Morino nostro, viro, ut omnes sciunt, positivæ Theologiæ peritissimo: tamen in praxi minimè tuta sit. Nam, ut non semel hoc in Opere observatum est, in sacramentis conficiendis, aut conferendis non licet sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore. Porro quæ docet non tantùm orationes, de quibus agitur, sed etiam verba quæ comitantur instrumentorum porrectionem, esse essentialia formæ presbyteratus, tutior est nostrâ: unde in praxi est illi adhærendum, quantumcumque ea, quam defendimus, speculativè probabilis judicetur. Sed hac in causa, sicut & in cæteris omnibus, quæ in hoc Opere a nobis scripta sunt, expectamus judicium Sedis Apostolicæ, cujus censuræ nos, nostraque subjicimus.*



APPENDIX
AD SUPERIOREM DISSERTATIONEM.

QUÆSTIO UNICA.

De Chorepiscopis.

Utrùm Chorepiscopi fuerint meri Presbyteri, an Episcopi?

QUæstionem istam velut Appendicem Dissertationi præcedenti connectere mihi operæ pretium visum est, quia ex hypothesi sacrarum Ordinationum a Chorepiscopis celebratarum argumentantur Hæretici contra Catholicum dogma de Distinctione Episcopatus a Presbyteratu, deque eminentia Episcoporum supra Presbyteros divino jure. Cùm enim facilè ostendatur Chorepiscopos fuisse meros ac simplices Presbyteros, probare conantur sacrarum Ordinationum potestatem in iis agnitam fuisse ab Ecclesia, frequenterque ab ipsis in actum revocatam; atque inde colligunt Episcopos non esse Presbyteris jure divino superiores, Antequam Quæstioni respondeamus;

Observandum est, Chorepiscopum, si ratio nominis habeatur, esse oppidi, sive pagi Episcopum, qui extra urbem in pagis, vicis, oppidulis, Episcopi vice fungitur. Ideo antiqui Canonum Collectores Chorepiscopos nonnumquam Latinè Episcoporum Vicarios interpretantur, ut Ferrandus Diaconus cap. 79. Breviarii, & alii quàmplurimi. Porro Chorepiscoporum in antiquis Ecclesiæ monumentis ante 4. Sæculi exordium nulla prorsus occurrit memoria. In Conciliis Ancyrano Canone 13. & Neocæsareensi Canone 14. primum de ipsis fit mentio. Cæterùm nihil de iis Scriptura sacra, nihil SS. Ignatius & Dionysius; qui cæteros Ordines Ecclesiasticos & minimos quidem commemorant: nihil sanctus Cyprianus, nihil Canones Apostolis adscripti, nihil Concilium Illiberritanum. Certè si gradus hic ipsis cognitus fuisset, cùm sit Presbytero superior, & ad dignitatem Episcopalem proximè accedat, eum nequaquam præteriissent. Circa finem igitur tertii Sæculi Ordo ille institutus videtur. His positis sit.

PROPOSITIO.

C*Horepiscopi Ordinatione sua non erant Episcopi, sed meri Presbyteri aliquo Jurisdictionis Episcopalis privilegio adaucti.*

Probatur primò. Solemne est omnibus, qui de Chorepiscopis verba faciunt, dicere eos ad similitudinem septuaginta Discipulorum esse creatos. Ita Concilium Neocesareense Canone 13. S. Isidorus lib. 2. de Officiis Eccles. cap. 6. Epist. 86.* S. Leoni & Epistola unica Joanni III adscripta. Atqui Episcopi sunt Apostolorum Successores, non verò septuaginta dumtaxat Discipulorum: igitur Chorepiscopi Ordinatione sua Episcopi non erant.

Probatur secundò. Episcopus a tribus saltem Episcopis ordinandus est ex Traditione Apostolica per universam Ecclesiam ad hunc usque diem religiosè observata, ita ut si quis ab uno ordinentur,

* *Hunc Epistolam suppositam esse S. Leoni optimè probat P. Quenellius Dissert. 11. de suppositione Epistolæ ad Gallicarum & Germaniarum Episcopos*, de Privilegio Chorepiscoporum.

tur, & ordioatus deponatur, & ordinator. Quam io rem luculenta sunt testimonia Synodi Reiensis in causa Armentarii, anno 439. Concilii Arausicani 1. Canone 21. & Concilii Arelatensis 2. Canone etiam 22. Sed Chorepiscopi ab uno tantùm, aut a duobus ad summum Episcopis ordinabantur: non erant igitur Ordinatione sua Episcopi. Sanè Armentarii ordinatio a duobus temerè convenientibus Episcopis facta, in Synodo Reiensi missa in irritum est: quem tamen in una Ecclesia Chorepiscopum institui permisit indulgentior Synodus.

Probatur tertiò. Episcopos in pagis constitui vetant Caoones, Laodicenus 57. Sardicensis 6. Toletani Concilii 12. Canon 4. Francofordiensis 22. S. Leo, Epist. 8. Atqui Chorepiscopi in pagis, villis, & oppidulis constituebantur: non erant itaque Episcopi.

Probatur quartò ex Concilio Hispalensi, Canone 7. severè increpante Agapium quemdam Cordubensem Episcopum, qui Chorepiscopos delegare solebat ad Episcopalia munia obeunda, Sacramentum Confirmationis conferendum, Ecclesias consecrandas, Virgines bendicendas. Id in posterum fieri prohibet Concilium, nec plus licere vult Chorepiscopis, quàm Presbyteris, rationemque reddit: *Quia Chorepiscopi & Presbyteri juxtà Canones unum sunt*. Sed placet Canonem integrum repræsentare: *Quamvis*, inquit, *cum Episcopis plurima illis Mysteriorum communis sit dispensatio, quædam tamen auctoritate Veteris Legis, quædam novellis & Ecclesiasticis Regulis sibi prohibita noverint, sicut Presbyterorum & Diaconorum, ac Virginum consecratio; sicut constitutio altaris, benedictio, vel unctio. Siquidem nec licere eis Ecclesiam vel altaria consecrare, nec per impositionem manus Fidelibus baptizandis, vel conversis ex Hæresi, Paracletum Spiritum tradere, nec Chrisma conficere*, &c. *Hæc omnia illicita esse Presbyteris, quia Pontificatus apicem non habent, quod solis deberi Episcopis, auctoritate Canonum præcipitur; ut per hoc & discretio graduum, & dignitatis fastigium Summi Pontificis demonstretur*.

Probatur quintò ex responso Leonis III. Pontificis Maximi Gallicanis Episcopis dato. Tempore Caroli Magni gravissimæ querelæ adversùs Chorepiscopos a Galliæ & Germaniæ Episcopis excitatæ sunt. Querelæ potissima caussa erat, quòd plurimi negarent, *Eos esse Presbyteros, vel Diaconos, aut Subdiaconos, qui a Chorepiscopis videntur quasi sacrati: nec Sacerdotale eos debere peragere Officium, nisi forent a canonicè ordinatis Episcopis consummati*. Affirmabant quoque a Chorepiscopis ordinatos, *vulneratum potiùs, quàm Episcopaliter sanctificatum per illam manus impositionem habere caput*. Ideò plurimi Laici eorum Missas fugiebant, liberosque suos ab iis confirmari nolebant, *Ne magis vulnus, quàm benedictionem acciperent*. Cùm hæc Quæstio in Gallia & Germania magna animorum contentione agitaretur, statuerunt Episcopi Archiepiscopum e suis Romam ad Leonem III. mittere, qui ab eo ancipitis Quæstionis solutionem referret. Respondit Pontifex, Quæstionem a suis Decessoribus jam esse finitam, nec alio judicio opus esse, dixit, *Nullum fore Presbyterum, vel Diaconum ab eis ordinatum, nec Ecclesiam ab eis dedicatam, nec Virginem consecratam, nec quemquam confirmatum, neque quidquam quod de Episcopali Ministerio præsumpsere esse peractum: sed quicquid ex his ab eis erat illicitè præsumptum, omnia a canonicè ordinatis Episcopis debere ritè peragi, & in meliorem statum reformari: quia quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum*. Hoc Arno Juvavensis, sive Saltzburgensis Archiepiscopus a Collegis suis Romam missus a Sede Apostolica responsum tulit. Quo accepto; Galliæ & Germaniæ Episcopi Ratisbonæ in Concilio congregati, secundùm Sedis Apostolicæ Decretum, irritum esse pronuntiarunt, *Quicquid a Chorepiscopis Episcopaliter præsumptum est. Nam Episcopi non erant* (inquiunt) *quia nec canonicè a tribus Episcopis ordinati. Ideo de Episcopali Ministerio nihil agere potuerunt*. Hæc leguntur in selectis Capitulis, tit. 4. cap. 2. Tom. 2. Concil. Galliæ, ad annum 800.

Probatur sextò ex Concilio Parisiensi VI. ad annum 829. Canone 27. „ Episcopos, *inquit*, locum Apostolorum, Chorepiscopos autem exemplum & formam septuaginta Discipulorum tenere, & Liber Actuum Apostulorum, & Canonica auctoritas apertè demonstrat. Cùm hæc ita se habeant, emersit quidam reprehensibilis, & valde jam inolitus usus, eò quòd quidam Chorepiscopi ultra modum suom progredientes, & donum Sancti Spiritus per impositionem manuum tradant, & alia quæque, quæ solis Pontificibus debentur, contra fas peragant; præsertim cùm nullus ex 70. Discipulis, quorum speciem in Ecclesia gerunt, legatur donum Sancti Spiritus per manus impositionem tradidisse.

Probatur septimò ex libro 7. Capitularium, cap. 328. in quo hæc habentur: „ Placuit, sicut Leonis Papæ, & omnium Episcoporum nostrorum, atque reliquorum Fidelium generali, & Synodali consultu decrevimus, ut nullus Chorepiscopus per manus impositionem Spiritum Sanctum tradere, aut Sacerdotes, vel Levitas, aut Subdiaconos sacrare, vel Virgines velare, aut sanctum Chrisma conficere, vel Ecclesias aut altaria sacrare, aut benedictionem in publica Missa populis tribuere præsumat: quæ omnia Summis Pontificibus, id est, Cathedralibus Episcopis debentur, & non Chorepiscopis, vel Presbyteris, quorum formam juxtà sanctorum Canonum Decreta Chorepiscopi gerunt. Si autem ii aliquid ex his agere tentaverint, irrita erunt quæ ab iis geruntur, & ipsi omni Ecclesiastico honore funditus priventur.

„ Et *cap.* 320. decernitur, Ut qui a Chorepiscopis Presbyteri, vel Diaconi, vel Subdiaconi sunt ordinati, nullatenus in Presbyteratus, aut Diaconatus, vel Subdiaconatus officio ministrare præsumant. Similiter homines qui imperitis videntur ab iis esse confirmati, vel Virgines, seu Ecclesiæ sacratæ, aut chrisma confectum, sive altaria dedicata, pro confirmatis, vel sacratis minimè habeantur, quia quæ illi non habuerunt, dare non potuerunt: quoniam ex his eis quidquam agere non licet, quæ omnia summis Pontificibus debentur, & non Chorepiscopis, qui nec summi Pontifices, nec Episcopi fuerunt, nec deinceps usquam fieri possunt. Nullum enim ex Septuaginta aliquid umquam fecisse legimus, vel scimus: ad quorum exemplum vel formam, Presbyteros, vel Chorepiscopos, antequam ipsi Chorepiscopi prohibiti essent, fuisse agnovimus.

Probatur octavò ex Concilio Meldensi, anno 845. celebrato, Canone 44. decernente, Ut Chorepiscopos modum suum juxtà Canonicam Institutionem teneat, & nec sanctum chrisma, nec sanctum Paracletum Spiritum, solis Episcopis juxtà Decreta Innocentii tribuere debitum, tradere tentet, nec Ecclesias consecret, neque Ordines Ecclesiasticos, qui per impositionem manus tribuuntur: id est, nonnisi usque ad Subdiaconatum, & hoc jubente Episcopo, & in locis quibus Canones designant, agere præsumat. Impositioni autem Pœnitentiæ, aut Pœnitentium reconciliationi, per Parochiam, secundùm mandatum Episcopi sui inserviat. Si verò

„ Ci-

„ Civitatis Episcopus obicrit, nihil ex Episcopa„ li Ministerio specialiter Episcopis debito at„ tentet.

Probatur nonò ex sancto Isidoro Hispalensi, libro secundo de Officiis Ecclesiasticis, *cap.6.* Cho„ repiscopi, *inquit*, id est Vicarii Episcoporum, „ juxtà quòd Canones ipsi testantur, instituti sunt „ ad exemplum septuaginta Seniorum tamquam „ Sacerdotes, propter sollicitudinem pauperum. „ Hi in vicis & villis instituti gubernant sibi com„ missas Ecclesias, habentes licentiam constitue„ re Lectores, Subdiaconos, Exorcistas. Presby„ teros autem & Diaconos ordinare non audeant „ præter conscientiam Episcopi, in cujus regio„ ne præesse noscuntur. Hi autem a solo Episco„ po Civitatis, cui adjacent, ordinentur.

Probatur decimò ex Concilio Metensi, anno 889. „ ita statuente: Ut Basilicæ a Chorepiscopis con„ secratæ, ab Episcopis consecrentur, roboratum „ est: quia juxtà Decreta Damasi Papæ, Inno„ centii, & Leonis, vacuum est & inane quic„ quid in summi Sacerdotii Chorepiscopi egerunt „ Ministerio, quòd ipsi iidem sunt qui & Pres„ byteri, sufficienter invenitur. Hæc porrò omnia momenta luculenter probant Chorepiscopos Ordinatione sua Episcopos non fuisse, sed simplices, merosque Presbyteros.

Objectio 1. Illi erant Ordinatione sua Episcopi, qui Diaconos & Sacerdotes ordinare poterant: sed Chorepiscopi ordinare poterant Diaconos & Sacerdotes, cum Episcopi facultate: igitur Chorepiscopi Ordinatione sua verè Episcopi erant.

Probatur minor ex Concilio Antiocheno, Canone 10. ita decernente: *Ii qui sunt in vicis vel pagis, qui dicuntur Chorepiscopi, etiamsi Episcopi Ordinationem, manumve impositionem perceperint, visum est ut suum modum sciant, & sibi subjectas Ecclesias administrent: constituant autem Lectores, Hypodiaconos, & Exorcistas, & eorum promotionem sufficere existiment; nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant, absque urbis Episcopo, cui subjicitur ipse & regio.*

Idem probatur ex Canone 13. Concilii Ancyrani, qui, secundùm Versionem Dionysii Exigui, sic habet: *Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris Civitatis, sine præcepto Episcopi, vel literis, in unaquaque Parochia.* Ergo saltem ex Episcopi mandato poterant Chorepiscopi Presbyteros ordinare. Verè igitur Episcopi erant, cùm Ordinatio Diaconorum, aut Sacerdotum, nusquam simplicibus ac meris Presbyteris concessa fuerit.

Confirmatur ex sancto Basilio Magno, Epist. 181. ad Chorepiscopos suæ Diœceseos. De iis conqueritur initio Epistolæ, quòd diligentiam in Ministris Ecclesiasticis examinandis a Canonibus commendatam non observabant, nec procurabant ut Presbyteri & Diaconi sibi subditi Ministrorum mores sedulò attenderent, & ad se referrent, antequam eos Sacerdotio, aut alio aliquo Ecclesiastico Ministerio donarent. *Ex quo neglectu*, inquit sanctus Basilius, *multi quidem numerantur Ministri in unoquoque pago, sed nemo est dignus altaris Ministerio.* Antea longè aliter factum fuisse ipsis exprobrat: *Hos quidem*, inquit, *examinabant Presbyteri & Diaconi, qui cum eis versabantur: referebant autem ad Chorepiscopos, qui a verè testificantibus susceptis suffragiis, eorum Episcopum admonebant, Ministrumque postmodum in Sacerdotalem numerum adoptabant.* Auctoritatem autem creandorum Diaconorum & Presbyterorum, illis non aufert sanctus Basilius, sed conservat. Hoc unum Epistolâ suâ efficere nititur, ut Chorepiscopi id in postremum canonicè præstent.

Respondeo, Nego minorem. Ad ejus probationem dico, Concilium Antiochenum non loqui de Chorepiscopis omnibus, sed solùm de illis qui Episcopi consecrati fuerant, ac postmodum ad Chorepiscopatum promoti. His namque concedit ut Lectores, Exorcistas, & Subdiaconos ordinent, non autem Diaconos, aut Presbyteros, nisi Episcopus Civitatis, cui subditi sunt, hoc ipsis munus demandaverit.

Hæc exceptio patet ex verbis ipsius Canonis 10. Antiocheni, secundùm Dionysii Exigui Versionem. *Qui in vicis*, inquit, *vel possessionibus, Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint, tamen sanctæ Synodo placuit ut modum proprium recognoscant, &c.* Itaque Chorepiscopi, alii erant charactere & dignitate Episcopali insigniti, alii verò meri Sacerdotes. Namque Chorepiscopatus Ministerium erat, cui Presbyteri, & aliquando etiam Episcopi admovebantur. Cùm itaque conferebatur olim alicui Episcopo vacanti, qui jam Episcopalem consecrationem aliunde accepisset, is cui deferebatur, verus Episcopus erat; non quidem vi Chorepiscopatûs, qui nudum Ministerium & Ecclesiarum quæ in agris essent administrationem concedebat; sed ob susceptam antea manûs impositionem & consecrationem. Itaque Canonis Antiocheni verba regulam non evertunt, sed exceptionem adhibent, quia fieri poterat variis de causis ut Episcopus ad Chorepiscopatum promoveretur. Eam autem exceptionem iis verbis exponunt Antiochenæ Synodi Antistites, ut proclivè sit ex ea regulam firmare. *Qui in vicis, vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manûs impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint, tamen sanctæ Synodo placuit, ut modum suum recognoscant.* Quasi dicerent: Etiamsi quandoque contingat ut Chorepiscopatus ab Episcopo aliquo exerceatur, Ministerii tamen sui modum excedere non potest, ut absque licentia Episcopi civitatis, Diaconos & Presbyteros ordinet.

Porrò quòd Chorepiscopatus quandoque concessus sit ei qui jam Episcopus esset, colligitur ex Concilio Niceno, Canone 8. qui Novatianis ab Hæresi redeuntibus gratiam facit dignitatis Episcopalis retinendæ, si Orthodoxo Episcopo ita visum fuerit; vel saltem Chorepiscopatûs locum obtinendi. *Ubicumque verò*, inquit, *sive in vicis sive in civitatibus ipsi soli reperti fuerint ordinati, qui inveniantur in Clero, in eodem habitu perseverent. Ubi autem Catholicæ Ecclesiæ Episcopo vel Presbytero constituto, quidam ex illis adveniunt, certum est quòd Episcopus Ecclesiæ habebit Episcopi dignitatem. Is autem qui nominatur apud eos Episcopus, honorem Presbyterii possidebit nisi fortè placuerit Episcopo nominis eum honore censeri. Si verò hoc ei minimè placuerit, providebit ei aut Chorepiscopatûs, aut Presbyterii locum, ut in Clero prorsus esse videatur: ne in una civitate duo Episcopi probentur existere.* Certè nemo diffiteri potest quin Episcopus ille a Novatianismo conversus characterem Episcopalem antea suscepisset; sed eam consecrationem aliunde sumpserat, quàm a Ministerio Chorepiscopatûs.

Præterea in Synodo Antiochena, Canone 18. videmus Episcopos vacantes, qui ordinati ad Parœciam suam non accedunt, ob contumaciam populi, vel aliam ob causam, sine vitio tamen suo quibus permittitur honoris & Ministerii communio, ea conditione, ut negotiis Ecclesiæ in qua morantur, se non immisceant. Certè si Episcopus vicinus Collegæ sui repulsam ægrè ferens, Chorepiscopatûs ei Ministerium conferret, faten-

dum est hunc Chorepiscopum verè Episcopum fuisse. Quidam itaque Chorepiscopi charactere Episcopali insignitierant, & de his intelligendus est Canon Antiochenus.

Contra. Synodus Antiochena loquitur de omnibus Chorepiscopis: ergo omnes poterant ordinare Diaconos & Presbyteros, cum licentia Episcopi civitatis; adeòque omnes fuerant ordinati Episcopi.

Probatur antecedens ex posteriori parte Canonis quæ relationem dicit ad primam & cum illa cohæret. *Fiat autem Chorepiscopus ab Episcopo civitatis cui subjicitur*. Sed hæc verba de omnibus Chorepiscopis intelliguntur: ergo & priora: adeòque Chorepiscopi omnes consecrati fuerant Episcopi.

Respondeo, Nego antecedens. Ad ejus probationem, dico relationem illam & conjunctionem posterioris partis Canonis cum priori, non efficere ut de iisdem Chorepiscopis utraque intelligatur. Nam Canonis titulus est, de Chorepiscopis generatim. Deinde exceptionem facit eorum qui consecrati fuerant Episcopi, & iis concedit licentiam ordinaodi Diaconos & Presbyteros, cùm permiserit Episcupus Civitatis; absque ejus verò concessinne Lectores tantùm, Exorcistas, & Subdiaconos promovendi. Denique statuit de modo institutionis Chorepiscoporum, ut scilicet ab Episcopo Civitatis, cui subjiciuntur, omnes fiant, tam illi qui meri sunt Presbyteri, quod ordinarium ac soleone est, quàm illi qui manus impositionem Episcoporum acceperunt, & ut Episcopi consecrati sunt, quod quandoque contingit. Omnibus namque commune erat ut Chorespicopatus ministerium eis ab Episcopo Civitatis demandaretur.

Tandem non est spernenda Balsamonis expositio scribentis, sensum Canonis Antiocheni non esse quòd solus Chorepiscopus Diaconorum Ordinationem, aut Presbyterorum peragere possit, etiam ex Episcopi mandato; sed solùm quòd accedere possit Ordinationi ab Episcopo celebrandæ, eique ordinanti adesse, ac operam præstare. *Illud autem*, inquit, *sine Episcopo qui est in urbe, non accipitur pro eo quod est sine ejus mandato, sed pro eo quod est sine ejus consecratione. Et si enim fuerit Chorepiscopo mandatum ut Presbyterum ordinet, & hoc fecerit, irrita erit Ordinatio, quòd non sit ei a Canonibus data Presbyterum ordinandi potestas.*

Ad Canonem Synodi Ancyranæ respondeo, Editionem vulgatam Dionysii Exigui mutilam esse, in eaque restituenda esse hæc verba: *Aliquid agere*, quæ inserenda sunt post ista, *Presbyteris Civitatis*; atque ita exhibendus Canon integer: *Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare; sed nec Presbyteris Civitatis aliquid agere, sine præcepto Episcopi, vel literis in unaquaque Parochia.* Ita porrò explendam esse illius Canonis lacunam, constat ex Epitome Canonum ab Hadriano I. e Versione Dionysii Exigui concinnata, quæ verba illa rètinet: *Ut Chorepiscopi Presbyterum vel Diaconum non ordinent, nec Presbyter aliquid agat in Parochia sine præcepto Episcopi.* In Capitulari Aquisgranensi Caroli Magni Canon his verbis profertur: *Vicariis Episcoporum quos Græci Chorepiscopos dicunt, non licere Presbyteros, vel Diaconos ordinare: sed nec Presbyteris Civitatis sine Episcopi præcepto ampliùs aliquid jubere, vel sine auctoritate literarum ejus in unaquaque Parochia aliquid agere.*

Ferrandus Diaconus Carthaginensis in Breviatione Caoonnm Titul. 79. eamdem interpretationem secutus est, ait enim: *Ut Chorepiscopi, id est Vicarii Episcoporum, nec Presbyteros, nec Diaconos ordinent, nisi tantùm Subdiaconos. Concil. Ancyr. Tit. 13. Concilii Antiocheni Tit. 10.* Alterum Canonis Ancyrani membrum, quod agit de Presbyteris civitatis, refert idem Ferrandus Tit. 92. his verbis: *Ut Presbyteri civitatis sine jussu Episcopi nihil jubeant, nec in unaquaque Parochia aliquid agant.* Hiatus igitur hujus sententiæ, *Sed nec Presbyteris civitatis, sine literis Episcopi & jussu in unaquaque Parochia*, his verbis supplendus est, *aliquid agere*. Unde in Græco textu proculdubio deest, τι πράττειν aut quid simile: quo loquendi modo utitur etiam Synodus Laodicena in simili specie, Canone 57. *Quòd non oporteat*, inquit, *in villulis, vel in agris Episcopos constitui, sed Visitatores. Verumtamen jampridem constituti nihil faciant præter conscientiam Episcopi civitatis. Similiter & Presbyteri præter consilium Episcopi nihil agant.* Habetur in Græco textu, μηδὲν πράττειν.

Respondent alii, Distinguendo primam majorem. Illi erant verè Episcopi, qui Diaconos & Presbyteros ordioare poterant, propria auctoritate & insita potestate, concedo: auctoritate precaria & demandata, nego. Namque non improbabile visum est doctis quibusdam viris, simplices Sacerdotes, ex Summi Pootificis delegatione posse alios ordinare. Eam sententiam amplectuntur Innocentius IV. in cap. *Quanto de Consuetudine*, ubi & Silvestrum Canonici Juris consultissimum pro ea laudat; Angelus de Clavasio in Summa, verbo, *Ordo*, num. 11. Hugo & Hugolinus veteres Canonici Juris Interpretes a sancto Raymundo sæpe laudati; Panormitanus in cap. *Quanto, de consuetudine*; num. 9. Bernardus primus Decretalium Commentator. Eamdem opinionem tuentur e veteribus Scholasticis Gulielmus Autisiodorensis, lib. 4. Summæ, Tract. 8. q. 1. Petrus Aureolus in 4. dist. 24. Nicolaus de Orbellis, in 4. Sentent. dist. 7. quæst. 1. Ex Theologis recentioribus eamdem probabilem censent Vasquez in 3. p. disp. 245. cap. 3. & 4. Præpositus de Sacramento Ordinis quæst. 1. n. 124. Meratius disp. 8. de Ordine, sect. 2. Ex quibus colligitur, non sequi Chorepiscopos verè Episcopos fuisse, licèt Presbyteros & Diaconos demandata sibi a Conciliis & Episcopis auctoritate ordinasse supponerentur. Hæc tamen sententia, quæ Traditioni repugnat, sequenda non est: sed priori Responsioni inhærendum.

Ad auctoritatem Sancti Basilii respondeo, hæc verba, *In Sacerdotalem numerum cooptabant*, significare solam adlectionem in Clerum, non verò sacram Ordinationem. Loquitur namque de quibusvis Ministris sanctus Basilius, & Chorepiscopos suos objurgat, quòd a veteri Disciplina recesserint, nec sedulò discutiant eorum merita quos Clero adscribunt, nec de iis ad se referant. Tria itaque distinguenda sunt, ut sancti Basilii locus intelligatur, imò quatuor: primò testimonia de probitate & meritis eorum qui Clericalis Militiæ sunt candidati: secundò hujusmodi testimoniorum susceptio & discussio: tertiò sacra Ordinatio: quartò cooptatio in Clerum in Parœciis rusticis aut villulis. Testimonium ferre de meritis ordinandorum, spectabat ad plebem, necnon ad Clericos, qui cum promovendis familiariùs egerant. Hujusmodi testimonia excipere, discutere, deque iis ad Episcopum referre, munus erat Chorepiscoporum. Sacras Ordinationes conferre, seu ad majores Ordines promovere, solius erat Episcopi. Ministros demum cooptare in Clerum rusticanarum Parœciarum, pertinebat ad Chorepiscopos, consulto priùs Episcopo civitatis, ut docet Collectio Canonum Arabicorum

Ca-

Canone 60. *Non enim licet*, inquit, *ut ullus ministret in Sacello, sive Capella Diœcesis, sine licentia Chorepiscopi. Quandoquidem ipse est caput illorum.* Conqueritur itaque Sanctus Basilius a prisca recessum esse Disciplina, plorimos in unoquoque Pago a solis Presbyteris & Diaconis in Clerum cooptari sine delectu & examine, metu militaris tyrocinii, seu ne militiæ sæculari adscribantur; adscriptos Clero a solis Presbyteris in sortem redigit Laicorum; prohibet denique ne Chorepiscopi aliquem deinceps inferioris gradùs Clericum constituant, antequam ad Episcopum retulerint, qui promovendorum meritis suffragetur: *Ne quem adscribatis in Clerum*, inquit, *antequam ad nos retuleritis; aut sciatis quòd Laicus censebitur qui præter sententiam nostram in Ministerium receptus fuerit.*

Objectio secunda petitur ex Nicolao I. Pontifice Maximo, qui anno 864. consultus, a Rodulpho Archiepiscopo Bituricensi de Presbyterorum & Diaconorum Ordinationibus celebratis a Chorepiscopis io Gallia, istud dedit responsum: *A Chorepiscopis asseris multas esse in regionibus vestrìe Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum effectas, quos quidam Episcoporum deponunt, quidam verò denuo consecrant. Nos verò dicimus, nec innocentes oportere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes, vel iteratas consecrationes. Ad formam enim Septuaginta Chorepiscopi facti sunt, quos quis dubitet Episcoporum habuisse officia? Sed quia sacri Canones vetant ne omnes omnia sibi vendicent, ac per hoc dignitas Episcoporum ad Chorepiscopos suos videatur transferri, fiatque vilior honor Episcopi, decernimus nihil in hoc præter regulas effici.* Ex quibus colligitur non obscurè Chorepiscopos verè Episcopos fuisse: alioqui Presbyterorum Ordinationes ab ipsis factas Nicolaus Primus io irritum misisset.

Respondeo, Nicolaum I. exponendum esse de quibusdam Chorepiscopis, qui consecrati fuerant Episcopi, sicut & Concilium Aotiochenum. Namque de omnibus Chorepiscopis eum non loqui constat ex comparatione quam instituit, dicens: *Ad formam 70. Chorepiscopi facti sunt, quos quis dubitet Episcoporum habuisse officia?* At oemini exploratum non est, omnes Discipulos e Septuaginta Episcopos non fuisse, sed quosdam secundi Ordinis Sacerdotes, quosdam tantùm Diaconos. Igitur Nicolai primi verba intelligenda sunt divisim de quibusdam Chorepiscopis, non collectivè de omnibus.

Respondeo *secundò*, si de omnibus locutus sit, ut locutus reipsa videtur, ejus responsionem esse a Canonibus & a doctrina Veterum, ipsiusque Decessorum alienam; idque unum pro ejus defensione afferri posse, quòd diversis negotiis Ecclesiasticis occupatus, cursim & summatim respondere coactus fuerit, ut ipsemet in illa Epist. 39. tom.3. Concil. Galliæ testatur. Unde Gallicana Ecclesia nullam istius responsionis Nicolai I. rationem habuit, nt constat ex Concilio Metensi, quod anno 880. celebratum est, Can.10. ita statuente: *Ut Basilica in Chorepiscopis consecrata, ab Episcopis consecreatur, roboratum est: quia juxtà Decreta Damasi Papæ, Innocentii, & Leonis, vacuum est & inane, quicquid in summi Sacerdotii Chorepiscopi egerant Ministerio; quòd ipsi iidem sunt qui & Presbyteri, sufficienter invenitur.*

Objectio tertia petitur ex Rabano Mauro, tum Fuldensi Abbate, deinde Archiepiscopo Moguntino, in lib. seu Epistolâ ad Drogonem Metensem Episcopum, *De Chorepiscopis* inscriptâ, quam primùm vulgavit vir eruditus Stephanus Baluzius post librum 4. illustrissimi Archiepiscopi Petri de Marca, *De Concordia Sacerdotii & Imperii*. Quâ in Epistolâ dignitatem Chorepiscoporum suscipit defendendam, & asperioribus verbis eorum Episcoporum superbiam redarguit, qui Presbyterorum & Diaconorum Ordinationes, a Chorepiscopis factas, irritas esse pronuntiaverant: idque invidiæ tribuit, quâ omnem Ecclesiasticum honorem in se trahere studeant, quod procul esse ait ab humilitate quam Christus Discipulos suos docuit, & quam Apostoli exemplo suo commendaverunt. *Linus & Cletus*, inquit, (quos adjutores sancti Petri fuisse dixit, auctore Pseudo-Damaso) *ex præcepto B. Petri Ordinationes Presbyterorum fecerant, cùm tamen post passionem Petri, non illi, sed Clemens in honorem Cathedræ successerit....... Hinc reor quòd usus Chorepiscoporum primùm originem sumpserit, & hactenus in Ecclesiâ Catholica retineatur, ut ipsi Chorepiscopi a propriis Episcopis suis ordinati, juxtà præceptum eorum Diaconos & Presbyteros, ac cæteros gradus ordinent, atque reliqua officia Sacerdotalis officii peragant. Unde miror quomodo isti qui hanc contentionem movent, Ordinem Chorepiscoporum tantùm despiciant, ut penè eis nihil ampliùs dignitate Presbyterorum tribuant, cùm hoc, nec novorum nec antiquorum, nec etiam ipsis Apostolorum dogmatibus consuetudinibusque conveniat, sed in sensu simul ac dogmate dissentiat. Claret enim hoc, quòd in his non ratio & humilitas, sed invidia atque superbia dominentur, ita ut despectis cooperatoribus suis, ipsi soli potentes ac sanctificatione pollentes videri appetant.* Deinde auctoritate Ancyrani Concilii, & Antiocheni probat Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum a Chorepiscopis ex consensu, sive mandato propriorum Episcoporum celebratas, ratas, & licitas esse. Igitur Chorepiscopi vi Ordinationis suæ Episcopi erant.

Respondeo, Nego consequens. Major enim ratio habenda est Responsi a Leone Tertio dati, ad quem Chorepiscoporum causa ab Ecclesia Gallicana & a Carolo Magno delata fuerat: quàm unius Rabani. Gravioris etiam ponderis est frequentissimæ Synodi ex Episcopis Germaniæ & Galliarum Ratisbonæ congregatæ sententia & Decretum, unius Abbatis auctoritate. Cùm itaque & Leo Tertius, & Synodus laudata, irritas esse decreverint Ordinationes a Chorepiscopis factas, & quicquid de Episcopali Ministerio præsumpserant, fatendum est ipsos vi Ordinationis suæ Episcopos non fuisse: Quicquid scripserit, in contrarium Rabanus Maurus, cujus auctoritatem eadem libertate explodimus, qua Leonis III. Responsum & Gallicanæ Syoodi judicium insuper haboit. Conciliorum porrò Ancyrani & Antiocheni Canonibus, quibus ille nititur, jam responsum est. Lini & Cleti exemplum nihil probat, cùm Episcopi a sancto Petro ordinati essent, & sancto Petro immediatè alter post alterum successerint, ut probavimus Dissertatione 14. in Historiam Ecclesiasticam primi Sæculi. Præterea Rabanus apocryphis nititur, scilicet Pontificali Pseudo-Damasi libro, & Epistolâ Clementis ad Jacobum Fratrem Domini. Deoique Rabanus libellum suum subjicit censuræ Drogonis Metensis Episcopi: *In brevi libello*, inquit, *hæc omnia comprehendentes, Sanctitati vestræ dirigere curavimus; petentes ut si dignum ducatis hunc relegere, ea quæ ibi rectè posita sint, vestra auctoritate confirmetis; si quæ autem reprehensione ibi digna videantur, ignorantem vestrâ prudentiâ instruatis.* Dubium autem vix esse potest quin Drogo Metensis Episcopus libellum improbaverit, Gallicanæ Ecclesiæ Sententiæ ac Decretis, Sedis Apostolicæ responso a Synodo frequentissima Gallorum, & Germaoorum Episcoporum recepto, & Regum Capitularibus tam evidenter contrarium.

Objectio quarta: Chorepiscopatus est Ordo sacer, mediumque locum dant Canones Chorepiscopis inter Episcopos & Presbyteros: itaque Chorepiscopi non sunt meri Presbyteri, sed Episcopis minores, Episcopi Pagorum, qui propterea post Episcopos recensentur.

Probatur antecedens ex Canone 12. Concilii Calchedonensis, quo Simoniacæ Ordinationes prohibentur. Hoc in Canone distinctio observatur Ordinum & Officiorum Ecclesiasticorum. Utrorumque turpis nundinatio vetatur, sed Ordinum primò, deinde Officiorum. Sacri Ordines disertè nominantur: *Si quis ordinaverit per pecuniam Episcopum, aut Chorepiscopum, aut Presbyterum, aut Diaconum*, Minores Ordines generatim exprimuntur: *vel quemlibet ex his qui connumerantur in Clero*. Tum nominantur Officia: *Aut promoverit per pecuniam Oeconomum, vel Defensorem, vel Mansionarium, vel quemquam qui est subjectus regulæ*. Igitur Chorepiscopatus non est merum Officium, sed Ordo sacer.

Respondeo, Nego antecedens. Cùm enim Chorepiscopi tribus primis Ecclesiæ Sæculis in Ecclesia non fuerint, & nono Sæculo fuerint prohibiti, Chorepiscopatus dici non potest institutus a Christo, adeòque nec sacris Ordinibus connumerari. Concilium autem Calchedonense Chorepiscopos inter Officia recensere noluit, quorum temporale tantùm erat Ministerium, sed cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, quorum munia spiritalia sunt, seu Ordinis, seu Jurisdictionis; quia etsi eorum Ordo non esset a simplici & secundi Ordinis Sacerdotio distinctus, jurisdictione tamen sibi ab Episcopis demandatâ in Parochias Pagorum, earumque Presbyteros, simplicibus Sacerdotibus superiores erant. Animarum porrò cura, & spiritalis jurisdictio absque nefario crimine, & prorsus simili ei quo sacræ Ordinationes venduntur, pretio dari, & emi non potest; quod quidem crimen Officiorum Oeconomi, aut Defensoris venditione longè est detestabilius. Impositio igitur manuum, qua creabantur Chorepiscopi, novum ipsis non conferebat Ordinem, sed jurisdictionem spiritalem dumtaxat, inferiorem Episcoporum, superiorem Presbyterorum jurisdictione, quæ vendi & emi absque simoniæ labe non poterat.

Quæritur, quando Chorepiscoporum Ordo fuit extinctus?

Respondeo extinctum fuisse in Ecclesia Gallicana, lege lata sæculo 9. Habetur ea lex lib. 6. Capitularium, cap. 119. his concepta verbis: *Placuit ut Chorepiscopi a quibusdam deinceps fiant, Quoniam hactenus a nescientibus sanctorum Patrum, & maximè Apostolicorum Decreta, & qui suis quietibus & delectationibus inhærent, facti sunt. Idcirco & olim persæpe, & nostro tempore a sancta Apostolica Sede sunt prohibiti; & ne deinceps a quoquam tam ordinante, quàm ordinari cupiente, talis præsumptio assumatur, a cunctis Regni nostri Episcopis est in Synodo Canonicè prohibitum*. Ex quibus caussa detegitur cur Chorepiscopi, licèt per Canones & Regum Capitularia prohibiti, adhuc tamen per multos annos perduraverint in Ecclesia Gallicana. Ipsos nimirum fovit Episcoporum in sacris Ministeriis obeundis desidia. Homines scilicet Laici ad Episcopalem dignitatem honoribus & divitiis opimam evecti, onera illi conjuncta ferre dedignabantur, ideòque illa in Chorepiscopos transferebant, dum interim ipsi genio suo liberiùs indulgerent. Hinc Synodus Meldensis animadverti statuit in Episcopum, *Qui propter desidiam, aut sæcularem pervagationem, vel propter infirmitatem, modum suum Chorepiscopis transcendere consenserit*.

Altera causa conservati post tam solemnes prohibitiones Chorepiscopatus, fuit occasio inde arrepta a Magnatibus & Principibus retardandi canonicas Episcoporum electiones. Existimabant enimverò se Ecclesiæ & Officio suo satisfecisse, si Chorepiscopum modicâ mercede conductum Sedi vacanti præfecissent, qui Episcopalia munia obiret, dum interim ipsi redditus Ecclesiasticos sola fruendos Aulicis assignabant. Id colligitur ex Flodoardo lib. 3. Historiæ Ecclesiæ Remensis, cap. 10. ubi cùm præmisisset Leonem IV. interpellatum fuisse ab Hincmaro de Ordinationibus a Chorepiscopis celebratis, præcipuè post obitum alicujus Episcopi, hæc subdit: *In hac verò Epistolâ, de his quos temeritas Chorepiscopalis ordinavit, vel quòd Spiritum sanctum consignando tradere præsumebat, requisivit. Et quòd tertiam Potestas hac materia semper offenderet, ut videlicet Episcopo quolibet defuncto, per Chorepiscopum solis Pontificibus debitum Ministerium perageret, & res ac facultates Ecclesiæ sæcularium usibus expenderentur, sicut & in nostra Ecclesia jam secundò actum fuisset*. Hinc Synodus Meldensis laudato Canone 44. inhibuit Chorepiscopis, *Ne post obitum Episcopi aliquid ex Episcopali Ministerio specialiter Episcopis debito attentarent: quia*, inquiunt, *ex hoc magnum scandalum, & divisionem rerum Ecclesiasticarum, atque dilationem in canonicè ordinandis Episcopis, Dei Ecclesiis accidisse conspeximus*.

His incommodis perspectis & perpensis, Episcopi ad Capitularis executionem summo consensu conspirarunt, a Corepiscopis constituendis abstinentes: unde illorum Ordo penitus extinctus est medio circiter Sæculo decimo. Sollicitudinem verò lustrandi rusticanas Parochias, & corrigendi Presbyteros, quæ Chorepiscopis competebat, in Archidiaconos, & Decanos rurales transfuderunt. Hinc Sigibertus in Chronico, de Damaso II. agens, qui Pontificatum iniit anno Christi 1048. Archidiaconos cum Chorepiscopis confudit, ita scribens: *Damasus Papa decrevit, ne quid contra Episcopos præsumant Archidiaconi, qui dicuntur Chorepiscopi, id est, villarum & regionum Episcopi*.

SCHOLION I.

In hac Quæstione, pag. 179. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant; *Probabile est, ex Privilegio simplices Presbyteros posse Presbyteros & Diaconos ordinare*.

R. Non ita scripsi; Sed, *Non improbabile visum est viris doctis, simplices Sacerdotes ex Summi Pontificis delegatione posse alios ordinare*. Canonistas & Theologos nominavi qui ita senserunt, eorum locos indicavi, quorum verba refert *Joannes Morinus* Exercitatione 4. *De Chorepiscopis*, cap. 3. cujus hic titulus est: *Recensentur multi Auctores antiqui & recentiores, qui docuerunt simplicem Presbyterum delegatione Pontificis posse Presbyteros & Diaconos ordinare...... Istarum sententiarum fundamenta explicantur*. Perperam mihi tribuitur a Religiosis Censoribus, quam refero, aliorum sententia, quam illis probabilem visam esse dixi, qui eam propugnarunt; sed quam probabilem ipse non putavi, quamvis ex ejus suppositione responderim, ut falsam adversariorum illationem ostenderem. Sed ex aliena sententia hanc Responsionem secundam attoli, primam verò Responsionem ex propria. Ex aliena sententia secundam afferens Responsionem ad Objectionem propositam, sanctum *Hieronymum* sum imitatus, qui ex aliorum sæpe opinione in Commentariis suis & Disputationibus loquitur: & in Apologia ad *Pammachium* pro libris adversùs *Jovinianum*, monet plura esse genera dicendi; *Aliud esse γυμναστικῶς*

scri-

scribere, aliud δογματίζειν. In priori vagam esse disputationem, & adversario respondentem, nunc hac, nunc illa proponere: argumentari ut libet, aliud loqui, aliud agere; panem, ut dicitur, ostendere, lapidem tenere. In sequenti autem aperta frons, &, ut ita dicam, ingenuitas necessaria est. Aliud est quærere; aliud definire: in altero pugnandum, in altero docendum est. Probabile mihi non videri, quòd simplices Presbyteri Presbyteros ordinare ex Pontificio Privilegio possint; imò illud falsum & penitus improbabile me censere, constat ex iis quæ Dissertatione superiori respondi ad Objectiones *Blondelli* vigesimam-sextam, vigesimam-septimam, vigesimam-octavam, vigesimam-nonam & trigesimam, a pagina 134. ad paginam 144. Editionis primæ, §. 29. Editionis istius comprehensa. Constat ex Theologia nostra Dogmatica & Morali, lib. 2. Tractatu *De Sacramento Ordinis*, cap. 5. Propositione 11. pag. 480. In hac denique Editione, loco quem Religiosi Censores notant, addidi & rursus inculcavi (quamvis necesse non esset, quia satis intelligi poterat mens mea) sequendam non esse Theologorum & Canonistarum illorum sententiam, qui simplices Presbyteros ex privilegio Summi Pontificis Diaconos, & Presbyteros ordinare posse senserunt, *Utpote quæ Traditioni repugnat*.

SCHOLION II.

In eadem Quæstione *De Chorepiscopis*, pag. 185. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant; *Papa Nicolaus I. erravit in Decreto de Chorepiscopis, inconsideratè illud edidit*.

R. Verbum istud *inconsideratè*, quod sonare videtur injuriam, in Operibus meis non legitur, cùm de Summi Pontificis Decretis loquor; id mihi gratis affingitur. Dixi; quòd *cursim & summatim* respondere coactus fuerit *Nicolaus I.* ob negociorum molem. Sed hæc excusatio ipsius est, non injuria. Id ipsemet testatur initio laudatæ ad *Rodolphum* Archiepiscopum Bituricensem Epistolæ; *Quamvis*, inquit, *solito nunc angustiùs Ecclesiasticis simus occupati Negotiis, & ob id respondere tuis spatiosiùs nequeamus consultibus, tamen sancto tuo satisfacere desiderio cupientes, aliqua ex his inspirante Deo rursim exponere non omittimus*. Religiosos Censores fortè movit, quòd errasse *Nicolaum I.* fateor, si Ordinationes omnes a Chorepiscopis omnibus factas ratas habuerit (quæ hypothetica Responsio est: Conditionem autem nihil in re ponere nemo nescit.) Verùm cùm *Nicolai I.* Decretum omnino contrarium videatur Decretali *Leonis Tertii* ad Gallicanos Episcopos scriptæ, eligant quem potiùs errasse maluerint in hac Quæstione ad meram Disciplinam, non ad Fidem pertinente.

Nota.

Epistola Nicolai I. ad Rodolphum Bituricensem an. 864. data inter suppofititias est adnumeranda cum Cl. Thomassino *p. 1. l. 2. cap. 2.* Observat ibi, Carolo M. imperante, de Presbyteris, Diaconisque a Chorepiscopis ordinatis permagnam efferbuisse quæstionem, eamque summi Pontificis examini expositam. Tam verò Pontifex, quàm Gallicani episcopi Concilii Ratisponensis judicarunt Chorepiscopos nec esse, nec umquam fuisse episcopos, subindeque ordinationes ab eis factas irritas habendas, iterandasque, nulliter Neophytos confirmasse, nulliterque Virgines, Ecclesias, seu Aras consecrasse. Illud etiam Concilium addidit, nullum ex septuaginta Discipulis, quorum locum Chorepiscopi, ac Presbyteri implent, quæ Episcoporum sunt peregisse. Similia habent alia posteriora Concilia, ac inter alia Meldense, celebratum an. 845. c. 44. Quis modò vel somniare poterit sanctum Pontificem Nicolaum, canonum scientissimum, atque ecclesiasticæ traditionis tenacissimum, faciendum dixisse contra id quod sui Prædecessores, & plura Concilia decreverant? Quis dicere audebit attolisse pro se tuendo septuaginta Discipulorum exemplum, quo è contra usum erat Concilium Ratisponense ad removenda a Chorepiscopis omnia ea, quæ propria sunt episcoporum? Si præterea extitisset hæc Nicolai epistola, non ita facilè judicandum nullam illius rationem habituros Patres Concilii Metensis an. 888. celebrati; sed ideo putandum inhæsitanter statuisse *can.* 8. iterum dedicandas ecclesias a Chorepiscopis consecratas, juxta ea, quæ decreverant Damasus, Innocentius, & Leo Summi Pontifices, quia vel Nicolai epistola non extabat, vel supposititia habebatur. Addit Thomassinus vehementer Hincmarum illos Episcopos increpare, qui Chorepiscopos ordinando, ut otio indulgerent, munia ipsis episcopalia demandabant, quod Sedes Apostolica reprobaverat; unde si Pontificum auctoritate Hincmarus suas muniebat querelas, consequens semper est Nicolai epistolam adulterinam habendam.

DISSERTATIO XLV.

ADVERSUS ALTERUM AERIANÆ HÆRESEOS CAPUT

DE PURGATORIO.

Præcipuum *Aërii* errorem, quo Presbyteros Episcopis æquabat, Dissertatione superiori confutavimus: alterum in ista suscipimus refellendum, quo orationes pro defunctis damnabat; quem errorem Apostolici Hæretici, Petrobusiani, Waldenses, Lutherani & Calvinistæ suscitarunt.

QUÆSTIO UNICA.

De Orationibus pro Defunctis.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm Ecclesiæ preces Defunctis Fidelibus prosint? Sive, utrùm sit aliquis Defunctorum status, in quo possint Ecclesiæ orationibus juvari?

Supponendum primò, pro Sanctis visione Dei fruentibus preces non fundi ab Ecclesia, nec jure fundi posse; quibus Deo supplicetur ut eos ab aliquo malo aut pœna liberet; cùm eo sint in statu qui ab omni mali genere, ab omni dolore, aut perturbatione immunis est. Unde cùm in antiquis Liturgiis, vel alibi a SS. Patribus, offerri Deo sacrificium dicitur pro Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus; de sacrificii oblatione intelligendum est, quatenus est Eucharisticum, non quatenus propitiatorium. Notum enim est illud sancti Augustini, Serm. 17. de Verbis Apostoli: *Ideò habet Ecclesiastica Disciplina, quod Fideles noverunt, cùm Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur; pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. Injuria*

est

est enim orare pro Martyre, cujus nos debeamus orationibus commendare. Et illud, in Enchiridio, cap. 110. ubi de sacrificiia, precibua, & eleemosynis, quæ pro Fidelibus Defunctis in Ecclesia offeruntur, loqueos: *Pro valde bonis*, inquit, *gratiarum actiones sunt.*

Supponendum secundò, damnatis nullas posse prodesse orationes, vel sacrificia, nec pro iis ab Ecclesia offerri: cùm nec ullo modo membra Christi sint; & extra spem omnem sint misericordiæ constituti, atque in æternum a beatitudine exules & flammis ultricibus devoti. Unde sanctus Augustinus loco supra laudato, ait, Ecclesiæ suffragia *pro valde malis nulla esse adjamenta mortuorum.* Quærimus igitur utrùm sit medius aliquia statua defunctorum, inter beatitudinem æternam, & æternam damnationem, in quo Ecclesiæ orationibus adjuvari possint; qui Animarum in Purgatorio detentarum status vocatur.

Supponendum tertiò, peccatum omne mortale non esse, cui æterna pœna secundùm justitiæ divinæ leges debeatur; sed leviora quædam esse peccata, & ex natura sua venialia, quæ gratiam & caritatem non extinguunt, ratione quorum dictum est: *Septies cadit justus.* Ob quæ viri etiam justi veraciter dicunt in Oratione Dominica: *Dimitte nobis debita nostra.* Nam *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est* [1. Joann. 1.] *De verbo* certè *otioso quod locuti fuerint homines, rationem reddent in die judicii;* [inquit Christus *Matt.* 12.] Verbum autem otiosum mortale peccatum esse nemo dixerit. Illud præterea peccatorum discrimen evidenter demonstratur ex illis Christi verbis Matth. 5. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo; Raca, reus erit Concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehenna ignis.* Alludit Christus ad triplex tribunal, quod in Republica Judæorum extitit; primum, Triumvirûm, in quo de minoribus causis disceptabatur. Secundum, viginti-trium judicum, qui gravioribus de causis & capitalibus cognoscebant. Tertium LXXII. Judicum, quod magnum Synedrium, seu Concilium vocabatur: in quo de rebus gravissimis, maximèque publicis, ut de pace & bello, de Religione, de falso Propheta, de summo Sacerdote judicium ferebatur. Ut igitur varia peccatorum genera, gradusque varios, necnon & pœnarum ipsis debitarum Christus ostendat, eum qui irascitur fratri suo tam gravi pœnæ obnoxium fore in Dei judicio significat, proportione & analogia quadam, quanta plectebantur in Republica Hebræorum, qui a minori Synedrio XXIII. Judicum, quod Judicium dicebatur, damnati erant. Eum qui dixerit fratri suo Raca, majores pœnas daturum in divino judicio, illis proportione quadam respondentes, quæ damnatis in Synedrio majori, seu Concilio irrogabantur. Eum tandem, qui fratrem suum fatuum vocaverit, gravioribus longè pœnis ac diuturnioribus addicendum, scilicet gehennæ ignis æterni. Lege sanctum Augustinum, lib. 1. *De sermone Domini in monte*, *cap.* 19. Ex his patet, omnia peccata gehennam ignis, seu pœnam æternam non promereri. De his sanctus Augustinus *in Enchiridio*, cap. LXX. *De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis*, inquit, *sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio Fidelium satisfacit. Eorum est enim dicere, Pater noster qui es in cælis, qui jam Patri tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu sancto. Delet omninò hæc oratio minima & quotidiana peccata.* Alterius autem generis peccata, ex genere scilicet suo mortalia, & æternæ pœnæ obnoxia, ibidem descripserat. *Sanè cavendum est* (inquit) *ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda, & eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippe est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat impunè committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.*

Idem constat ex lib. *Quæstionum octoginta trium*, Quæstione 26. *Alia sunt*, inquit, *peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas contraria est virtuti; imperitia contraria est sapientiæ; malitia contraria est bonitati. Quisquis igitur novit quid sit virtus & sapientia Dei, potest existimare quæ sint peccata venialia. Et quisquis novit quid sit bonitas Dei, potest existimare quibus peccatis certa pœna debeatur, & hîc, & in futuro sæculo. Quibus bene tractatis, probabiliter judicari potest, qui non sint cogendi ad Pœnitentiam luctuosam, & lamentabilem, quamvis peccata fateantur: & quibus nulla omninò speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo spiritum contribulatum per Pœnitentiam.*

Supponendum quartò, Deum peccatoribus verè pœnitentibus, quibus reconciliatur, non semper pœnam omnem dimittere, quæ temporaliter luenda est, sed pœnam dumtaxat æternam. cujus debitum cum amicitia Dei stare non potest. Id satis superque probat celebris Scripturæ sacræ locus 11. *Regum* 12. David a Nathane Propheta increpitus ait: *Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* Id constat etiam ex doctrina sancti Augustini Tractatu 124. in Joannem. *Cogitur*, inquit, *homo tolerare etiam remissis peccatis; quamvis, ut in eam veniret miseriam, primum fuerit caussa peccatum. Productior est enim pœna, quàm culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna. Ac per hoc, vel ad demonstrationem debitæ miseriæ; vel ad emendationem labilis vitæ; vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem sempiternam ream non detinet culpa.*

Supponendum 5. nullum dimitti posse ordinaria lege, absque satisfactione peccatum, quoad pœnam omnem ipsi debitam. Exposcunt enim divinæ justitiæ leges, ut peccatum nullum impunitum maneat. Nisi puniatur ab homine in seipsum per pœnitentiam animadvertente, a Deo puniatur necesse est. Misericordia namque divina Justitiæ jura non violat, sed servat. Unde quamvis dimittendo peccatum, æternæ pœnæ debitum expunxerit, non absolvit a debito pœnæ temporaneæ subeundæ, ut Justitiæ fiat satis.

Hinc satisfactionis necessitas & officium. Qua de re sanctus Augustinus Enarratione in Psalmum 50. *Justum invocas*, inquit, *odit peccata. Si justus est, vindicat in peccata: si justus est, utique non poteris auferre a Domino Deo justitiam ejus. Implora misericordiam, sed attende justitiam. Misericordia est ut ignoscat peccanti, justitia est ut puniat peccatum. Quid ergo? Quæris misericordiam? Peccatum impunitum remanebit? Respondeat David, respondeant lapsi, respondeant cum David, ut misericordiam mereantur sicut David, & dicant; Non, Domine, non erit impunitum peccatum meum.... Novi justitiam ejus, cujus quæro misericordiam. Non impunitum erit, sed ideò nolo ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio. Ideò peto ut ignoscas, quia ego agnosco.*

Suponendum sextò, fieri posse, & verò ple-

ram-

tumque fieri, ut Justi cum levioribus peccatis hac ex vita migrent; vel a pœnarum temporalium, quibus, propter peccata jam dimissa, sed nondum congrua satisfactione purgata, & obnoxii tenentur, debito non absoluti. Unde cùm nihil coinquinatum in Regnum Cœlorum introire possit, nulliusque pœnæ reatus cum æterna beatitudine cohærere; necesse est priùs expungi in Justis, sive leviorum peccatorum sordes, sive temporalium debitum pœnarum. Quod si per ipsius mortalis vitæ curriculum factum non sit, fiat oportet post migrationem animæ a corpore. Hinc Purgatorii asserendi necessitas. Unde sanctus Augustinus ait, lib. 1. de Civitate Dei, cap. 24. *Pro Defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesiæ, vel piorum quorumdam exauditur oratio: sed pro his, quorum in Christo regeneratorum nec usque adeò vita malè gesta est, ut tali misericordia judicentur digni non esse; nec usque adeò bene, ut talem misericordiam reperiantur necessariam non habere.*

Supponendum septimò ad Fidem minimè pertinere Quæstiones de loco Purgatorii, utrùm vel in hoc mundo & super terram; vel in aëre caliginoso, ubi Dæmones versantur; vel in Inferno Damnatorum; vel in vicino terram subtus loco, purgentur animæ, quibus eluendum aliquid superest. 2. De qualitate pœnæ sensibilis, quam Animæ in Purgatorio detentæ patiuntur: an sit verus & corporeus ignis, an caligo & mœror; an quispiam alius a Dei Justitia miris, sed veris modis puniente, inflictus cruciatus. 3. De ourgatoriæ pœnæ duratione, quoad singulas animas ipsi addictas. Quamquam enim Dominici Soto, *in 4. Sententiarum Dist. 19. Q. 3. Art. 2.* nullam animam ultra decem annos ad Purgatorii pœnas damnari sentientis opinio, nullos e Theologis sectatores habeat, incertum prorsus est, quot annis illarum pœna definiatur. Solus ille novit, qui delicta intelligit, & punit Deus. Id unum itaque Catholicos inter & Protestantes in controversiam venit, utrùm Purgatorii Dogma Catholicum sit; id est, utrùm Fides doceat aliquem esse Defunctorum statum, in quo pœnis temporaneis expientur, a quibus Ecclesiæ precibus liberari, vel in iis sublevari possint.

PROPOSITIO I.

Purgatoeium, & Preces pro Defunctis, etsi Scriptura sacra loca omnia non invictè probant, quæ a Theologis nostris Polemicis adducuntur: quædam tamen hoc Fidei dogma demonstrant; adeòque illud negare, summa pervicaciæ & impietatis est.

Primus locus quo uti solent Pulemicorum Theologorum plurimi, petitur ex cap. 4. libri Tobiæ. *Panem tuum*, inquit, *& vinum tuum super sepulturam justi constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Sed nihil adversùs Heterodoxos evincit iste locus: non enim præcipit filio Tobias, ut panem suum pauperibus eroget, ut Justis Defunctis eleemosyna illa prosit. Certè mos erat olim in Ecclesia, ut supra Martyrum sepulchra celebrarentur Agapes, vel cibi deferrentur, sacrorum locorum contactu sanctificandi. Nemo tamen inde inferet existimasse Fideles, eleemosynas quæ ex illis cibis in pauperes erogarentur, Martyribus prodesse.

Secundus locus est 1. *Reg. cap. 31.* ubi legimus, habitatores Jabes Galaad, audita morte Saul & filiorum ejus, tulisse eorum cadavera de muro Bethsan, & combussisse in Jabes, & tulisse ossa eorum, & sepeliisse in nemore Jabes, & jejunasse septem diebus. Item 2. *Regum, cap. 1.* ubi David audita Saulis nece, *Apprehendens vestimenta sua, scidit, omnesque viri qui erant cum eo, & planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt usque ad vesperam, super Saul, & super Jonatham filium ejus, &c.* Sed ista loca nihil evincunt. Non enim pro defuncto Saule & filiis ejus hæc suscepta jejunia vel a viris Jabes, vel a Davide, indicat Scriptura, ut a Purgatorio liberarentur, si fortè in eo ad luendas peccatorum pœnas detenti essent; sed ad luctum & dolorem de ipsorum morte his argumentis testandum. Unde David, ejusque aulici dicuntur flevisse super Saulem & Jonatham, & superens jejunasse, *eò quod corruissent gladio.* Certè & scissio vestium, & fletus, & planctus, & jejunium, eodem animo suscepta significantur a Davide. Nemo autem dixerit ipsum vestimenta scidisse, & flevisse ut animas Defunctorum juvaret. Nec verisimile est Davidem, qui Saulem desperabundum, & a Deo derelictum obiisse noverat, existimasse quòd in Purgatorium dumtaxat detrusus esset, indeque suo jejunio liberandus, & in Abrahæ sinum efferendus. Idem de jejunio quod ob mortem Abner suscepisse refertur (*II. Regum cap. 3.*) dicendum est. Constat namque ex Scriptura, Davidem eo tantùm animo jejunasse ut suspicionem cædis Abner a se amoliretur solemni luctûs ob ejus mortem suitestificatione. Scilicet cùm Joab insidiosè Abner occidisset, David audito proditionis ac cædis nuntio, ait: *Mundus ego sum, & regnum meum apud Dominum usque in sempiternum a sanguine Abner filii* Ner. Exinde jussit populo ut scinderet vestimenta, & accingeretur saccis, & plangeret ante exequias Abner; cujus ipse feretrum secutus, super tumulum ejus flevit, laudibus exornavit defunctum. *Et clara adhuc die juravit, dicens: Hæc faciat mihi Deus & hæc addat, si ante occasum Solis gustavero panem, vel aliud quidquam...... & cognovit universus Israël in die illa, quoniam non actum fuisset a Rege ut occideretur Abner filius* Ner. Beda quidem Venerabilis in fine Expositionis allegoricæ in *Samuelem*, jejunium habitatorum Jabes ob Saulis mortem exponens, ait: *Rectè & ad literam pro mortuis, ut ad requiem pervenire valeant, septem diebus jejunatur: quia post sex hujus sæculi ætates, in quibus carne laboramus, septima est in illo sæculo ætas requietionis animarum carne exutarum.* Sed unius Auctoris Ecclesiastici expositio, & quidem allegorica, ut præfert titulus operis, non probat Scripturam sacram eo sensu esse intelligendam, qoo ipse interpretatur.

Tertius locus petitur ex Psalmo 6. & 37. in quibus David misericordiam Dei exorans, ait: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Quibus verbis Inferni, & Purgatorii pœnas significari Sanctus Augustinus & Sanctus Gregorius Magnus innuunt: quòd plus sit in furore arguere, quàm in ira corripere: illudque adeò ad æternam damnationem, istud ad Purgatorii pœnas referatur. *Futurum est* (inquit Sanctus Augustinus) *ut quidam in ira Dei emendentur, & in indignatione arguantur. Et fortè non omnes qui arguuntur, emendabuntur, sed tamen futuri sunt in emendatione quidam salvi. Futurum est quidem, quia emendatio nominata est, sic tamen quasi per ignem. Futuri autem quidam qui arguantur, & non emendabuntur. Nam atique arguet eos quibus dicet: Esurivi, & non dedistis mihi manducare, &c. Hæc iste graviora formidans, excepta vita ista, in cujus malis plangit & gemit, rogat, & dicit: Domine, ne in indignatione tua arguas me. Non sim inter illos quibus dicturus es: Ite in ignem æternum.... Neque in ira tua emendes me, ut in hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non sit opus, propter eos qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem.* Quare,

nisi

nisi quia hic adificuut supra fundamentum ligna, fœnum, stipulam? Ædificarent autem aurum, urgentum, lapides pretiosos, & de utroque igne securi essent: non solùm de illo aterno qui in aternum cruciaturus est impios; sed etiam de illo qui emendabit eos, qui per iguem salvi erunt.

Sanctus verò Gregorius, sive potiùs alter Anctor sub ejus nomine, in primum Psalmum Pœnitentialem hæc habet: *Sicut major est furor quàm ira, ita arguere majus est, quàm corripere. Eos corripimus, quos amantes emendamus. Et quia post mortem eorum alii aternis deputantur suppliciis, alii ad vitam per iguem transeunt Purgationis, fidelis anima non solùm furorem timet, sed etiam iram abhorret, teste B. Augustino*, &c. *Dicat ergo fidelis anima, quid fecit considerans, & quid sit receptura contemplans: Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: ac si apertè dicat: Hoc solùm tota cordis intentione flagito, ne me in illo tremendo examine vel cum reprobis ferias, vel cum purgandis, flammis ultricibus affligas.* Et intelligenda esse ait, quasi dicat: *Scio futurum esse, ut post hujus vita exitum alii flammis expientur Purgatoriis, alii sententiam aterna subeant damnationis; sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione astimo prasenti intolerabiliorem; non solùm in furore aterna damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis purgari. Tu ergo, Domine, cui in spiritu meo servio, quem omnium Salvatorem esse cognosco, ne arguas me in furore damnationis perpetua, neque corripias me in ira expurgantis vindicta.* Verùm quamquam hunc esse loci illius sensum interpretatione sua admodum probabiliter suadeant duo illi Patres: id tamen eorum non demonstrat auctoritas, cùm alii Patres hunc locum non minùs commodè exponant de pœnis quas Deus irrogat hac in vita, quas ne sibi eo modo infligat Deus quo impœnitentibus & reprobis infligit, Rex pœnitens deprecatur, neve pro meritis puniat, sed corripiat ut pater. Quo pacto Jeremias orabat, cap. 10. *Corripe me Domine, verumtamen in judicio, & non in furore tuo.* Ita exponit Theodoretus in Psalmum 6. *Non precatur*, inquit, *ut non reprehendatur, sed ne cum furore reprehendatur: neque petit ut non castigetur, sed ne cum ira hoc patiatur. Paternè me*, inquit, *corripias, non judicis ritu; medici more, non tortoris. Ne metiaris vindictam peccato, sed benignitate justitiam tempera.* Ita & sanctus Ambrosius in Psalmum 37. *Non ergo*, inquit, *penitus sibi peccatum remitti postulat, sed moderata solutione deleri, hoc est, ut in futurum ejus memoria deleatur...... Recognoscit igitur Propheta culpam suam, videt vulnera, curari postulat. Qui sanari vult, argui non reformidat; sed non vult argui in furore, sed in verbo Dei. Verbum Dei sanitas est. Sic enim legimus: Misit verbum suum, & sanavit eos. Non vult erudiri in ira, sed in doctrina: ut si medicum roges ne secet vulnus tuum, sed medicamentum apponat, urget medicamento, sed non secat. Denique est dolor, sed non supra mensuram doloris. Mordet, sed non cruentat.*

Sanctus Bernardus furorem intelligit, quo Deus Angelum arguit in cœlo se extollentem: iram qua hominem corripuit in Paradiso peccantem. Sic enim Sermone 69. in Cantica: *Utinam discam non superbire, sed unctione potiùs, quàm ultione magistra. Domine ne in furore tuo arguas me, sicut Angelum extollentem se in cœlo; neque in ira tua corripias me, sicut hominem in Paradiso. Ambo iniquitatem meditati sunt, altitudinem affectantes, ille potentia, iste scientia.... Verùm utraque altitudo dejecta est, sed in homine mitiùs..... Nam Angelo in furore punito, imò damnato, homo iram tantùm sensit, & non furorem. Nempe cùm iratus fuit, misericordia recordatus est. Propter hoc semen ejus filii ira, non furoris, usque in hodiernum diem. Si furoris filius nasceretur, aut non contigisset, aut non profuisset renasci. Vis videre furoris filium? Si vidisti Satanam tamquam fulgur cadentem de cœlo; quod est in impetu furoris pracipitatum. Denique non est recordatus misericordia sua: quia cùm iratus fuerit, misericordia recordabitur, non cùm jam usque ad furorem exarserit..... Ergo in furore diabolus judicatus est: quia inventa est iniquitas ejus ad odium: Hominis autem ad iram, & ideò in ira corripitur.* Ex his perspicuum est Purgatorium ex laudato Psalmi 37. loco demonstrativè non probari, sed probabiliter tantùm suaderi.

Quintus locus est Psalmi 65. *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Quem de aqua Baptismi, & de igne Purgatorio exponunt Origenes Homilia 25. in Numeros, & sanctus Ambrosius in Psalmum 36. Verùm ea interpretatio coacta est. Meliùs ignis & aquæ nomine tribulationes vitæ præsentis intellexerunt sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 2. contra Julianum, & Oratione 16. in electione Eulalii: & sanctus Cyrillus Alexandrinus in Micheæ cap. 1. Eodem sensu verba Domini intelligenda sunt, Isaiæ 43. dicentis: *Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te, cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Sanctus Augustinus transitum explicat per adversa & prospera, quia ignis adversitatis urit, aqua prosperitatis corrumpit; & vas igne solidatum aquam non timet; si solidatum igne non fuerit, tamquam lutum solvitur: Idcirco in exorcizando adhiberi priùs ignem, Spiritu immundo clamante, Ardeo; postea veniri ad aquam Baptismatis, denique in refrigerium æternæ beatitudinis [*Enarratione in Psalmum 65.*] Sanctus Bernardus tristia & mollia pariter exponens, ait deorsum esse locum, quem sibi totum vendicat ignis absque gutta etiam aquæ; & sursum, quem lætificat fluminis impetus, voluptatis torrens, calix inebrians. In hoc medio boni & mali scientiam contineri, voluptatis & tribulationis experimentum, diem & noctem: beatum esse qui pertransit utrumque, nec voluptati inhærendo, nec in tribulatione deficiendo. [*Serm. de S. Malachia.*]

Quintus locus est Isaiæ 4. *Si abluerit Dominus sordes filiorum & filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii, & spiritu combustionis.* Quem locum de Purgatoriis pœnis sanctus Augustinus videtur exponere, *lib. 20. de Civitate Dei, cap.* 25. Sed bona fide fatendum est, hoc Isaiæ oraculum de Purgatione quorumdam in extremo judicio per ignem, qui ante faciem Christi judicis præcedet, a sancto Augustino intelligi, non de pœnis Purgatoriis, quas justi, quibus eluendum aliquid superest, post mortem subeunt. Nec in illa expositione constans est sanctus Augustinus, qui aliam statim subjungit, quæ sit fortè convenientior. *Nisi fortè* (inquit) *sic eos dicendum est emundari a sordibus, & eliquari quodammodo, cùm ab eis mali per pœnale judicium separantur, ut illorum segregatio atque damnatio purgatio sit istorum, quia sine talium de cætero commixtione victuri sunt.*

Sancti verò Hieronymi interpretatio nequidem indicat Purgatorium; sed Spiritum sanctum intelligit, a quo sordes in Baptismo abluuntur. *Tunc*, inquit, *salvabuntur reliquia de Israël, quando in Baptismate Salvatoris eis fuerint peccata dimissa, & ille sanguis ablutus, quem super se erroris populus imprecatus est: Sanguis ejus super nos, &*

super

super filios nostros ...... Et nota, quòd sordes filiarum Sion laverit Spiritu judicii, sanguinem autem Jerusalem Spiritu combustionis. Quod enim leve est, lavatur: quod gravius, exuritur. De quo judicii Spiritu & Spiritu combustionis Joannes Baptista in Evangelio loquebatur: Ego baptizo vos in aqua: qui autem post me venit, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne. Ex quo discimus, quòd homo tantùm aquam tribuat, Deus autem Spiritum sanctum: quo & sordes abluuntur, & sanguine peccata purgantur.

Sextus locus est Isaiæ 9. *Succensa est quasi ignis impietas, veprem & spinam devorabit: & succendetur in densitate saltûs, & convolvetur superbia fumi.* Quæ verba exponens sanctus Basilius, ignis Purgatorii meminit. *Si per confessionem* (inquit) *detexerimus peccatum, jam succrescens gramen arefecimus, dignum planè quod depascatur ac devoret Purgatorius ignis.* Verùm hæc sancti Basilii expositio mystica est. Literalis hic esse videtur hujus loci sensus: Sicut ignis in silvam immissus primò vepres & spinas corripit, deinde per frutices, arbores, totamque silvam proserpit ac pervadit, ita ut tota densitas saltûs elatione sive altitudine fumi ad cœlum ascendentis convolvatur: ita impietas in Israële primò vepres & spinas, id est, ignobiles corripuit; deinde per arbores & cedros, id est, nobiles & proceres grassata, omnia peccati incendio populata est, ut totum Israëlem convolverit, qui proinde totus divina ultione convolvetur.

Septimus locus est Michææ 7. *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam, cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causám meam judicet, & faciat judicium meum: educet me in lucem, videbo justitiam ejus.* Istius enim loci sensum hunc esse volunt quidam Interpretes: Iram Domini portabo hìc, vel in Purgatorio. Sed longè alius est hujus loci sensus, ex sancto Hieronymo illum exponente. Ibi enim Jerusalem inducitur loquens contra Babylonem & cæteras gentes, quæ sibi insultaverant: *Ne lætemini in ruina mea: quia Domino miserante consurgam: postquam sedero in captivitate, educet me ille de tenebris, & erit lux mea. Iram Domini sustinebo; quia me scio meruisse quod passa sum: donec ulciscar de gentibus, & fiat judicium meum. Novi quippe quòd me sit educturus in lucem, & videbo justitiam ejus, & aspiciet inimica mea Babylon, & cætera gentes in circuitu, & operietur confusione, qua nunc dicit insultans: Ubi est Dominus Deus tuus?*

Octavus locus est Zachariæ 9. *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Quem locum meliùs convenire liberationi animarum ex Purgatorio, quàm ex Limbo, contendit Bellarminus: Primò quia rectiùs vinctæ dicuntur. Secundò, quia in Purgatorio non est aqua consolationis, quæ est in Limbo. Sed futiles sunt hæ rationes. Quidni enim vincti dici possunt, qui in Limbo detinebantur ad usque Passionem Christi quâ cœlum reseratum est: & qui ab ipso captivitate soluti dicuntur? *Ascendens* nempe *in altum captivam duxit captivitatem.*

Quidni verò in Purgatorio dicamus esse aquam consolationis, ubi spes & securitas de beatitudine æterna, & amor Dei inamissibilis patientes Justorum animas consolatur? Sed nec de Limbo, nec de Purgatorio hunc locum exponit sanctus Hieronymus, verùm de inferno damnatorum, cui addicendum erat universum hominum genus, nisi Sanguine Christi ab æternarum debito pœnarum liberatum fuisset. *Tu quoque in sanguine testamenti*, sive pacti tui, *emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua:* Id est, [ut exponit sanctus Hieronymus:] *In sanguine passionis tuæ, eos qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo non est ulla misericordia, tuâ clementiâ liberasti ...... In hoc lacu inferni morabatur dives ille quondam purpuratus, cujus lingua magniloqua pœnarum exarebatur incendiis, & intantum non habebat ulla aquarum refrigeria, ut extremi digiti pauperis tincti in aqua refrigerium postularet. Rursamque ad ipsos qui vincti erant, & Christi misericordiâ liberandi, sermo dirigitur: Convertimini ad munitionem vincti spei. Et est sensus: Qui nunc vincti estis, & immiti atque terribili inferno tenemini, qui solutionem vinculorum in Christi speratis adventu, convertimini ad munitionem: sive, sedebitis in munitione, de qua scriptum est* (Proverb. 10.) *Munimentum sancti timor Domini ...... Hanc autem munitionem ad quam Deus cohortatur vinctos spei, sive vinctos sperantes Ecclesia, non aliam debemus accipere, nisi habitationem Paradisi, in quam primus cum Domino Latro ingressus est: & idcirco per Zachariam provocantur ad munitionem: quia jam tunc ex illo tempore Dominus promittebat, ut pro brevi tribulatione æterna reciperent præmia.* Nomine lacûs in quo non est aqua, vel infernum in quo non est vita, quæ symbolo aquæ significatur; vel idolorum fallaciam, interpretatus sanctus Cyrillus, a quibus Christus Servator eos liberavit, quos charitatis suæ vinculis constrinxerat. Concinit Theodoretus. *Hunc autem lacum*, inquit, *sive de morte æterna, sive de errore idolorum velit quis intelligere, a veritate non aberrabit. Sic enim & per Jeremiam ait universorum Deus: Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Sic autem laboriosum & inutilem cultum Idolorum nuncupavit. Nam miserè laborantes in idolis colendis, nullos ex his fructus ceperunt, sed insuper vitæ jacturam fecerunt. Cùm in hoc lacu vincti essent homines, Christus Dominus eos solvens & educens, ac pretioso sanguine libertatem eis donans, ad viam vitæ illos emisit, cùm eis novum Testamentum dedit.* Hic igitur Zachariæ locus nihil ad Purgatorium pertinet.

Nonus locus est Malachiæ 3. *Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans & emundans argentum & purgabit filios Levi.* At Purgatorium non magis demonstrat hic locus, quàm præcedentes. Illum enim ad purgationem Justorum, qui supremi judicii tempore superstites erunt, qui per ignem, quo mundus conflagrabit, purgabuntur, sanctus Augustinus refert, lib. 20. *De Civit. Dei cap.* 25. Sic interpretatur & S. Hieronymus. *Tunc*, inquit, *vocabit cœlum desuper, & terram, ut dijudicet populum suum: flumina ignis trahent ante eum, peccatores quosque volventia. Ignis autem dicitur Dominus, & ignis consumens: ut lingua nostra, fœnum, stipulamque comburat. Et non solùm ignis, sed & herba fullonum. Ipse his qui peccant graviter, ignis conflans est atque consumens: qui autem levia peccata committunt, herba fullonum, ut lotis munditiam restituat.*

Decimus locus petitur ex libri 2. *Machabæorum*, cap. 12. ubi refertur: *Virum fortissimum Judam, factâ collatione, misisse duodecim millia drachmas argenti Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiosè de resurrectione cogitantem:* sive de immortalitate animæ, cujus fides resurrectionis dogma astruit: *& quia considerabat, quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur:* Id est a peccatorum pœnis, quæ solemni & vulgata sacræ Scripturæ phrasi peccata nuncupantur.

Huius auctoritatem testimonii, quod certè demonstrativum est, eludere conantur Heterodoxi, rejiciendo Libros Machabæorum ex Canone. Sed debile esse istud causæ desperatæ præsidium, & erroneam planè responsionem facilè evincitur. Vetus enim Ecclesia, & heroicorum nominis Christiani temporum, (ut Calviniani vocant) Doctores, utrumque Machabæorum librum sacrum & Canonicum esse senserunt, ejusque verbis ut sacris usi sunt, sive ad fidem confirmandam, sive ad mores instituendos, ut probavi in Historia Ecclesiastica Veteris Testamenti, Ætate sexta, Dissertatione septima, Articulo octavo, ubi etiam Hæreticorum objectionibus adversùs canonicam librorum illorum auctoritatem respondi. Sed quamvis Machabæorum libri canonici non essent, quod absque Hæresi dici non potest; eorum tamen auctoritas, cujus non levius pondus esset quàm Historiæ Josephi, vel Historiarum, quæ Gentium origines, mores & gesta referunt, id saltem conficeret, morem orandi pro defunctis, & offerendi pro ipsis sacrificia, fuisse apud Judæos traditione firmatum; quem morem nec Christus, nec Apostoli, nec ullus virorum Apostolicorum & veterum Patrum ipsis vitio vertit. In eo itaque nihil irreligiosum erat.

His e Testamento Veteri discussis locis, ad Novum pergendum est: in quo primus omnium occurrit hic pro fide Purgatorii locus, & quidem demonstrativè ipsum probans *Matth*, 12. ubi Christus ait: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Supponit ibi Christus evidenter, aliqua in futuro sæculo remitti peccata. Alioqui humano modo non esset locutus, sed ineptè omnino, quod vel cogitare impium est: sicut ineptè quis diceret: Nec in hoc sæculo nubam, neque in futuro: quia in futuro sæculo nuptiæ nullæ sunt. Et si creditori dicat debitor, mille, quos tibi debeo nummos, nec in hoc sæculo, nec in futuro tibi solvam, ineptus, irrisorius, & ab humano loquendi more alienus meritò judicabitur hic sermo: quia debita hominibus in alio sæculo non solvuntur. Si nulla igitur in altera vitâ peccata remitterentur, ineptus esset, & a communi loquendi more alienus hic sermo Christi Domini: Non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. Quædam itaque peccata in futuro sæculo remitti, ex hoc loco compertum est. Porrò non remittuntur damnatis, qui a Christo sunt penitus alieni: & in inferis nulla est redemptio. Non remittuntur Beatis, in quibus nullum omnino peccatum est, nulla macula, vel levissima labes: cum nihil coinquinatum intret in regnum cœlorum. Superest igitur ut remittantur iis qui in medio quodam statu constituti sunt, qui scilicet in Gratia sanctificante, & charitate decessere, sed levibus obnoxii peccatis a quibus purgari debeant; vel peccatorum pœnis, quas luere, antequam Dei beatifica visione donentur.

Hunc Sancti Matthæi locum ita intelligendum esse, magna Ecclesiæ lumina confirmarunt, quos hanc interpretationem in Ecclesia invenisse credere par est. Neque enim contrarium Fidei, pietati, & Ecclesiæ menti sensum, Christi verbis Sanctum Augustinum affinxisse verisimile est. Is autem libro 21. de Civitate Dei, cap. 13. & 14. ex Christi verbis, de quibus agimus, colligit aliqua in futuro sæculo remitti peccata. *Pro defunctis quibusdam*, inquit, *vel ipsius Ecclesiæ, vel quorumdam impiorum exauditur oratio: sed pro his quorum in Christo regeneratorum, nec usque adeò vita in corpore malè gesta est, ut tali misericordia judicentur digni non esse; nec usque adeò bene ut talem misericordiam reperiantur necessariam non habere. . . . . . Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro.* Eadem habet, lib. 6. contra Julianum, cap. 15. Et Sanctus Gregorius Magnus, lib. 4. Dialogorum cap. 39. *De quibusdam levibus culpis*, inquit, *esse ante judicium Purgatorius ignis credendus est; pro eo quòd Veritas dicit: Si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam in futuro posse laxari: quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen, ut prædixi, hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt; aut in non gravibus rebus error ignorantiæ: quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis minimè fuerint relaxata.*

Sanctus Bernardus de sui temporis Hæreticis, qui Apostolicorum nomen sibi arrogabant: *Non credunt autem*, inquit, *ignem Purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam a corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo qui dixit, quoddam peccatum esse, quod neque in hoc sæculo, neque in futuro remittetur, cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio, purgatiove peccati.* Eumdem locum urget contra Petrobusianos Petrus Cluniacensis, Epist. 2. nec alio sensu intellectum ab antiquis hunc locum, Heterodoxi ostendent. Summa itaque impietate & pervicacia ipsum in alienos sensus detorquent.

Alter locus ad probandum Purgatorium proferri solet ex Apostolo 1. ad Corinthios 3. *Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc*, (quod est Christus Jesus) *aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Ædificare aurum, argentum, lapides pretiosos, nihil aliud intelligitur, quàm opera facere charitatis, vel ex motivo charitatis & propter Deum operari. Ædificare autem ligna, fænum, stipulam, est suis operibus vanitatis aliquid ac levitatis admiscere, sive aliqua levia operari, quæ damnationem quidem non mereantur, sed aliqua nihilominus purgatione indigeant. Hinc Sanctus Augustinus in Psalmum 37. ait; *Si ædificarent aurum, argentum, lapides pretiosos, de utroque igne securi essent, non solùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo qui emendabit eos qui per ignem salvi erunt.* Sic etiam hunc locum intelligit Sanctus Gregorius Magnus, lib. 4. Dialogorum, cap. 39.

Verùm etsi probabiliter ex hoc loco Apostoli colligi possit Purgatorium, non tamen demonstrativè contra Hæreticos ostendi. Primò, quia obscurissimus locus est, cujus sensum vix assequi liceat; & *Hæc Apostoli sententia in his deputanda est, quæ Petrus dicit esse in scriptis ejus quædam difficilia intellectu.* De cujus expositione ait Sanctus Augustinus, *Malle se audire intelligentiores atque doctiores.* (Lib. de Fide & Operibus, cap. 16.) Hinc tanta orta est expositionum istius loci varietas. Sanctus Chrysostomus, Theodoretus, alii-

que

que Greci interpretes, aurum, argentum, lapides pretiosos, bona opera interpretantur: lignum verò, fœnum, stipulam, intelligunt mala opera, æterno igne punienda. Eos autem qui hujusmodi opera Fidei Christianę fundamento superędificaverint, salvos fore dicunt quasi per ignem; quia quamvis in ignem æternum mittendi sint, numquam tamen consumentur, sed *igne salientur*, (ut ait Christus) & servabuntur semper recentes ad pœnam. Latini verò Patres, pręsertim SS. Augustinus & Gregorius, aurum, argentum, lapides pretiosos, interpretantur opera bona: ligna, fœnum, & stipulam, inordinatos affectus ad res terreoas, quę tamen Christo minimè præponuntur. Jam verò ignem per quem salvos fore ait Apostolus, qui super Christianę fidei fundamentum, lignum, fœnom, stipulam ædificaverint, quidam ignem tartareum, alii Purgatorium, alii ignem ultimæ conflagrationis intelligunt, quod ante faciem Christi Judicis pręcedet. Cui expositinni favent illa verba: *Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit*. De igne Purgatorio minùs commodè intelligi, nonnulli etiam ex Catholicis Interpretibus inde colligunt, quòd ignis ille uniuscujusque opera probaturus sit, sive eorum qui Christo fundamento superædificant aurum, argentum, lapides pretiosos, id est opera perfectæ caritatis, sive eorum qui lignum, fœnum, stipulam, id est, opera terrenorum affectuum sordibus infuscata superstruunt. Ignis autem Purgatorii non probat eos qui primi tantùm generis opera admiserunt.

Denique tribulationes hujus vitæ nomine ignis commodius intelligi hoc in loco, SS. Augustinus & Gregorius innuunt. Augustinus quidem in Enchiridio, cap.68. *Ligna*, inquit, *& fœnum, & stipulam, non absurdè accipi possunt rerum sæcularium quamvis licitè concessarum tales cupiditates, ut amitti sine animi dolore non possint. Cùm autem iste dolor erit, si Christus in corde fundamenti locum habet, id est, ut ei nihil anteponatur, & malit homo, qui tali dolore utitur, rebus quas ita diligit, magis carere quàm Christo: per ignem fit salvus. Si autem res hujusmodi temporales ac sæculares tempore tentationis maluerit tenere quàm Christum, eum in fundamento non habuit, quia has priore loco habuit, cùm in ædificio prius non sit aliquid fundamento. Ignis enim de quo locutus est eo loco Apostolus talis debet intelligi, ut ambo per eum transeant id est & qui ædificat supra hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos: & qui ædificat lignum fœnum, stipulam. Cùm enim hoc dixisset, adjunxit: Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus permanserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus autem exustum fuerit, damnum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Non ergo unius eorum sed utriusque opus ignis probabit. Est quidem ignis tentatio tribulationis, de quo apertè alio loco scriptum est: Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.* Eccl. 27. *Iste ignis in hac interim vita facit, quod Apostolus dixit: si accedat duobus fidelibus, uni scilicet cogitanti quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, hoc est, ædificanti super Christum fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos: alteri autem cogitanti ea quæ mundi sunt, quomodo placeat uxori, id est ædificanti super idem fundamentum lignum, fœnum, stipulam. Illius enim opus non exuritur, quia non dilexit quorum amissione crucietur. Exuritur autem opus hujus, quoniam sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. Sed quoniam alterutra conditione proposita, eis potiùs carere mallet, quàm Christo, nec timore amittendi talia deserit Christum, quamvis doleat dum amittit, salvus est quidem, sic tamen quasi per ignem, quia urit eum rerum dolor, quas dilexerat, amissarum; sed non subvertit, neque consumit fundamenti stabilitate atque incorruptione munitum. Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est, & utrùm ita sit, quæri potest: & aut inveniri, aut latere, nonnullos Fideles, per ignem quemdam Purgatorium, quantò magis minùsve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardiùs citiùsque salvari: non tamen tales de quibus dictum est: Regnum Dei non possidebunt, nisi convenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur.* Lege eumdem Sanctum Augustinum, lib. *de Fide & Operibus*, cap.15. & 16. & lib. *de Octo Quæstionibus Dulcitii*, *Quæst.*1. & l.21. *De Civitate Dei*, *cap.*26.

S. verò Gregorius *lib.*4. *Dialogorum*, *cap.*39. ubi laudata protulit Apostoli verba, hæc subjungit: *Quamvis hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibito possit intelligi, tamen si quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum solicitè est, quia illum per ignem dixit posse salvari, non qui super hoc fundamentum ferrum, æs vel plumbum ædificat, id est peccata majora, & idcirco duriora atque tunc jam insolubilia, sed lignum, fœnum stipulam, id est, peccata minuta atque levissima, quæ ignis facilè consumat. Hoc tamen sciendum est quia illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vitâ positus, ut illic obtineat, promereatur.* Ex hoc itaque Apostoli loco, etsi probabiliter suaderi, non tamen demonstrari Purgatorium potest.

Tertius locus, quem ex Novo Testamento vulgò proferunt ad probandum Purgatorium, est 1. ad Corinthios 15. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut & quid baptizantur pro illis?* Locutum volunt Apostolum de Baptismo lachrymarum & pœnitentiæ, qui suscipitur, orando, jejunando, eleemosynas faciendo: ut sensus sit: Quid facient, qui orant, jejunant, gemunt, affligunt se pro mortuis, si mortui non resurgent? Hujus expositionis veritatem adstruunt primò, quia baptizari passim in Scriptura & Patribus accipitur pro affligi, ut Marci X. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, & Baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* & Lucæ 12. *Baptismo habeo baptizari.* Secundò quia ipsa pœna Purgatorii a Scriptura & Patribus vocatur Baptisma. Nam quod legimus Matth.3. *Ipse vos baptizavit in Spiritu sancto & igne:* S. Hieronymus exponit, in Spiritu sancto in hac vita, igne verò in futura: sicut ante eum exposuerat S. Basilius, lib. *de Spiritu sancto*, *cap.* 15. & post eos Beda in c.3. Lucæ S. Gregorius Nazian. ignem Purgatorii Baptisma ultimum vocat. Apostolum itaque elegantissimè dixisse concludunt, eos baptizari pro mortuis, qui affligentes se oratione & jejunio, sumunt in se partem illius Baptismi ignei, quo animę baptizantur in Purgatorio. Tertiò quia hęc expositio maximè quadrat cum sequentibus: *Ut quid & nos periclitamur totâ die?* Quasi dicat, Cur quidam se affligunt orando pro mortuis, & ego affligo me prædicando Evangelium, si mortuorum resurrectio non est?

Verùm inane est hunc locum contra Hæreticos ad probandum Purgatorium urgere, de cujus expositione nec inter Patres, nec inter Interpretes recentiores convenit. Tertullianus, lib. *de Resurrect.* *cap.*48. & lib.5. *cont. Marcion.* *cap.*10. alludere censet Apostolum ad eorum superstitionem & errorem, qui pro amicis sine Baptismo defunctis se baptizandos curabant. Quod sanè non fecissent, nisi mortuorum corpora, quibus utilem putabant hujusmodi lotionem, aliquando resurrectura credidissent.

Sanctus Chrysostomus *baptizari pro mortuis* exponit, baptizari pro fide & spe resurrectionis Mortuorum, quam ante Baptismum profitentur Catechumeni, dum Symbolum recitant. S. Chrysostomo Theophylactus, & Oecumenius suffragantur. Alii *pro mortuis* idem esse volunt ac *agentes, seu repræsentantes mortuos*: Quia immersio, & emersio quę fit in Baptismo, sepulturæ, & resurrectionis Christi adumbratio quædam est. Hunc sensum a Theodoreto, Chrysostomo, Primasio, Sedulio probatum, adstruit quantùm potest, Cajetanus noster.

Sanctus Epiphanius eos pro mortuis baptizari interpretatur, qui cùm nullam spem hujus vitæ reliquam habeant, Baptismum tamen petunt & suscipiunt: reipsa declarantes se tantùm baptizari pro mortuis, sive pro statu mortuorum, id est, ad hoc ut Baptismus iis prosit eo tempore quo præsenti vita defuncti erunt: qui est status hominis post mortem. Tales erant, qui infirmi ac moribundi Baptismum conferri sibi volebant: qui quòd in lecto decumbentes baptizarentur, Clinici dicebantur. Sensus igitur istius loci est: Si omnino non est mortuorum resurrectio, quem fructum reportabunt, qui baptizantur jamjam morituri, & per hoc se baptizari propter statum post hanc vitam futurum profitentur? Hanc expositionem cæteris anteponit doctissimus Estius.

Denique priorem illam, quam Bellarminus, & alii qui ipsum κατὰ πόδας sequuntur, propugnant, Estius, aliique viri eruditi rejiciunt ut minus probabilem: Primum quòd illa Baptismi significatio valde figurata sit ac rara; nec ab alio quàm a Christo Domino usurpata. Quod enim ad verba Præcursoris attinet, loquentis de Baptismo ignis (*Matth.* 3.) Melius ea referuntur ad illapsum Spiritus sancti in Apostolos die sacro Pentecostes, ut probat Jansenius in Concordia Evangelica, c. 13. Nam & Christus illuc refert S. Joannis Baptistæ verba (Actuum 1. *Et convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum: quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies*: Secundò rejiciendus Estio aliisque viris eruditis videtur hic commentarius; quia Baptismus iis duobus Evangelii locis qui a Bellarmino laudantur, non quamlibet afflictionem seu passionem significat, sed vehementem, eamque forinsecus illatam, aut irruentem, ut sunt in Scripturis undæ persecutionum & tribulationum, quibus qui merguntur & obruuntur, baptizari videntur. Hoc autem ad afflictiones sponte susceptas, ut sunt orationes, eleemosynæ, & jejunia, quæ pro mortuis adjuvandis suscipiuntur, accommodari non potest. Quas si Paulus omnino significare voluisset, non dixisset, *qui baptizantur*, tamquam ab aliis; sed qui seipsos *baptizant pro mortuis*: quo modo in Scriptura sacra seipsos, aut animas suas affligere dicuntur, qui spontanea sibi jejunia imponunt (ut *Levitici* 16. & 23.)

Quintum locum ad probandum Purgatorium petunt ex Sancti Matthæi, cap. 5. & S. Lucæ, cap. 12. ubi Christus ait; *Esto consentiens adversario tuo citò dum es in via cum eo: ne fortè tradat te adversarius judici & judex tradat te ministro & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*. Carceris nomine Purgatorium intelligi volunt; quadrantis, minimam culpam; quam donec expiaverint ii qui statu gratiæ & caritatis defuncti sunt, e Purgatorio non evadent. Hanc interpretationem; quibusdam Patrum testimoniis quorum vix ullum disertum & perspicuum est, adstruit Bellarminus. At neque hic locus Purgatorium demonstrat. Verus enim ejus sensus longè alius est ab eo quem Bellarminus tradit. Adversarius noster vel divina lex quæ nos apud Deum accusat (ut sanctus Augustinus exponit) vel homo qui habet aliquid adversùm nos, quem læsimus, quem stultum appellavimus, qui actionem apud Deum contra nos habet ut SS. Hilarius, Ambrosius, Hieronymus exponunt.] Via est hujus vitæ tempus, judex Christus; minister dæmon, qui in torquendis damnatis Deo ministerium præbet; carcer infernus; quadrans minima culpa. Erat enim quadrans minimus nummus. Itaque ad ultimum quadrantem solvere pro summo jure puniri, proverbio, dicebatur. Quod autem ait, nos eo ex carcere non exituros, donec ultimum quadrantem persolvamus, non significat inde nos exituros postea; sed numquam exituros quia cum pœnas infinitas pro quolibet mortali peccato debeant damnati, numquam eas persolvunt. Itaque eodem sensu dictio illa, *donec*, hoc loco accipienda est, quo usurpatur *Matth.* 1. ubi dicitur: *Non cognovit eam donec peperit filium suum*. Ex quo non sequitur, quòd Mariam Joseph post partum cognoverit. Et *Psalm.* 109. ubi dictum est: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Et 1. ad Corinthios 15. *Oportet enim illum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus suis*. Quemadmodum ergo ibi intelligitur Christum semper regnaturum, quoniam inimici ejus semper sub pedibus ejus erunt: ita in eo quem tractamus loco accipiendum est, *Non exies inde donec solvas novissimum quadrantem*: Quod nusquam ex inferni carcere exituri sint, de quibus hoc dictum est: quia semper solvent novissimum quadrantem, dum sempiternas luent pœnas peccatorum. Ita exponit S. Augustinus, lib. 1. *de Sermone Domini in Monte cap.* 11.

Sextus, quem ad probandum Purgatorium adducunt, locus est Matthæi 5. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit Concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis*. Quòd hìc agatur de pœna infligenda in foro Dei, luce meridiana clarius esse volunt, ex illisque verbis probant: *Reus erit Gehennæ ignis*. Addunt, sanctum Augustinum hæc tria de pœnis animarum post hanc vitam exponere. Tertiò, advertunt hìc tria distingui peccatorum genera & pœnarum, & damnationem æternam tertio tantùm generi, id est, criminibus infligi: aliis autem, utpote levioribus peccatis, pœnas leviores, ac proinde temporales. Et hinc consequens esse volunt, animas aliquas post hanc vitam plecti temporalibus pœnis.

Verùm etsi de pœnis in Dei judicio infligendis hìc agatur & quidem post hanc vitam, non tamen pœnas Purgatorias demonstrat hic locus, sed solùm inæqualia esse supplicia, sicut inæqualia sunt peccata. Certè reum esse judicio, qui primus in illa enumeratione gradus est, ad Purgatorium non refertur: alioquin homicidæ Purgatorii solùm pœnis damnandi essent, de quibus ibidem dictum est: *Qui occiderit, reus erit judicio*.

At quandoquidem sanctus Augustinus appellatur, ejus interpretatio proferenda est, ex qua hos pœnarum duos priores gradus ad Purgatorium disertè non referri constabit. *Vide nunc*, inquit, *etiam tres reatus, Judicii, Concilii, & Gehennæ ignis. Nam in Judicio adhuc defensioni datur locus. In Concilio autem, quamquam & judicium esse solent, tamen quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad Concilium pertinere sententiæ prolatio: quando non jam cum ipso reo agitur utrùm damnandus sit, sed inter se, qui judicant, conferunt quo supplicio damnari oporteat, quem constat esse damnandum. Gehennæ verò ignis*

nec

nec damnationem habet dubiam, sicut Judicium; nec damnati pœnam, sicut Concilium: in Gehenna quippe ignis certa est & damnatio, & pœna damnati. Videntur ergo aliqui gradus in peccatis & in reatu, sed quibus modis invisibiliter exhibeantur pœnæ meritis animarum, quis potest dicere? Audiendum est itaque quantum intersit inter justitiam Pharisæorum, & justitiam majorem, quæ in regnum cœlorum introducit. Quod cùm sit gravius occidere, quàm verbo irrogare convicium, ibi occisio reum facit judicio, hîc autem ira facit reum judicio, quod trium illorum peccatorum levissimum est: quia illic Quæstionem homicidii inter homines agitabant: hîc autem omnia divino judicio dimittuntur, ubi finis damnatorum est gehenna. Quisquis autem dixerit, quòd graviore supplicio in majore justitia puniatur homicidium, sicut Gehenna ignis punitur convicium, cogit intelligi esse differentias gehennarum.

Septimus locus quo Purgatorium probant, est Lucæ 16. ubi Christus ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Per (*deficere*) inquit Bellarminus, intelligunt omnes, *mori*, per (*amicos*) intelligunt *Sanctos*, qui cum Christo regnant. Ex quibus sequitur, homines post mortem juvari precibus Sanctorum. Sanctum Augustinum hujus explicationis vadem spondent, qui lib. 21. *de Civitate Dei cap.* 27. ex hoc loco Purgatorium demonstret dicens quosdam esse Sanctos, qui rectà ad cœlum evolant post mortem, & qui non solùm ipsi salvantur, sed etiam alios juvare possunt: rursum quosdam alios tam malos qui nec seipsos juvare possunt, nec ab aliis juvari, sed ad pœnas æternas sine remedio descendunt. Denique esse quosdam medios, qui ita moriuntur, ut nec digni sint morte æterna, nec tamen sufficiant eis propria merita ad salutem, nimirum statim recipiendam: & isti sunt, qui recipiuntur in æterna tabernacula precibus amicorum.

Sed nec iste locus Purgatorium invictè probat. Nam falsum in primis est, quod ait Bellarminus, *deficere*, apud omnes idem esse ac mori. Ita quidem Theopylactus & Euthymius interpretantur: sed sensum hujus loci non attigisse videntur viris eruditis. Isto quippe modo omnes & boni, & mali, justi & injusti deficient, quia omnes sunt omnino morituri: cùm satis appareat ex villici comparatione proximè ab Evangelista allata, non omnes, sed qui villicationis officio malè functi fuerint, esse defecturos. Sed ut Bellarmino alium ex eadem, e qua assumptus est, Societate eruditum Interpretem opponam; Maldonatus (*deficere*) interpretatur, aliis bonis operibus destitui, & a Deo, sed in hac tantùm vita condemnari, removerique a villicatione (ut ille dixit) id est, privari divina gratia, excludi a divino consortio, fugari a Deo, ut apud sanctum Irenæum vertitur, *lib.* 4. *cap.* 49. Quod cùm nobis accidit, optimum remedium est eleemosyna, ut in gratiam cum Deo redeamus. Eodem enim modo hæc sententia intelligenda est, quo illa superior, cap. 11. *Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Quod verò sanctum Augustinum spectat, non ea dicit loco laudato, quæ vult Bellarminus ut dicat: nec eos qui vitam non adeò profligatam ducunt, ut eis nihil prosit eleemosyna ad misericordiam impetrandam, juvari ait post mortem precibus Sanctorum, quos in hac vita pauperes aluerunt, ut a Purgatorio liberentur: sed in hoc mundo, ne post mortem in infernum mittantur. *Est itaque*, (inquit) *quidam vitæ modus, nec tam malus, ut his qui eum vivunt nihil prosit ad capessendum regnum cœlorum largitas eleemosynarum, quibus etiam Justorum sustentatur inopia, & fiunt amici qui in tabernacula æterna suscipiant; nec tam bonus, ut ad tantam beatitudinem adipiscendam eis ipsa sufficiat, nisi eorum meritis quos amicos fecerint, misericordiam consequuntur...... Sed quis iste sit modus, & quæ sint ista peccata, quæ ita impediant perventionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosissimum definire. Ego certè usque ad hoc tempus, cùm inde satagerem ad eorum indaginem pervenire, non potui. Et fortassis propterea lateat, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat. Quoniam si scirentur, quæ vel qualia sint delicta, pro quibus etiam permanentibus, nec profectu vitæ melioris absumptis intercessio sit inquirenda & speranda Justorum, eis, securus se obvolveret humana segnities, nec evolvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret, sed tantummodo quæreret aliorum meritis liberari, quos amicos sibi de mammona iniquitatis eleemosynarum largitione fecisset. Nunc verò dum venialis iniquitatis, etiamsi perseveret, ignoratur modus, profectò & studium in meliora proficiendi orationi instando vigilantiùs adhibetur, & faciendi de Mammona iniquitatis Sanctos amicos cura non spernitur. Verum ista liberatio quæ fit, sive suis quibusque orationibus, sive intercedentibus Sanctis, id agit ut in ignem quisque non mittatur æternum: non ut, cùm fuerit missus post quantumcumque tempus inde eruatur.*

Octavus locus, Lucæ 23. *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Numquam (inquit Bellarminus) hoc diceret bonus ille Vir a Spiritu sancto edoctus, nisi crederet post hanc vitam posse remitti peccata, & auxilio animas indigere, & juvari posse. Addit, Sanctum Augustinum, lib. 6. *Contra Julianum*, *cap.* 15. hinc probare aliqua peccata remitti post mortem.

Verùm non convincit iste locus. Bonus enim Latro Christo supplicat ut ipsum admittat in regni consortium, non ut ipsi peccata, vel peccatorum pœnas post mortem dimittat. Id quidem ex ejus verbis probabiliter colligit, at non demonstrat Sanctus Augustinus: & hæc verba ad hoc solùm urget, ut ostendat nulla in regno cœlorum peccata dimitti, aliqua verò condonari in judicio novissimo. Qua tamen de re, ob profunditatem Quæstionis, nolle se præcipitare sententiam profitetur. *Et peccata quidem*, inquit, *nulla remittuntur in regno: sed si nulla remitterentur in judicio illo novissimo, puto quòd Dominus non dixisset de quodam peccato: Non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro: quando sibi remitti sperabat Latro ille qui dicebat: Memento mei, cùm veneris in regnum tuum. De qua re, quoniam profundissima quæstio est, non est modò præcipitanda sententia.*

Ultimus locus quo Purgatorium probant, est *Actorum* 2. ubi de Christo dicitur: *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxtà quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Hunc locum ita intelligi a sancto Augustino, *Epistolâ* 99. *ad Evodium*, & lib. 12. *in Genesim*, *cap.* 33. Bellarminus notat, ut sensus sit, Christum, cùm descendit ad inferos, multos liberasse a cruciatibus inferni: quod cùm intelligi non possit de damnatis, intelligendum infert de iis qui purgabantur. Id ex ipsis Scripturæ verbis addit confirmari. Nam, inquit, illud, *solutis doloribus inferni*, non potest intelligi de doloribus ipsius Christi, cùm in Cruce finiti sint: Nec de doloribus damnatorum, qui sunt æterni; nec de Patrum in Limbo detentorum doloribus, qui nulli erant: superest igitur ut de doloribus animarum Purgatorii hoc loco agatur.

Ve-

Verùm neque demonstratur ex hoc loco Purgatorium. Primò quia in textu Græco habetur *τοῦ θανάτου, solutis doloribus mortis*. Secundò, quia hæc verba, solutis doloribus inferni, ad Christum referenda videntur, ut ex sequentibus verbis constat: *Juxtà quod impossibile erat teneri illum ab eo*. Sicut ergo aliquis evadere solutis vinculis dici potest, non tantùm quia priùs ligatus rumpit vincula, sed etiam quia impedit ne iis vinculis teneatur: sic Christus dici potest solutis doloribus inferni suscitatus: quia licèt eum in locum descenderit, ubi alii vincti tenebantur, iisdem tamen vinculis teneri potuit. Tertiò, etsi de aliis a Christo, & de animabus tunc Purgatorio addictis intelligi possent: non tamen ita certum est hunc esse istius loci sensum, ut ex eo demonstrari Purgatorium possit.

PROPOSITIO II.

Purgatorium esse, in quo expientur Justorum animæ, quibus post mortem eluendum aliquid superest: & Ecclesiæ preces ipsis illo in statu prodesse, ex Traditione ab Apostolis ad nos derivatâ demonstratur.

Probatur primò ex sancto Dionysio, lib. de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 7. *Accedens*, inquit, *venerandus Antistes precem sacram super mortuum peragit; precatur divinam Clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in luce statuat & regione vivorum.*

Probatur secundò ex Actis Sanctarum Perpetuæ & Felicitatis, de quorum veritate ac fide, post tot ac tanta Veterum ipsa laudantium testimonia, præsertim sancti Augustini in multis Sermonibus, & lib. 1. *de Anima & ejus Origine*, *cap.* 10. *lib.* 3. *cap.* 9. & *lib.* 4. *cap.* 18. nulla superest Protestantibus exceptio. Martyr Perpetua divinis visionibus dignata, quid sibi cælitus de statu Dinocratis fratris sui fuerit revelatum, ipsa narrat: *Post dies paucos*, inquit, *dum universi oramus, subitò mediâ oratione profecta est mihi vox, & nominavi Dinocratem: & obstupui, quòd nunquam mihi in mentem venisset, nisi tunc: & dolui commemorata casus ejus. Et cognovi me statim dignam esse, & pro eo petere debere. Et cæpi de ipso orationem facere multùm, & ingemiscere ad Dominum. Continuò ipsâ nocte ostensum est mihi hoc: Video Dinocratem exeuntem de loco tenebroso, ubi & complura erant loca tenebrosa; æstuantem valde & sitientem, sordido vultu, & colore pallido; & vulnus in facie ejus, quod cùm moreretur habuit. Hic Dinocrates fuerat frater meus carnalis, annorum septem; qui per infirmitatem facie cancerata malè obiit, ita ut mors ejus odio fuerit omnibus hominibus. Pro hoc ego orationem feceram: & inter me & illum grande erat diadema:* sive zona. (An potiùs legendum, diastema? magnum chaos) *Ita ut uterque ad invicem accedere non possemus. Erat deinde, ubi Dinocrates erat piscina plena aquâ altiorem marginem habens, quàm erat statura pueri, & extendebat se Dinocrates quasi bibiturus. Ego dolebam, quòd & piscina illa aquam habebat, & tamen propter altitudinem marginis bibiturus non esset. Et experrecta sum, & cognovi fratrem meum laborare. Sed fidebam me profuturam labori ejus. Et orabam pro eo, quousque transivimus in carcerem Castrensem: munere enim Castrensi eramus pugnaturi. Natale tunc erat Getæ Cæsaris. Et feci pro illo orationem die & nocte, & lachrymans ut mihi donaretur.*

Die quo in nervo mansimus, ostensum est mihi hoc: Video locum illum, quem retrò videram, & Dinocratem, mundo corpore, bene vestitum, refrigerantem; & ubi erat vulnus, video cicatricem, & piscinam illam quam retrò videram, submisso margine usque ad umbilicum pueri: & aquam de ea trahebat sine cessatione. Et super margine phiala aurea, plena aquâ. Et accessit Dinocrates, & de ea bibere cæpit: quæ phiala non deficiebat. Et satiatus abscessit de aqua, ludere more infantium gaudens. Et experrecta sum. Tunc intellexi translatum eum esse de pœna. Dinocrates baptizatus erat, ut sanctus Augustinus notat lib. 1. *de Anima & ejus Origine*, cap. 10. & licèt septennis tantùm, peccare poterat. Ejus nempe ætatis pueri & mentiri, & verum loqui, & confiteri, & negare jam possunt. Itaque Dinocrates, vel quòd ab impio Patre tentatus, in fide leviter titubasset, aut aliquod aliud admisisset peccatum, pœnis addictus erat. Id sanctissima ejus soror Perpetua, Deo revelante, intellexit, preces pro eo fudit, obtinuit ejus liberationem & refrigerium. Visio quidem hæc fuit, sed divina, & Martyris: & ex ea colligitur fidem Purgatorii Christianorum omnium propriam fuisse. Numquid enim eos, qui Purgatorium non credunt, similes visiones compellerent ad preces fundendas pro defunctis?

III. Probatur ex Tertulliano, lib. *de Corona*, cap. 3. *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus......* Et cap. 4. *Harum & aliarum hujusmodi disciplinarum* (quas inter, oblationes pro defunctis enumeraverat) *si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix.*

Et lib. *de Monogamia*, *cap.* 10. de officio Viduæ fidelis erga maritum, ita scribit: *Enimverò & pro anima ejus orat, & in refrigerium interim adpostulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus.*

„ *Et libro* De Exhortatione castitatis, *cap.* 11. „ Duplex enim rubor est; quia in secundo matrimonio duæ uxores circumstant eumdem maritum; una spiritu, alia in carne; neque enim pristinam poteris odisse, cui etiam religiosiorem reservas affectionem, ut jam receptæ apud Dominum, pro cujus spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis. Stabis ergo ad Dominum cum tot uxoribus quot in oratione commemoras? & offeres pro duabus? & commendabis illas duas per Sacerdotem de monogamia ordinatum, aut etiam de virginitate sancitum, circumdatum virginibus ac univiris? & ascendet sacrificium tuum libera fronte?

IV. Probatur ex S. Cypriano, „ Epist. 66. ad „ Clerum & plebem Furnitanam *datâ*: Episcopi, *inquit*, antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter providentes, censuerunt ne quis frater excedens, ad tutelam, vel curam Clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit avocare. Et ideò Victor, cùm contra formam nuper in Concilio a Sacerdotibus datam, Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quòd pro dormitione ejus apud nos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur.

Et Epistolâ 52. „ Aliud est, *inquit*, ad veniam „ stare, aliud ad gloriam pervenire; aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem; aliud statim virtutis & fidei ardore mercedem accipere: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum, emundari & purgari diu igne: aliud peccata omnia passione purgasse: aliud denique pendere in diem judicii ad sententiam Domini, aliud statim a Domino coronari.

Idem

Idem Fidei dogma confirmatur ex Origene Homilia 28. In Numeros, ,, Sunt, *inquit*, aliqua peccata, quæ si proposito ac voluntate committimus, homicidas nos faciunt: & sunt alia, quæ si ignoranter admittimus, decernitur nobis, credo, & præparatur ex præcepto Dei locus aliquis, ubi ad certum tempus habitare debeamus, si qui non voluntaria peccata commisimus; si tamen mundi inveniamur, & alieni ab iis peccatis, quæ voluntate commissa sunt. *Et lib.V.* Contra Celsum, *p.241. & 242.* Lustratorium ignem agnoscit non solùm mundi, sed ,, singulorum etiam hominum, quotquot opus habent ignis hujus vel pœnâ vel remedio, urentis & non exurentis eos, qui non habent materiam cui ab illo igne consumi opus sit; urentis item & exurentis eos, qui in actionum, sermonum, cogitationumque figuratè dicto ædificio ligna, fœnumque ædificarunt & stipulam, ... Itaque hæc doctrina solos immunes ab incendio fore pollicetur, qui incorruptas opiniones, mores puros, mentem denique egregiè puram conservarint; reliquis autem horum dissimilibus, qui ignis castigatione pro meritis dispensanda opus habent, ad certum tempus inferendum est, quod in eos Deo convenit inferre, qui ad imaginem divinæ naturæ facti, contempta Dei voluntate, non studuerunt ut vita responderet eidem imagini.

V. Probatur ex Arnobio, libro 4. *adversùs Gentes*, pag. ultimâ; ubi de Christianorum conventibus loquens, quos Ethnici magna crudelitate impediebant, loca etiam diruentes in quibus Synaxes agere erant soliti; hæc habet: *Cur immaniter conventicula dirui*, (meruerunt) *in quibus summus oratur Deus, pax cunctis, & venia postulatur, Magistratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum vinctione?* Ex quibus verbis patet, Ecclesiam veterem a Deo pacem & veniam rogasse pro Defunctis, Quod non præstitisset, nisi quemdam statum animarum post mortem credidisset, in quo veniam & pacem obtinere possint. Veniam autem & pacem obtinere damnati non possunt, quorum æternæ cum Deo erunt inimicitiæ, & æterna pœna. Veniam & pacem adprecari Beatis, irreligiosum & ineptum esset, qui nullius peccati rei sunt, ideòque veniâ non indigent, & qui summa & æterna pace fruuntur. Itaque medium beatitudinem inter & æternam damnationem statum vetus credidit Ecclesia, in quo animæ veniâ indigeant & pace, ob levia quædam delicta, quibus inquinatæ a corpore migraverunt: & veniam ac pacem obtinere possint, quia Deo gratæ sunt, ipsique per gratiam sanctificantem & charitatem conjunctæ. Hunc autem statum congruè Purgatorium vocamus; quia hujusmodi animæ a cupiditatum terrenarum, & leviorum delictorum maculis, quibus infuscatæ hinc migrarunt, pœnis aliquibus purgantur, ut Dei visione dignæ fiant.

VI, Probatur ex S. Cyrillo Hierosolymitano, Catechesi Mystagogica V. ,, Deinde, *inquit*, pro defunctis sanctis Patribus & Episcopis, Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vitâ functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, Sacrificii. Quod exemplo vobis demonstrare volumus. Scio enim multos dicere: Quid juvat animam, sive cum peccatis, sive absque peccatis ex hoc mundo decedentem, etiamsi in hoc Sacrificio mentio illius fiat? An enim, si Rex aliquis eos a quibus offensus est, in exilium pepulerit, postea verò illorum propinqui coronam aliquam conficientes, pro his qui sunt in supplicio exulibus eidem offerrent, nonne condonationem aliquam suppliciorum ipsis dederit? Ad eumdem modum & nos pro defunctis precationes adhibentes, quamvis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis, & illis, eum qui est benignissimus, propitium reddamus,

VII. Probatur ex sancto Gregorio Nysseno in Oratione de Mortuis, quos ait vel ,, In præsenti vita sapientiæ studio & precibus purgatos; vel post obitum, per expurgantis ignis fornacem expiatos, ad sempiternam felicitatem pervenire. Et Oratione de Infantibus qui prematurè abripiuntur, de anima Infantis, qui hunc vitæ exitum habuerit, scribens, ait; ,, An illa quoque anima judicem videbit? Tribunali cum aliis sistetur? Accipiet pro merito retributionem & compensationem, vel igne purgata, juxtà Evangelii verba, vel in rore benedictionis refrigerata atque refocillata.

VIII. Probatur ex sancto Basilio Magno, in cap. 9. Isaiæ. *Si per Confessionem*, inquit, *detexerimus peccatum, jam succrescens gramen arefecimus, dignum planè quod depascatur ac devoret purgatorius ignis*, Ubi peccatum quod per Confessionem, deletum non est, humido fœno comparat, quod per ignem facilè non consumitur: peccatum autem quod per Confessionem deletum est, comparat fœno sicco, quod consumitur statim ab igne; ac proinde peccatum Confessione non deletum æterno igne comburitur; deletum autem consumitur igne temporali Purgatorio; ita ut salutem peccatoris non impediat,

IX. Probatur ex sancto Gregorio Nazianzeno *Orat.39. in Sancta Lumina*, ubi tres purgationes numerat: primam per Baptismum, alteram per Pœnitentiam, tertiam per ignem, Duæ priores sunt in hac vita, tertia post obitum. Ignis hic æternus non est: æternus siquidem non purgat, sed perdit & delet. Ergo illi sermo est de Purgatorio igne, qui pœnitentia ipsâ & lachrymis est difficilior & molestior. *In altero ævo*, inquit, *igni fortasse baptizabuntur: qui postremus est Baptismus, non solùm acerbior, sed & diuturnior, qui crassam materiam instar fœni depascitur, vitiique omnis levitatem absumit*. Et Orat. 10. in funere Cæsarii fratris. *Nostrus*, inquit, *& eorum, qui tamquam in communi via, paratiores, ad Hospitium priùs pervenerunt, animas, ipsi* (Deo) *commendantes ...... O omnium Domine, & effector, ac præcipuè hujus figmenti! ...... Nunc quidem Cæsarium discessûs nostri primitias, quæso, suscipe.*

X. Probatur ex Eusebio, lib. 4. *de Vita Constantini Imperatoris*, *cap.71.* ubi de ipsius funere agit, *At beatus quidem Princeps*, inquit, *alto in suggestu jacens, laudibus tum celebrabatur. Innumerabilis autem populus unà cum Sacerdotibus Dei, non sine gemitu ac lachrymis, pro Imperatoris animâ preces offerebant Deo; gratissimum pro Principi officium exhibentes*,

XI. Probatur ex sancto Epiphanio *Hæresi 75.* quæ est Aërianorum. *Cæterùm*, inquit, *quæ pro mortuis concipiuntur preces, iis utiles sunt, tametsi non omnes culpas extinguant .... Nam & justorum, & peccatorum mentionem facimus: peccatorum quidem, ut iis a Domino misericordiam imploremus*, &c. Et infra: *Necessariò facere illud Ecclesiam dico; quæ traditum sibi ritum illum a majoribus acceperit. Potest verò quisquam maternum sanctionem, aut legem Patris evertere?* &c. Et in *Expositione Catholica Fidei*, Num. 23. *Jam verò quod ad mortuos spectat, nominatim de illis mentio fit, & preces ac Sacrificia, Mysteriaque frequentantur.*

XII.

XII. Probatur ex Sancto Joanne Chrysostomo, Homilia 41. in Epistolam 1. ad Corinthios. *Si peccator excessit* (inquit) *propterea etiam lætari oportet, quòd intercissa sint peccata, & vitio non adjecit, & quoad fieri potest, ei succurrere, non lachrymis, sed precibus, & supplicationibus, & eleemosynis, & oblationibus. Non sunt enim hæc temere excogitata, neque frustra eorum, qui excesserunt, in divinis Mysteriis meminimus, & pro ipsis accedimus, rogantes Agnum propositum, qui mundi peccatum tulit: sed ut eis inde aliqua sit consolatio. Neque abs re is qui adstat altari, dum veneranda peraguntur Mysteria clamat: Pro omnibus qui in Christo dormierunt, & iis qui pro ipsis celebrant memorias. Nam si pro ipsis non fierent commemorationes, ne hæc quidem dicta essent. Non sunt enim res nostra ludi scenici, absit. Hoc enim fiunt ordinatione Spiritus. Eis ergo opem feramus, & commemorationem eorum peragamus. Si enim Jobi filios expiabat Patris sacrificium, quid dubitas an nobis, pro eis qui excesserunt, offerentibus, eis existat aliqua consolatio? Solet enim Deus etiam pro aliis gratificari. Et hoc ostendebat Paulus dicens:*
2. Cor. 1. ** Ut ex multis personis, ejus quæ in nobis est donationis, per multos gratia agantur pro nobis. Ne nos pigeat opem ferre iis qui excesserunt, & pro eis offerre preces: est enim propositum orbis terræ commune piaculum. Propterea fidenter pro orbe tunc rogamus, & cum Martyribus eos vocamus, cum Confessoribus, cum Sacerdotibus. Etenim unum corpus omnes sumus, etiamsi sint membra membris splendidiora: & fieri potest ut veniam eis omni ex parte conciliemus, a precibus, a donis quæ pro eis offeruntur, ab iis qui cum ipsis vocantur. Cur ergo doles? cur luges, & lamentaris, quando defuncto potest tanta conciliari venia?*

Et Homilia 3. in Epistolam ad Philippenses. *Non frustrà* [inquit] *hæc ab Apostolis sunt legibus constituta; ut in venerandis atque horrificis Mysteriis memoria eorum fiat qui decesserunt. Noverant hinc multùm ad illos lucri accedere, multùm utilitatis. Eo enim tempore quò universus Populus stat manibus passis, ac cœtus Sacerdotalis, & illud horrorem venerationis plenum incutiens Sacrificium; quomodo Deum non placabimus, pro istis orantes? Atque id quidem de iis qui in fide decesserunt.*

Et Homilia 21. in Acta. *Non frustra*, inquit, *oblationes pro Defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosyna. Hæc omnia Spiritus disposuit; volens ut nos mutuum juvemus. Vide enim, utilitatem accipiet ille per te, & tu per illum, contemptis opibus inductus ad faciendum aliquid generosum: & tu illi salutis, ipse verò tibi eleemosyna factus est auctor, ne dubita, quia erit aliquis fructus suavis. Non simpliciter Minister clamat pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui illorum memoriam faciunt. Non Diaconus est qui talem vocem illam emittit, sed Spiritus Sanctus. In manibus est Hostia, & omnia proposita sunt bene ordinata, adsunt Angeli, adsunt Archangeli, adest Filius Dei; cùm tanto horrore adstant omnes, adstant illi clamantes omnibus silentibus, & putas simpliciter hæc fieri? .... Quid putas pro Martyribus offerri, quòd vocantur in illa hora? Licèt Martyres sint, etiam pro Martyribus magnus honor nominari Domino præsente, dum mors illa perficitur, & horrendum Sacrificium, & ineffabilia Sacramenta...... Sicut enim quando Regum trophæa statuuntur, tunc celebrantur quidem & quicumque victoriæ socii fuerant, dimittuntur autem qui sunt in vinculis per illud tempus: ubi autem transierit hoc tempus, qui nihil assecutus est, nihil obtinet: ita sanè & hic. Trophæorum & celebrandæ victoriæ tempus est. Quoties enim manducatis panem hunc*, inquit, *mortem Domini annuntiate. Itaque ne simpliciter accedamus, neque fortuitò hæc fieri putemus....... Hæc scientes, consideremus, quantas consolationes possemus mortuis, pro lachrymis, pro monumentis præstare; nempe eleemosynas, preces, orationes, ut & illi & nos assequamur promissa bona.*

Et Homilia 32. in Matthæum, Parentes hortatur ut pro filiis defunctis eleemosynas erogent. *Nam si multæ barbaræ gentes* (inquit) *unà cum Defunctis res eorum cremare solent: quantò æquiùs defuncto filio tuo sua tradere potes, non ut in cinerem redigantur, sed ut gloriosum magis illum reddant? Putas illum maculis inquinatum abiisse? Da ipsi sua, ut illis se a maculis detergat: putas in justitia ipsum decessisse? præbe ipsi tum ad mercedis & retributionis adjectionem*. Legenda Homilia ejusdem 84. *In Joannem*.

XIII. Probatur ex Theodoreto, *lib.5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.36.* ubi testatur Theodosium Juniorem Imperat. coram sacris B. Joannis Chrysostomi reliquiis prostratum, parentibus suis Arcadio & Eudoxiæ defunctis veniam adprecatum fuisse. *Hic igitur oculos & frontem loculo admovens*, inquit, *pro parentibus suis supplicavit, petens ut iis qui per imprudentiam peccassent, veniam concederet. Jam enim dudum parentes illius ex hâc vitâ migraverant.*

Probatur duodecimò ex Sancto Ambrosio in Oratione Funebri de Obitu Satyri Fratris. *Tibi nunc*, inquit, *omnipotens Deus, innoxiam commendo animam, tibi hostiam meam offero: cape propitius ac serenus fraternum munus, sacrificium Sacerdotis.*

Et in Oratione de obitu Valentiniani: *Date cœlestia Sacramenta. Piam animam nostris orationibus prosequamur.* Et infra, eumdem Valentinianum & Gratianum sic compellat: *Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt. Nulla dies vos silentio præteribit, nulla inhonoratos vos mea transibit oratio: nulla nox non donatos aliquâ precum mearum contextione transcurret. Omnibus vos Oblationibus frequentabo.*

Et Oratione de obitu Theodosii: *Tu solus, Domine invocandus es, tu rogandus ut eum in filiis repræsentes .... Da requiem perfectam servo tuo Theodosio, requiem illam, quam præparasti Sanctis tuis. Illò convertatur anima ejus unde descendit, ubi mortis aculeum sentire non possit, ubi cognoscat mortem hanc non naturæ finem, sed culpæ..... Dilexi, & ideò prosequor eum usque ad regionem vivorum, nec deseram, donec fletu & precibus inducam virum quò sua merita vocant, in Montem Domini sanctum, ubi perennis vita, &c.*

Et Epistolarum, lib.8. Epistolâ 2. ad Faustinum quâ ipsum de Sororis morte consolatur: *Itaque non tam deplorandam, quàm prosequendam orationibus reor nec mæstificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam ejus Domino commendandam arbitror.*

XIV. Probatur ex Sancto Hieronymo, Epist. 26. ad Pammachium de Paulinæ uxoris obitu. „ Cæteri mariti, *inquit*, super tumulum conju„ gum spargunt violas, rosas, floresque purpu„ reos, & his officiis dolorem pectoris conso„ lantur. Pammachius noster sanctam favillam os„ saque veneranda, eleemosynæ balsamis rigat. „ His pigmentis atque odoribus fovet cineres qui„ escentes, sciens scriptum, quòd, Sicut aqua „ extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit „ peccatum.

XV. Probatur ex sancto Augustino, lib.9. Confessionum, cap.12. ubi de S. Monicæ matris suæ funere: „ Cùm ecce corpus elatum est, *inquit*, „ imus & redimus sine lachrymis. Nam neque

„ in

„ in eis precibus quas tibi fudimus, cùm offer- „ retur pro ea Sacrificium pretii nostri, jam jux- „ ta sepulchrum posito cadavere, priusquam de- „ poneretur, sicut illic fieri solet, nec in eis pre- „ cibus ego flevi, &c. *Et infra:* Inspira Domine „ meus, Deus meus, inspira servis tuis, Fratri- „ bus meis, ut quotquot hæc legerint, memine- „ rint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Pa- „ tricio quondam ejus conjuge, per quorum carnem „ introduxisti me in hanc vitam. Meminerint cum „ affectu pio parentum meorum in hac luce tran- „ sitoria, & Fratrum meorum sub te Patre in Ma- „ tre Catholica . . . . . . ut quod illa a me popo- „ scit extremum, uberiùs ei præstetur in mul- „ torum orationibus.

Et lib. „ de Cura pro Mortuis gerenda, *cap.1.* „ In Machabæorum libris, *inquit*, legimus obla- „ tum pro Mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam „ in Scripturis veteribus omnino legeretur, non „ parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac „ consuetudine claret auctoritas: ubi in precibus „ Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare „ funduntur, locum suum habet etiam commen- „ datio mortuorum.

Et cap.4. „ Cùm recolit animus ubi sepultum „ sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine „ Martyris venerabilis, eidem Martyri animam „ dilectam commendat recordantis & precantis „ affectus. Qui cùm Defunctis a Fidelibus charis- „ simis exhibetur, eum prodesse non dubium est „ iis, qui cùm in corpore viverent, talia sibi post „ hanc vitam prodesse meruerunt. Verùm etsi „ aliqua necessitas vel humari corpora, vel in „ talibus locis humari nulla data facultate per- „ mittat, non sunt prætermittendæ supplicatio- „ nes pro spiritibus mortuorum: quas faciendas „ pro omnibus in Christiana & Catholica societa- „ te defunctis, etiam tacitis nominibus quorum- „ cumque sub generali commemoratione suscepit „ Ecclesia ut quibus ad ista desunt parentes, „ aut filii, aut quicumque cognati, vel amici, „ ab una eis exhibeantur pia matre communi. „ Si autem deessent istæ supplicationes, quæ fiunt „ recta fide ac pietate pro mortuis, puto quòd „ nihil prodesset spiritibus eorum, quamlibet in „ locis sanctis exanima corpora ponerentur. Cùm „ ergo fidelis mater fidelis filii defuncti corpus „ desideravit in basilicam Martyris poni, siqui- „ dem credidit ejus animam meritis Martyris „ adjuvari, hoc quod ita credidit, supplicatio „ quædam fuit, & hæc profuit, si quid profuit. „ Et quod ad idem sepulchrum recurrit animo, „ & filium precibus magis magisque commendat, „ adjuvat defuncti spiritum, non mortui corpo- „ ris locus, sed ex loci memoria vivus matris „ affectus. *Lege eumdem in Enchiridio, cap.110.*

Et Sermone 32. de Verbis Apostoli, „ Proin- „ de pompæ funeris, agmina exequiarum, sum- „ ptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum „ opulenta constructio, vivorum sunt qualiacum- „ que solatia, non adjumenta mortuorum. Ora- „ tionibus verò Sanctæ Ecclesiæ, & Sacrificio sa- „ lutari, & eleemosynis quæ pro eorum spiri- „ tibus erogantur, non est dubitandum mortuos „ adjuvari: ut cum eis misericordiùs agatur a „ Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc „ enim a Patribus traditum universa observat „ Ecclesia, ut pro eis qui in Corporis & San- „ guinis Christi communione defuncti sunt, cùm „ ad ipsum Sacrificium loco suo commemoran- „ tur, oretur, ac pro illis quoque id offerri com- „ memoretur. Cùm verò eorum commendandorum „ causâ opera misericordiæ celebrantur, quis eis „ dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo „ non inaniter allegantur? Non omnino ambi- „ gendum est ista prodesse defunctis, sed talibus „ qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis „ hæc utilia esse post mortem. Nam qui sine „ fide quæ per dilectionem operatur, ejusque „ Sacramentis, de corporibus exierunt, frustra „ illis a suis hujusmodi pietatis impenduntur of- „ ficia, cujus, dum hic essent, pignore caruе- „ runt, vel non suscipientes, vel in vacuum „ suscipientes Dei gratiam, & sibi non miseri- „ cordiam thesaurizantes, sed iram. Non ergo „ mortuis nova merita comparantur, cùm pro „ eis boni aliquid operantur sui, sed eorum „ præcedentibus consequentia ista redduntur. Non „ enim dictum est, nisi cùm hic viverent, ut eos „ hæc aliquid adjuvarent, cùm hic vivere de- „ stitissent. Et ideò istam finiens quisque vi- „ tam, nisi quod meruit in ipsa, non poterit ha- „ bere post ipsam. Jungendus Augustino Pauli- nus in Epist. ad Delphinum Burdigalensem Epis- copum, in qua preces ipsius pro requie fratris sui efflagitat. *Orationibus tuis*, inquit, *condone- tur tibi, ut illius unimum vel de minimo sancti- tatis tuæ digito distillans refrigeris guttu respergat.*

Probatur XVI. ex Conciliis Ecclesiæ Africanæ, scilicet ex Concilio Carthaginensi 3. Canone 29. quo decernitur: „ Ut Sacramenta Altaris non- „ nisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto „ uno die anniversario, quo Cœna Domini ce- „ lebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tem- „ pore defunctorum, sive Episcoporum, seu Cle- „ ricorum, sive cæterorum commendatio facien- „ da est, solis orationibus fiat, si illi qui faci- „ unt, jam pransi inveniantur. Itaque commen- dationes defunctorum horis matutinis fiebant, ob- latione Sacrificii incruenti ad altare: post pran- dium verò solis orationibus.

Et ex Concilio Carthaginensi IV. Canone 79. „ Pœnitentes, *inquit*, qui attentè leges pœni- „ tentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in „ mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non pos- „ sit, memoria eorum & orationibus, & oblatio- „ nibus commendetur.

Probatur XVII. ex sancto Gregorio Magno, lib.2. Dialogorum, cap.23. ubi refert quòd, cùm fœminæ quædam in Ecclesia sepultæ, post excom- municationis intentatas in eas minas, fuissent, & inter Missarum solemnia pro more Diaconus clamaret: „ Qui non communicat, det locum, ex Ecclesia egredi visæ sunt, donec „ Oblatione „ pro eis facta & immolata, exire ulteriùs visæ „ non sunt.

Et lib.4. cap.55. „ Si culpæ, *inquit*, post mor- „ tem insolubiles non sunt, multorum solet ani- „ mas etiam post mortem sacra oblatio Hostiæ „ salutaris adjuvare: ita ut hanc nonnumquam i- „ psæ defunctorum animæ expetere videantur. Et exemplum ibidem refert ignoti cujusdam ho- minis a Presbytero postulantis: „ Ut pro se omni- „ potenti Deo sacrum panem offerret, & pro „ suis peccatis interveniret, & tunc exauditum „ se cognosceret, cùm eum in eodem loco non „ reperisset, ubi hoc postulabat. Idem verò Pres- „ byter hebdomadâ continuâ se pro eo in la- „ chrymis afflixit, salutarem Hostiam quotidie „ obtulit, & reversus post ad balneum, eum jam „ minimè invenit. Qua ex re [*inquit sanctus Gre- „ gorius*] quantùm prosit animabus immolatio sa- „ cræ Oblationis ostenditur, quando hanc & ipsi „ mortuorum spiritus a viventibus petunt, & signa „ indicant, quibus per eam absoluti videantur.

Ibidem quod ante triennium in suo Monaste- rio contigerat, refert sanctus Gregorius, eamdem ut doctrinam confirmet. Justus Monachus ob tres aureos inconsulto Abbate retentos, & absconsos, a fratribus moriens relictus est, ut saltem in mor- te

te de culpa sua mentem ipsius amaritudo transverberaret, atque a peccato quod perpetraverat, purgaretur. Qui cùm vehementi ob peccatum suum dolore contritus, e corpore exiisset, atque nihilominus ad terrorem cæterorum Monachorum fuisset in sterquilinio sepultus cum tribus aureis, clamantibus fratribus, *Pecunia tua tecum sit in perditionem*: triginta diebus ab ejus morte elapsis, sanctus Gregorius Pretioso Monasterii Præposito dixit: Diu est quòd frater ille, qui defunctus est, in igne cruciatur: debemus ei aliquid charitatis impendere, & eum, in quantum possumus, ut eripiatur, adjuvare. Vade itaque, ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium stude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius Hostia salutaris non offeratur. Qui protinus abscessit, & dictis paruit. Nobis autem, (*inquit sanctus Gregorius*) alia curantibus, atque dies evolutos non numerantibus, idem frater qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri suo germano Copioso per visionem apparuit. Quem ille cùm vidisset, inquisivit dicens: Quid est, frater, quomodo es? cui respondit: Nunc usque malè fui, sed jam modò bene sum: quia hodie communionem recepi. Quod idem Copiosus pergens, protinus indicavit fratribus in Monasterio. Fratres verò solicitè computaverunt dies; & ipse dies extiterat, quo pro eo trigesima Oblatio fuerat impleta. Cùmque & Copiosus nesciret quid pro eo fratres agerent, & fratres ignorassent quid de illo Copiosus vidisset; uno eodemque tempore, dum cognoscit ille quid isti egerant, atque illi cognoscunt quid ille viderat, concordante simul visione & Sacrificio, res apertè claruit: quia frater qui defunctus fuerat, per salutarem Hostiam evasit supplicium.

Probatur 18. ex sancto Isidoro Hispalensi, lib. 1. de Officiis Ecclesiasticis, cap. 18. ,, Sacrificium *inquit*, pro defunctorum Fidelium requie offerri, vel pro eis orari, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus quòd ab ipsis Apostolis traditum sit. Hoc enim ubique Catholica tenet Ecclesia: quæ nisi crederet Fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret, vel Deo Sacrificium offerret. Nam & cùm Dominus dicit (*Matth.* 12.) Qui peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro: demonstrat quibusdam illic dimittenda peccata, & quodam Purgatorio igne purganda.

Accedit & sanctus Bernardus jam supra laudatus in probationibus prioris Propositionis, *Sermone 66. in Cantica*.

XIX. Probatur ex Petro Venerabili Abbate, Cluniacensi, *Epistolâ 2. contra Petrobusianos, cap.* 5. ubi & ex Scripturis sacris, & ex Traditione Purgatorium adstruit; maximèque ex libris Machabæorum. Rogant, *inquit*, Fideles Judæi pro delictis tam gravibus defunctorum, ut quod fecerant, oblivioni traderetur; & non rogabunt fideles Christiani pro defunctis in spe bona Fidelibus eumdem Deum, ut eis nondum plenè laxata peccata remittantur? Rogaverunt hoc illi adhuc in tempore iræ: & non rogabunt hoc isti in tempore gratiæ? Obtulit Judas, quia ad offerendum misit duodecim millia drachmas argenti pro peccatis mortuorum Judæorum: & non offeret noster Judas, id est, pietatem tenens, & confitens Christianus, supra aurum & argentum incomparabiliter pretiosum Christi Corpus & Sanguinem pro peccatis Christianorum mortuorum? Bene ille & religiosè cogitabat, quòd hi optimam haberent repositam gratiam, qui cum pietate dormitionem acceperant Judæi: malè & irreligiosè cogitant, qui non considerant quòd eamdem & meliorem habeant repositam gratiam hi qui cum pietate dormiunt Christiani. Non prorsus, non: quia ut subsequitur: Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

Porrò quod recipi debeat velut Canonicum id quod in libris Machabæorum traditum est, ita ostenditur contra Heterodoxos ex eodem Abbate. ,, Si indifferenter, *inquit*, ab Ecclesiâ tam Evangelium, quàm alios libros, quos Canonicos dicimus, cum aliis authenticis Traditionibus suscepistis: indifferenter aut omnia suscipere, aut omnia respuere debetis. Quod enim indifferenter ab Ecclesia tam nobis, quàm vobis traditum est, aut indifferenter totum suscipiendum: aut totum rejiciendum est. Sed Evangelium rejiciendum esse, vos non concedetis: ergo quicquid cum Evangelio ab eadem Ecclesia, quæ Evangelium tradidit, traditum est, invicta ratione cogente, a vobis suscipiendum est. Traditum autem ab ea, quam dixi, Ecclesia, in Ecclesia invenistis, ut divinis sacrificiis, sacris orationibus, aliisque pietatis operibus, Fideles in carne viventes, alios cum signo Fidei & spei Christianæ carne exutos juvare studeant: ut quod bonæ quidem eorum vitæ, sed imperfectæ defuit, de superfluente Conditoris pietate præsumentes, supplere contendant. Quod quia sic vobis ab Ecclesia jam dicta, sicut Evangelium traditum est: prorsus tam a vobis, quàm ab universis, sicut Evangelium suscipiendum est.

Idem probat ex Matth. & Lucæ 12. & Apostolo 1. *ad Corinthios* 15. Deinde ex SS. Patribus Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Paulino: quorum testimoniis hoc præmittit principium. ,, Sunt equidem innumerabiles & diversissimæ diversarum Ecclesiarum, ad unam Catholicam pertinentium consuetudines, ut penè tanta sit varietas usuum, quanta multiplicitas Ecclesiarum. Sed non damnat aliquem diversa institutio, quæ & veræ fidei inservit, & charitatis compaginem non dissolvit. Ubi verò aut fides læditur, aut charitatis unitas periclitatur, si occultè fit, damnabile est: si publicè, damnabile simul & Hæreticum est. Istud ad hoc intuli, ut qui bona virorum mortuis, qui digni sunt, prodesse denegat, non ad eam, quam præmisi, bonorum usuum varietatem: sed ad communis fidei læsionem pertinere cognoscat. Et quia hoc ad læsionem fidei pertinet, sicut publica pestis hæretica expellenda; sic occulta languentium passio [si fieri poterit] remediis medicinalibus est curanda. Medicinalia autem remedia, Patrum Catholicorum exempla, & monita dico, ut quæ hæreticis prodesse non possunt, a quibus non audiuntur, prosint vel illis a quibus suscipiuntur.

Denique ubi viventium bona mortuis prodesse, & vicissim bona mortuorum cum viventibus communicari probavit, contra duo genera hominum invehitur, quorum aliqui nimiùm sunt diffidentes, alii nimiùm confidentes: ita ut & illi desperatione sua, & isti nimia (ut sic dicatur) spe sua, vel periclitari, vel prorsus a salute excidere videantur. ,, Nam sicut hæretici bona vivorum mortuis nullo modo prodesse adstruunt: sic isti, nimiùm, (si dici potest) Catholici, de bonis, quæ ab Ecclesia viventium pro mortuis fiunt, inordinatè præsumunt. Adeò autem quidam talium inordinatè præsumunt, ut confidentes in his, vel precibus piis, vel operibus bonis, quæ a viventibus pro mortuis fiunt, ipsi a pre-

,, cum

,, cùm & operum bonorum fervore tepescant: & quod ad universorum salutem institutum est, in suam decepti perniciem vertant. Hi planè de antidoto venenum, de salute exitium, de vita mortem, stulto sibi commercio emunt; & cùm Apostolus dicat: Expectantes beatam spem: Et, Spe salvi facti sumus: cùm spe salvari debuerint, contra spem spe pereunt, quia qualiter spe uti debeant, non attendunt. Non attendunt sanè, quia non alienis bonis, sed propriis operibus, præcedente & comitante gratia, vita principaliter acquiritur æterna. Principaliter autem dixi: quoniam tanta viventis propria saltem debent esse merita, ut etiam mortuo prodesse debeant aliena. Prodesse verò non poterunt, nisi tanta fuerint viventis bona, ut eis tam justè, quàm misericorditer vita debeatur æterna.

Probatur 20. ex antiquis omnibus Liturgiis, in quibus Defunctorum commemoratio & commendatio legitur in Canone adscripta.

Ecclesia Græca cum Latina consensus in fide Purgatorii.

XXI. Probatur ex Ecclesiæ Græcæ cum Latina consensu hoc in dogmate. Qui consensus innotescit primò ex sacris Græcorum Officiis. *In Paracletica, Sabbato in Defunctos*, hæc canuntur: ,, Eripe Domine ab igne gehennæ eos qui a nobis migrarunt, destruens tuâ lanceâ lateris Chirographum eorum peccati, ut solus hominum amator, & dignos eos faciens splendore Sanctorum.

Et *Precatio tertia in Pentecostem*, quam recitat Sacerdos vel Episcopus ante altare, singulis annis die sacro Pentecostes, reliquis omnibus in genua procumbentibus & audientibus, sic habet: ,, Qui in hoc absolutn undequaque & salutifero Festo suffragia supplicationesque pro detentis in inferis suscipere dignatus es, magna nobis spe subiecta, detentis hujusmodi, detinentium eos tristium relaxationem & solamen a te fore rependendum, exaudi nos abjectos & miseros te deprecantes, & animabus servorum tuorum vitâ ante nos functorum, & in loco lucido; in loco virenti, in loco refrigerii, unde dolor omnis, gemitus & suspiria exulaot, requiem præbe. In tabernaculis justorum paçis, & quietis, Spiritus eorum colloca.

Eadem Ecclesia in piaculatibus precibus canit: ,, Imago sum tuæ ineffabilis gloriæ, licèt delictorum stigmata geram. Miserere Domine creaturæ tuæ, & purga me misericordiâ tuâ, & optatam mihi concede patriam. Quem e terra assumpsisti filium lucis effice, expurgans ex peccatorum maculis, o multùm misericors. Delictorum remissionem defunctis, Christe, præsta, & tuâ gratiâ expurgatos eos ostende....... Pulchritudine intellectuali tua perfrui defunctos dignare, turpitudinem deformem expurgans veluti humaoissimus, peccati, Domine. Legantur Officia funerea in Euchologio.

,, Eadem in Typico, *cap.* 30. Sanctorum Patrum traditio est, *inquit*, ut commemoratio fiat eorum qui ex nobis ad Dominum migrarunt ab ipso postremo die, singulis diebos inter Missarum solemnia, usque ad quadragesimum diem.

Secundò ex Michaele Glyca, in Epistolâ ad ,, Nilum Monachum. Habes siquidem præ aliis, *inquit*, magnum Dionysium banc opinionem e medio tollentem; & quæ ex peccatis remittantur, quæ verò non condonentur, manifestè edocentem. De iis namque, qui in peccatis vitam finierunt, edisserens, hæc quoque addit: Si pusilla quædam adfuerint, utilitatem propter booa opera quæ pro iis fiunt, accipiunt. Si ingentia ac immoderata sunt, conclusit Deus contra ipsos. Ad hæc suppetit & magnus Epiphanius, &c. Laudat sanctum Epiphanium in Panario, sanctum Damascenum in Oratione pro Defunctis, & sanctum Chrysostomum.

,, Et rursus: Non esse, *inquit*, dubitandum de bonis operibus, quæ ab aliquibus fiunt, piorum quidem gratiâ, sed peccatorum: persuadent nos ante alios Discipuli Christi & Apostoli, diebus tertio, nono, & quadragesimo, necnon & exacto anno publicè mortuorum memorias fieri decernentes.

Tertiò ex Simeone Thessalonicensi in Responsione ad Gabrielem Pentapolitanum: * ,, Accipitur, *inquit*, ab Angelis Imperialibus anima. Animæ verò proficiscuntur (ut a sanctis Doctoribus discimus) ad loca earum vitâ & operationibus digna: & hæ quidem in cœlo quarum conversatio in cœlis erat. Peccatorum verò atque Infidelium animas in inferno esse credendum est, quemadmodum Sanctorum in cœlo, &c. Si verò aliquis ex iisdem moderatè deliquerit, & cum pœnitentia ex hac vitâ excesserit, per Sacrosanctum Sacrificium, & bona opera possunt libertatem consequi, antequam Judex advenerit. Et hoc probans Ecclesia, pro defunctis preces & sacrificia peragit. Et hoc multi testantur, & inter eos qui post mortem solvuntur vinculo, id est, qui ab excommunicatione absolvuntur.) Hic ut & alii Græcorum Theologi, Purgatorii locum ab Inferno damnatorum non esse distinctum censet: pœnas tamen purgandorum distinctas esse decernit a pœnis damnatorum: & illos quidem Ecclesiæ precibus juvari, non istos. Unde ibidem ait: ,, Propterea has commemorationes necesse est ab omnibus peragi & summa etiam contentione: & præcipuè maximè horrendum Sacrificium, quod hanc ob ipsam rem traditum est: cùm per has preces, & sacra Sacrificia, & erga pauperes bona opera non solùm his qui deliquerunt, & cum pœnitentia egressi sunt e corpore, remissio & relaxatin conceditur, & pœnarum liberatio; sed & illis qui justè vixerunt, & fine bono & Deo complacito vitam terminarunt, major purgatio, & sublimatio datur, ut Chrysostomo videtur, Exposit. in Acta Apostolur. &c.

* Apud Leonem Allatium.

Quartò ex Gregorio Protosyncello Chio in Synopsi dogmatum * ,, Si non esset liberatio, *inquit*, quid opus esset commemorationibus, Missis, eleemosynis ob defunctos? Quare est liberatio, & redemptio ex inferno: sed nos non possumus scire quando, & per quantum tempus mansuræ sunt in inferno, & postmodum liberationem consecuturæ. Hoc tantummodo scit, quem nihil fallit Deus. Ecclesia tantummodo orat pro iis qui confessi sunt, peccata lacrymati sunt, & tristitiâ affecti sunt quòd in Deum deliquerint. Pro his decreverunt sancti Apostoli in suis Constitutionibus, fieri commemorationes defunctorum tertio, quarto, & quadragesimo die, nec non tertio & sexto mense, & post annuo die, & secundo & tertio anno.

* Apud Allatium.

Quintò ex Eustratio Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbytero in libro suo *De Animabus separatis*, cujus meminit Photios in *Bibliotheca*, *Cod.* 171. & quem in lucem edidit Leo Allatius. *Quæritur ab aliquibus*, inquit, *num Oblationibus & inter preces & supplicationes commemorationibus animæ utilitatem captant? Conabimur itaque & de hac nonnulla testimonia apponere*. Et postquam nonnullæ Veteris, Novique Instrumenti testimonia adduxit ad commemorationem defunctorum certis diebus, nimirum tertio, nono & quadragesimo adstruendam, subjungit: *Secundùm itaque*

haec formam, nona die sepulturæ, usque ad diem nonum, his eorum, qui piè obdormierunt, commemorationes peragimus. Similiter & die quadragesimo, quandoquidem quadragesimo die Dominus assumtus est. Hæc autem fieri tradita sunt, non utcumque & temere, sed prorsus alieni commodo futura.

Sextò, ex Nicolao Cabasilâ, in Expositione Liturgię, cap.42. ubi Sacrificium Eucharistiæ non vivos tantùm, sed & mortuos sanctificare probat. „ Duobus modis, *inquit*, sanctificare cernitur divinum hoc & sacrum Mysterium. Uno quidem modo intercessione: oblata enim dona eo ipso quòd offeruntur, eos qui offerunt, sanctificant, & eos pro quibus offerunt & Deum eis propitium efficiunt. Alio autem modo, participatione quia fit nobis verus cibus & potus, ut dicit Dominus. Horum modorum primus quidem est communis vivis & mortuis, etenim pro utrisque offertur Sacrificium. Secundus autem modus solis viventibus permittitur, mortui enim non possunt ampliùs comedere, nec bibere. Quid igitur? Propterea nec sanctificantur hac sanctificatione, quæ provenit ex participatione, & deteriori sunt hac in parte conditione mortui, quàm viventes? Minimè. Nam & Christus ipsis se communicat, eo modo quo ipse novit.

Et cap.45. „ Nudæ, *inquit*, corporibus animæ plus habent commodi ad sanctificationem, quàm eę quæ vivunt in corporibus. Purgantur enim ut peccatorum remissionem accipiant per orationes Sacerdotis, & donorum intercessionem, nihilominus quàm eorum quæ vivunt. Sed non peccant ampliùs, nec nova veteribus crimina adjiciunt, sed tantummodo vel nulli sunt rationi reddendæ obnoxiæ, vel semper utique de criminibus detrahunt: & ita ad Servatoris participationem promptiùs & meliùs se habent pluribus in corpore viventibus, atque adeò etiam seipsis, si essent cum corpore.

Septimò ex Gabriele Philadelphiensi, de Purgatorio. „ Ad secundum verò dicimus, *inquit*, Orientalem & Catholicam Ecclesiam tertium locum non recipere, ut Romani dicunt, in tres lucos animas separantes, in Paradisum, infernum, & tertium Purgatorium. Et Paradisus quidem est, quo justorum animæ requiescunt: Infernus rursus in quo cruciantur & puniuntur peccatorum animæ: Purgatorium autem, dicunt, in quo purgantur per ignem illæ animæ, quæ similibus cruciatibus dignæ sunt. Nos autem duo loca, Paradisum nempe & infernum confitemur, cùm ita nos Sacra Scriptura doceat, &c. Itaque manifestum est unum esse locum in quo animæ cruciantur, & non multos. Attamen locus hic habet multas & varias mansiones. & multa tormentorum genera, quæ diversitati peccatorum respondent, qualia sunt hæc genera; inferni, ignis sempiternus, tenebræ exteriores, stridor dentium, vermis numquam obdormiscens, & tartarus. In hæc tormentorum genera injiciuntur peccatorum animæ, tum impiorum, tum hæreticorum, quemadmodum & Christianorum qui non pœnituerunt, & Christianorum qui spe aluntur, per Sacrificium Missæ, & eleemosynas & orationes quæ pro ipsis fiunt, accipiendi remissionem & libertatem tormentorum, cùm Deus miserescens in misericordiam declinaverit...... Hæc igitur loca ad quæ animæ immittuntur, ut peculiares pœnas luant pro mensura delictorum; vel ut melius dicam secundùm misericordiam & humanitatem Dei misericordis atque humani. Hæc inquam, loca non voco Purgatorium, ne quis existimet quòd in hoc concordamos Platoni qui in Phędone dicit expurgari peccatorum animas: sed ea voco satisfactiva, hoc est locum in quo cruciantur animæ in quantum dignæ sunt punitione, & in quantum misericordia Dei voluerit. Placet mihi nihilominus sententia nonnullorum Doctorum Occidentalis Ecclesiæ, qui asserunt, ignem æternum illum esse in quem animę immissæ puniuntur ad tempus, sui naturâ ęternum, sic a Deo factum; dici verò temporarium non sui naturâ, sed ob animas quæ liberantur, propter eas verò, quæ in illo absque ullo fine cruciantur, æternum & perpetuum. Hæc loca sola ego credo. Verùm opinor horum unumquemque locum multas stationes habere, in quibus detentæ prædictæ animæ pœnis subjiciuntur, pro dignitate & mensura delictorum. „ Ex quibus evidens est eamdem esse Græcorum & Latinorum de Purgatorio fidem: solam de nomine quæstionem inter eos agitari.

Confirmatur ex iis quæ ibidem subjungit. Propterea Catholica & Apostolica Ecclesia Orientis, & reliquæ omnes nationes quæ illi subjiciuntur; & cum ea concordant, bis in anno sacrificium Missæ in communi celebrant, & orant pro illis qui piè obdormierunt, Orthodoxis Christianis, sed potissimùm pro pauperibus & peregrinis, qui immatura, aut repentina morte obierunt, & non potueront agere quæ Christi Ecclesia præcipit. Pro his qui piè obdormierunt, & omnia sancta Monasteria, & omnes particulares Ecclesiæ singulis Sabbatis sacrum facientes, orant Sacerdotes misericordem & miseratorem Deum, ut consequantur remissionem & liberationem eorum animæ, quæ tormentis cruciantur.

„ Et de particulis agens: Adhuc eas offerimus, *inquit*, pro iis qui in Christo obdormierunt, parentibus & fratribus nostris, & amicis, & consanguineis. Scopus verò est ut collocet animas eorum Dominus in loco lucido, in loco amœno, in loco refrigerii, ubi exulat meror, tristitia, & gemitus, & ut det remissionem & solatium rerum tristium, & impertiatur ipsis libertatem & liberationem ejulatuum, & lachrymarum, quæ in inferno sunt, ut sancta Dei Ecclesia docet palam, similia intonans.

Octavò, ex Manuele Caleca, *lib.4. adversùs Geacor:* Si quis (inquit) confessus, priusquam pro pecatis satisfaciat: sive etiam, simul atque confessus fuerit, pœnitens, in quibus peccavit, ex vita discedat, ab æterna quidem damnatione liberatur per Sacramentum Pœnitentiæ: debitam verò peccatorum satisfactionem persolvet. Quam enim hìc, sive per eleemosynam & aliam beneficentiam, sive per jejunium & lachrymas, & hujusmodi afflictionem soluturus erat, juxtà regulas a sanctis Patribus positas pro satisfactione peccatorum; hanc nisi vivens implere permittatur, postquam exierit e vita, reddet, donec per Dei gratiam & justitiam peccati contagium sibi insitum diluens, mundusque jam effectus, & dignus qui uniatur Deo, non habens maculam neque rugam, ea beatitudine fruatur, ad quam præparabatur quidem per pœnitentiæ remedium & Sacramenta cætera, ab æterna damnatione per Christi gratiam liberatus; accedere autem prohibebatur, nedum satisfactione debita secundùm divinam justitiam impletâ. Si enim misericors est ac pius Dominus, justus tamen nihilominus est: Neque ita est misericors ut ejus justitia evacuetur. Aliter inanc esset vel confitentibus ab Ecclesia pœnitentiam imponi, vel pœnitentes tantæ seipsos tradere afflictioni.

Si-

Siquidem iniquitatem suam semel tantùm confitentes, jam ab omni reatu liberi essent. At constat, quia peccatis pœnitentiæ afflictionem ingerens, atque hìc purgationem breviorem, ac leviorem, quàm debebatur, decernens, talia injungit: aliàs enim qui per omnem vitam deliciis & impudicitiæ dediti, ad ipsum jam finem vitæ pœniterent, nihilò deteriores essent quàm hi, qui pro similibus peccatis diutissimè in cilicio & cinere, & lachrymis usque ad finem perstiterunt. Nihil præterea conferrent, quæ pro defunctis ab Ecclesia fieri præcipiuntur orationes & eleemosynæ. Pro his enim qui jam beatitudine potiti sunt, orantes sacrificia offerre opus non est. Quæ enim pro Sanctis Officia offerimus; non ut misericordiam consequantur, offerimus, sed ut booorantes eos, pro oobis mediatores apud Deum, ut naturæ nostræ primitias opponimus. Pro his verò qui inferno damnati sunt, nullam Ecclesia orationem facit. Unde necessariò colligitur tertium quemdam esse locum, ubi hujusmodi purgatione factâ, & reliquâ satisfactione persolutâ, qui sunt ejusmodi omni maculâ purgati, ad beatitudinem transeunt. Simili verò ratione, etiam si quis servatis omnibus Dei mandatis, a mortalibusque culpis liber, parvis verò & quotidianis, sine quibus vita hominis transigi non potest, obnoxius, hinc sine pœnitentia & satisfactione decesserit, in Purgatorii loco integrè, quod omiserat, reddet. Eum enim qui a mortalibus semper abstinuerit, propter minima ista, ut qui turpissimè, flagitioseque vixerunt, in inferno damnari, justus profectò judex numquam permitteret. Aliàs enim vita pura nihil a corruptâ differret, si qui sine venialibus culpis esse non possumus, sumus enim homines, æquè propter illa, ut quisque perditissimus ob scelera gravissima, cruciabimur. Et quomodo unicuique Dominus reddet secundùm opera sua, si tot frustra labores nobis pro illius implendis jussis assumimus? Imò verò quænam est salutis spes, si etiam parva quædam peccata, quæ velut umbra homines sequuntur, æquè ut mortalia damnantur? Nam sine ipsis decedere, illorum est, qui per Martyrium consummati, vitamque Angelicam imitati sunt, eorumque qui magnam ostenderunt pœnitentiam, ut Latro, & quos divina gratia præcipuè justificavit. Cæterùm ut sordidatum vel parvâ maculâ uniri Deo, & perfrui beatitudine possibile non est: nihil enim divinæ naturæ profanum appropinquat: ita omnibus peccatis expiatum putare noo admitti ad beatitudinem, cùm nihil jam obsistat, irrationabile simul & iniquum est, Scripturæque sententiis contrarium. Sic itaque inter beatitudinem & æternum cruciatum tertius locus relinquitur, in quo hujusmodi peccata purgantur. Eum verò locum ignem esse ajunt, non eum qui ante faciem Christi, in ejus revelatione [ut ait Daniel] præcedit, & quem Gehennæ ignem Scriptura vocat (his enim qui in illum semel merguntur, nulla est emergendi spes) sed ignis alius, quem Purgatorium dicunt, quòd in eo delicta purgantur, ac velut in fornace, qui in illum mittuntur, mundantur: illudque ante judicium extremum. Post hæc enim nullus qui mundetur, erit, unoquoque proprium sibi locum æternè vindicaturo ..... Si quis verò hujusmodi purgationem, in quibus prædictum est, neget, necesse est ut confiteatur vel maluio aliquod relinqui impunitum, vel Fidelium Ecclesiam cum macula Christo conjungendam, vel quæ pro defunctis fiunt, nihil valere. Hæc Manuel Caleca.

Nonò ex Concilio Florentino Sessione 25. ubi Græci sic decernunt de igne Purgatorio: *Sanctorum animas perfectam in cælis adeptas esse coronam, quatenus anima fuat: peccatorum verò animas perfectas luere pœnas: medias autem esse in loco tormentorum: sed sive ignis sit, sive caligo ac turbo, sive aliquid aliud* (inquiunt) *non contendimus.* Ibidem *se propter Quæstionem de Purgatorio non fuisse sejunctos*, contestantur.

In Definitione verò Fidei, cui Ecclesiæ utriusque Antistites subscripserunt, hoc legitur de Purgatorio decretum: *Item si verè Pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis Pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis eorum animas pœnis Purgatoriis post mortem purgari. Et ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri consueverunt secundùm Ecclesiæ instituta.*

Decimò, ex Gennadio Patriarcha Constantinopolitano, in Expositione Concilii Florentini, cap. 3. (Tomo 4. Bibliothecæ Patrum Editionis Parisiensis) *Rursus*, inquit, *demeates estis, neque percipitis Ecclesiam Dei semper orare pro mortuis, & singulis Sabbatis pro animabus tantùm facere commemorationem. Præterea bis in anno pro defunctorum memoria celebrat festum: in Sabbato dico, quod Carnisprivium præcedit, & ante Pentecostem. Hoc eò fit, ut omnes simul comprehendat, & eos quorum consanguinei de iis curam non susceperant, ut & ipsi cum omnibus in commune hujus subsidii participes efficiantur.*

Undecimò, ex Joanne Plusiadeno *, in disceptatione pro Concilio Florentino, ubi Rhacendyta quærit: *Quomodo probat Synodus animas purgari post mortem?* Catholicus respondet: *Probat & demonstrat eam ratione, quemadmodum & reliqua. Primò quidem exemplo nostri, quod nos ipsi facimus: deinde testimoniis sanctorum Ecclesiæ Doctorum, & ab ipsâ rei naturâ ...... An nescis adhuc quid notent, oblationes, colyba, candela, oleum, psalmodia, commemorationes, & memoria pro mortuis in Sacro-sanctis sacrificiis?* Rhacend. *Est-ne id hoc quod Latini Purgatorium nuncupant, nos καθαρτήριον* Cathol. *Hoc nempe est, & non aliud.* Apud Leonem Allatium.

Duodecimò ex Joanne Eugenico Nomophylace, in Antirrhetico adversùs Synodum Florentinam, cap. de Purgatorio igne. *Cùm*, inquit, *ipse Dominus noster Jesus Christus, qui judicaturus est universum terrarum orbem, & secundùm opera eorum singulis redditurus, de hoc palàm & sapienter egit, & sancti Apostoli, & qui eos exceperunt Doctores, multis in locis exposuerint: quos sequens nostra orthodoxa Ecclesia, purgationem etiam post mortem tenet, nempe sacra Sacrificia, & preces; & eleemosynas, & alia bene complacita Deo opera, quæ a Fidelibus super mortuos fiunt.*

Decimo-tertiò, ex Meletio Alexandrino, in Epistolâ ad Chios. *Et est*, inquit, *Apostolica per Patres ad nos transmissa traditio, & a sacra Scriptura stabilitatem habet, ex qua viventium bona opera & lachrymæ iis, qui dormiunt, non qualemcumque afferant utilitatem.*

Decimo-quartò, ex Theodoro Grapto in Orat. de Dormientibus, quam laudat Leo Allatius in Dissertat. de Purgatorio. *Tertiam*, inquit, *testimoniam erat: Ipse verò salvabitur tamquam per ignem. Et dicebant: Ecce hic est salus condemnatorum. In hoc dicit illud, salvabitur. Aut intelligitur de condemnatis qui salvantur, hoc est, remanent salvi & integri inter flammas illas æternas: aut intelligitur de illis qui spem salutis possident; quemadmodum & Gregorius Nyssenus dictum illud interpretatus est: Licèt nonnulli illum calumniati fiat,*

sint, tamquam Origeniani dogmatis asseclam.

Excommunicatorum corpora in cineres non dissolvi, sed in tympani modum turgentia, & incorrupta manere, Græci falsò persuasum habent.

Decimo-quintò, ex Manuele Malaxo in Historia Constantinopolitana, ubi de muliere propter calumniam Gennadio Patriarchæ illatam excommunicata, & postmodum absoluta, sic scribit: *Nec corpori modò ejus venia dissolutioque contigit, sed anima etiam inferorum cruciatibus liberata in Paradisum venit. Illi namque qui anathemate percussi, ab Ecclesia exulant, cùm eorum corpora maneant indissoluta & integra* *, *indigent absolutione, ut liberentur vinculo excommunicationis. Nam quemadmodum corpora eorum ligata sunt, & indissoluta super terram: sic animæ quoque ipsorum ligatæ sunt a diabolo, & ab eo pœnis divexantur. Quando autem corpus veniam accipit, execrationis vinculo solutum, Deo bene juvante, etiam anima de manibus diaboli libera exit, & vitam æternam, lucemque illam vespera expertem adipiscitur.*

Ex his perspicuum est Purgatorium, & preces pro Defunctis, ex Traditione ab Apostolis ad nos derivata, cui Ecclesiæ Græcæ cum Latina perpetuus in eo dogmate consensus attestatur, omnino demonstrari.

Secundùm hanc Traditionem Tridentina Synodus Sessione 22. Can. 3. anathemate percellit eos qui dixerint, *Missæ sacrificium non esse propitiatorium pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, &c.* Et Sessione 6. Canone 30. *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti culpam ita remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvenda, vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna Cœlorum aditus patere possit, anathema sit.*

Denique Sessione 25. Decretum de Purgatorio his verbis editum est: *Cùm Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta, ex sacris Literis, & antiqua Patrum traditione in sacris Conciliis, & novissimè in hac œcumenica Synodo, docuerit Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio juvari: præcipit sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam a sanctis Patribus, & sacris Conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter studeant. Apud rudem verò plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerùmque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea verò, quæ ad curiositatem quamdam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tamquam scandala & Fidelium offendicula prohibeant.*

Hæreticè fatentur, veteres Patres preces & oblationes pro defunctis approbasse & frequentasse.

XXII. Sed inaniter forsan laboramus, cùm Patres omnes a secundo nominis Christiani sæculo, oblationes, orationesque pro defunctis admisisse & propugnasse, Hæretici plerumque fateantur. Calvinus Patres universos MCCC. annorum spatio in eo deceptos planè asserit. * *In eo dico*, inquit, *aliquid humani passos esse: idèoque ad imitationem trahendum non esse contendo, quod fecerunt.* Lib. 3. Instit. cap. 5. Idem asserit Dallæus, eamque Patrum doctrinam originem ducere ex errore, quo justorum animas, ad diem usque judicii, abditis receptaculis contineri, nec Dei visione beatifica frui senserunt. Forbesius etiam, ubi omnium Veterum Patrum auctoritate niti Orationes pro defunctis disertè probavit in *Instructionibus Historicis*, sic concludit: *Non est tutum Veteres imitari.* Ante illos Petrus Vermilius Martyris assumpto nomine notus, in Epistolam 1. ad Corinthios cap. 3. scripsit Ecclesiam semper orasse pro mortuis, sed absque Scripturarum auctoritate & exemplo id factitasse.

Fieri non potuit ut Ecclesia in dogmate erraverit, vel ex errore ortum duxerit ejus consuetudo preces & sacrificia offerendi pro defunctis.

Verùm qui possibile est ut Ecclesia, quæ *Columna est & firmamentum veritatis*, quam Spiritus Sanctus docet ac regit, tot sæculorum tractu erraverit? Qui fieri potuit ut Ecclesia secundi sæculi, in qua florebant Episcopi & Doctores ab Apostolorum discipulis instituti, cujus in sinu vivebant homines qui aliquam ætatis suæ partem 1. sæculo egerant, consuetudinem illam orandi pro mortuis velut Traditionem Apostolicam usurparet atque commendaret, quæ primi sæculi Christiani doctrinæ & moribus esset adversa? Quomodo fieri potuit ut in errore quorumdam fundata consuetudo, ab omnibus observaretur, adeòque & ab iis qui ab ejusmodi errore alieni essent? At error ille ex quo ortam orandi pro defunctis consuetudinem Heterodoxi fabulantur, non fuit omnium Christianorum, non omnium Patrum, sed paucorum duntaxat, ut & ipsi fateri coguntur. Animas enim Justorum omnium ad supremi judicii diem in abditis receptaculis detineri, non fuit Veterum omnium sententia, idque nemo nescit eruditus. Itaque consuetudinis, quam Ecclesia universa velut Apostolicam Traditionem semper observavit & commendavit, fontem fuisse hujusmodi errorem impossibile est. Res enim est ab hominum ingenio penitus aliena, ut id velut conspiratione factâ sponte suscipiant universi, quod suæ sententiæ contrarium est. Adde, si secundo sæculo novam, & primæ traditioni adversam consuetudinem in Ecclesiam aliqui inducere voluissent, planè incredibile est nullum fuisse Pastorem, aut Doctorem ita novitatis osorem, ita veritatis amicum, ita sacri depositi ab Apostolis traditi fidelem custodem, ut innovationi in re tanti momenti non obstitisset, ut non scripsisset adversùs errorem & consuetudinem perversam: cùm adversùs Montanistas nova jejunia, quasi Paracleti auctoritate inducere volentes, Episcopi & Doctores insurrexerint, eorum impugnaverint errores, ac eos anathemate damnaverint: cùm etiam in controversia de Baptismo Hæreticorum Stephanus Pontifex omnia Sancti Cypriani & Africanorum, Firmiliani & Cappadocum argumenta hâc unâ sententiâ ut firmissimo clypeo repulerit: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.* At nullus contra solemnem illam orandi pro mortuis consuetudinem vel mutire ausus est ad 4. usque sæculum, quo illam impugnare aggressus est Aërius: qui ubi primùm Oblationes faciendas, fundendasque Orationes pro defunctis negavit, a Patribus ut hæreticus damnatus est.

Tandem novam consuetudinem in privato quorumdam errore fundatam, in Sacrosanctum Sacrificium, quo nihil in Ecclesia sanctius & magis intemeratum est, nullo refragante irrepsisse, fidem omnem superat; sed ex Liturgiis omnibus, & ex sancto Augustino certum est, Ecclesiam in Sacrosancto Sacrificio pro defunctis orare solitam. *Ubi*, inquit, *in precibus Sacerdotum, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet commendatio mortuorum.* Incredibile igitur est consuetudinem orandi pro defunctis repente secundo sæculo inductam fuisse & adeò invaluisse in Ecclesia universa, si fidei & moribus primi sæculi contraria fuisset.

Quod verò scripsit Petrus Martyr, consuetudinem orandi pro defunctis frequentatam fuisse ab Ecclesia absque Scripturarum auctoritate, & exemplo, quàm falsum sit, superiùs demonstravimus. *Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ quæ in hac consuetudine claret auctoritas;* (inquit S. Augustinus) Sed ubi in Scripturis sacris Infantium Baptismum legunt Heterodoxi, qui

Petrum Martyrem velut unum ex suis Magistris & Reformationis suæ capitibus venerantur? quo testimonio convincent Anabaptistas? Nullo certè. In hac igitur, & in illâ controversia verissimas esse fateantur illas Sancti Augustini regulas, lib. 4. De Baptismo contra Donatistas, cap. 24. & Epist. 118. *Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.*

Si quid universa per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissima est insantia.

Ex ipsis Auctoribus Heterodoxis ostenditur doctrinam de Purgatorio non fuisse legitimam causam separationis eorum ab Ecclesia Romano-Catholica.

XXIII. Ut verò ex Protestantium Patriarchis assertionem Purgatorii non repugnare fidei etiam evincamus, proferendus ipsis est insignis Calvini locus, lib. 3. cap. 25. §. 6. dicentis: *Non est licitum, nec utile nobis inquirere curiosius de statu qui est inter mortem & resurrectionem. Torquentur valde plurimi, disputantes in quo loco fiat anima recepta, & utrùm fruantur jam gloria promissa, an non? Scriptura non eò usque progreditur. Quis Doctorum docebit nos, quod Deus nobis celavit? Quandoquidem Scriptura vult nos esse suspensos usque ad adventum Jesu Christi, & præcipit nos eum exspectare, & ad eam diem nos remittit recipienda corona gloriæ. Contineamus nos his terminis, quos Deus nobis assignavit, scilicet, Animas Fidelium in requiem recipi, ubi expectant cum gaudio fruitionem gloriæ, & sic omnia suspensa manere, usquequò Christus appareat in Redemptorem.*

Non repugnat itaque Fidei, judice Calvino, tertius locus, quo recipiantur Fidelium defunctorum animæ, ab inferis, & cælo distinctus: non repugnat Fidei quòd earum suspensa credatur ad supremi judicii diem beatitudo. Quam licèt ipsas cum gaudio expectare supponat, quod ex sortis beatæ securitate nascitur; negari tamen non potest, quin dilatio illa & suspensio affligat animas, secundùm illud Scripturæ sacræ oraculum, Proverb. 12. *Spes quæ differtur, affligit animam.* Quod certè a doctrina Purgatorii non longè abest.

XXIV. Joannes Wicleffus, & Joannes Hus, quos Protestantes velut Catholicos Doctores, & ad reformationem Ecclesiæ divinitus excitatos venerantur, & a quibus Ecclesiarum suarum origines ducunt, Purgatorii doctrinam sunt professi. Sic quippe Wicleffus, *Dialogorum lib. 2. cap. 22. Verè dicitur Ecclesia Corpus Christi mixtum, quod verbis prædestinationis æternis, est cum Christo sponso Ecclesia copulatum. Et talis est triplex Ecclesia, scilicet Militans, Dormiens, & Triumphans. Militans est corpus Prædestinatorum, dùm hic vivat ad patriam. Ecclesia dormiens est, Prædestinati in Purgatorio patientes. Et Ecclesia triumphans est, beati in patria quiescentes.* Et cap. 40. *Cùm multæ animæ sint interim in Purgatorio expiandæ, nec decet universalem Dominum multiplicare sic suum judicium, patet quòd oportet esse judicium ultimatum.*

Joannes Hus in Elucidatione fidei suæ, eodem modo Ecclesiam dividit, & Ecclesiam dici dormientem docet, *Quia ibi existens, jam beatitudinem expectat, quam debet ingredi ex Dei gratia, & auxilio Ecclesiæ militantis.* Et in Tractatu *de Corpore & Sanguine Domini, cap. 4.* hos recenset effectus venerabilis Sacramenti, *Purgari a peccatis, proficere in virtutibus, liberari a pœna Purgatorii, quam deberet homo pati, &c.* Et in Sermone *de Exequiis*, causam laudabilem illarum hanc assignat, *Ut devotiùs orando pro mortuis, dormienti Ecclesiæ, id est, sanctis in Purgatorio, adjutorium impendamus.*

XXV. Ex his compertum est doctrinam de Purgatorio haberi non posse a Protestantibus loco erroris fundamentalis; alioqui non solùm omnes Patres, & Christianos, demptis illis qui primo sæculo vixerunt, sed etiam ipsos prætensæ Reformationis suæ Antistites, a Christo alienos & æternæ damnationi addictos fateantur necesse est. De Patribus enim scribit Petrus Martyr, Locorum Communium Classe 3. cap. 9. §. 52. *De Patribus quid senserint hac de re non habeo quid aliud referam, nisi majorem illorum partem in eam sententiam esse propensos, ut Purgatorium concedant. Sed apud nullos eorum memini me legisse, articulum esse fidei, ut qui secùs opinatus fuerit, salutem habere non possit.* Quibus Petri Martyris verbis refellitur Calvinus *lib. 3. Institutionum, cap. 5. §. 6.* dicens: *Purgatorium exitiale Satanæ esse commentum, quod Christi crucem evacuat, quod contumeliam Dei misericordiæ non ferendam irrogat, quòd fidem nostram labefacit & evertit.* Sic sensisse Patres, nec Calvinus ipse agnovit, nec Petrus Martyr. Imò non sensisse, evidens est doctioribus ex parte Protestantium. Sic non sensisse Wicleffum & Joannem Hus compertum est. Patres omnes in errorem fundamentalem esse lapsos, non asserent, opinor, Protestantes. Multo minus id dicent de suis Patriarchis Wicleffo & Husso. Igitur doctrinam de Purgatorio inter fundamentales, ut vocant, errores, non esse referendam fateri coguntur, velint, nolint. Porrò dogma est, apud eos confessum, non esse licitam separationem a reliquorum Christianorum cœtu, propter dissensum in articulis non fundamentalibus. Debent itaque fateri, doctrinam de Purgatorio non fuisse legitimam caussam separationis eorum ab Ecclesia Romano-Catholica.

Hæreticorum Objectiones contra Purgatorium solvuntur.

Objectio 1. petitur ex Scriptura sacra, Ecclesiastici 9. *Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Quibus verbis, nullum esse in futuro sæculo expiandis peccatis locum, sapiens innuit.

Et cap. 11. *Si ceciderit*, inquit, *lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Quæ verba contra tertium locum, e quo sit aliquando exitus, apertè pugnant.

Respondeo ad primum, frustra contra fidem Purgatorii hæc ab hæreticis objici. Nam hæc verba significant quidem defunctorum animas non esse in statu meritoriè agendi, non verò quod non sint in statu patiendi, vel juvamen percipiendi in pœnis, propter merita, quæ sibi hæc in vita compararunt. Hinc sanctus Gregorius Magnus lib. 4. Dialogorum, cap. 39. hæc habet: *Salomon dicit, Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio est apud inferos. Ex quibus constat, quia qualis hinc egreditur quisque, talis in judicio præsentatur. Sed tamen de quibusdam levibus culpis esse ante judicium Purgatorius ignis credendus est.* Et in fine capitis: *Hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis actibus, in hac vita positus, ut illic obtineat, promereatur.*

Ad secundum respondeo, Hunc pariter locum imperitè adduci a Novatoribus contra Purgatorium. Sensus enim illorum verborum duntaxat est, quòd post hanc vitam nemo possit a statu justitiæ, vel a statu peccati mutari in contrarium, sed in eo singuli statu immobiliter permaneant, in quo post finem vitæ reperiuntur: non autem quòd servato utroque statu, non sit aliquis intermedius inter beatitudinem actu post finem vitæ consequendam, & intèr sempiternam damnationem incurrendam. Designatur enim status ultimus illis verbis, nempe status beatificus, a quo cœlites non excidunt; & damnationis a quo damnati non resurgunt. Hunc sensum indicat sanctus

Hie-

Hieronymus in eum locum: *Ubicumque*, inquit, *praeparaveris tibi locum, futurumque sedem, ibi cùm mortuus fueris, permanebis*.

Objectio 2. petitur ex Ezechielis cap. 18. ubi Dominus ait: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam: vitâ vivet & non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor*. At quî recordaretur iniquitatum quas amicis suis ignovit, si de illis ultionem in Purgatorio expeteret. Nullum igitur Purgatorium est.

Respondeo, Non recordari Deum iniquitatum quas dimisit, ita ut propter illas hominem odio habeat, ipsique pœnas æternas infligat; quæ cum amicitia Dei cohærere non possunt, & quas ut judex severissimus infligit: ipsarum verò recordari in ordine ad pœnas temporales, quæ divina cum amicitia stare possunt, & quas Deus non solùm ut judex decernit, sed ut pater, qui his pœnis Justorum animas leviorum adhuc maculis peccatorum infuscatas, vel pœnarum justitiæ suæ dandarum obligatas reatu, purgatoriis pœnis emundat, suo ut conspectu recreet ac beet expiatas. Certè eodem sensu intelligi debent hæc verba Dei de impiis pœnitentibus, *Omnium iniquitatum ejus non recordabor*, quo ista, quæ ibidem leguntur de Justis in lethale peccatum prolapsis & a justitia sua aversis: *Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*. Porrò & Patres docent, & experientia suadet, verèque Theologorum nemo diffitetur, Deum non ita oblivioni tradere bona Justorum opera, cùm a gratiæ statu deficiunt, quin ob illa præmiis ipsos temporalibus donet. Non sic igitur oblivioni tradit impiorum crimina cùm pœnitentiam agunt, quin ob ipsa pœnis temporalibus eos plectat, vel in hoc sæculo satisfactione, vel in Purgatorio satispassione luendis.

Adde in illis verbis Ezechielis, non de quolibet pœnitentiam agente, vel qualemcumque pœnitentiam, dici iniquitatum ejus Dominum non recordari, sed qui custodierit omnia præcepta Dei, & judicium & justitiam fecerit (ut ibidem additur) quibus verbis perfectissima significatur pœnitentia, quam deinceps opera bona, quasi ad plenam satisfactionem consequuntur. Unde sanctus Hieronymus hunc in locum ait: *Considerandum qualem impium & peccatorem suscipiat pœnitentem. Si omnia peccata derelinquat, & cunctas virtutes sequatur, si omnia bona fecerit, & cuncta deseruerit mala, ego omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, obliviscar*. Non est autem omnium tam perfecta Pœnitentia, & præsertim eorum qui in extremis vitæ positi convertuntur. Mirum igitur videri non debet, si post eorum Pœnitentiam aliquid supersit hìc, vel in Purgatorio, congrua satisfactione, vel satispassione expiandum.

Objicies. Nemo fictam & fraudulentam hominis cum inimico reconciliationem non judicaret, si post condonationem injuriæ & amicitiæ sponsionem, aliquod malum aut damnum ipsi inferret: Ergo a pari si Deus a justis pœnas exigeret in Purgatorio ob peccata, quæ ipsis dimisit, ipsos verè & sincerè suam in amicitiam recepisse non diceretur.

Respondeo, Nego paritatem. Longè enim alia ratio est reconciliationis hominis cum inimico, & Dei cum pœnitente. Illa siquidem externis tantùm innotescere testimoniis potest: Proindeque meritò suspecta esset fraudis, si grave aliquod malum & damnum inferret inimico, cui se dimisisse injuriam publicè ac palam fuisset contestatus. Præterea malum illud quo afficeretur inimicus, ad expiationem injuriæ quam priùs inflixisset alteri, vel ad amicitiæ confirmationem, conferret nihil. Dei autem cum pœnitente reconciliatio interior est, & externâ illa pœnæ remissione non indiget ut probetur. Ac præterea pœnæ quas hìc, vel in Purgatorio exsolvit justus, ad resarciendum honorem Deo ablatum, & violata priori peccato justitiæ simul & misericordiæ jura quodammodo reparanda, infliguntur. Suum quippe jus exercet misericordia, cùm peccatum condonat: suum justitia, cùm pœnas satisfactorias exigit. Nec enim Deus instar privati cujusdam cogitandus est, qui nedum injuriam, sed & pœnam omnem injuriæ debitam, remittere debet inimico, quem suam in gratiam recipit: sed instar judicis, qui leges, ordinemque juris servare debet.

Objicies tertiò. Duos tantùm ordines Scriptura sacra commemorat eorum qui e vita decedunt; justorum scilicet, qui statim in cælum recipiuntur, & impiorum qui statim in inferos detruduntur. Tertius itaque Purgatorii locus fictitius est.

Probatur antecedens ex verbis Christi, Joannis 5. *Amen, Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit a morte in vitam*. Et ex Apocalypsis 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos*. Et ex Apostolo ad Romanos 8. *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*. Ergo justorum animæ in cœlum recipiuntur, statim atque e vita decedunt.

Confirmatur ex Patribus, qui duos etiam dumtaxat ordines judicandorum agnoscunt, & duo dumtaxat loca in quibus solutæ corporibus animæ recipiantur. Sic enim Sanctus Augustinus, libro 5. *Hypognostici*, cap. 5. *Primum locum Fides Catholicorum divina auctoritate regnum credidit esse cælorum. Secundum gehennam, ubi omnis apostata, vel a Christi fide alienus, æterna supplicia experietur. Tertium penitus ignoramus, imò nec esse in Scripturis Sanctis invenimus*. Idem asserit *Sermone 14. de Verbis Apostoli*.

Respondeo, Distinguo antecedens. Duos tantùm ordines Scriptura sacra commemorat, in die judicii, & in ultima retributione, concedo: ante diem judicii, nego. Interim namque ordo intermedius datur, non quidem aliquorum qui æternùm damnandi sunt, sed aliorum qui æterna sunt aliquando fœlicitate donandi: quia licèt illi, qui lethalis peccati rei moriuntur, absolutè mali sint, ideòque statim pro meritis in inferos detrudendi: non tamen omnes qui in statu gratiæ & charitatis obeunt, sunt absolutè & simpliciter boni, sive propter venialia peccata, sive propter debitum pœnæ, quod mortali peccato contraxerunt, quòd congrua satisfactione pœnæ temporalis reatus non penitus expunctus sit.

Ad Scripturæ sacræ loca respondeo, ipsa de viris perfectè justis intelligenda esse, qui nullius cum peccati labe, vel pœnæ reatum e vita migrant. Joannis enim 5. fœlices illæ animæ significantur, quæ Christo crediderunt ea fide quæ per dilectionem operatur, & suam omnem vitam ac operationem ad verbum Dei velut ad regulam supremam exegerunt, nihilque admisere propter quod in judicium coram Deo vocari possint: *Qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit*. Sed & ad ultimum judicium, non ad statum animarum justarum ante judicii diem, referendus videtur ille S. Joannis locus, propter verba sequentia: *Amen, Amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent...... Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui*

in

in monumentis sunt, audient vocem filii Dei: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii. Locus etiam Apocalypsis, de iis qui perfectè justi sunt, & de Martyribus intelligendus est, ut ex verbis antecedentibus patet. * *Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Jesu. Et audivi vocem de cælo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Denique testimonium Apostoli *ad Romanos* 8. eodem sensu exponendum est, quod & adjuncta demonstrant: *Qui non secundùm carnem ambulant.* Illi enim perfectè justi sunt, qui non obediunt cupiditati, nec quæ carnis sunt sapiunt, sed quæ sunt Spiritûs sentiunt.

* *Unde & Beza legit:* Beati mortui, qui propter Dominum moriuntur. *Et de Martyribus explicat.*

Ad confirmationem, respondeo, Auctorem, lib. Hypognostici, sive Hypomnestici, & Sanctum Augustinum, *Sermone* 14. *de Verbis Apostoli*, & alibi tertium locum rejicere, a regno cælorum distinctum, qualem admittebant Pelagiani, peccatum originale in parvulis negantes, adeòque asserentes Baptismum ad peccatum delendum ipsis necessarium non esse, sed ad regnum duntaxat cælorum ipsis referandum: extra quod nihilominus vitâ & quiete æternâ fruerentur, qui absque Baptismo decederent. Id patet ex antecedentibus & adjunctis illius loci ex libro Hypomnestici: *Quomodo igitur*, inquit, *vitam regni cælorum promittis parvulis non renatis ex aqua & Spiritu sancto? ..... Ejus enim edictum est: Si quis renatus non fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cælorum. Intrare quippe in regnum cælorum, non est aliud quàm in vita beata vivere, quæ permanet in sæcula sæculorum ...... Da mihi præter hunc, alterum locum, ubi vita possit requies esse perennis. Primum enim locum fides Catholicorum divina auctoritate regnum credidit esse cælorum, secundum gehennam*, &c. Et mox subjungit: *Finge, Pelagiane, locum ex officina perversi dogmatis tui, ubi alieni a Christi gratia vitam requiei & gloria possidere parvuli possint. Dextera justi Judicis & sinistra, regnum est & gehenna, vita & mors, justi & iniqui.* Temerè igitur ad marginem istius loci hanc notam apposuit Erasmus: *Tertium locum ignoramus, Purgatorium*: cùm perspicuum sit hunc locum contra fidem Purgatorii non pugnare.

Objicies quartò ex Apostolo II. *ad Corinthios* 5. dicentes: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Porrò si viventium orationes, & satisfactiones defunctis prodessent ad eorum pœnas minuendas, vel omnino finiendas, non referret unusquisque prout gessit. Nullus igitur status datur in quo animæ defunctorum precibus & bonis operibus viventium in pœnis sublevari, vel ex iis eripi possint.

Confirmatur ex illis verbis, ad Galatas 6. *Unusquisque onus suum portabit.* In quorum verborum Commentario sanctus Hieronymus ait: *Dum in præsenti sæculo sumus, sive orationibus, sive consiliis posse nos coadjuvari. Cùm autem ante Tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, nec Noë rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum.* Ubi alludit ad Propheticum illud ex ipsius Dei persona Oraculum, Ezechielis 14. *Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noë, Daniel & Job: ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas ..... Tres viri isti si fuerint in ea, vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur.* Defunctorum igitur animæ quæ ante Christi Tribunal steterunt, sententiam suam audituræ, in eo non sunt statu, in quo viventium orationibus, aliisque piis operibus juvari possint.

Nec explicari hic sancti Hieronymi locus potest de novissimo judicio, cùm Purgatorio jam evacuato & desinente, vivorum etiam pro defunctis desinent suffragia, ultimaque supremi judicis sententia, sine spe revocationis, executioni mandabitur (ut explicat Bellarminus) quia sanctus Hieronymus antithesim instituit statum inter futurum & præsentem: quatenus in præsenti sæculo mutuis nos auxiliis sublevare possumus; non autem in futuro, in quo unusquisque onus suum portabit: adeòque de omni statu, qui præsenti sæculo opponitur, intelligendum est, quòd aliorum precibus in eo non poterimus adjuvari. Neque verò huic expositioni modus ille loquendi repugnat: *Cùm ante Tribunal Christi venerimus*, quia etiam ante Tribunal Christi statim post mortem unusquisque sistitur, & particulare judicium subit, ex cujus eventu pendet sententia, quæ in ultimo judicio ferenda est.

Respondeo ad primum locum Apostoli, quòd, etiamsi viventium orationes & satisfactiones defunctis prosint ad eorum pœnas minuendas, vel omnino finiendas, nihilominus unusquisque refert prout gessit, quia hoc ipsum quòd aliorum satisfactionibus & suffragiis juvari potest, aliqua pars est vel appendix meriti, quod hac in vita comparavit. Illud etiam debetur statui Charitatis, in quo justi decedunt, ut ex communione cum aliis in statu etiam charitatis viventibus, & eidem capiti Christo adhærentibus, utilitatem reportent, & subsidium, quo in pœnis subleventur, vel ab iis omnino liberentur. Hinc sanctus Augustinus in Enchiridio cap. 110. ait: *Hîc omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam, vel gravari. Nemo autem se speret, quòd hîc neglexerit, cùm obierit apud Deum promereri. Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt adversa sententiæ, quâ dictum est: Omnes enim adstabimus ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque secundùm ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum: quia etiam hoc meritum sibi quisque, cùm in corpore viveret, comparavit, ut ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore?*

Ad alterum locum Apostoli respondeo, unumquemque suum onus, sive propria peccata portaturum, id est, in Dei judicio stipendia recepturum peccati sui, non alieni; sive retributionem gloriæ vel ignominiæ pro suis operibus, non qualia fuerint alienorum operum comparatione, sed qualia in se fuerint. Probat enim Apostolus alterum alterius onera, id est, peccata & infirmitates mutua charitate ferre debere: charitate, inquam, condolente, dissimulante, leniter admonente, fraternè corripiente, quærente fratris emendationem, non confusionem & punitionem. Hoc modo legem Christi de fraterna dilectione adimpleri: *Alter alterius onera portate*, inquit, *& sic adimplebitis legem Christi*. Cæterùm eos qui superbiâ elati, & existimantes se aliis sanctiores, infirmos duriùs corripiunt, immaniter falli: *Nam si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Unumquemque opus suum scrutari & discutere debere, ne quasi criminis purum se gerens, alienorom operum censorem ac judicem se præbeat severissimum. Unumquemque enim judicandum pro suis operibus, non aliorum comparatione spectatis; sed in se, prout ab unoquoque edita sunt. Ac proinde non debere nos respicere alios fortè pejores, aut minùs bonos; quasi nobis profutora sit coram Tribunali Christi hæc excusatio: Meliorem, aut certè non tam flagitiosam vitam duxi, quàm hic, aut ille: sed animi no-

nostri oculos in nobis ipsis unicè defigendos esse, ut peccata nostra excutiamus: quia unusquisque pro peccatis propriis Deo rationem reddet, ac propriam mercedem accipiet: *Opus autem suum probet unusquisque: Et sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero. Unusquisque enim onus suum portabit*. Sed hic sensus Purgatorii dogmati non officit. Quantumvis enim unusquisque pro suis peccatis reddendæ a Deo rationi sit obnoxius, pro illisque pœnas subeat, vel hoc in sæculo per pœnitentiæ satisfactionem, vel in Purgatorio per satispassionem: unus tamen pro alio facere satis divinæ justitiæ quodammodo potest: sicut onus suum unusquisque portabit, quantumvis Christus pro singulis Patri satisfecerit. Sic exponit hunc locum Apostoli sanctus Augustinus, lib.3. contra Literas Petiliani Donatistæ, cap.5. *Unusquisque proprium onus portabit, onus videlicet reddendæ rationis: quia unusquisque nostrûm pro se rationem reddet. Non itaque ampliùs invicem judicemus. Nam quantùm attinet ad onera mutua charitatis, invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi*.

Ad testimonium sancti Hieronymi, respondeo, Ipsum negare quòd mutuis orationibus juvare nos possimus, cùm ante Christi Tribunal omnes venerimus, id est, in ultimo judicio: nec tunc viros etiam sanctissimos pro aliis rogare posse: imò nec post mortem posse quemquam alterius precibus juvari, ut a statu peccati ad statum gratiæ resurgat, si mortuus fuerit impœnitens: sicut hac in vita peccatorum conversio justorum precibus a Deo impetrari potest. Secundùm opera propria unumquemque judicandum, non per comparationem ad deteriores; idque ita ratum esse, ut nec Job, Daniel, & Noë, id est, viri sanctissimi & apud Deum potentissimi, hunc divini judicii ordinem suis orationibus impedire possint. Sed non negat sanctus Hieronymus quin illo temporis intervallo, quod inter hominis mortem & ultimam resurrectionem interpositum est, justorum imperfectorum animæ non possint viventium precibus in pœnis, quibus expiantur sublevari, vel ab iis eripi. Sensum sancti Hieronymi verba ejus satis indicant loco in objectione laudato: *Videtur*, inquit, *superioribus contraire, ubi ait: Alter alterius onera portate. Si enim onus suum unusquisque portabit, alter alterius onera portare non poterit. Sed videndum quòd ibi præceperit ut peccantes in hac vita nos invicem sustentemus, & in præsenti sæculo alterutrum auxilio simus: Hic autem de Domini dicat in nos judicio, quòd non ex alterius peccato, & comparatione deterioris, sed juxtà nostrum opus aut peccatores ab eo judicemur, aut sancti, recipiente unoquoque secundùm opus suum. Obscurè licèt docemur per hanc sententiolam novum dogma quod latitat, dum in præsenti sæculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse nos coadjuvari. Cùm autem ante Tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, non Noë rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum*.

Hic Sancti Hieronymi sensus magis splendescet, si cum altero ejusdem Patris conferatur, *lib.4. Commentar. in Ezechiel.* ad cap.14. *Quòd si*, inquit, *Noë, Daniel, & Job pariter congregati, & in uno loco positi, peccatricem terram, hoc est eos qui in terra peccatrice habitant, non possunt iram Dei subtrahere: quid dicendum est de his, qui putant merito parentum atque virtutibus posse filios peccatores de gehennæ ignibus liberare? Unde nec peccatorem filium justus pater poterit liberare, nec sanctæ conversationis mater impudica filia dabit præmia pudicitiæ*. Non igitur negat Sanctus Hieronymus, quin animæ in Purgatorio detentæ viventium precibus juvari possint; sed solùm quòd impiorum animæ possint justorum suffragiis ex inferis liberari; vel immutari post mortem a statu peccati, propter quod æternam damnationem incurrerunt, ad statum gratiæ & charitatis, quo beatitudinem æternam mereantur.

Ita laudatum Sancti Hieronymi in Commentariis Epistolæ ad Galatas locum Gratianus intellexit. Postquam enim illum retulit: *Causa 13. Qu.2. C. In præsenti*, hæc subjungit: *Verùm hoc de impœnitentibus accipiendum est, de quibus Propheta dicit: Non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ: & ideò frater non redimet eum, sed laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem. De aliis autem intelligi non potest*.

Objicies quintò. Sublatâ necessitate satisfactionis, de Purgatorio actum est: atqui nulla satisfactio persolvenda manet post remissionem peccati: nullum igitur est Purgatorium.

Probatur minor. Tum quia Christus *lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & propitiatio est pro peccatis nostris*, ejusque pro peccatis nostris satisfactio non tantùm sufficiens est, sed superabundans: adeòque ejus passioni & morti infertur injuria, si præter ejus satisfactionem humanæ etiam satisfactiones ad Deum placandum necessariæ asserantur. Tum quia Sanctus Ambrosius in Lucæ cap.22. nullam sanctum Petrum pro peccato suæ negationis, quod certè gravissimum fuit, obtulisse Deo satisfactionem affirmat: *Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego*. Igitur nulla satisfactio persolvenda manet post remissionem peccati.

Respondeo, Nego minorem. Ad ejus probationem primam respondeo, Christi satisfactionem sufficientem esse pro peccatis totius mundi, in modum causæ & remedii universalis, quod nihilominus tum per Sacramenta; tum per satisfactiones nostras debeat nobis applicari. Unde sicut nulla fit injuria dolori quo Christus pro peccatis nostris afflictus est, & lachrymis quas pro illorum remissione fudit, ex eo quòd contritio & lachrymæ peccatorum ad expianda delicta necessariæ asserantur: nec ulla fit injuria orationibus Christi, ex eo quòd orationes nostræ ad remissionem peccatorum obtinendam, & divina beneficia impetranda necessariæ sint: ita nulla fit injuria satisfactioni Christi, quamvis hominum satisfactio post remissionem peccati postuletur.

Ad secundam probationem respondeo, Nomen satisfactionis eo loco apud Sanctum Ambrosium non significare satisfactionem, quâ de agimus, quæ pœnitentiæ pars est, vel appendix, sed populariter accipi pro excusatione, quæ verbis fieri solet. Nam satisfacere alicui, vulgò dicimus, apud illum se verbis purgare. Laudat itaque Sanctum Petrum Ambrosius, quòd ingenuè confessus fuerit peccatum, neque satisfecerit, id est, excusaverit, aut purgaverit se verbis. Sed satisfactionem propriè dictam, prout pœnitentiæ pars est, in Sancti Petri pœnitentia non negat. Hunc esse Sancti Ambrosii sensum constat ex adjunctis. *Petrus*, inquit, *prorupit ad lachrymas, nihil voce precatur..... Invenio quid fleverit, non invenio quid dixerit.... Rectè planè Petrus flevit & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari, & quod defendi non potest, ablui potest*.

Objicies verba Sancti Joannis Chrysostomi in Psalmum 50. dicentis: *Ubi misericordia est, pœna non expetuntur*. Nullas igitur pœnas Deus ab iis expetit, quibus condonavit peccata: adeoque & satisfactionis necessitas, & Purgatorium pessumeunt.

Respondeo, Distinguo Chrysostomi propositionem.

nem. Ubi misericordia est, pœnæ non expetuntur ad perditionem peccatoris, concedo: ad ejus purgationem, & ad satisfaciendum justitiæ divinæ, nego. Hinc Sanctus Chrysostomus ibidem exponens cur David post remissionem peccatorum, postquam ex ore Nathan audivit: *Etiam Dominus abstulit peccatum tuum*, adhuc misericordiam divinam imploret: ipsum sic inducit respondentem: *Sublatum quidem est peccatum meum; at etiam tolli cicatricem cupio: sublatum est ulcus; at etiam pulchritudinem meam recipere cupio*. Aliquid igitur post peccati remissionem expiandum & purgandum sibi superesse David persuasum habebat, scilicet reatum pœnæ temporalis. Unde idem Sanctus Chrysostomus notat, Davidem, quamvis de peccati remissione securum, orationes, lachrymas, & humilem confessionem Deo obtulisse, ut ampliùs a peccato ablueretur. *Ampliùs lava me*, inquit, *ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me*. Quasi diceret: *Jam quidem per Nathan Prophetam remissionem mihi dedisti, atque omnis generis calamitates, tamquam ultiones quasdam mihi adhibuisti; verùm ablutionibus adhuc opus habeo, ut qui ingentem fœtorem ex peccato contraxerim. Quamobrem, Domine, cursum me ablue, ut omnes peccati sordes abradas.*

Objicies. Post remissionem peccatorum in Baptismo, nulli pœnæ obnoxii manent baptizati: ergo post remissionem peccatorum in Pœnitentia, nulli pœnæ obnoxii manent pœnitentes, adeòque & satisfactionum tollitur necessitas, & Purgatorium evertitur.

Respondeo, Nego consequens: Ratio discriminis est, quia Baptismus regenerationis & innovationis Sacramentum est, quod ideò culpam insimul & omnem pœnæ reatum expungit: at Pœnitentia Sacramentum est sanationis, in quo majores ex parte hominis pœnitentis dispositiones postulantur: quia gravius peccatum est quod perpetratur post Baptismum, illo quod ante Baptismum admittitur: Ac propterea majores ad placandam divinam justitiam, & misericordiam promerendam labores subeundi sunt. Hoc discrimen Tridentina docet Synodus, Sess. 14. cap. 2. de Pœnitentiæ Sacramento. *Alius est*, inquit, *Baptismi, & alius Pœnitentia fructus. Per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divinâ id exigente justitiâ pervenire nequaquam possumus; ut meritò pœnitentia laboriosus quidam Baptismus dictus fuerit.* Et cap. 8. *Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui semel a peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus S. dono; scienter templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint.*

Rursus objicies. Crescente culpâ, crescit pœna: ergo decrescente culpâ decrescit pœna: ergo remissa omni culpâ, remittitur etiam omnis pœna.

Respondeo, Nego consequens. Licet enim in effectibus qui a caussis pendent, non solum ut sint, sed ut conserventur, sicut splendor ab igne, effectus crescat crescente caussa, eadem decrescente minuatur, ea demum sublata pereat: sicut igne crescente splendor augetur, eo deficiente minuitur, extincto evanescit: tamen in effectibus qui permanentes sunt, & independenter a suis caussis conservantur, non sequitur quòd caussa sublata deleantur; licet ipsa crescente & ipsi crescant. Sic vulnus effectus est gladii, & quo major est gladius majus est vulnus: sed tamen statim atque tollitur gladius, vulnus non curatur. Cum itaque pœnæ reatus sit effectus culpæ quo modo vulnus & cicatrix effectus est gladii; rectè colligitur eò majori pœnæ obnoxium esse peccatorem, quò major ejus est culpa: sed non rectè infertur, nullius omnino pœnæ reatum manere, quando culpa per pænitentiam expuncta est.

Objicies sextò. Si ex Ecclesiæ precibus colligi potest esse Purgatorium, a cujus pœnis animæ possunt viventium precibus liberari, vel in iisdem sublevari; colligi pari jure potest damnatorum animas ex inferis eripi posse, vel suspensam eorum qui in statu gratiæ & charitatis decedunt, manere salutem ad diem usque judicii. Nam Ecclesia orat, ut *Liberentur de morte æterna in die illa tremenda quando cœli movendi sunt & terra, dum veneris Christe judicare sæculum per ignem.* Et in Offertorio Missæ pro Defunctis, precatur Sacerdos Christum ut *Liberet animas omnium Fidelium defunctorum de pœnis inferni & de profundo lacu: ut liberet eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscura.* Cùm itaque ex his precibus colligi non possit damnatos ex inferis posse eripi, vel Fideles, qui in gratia decesserunt, adhuc in salutis suæ discrimine versari: multò minùs ex his Purgatorium colligi potest.

Quo sensu Ecclesia Deum orat ut justorum defunctorum animæ de morte æterna liberentur.

Respondeo, Nego consecutionem majoris. Preces verò Ecclesiæ mox laudatas referri dico ad illud instans, quo animæ e corpore migrarunt, quæ migratio tunc in memoriam revocatur, cum has Orationes Ecclesia fundit, non quidem ut earum liberationem ex inferorum pœnis obtineat; sed ut ipsis pœnarum, quas in Purgatorio subeunt, mitigationem, vel integram remissionem impetret: quæ mitigatio, vel remissio beneficium est ad illud consequens, quo ipsas divina miseratio conferendo eis perseverantiæ donum, servavit ne damnationem æternam incurrerent. Sic Ecclesia Mysteria Christi celebrando, tempus illud revocat in memoriam, quo nondum perfecta erant, sed a Patriarchis, Prophetis, vel Apostolis, & justis illorum temporum viris desiderabantur, vel expectabantur: & eorum voces mutuata, illorum consummationem postulat, non quidem in se & absolutè spectatorum, quia de illorum non dubitat adimpletione; sed quoad illorum fructum, & gratias ex illis scaturientes, quas membris Christi filiis suis postulat applicari. Eò tendunt preces illæ quæ Adventus tempore fiunt: *Rorate cœli desuper & nubes pluant Justum, aperiatur terra & germinet Salvatorem*: & similes quæ in Festis Nativitatis Domini Passionis, & Resurrectionis canuntur; quæ mysteria illa ab Ecclesia ita celebrari & recoli supponunt, quasi adhuc adimplenda essent, vel nunc nunc adimpleta. Qua de re Sanctus Augustinus, *Epistolâ 23. ad Bonifacium Episcopum*, ita scribit: *Nempe sæpe ita loquimur, ut Pascha propinquante dicamus crastinam, vel perendinam Domini Passionem, cùm ille ante tam multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa passio facta sit. Nempe ipso die Dominico dicimus: Hodie Dominus resurrexit, cùm ex quo resurrexit, tot anni transierunt. Cur nemo tam ineptus est, ut nos ita loquentes arguat esse mentitos, nisi quia istos dies, secundùm illorum, quibus hæc gesta sunt, similitudinem nuncupamus, ut dicatur ipse dies, qui non est ipse, sed revolutione temporis similis ejus: & dicatur illo die fieri propter Sacramenti celebrationem, quod non illo die, sed jam olim factum est? Nonne semel immolatus est Christus in seipso, & tamen in Sacramento, non solùm per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur: nec utique mentitur, qui interrogatus, responderit immolari, &c.*

Respondeo secundò, (quod in idem redit) Ec-

Ecclesiam ea quandoqoe postolare de quibus certissima est; vel quorum jam est possessione donata, ut vehemens desiderium, ardentissimumque amorem præstiti jam a Deo beneficii ostendat, cujus appendices & fructus ab ipso precaıor. Sic Ecclesia Græca in Liturgia, post verba Christi, quibus Eucharistia consecratur, preces fundit quibus supplicat Deo: *Ut faciat panem pretiosum Corpus Christi sui, & quod est in Calice, pretiosum Sanguinem Christi sui, immutante ea Spiritu sancto suo.* Quæ preces non eo fine a Sacerdote funduntur, ut conversionem panis in Christi Corpus, & conversionem vini in Christi Sanguinem impetret, cùm illa jam Christi verbis consecratoriis perfecta sit, sed ut fructus & appendices illius transmutationis, sive gratias ex Sacramento scaturientes Fidelibus impetret, & Sacrificii fructum ipsis obtineat applicari. Sic illæ preces, quas Ecclesia fundit in Missa pro defunctis, quibus Deo supplicat ut eorum animas liberet de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli movendi sunt & terra, & ut de pœnis inferni & de profundo lacu eas eripiat, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscura; non eo fine fiunt ut earum liberatio ex inferis damnatorum impetretur, sive ut serventur Dei beneficio ne damnationem æternam incurrant: quod beneficium jam ipsis collatum est cùm perseverantiæ donum obtinuere, & in statu gratiæ, & charitatis e corpore migrarunt; sed ut earum liberatio e purgatorii pœnis, & divinæ visioois adeptio, quæ singularis illius misericordiæ appendix est, qua in statu justitiæ excesserunt, & inferorum pœnas evasere, obtineatur a Deo; sive ut froctus gratiæ & charitatis, remoto peccatorum venialium & reatûs pœnæ temporalis obice, a justis illis animabus possideatur. Denique, sicut preces illæ quæ post verba consecratoria in Ecclesiæ Græcæ Liturgia fiunt, & nihilominus conversionem donorum in Corpus & Sanguinem Christi postulant, *Intelligenda sunt non tamquam in tempore in quo dicuntur, sed tamquam in tempore pro quo dicuntur ac si tempus illud maneret nondùmque desineret*: Id est, referendæ sunt ad tempus immediatè consecrationem antecedens, quamvis sint posteriùs factæ (ut explicat Bessarion Cardinalis, *Lib. de Sacramento Eucharistia*) ita preces illæ pro Defunctis, quibus Ecclesia Christo supplicat ut eas liberet de pœnis inferni, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscura; non sunt intelligendæ pro tempore in quo dicuntur, quo jam de sua sorte securæ sunt; sed referendæ sunt ad tempus pro quo dicuntur, ac si præsens esset; id est, ad illud tempus quo vinculis corporis proximè solvendæ erant. Tunc enim maximè intererat Ecclesiæ ut eas Deo commendaret, earumque ab æterna damnatione liberationem, ac æternam salutem ardentissimis precibus postularet. Quod studium pietatemque propensissimam erga dilectarum animarum salutem Ecclesia mater, etiam post ipsarum e corporis migrationem ostendit, iisdem precibus ipsas Sponso suo commendans, ac si jam de sæculo migrarent.

Quamvis certissimum sit Deo, Animas quæ Purgatorii pœnis expiantur beatas fore: Idque etiam Fi-

Respondeo III. probabile visum fuisse sancto Augustino, quarumdam sortem animarum, eorum qui in Christo regenerati sunt, ad judicium usque ultimum veluti suspensam manere, quibus tunc misericordia impertienda sit, ut in ignem æternum non mittantur. Verba ejus, lib. 21. *de Civitate Dei*, *cap.* 24. hæc sunt: *Nam pro defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesiæ, vel quorumdam piorum exauditur oratio: sed pro his, quorum in Christo regeneratorum, nec usque eo adeò vita in corpore malè gesta est, ut tali misericordiâ judicentur digni non esse; nec usque adeò bene, ut talem misericordiam reperiantur necessariam non habere. Sicut etiam, factâ resurrectione mortuorum, non deerunt, quibus post pœnas, quas patiuntur spiritus mortuorum, impertiatur misericordia, ut in ignem non mittantur æternum. Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro.* Hanc opinionem secutus forsan est, qui preces pro defunctis composuit, quæ ab Ecclesiâ canuntur; unde rogat, ne eas animas absorbeat tartarus, ne cadant in obscura, & ut a morte æterna, in die tremenda judicii ultimi liberentur. Sic autem orare pergit Ecclesia, quia nescimus utrùm animæ quæ in Purgatorio expiantur, saltem omnes, se beatas fore certò cognoscant, sintque omnino de sua prædestinatione securæ: quamvis beata sors illarum sit a Deo prædestinata, nec mutationi obnoxia. Fieri enim potest, ut volente Deo, spem inter ac metum fluctuent, ac obscuritas & tenebræ quæ ipsis proprii status perfectam cognitionem abscondunt, non minima pars sint pœnæ purgatoriæ. Si enim Deus justos viventes hujusmodi anxietatibus, crucibus internis, consolationum spiritalium omnimoda privatione, & quadam veluti derelictione probat, & purgat: quidni postquam e corpore migrarunt, cùm in Purgatorio detinentur, similibus, sed in eo genere multò gravioribus pœnis ipsos mirabiliter cruciet, ut turbatæ sint, anxiæ, & tristes eorum animæ, dum sibi ipsis dicunt: *Ubi est Deus tuus?* An ita se res habeat, nescimus, cùm nec Scriptura, nec Traditio doceant eas futuram beatitudinem suam certissimè scire: Deus scit. Certè hac in sententia esse Doctores quosdam Catholicos non infimi subsellii, & Dionysium in primis Carthusianum, Bellarminus agnoscit, lib. 2. *De Purgatorio*, *cap.* 4. & sanctus Augustinus *Ad Beatitudinis summa plenitudinem* pertinere docet, ut Sancti *cadere non possint ulteriùs, & hoc de se certissimè sciant. Istam summa Beatitudinis plenitudinem Angelos bonos tamquam præmium permansionis in gratiâ accepisse, id est, ut magnâ per Spiritum datâ abundantia charitatis Dei cadere ulteriùs omnino non possent, & hoc de se certissimè nossent. Cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium stetisse ipsos, & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruisse, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, quâ eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros. Nobis beatam sine fine vitam promissam esse, & æqualitatem Angelorum, ex qua promissione certè sumus, cùm ad illam vitam post judicium venerimus, non inde nos esse lapsuros. Quòd si de se ipsi Angeli nesciunt, non æquales, sed beatiores erimus. Certum est igitur hoc eos nosse per speciem, quod nos per fidem, nullam scilicet ruinam cujusquam Angeli sancti futuram.* (Lib. de Correptione & Gratia cap. 10. & 11.) Itaque perfecta illa securitas de perennitate beatitudinis, illorum videri potest propria, secundùm mentem sancti Augustini, qui summæ beatitudinis plenitudinem attigerunt, seu qui Deo fruuntur. Non est igitur certum fide divina, utrùm animæ Purgatorio addictæ se beatas fore, & numquam in inferos detrudendas certò noverint. Quidni igitur Ecclesia id spectaverit, cùm earum nomine, earumque affectui se conformans, Deum rogat ut eas liberet de manu inferni, & de profundo lacu, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscura, & ut eas liberet de morte æterna in die tremenda supremi judicii?

des doceat; non tamen fide certum est utrùm omnes se beatas fore certò cognoscant.

Ex Ecclesiæ precibus pro defunctis rectè colligi Purgatorium ostenditur; & istius vis argumenti contra Hæreticos defenditur.

Objicies, Ecclesiæ preces pro defunctis non probare Purgatorium, si quidem nobis fatentibus, ad illud instans referuntur, quo animæ e corporibus proximè erant migraturæ: tunc enim ob-

no-

noxiæ adhuc erant periculo æternæ damnationis. Et aliunde Ecclesia postulare pro ipsis potest solutionem a pœnis, & remissionem cunctorum peccatorum, quamvis ipsi certum sit jam eos hæc beneficia consecutos ante obitum, virtute & meritis Passionis Christi: sicut Christus oravit pro resurrectione Lazari, quamvis sciret jam se accepisse quod rogabat.

Respondeo, Nego antecedens. Quamvis enim probabile sit Orationes Ecclesiæ, quatenus postulant liberationem a pœnis inferni, referri ad illod tempus quo animæ proximæ erant e corporibus migraturæ; non tamen quatenus postulant pro ipsis absolutionem ab omni vinculo delictorum, id est a quacumque pœna, & ut in lucem sanctam repræsententur, & ut felicitati Sanctorum conjungantur, & ut perpetuam requiem obtineant. Frustra enim pro ipsis preces funderentur post mortem, nisi aliquid pro ipsis impetrandum superesset; ac iis opus haberent, cùm Oratio sit indigentiæ ac miseriæ testimonium. Et si solum periculum spectaret Ecclesia in quo justi ante obitum versabantur, aut postularet pro ipsis quod jam eos accepisse certa est, non minùs pro Martyribus oraret, quàm pro cætera justorum plebe: siquidem & ipsi antequam martyrium consummassent, periculo non perseverandi, adeòque & damnationis incurrendæ erant obnoxii. Et pro ipsis posset rogare peccatorum remissionem, & beatitudinem æternam, si petere potest pro defunctis quod jam sunt consecuti. At istud Ecclesiæ Doctrinæ repugnat, quam exponit sanctus Augustinus, *Tractatu 84. in Joannem*; ubi de Martyribus sic loquitur: *Ideò quippe ad ipsam Mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus: quia impleverunt ipsi charitatem, quâ Dominus dixit non posse esse majorem. Talia enim suis fratribus exhibuerunt, qualia de Domini Mensa pariter acceperunt.* Lege & alterum locum ante primam propositionem prænotatum.

Quamvis porrò Ecclesia postulare possit a Deo quod ab ipso Fidelibus conferendum certissimè novit, non tamen quod jam consecuti sunt: neque enim Christus Resurrectionem Lazari jam factam rogavit Patrem, sed faciendam, quamvis se exaudiendum certò nosset: *Sciebam*, inquit, *quia semper me audis.* Cùm igitur Ecclesia postulat pro Defunctis, ut ab omni vinculo delictorum absolvantur, ut ad lucem sanctam perducantur, ut sanctorum fœlicitati conjungantur, credit quosdam Fidelium Defunctorum aliquibus peccatorum vinculis adhuc teneri, & nondum luce sancta, seu visione beatifica Dei perfrui. Hunc autem animarum statum, Purgatorium vocamus. Id, inquam, credit Ecclesia, & credidit semper orando pro Defunctis; quia *Legem credendi lex statuit supplicandi*; ut ait Cœlestinus I. Romanus Pontifex.

Objicies. Ecclesia Græca post verba Consecrationis, adhuc postulat ut fiat panis pretiosum Corpus Christi, & quod est in Calice, pretiosus Christi Sanguis, transmutante ea Spiritu sancto. Potest igitur Ecclesia beneficium a Deo postulare, quod jam consecuta est. Non ergo rectè colligitur Purgatorium ex precibus Ecclesiæ pro Defunctis. Potest enim dici non absque fundamento, ipsam rogare eorum absolutionem ab omni vinculo delictorum, & repræsentationem in lucem sanctam, sive perductionem ad beatitudinem, quam certissimè novit eos jam esse consecutos.

Respondeo, Distinguo antecedens. Postulat ut fiat panis Corpus Christi, &c. Sacerdoti, & fidelibus, qui illud sacramentaliter, aut spiritualiter suscipiunt, concedo; in se, & absolutè, nego. Id est, orat ut Sacerdos, & Fideles fructum divini Sacramenti percipiant, & corporis, sanguinisque Christi, in quod jam transmutata sunt Dona, fiant participes: non verò ut simpliciter Dona proposita in Christi Corpus & Sanguinem transmutentur; quod jam factum est per verba consecratoria. Id ex Actis Concilii Florentini evidens est, ubi Græci interrogati ab Eugenio IV. Pontifice Maximo, cur ad Christi verba preces adderent post consecrationem veluti jam perfecta non esset, postulantes, illi fidem sensumque Ecclesiæ suæ expposituri quatuor e suis Antistites elegerunt, qui totius nomine Conventûs Summo Pontifici responderent, Russiæ, Nicææ, Trapezuntii, & Mitylenes Episcopos a quibus ita Eugenio responsum est; *Fatemur nos diximus per hæc verba*, Hoc est Corpus meum, *transmutari sanctum panem, & fieri Corpus Christi: sed postea, quemadmodum & ipsi dicitis: Jube perferri dona hæc per manus sancti Angeli tui in supercœleste altare tuum: ita & nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus sanctus descendat super nos, & faciat in nobis panem hunc pretiosum Corpus Christi, & quod est in Calice, pretiosum Sanguinem Christi, transmutetque illa Spiritu suo sancto, ut fiant accipientibus in emundationem animæ, in remissionem peccatorum, non verò in judicium & condemnationem.* Legatur ea de re & Bessario Cardinalis, *lib. de Sacramento Eucharistiæ*, & Goartius O. P. *in Notis ad Euchologium*. Perperam itaque ex Græcorum Liturgiis colligitur, Ecclesiam posse beneficium aliquod pro Fidelibus postulare, quod jam consecuti sunt: & quamvis consequenter potuisse semper orare pro defunctis, nullum esset Purgatorium.

In Notis ad Missam S. Joann. Chrysost.

Contra. Ecclesia Græca pro Sanctis orat & pro ipsa Deipara, in suis Liturgiis, & tamen eos credit beatitudinem consecutos: itaque inane est argumentum quod petitur ex Ecclesiæ precibus ad probandum Purgatorium: inanis responsio, quâ dictum est Ecclesiam non posse a Deo preces fundere pro beneficiis jam acceptis.

Respondeo, Nego antecedens. Offert enim pro ipsis Sacrificium, quatenus Eucharisticum est, id est in gratiarum actionem, non quatenus propitiatorium, & impetratorium, quo modo pro Fidelibus vivis & defunctis offertur. Id patet ex Liturgia sancti Chrysostomi, ubi fit commemoratio Sanctorum in hunc modum: *Item offerimus tibi rationale hoc obsequium, pro his qui in Christo requiescunt, pro Majoribus, Patribus, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Prædicatoribus, Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, Continentibus, & quovis Spiritu in fide consummato... Præsertim pro sanctissima, illibata, super omnes benedicta, gloriosa Regina nostra Deipara, & semper Virgine Maria...... Sancti Joannis Propheta, Præcursoris ac Baptistæ; Sanctorum ac percelebrium Apostolorum; sancti N. cujus memoriam celebramus: quorum precibus protege nos Deus.* Sanctorum itaque agunt memoriam in Sacrificio, in gratiarum actionem pro eorum gloriâ, ut eos apud Deum intercessores adhibeant. At cæterorum Fidelium Defunctorum longè alio modo fit memoria, ut scilicet iis remissio peccatorum, & perennis quies impetretur. *Memento omnium qui prædormierunt in spe resurrectionis æternæ vitæ...... Pro requie & remissione animæ servi tui N. in loco lucido, a quo abest dolor & gemitus: & fac eam quiescere ubi circumspectat lumen vultûs tui.* Sic respondet etiam Cabasilas in explicatione Liturgiæ. Hoc sensu sanctus Cyprianus, *Epistolâ 34.* de Celerina, Laurentino, & Ignatio, qui Martyrio coronati fuerant, scribit: *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones & dies*

anni-

anniversaria commemoratione celebramus.

Objicies. Peccata venialia remitti non possunt, post hanc vitam: quia non remittuntur absque pœnitentia, cui post obitum non est locus. Itaque nullum est Purgatorium.

Modus quo peccata venialia justis Purgatorio addictis remittuntur, ad fidem non pertinet.

Respondeo, Nego antecedens & consequens; Quia etsi omnia peccata venialia justo morienti remitterentur, vel in primo instanti separationis animæ a corpore, virtute meritorum præcedentium expungerentur, ut vult Scotus, superesset tamen reatus pœnæ in Purgatorio luendæ. Sed antecedens falsum existimat S. Thomas, & oraculo Evangelico, Sententiisque Sanctorum, & Ecclesiæ precibus repugnans. Neque necessariam veram & propriè dictam pœnitentiam ad remissionem venialium censet, sed *virtualem displicentiam*, in hac vita, vel pœnam Purgatoriam in altera. Cum enim hujusmodi pœna quadamtenus voluntaria sit: *Virtute gratia vim habet expiandi culpam omnem, quæ simul cum gratiâ stare potest:* inquit Doctor Angelicus.

Respondeo secundò, Modum quo venialia peccata justis Purgatorio addictis remittuntur, an scilicet in morte, an post mortem: an pœnitentiâ, an charitatis fervore, & displicentiâ virtuali, an perseverantiæ dono, an satisfactione, vel pœna, ad fidem non pertinere: nec a Synodo Tridentina esse definitum: sed solùm quòd non ita remittatur culpa, & reatus æternæ pœnæ deleatur, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro, in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit. Animasque in Purgatorio detentas, Fidelium suffragiis, & potissimùm acceptabili Altaris Sacrificio juvari.

Objicies. Ineptum est fingere quòd ignis animas urat, vel cruciet, cùm incorporeæ sint. Itaque fictitium est Purgatorium, in quo animæ Justorum igne crucientur, & cruciatu ejusmodi purgentur.

Respondeo, Nego antecedens. Animas enim damnatorum igne corporeo cruciari, fides docet: neque id ullus Christianus negat. Nullum igitur incommodum est, aut repugnantia ulla, quòd animæ Justorum, quibus aliquæ, vitæ quam in corpore egerunt, sordes supersunt eluendæ, aut pœnæ aliquæ solvendæ, igne Purgatorio crucientur ac expientur.

Quamvis fidei dogma non sit verum esse & corporeum ignem Purgatorii; hæc tamen probabilior & ab Ecclesia Latina recepta sententia est.

Respondeo secundò, Fidei dogma non esse, quòd verus sit & corporeus ignis Purgatorii; quamvis sit Fidei dogma, veram esse pœnam, non solùm damni, quæ in privatione temporaria visionis Dei posita est: verùm etiam sensûs, qualiscumque illa sit: quia saltem sensibilis dolor ob dilationem beatitudinis cruciat animam Dei capacem, & ad eum vehementiori charitatis tendentem impetu, ex quo a corpore separata est.

Non est Impossibile animas ab igne torqueri.

Respondeo tertiò, Juxtà probabiliorem sententiam, & ab Ecclesia receptam, Purgatorium ignem verum & corporeum esse, & animas incorporeas nihilominus cruciare: *Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœnâ corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhærebunt ergo animæ, licèt incorporeæ, ignibus cruciandæ, non ut ignes ipsi quibus adhærebunt, eorum juncturâ inspirentur, & animalia fiant, sed miris & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam: quia & iste alius modus quo corporibus adhærent spiritus, & animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, & hoc ipse homo est.* Quomodo igitur spiritus, & animæ ab igne torqueantur, cùm inferni, tum Purgatorii; an alligatione, an qualitate ab igne impressâ, an apprehensione, Scholastici disceptant, Fideles nesciunt. Unum certum est, ignem non eo modo in animas agere, quo in corpora; non agere propria virtute, sed ut justitiæ Dei ipsum ad cruciandos spiritus, sive animas applicantis instrumentum. Animas purgandas, vel damnatas, aut dæmones non uniri igni tartareo aut purgatorio hypostaticè, ita ut dæmon, vel anima fiat ignis, & ignis dæmon vel anima. Quod figmentum nostris diebus Italus quidam Theologaster in Actu Scholastico propugnandum, quoad diabolum, suscepit, ac in Programmate publico proposuit, Parisiis in ædibus PP. Theatinorum, exeunte Aprili, anno 1666. Quæ assertio, cùm aliis æquè a vera Theologia alienis, ad sacram Facultatem Parisiensem delata est, Doctorumque selectorum examini commissa; censorio stigmate inurenda, nisi sanctæ Sedi, illius & aliarum judicium servari, quod enixè rogabant Viri Religiosi, major Potestas imperasset.

Quomodo ignis ipsas cruciet, Scholastici Theologi disputant: modum Fides non docet.

Objicies, Doctrinam de Purgatorio proponi non debere ut dogma fidei; siquidem Sanctus Augustinus in numero dumtaxat probabilium opinionum, & quæ forsan veræ sunt, illam habuit. Sic enim scribit in Enchiridio, cap. 64. *Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, & utrùm ita sit, quæri potest, & aut inveniri, aut latere nonnullos Fideles, per ignem quemdam Purgatorium, quantò magis minùsve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardiùs citiùsve salvari.* Et lib. de octo Dulcitii Quæstionibus, Quæst. 1. *Sive ergo*, inquit, *in hac vita tantùm homines ista patiuntur, sive etiam post hanc vitam talia quædam judicia subsequuntur, non abhorret, quantùm arbitror a ratione veritatis iste intellectus hujus sententiæ.* Idem habet, lib. de Fide & Operibus, cap. 16. Et lib. 21. de Civitate Dei, cap. 25. *Post istius sanè corporis mortem*, inquit, *donec ad illum veniatur, qui post resurrectionem corporum futurus est damnationis & remunerationis ultimus dies, si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum ejusmodi ignem dicuntur perpeti, quem non sentiant illi qui non habuerunt tales mores & amores in hujus corporis vita, ut eorum ligna, fœnum, & stipula consumantur: alii verò sentiant, qui ejusmodi secum ædificia portaverunt, sive ibi tantùm, sive hîc & ibi, sive ideò hîc, ut non ibi, sæcularia, quamvis a damnatione venialia, concremantem ignem transitoriæ tribulationis inveniant, non redarguo, quia forsitan verum est.* Itaque doctrina de Purgatorio prædicari non debet ut dogma fidei.

Doctrina de Purgatorio proponi ac prædicari debet ut dogma fidei.

Respondeo, Nego antecedens. Quod enim Scriptura & Traditio quæ duæ Fidei regulæ sunt, disertè docent, proponi debet, prædicari, ac propugnari ceu dogma Fidei. Atqui Scriptura & Traditio disertè docent Purgatorium: igitur proponi debet, propugnari, prædicari, ceu dogma Fidei. Nec verum est Sanctum Augustinum doctrinam de Purgatorio probabilium dumtaxat opinionum loco habuisse, ut probant ejus testimonia inter propositionis secundæ probationes laudata. Quæ autem in objectione proferuntur, his nequaquam contraria sunt. In his enim locis in quæstionem Sanctus Augustinus non vocat, utrùm sit Purgatorium: sed an certa quædam peccata in Purgatorio puniantur, & quidem igne: nimia scilicet adhæsio ad res temporales, verbi gratiâ nimius amor uxoris, mariti, filiorum, parentum, amicorum, qui tamen Deo minimè præponuntur. Cùm enim justos nimia hujusmodi adhæsione divisos, & infuscatos, salvos fieri quasi per ignem, id est per tentationem tribulationis præmisisset: *Quia urit eos rerum dolor, quas dilexerant, amis-*

sa-

sarum, sed nou subvertit neque consumit fundamenti stabilitate atque incorruptione munitos: subjunxit, cap.69. *Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, & utrùm ita sit, quari potest:* Utrùm scilicet per ignem quemdam purgatorium, quantò magis minùsve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardiùs citiùsque salventor. Talem ignem Fides non docet, quamvis statum quemdam animarum Fidelium esse doceat, quæ peccatorum pœnas luunt, in quibus possunt Ecclesiæ precibus adjuvari. Nec certum est utrùm locus Apostoli 1. *Cor.6.* quem hìc explicat Sanctus Augustinus: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, de igne aliquo Purgatorio post hanc vitam sit intelligendus: *Hoc est quod inveniri, aut latere non nullos Fideles potest*, secundùm Sanctum Augustinum.

In libro verò *de octo Dulcitii Quæstionibus*, non dubitat, utrùm animæ Fidelium aliquorum defunctorum pœnas patiantur in Purgatorio; sed utrùm amorem illum adhuc patiantur, quo rebus terrenis adhæserunt, earumque illecebris tangantur ex pristini status recordatione. *Hac igitur*, inquit, *quoniam affectu delecta carnali, non sine dolore amittuntur, propterea qui sic ea habent, ut habeant in fundamento fidem qua per dilectionem operatur, nec huic ista ulla ratione, vel cupiditate præponant, in eorum amissione passi detrimentum, per ignem quemdam doloris perveniunt ad salutem, a quo dolore atque detrimento tantò est quisque securior, quantò ea vel minùs amaverit, vel tamquam non habens habuerit. Qui verò propter illa vel tenenda, vel adipiscenda, homicidium, adulterium, fornicationem, idololatriam, & similia quæque commiserit, non propter fundamentum per ignem salvabitur, sed amisso fundamento, æterno igne torquebitur*, &c. *Sive ergo in hac tantùm vita ista homines patiuntur*, id est, bis obnoxii sunt affectibus; *sive etiam post hanc vitam talia quædam judicia subsequuntur*: id est, si sic etiam afficiuntur animæ separatæ; *non abhorret, quantùm arbitror, a ratione veritatis iste intellectus hujus sententia*: id est, loci Apostolici expositio, quam ibi tradidit. Eadem omnino habet, *lib. de Fide & Operibus, cap.16.*

Tandem, lib.21. *De Civitate Dei, cap.26.* non loquitur de pœnis animarum Purgatorio addictarum, secundùm se & (ut Scholastici loquuntur) ex genere suo spectatis, cùm dicit; *Non redarguo, quia forsitan verum est*: sed de pœnarum hujusmodi qualitate quærit, nempe an sint *ignis tribulationis*, quo eorum ligna, fœnum, & stipula, id est terreni amores consumantur, qui in fundamento Christum habuerunt, id est, nec licita & concessa ipsi præposuere. Id autem qui dixerint, non redarguit Sanctus Augustinus, *quia* inquit, *forsitan verum est*. Fieri namque potest, ut animæ hujusmodi affectionum reliquias servent in sese post separationem, & ex recordatione damnorum, orbitatum, calamitatum, quas in rebus paulò plus quàm par erat amatis passi sunt homines, crucientur, & *tantùm eas urat dolor, quantùm hæserat amor.*

Cæterùm sanctus Augustinus nec dubitavit, nec dubitare permisit Fideles de Purgatorio. *Neque negandum est* (inquit in Enchiridio, cap.9.) *defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis sacrificium Mediatoris offertur vel eleemosyna in Ecclesia fiunt.* Et lib. *de Cura pro Mortuis gerenda*, cap.4. Orationem *prodesse non dubium est iis, qui cùm in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt.* Et Sermone 32. de Verbis Apostoli: *Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, at eam eis misericordiùs agatur a Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis qui in Corporis & Sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum Sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum causâ, opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est ista prodesse defunctis.* Denique, in lib. *de Hæresibus*, inter Aërii hæretica dogmata istud recenset, quod diceret, *Orare, vel offerre pro mortuis Oblationem non oportere.*

Frustra verò excipiunt Protestantes, quòd sententiam illam inter propria Aërii dogmata referat, non verò eam dicat hæreticam. In fine enim libri sanctus Augustinus opiniones omnes Hæreticorum, quas singillatim recensuit, esse Fidei Catholicæ contrarias asserit. *Non ideò tamen parùm prodest*, inquit, *errores istos, quos huic Operi intexui, lectos cognitosque vitare. Quid enim contra ista sentiat Ecclesia Catholica, quod a me dicendum putasti, superfluè quæritur, dum propter hoc scire sufficiat eam contra ista sentire, nec aliquid horum in fidem quemquam debere recipere...... Omnis itaque Christianus Catholicus ista non debet credere.*

SCHOLION I.

In hac Dissertatione Religiosi Censores hanc Propositionem notant, pag.348. Editionis primæ: *In Lege Veteri Synedrium causas & delicta Summi Pontificis cognoscebat.*

R. In antiqua Hebræorum politia peregrinus est & hospes, qui Pontificem Maximum Judaicæ Gentis, in causis pecuniariis, cæterisque ordinario Foro triumvirali aut viginti-triumvirali subjacuisse nescit; in capitalibus verò causis a Synedrio Magno singulari Privilegio judicatum. Ita docet Maimonides *Halach. Sanhedrin*, cap.5. & *Halach. Celi Hamikdash*, cap.5. *Non judicabant*, inquit, *Pontificem Maximum in causis capitalibus alibi atque in Synedrio Magno, sed in causis pecuniariis etiam in foro triumvirali.* Item *Abraham Jom. Tob.* in Commentar. ad Misnam, Tit. *Sanhedrim*, cap.11. §.1. *In causis universis*, inquit, *præter capitales, judicabant Pontificem Maximum non aliter ac quempiam e vulgo, in foro triumvirali. Quod ipsum intelligendum ubi supra* (in Misna) *dicitur, nec Pontificem Magnum judicandum alibi atque in foro Septuaginta unius virali, scilicet in causis capitalibus. Quod & consonum est sacro sermoni, ubi verba fiunt de rebus magnis seu magnatis. Nam res magna ibi sumitur pro re ad virum Magnum ipsum attinente.* Legatur *Seldenus*, libro 3. *De Synedriis Veterum Hebræorum*, cap.8.

SCHOLION II.

In eadem Dissertatione, pag.352. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Non pertinet ad dogma, quis est locus Purgatorii.*

R. Suis verbis enunciant quod scripsi. *Ad Fidem minimè pertinere Quæstiones de loco Purgatorii.* Id non reprehendissent, si attendissent ad ea quæ scribit Cardinalis *Bellarminus*, lib.11. *De Purgatorio* cap.6. *Sequitur*, inquit, *Quæstio quarta*, Ubi sit Purgatorium. *De qua Quæstione nihil Ecclesia definivit: sunt autem multæ opiniones. Prima quorumdam, qui putant ibi animas purgari, ubi peccaverunt, id est, variis in locis. Secunda opinio,*

loca

loca animarum non esse corporalia. Tertia, loca pœnalia animarum esse hunc mundum, in quo animo maneat in corpore tamquam in carcere. Quarta, Infernum & Purgatorium animæ nihil esse aliud prœter conscientiam accusantem & punientem peccata. Quinta, Infernum & Purgatorium fore in Valle Josaphat. Sexta, infernum esse statum animæ extra corpus. Septima locum pœnalem animarum non esse terram, sed aërem istum caliginosum, ubi Dæmones versantur. Octava, est communis Scholasticorum, Purgatorium esse intra viscera terræ, inferno ipsi vicinum. Communem illam Scholasticorum opinionem teneo, sed tamen Quæstiones de loco Purgatorii ad Fidem minimè pertinere censeo. Theologi nomen non meretur, qui non intelligit quid pertineat ad Fidem, quid in opinione positum sit. Ecclesiæ causæ magis nocet quàm prodit, qui contra Hæreticos disputans humanas opiniones a Catholicis Dogmatibus non discernit.

SCHOLION III.

In eadem Dissertatione Religiosi Censores hanc Propositionem notant, pag.459. Editionis primæ: *Non est Fidei Dogma utrùm sit verus ignis & corporeus in Purgatorio,*

R. Se iterum remitti ad Cardinalem *Bellarminum* patiantur, libro II. *De Purgatorio*, capp.10. & 11. *His certis positis* (inquit) *& in quibus omnes conveniunt, dubium est: primò, an ille ignis sit propriè dictus ignis, an metaphoricè?...... Quantùm ad primum, communis sententia Theologorum est, verum & proprium esse ignem, & ejusdem speciei cum nostro elementari. Quæ sententia non est quidem de Fide, quia nusquam ab Ecclesia definita est; imò in Concilio Florentino Græci apertè professi fuerunt se non ponere ignem in Purgatorio: & tamen in Definitione facta Sessione ultima definitur Purgatorium esse, nullâ mentione ignis habitâ. Tamen est sententia probabilissima.* Hæc Bellarminus. Quid verò scripsit F. Natalis Alexander? *Respondeo tertiò*, (inquiebam) *Juxtà probabiliorem sententiam & ab Ecclesia receptam, Purgatorium ignem verum & corporeum esse, & animas incorporeas nihilominus cruciare, &c.*

SCHOLION IV.

In eadem Dissertatione Religiosi Censores hanc Propositionem notant, pag.452. Editionis primæ: *Non est Dogma Fidei quòd animæ in Purgatorio sint certæ de sua beatitudine.*

R. Dogma istud Fidei non esse, rectè innui, cùm nec Scriptura Sacra, nec Traditio doceant Animas illas beatitudinem suam certissimè scire. *Bellarminum* Cardinalem audiant, libro II. *De Purgatorio*, cap.4. *Tertia Quæstio* (inquit) *nunc tractanda est, sint ne in Purgatorio Animæ certæ de sua salute, an incertæ. Lutherus Art.38. docet non esse certas. Idem docent quidam Catholici, qui existimant varias esse in Purgatorio pœnas, & unam esse omnium maximam incertitudinem salutis, quæ dicunt quasdam solùm animas mulctari, quæ licèt revera certò salvandæ sint, tamen ipsas hoc ignorare. Ita videtur sentire Dionysius Carthusianus Libro De quatuor Novissimis, Articulo 47. Idem docet Michaël Bajus, libro II. De Meritis Operum, cap.8. Denique idem videtur deduci, ex sententia Gersonis Lectione 1. De Vita Spirituali, & Joannis Roffensis contra Articulum 32. Lutheri... At communis Theologorum sententia est, omnes Animas quæ in Purgatorio sunt, habere certitudinem suæ salutis.* Hæc Bellarminus. Communem illam esse Theologorum opinionem agnosco, nec eam negare vel impugnare velim; sed Dogma Fidei non esse, cum Bellarmino Cardinali censeo.

SCHOLION V.

In hac denique Dissertatione, pag.458. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Non est Dogma quòd peccata venialia justis remittantur ante vel post mortem.*

R. Non ita scripsi: Sed, *Modum quo venialia peccata Justis Purgatorio addictis remittuntur, an scilicet in morte, an post mortem: an pœnitentiâ, an charitatis fervore & displicentia virtuali, an perseverantiæ dono, an satisfactione vel pœnâ, ad Fidem non pertinere, nec a Synodo Tridentina esse definitum: Sed solùm quòd non ita remittatur culpa & reatus æternæ pœnæ deleatur, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro, in Purgatorio.* Hæc verba mea. Varias ea de re Scholasticorum opiniones refert *Bellarminus* Cardinalis libro 2. *De Purgatorio*, cap.14. *Quidam*, inquit, *dixerunt, remitti omnia venialia in ipsa morte per gratiam finalem. Scotus asserit peccata venialia remitti in primo instanti separationis animæ a corpore, remitti autem per merita præcedentia. S. Thomas, dimitti in Purgatorio culpas veniales per actum dilectionis & patientiæ.*

DISSERTATIO XLVI.

ADVERSUS HÆRESIM APOLLINARIS.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm Verbum divinum animam & mentem rationalem assumpserit: an verò in Christo Verbum fungatur vice animæ & mentis humanæ?

PROPOSITIO.

R*Ationalem Animam & mentem Verbum divinum assumpsisse, SS. Patres tum ex Scriptura sacra, tum rationibus ipsi innixi, adversùs Apollinaristas invictissimè probaverunt.*

Id autem ostendere sunt aggressi ex illis Christi verbis Joannis 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollet eam a me. Ego pono eam a me ipso, ut iterum sumam eam.* Perspicuè enim his verbis docuit, quòd est alia anima quæ ponitur & sumitur, alia divinitas quæ ponit & sumit. Eodem spectat illud, Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Item ex illo Joannis 12. *Nunc anima mea turbata est: & quid dicam? Pater salvifica me ex hac hora.* Item ex illo Lucæ 2. *Jesus autem proficiebat ætate & sapientiâ.* Proficit autem ætate quidem corpus, sapientiâ verò anima: divinitas quippe neutrum recipit incrementum. Omni enim ex parte perfectum est Dei Verbum. Hæc urget Theodoretus, *lib. 5. Hæreticarum Fabularum, cap. 13.*

Secundum argumentum desumunt ab humanis affectionibus. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum* (inquit Christus Lucæ 22.) Atqui desiderium neque a divinitate proficiscitur, neque ex sola carne, aut ex anima mentis experte, sed ex perfecta hominis natura, quæ corpus ac mentem, & quicquid inest in homine complectitur. His enim omnibus corpore, animâ, ac mente, & reliquis quæ in homine sunt, præditum Verbum advenit (si peccatum ac defectum omnem

nem excipias) unde scriptum est [ad Hebræos 4.] *Tentatus per omnia ut homo, præter peccatum*. Quòd si omnia expertus est, necesse est omnia penes Verbum fuisse. Ita urget S. Epiphanius *Hæresi 77.*

Tertium argomentum sumunt ex illis testimoniis omnibus, quæ Verbum factum esse hominem, & Christum verè hominem nostri similem fuisse confirmant. Quoties enim vel hominem se Christus vocat, uti Joanis 8. *Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum:* vel Filium hominis quod identidem inculcat: vel cùm Abrahami semini ac stirpi alioquin inscribitur; toties veræ carni, & veræ animæ testimonium perhibetur, ut colligit Theodoretus, *lib. 5. adversùs Hæreses, cap. 14.* Certè *Nec anima per semetipsam homo, quæ figmento jam homini appellato postea inserta est: nec caro sine anima homo, quæ post exilium animæ cadaver inscribitur. Ita vocabulum homo, consertarum substantiarum duarum quodammodo fibula est, sub quo vocabulo non possunt esse nisi cohærentes* [inquit Tertullianus, *lib. de Resurrectione carnis, cap. 40.*]. Cùm itaque Christus perfectus homo fuerit, carne simul & anima ac mente rationali foit præditus: tamque Verbum divinum functum non fuit vice mentis, quàm functum non fuit vice corporis.

Eòdem spectant illa verba Apostoli ad Philippenses II. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Ex quibus colligunt Patres, tam nihil Verbo incarnato defuisse eorum quæ ad hominis essentiam spectant, quia formam servi, id est, hominis naturam assumpsit; quàm nihil ipsi defuit eorum quæ ad naturæ divinæ proprietatem pertinent, quia, in forma Dei fuit. Cùm itaque anima & mens rationalis ad hominis naturam spectent, consequens est Filium Dei animam & mentem assumpsisse. Ita sanctus Basilius contra Eunomium colligit. *Ego enim hoc quod scriptum est, in forma esse Dei, idem valere arbitror atque in substantia esse Dei. Ut enim formam assumpsisse servi, illud significat, Dominum in substantia fuisse humanitatis nostræ: ita qui in forma Dei esse dicit, proprietatem divinæ substantiæ demonstrat.* Locum illum sancti Basilii laudat Theodoretus, *Dialogo 2. pag. 97.*

Ita S. Ambrosius, Epistolâ 8. „ Cùm, *inquit*, „ esset in plenitudine divinitatis, exinanivit se „ & accepit plenitudinem naturæ & perfectionis „ humanæ. Sicut Deo nihil deerat, ita nec ho„ minis consummationi, ut esset perfectus in u„ traque forma. Iterum ergo interrogo, Quid „ est forma Dei? Respondet, in natora Dei. Sont „ enim ait Apostolus, qui non sunt naturâ Dii. „ Quęro quid sit, formam servi accipiens. Sinę „ dubio perfectionem naturę & conditionis, ut „ dixi, humanę; ot esset in hominum similitudine. „ Hinc Synodos Oecumenica secunda in Epistolâ Synodicâ, ad Damasum, & alios in Romana Synodo congregatos, ait: „ Se nec animæ, „ aut mentis expertem, nec imperfectam carnis „ œconomiam admittere: verùm nosse se perfe„ ctum ante sæcula Dei Verbum; & perfectum „ hominem in novissimis diebus propter nostram „ salutem fuisse. „ Hinc Romana Synndus, quę contra Macedonianos & Apollinaristas habita est, in Fidei expositione quam Damasus ad Paulinum misit, anathema dicit iis, qui vice animæ rationalis Verbum ipsum fuisse censent assumptæ carni. „ Quippe, *inquit*, illud ipsum Dei Verbum non „ pro rationali, & intelligente anima fuit in „ proprio corpore: sed nostram, hoc est ratio„ nalem & intelligentem animam, citra peccatum „ assumpsit & servavit.

S. Athanasius ex humanis affectionibus probat impiè asserere Apollinaristas mentem supercœlestem in Christo fuisse loco animæ. „ Nam si id „ verum, *inquit*, quomodo potuit vel dolere, vel „ aoxius esse, vel orare? Scriptum est enim, Et „ conturbatus est spiritus meus. Atqui ista nec „ brutæ, nullisque cogitationibus instructæ carni, „ nec deitati quæ incommutabilis est, congrue„ rint, sed animæ quæ intellectu est prædita, „ quæ agitur & perturbatur, & intelligibili„ ter passionem sentit...... Nam tametsi di„ xerit Evangelium, Jesum spiritu fuisse con„ turbatum: ipse tamen Dominns declaravit de „ anima sua hoc intelligendom esse, cùm di„ cit: Anima mea turbata est. Quòd si suæ „ animæ sensum Dominus ostendit in compas„ sionem nostræ animæ, ut ita & ipsius intelli„ geremus passionem, & eum tamen impatibilem „ confiteremur: sicuti enim sanguine carnis suæ „ liberavit nos, ita sensu suæ ipsius animæ victo„ riam pro nobis comparatam significat: Ego, in„ quit, vici mundum. Et alibi: Et qui dat nobis „ victoriam. Sed sicut hic sub nomine sangui„ nis, non quivis aut communis sanguis, quem„ admodum ab impiis existimatur, sed salutaris „ a piis hominibus iotelligitur: ita quoque mens „ illa non humanam imbecillitatem, sed Dei na„ turam induisse demonstratur: atque ita appel„ labitur perfectus Deus, & perfectus homo Chri„ stus: non quòd divina perfectio in humanam „ perfectionem transeat, quod est impium: neque „ quòd duæ perfectiones seorsim sint constituen„ dæ: neque verò secundùm profectum auge„ scentis virtutis, aut acquisitionem justitiæ; „ absit: sed secundùm rationem existendi sine „ defectu plenam & integram, ut unus sit, u„ trinque per omnia idem Dens & homo. „ *Hæc S. Athanasius*, „ lib. de Incarnatione Verbi.

Idem probat ex Christi morte. Nam „ Expi„ rationem nemo dixerit deitatis traductionem, „ transmigrationemve, sed animæ discessum esse. „ Nam si post emigrationem Deitatis mors su„ pervenit, eaque fuit corporis extinctio, pro„ priam nimirum mortem obivit, non nostrâ per„ functus est.

Idem probat ex Christi ad inferos descensu. „ Nonne, *inquit*, divisus in duas partes ut ho„ mo, & in sepulchro, & apud inferos age„ bat? Neque potuit aliud pro alio in redem„ ptionem pensari, sed corpus pro corpore; Ani„ ma pro anima reddenda fuit, & integrum ali„ quid pro integro homine, hoc est, Christo, „ pensandum permutandumque fuit...... Et qui, „ quæso, ad inferos descendit nuda & intectâ „ Deitate? *quæ nimirum ubique est*.

Idem evincit ex fine Incarnationis, quòd scilicet Verbum caro factum sit ut homini integro mederetur, quem totum occupaverat peccati ca„ lamitas, præcipuè secundum animam: „ Si i„ gitur, *inquit*, regnat mors in homine inte„ riore, in quo alio regnavit umquam, nisi in „ anima, quæ mente peccaverat, quemadmo„ dum scriptom est: Anima quæ peccaverit, „ ipsa morietur, pro qua suam animam repo„ suit Dominus, ad pensationem redemptionis?

Easdem rationes urget, lib. *de salutari adventu Christi*, contra Apollinarem. Sed hæret in ea maximè; quòd aut Christum verè mortuum non esse sequeretur; siquidem mors est animæ a corpore segregatio: aut Verbum ipsum divinum passionibus obnoxium fuisse. Legenda ejusdem Epistola *ad Epictetum* contra Hęreticos.

S. Gregorius Nazianzenus, *Epistolâ 1. ad Cledonium*, eumdem errorem non dissimilibus rationibus profligat. „ Si quis, *inquit*, in hominem „ mente carentem sperat, amens profectò est,

nec dignus cui ex omni parte salus afferatur. Nam quod assumptum non est, curationis est expers; quod autem Deo unitum est, hoc quoque salutem consequitur. Quocirca ne perfectam salutem isti nobis invideant, aut ossa solùm & nervos atque hominis picturam Salvatori tribuant. Nam si ipse inanimatus homo est, huc etiam Ariani aiunt, ut passionem divinitati tribuant, tamquam videlicet quod corpus movet, idem quoque patiatur. Si autem animatus quidem, verùm mentis expers, quo tandem modo hominis nomen substinebit? Neque enim homo animal est mente carens. Atque illud necesse est ut species quidem & larva humana sit, anima autem equi cujuspiam aut bovis, aut aliùs animalis mentem non habentis: ac proinde illud quoque esse cui salus afferatur: atque ego ab ipsa Veritate delusus sum, ut qui alio honore affecto, ipse glorier, meque jactem ...... At, inquit, divinitas mentis loco sufficiebat. Quid autem hoc ad me? Divinitas enim cum sola carne homo non est; imò nec cum sola animâ, nec cum utraque, si mens absit, quæ etiam magis homo censeri debet.

Et infra, ex causa Incarnationis adversùs eumdem errorem ducto argumento pugnat, quòd nimirum Verbum humanitatem assumpserit ,, ut simili per simile sanctificato, peccati damnationem solveret: *& ideò* quemadmodum caroe propter carnem damnatam, & anima propter hominem opus habuit, ita etiam mente propter mentem, utpote quæ in Adamo non solùm peccaverit, sed & prima affecta fuerit, quemadmodum Medici in morbis loquuntur. Quod enim mandatum accepit, hoc mandato quoque minimè paruit, hoc etiam eò audaciæ progressum est ut illud violaret: quod autem violavit hoc in primis quoque salute indigebat: quod autem salute indigebat, hoc etiam assumptum est. Ita fit ut mens assumpta sit.

S. Ambrosius ,, Epistolâ 63. ad Sabinum, *ait*, Adversùs Apollinarem legitimam esse circumspectionem ut confiteamur, sicut in Dei forma nihil ei defuit divinę naturæ & plenitudinis, sic in illâ formâ hominis nihil ei defuisse, quo perfectus homo judicaretur, qui ideò venit ut totum hominem salvum faceret. Sed quia impossibile est mentiri Deum, non fefellit ergo: quia ita venit ut totum redimeret, & salvum faceret, totum utique suscepit, quod erat humanę perfectionis.

Sanctus Fulgentius, *lib. 5, ad Trasamundum Regem*, cap. 8. ex illis verbis Isaiæ: *Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet filium, &c.* totam salutaris Mysterii plenitudinem probari asserit. Nam veritas carnis virginali conceptu cognoscitur: & in electione boni, anima intellectualis ostenditur: & in Emmanuel nomine vera deitatis natura monstratur. Ac sic in vero Deo nec falsa fuit hominis, nec semiplena susceptio. Dignum etenim fuit, ut in Sacramento redemptionis humanæ nec veritas defuisset perfectioni, nec perfectio veritati. Nam si vera caro in Christo non fuit, quid in utero Virgo concepit? Et si anima, vel intellectus naturæ in Christo defuisse credetur humanæ, quid in Infante bonum malumque dicitur ignorasse? An illam divinam Filii Dei naturam ignorantiæ boni malique subjicimus, ut humanam in Christo animam denegemus? Itàne credendus est homo susceptus a Deo, quæ Dei sunt, aliquatenus potuisse sapere, in quo ipsa Sapientia cognitione boni malique dicitur caruisse? &c.

Et cap. 9. Idem probat ex ovis errantis parabola, quam Christus Dominus bonus Pastor propriis humeris retulit. In hac ove naturam hominis peccatoris significari ait, errore cordis, non corporis tantùm errantem: quia omne peccatum ex corde sumit exordium. Quapropter cùm error iste animæ simul intelligatur & corporis, si Dei Filius absque anima rationali solam accepit hominis carnem, inferiorem partem illius ovis domum retulit, meliorem verò, quod absit, errori perpetuo dereliquit. Nam manifestum est quoniam hoc revocavit, quod propriis humeris reportavit. Si autem ipse totam se profitetur ovem propriis humeris impositam reportasse, totus homo cognoscatur in Christo, quoniam tunc est hominis credenda redemptio, si in Filio Dei susceptionis humanæ, id est, ovis illius reportatæ non defuit plenitudo. Hoc enim Deus in nobis salvavit, quod pro nobis accepit.

Et cap. 11. Hæc sancti Petri verba in Epistolâ 1. Canonica contra Apollinaristas urget: Christus pro nobis mortuus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. *Nam* Si Dei filius animam humanam in carnis susceptione non habuit, *inquit sanctus Fulgentius*, & hoc B. Petrus de ejus creditur divinitate dixisse; quid est quod pro magno in laudem dicitur Christi, quia divinitas ejus immunis esse potuit a labe peccati; cùm Dei sit proprium non solùm non peccare, sed etiam a peccato salvare? Qui propterea solus potest donare indulgentiam, quia solus admittere non potest culpam. Si autem hoc ad Christi carnem creditur referendum, quomodo ab animabus nostris servari justitia poterit, quibus exemplum Apostolicè memoratum susceptio Christi non dedit?

Et cap. 12. constringit Apollinaristas auctoritate Apostoli ad Hebræos 4. statuentis, Christum esse Pontificem, qui possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine, absque peccato. Omnem *namque* Pontificem ex hominibus assumptum, pro hominibus constitui in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Ex quibus verbis colligit Fulgentius, Christum fuisse integrum hominem ex anima & corpore compositum. Unus igitur, *inquit*, idemque mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, ipse Pastor & ovis, ipse Sponsus & Sponsa, ipse Sacerdos & victima, unus idemque & oblator muneris, & munus factus est oblatoris, ut nec oblator a muneris qualitate descisceret, nec munus oblatoris meritò discreparet. Qui si minùs aliquid habuit humanæ naturæ, nec personam sumere Pontificis, nec offerri potuit pro peccatis. In lege enim Sacerdotio fungi non poterat, si quis homo minùs aliquid habuisset in se: Nec vitiosum vel imperfectum pecus ad sacrificium cuiquam licebat offerre.

Et cap. 13. ex eo quòd Christus per omnia tentatus sit, colligit & in anima pariter & in carne tentatum: adeòque non carnem tantùm, sed & animam fuisse a Verbo susceptam. *Si ergo*, inquit, in eo quòd tentatus est, tentatis auxilium donat: profectò in quo tentatus non est, tentatis auxilium non ministrat. Quo conficitur, ut hi qui in Christo solam carnem humanam assignant, & animam denegant, in sola carne quærant auxilium Christi, in anima verò remaneant destituti: Filius Dei namque hoc adjuvat in homine, quod suscepit pro homine. Quod si & in anima & in carne promereri Christi delectantur auxilium: fateantur necesse est, (sicut veritas habet) & in anima pariter & in carne tentatum. Quod si simul est in Christo & ani-

„ & anima & caro tentata: simul est ab eo utraque suscepta. Et si utramque dignatus est suscipere, utramque dignatus est sine dubitatione salvare.

„ *Et infra:* Attendamus quid perierit terreni hominis lapsu, & agnoscamus quid quæsitum fuerit cælestis hominis adventu..... Nonne ex carne simul animâque compositus præceptum Dei homo primus accepit? Quòd si in utraque præceptum Dei cognoscitur accepisse, in utraque debuit obedientiam præcepti servare. Si autem in utraque fuit parendum præcepto, ab utraque admissa est transgressio, quoniam sicut est inchoatum animæ cupiditate peccatum: sic est carnali comestione perfectum. Et ideò quòd totus homo reatum transgressionis admisit, totum sibi diabolus captivavit. Quòd si totus tenebatur captivitatis vinculo, totus eguit Liberatoris auxilio. Si autem totum debuit liberare pietas, totum debuit suscipere divina Majestas.

Cap. 15. idem probat ex nomine & officio Mediatoris, quæ Christo conveniunt: „Nam quia, *inquit*, per peccatum homo fuit separatus a Deo inter Deum irascentem, hominemque peccantem, talis utique Mediatoris debuit intervenire persona, quæ ad propitiandum Deum homini, totum verumque in se Deum de Deo natum haberet, & ad reconciliandum hominem Deo, totum verumque in se de homine natum hominem contineret. Atque ita ex utroque unus Christus esset, ut plenitudo deitatis susceptum non consumeret, sed proveheret hominem: & plenitudo humanitatis nec minoraret immensum, nec mutaret impassibilem deitatem: Ac sic hominis natura, quæ mutata fuerat in deterius, per illum tota redintegraretur, quo nihil est melius. Propterea se Mediator Dei & hominum, plenum Deum, plenumque hominem dignatus est demonstrare.

Et cap. antecedenti, causas ab Apollinaristis afferri jubet, propter quas solum hominis corpus sibi Dei Filius adjunxerit; animam neglexerit. Tum allatas e pluribus quatuor inanes esse demonstrat. „Ad extremum, *inquit*, dicatur, cur ab illa ineffabili divinitate non fuerit animæ natura suscepta cum carne? Utrùm a Deo non fuerit facta? An peccato non fuerit vitiata? An carne viliorem universalis medicina despexit? An peccati vulnere sauciatam Omnipotens curare nequivit? Sed horum primum postremumque qui sentiunt, & adversùs virtutem Creatoris, & contra potentiam Salvatoris rebelles existunt; si vel aliquam creaturam putant a Deo non factam; vel ad salutem animæ conferendam potestatem dicunt Omnipotentis invalidam. Duobus verò mediis nec peccatum considerant rationalis creaturæ, nec meritum: non intelligentes carne suâ viliorem esse non posse, quæ vitam tribuit carni; & illam graviùs vulneratam, quæ per intelligentiam magis potuit resistere Tentatori. Illa igitur omnipotens virtus & pia Sapientia, nec despexit velut extraneam, quam a se noverat factam; nec sprevit sanandam, quam sciebat graviùs vulneratam: nec eam, quam carne potiorem fecit, a remedio salutis exclusit. Sed sicut totum hominem Diabolus decipiendo percussit: ita Deus totum suscipiendo salvavit: ut agnosceretur idem creaturæ totius Conditor, & Redemptor, qui potuit & quod non erat facere, & quod delapsum fuerat, reparare.

Objiciebant Apollinaristæ adversùs dogma Catholicum hæc verba Joannis 1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Ex quibus colligebant, Verbum in carnem fuisse mutatum, aut carnem solam in Christo extitisse.

Respondet sanctus Athanasius in Epistolâ ad Epictetum, eodem sensu a S. Joanne dici *Verbum carnem factum*, quo dicitur a sancto Paulo *Christus pro nobis factus exsecratio; non quòd ex seipso in exsecrationem transmutatus sit, sed quia pro nobis exsecrationem in se suscepit. Ita quoque factus est caro, non conversus in carnem, sed quòd carnem pro nobis assumpserit, & homo factus sit.* Namque nomine carnis totum in Scriptura sacra frequenter significari hominem, probat ex illo Joëlis, *Effundam de Spiritu meo in omnem carnem.* Non enim usque ad bruta animantia ista sese promissio extendit, sed in solos homines, quorum gratiâ Deus homo factus est.

Idem respondet sanctus Gregorius Nazianzenus, *Epistolâ 1. ad Cledonium* & hujusmodi Synechdochem, quâ totum per partem judicatur, in Scripturis sacris frequentem esse, ut cùm dicitur Joan. 17. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* Et Psalm. 64. *Ad te omnis caro veniet.* Et Psalm. 143. *Et benedicat omnis caro nomini sancto ejus,* hoc est omnis homo. Simili tropo scriptum est, Exodi 1. *Septuaginta quinque animæ descenderunt in Ægyptum.* Id est, 75. homines. Et Psalm. 104. *Ferrum pertransiit animam ejus.* Quibus verbis non significatur Josephi animam a Pharaone vinculis adstrictam, sed totum Josephum in vincula fuisse conjectum. Ideò autem sanctus Evangelista mysterium incarnationis Dominicæ his potiùs verbis significavit: *Verbum caro factum est*, quàm his: *Verbum homo factum est*: Quia *Non aliter Dei erga nos amor testatus esse poterat, quàm ex eo quòd caro in memoriâ fuerit, quia nostrâ causâ ipse usque ad deteriorem partem se demisit.*

Idem respondet sanctus Epiphanius, *Hæresi LXXVII.* additque, ita locutum esse S. Joannem, *Ne qui fortasse crederent, quòd primus extiterit homo, & venit Christus in hominem, ob idque divinum Evangelium primo loco posuisse Verbum, deinde professum esse carnem: quoniam Verbum caro factum est. Non enim dixit: Caro Verbum facta est, ut ostenderet primùm Verbum e cælo venisse, & in seipsum carnem subsistentem formasse ex utero sanctæ Virginis, atque omnem in sese perfectè naturam hominis expressisse.*

Idem alii Patres, qui summo consensu Evangelicam illam sententiam ita explicant, ut omnis mutationis a divino Verbo, omnis mixtionis confusionisque a duabus Christi naturis cogitatio removeatur: quod sequentibus Evangelistæ verbis planiùs significatum esse docent: *Et habitavit in nobis.* Porrò id quod habitat, non idem est cum eo quod habitatur, sed diversum. Nam alterum habitat in altero: alioqui non esset habitatio. Nihil enim in seipso habitat. Ita sanctus Ambrosius, *lib. de Incarnat. cap. 6.* Sanctus Chrysostomus, *Homil. 11. in Joann.* & sanctus Cyrillus Alexandrinus in illa verba *S. Joannis.*

Objiciebant secundò Apollinaristæ, Duas naturas perfectas in unam personam concurrere non potuisse; proindeque alteram solùm, scilicet divinam, perfectam fuisse; alteram verò fuisse dimidiatam, & animâ, vel mente mutilam. Hoc est quod apud sanctum Gregorium Nazianzenum his verbis exprimunt: *Duo perfecta non capiebat Christus.*

Respondet sanctus Gregorius Nazianzenus, valere hanc rationem in iis dumtaxat quæ instar corporum concipiuntur. Vas enim unius modii capax, duos minimè continebit: neque corporis unius locus duo corpora. At in rebus incorporeis & intelligibilibus rem secus habere: hæc enim plura esse simul, atque etiam pervadere ac penetrare se posse. *Hæc enim*, inquit, *rerum quæ in-*

intellectum sedant, natura est, et incorporeo, atque invisibili modo, & inter se, & cum corporibus misceantur. Quandoquidem & plurium vocum auris una capax est, & plurium aspectus ab iisdem rebus in oculorum sensum cadentibus capi potest. Addit sanctus Gregorius, perfectam rem aliquam dici, quæ cum alterâ comparata imperfecta censeatur. Sic mentem nostram, si cum Verbo divino conferatur, perfectam non esse.

Instabant Apollinaristæ, Quaternitatem pro Trinitate constitui, si aliquid in suo genere perfectum ad Trinitatem apponatur. Ex quo inferebant, Verbum perfectam hominis naturam non suscepisse; imò nec Corpus Christi ex Maria originem materiamque traxisse; sed ejusdem esse cum Verbo substantiæ, ut Trinitas nihil peregrini suscepisse dicatur assumpto corpore a Dei Filio.

Respondet sanctus Athanasius *in Epistolâ ad Epictetum*, nullum additamentum aut appendicem accedere Trinitati ex corporis & animæ assumptione: sed auctarium humanitati dumtaxat accessisse ex unitione divini Verbi. Addit æquè sequi, secundùm insanam Apollinaristarum opinionem, quaternitatem constitui, etiamsi Christi corpus Verbo consubstantiale affirment. *Ut enim Filius secundùm Patres consubstantialis Patri, non est idem qui Pater, sed Filius consubstantialis respectu Patris: ita quoque corpus consubstantiale Verbo, non est idem quod Verbum; sed aliud respectu Verbi; atque ideò cùm aliud sit, & quartum in ordine, summam quatuor personarum pro tribus constituit, pro ipsorum opinione. Sed enim vera & perfecta, & indivisibilis Trinitas additamentum excipere non potest.*

Objiciebant tertiò Apollinaristæ, sequi Christum obnoxium fuisse peccato, si animâ & mente humanâ præditus fuit. *Nam si totum ac perfectum suscepit hominem Deus, consequens est humanas in eo cogitationes extitisse. Fieri autem non potest ut non sit in humanis cogitationibus aliquid peccati. Quonam ergo peccati expers erit Christus?* inquiebant illi apud sanctum Athanasium, *lib. de salutari adventu Christi.*

Respondet sanctus Athanasius, Non sequi quòd vitiosæ hujusmodi cogitationes, sive affectus in humanâ Christi natura fuerint, quamvis mente præditus fuerit humanâ: quia ab ipsa primi hominis creatione tales non extiterunt: alioqui vitiositatis illius & labis auctor esset idem qui naturæ fuit. Sed ex peccato esse collectam illam in anima hominis & mente perniciem. Unde in Adamo ante lapsum cogitationes istæ, quæ concupiscentiæ vocabulo censentur, non extiterunt. *Cæterùm inobediens Dei præcepto, collapsus est in vitiosas cogitationes, obnoxiasque redditas, non quòd Deus creaverit captivatrices istas cogitationes, sed quòd per diabolum deceptus fuerit, qui eas superseminavit rationali naturæ jam in prævaricatione constitutæ, & a Deo divulsæ; adeò ut diabolica lex peccati constituta sit in humana natura; & mors ibi suum dominatum reperit, idque per opus peccati.... Ea de causa venit Filius Dei ut dissolveret opera Diaboli.*

Sanctus Gregorius Nazianzenus ad hominem respondet: Si humana mens a Verbo assumpta non sit, quia obnoxia est perturbationibus & peccatis: nec carnem assumendam fuisse ob eamdem causam. *At mens nostra*, inquit Apollinaris, *damnata est. Quid autem caro? An non damnata? Quare aut hanc quoque propter peccatum abjice: aut illam etiam propter salutem adjunge. Si quod deterius est, assumptum est, ut per Incarnationem sanctificetur; an non, quod præstantius est, assumet, ut per humanitatis susceptionem sanctitate afficiatur? Si lutum fermentatum est, ac nova conspersio extitit, imago ipsa non fermentabitur, & cum Deo temperabitur, per divinitatem deificata? Quin hoc quoque adjiciemus, si mens ut peccatrix & damnata, omnino spreta & rejecta est, ob eamque causam, omissâ mente, corpus assumptum est; ignosci utique par est iis qui circa mentem peccant. Dei enim testimonio de tuâ sententiâ* (o Apollinarista) *apertè demonstratum est eam curari non posse.*

Respondet sanctus Epiphanius, *Hæresi 77. cap. 27.* Quemadmodum Filius Dei ita carnem assumpsit, ut nullum carnis defectum, labemque senserit: sic assumptâ mente, nihil eâ quod divinitate indignum esset, cogitasse: sed quæcumque rationi erant consentanea. Addit insuper, corruptelam homini insitam non ex mente proficisci, nec in eum finem homini concessam, sed ad rectum & naturalem usum, ad contemplandam nimirum perfectionem, & officia justitiæ. Ac potiùs carnis nomen, ob innatam cupiditatem, secundùm usum sacrarum Literarum, infamiâ laborare, quàm mentem. Sed nec illam tamen per se malam esse ac pœnitendam, sed mala opera quæ per eam patrantur, & cupiditatem quæ ex ea succrescit.

Objiciebant quartò Apollinaristæ, duas constitui in eadem personâ Christi principales ac moderatrices humanarum actionum facultates, si mentem humanam habuerit; hanc nimirum, & divinitatem.

Respondeo, Nego consecutionem. Etsi enim humana mens in Christo integra fuerit, non tamen in eo tenuit principatum actionum: sed cum ex toto divinitate imbuta esset & inuncta, ad hujus se ductum ac gubernationem applicabat. Si enim filii adoptivi Spiritu Dei aguntur, ut ait Apostolus, quantò magis divina mens humanam in Christo mentem agebat ac moderabatur? Hinc sanctus Maximus apud Euthymium in Panoplia, Tit. 7. ait. *Quemadmodum lana alba purpura colore tincta non est bicolor, sed unius dumtaxat coloris: sic in assumpta naturâ, deificatâ hominis mente, non sunt duo principalia Deus & mens; sed unum; videlicet qui divinam mentem efficit Deus.*

Objiciebant quintò Apollinaristæ: *Si Christus homo perfectus esset, mundi pars fuisset. Atqui mundi pars mundo salutem nequit afferre:* inquiebant apud S. Athanas. *lib. de salutari adventu Christi.*

Respondeo, utramque propositionem falsam esse. Cùm enim Christus homo simplex non sit; sed Deus homo, ac divina persona, propriè loquendo non est pars mundi, sed mundi Opifex operi suo conjunctus. Sed etsi Christum ratione humanitatis assumptæ aliquo sensu mundi partem fuisse concedamus, falsa est nihilominus secunda propositio; falsum est quòd eo sensu pars mundi non potuerit esse toti mundo salutaris. Nam (ut rectè ait sanctus Athanasius) *Qui non Christus mundum non servat homo factus; cùm perspicuè constet in qua natura commissum est peccatum, in eadem abundasse gratiam?*

DIS-

DISSERTATIO XLVII.

ADVERSUS PRISCILLIANISTAS.

ACTICULUS UNICUS.

Quo Mendacium, & mentales Restrictiones expugnantur.

PROPOSITIO.

Mendacium omne lege divina vetitum est: adeòque & Restrictiones mentales, quæ sunt veri nominis mendacia.

Probatur primò ex Scriptura Sacra, Sapientiæ 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* Ecclesiastici 7. *Noli velle mentiri omne mendacium.* Psalmo 33. *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum.* His verbis mendacia & restrictiones mentales profligantur. *Quid est enim aliud loqui dolum* (inquit Sanctus Augustinus) *quàm aliud labiis promere, cùm aliud clauditur in pectore?* Lege ipsum Augustinum, *lib.30. Homiliarum Homilia 1. cap.1.* & *Tractatu 7.* in Joannem. *Quando aliquis*, inquit, *aliquid corde tegit, & aliud loquitur, dolus est, & tamquam duo habet corda: unum quasi sinum cordis ubi videt veritatem, & alterum sinum ubi concipit mendacium.* Lege *Enarrationem in Psalmum 51.*

Æquè contra restrictiones mentales pugnat illud Ecclesiastici 37. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.*

Idem ex Apostolo probatur, Ephes. 4. 25. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra.* Idem evincitur ex Jacobi 3. cap. *Nolite gloriari & mendaces esse adversùs veritatem: non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.*

S. Augustinus Mendacii, & Æquivocationum, Restrictionumque mentalium impugnator.

Probatur secundò ex SS. Patribus, quorum cùm plurima testimonia, & luculentissima quidem protulerimus in Panoplia adversùs Hæreses 2. sæculi, agendo adversùs Helcesaitas, qui mendacium in causa religionis licitum esse propugnabant, sive religionis simulationem; nunc instar omnium nobis erit sanctus Augustinus, qui libris *de Mendacio* & *contra Mendacium* duobus Consentio nuncupatis, Priscillianistas, & Catholicos, qui mentiri se posse & Priscillianistas simulare existimabant, ut eos detegerent, æquè impugnavit.

Is verò Priscillianistarum errorem sic refellit, cap. 2. *Priscillianistarum est*, inquit, *ista sententia. Cui comprobanda adhibent testimonia de Scripturis, exhortantes suos ad mentiendum tamquam exemplis Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Angelorum, non dubitantes addere etiam ipsum Dominum Christum, nec se aliter arbitrantes veracem suam ostendere falsitatem, nisi Veritatem dicant esse mendacem. Nec in eo malo debemus Priscillianistarum esse participes, in quo ceteris convincuntur hæreticis esse pejores. Ipsi enim soli, vel certè maximè ipsi reperiuntur, ad occultandam suam, quam putant veritatem, dogmatizare mendacium: atque hoc tam magnum malum ideò justum existimare, quia dicunt in corde suo retinendum esse quod verum est, ore autem ad alienos proferre falsum, nullum esse peccatum, & hoc esse scriptum: Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in linguâ suâ: tamquam hoc satis sit ad justitiam, etiamsi loquatur quisque in ore mendacium, quando non proximus, sed alienus hoc audit. Propterea putant etiam Apostolum Paulum, cùm dixisset, Deponentes mendacium, loquimini veritatem: statim addidisse, Unusquisque cum proximo suo: quia sumus invicem membra. Ut videlicet cum iis qui nobis in societate veritatis proximi non sunt, loqui liceat, oporteatque mendacium.*

Refellit autem hunc errorem sanctus Augustinus, quòd sanctos Martyres exhonoret, imò verò sancta auferat omnino martyria: *Justiùs enim*, inquit, *sapientiùsque facerent, secundùm istos, si persecutoribus suis non se confiterentur esse Christianos, nec eos suâ confessione facerent homicidas: sed potiùs mentiendo & negando quod erant, & ipsi salvum haberent carnis commodum, cordisque propositum, & illos conceptum animo scelus implere non sinerent. Non enim proximi eorum erant in Fide Christiana, ut cum eis deberent loqui veritatem in ore suo, quam loquebantur in corde suo, sed ipsius veritatis insuper inimici. Si enim Jehu,* quem sibi inter ceteros ad exemplum mentiendi prudenter videntur intueri, servum Baal se esse mentitus est,* 4.Reg.10.
ut servos ejus occideret: quantò justiùs, secundùm istorum perversitatem, tempore persecutionis servos dæmonum se mentirentur servi Christi, ne servi dæmonum servos occiderent Christi & sacrificarent idolis, ne interficerentur homines, si sacrificavit ille Baali ut interficeret homines? Quid enim eis obesset secundùm egregiam doctrinam mendaciloquorum, si diaboli cultum mentirentur in corpore, quando Dei cultus servabatur in corde? Sed non sic intellexerunt Apostolum Martyres veri, Martyres sancti. Viderunt quippe tenueruntque quod scriptum est: Corde creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem, &c. Jehu verò exemplum reprobandum esse docet, cùm (Scriptura sacra teste) *cor rectum non habuerit cum Deo. Quamvis pro nonnulla obedientia, quam de domo Achab omnino delenda, pro cupiditate sua dominationis exhibuit, aliquantam mercedem transitoriam regni temporalis acceperit.*

Cap 7. Nec licitum esse mendacium, docet, ut hæreticos lucrifaciamus: „ Sed etsi, *inquit*, aliter omnino non posset educi de cavernis suis „ hæretica impietas, nisi a tramite veritatis lingua Catholica deviaret, tolerabiliùs illa occultaretur, quàm ista præcipitaretur. Tolerabiliùs perfidia Priscillianistarum veritatis velamine tegeretur, quàm Fides Catholica a Priscillianistis mentientibus laudaretur, a Catholicis credentibus negaretur. Nam si propterea justa sunt non qualiacumque, sed blasphema mendacia, quia hoc animo fiunt ut occulti hæretici detegantur; poterunt isto modo, si eodem animo fiant, casta esse adulteria. Quid si enim ex numero Priscillianistarum impudicarum aliqua fœmina injiciat oculum in Catholicum Joseph, eique promittat prodituram se latebras eorum, si ab illo impetraverit stuprum, certumque sit eam, si ei consensum fuerit, quod pollicita est impleturam, faciendumne censebimus, an intelligemus nequaquam tali pretio merces ejusmodi comparandas? Cur ergo non eruimus capiendos hæreticos mente in adulterium defluente, & eruendos putamus ore in blasphemia fornicante?

Et cap. 15. probat nullâ umquam ratione aut occasione justum esse posse mendacium. „ Nihil, „ *inquit*, judicandus est dicere, qui dicit aliqua justa esse mendacia, nisi aliqua justa esse peccata, ac per hoc aliqua justa esse, quæ injusta sunt. Quo quid absurdius dici potest? Unde enim est peccatum, nisi quia justitiæ contrarium est? Dicere autem quædam injusta, quædam justa esse peccata, quid est aliud quàm „ di-

dicere quasdam esse injustas, quasdam justas iniquitates; cùm dicat Apostolus Joannes: Omnis qui facit peccatum, facit & iniquitatem, & peccatum iniquitas est? (*1. Joann.3.*)

Cap.18. Mendacium non esse dicendum probat, etiamsi verum dicendo mors afferenda sit ægrotanti homini, mentiendo verò ipsi procuranda sit sanitas. Hunc sibi proponit casum: ,, Ecce gravi morbo periclitatur ægrotus, cujus jam vires ferre non possint, si ei mortuus unicus & charissimus filius nuncietur: si a te quærit an vivat, quem vitam finisse tu nosti, quid respondebis, quando quicquid aliud dixeris præter unum de tribus, aut mortuus est, aut vivit, aut nescio, nihil aliud credit ille quàm mortuum; quod te intelligit timere dicere, & nolle mentiri? Tantumdem valet etiamsi omni modo tacueris. Ex illis autem tribus duo falsa sunt. Vivit, & Nescio, nec abs te dici possunt, nisi mentiendo. Illud autem unum verum, id est, mortuum esse si dixeris, & perturbati hominis mors fuerit subsecuta, abs te occisus clamitatur. Et quis ferat bomines exaggerantes quantum sit mali salubre mendacium devitari, & homicidam diligi veritatem?

Respondet Sanctus Augustinus. ,, Nec me movet contemplantem luminosum bonum in quo tenebræ nullæ sunt, quòd nobis mentiri nolentibus, & hominibus vero audito morientibus, homicida dicitur veritas. Numquid si stuprum expetat impudica, & te non consentiente, sævo amore perturbata moriatur, homicida erit & castitas? Quid quòd vitæ hujus tales amatores, ut eam non dubitent præponere veritati, ne homo moriatur, imò ut homo quandoque moriturus aliquanto seriùs moriatur, non solùm mentiri, sed etiam pejerare nos volunt, ut videlicet ne aliquanto citiùs transeat vana salus hominis, nomen Dei nostri accipiamus in vanum: & sunt in eis docti, qui etiam regulas figant, finesque constituant quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes lachrymarum? Et quid faciemus? quò ibimus? Ubi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solùm negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria? Viderint enim insuper assertores defensoresque mendacii, quale genus, vel qualia genera mentiendi eos justificare delectet. Saltem in Dei cultu concedant non esse mentiendum, saltem sese a perjuriis blasphemiisque contineant: saltem ubi Dei nomen, ubi Deus testis, ubi Dei sacramentum interponitur, ubi de divinâ religione sermo promitur sive conseritur, nemo mentiatur, nemo laudet, nemo doceat & præcipiat, nemo justum dicat esse mendacium.

Et cap.19. Servandæ veritatis officium cum officio servandæ castitatis componit, & nullâ umquam ratione violandam mendacio probat veritatem, sicut nullâ umquam ratione violanda stupro castitas est. ,, Certè, *inquit*, pia, vera, sancta castitas nonnisi ex veritate est: & quisquis adversùs eam facit, profectò adversùs veritatem facit. Cur ergo etsi non possit aliter periclitantibus subveniri, non committo stuprum, quòd ideò est contrarium veritati, quia contrarium est castitati: & ut periclitanti subveniatur, loquor mendacium, quod ipsi apertissimè est contrarium veritati? Quid apud nos tantùm promeruit castitas, & offendit veritas, cùm omnis ex veritate sit castitas, & sit non corporis sed mentis castitas, veritasque in mente habitet, sicut etiam corporis castitas?

Et infra sic colligit: ,, Quale est ut esse adulterandum nemo discat a castitate, Deum offendendum nemo discat a pietate, cuiquam nocendum nemo discat a benignitate, & esse mentiendum discamus a veritate? Porrò si hoc non docet veritas, non est verum: si non est verum, non est dicendum: si non est dicendum, numquam est igitur mentiendum.

Et libro de Mendacio, cap.7. Ne pudicitiæ quidem servandæ causâ docet esse mentiendum. ,, Pudicitiæ quippe corporis, *inquit*, quia multùm honorabilis persona videtur occurrere, & pro se flagitare mendacium, ut si stuprator irruat qui possit mendacio devitari, sine dubitatione mentiendum sit: facilè responderi potest nullam esse pudicitiam corporis, nisi ab integritate mentis pendeat, quâ diruptâ, cadat necesse est, etiamsi intacta videatur: & ideò non in rebus temporalibus esse numerandam, quasi quæ invitis possit auferri. Nullo modo igitur animus se mendacio corrumpat pro corpore suo, quod scit manere incorruptum, si ab ipso animo incurruptio non recedat .... Quapropter quia nemo dubitat meliorem esse animum corpore; integritati corporis integritas animi præponenda est, quæ in æternum servari potest. Quis autem dixerit integrum esse animum mentientis?

Denique, *cap.20.* libri contra Mendacium, probat nec pro ęterna hominis salute licitum esse mendacium: ,, Sed aliquando, *inquit*, nobis ipsius quoque salutis æternæ periculum opponitur, quod nostro mendacio, si aliter non potest, depellendum esse clamatur: Velut si quisquam baptizandus in potestate sit impiorum atque infidelium constitutus, ad quem perveniri non possit ut lavacro regenerationis abluatur, nisi deceptis mentiendo custodibus. Ab hoc insidiosissimo clamore, quo cogimur non pro cujusquam opibus vel honoribus in hoc sæculo transcurrentibus, non pro ipsa hujus temporis vitâ, sed pro æterna hominis salute mentiri, quò confugiam nisi ad te, Veritas? Et mihi abs te proponitur castitas. Cur enim si custodes isti ut nos ad baptizandum hominem admittant, stupro illici possunt, non facimus contraria castitati: & si mendacio decipi possunt, facimus contraria veritati; cùm proculdubio nulli esset fideliter amabilis castitas, si non eam præciperet veritas? Proinde ut perveniatur ad hominem baptizandum, fallantur mentiendo custodes, si hoc jubet veritas. Sed quomodo jubeat veritas, ut homo baptizetur esse mentiendum, si non jubet castitas, ut homo baptizetur, esse mœchandum? Cur autem hoc non jubet castitas, nisi quia hoc non docet veritas? Si ergn, nisi quod veritas docet, facere non debemus, cùm veritas doceat nec propter hominem baptizandum facere quod contrarium est castitati: quomodo nos docebit facere propter baptizandum hominem, quod ipsi contrarium est veritati? ..... Ille autem filius, qui verbum suscipiens, a perditione longè aberit, & nihil falsi ex ejus ore procedit, tam sibi clausum deputat, si ad subveniendum homini per mendacium, quàm si per stuprum transire cogatur. Et Pater exaudit orantem, ut valeat sine mendacio subvenire, cui vult Pater ipse, cujus inscrutabilia sunt judicia, subveniri.

Et cap.21. sic colligit: Aut ergo cavenda mendacia rectè agendo, aut confitenda sunt pœnitendo, non autem cùm abundent infeliciter vivendo, augenda sunt & docendo. Sed eligat, qui hoc putat, unde subveniat periclitanti homini, ad quamlibet salutem qualiacumque mendacia, dum tamen & apud tales obtineamus, oullâ causâ nos ad peierandum &

,, blas-

blasphemandum oportere perduci. Ista certè scelera vel ampliora stupris, vel certè, non minora judicemus. Namque cogitandum est, sæpissimè homines, de quarum adulterio suspicantur, ad jusjurandum provocare conjuges suas. Quod utique non facerent, nisi crederent etiam illas, quæ non timuerunt perpetrare adulterium, timere posse perjurium. Quia & revera nonnullæ impudicæ, quæ non timuerunt illicito concubitu viros fallere, eisdem viris quos fefellerant, timuerunt Deum testem fallaciter adhibere. Quid igitur causæ est, ut homo castus & religiosus homini baptizando nolit adulterio subvenire, & perjurio velit, quod solent & adulteri formidare?

Quia verò varia sunt mendaciorum genera, singula expendit Sanctus Augustinus, *lib. de Mendacio*, & nullum eorum non esse peccatum ostendit, *Exceptis jocis, qui habent evidentissimam ex pronuntiatione atque ipso jocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis*. Primò itaque mendacium in doctrina religionis, & in iis quæ propter doctrinam religionis enuntiantur, cùm illa docetur, & discitur, gravissimum crimen est. *Frustrâ, enim vel leviter diminutâ auctoritate veritatis, omnia dubia remanebunt, quæ nisi vera credantur, teneri certa non possunt. Licèt igitur vel Disserentori ac disputatori, atque Prædicatori rerum æternarum; vel narratori, vel pronuntiatori rerum temporalium ad ædificandam religionem atque pietatem pertinentium, occultare in tempore quicquid occultandum videtur, mentiri autem numquam licet, ergo nec occultare mentiendo.*

Illicita sunt pariter mendacia, quæ etsi non obsint alteri, nulli tamen prosunt, sed obsunt eis qui gratis mentiuntur, ut sese mendacio delectent, vel ut suavitate sermonis alios demulceant. Quamvis enim aliis non noceant hujusmodi mendacia, „ Ipsis tamen mentientibus valde obsunt: illis quidem quia sic deserunt veritatem ut fallaciâ lætentur; istis quia se malunt placere hominibus, quàm verum dicere. *Et* mendacii libido per seipsam vitiosa est. Nec ipsa veritas fine placendi hominibus enuntianda est, quantò minùs mendacium, quod per se ipsum, quia mendacium est, utique turpe est?

Illicita sunt & officiosa mendacia, quæ scilicet nulli obsunt, & alicui prosunt, „ Neque enim rectè etiam testimoniis veritas pro cujusquam temporali commodo ac salute corrumpitur. Ad sempiternam enim salutem nullus ducendus est opitulante mendacio. Non enim malis convertentium moribus aliquis ad bonos mores convertendus est: quia si erga illum faciendum est, debet etiam ipse conversus facere erga alios: atque ita non ad bonos, sed ad malos mores convertitur, cùm hoc ei præbetur imitandum converso, quod ei præstitum est convertendo.

Quare si quis urgeatur ut latentem hominem prodat, sive insontem, sive reum, respondere debet: *Nec prodam, nec mentiar*. Quod fecisse Firmum Tagastensem Episcopum refert Sanctus Augustinus. Cùm nempe ab eo quæreretur homo jussu Imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem, diligentiâ quantâ poterat, occultabat; respondit quærentibus, nec mentiri se posse, nec hominem prodere: passusque multa tormenta corporis (nondum enim erant Imperatores Christiani) permansit in ea sententia. Deinde ad Imperatorem ductus, usque adeò mirabilis apparuit, ut ipsi homini, quem servabat, indulgentiam fine ulla difficultate impetrarit.

Nec tandem licitum evadit mendacium compensatione quadam, ut scilicet majus peccatum vitetur. „ Non sunt *enim* facienda mala ut eveniant bona: *& eorum qui id asserunt*, damnatio justa est, *teste Apostolo*. *Præterea*, In hoc errant homines quòd subdunt pretiosa vilioribus. Cùm enim concesseris admittendum esse aliquod malum, ne aliud gravius admittatur, non ex regula veritatis, sed ex sua quisque cupiditate atque consuetudine metitur malum: & id putat gravius, quod ipse ampliùs exhorrescit, non quod ampliùs revera fugiendum est. Hoc totum ab amoris perversitate gignitur vitium. Cùm enim duæ sint vitæ nostræ; una sempiterna, quæ divinitus promittitur, altera temporalis, in qua nunc sumus: Cùm quisque istam temporalem ampliùs diligere cœperit quàm illam sempiternam, propter hanc quam diligit, putat esse omnia facienda: nec ulla æstimat graviora peccata, quàm quæ huic vitæ faciunt injuriam, & vel ei incommoditatis aliquid iniquè & illicitè conferunt, aut eam penitus illata morte adimunt. Itaque fures, & raptores, & contumeliosos, & tortores, atque interfectores magis oderunt, quàm lascivos, ebriosos, luxuriosos, si nulli molesti sunt.

Cogimur ergo: „ Non opinione hominum, quę plerumque in errore est, sed ipsâ quæ omnibus supereminet atque una invictissima est, veritate etiam pudicitiæ corporis perfectam fidem anteponere. Est enim animi castitas, amor ordinatus non subdens majora minoribus. Minus est enim quicquid in corpore quàm quicquid in animo violari potest. Certè enim cùm pro pudicitia corporali quisque mentitur, videt quidem corrumpendo corpori suo, non suam, sed alienam imminere libidinem: cavet tamen ne saltem permittendo sit particeps. Permissio verò illa, ubi, nisi in animo est? Etiam corporalis ergo pudicitia corrumpi nisi in animo non potest: Quo non consentiente, neque permittente, nullo modo rectè dicitur violari pudicitia corporalis, quicquid in corpore fuerit alienâ libidine perpetratum. Unde colligitur multò magis animi castitatem servandam esse in animo, in quo tutela est pudicitiæ corporalis. Quamobrem, quod in nobis est, utrumque sanctis moribus & conversatione muniendum est atque sepiendum ne aliunde violetur. Cùm autem utrumque non potest, quid pro quo sit contemnendum quis non videat, cùm videat quid cui sit præponendum: animus corpori, an corpus animo: animi castitas pudicitiæ corporis, an pudicitia corporis castitati animi? Et quid magis in peccatis cavendum, permissio facti alieni, an commissio facti tui?

Certè quod lege naturæ vetitum est, per se malum est: lege autem naturæ vetitum est mendacium. In ipso namque Decalogo scriptum est: *Falsum testimonium ne dicas:* Quo genere complectitur omne mendacium, inquit S. Augustinus. *Quisquis enim aliquid enuntiat, testimonium perhibet animo suo*. Hæc S. Augustinus passim in lib. *de Mendacio*.

Idem S. Doctor in Enchiridio, cap. 22. omne mendacium esse peccatum disertè probat. „ Porrò autem omne mendacium ideò dicendum est esse peccatum, quia homo non solùm quando scit ipse quid verum sit, sed etiam quando errat & fallitur sicut homo, hoc debet loqui quod animo gerit; sive illud verum sit, sive putetur & non sit. Omnis autem qui mentitur, contra id quod animo sentit loquitur voluntate fallendi. Et utique verba propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, „ sed

„ sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes sua perferat. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Nec ideò ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus, aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim & furando aliquando alicui prodesse, si pauper cui palam datur sentit commodum, & dives cui clam tollitur, non sentit incommodum nec ideò tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus & adulterando prodesse, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amodo moritura, & si vixerit, pœnitendo purganda: nec ideò peccatum tale negabitur adulterium. Si autem meritò nobis placet castitas, quid quæso offendit veritas, ut propter alienam utilitatem illa non violetur adulterando, & violetur ista mentiendo? Non ideò mendacium poterit aliquando laudari quia nonnumquam pro salute quorumdam mentimur. Peccatum ergo est, sed veniale, quod benevolentia excusat, & ideò fallacia damnat.

Confirmatur Propositio ex S. Gregorio Magno, „ lib. 10. Moralium, *cap.* 16. Hujus mundi sapientia (*inquit*) est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, fallacia demonstrare: hæc nimirum prudentia usu a juvenibus scitur, hæc a pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt. Hanc qui nesciunt, subjecti & timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas urbanitas vocatur. „ Quibus verbis mendacia, æquivocationes & restrictiones mentales æquè impugnantur. Quo enim vocetur nomine *falsa significatio cum voluntate fallendi*, nihil refert: semper mendacium est. Nec mutatur peccatum, etiam si nomen mutetur, & honestiori vocabulo veletur ejus turpitudo. Id illustratur exemplo. Refert Innocentius III. cap. *In tantum*, *De Simonia*, quosdam Episcopos pro sacro chrismate solitos fuisse certam pecuniæ summam annuatim sub tempus Paschale recipere; sed postea ad palliandum simoniæ vitium, nummorum nomen mutasse, & solutionis tempus anticipasse, recipientes media Quadragesimâ, quod pridem post Pascha recipere solerent: & ut caussam dissimularent recipiendi, nomen Denariorum variabant: Denarios quos primum Chrismales, secundò Paschales dicebant, *Consuetudinem media Quadragesima* nuncupantes. Sicut ergo *istos a labe simoniæ purgare non potuit variatio nominis, durante vetustate criminis* (ut ait idem Pontifex) ita nec recentiores mentalium restrictionum vindices purgare potest a labe defensi mendacii, quòd ipso mendacii nomine abolito, rem ipsam restrictionis mentalis, aut æquivocationis nomine exornent.

Objicies in gratiam mendacii, Abraham fuisse mentitum, cùm de Sara uxore sua dixit Abimelech: Soror mea est, Genesis 20. Item cùm ad montem pergens ut Isaac filium suum secundùm Dei mandatum immolaret, dixit ad pueros suos: *Expectate hic cum asino: ego & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Item, mentitum esse Jacob, cùm se Esau simulavit ut paternam benedictionem surriperet, dixitque: *Ego sum primogenitus tuus Esau.* Præterea, mentitas fuisse obstetrices Ægyptias, cùm Pharaoni conquerenti quòd mares Hebræorum, ut ipse jusserat, non interfecissent, responderunt: *Non sunt Hebreæ, sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam & priusquam veniamus ad eas pariunt.* Quarum obstetricum pium mendacium a Deo remuneratum est. (*Exod.* 1.) Thamar etiam se meretricem simulavit, & habitu verbisque mentita est. [*Genes.* 38.] Rahab a Rege Jericho de Israëlitis exploratoribus interrogata, mentita est; quam Apostolus *ad Hebreos* 11. commendat. Ad hæc, Angelus Tobiæ mentitus est, vel saltem æquivocatione, & restrictione mentali usus, cùm Tobiæ interroganti de qua domo, aut de qua tribu esset respondit: *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius.* Quæ verba sic Tobias accepit, quasi ex illostri genere apud Israëlitas esset. *Ex magno*, inquit, *genere es tu.* Ipse Christus æquivocatione, restrictione mentali, & simulatione usus videtur, sive cùm interrogantibus Discipulis de supremi die judicii respondit: *Neque filius hominis scit*: id est, nescire se ut illis revelaret: sive cùm aliis Discipulis Emmauntem petentibus sub peregrini specie occurrens, *finxit se longiùs ire.* (Lucæ 24.) S. Petrus legis Mosaicæ ceremonias ex simulatione observavit, ipsumque simulatoriè reprehendit Sanctus Paulus (ut Sanctus Hieronymus in Commentario, *Epistola ad Galat.* & in pluribus ad Sanctum Augustinum Epistolis contendit, officiosi mendacii patrocinium suscipiens, quod honestam dispensationem vocat.) Exemplis itaque sanctorum hominum, Angelorum, & ipsius Christi, constat mendacia, vel æquivocationes saltem licitas esse.

Veteres Mendacii & mentalium Restrictionum patroni. Origenes.

Secundò. Scriptores alii Ecclesiastici non ignobiles, & maximæ eruditionis, mendacii patrocinium susceperunt. Origenes sexto Stromatum hæc habet: *Plato in tertio de Republica libro: Veritas, inquit, sectanda magnopere est: si enim Deo indecens, & inutile mendacium, est hominibus quandoque utile, ut utantur eo quasi condimento aut medicamine, nulli dubium est quin hujusmodi licentia medicis danda sit, & ab imprudentibus removenda: ergo & Principes urbium, si quibus & aliis hoc conceditur, oportet aliquando mentiri, vel contra hostes, vel pro patria & civibus. Ab aliis verò qui mendacio uti nesciunt, auferendum est omne mendacium. Hactenus verba Platonis recensuimus. Et nos igitur illius præcepti memores: Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo; non debemus dicere, Quis est proximus meus? sed considerare quomodo Philosophus cautè dixerit, Deo indecens & inutile esse mendacium, hominibus interdum utile, & quod ne pro dispensatione quidem putandus sit Deus aliquando mentiri..... Homo autem cui incumbit necessitas mentiendi, diligenter attendat ut sic utatur mendacio tamquam condimento & medicamine, ut servet mensuram ejus, nec excedat terminos, quibus usa est Judith contra Holofernem, & vicit cum prudenti simulatione. Imitetur Esther, quæ Artaxerxis sententiam diu tacitâ gentis veritate correxit: & in primis Patriarcham Jacob, quem legimus benedictiones Patris artificioso impetrasse mendacio. Ex quo perspicuum est, quòd nisi ita mentiti fuerimus, ut magnum nobis ex hoc aliquod quæratur bonum, judicandi sumus quasi inimici ejus qui ait: Ego sum veritas.* Hæc ex Origene sanctus Hieronymus, *lib.* 1. *Apologiæ adversùs Ruffinum*, *cap.* 4. Illi porrò Stromatum libri modò inter Origenis Opera non habentur.

Cassianus.

Cassianus Origenis Doctrinam hac in parte secutus est. Collatione enim 17. in qua Joseph Abbas loquitur, cap. 17. ita scribit: *Itaque ita eo utendum est, quasi natura ei insit ellebori, quod si imminente exitiali morbo sumptum fuerit, fit salubre: cæterùm absque summi discriminis necessitate perceptum, præsentis exitii est. Ita namque etiam sanctos ac probatissimos Deo viros veniabiliter legimus usos fuisse mendacio; sicut Rahab, cujus cùm*

non

non solùm nulla virtutum, sed etiam impudicitiæ monumenta commemorat Scriptura, pro tali mendacio, quo exploratores maluit occultare, quàm prodere, admisceri populo Dei æterna benedictione promeruit. Addit, *Quosdam per mendacium justificatos, alios per veritatis affectionem peccatum perpetuæ mortis incurrisse. Jacob instiganti ad mendacium matri laudabiliter acquievisse; quia videbat ex hoc majora sibi lucem benedictionis atque justitia, quàm per simplicitatis observantiam conferenda.* Lege & sequentia capita usque ad 21. in quibus mendacii causam totis ingenii & doctrinæ viribus agit. Et lib. 5. *de Cœnobiorum Institutis*, Archebium Abbatem commendat, quòd *Mendacio charitatis fratrem circumvenerit*.

Denique Sanctus Ambrosius, sive potiùs Auctor Sermonis 15. de Sanctis Sancto Ambrosio adscripti, Sanctum Eusebium Vercellensem Episcopum commendat, *quòd Hæreticis* (Arianis scilicet) se esse Hæreticum, *mentitus sit, ut de Hæresi filium*, nempe Dionysium Mediolanensem Episcopum *liberaret*: ac simulaverit se etiam subscribere velle damnationi Sancti Athanasii, modò ipsi primas in subscribendo deferrent, nec juniorem Episcopum ipsi præponi paterentur. Quo mendacio, sive restrictione mentali effecit, ut Dionysii subscriptio deleretur: atque ita vaferrimos Hæreticos delusit. Cùm itaque mendacium tam insignes Patronos habuerit, non videntur damnandi Priscillianistæ, quòd licitum esse mendacium docuerint.

Scriptura Sacra mendacio & æquivocationibus non favet.

Respondeo, illa, quæ ex Scripturis sacris proferuntur, vel non esse mendacia, vel non esse imitanda. Ita respondet sanctus Augustinus, *lib. contra Mendacium ad Consentium*, cap. 22. „ Ad te igitur pertinet, inquit, sectam detestabilem cùm refellis, sic accipienda monstrare ista testimonia Scripturarum, ut vel doceas non esse quæ putantur mendacia, si eo modo intelligantur, quo intelligenda sunt: vel imitanda non esse etiam, quæ manifestum est esse mendacia: vel certè ad extremum de his saltem rebus, quæ ad doctrinam religionis pertinent, nullo modo esse mentiendum...... Ad ostendenda ergo quæ putantur in Scripturis esse mendacia, non ea esse quod putantur, si rectè intelligantur, non tibi parum adversùs istos valere videatur, quod non de Apostolicis, sed de Propheticis literis inveniunt velut exempla mentiendi. Illa quippe omnia quæ nominatim commemorant ubi sit quisque mentitus, in eis libris leguntur, in quibus non solùm dicta, verùm etiam facta multa figurata conscripta sunt, quia figuratè gesta sunt. In figuris autem quod velut mendacium dicitur, bene intellectum verum invenitur. Apostoli verò in Epistolis suis aliter locuti sunt, aliterque conscripti Actus Apostolorum, jam videlicet revelato Testamento Novo, quod illis figuris Propheticis velabatur. Denique in tot Epistolis Apostolicis, atque in ipso tam grandi libro in quo Actus eorum canonica veritate narrantur, non invenitur talis aliquis mentiens, ut de illo ab istis ad mentiendi licentiam proponatur exemplum. Quandoquidem illa Petri & Barnabæ simulatio qua gentes judaizare cogebant, meritò reprehensa atque correcta est, & ne tunc noceret, & ne posteris ad imitandum valeret.

Sed ut ad exempla laudata singillatim respondeam: Ad primum, nego Abraham fuisse mentitum, cùm de uxore suâ dixit Abimelecho, *Soror mea est*. Sara enim revera soror erat Abrahami, filia scilicet ejusdem patris, licèt non ejusdem matris; ut disertè asseruit Abraham *Genes.* 20. se a suspicione mendacii coram Abimelecho purgans: *Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam uxorem*. Vel, soror dicitur, quia neptis erat, filia nempe Aran ejus fratris. Hac de re disserentem audire præstat sanctum Hieronymum in *Traditionibus Hebraicis* super caput 20. Geneseos exponentem illa verba secundùm Versionem 70. Interpretum: *Verè soror mea est de patre, non de matre.* Sic autem habet: *Significatur fratris ejus Aran filiam fuisse, non autem sororis. Sed quia in Hebræo sic est: Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, quod magis sonat Saram fuisse sororem Abrahæ; in excusationem ejus dicimus, necdum tunc tempore tales nuptias lege Moysis fuisse prohibitas.*

Sed idem Pater *in Traditionibus Hebraicis ad caput* 11. *Geneseos*, in eam magis propendet sententiam quòd Sara neptis fuerit Abrahami, ob idque soror ab eo absque mendacio vocata sit. Ait namque Aran fratrem Abrahæ genuisse filias duas Melcham & Saram, quæ alio nomine appellata est Jescha: & Melcham quidem uxorem duxit Nachor; Saram verò Abraham, ambo fratres ipsius Aran. Nedum quippe inter patruos & fratrum filias nuptiæ fuerant lege prohibitæ, quæ in primis hominibus etiam inter fratres initæ sunt.

Confirmatur ista responsio ex sancto Augustino *lib.* 1. contra Mendacium, *cap.* 10. „ Non est *inquit*, hoc occultare veritatem, quod est proferre mendacium. Quamvis enim omnis qui mentitur velit celare quod verum est: non tamen omnis qui vult quod verum est celare, mentitur. Plerumque enim vera non mentiendo occultamus, sed tacendo. Neque enim mentitus est Dominus ubi ait: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò. Vera tacuit, non falsa locutus est: quibus veris audiendis eos minùs idoneos judicavit. Et infra: Qui asserunt aliquando esse mentiendum, non convenienter commemorant Abraham hoc fecisse de Sara, quam sororem suam dixit, Non enim dixit, Non est uxor mea: sed dixit, Soror mea est: Quòd erat revera tam propinqua genere, ut soror non mendaciter diceretur. Aliquid ergo veri tacuit, non falsi aliquid dixit: quando tacuit uxorem, dixit sororem. Ubi sororem vocatam verè fuisse contendit, quòd fratris filia esset: adeòque Abrahamum mendacii purum hac in occasione fuisse, quamvis Sara Thare filia non esset.

„ Et *lib.* 35. contra Faustum, *cap.* 35. Cùm Abraham [*inquit*] eo tempore viveret in rebus humanis, quo tempore jam fratres ex utroque, aut altero, alterave parente natos necti conjugio non licebat: filios autem fratrum, aliosque longinquiore gradu generis consanguineos, nulla lege, nulla potestate prohibita consuetudo jungebat; quid mirum si sororem suam, id est, ex patris sui sanguine procreatam, habebat uxorem? Nam hoc ipse reddenti sibi eam Regi dixit, de patre esse sororem, non de matre. Ubi certè ut Sororem mentiretur, nullo jam timore cogebatur, quando ille jam uxorem ejus esse didicerat, & eam divinitus territus cum honore reddebat. Fratres autem, sive sorores, generali nomine consanguineos, vel consanguineas solere apud Veteres appellari, Scriptura testatur. Nam & Tobias junior, quam accipiebat uxorem, appellavit sororem; non quidem ejusdem patris aut matris fatu natam, sed ex eadem stirpe cognationis exortam. Et Loth Abrahæ frater dicitur, cujus tamen patruum fuisse Abraham eadem Scriptura declarat. Similiter in Evangelio fratres Domini nominantur, non ejusdem matris filii, sed ex ea-

eadem consanguinitate propinqui.

Ad secundum, nego quòd mentitus fuerit Abraham cùm ait: *Ego & puer revertemur ad vos*: quia certissimè existimavit quòd Deus qui ipsi paulò ante dixerat, *In Isaac vocabitur tibi semen*, eum a mortuis excitaturus esset. Hinc sanctus Augustinus *lib.16 de Civitate Dei, cap.32.* ait: *Non dubitavit quòd sibi reddi poterat immolatus, qui dari potuit non speratus.* Hinc Apostolus ad *Hebr. 11.* ait: *Fide obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur, & unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones: ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen: arbitrans quia & a mortuis suscitare potens est Deus.* Hinc sanctus Ambrosius, *lib. de Abraham cap.8.* hunc locum exponens, ait, *Prophetavit* (Abraham) *quod ignorabat: Dominus per os ejus locutus est quod parabat.*

Ad tertium respondeo, Jacob matris consilio benedictionem paternam loco Esaii accepisse, absque fraudis mendaciive crimine. Id asserit Sanctus Augustinus, lib. contra Mendacium, *cap.9.* Jacob, inquit, quod matre fecit auctore ut patrem fallere videretur, si diligenter & fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium. Quæ si mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ ac figuræ significandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio intelligendum, dicentur esse mendacia.. .... Idipsum quod Jacob fecit attende. Hœdinis certè pellibus membra contexit. Si causam proximam requiramus, mentitum putabimus. Hoc enim fecit ut putaretur esse qui non erat. Si autem hoc factum ad illud propter quod significandum revera factum est referatur, per hœdinas pelles peccata: per eum verò qui se illis operuit, ille significatus est, qui non sua, sed aliena peccata portavit. Verax ergo significatio nullo modo mendacium rectè dici potest: ut autem in facto, ita & in verbo. Nam cùm ei Pater dixisset, Quis es tu fili? Respondit: Ego sum primogenitus tuus. Hoc si referatur ad duos illos geminos, mendacium videbitur: si autem ad illud propter quod significandum ista gesta, dicta, conscriptaque sunt: ille est hic intelligendus in corpore suo, quod est ejus Ecclesia, qui de hac re loquens, ait: Cùm videritis Abraham, Isaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei: & Ecce sunt novissimi, qui erant primi, & sunt primi qui erant novissimi. Sic enim quodammodo minor majoris primatum abstulit frater, atque in se transtulit fratris. Cùm igitur tam vera, tamque significentur veraciter, quid hic debet putari factum, dictumve mendaciter?

Et *lib.16.* de Civitate Dei, *cap.37.* Iste dolus Jacob [*inquit*] ne putaretur fraudulentus dolus, & non in eo magnæ rei mysterium quæreretur, superiùs prædixit Scriptura: Erat Esau homo sciens venari, agrestis: Jacob autem homo simplex, habitans domum. Hoc nostri quidam interpretati sunt sine dolo, sive simplex sive potiùs sine fictione dicatur .... Quis est in ista benedictione percipienda dolus hominis sine dolo? Quis est dolus simplicis, quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis? *Et infra*: Ecce benedictionem promissam repetente majore, expavit Isaac, & aliam pro alio se benedixisse cognoscens, miratur, & quisnam ille sit percontatur; nec tamen se deceptum esse conqueritur; imò confestim revelato sibi intus in corde magno Sacramento, devitat indignationem, confirmat benedictionem, Quis ergo, inquit, venatus est mihi venationem, & intulit mihi, & manducavi ex omnibus, antequam tu venires? Et benedixi ei, & sit benedictus. Quis non hic maledictionem potiùs exspectaret irati, si hæc non supernâ inspiratione, sed terreno more gererentur? O res gestas, sed propheticè gestas! in terra, sed cælitus; per homines, sed divinitus!

Jacob pariter a mendacio purgat Theodoretus *Quæstione 80. super Genesim* scribens: *An non est visus Jacob mentiri, cùm dixit; Ego sum Esau primogenitus tuus? Minimè verò. Emerat enim ille privilegia primogenituræ ab Esau. Verè igitur seipsum appellabat primogenitum.*

Eidem sententiæ sanctus Gregorius Magnus suffragatur, *Homilia 6. in Ezechielem*, dicens: *Jacob primogeniti benedictionem non per fraudem surripuit, sed ut sibi debitum accepit: quam concedente fratre, datû lentis mercede emerat.*

Contra. Ille a mendacio excusari non potest, qui dicit se esse primogenitum Esau, cùm non sit; qui ait se esse illum cui præcepit pater ut venationem afferret, cùm ita se res non habeat; qui vulgares cibos offerens, ait patri ut de venatione sua comedat. Atqui ita se gessit Jacob: *Ego sum*, inquit, *Primogenitus tuus Esau: feci sicut præcepisti mihi; surge, sede, & comede de venatione mea.* Itaque mentitus est Jacob. Præterea, innuere videtur Isaac fraudem & mendacium Jacob, cùm Esaii ita alloquitur: *Venit germanus tuus fraudulenter*, &c.

Respondeo, Non esse mentitum Jacob, cùm se primogenitum dixit. Namque primogenitus erat, si jus spectetur, non autem si persona. Sic verè Christus, *Matthæi 11.* dixit de Joanne Baptista: *Ipse est Elias*, quia (ut ait Sanctus Augustinus) in spiritu Elias erat, quamvis in persona Elias non esset. Sic etiam *Ezechielis, cap.37.* Deus Judæis captivis aliquod impendere volens solatium ex spe bonorum, quæ a Messia accepturi erant, ait: *Et David servus meus Princeps eorum in perpetuum*: Davidis nomine Messiam significans. Sic humano more qui Toparchiam aliquam emit, nomen Domini jure & absque mendacio sibi sumit. Quod verò ait Jacob: Feci sicut præcepisti mihi: verum est, si spectetur primaria intentio Isaaci; etsi verum non sit, si secunda & minùs præcipua attendatur. Primariò enim intendebat Isaacus præceptum illud de quærenda venatione ad primogenitum suum dirigere, ut hocce officio supremam ac solemnem benedictionem promereretur. Secundariò autem intendebat præceptum illud ad Esau dirigere, quem ignarus adhuc mysterii, & divinæ ordinationis, primogenitum esse existimabat. Unde Jacob primariam dumtaxat Patris intentionem spectans, absque mendacio dixit: *Feci sicut præcepisti mihi.* Quod autem dixit: *Comede de venatione mea*, verissimum etiam erat. Hœdos enim attulerat Jacob in stabulo conquisitos & electos, ac nomine venationis cibum a se apprehensum, a matre paratum intellexit, & locutione minùs propriâ significavit. Denique hæc verba: *Venit germanus tuus fraudulenter*, de fraude in speciem exponenda sunt, non de vera fraude, sive de *dolo simplicis*, de *fictione non mentientis* (ut Sanctus Augustinus loquitur.) Nam quòd Isaacus veram fraudem non intellexerit, constat ex eo quòd ratam habuit benedictionem Jacobo concessam: *Benedixique ei*, inquit, *& erit benedictus.* Sed etsi mentitus esset Jacob, quod Viri Eruditi probabiliter asserunt, nihil istud mendacio faveret, quia Scriptura sacra id tantummodo gestum refert, imitandum verò non proponit. Legatur Dissertatio nostra nona in Historiam Ecclesiasticam Veteris Testamenti, secundæ Mundi ætatis; quâ Jacob a mendacio vix aut nullo modo excusari posse probamus, si literali Scripturæ fa-

ctæ

eræ sensui insistatur: at si sensus figuratus attendatur, & gravissimorum Patrum auctoritati hac in Quæstione cedendum sit, asserendum esse Jacob paternam benedictionem accepisse absque fraude & mendacio.

Ad qoartum respondeo, Mentitas quidem fuisse obstetrices Ægyptias, sed in eis nec laudatum fuisse, nec a Deo remuneratum mendacium: qnamvis ipsarum erga pueros Hebræos benignitas mercede & benedictione temporali a Deo donara sit. Quod etiam de Rahab meretrice dicendum est, quæ non ob mendacium laudata est ab Apostolo, sed ob fidem, & ob Officium Exploratoribus Israëlitis ex Dei timore & charitate impensum. Ita respondet Sanctus Augustinus, *libro contra Mendacium*, cap. 15. *Sed quod scriptum est, bene Deum fecisse cum Hebrais obstetricibus, & cum Rahab Hierichuntina meretrice, non ideò factum est quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum absurdumque non esset, si alio prius tempore commissa ab eis aliqua opera mala Deus propter posteriora opera bona vellet ignoscere: ita mirandum non est, quòd uno tempore in una causa Deus utrumque conspiciens; id est, factum misericorditer, factumque fallaciter, & bonum remuneravit, & propter hoc bonum, malum illud ignovit.*

Et cap. 16. *Rahab* (inquit) *quando illud opus bonum, & sua vita conditione laudabile Israëlitis præstitit exploratoribus, nondum erat talis ut ab ea exigeretur: Sit in ore vestro, Est, est, Non, non. Obstetrices autem illæ, quamvis Hebreæ, si secundùm carnem tantummodo saperent, quid aut quantum est quod eis profuit remuneratio temporalis, quia fecerunt sibi domos, nisi proficiendo pertinuerunt ad eam domum de qua Deo cantatur: Beati qui habitant in domo tua Domine? Multùm autem fatendum est propinquare justitiæ, & quamvis reipsa nondum, jam tamen spe, atque indole animum esse laudandum, qui nunquam nisi hac intentione mentitur, quia vult prodesse alicui, nocere autem nemini. Sed nos cùm quærimus sit ne boni hominis aliquando mentiri, non de homine quærimus adhuc ad Ægyptum, vel ad Jericho, vel ad Babyloniam pertinente, vel adhuc ad ipsam Jerusalem terrenam qua servit cum filiis suis; sed de cive illius civitatis, quæ sursum est libera mater nostra æterna in cælis. Et respondetur quærentibus nobis: Omne mendacium non est ex veritate* (1. Joann. 2.) *Filii autem illius civitatis, filii sunt utique veritatis.*

Et cap. 17. *Proinde Rahab in Jericho, quia peregrinos homines Dei suscepit hospitio, quia in eorum susceptione periclitata est, quia in eorum Deum credidit, quia diligenter eos, ubi potuit, occultavit; quia per aliam viam remeandi consilium fidelissimum dedit, etiam supernæ Jerusalem civibus imitanda laudatur. Quod autem mentita est etiamsi ibi aliquid propheticum intelligenter exponitur, non tamen imitandum sapienter proponitur: quamvis Deus illa bona memorabiliter honoraverit, hoc malum clementer ignoverit.*

Ad quintum respondeo, non magis esse imitandum exemplum Thamar mentientis, quàm Judæ fornicantis. Ita respondet S. Augustinus, *lib. contra Mendacium*, cap. 14. *Cur autem isti*, inquit, *imitandam sibi Thamar existimant mentientem, & imitandum Judam non existimant fornicantem? Ibi enim utrumque legerunt, & nihil horum Scriptura illa sive culpavit, sive laudavit; sed tantummodo utrumque narravit, & judicandum nobis utrumque dimisit. Sed mirum si aliquid horum imitandum impunè permisit.*

Ad 6. Respondeo, Angelum Raphaëlem verè dixisse Tobiæ se esse *ex filiis Israël:* quia ex urbibus filiorom Israël utpote Fidelium veniebat, quorum sibi cura a Deo erat demandata: vel quia *Israël* Hebraicè idem est ac *Dominans Deus:* omnes autem Angeli sunt filii Dei dominantis, secundùm illud Job. 38. *Ubi eras, cùm me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* Vel etiam qnia *Israël* idem est ac *Vir videns Deum*. Angeli autem *vident faciem Patris qui in cælis est*. Verè etiam dixit Raphaël se esse *Azariam, Anania magni filium:* quia assumpsit effigiem & formam Azariæ ejusque personam præferebat. Sic *Genes.* 31. Angelus verè ait: *Ego sum Deus Bethel*: quia loquebatur in persona Dei, tamquam ejus legatos. Sic *Exodi* 20. Angelus Decalogum vice Dei promulgans, ait: *Ego sum Dominus Deus tuus.*

Secundò, cùm Angelorum ex ministerio sumantur nomina, & Michaël pugnans cum Dracone superbo nomen habeat humilitatis: *Quis ut Deus?* Raphaël idem sit ac *Curatio Dei*, quia Tobiæ curavit cæcitatem: non mirum quòd hic se ex ministerio vocaverit *Azariam*, id est, *Adjutorium Dei*. Vel dicamus quòd *Azarias* significat *Prohibitionem*, vel *Retentionem Dei* a radice *atsar*, id est, *prohibuit*, quia Raphaël cohibuit Asmodeum, eumque in deserto conclusit & ligavit. Dici etiam potest, *Azariam* significare *Thesaurum Dei*, a radice *otsar*, id est, *thesaurus*; ipse enim thesauros sapientiæ & beneficentiæ Dei in se continet, eorumque dispensator est ac minister. Denique verti potest *Azarias*, *Beatitudo Dei*, a radice *asro*, *id est*, *Beatitudo*. Verè autem se *Anania magni* dixit *filium*. Nam Ananias si per *Chet* scribatur, ut Hebraicè dicatur *Chananias*, idem est quod *Gratia Dei* (inquit Beda) sive (ut Sancles Pagninus) *Deum & miseratio, & gratificatio Dei*. Hujus enim filii sunt Angeli ipseque Raphaël, quia totum quod sunt, gratiæ acceptum ferunt. Si autem Ananias scribatur per *ain*, *Ananias* significat *Nubem Dei*. Unde verè se dixit Raphaël Ananiæ magni filium: quia Angeli sunt filii Dei qui est invisibilis & incomprehensibilis: cujus invisibilitatis & incomprehensibilitatis symbolum est nubes. Non ita quidem hæc responsa statim intellexit Tobias; sed illorum sensum tandem assecutus est, cùm Angelus illum docuit dicens: *Ego sum Raphaël Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum.*

Ad 7. Respondeo, Christum æquivocatione, seu restrictione mentali usum non esse, cùm de ultimi judicii die a Discipulis interrogatus, respondit: *Neque filius hominis scit*, quia non ut Discipulos falleret, sed ut doceret, sic respondebat: & illi sensum Dominicæ responsionis planè assequebantur; satisque intelligebant Magistrum profiteri se diem illum nescire, quòd nollet ipsis revelare. Nec etiam simulatione, aut restrictione mentali usus est Servator, cùm Discipulis Emmauntem petentibus aspectabilem se præbens, finxit se longiùs ire. Externa enim illa species quam exhibebat, peregrini ulteriori de itinere cogitantis, tota ad erudiendos, non ad decipiendos Discipulos comparata erat. Nempe longiùs tendentis & festinantis hominis habitu significare voluit aut se longiùs profecturum, ascendendo super omnes cælos, aut eos qui hospitales sunt, longiùs ituros, id est, secum ad regnum cæleste perventuros, [ut Sanctus Augustinus exponit, *lib. contra Mendacium*, *cap.* 13. *& lib.* 2. *Quæstionum Evangelicarum*, *cap.* 51.] Porrò mendacium non est, cùm non ad fallendum, sed ad aliquid majus significandum, aliquid fingimus: quemad-

modum parabolæ, etsi fictæ narrationes sunt, mendacia non sunt. Hac de re audire præstat sanctum Augustinum, lib. contra Meodacium, cap. 13. *Ipsum*, (inquit) *verbum posuit* (Evangelista) *quo mendaces nimium delectantur, ut impunè mentiuntur: quasi mendacium sit omne quod fingitur; cùm veraciter aliud ex alio significandi gratiâ tam multa fingantur. Si ergo nihil aliud significasset Jesus in eo quòd longiùs ire se finxit, meritò judicaretur esse mendacium. Porrò autem, si bene intelligatur, & ad id quod voluit significare referatur, invenitur esse mysterium ...... Quisquis autem vult intelligere illud fingendo quid præsignavit, attendat quid agendo perfecerit. Longiùs namque postea profectus super omnes cœlos, non tamen deserit Discipulos suos. Propter hoc significandum futurum divinitus factum, ad præsens illud est humanitus fictum ...... & ideò significatio vera in illa est fictione præmissa, quia in hac profectione illius est significationis veritas subsecuta.*

Præterea, quemadmodum non mentitur verbis is qui sciens ac prudens, non ex sua tamen, sed ex ejus quocum loquitur, opinione dicit falsum; ita Christus factis, non ex sua, sed ex Discipulorum opinione falsum fingens, mentitus non est. Exemplum hujus rei Insigne habemus io Scriptura sacra, 3. *Regum cap.* 22. Cùm Achab Rex Israël adjuncto sibi Josaphat Rege Juda bellum contra Assyrios ad expugnandam Ramoth Galaad movere vellet, omnesque falsi Prophetæ prosperam illi expaditionem pollicerentur: accersitum ad se Michæam rogat: *Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad prælandum, an cessare? Cui ille respondit, Ascende, & vade prosperè, & tradet Dominus in manu Regis* (cùm sciret fore ut ibi moreratur) loquens scilicet non sua, sed Regis & falsorum Prophatarum, a quibus deceptus fuerat, opiniona; non ut Principem falleret, sed ut per irrisionem eom falli doceret. Michæam tamen fuisse mentitum nemo dixerit. Eadem ergo ratione mentitus non est Christus, qui assumta peregrini specie peregrinantibus Discipulis conspicuum se præbuit, illisque ipsum ad manendum invitantibus aliquot passus longiùs progressus est, quasi ultra processurus esset: ut doceret eos errare, qui se putarent Christum esse non posse.

Ad octavum respondeo, Sanctum Petrum ceremonias Mosaicæ legis simulatoriè non observasse, sed sincerè; & a sancto Paulo sincerè etiam reprehensum, ut Dissertatione 11. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 1. ostendimus. Sanctum Hieronymum in contraria fateor fuisse sententia, & officiosi mendacii patrocinium suscepisse: sed in sententiam sancti Augustini & veritatis partes tandem concessit, ut testatur sanctus ipse Augustinus *Epist.* 260. quæ est ad Oceaoum; utque constat ex Dialogo ejusdem sancti Hierooymi adversùs Pelagianos.

Ad 9. Respondeo, Origenem in eo errore quo mendacin patrocinatur, utì io aliis plurimis esse deserendum. Quem propterea sanctus Hieronymus loco in objectione laudato suggillavit; ubi & Origenistas inter se *Mendaciorum orgiis* scripsit esse *fœderatos*. Cassianus cum Origene hac in parte erravit: ejusque perstrinxit errorem S. Prosper, lib. contra Collatorem, cap. 9. *Hac lege*, inquit, *& regulâ poteris prædicare, quòd tam errent qui dicunt, semper esse fallendum, quàm qui definiunt numquam esse fallendum: sed ut in neutro peccetur, utrumque sectandum: quia nec semper declinanda falsitas, nec semper negligenda sit veritas. Fallit te prorsus opinio tua*, &c.

Ad 10. Respondeo, Eusebii Vercellensis odium in Hæresim, & charitatem erga Dionysium Mediolanensem satis commendari non posse; sed ejus simulationem, aut mendacium, sive mentalem restrictionem, nec imitatione dignam esse, nec laude. Nec refert quòd vir sanctissimus fuerit. Hic enim fuit in vita integerrima nævos, quem tamen fides & charitas expunxerunt. Licèt itaque a viris justis proferatur quandoque mendacium officiosum, nusquam tamen justum esse potest, secundùm præclaram illam sancti Aogustini regulam, lib. contra Mendacium, cap. 14. *Ea quæ contra legem Dei fiunt, justa esse non possunt. Dictum est a Deo, Lex tua veritas. Ac per hoc, quod est contra veritatem, justum esse non potest. Quis autem dubitet contra veritatem esse mendacium omne? Nullum ergo justum potest esse mendacium.*

SCHOLION.

Auctor Anonymus Dissertationem hancce meam perstringit, æquivocationum defensione susceptâ. Abraham, Isaac & Jacob exemplis abutitur, quos æquivocationibus & restrictionibus mentalibus usos contendit: imò & speciosam illam fallendi artem quasi Angelicam venditat, cùm eam Archangelo Raphaeli tribuit. Quin & Christo Domino, qui veritas est, & venit in Mundum ut testi-
monium perhiberet veritati, hanc *Sophisticè loquendi* Eccl. 37.
odibilem artem tribuere non veretur, sive cùm Di- Joann. 11.
scipulis dixit: *Lazarus amicus noster dormit, sed va-* 11. 12.
do ut a somno excitem eum. Et dixerunt: Domine si Joann. 2.
dormit, salvus erit. Dixerat autem Jesus de morte ejus: 19. 21.
illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret: sive cùm Judæis ait: *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: Quod de templo Hierosolymitano Judæi intellexerunt: *Ille autem dicebat de templo corporis sui*. Verùm non satis consideravit ille Auctos sanctorum Patriarcharum, Angeli, Christi Domini locutiones figuratas esse, non sophisticas & ad fallendum compositas (quæ æquivocationum & restrictionum mentalium natura est.) Propositiones illæ Abraham, Isaac, Jacob, Angeli, Christi, veræ sunt, nihil falsi enuntiant; quamvis non explicent verum, quem verbis tropicis & mysticis, velut amictibos, obtegunt sensum, ut ingenium piè quærentis exerceant, & ne nuda ao prompta vilescant. Sanè figuratas omnes, parabolicas & allegoricas locutiones, quibus Prophetæ, & Christus ipse Prophetarum finis, illuminator & magister, plurimùm utuntur, ad æquivocationum & restrictionum mentalium artem pertinere qui dixerit, Christo & Spiritui sancto injuriam facit. Esto, non caperent homines divinas illas locutiones propter ingenii sui tarditatem; non minùs tamen veræ erant & sinceræ, atque ab omni fuco æquivocationis & restrictionis mentalis alienæ. Hanc nostrarum summam responsionum ex sancto Augustino haosimus libro *Contra Mendacium*, cap 12. *De propheticis ergo factis seu dictis*, inquit, *ideò sibi videntur habere quod proferant, quia figuras prænuntiativas putant esse mendacia, eo quòd mendaciis sint aliquando similia. Sed cùm referuntur ad eas res, propter quas significandas ita facta & dicta sunt, reperiuntur significationes esse veraces, ac per hoc nullo modo esse mendacia. Mendacium est quippe falsa significatio, cum voluntate fallendi. Non est autem falsa significatio, cùm etsi aliud ex alio significatur, verum est tamen quod significatur, si rectè intelligatur*. Si locutionibus Patriarcharum, Angelorum, Christi Domini æquivocationes affingamus; tropicis omnibus, metaphoricis, allegoricis locutionibus eadem poterit importari calumnia. Cùm dicimus fluctuare segetes, gemmare vites, floridam juventutem, niveam caniciem, æquivocationes & restrictiones mentales usurpare censebimur, quia fluctus, gemmas, florem, ni-

vem

vem in his rebus non invenimus, in quas hæc verba transtulimus.

Frustra verò Sanctorum quorumdam exemplis æquivocationum ac restrictionum mentalium usum excusare nititur Auctor ille Anonymus. Hæc enim exempla vel imitanda non sunt, ut illud sancti Felicis Nolani, qui Paganis ipsum quærentibus & ignotum interrogantibus respondit: *Nescio Felicem, quem quaeritis*, ut narrat S. Paulinus Natali 5. Vel æquivocationibus & restrictionibus mentalibus non favent, cùm locutiones sint Christianæ, imò divinæ, & a Spiritu Sancto, quo inspirante locuti sunt librorum sacrorum Scriptores, usurpatæ; ut illa Sancti Fulgentii, qui Eulalio Syracusano Episcopo ipsum interroganti quo consilio in Ægyptum proficisceretur, respondit: *Parentes meos sequire, quos illis in partibus vivere peregrinos audivi*. Sanctos Ægypti Monachos, quorum exempla imitari vehementer optabat, sine æquivocatione aut restrictione mentali parentes vocabat, secundùm illud Ecclesiastici 44. *Laudemus viros gloriosos & parentes nostros*. Omnis pariter æquivocatio aberat, omnis restrictio mentalis a responsionibus allegoricis Martyrum, qui nomen suum rogati, pro nomine proprio prophetic aliquod respondebant, verbi gratia, Eliæ, Jeremiæ, Danielis: quippe qui indita sibi a parentibus nomina, ideò fortasse quòd essent idolorum vocabula, abjecerant. *Hujusmodi* igitur *nomen cùm* ex quodam Martyre *audisset* Firmilianus Judex Ethnicus, *nec tamen vim ac virtutem nominis intellexisset, post hac quanam ei patria esset, interrogavit. Ille a priori vocabulo nullatenus discrepantia loquens, Jerusalem sibi patriam esse respondit, illam scilicet Jerusalem intelligens, de qua loquitur Paulus: Supernam autem Jerusalem libera est, & mater omnium nostrûm. Et hanc quidem Martyr intelligebat, judex verò sensu in terram abjecto & depresso, quanam illa urbs, & ubi gentium esset, sollicitè requirebat*, &c. Refert Eusebius, *De Martyribus Palestinis*, cap.11. Nihil verò planius, verius, & minùs ambiguum responsione Sancti Athanasii, qui Ministris Juliani Imperatoris illum quærentibus, & interrogantibus quantùm inde Athanasius abesset, respondit. *Eum non longè abesse*; ut refert Theodoretus, libro 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.8.

Ferrandus Diaconus in Vita S. Fulg.

Frustra tandem Casus quosdam conscientiæ proponit Auctor Anonymus, quibus vix responderi posse confidit, nisi æquivocationum & restrictionum mentalium usus approbetur. Illos enim tam facilè solvimus, quàm facilè alios ejusdem generis Sanctus Augustinus solvit libro *Contra Mendacium*, ejus principiis ac regulis in ista Dissertatione nostra explicatis insistentes. Sed de his aliàs.

vel unam naturalem, allegoricam alteram. Ab hoc etiam loquendi genere, dum ad eo utendum justa non cogat causa, utique abstinendum; cùm humana societas claram veritatis manifestationem exposcat, & quò fieri potest fallacius, dolisve via sit obstruenda. Dum verò non omnem expediat veritatem, quæ sub verbis latet, manifestare, communiter asseritur ab æquivocationibus necesse non esse abstinere, ac licitè aliorum permitti deceptionem; potiùs enim tunc esset contra humanæ societatis jura cum gravi proprio, vel proximi incommodo rotundis verbis omnem veritatem aperire. Et re vera, ipso etiam suffragante Natale, Jacob mentitus non est, dum Patri dixit: *Ego sum primogenitus tuus Isaac*; & tamen ipsius verba duplicem referebant sensum, & quòd nempe primogenitus esset naturâ, & quòd talis solummodo jore esset: unàque bene agnoscebat Jacob a Patre sua verba in eo sensu, juxta quem interrogaverat, non percipienda. Dum pariter dixit: *Comede de venatione mea*, verba usurpavit, quæ magis propriè explicabant carnem parasse ex fera, quam venando occidisset, atque hanc Isaac expetierat; minus autem propriè hœdos e stabulo ereptos a Matre & in cibum paratos significabant. Si ita loqui æquivocatione uti non est, nescio quandonam vera intercedere possit æquivocatio; & tamen ab omni mendacii labe a Natale Jacob excusatur. Nullus pariter dicet Angelum ab æquivocatione abstinuisse, dum Tobiæ ait: *Ego sum Azarias Anania magni filius &c.* quæ verba in alio, ac ab Angelo proferebantur, sensu accepit Tobias; illustri enim loco apud Israelitas natum repotavit. Demum, ut tot alia omittam, certum est S. Thomam 2. 2. q.69. a. 1. illum testem mendacii non damnare, qui non legitimè interrogatus, Judicem elodit se *nescire* dicendo, quod ab ipso expetitur. Vox illa *nescio* duo tunc significat, & plenam scilicet expostulatæ rei ignorantiam, & solam ignorantiam quoad manifestandi obligationem. Quin hoc solùm sensu se nescire respondens Judicis permittit deceptionem, ex Angelico Doctore mendacii culpabilis non est. Superest igitur fateri quòd, dum justa causa veritatem tegendam dictat, atque hoc fit verbis veritatem quidem exprimentibus, in quam tamen Audientes non intendent, sed in aliam vel naturalem, vel allegoricam, quam etiam eadem continent verba, nulla intercedat culpa; ac proinde non erant a Natale æquivocationes cum mendaciis, ac restrictionibus purè mentalibus confundendæ, dum dogma catholicum de numquam licito usu mendacii tuebatur.

Nota.

Displicuit non paucis Natalem mendacia, restrictionesque mentales cum æquivocationibus confudisse, ac unà cum mendaciis veritas autumasse. Mendacia, ac restrictiones purè mentales divino Verbo, ac PP. Traditione damnatas ultrà fatentur; neque aliquis est qui easdem restrictiones a mendacii malitia vendicare modò præsumat, dum propositiones 26. 27. & 28. ab Innocentio XI. damnatas legerit. At esse illicitum, dum justa suadeat causa, æquivocationum usum, nec PP. nec Summi Pontifices pronunciarunt; imo in superiori Dissertatione ab ipso Natale probatum jam alii observarunt.

Perpendatur igitur nil aliud sub æquivocationis nomine intelligendum, nisi verba duplicem referentia significationem, vel æquè principalem,

DISSERTATIO XLVIII.

De perpetua Virginitate Sanctissimæ Deiparæ Mariæ, adversùs Helvidium, Jovinianum, & Bonosum.

PROPOSITIO.

Beatam Mariam ante partum, & in ipso partu, & post partum Virginem fuisse, id est, ab omni viri consortio & usu conjugii perpetuò segregatam; & integris virgineis corporis claustris benedictum uteri sui fructum Jesum effudisse, Traditio docet: cui citra Heresim refragari nemo potest.

De virginitate ante partum, nemo umquam dubitavit hereticus. Virginitatem in partu Jovinianus violatam fuisse, temerè & impiè effutiit. Quem conso-

confodiunt Calchedonenses Patres in Sermone Prosphonetico ad Marcianum Imperatorem, ubi Filium Dei suæ Genitricis *Virginitatem post conceptum largitam esse* dicunt, atque, *at Deo dignum erat, auteam ejus obsignasse*. Quæ verba manifestè indicant obsignationem illam uteri virginalis etiam in ipso partu perstitisse. Idem tradunt Isidorus Pelusiota, lib. I. *Epist.* 22. Amphilochius in *Oratione de Occursu Christi*, S. Ephrem *in Oratione de margarita pretiosa*. Proclus Constantinopolitanus Episcopus, *Oratione* I. *in Deiparam*, Theodotus Ancyranus, *Homilia in Natale Domini*. Theodoretus *Dialogo* II. Hesychius Hierosolymitanus Presbyter, *Homilia* 2. *de B. Virgine Maria*, Sanctus Joannes Damascenus, *lib.* 4. *de Fide Orthodoxa*, cap. 15. Ex Latinis verò sanctus Ambrosius, *Epistolâ* 7. *ad Siricium Romanum Pontificem* datâ; quæ est Synodica Mediolanensis adversùs Jovinianum Concilii, in qua adversùs ipsum dogma illud Catholicum disertè propugnat; & lib. *de Institutione Virginis*, cap. 7. Sanctus Hieronymus, *Commentario, in cap.* 44. *Ezechielis*. Sanctus Augustinus, *Epistolâ* II. *ad Volusianum*, eidem veritati testimonium perhibet his verbis: *Ipsa virtus per inviolata matris virginea viscera membra infantis eduxit, qua postea per clausa ostia membra juvenis introduxit. Hic, si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis*. Et lib. *de Hæresibus*, cap. 88. Joviniani Hæresim hoc inter cætera habuisse dicit, *Quòd virginitatem Mariæ destruebat, dicens eam pariendo fuisse corruptam*. Et lib. I. *contra Julianum*, cap. 2. & in *Enchiridio*, cap. 34. *Quòd si*, inquit, *vel per nascentem corrumperetur ejus* (Mariæ) *integritas, non jam ille de Virgine nasceretur, eumque falsò, quod absit, de Virgine Maria natum tota confiteretur Ecclesia*.

Idem prædicavit S. Leo, *Sermone* I. *de Nativitate*, cap. II. *Meritò igitur*, inquit, *virginea integritati nihil corruptionis intulit partus salutis: quia custodia fuit pudoris editio Veritatis*. Et Serm. II. de eadem solemnitate, cap. 2. *Novâ autem nativitate genitus est, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paterna carnis concupiscentiâ, sine materna integritatis injuriâ: quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui & in se haberet humanæ substantiæ auctorem, & humanæ carnis inquinamenta nesciret*. S. Leoni suffragatur Sanctus Petrus Chrysologus, *Sermone* 142. *de Annuntiatione S. Mariæ Virginis*. Suffragatur & Sanctus Fulgentius, lib. I. *de Veritate Prædestinationis*, cap. 2. *Dominus verus*, inquit, *veram ex Virgine suscipiens carnem, perfectionem ex ea humani corporis sumpsit, virginitatis ei gratiam non ademit. Neque enim decebat, ut integritatem virginitatis Creator humanæ carnis Dominus in conditione tribueret, & idem carnis humanæ susceptor Dominus, quod fecerat redempturus, virginitatem carni de qua nasceretur auferret*. Pro eadem doctrinâ pugnant Auctor Sermonis II. *de Nativitate Domini*, Eusebio Emisseno adscripti; Gennadius, lib. *de Ecclesiasticis Dogmatibus*, cap. 69. Sanctus Hildephonsus, lib. *de Virginitate S. Mariæ*. Sanctus Bernardus, *Sermone* 33. *in Cantica*. Et Petrus Damiani *Opusculo* 36. *de Dei omnipotentia*, *cap.* 10.

Veteres duos Romanæ Ecclesiæ Pontifices, qui hanc Traditionem tuiti sunt, silentio præterire mihi religio esset, Hormisdam & Pelagium I. Hic Epist. 79. ad Justinum Imperat. rem ita se habuisse asserit, *Ut qui ante tempora erat Filius Dei, fieret filius hominis, & nasceretur ex tempore hominis more, matris vulvam natus non aperiens, & virginitatem Matris deitatis virtute non solvens. Dignum planè Deo nascente Mysterium, ut servaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine*.

Pelagius verò I. in Confessione Fidei, Epistolæ 16. ad Childebertum Regem subjecta, *Christum*, ait, *natum esse servatâ integritate maternæ virginitatis: quia sic eam Virgo permanens genuit, quemadmodum Virgo concepit*.

Objici potest adversùs hoc Fidei Catholicæ dogma, quod ait S. Lucas Evangelii sui *cap.* 2. Infantem Jesum parentes ejus tulisse in Jerusalem ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: *Quia omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur*. Cujus legis ad Christum extensio innuere videtur ipsum perfracto virginali signaculo ex utero B. Virginis prodiisse. Hinc Tertullianus, lib. *de Carne Christi cap.* 23. de sanctissima Deipara scripsit: *Etsi virgo concepit, in partu suo nupsit, ipsâ patefacti corporis lege...... Hæc denique vulva est, propter quam & de aliis scriptum est, Omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur. Quis verè Sanctus, quàm Dei Filius? Quis propriè vulvam adaperuit, quàm qui clausam patefecit? Cæterùm omnibus nuptiæ patefaciunt. Itaque magis patefacta est, quia magis erat clausa..... Et quid ultra retractandum est? Cùm hâc ratione Apostolus non ex virgine, sed ex muliere editum filium pronuntiavit; agnovit adaperta vulva nuptialem passionem*.

Hinc Origenes, Homilia 4. in Lucam: *Quemcumque*, inquit, *de utero effusum marem dixeris, non sic aperit vulvam matris suæ, ut Dominus Jesus: quia omnium mulierum non partus infantis, sed viri coitus vulvam reserat. Matris verò Domini eo tempore vulva reserata est, quo & partus editus: quia sanctum uterum, & omni dignatione venerandum ante nativitatem masculus omnino non tetigit*. Denique vulvam B. Virginis a Christo apertam, Sanctus Irenæus, *lib.* 4. *cap.* 66. Sanctus Athanasius, in *Epistolâ ad Epictetum*: Sanctus Basilius *in Oratione de Natali Domini*: Sanctus Epiphanius, *Hæresi* 77. disertè asserunt.

Respondeo, τὸ *aperire vulvam*, apud S. Lucam nihil aliud significare, quàm nasci, & materno ex utero prodire: quòd ita fert communis & naturalis fœtus profundendi modus; ut aperto utero in lucem exeat. Usus est namque S. Evangelista hoc genere sermonis ex Mose accepto, quo primogenitus significatur. In ferendis porrò legibus id spectat Legislator, quod naturaliter accidit, & ordinarium est, non quod extra ordinem, nec sine miraculo evenit. Eodem sensu locuti sunt laudati Patres, si Tertullianum & Origenem forsan exceperis, qui in Deipara virginitatem corporis partu resignatam esse putant, in hoc ut & in aliis plerisque fidei capitibus errantes: aut certè durius loquuntur.

Probatur secunda pars Propositionis ex Origene, Homilia 7. in Lucam. *In tantam*, inquit, *nescio quis prorupit insaniam, ut assereret negatam fuisse Mariam a Salvatore, eò quòd post nativitatem illius juncta fuerit Joseph*.

Item ex Sancto Basilio Magno, *Homilia* 25. quæ est de Nativitate Christi, in quâ exponens hæc verba: *Non cognovit eam donec peperit*, sic scribit: *Affert hic locus suspicionem, quòd postquam generationi Domini per Spiritum Sanctum administrata castè purèque serviit, tam demùm usitata nuptiarum opera Maria non recusaverit. Nos autem quamvis nihil hoc doctrinæ pietatis officiat* [*siquidem eò usque necessaria virginitas fuit, dum dispensationi illa serviret: quod autem deinde secutum est, tamquam nihil ad Mysterii rationem spectans*

curio-

curiosius omittamus inquirere] *nihilominus quod Christum amantium aures non sustinent hoc audire, quòd Dei genitrix aliquando Virgo esse desierit, &c.*

III. Ex Sancto Epiphanio in Epistolâ adversùs Antidicomarianitas Hæresi 78. ubi ex vocabulo ipso Virginis id probat, quod antonomasticè, ac velut proprium uni Dei Matri per totam Ecclesiam, & a Christianis omnibus tribuitur, quod argumento est nullo umquam virili congressu pudorem illius fuisse violatum. *Quis*, inquit, *ullo tempore umquam extitit, qui Sanctæ Mariæ nomen appellare auderet, & non rogatus subinde Virginis vocabulum adjiceret? Nam in adjunctis istiusmodi vocibus, virtutis indicia collucent. Quippe justis omnibus, pro eo ac singulos decebat, sua cuique sunt dignitatis attributa nomina. Ita Abrahamo amici Dei titulus accommodatus est, neque is umquam intercidet. Jacob verò Israëlis cognomen sine ullâ mutatione concessum. Apostoli quoque Boanerges, hoc est tonitrui filii, nominati sunt, nec ulla dies nomen istud obliterabit. Sic Sancta Maria Virgo nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur. Hæc enim perpetuò incorrupta permansit.*

Id probat præterea Sanctus Epiphanius ex eo quòd S. Joseph, quando cum Maria conjugium iniit, ætatis jam provectæ esset, natus annos ampliùs octoginta. Quocirca non in eum finem Mariam illi esse traditam, ut prolem ex ea susciperet: cui quidem, ut & maritali usui inutilis erat ætas decrepita. Verùm ex Legis præscripto eam ducere coactum illum esse credit, sortium addicente necessitate. Sed verisimile non est, quòd Joseph decrepitus senex fuerit cùm Mariam ascivit in conjugem, Illa enim capularis senis eum puella conjunctio non solùm ambobus indecora fuisset: sed etiam fini huic adversa, cujus gratiâ B. Virgo nuptiis illigata est, Quæ propterea nupsit, si Veteres audiamus, ne de adulterio filium peperisse videretur. Porrò stupri suspicionem haud absurdam fecisset decrepita viri senectus, & operi nuptiali minùs idonea: quam e contrario valida ætas, & ad conjugium utilis amoveret. Hanc itaque Sancti Epiphanii rationem nullius esse ponderis fateamur.

Id probat rursus Sanctus Epiphanius ex eo quòd neque Sanctissima Virgo post divinum illum fœtum ex utero profusum, umquam passa esset degeneri se commixtione violari: neque Josephus eximiæ vir sanctitatis hoc umquam aggredi ausus esset: *Deinde*, inquit, *ambo erant utique Justi: neque qui hoc semel audisset, fœtum illum, quem in utero ipsa gestabat, e Spiritu esse sancto, post tantam Dei administrationem vase illo auderet uti, quod eum capere meruerat, quem ob excellentem gloriam cœlum ac terra continere non possunt. Nam si hoc ipso tempore Virgines in ejus nomine perseverare in illo statu, ac castimoniam & continentiam servare contendunt, quantò major Josephi religio erat ac Mariæ?*

Denique Sanctus Epiphanius Antidicomarianitarum, qui perpetuam B. Mariæ Deiparæ Virginitatem oppugnabant, errorem *blasphemiæ* nomine afficit. *Vanum etenim aliquid de Sancta Maria semper Virgine nescio quem meditari audio*, inquit, *& blasphemam quamdam audere suspicionem in eam conjicere.*

IV. Probatur ex Siricio Papa, *Epistolâ 5. ad Theophylum & Anysium Episcopos*, in qua de Bonoso ita scribit. *Sanè non possumus negare de Mariæ filiis jure reprehensum, meritòque vestram Sanctitatem abhorruisse, quòd ex eodem utero virginali, ex quo secundùm carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. Neque enim elegisset Dominus Jesus nasci per Virginem, si eam judicasset tam incontinentem fore, ut illud genitale Dominici corporis, illam aulam Regis æterni, concubitu humani seminis coinquinaret. Qui enim hoc adstruit, nihil aliud nisi perfidiam Judæorum adstruit, qui dicunt, Eum non potuisse nasci ex Virgine. Nam si hanc accipiant a Sacerdotibus auctoritatem, & videatur Maria partus fudisse plurimos, majore studio veritatem fidei expugnare contendent. Et ubi est illud quod scriptum est, dicente Domino ad Matrem de Joanne Evangelista: Mulier, ecce Filius tuus, & rursus ad Joannem de Maria: Ecce mater tua? Quid sibi istud vult, quòd cùm in cruce Dominus positus peccatum mundi tolleret, pronuntiavit etiam de integritate matrem? Aut quid aliud dicitur, nisi ut claudat ora sua perfidia, obmutescat, ne matrem Domini aliquo audeat temerare convitio? Testis est ergo idem arbiter, idem maternæ pudoris assertor, quòd desponsata fuerit viro tantummodo Joseph, nullâ tamen conjugalis coitûs consuetudine tori jura cognoverit. Neque enim eam suscepturam ex Joseph filios, a viri consortio separare voluisset. Sed si hoc parum est, addidit testimonium Evangelista, dicens quòd suscepit eam Discipulus in sua. Numquid ergo divortium fecit? Numquid a viro abduxit atque abstulit? Ergo qui hoc legit in Evangelio, quomodo quasi naufragus titubat & fluctuat? Hoc ergo testamentum filii est de Matris integritate, hæc Mariæ locuples integri pudoris hæreditas, hic totius finis consummationis.*

V. Sanctus Ambrosius, *lib. de Institutione Virginis, cap. 6.* idem dogma luculenter confirmat. *An verò Dominus Jesus eam sibi matrem eligeret, quæ virili semine aulam posset incestare cœlestem, quasi eam cui impossibile esset virginalis pudoris servare custodiam? Cujus exemplo cæteræ ad integritatis studium provocantur, ipsa ab hujusmodi, quod per se cæteris propositum foret, munere deviaret? Et quæ esset cui majus quàm matri Domini meritum deporteret, præmium reservaret? Nulli enim uberiora quàm virginitati deputavit munera, sicut Scriptura nos docet ..... Nec fieri poterat, ut quæ Deum portaverat, portandum hominem arbitraretur. Nec Joseph vir justus in hanc proruisset amentiam, ut matri Domini corporeo concubitu misceretur.*

VI. Probatur ex sancto Hieronymo, *lib. adversùs Helvidium, de perpetua Virginitate B. Mariæ*, in quo his verbis infamem Hæresiarcham insectatur: *Imperfectissime hominum, ista non legeras, & toto Scripturarum pelago derelicto, ad injuriam Virginis tuam rabiem contulisti, in exemplum ejus quem fabula ferunt, cùm vulgo esset ignotus, & nihil boni posset facinoris excogitare quo nobilis fieret, Dianæ incendisse templum: & nullo prodente sacrilegium, fertur ipse in medium processisse, clamitans sese incendium subjecisse: sciscitantibus Ephesi Principibus, quam ob causam hoc facere voluisset, respondisse: Ut quia bene non poteram, malè omnibus innotescerem. Tu verò Templum Dominici corporis succendisti: Tu contaminasti sacrarium Spiritus sancti, ex quo vis quadrigam fratrum & sororum processisse congeriem?* Et infra: *Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus: Mariam nupsisse post partum non credimus, quia non legimus.* Ab aliorum Patrum referendis pro hac causâ testimoniis supersedeo.

Objiciebat Helvidius primùm quod sanctus Matthæus scribit, cap. 1. *Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Ex quo consequens putabat Helvidius, postea convenisse.

Secundò objiciebat hæc ejusdem Evangelistæ verba: *Et non cognoscebat eam donec peperit:* quasi particula *donec*, significet Josephum post id tempus Mariam cognovisse.

Ter-

Tertiò, quòd Christus primogenitus Mariæ ibidem dicatur: *Donec peperit primogenitum suum;* non dicatur autem primogenitus, nisi post quem alter genitus est.

Quartò, quòd *fratres Domini* in Evangelio commemorentur, qui Mariæ adhærebant, utique ut ejus filii post partum divinum ex Josepho suscepti.

Respondeo ad primum, Non sequi quòd postea convenerint Maria & Joseph, sed *Scriptura quid factum non sit, ostendit* (inquit sanctus Hieronymus, in *cap. 1. Matthæi.*) Sicut si dicamus; *Helvidius antequam pœnitentiam ageret, morte præventus est*, non sequitur quod Helvidio pœnitentia esset agenda post mortem. Igitur præpositio *ante*, licèt sæpe consequentia indicet, tamen nonnumquam ea tantùm, quæ priùs cogitabantur, ostendit. Unde nec necesse est ut cogitata fiant, cùm aliud ideò intervenerit, ne ea quæ cogitata sunt fierent. Igitur cùm Evangelista dicat, *priusquam convenirent*, proximum nuptiarum tempus ostendit, & in eo jam rem fuisse, ut quæ priùs sponsa fuerat, esse uxor inciperet, quasi dixerit: Antequam rem agerent nuptiarum, *inventa est habens in utero*. Inventa est autem a nullo alio nisi a Joseph: qui sponsæ uterum tumentem penè jam licentiâ maritali, & curiosis oculis deprehendit. Non tamen sequitur eum cum Maria convenisse post partum, cujus conveniendi desiderium uteri conceptione sublatum est. Ita respondet sanctus Hieronymus, *lib. contra Helvidium.*

Addit Auctor Operis Imperfecti in Matthæum Homilia 1. *Postquam cognovit quia facta est Unigeniti Dei templum, quomodo poterat hoc usurpare? quomodo, quod antea facere noluit vir religiosus, expectans nuptias suas, postea facturus fuerat, ut habitationem Dei carnalibus concupiscentiis sordidaret?*

Ad secundum respondeo, Vocem hanc *donec*, non semper certum tempus, sed infinitum quandoque significare, ut patet ex illo Isaiæ 46. *Ego sum, ego sum; & donec senescatis, ego sum.* Nec tamen sequitur quòd, postquam senuerint, Deus esse desinet. Sic Salvator ad Apostolos ait Matthæi 28. & Lucæ 21. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Nec tamen consequens est post sæculi consummationem Christum a suis Discipulis abscessurum. Sic Paulus 1. *ad Corinthios* 15. ex Psalmo 109. ait: *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.* Nec sequitur ubi inimici sub pedibus Domini fuerint, tunc illius regnum desiturum. Sic David Psalmo 122. *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri:* Ex quo non sequitur Prophetam impetratâ misericordiâ oculos a Domino aversurum. Scripsit itaque S. Evangelista, Mariam non esse cognitam a viro suo usque ad partum: ut multòmagis intelligeremus cognitam non fuisse post partum, a qua tunc se abstinuit, cùm adhuc de visione poterat fluctuare. Ita respondet sanctus Hieronymus loco laudato.

Auctor Operis imperfecti in Matth. aliam responsionem subministrat, scilicet Josephum non cognovisse Mariam, cujus esset dignitatis, mater nimirum Filii Dei, donec in nativitate & post, ex variis miraculis id didicisset. Idem innuit sanctus Epiphanius, *Hæresi* 78. quæ est Antidicomarianitarum. Sed hæc interpretatio coacta videtur, textui sacro contraria, & pietati Josephi, quia id ex Angeli revelatione, & allegatione Prophetici oraculi & nosse poterat, & debebat.

Aliqui ex Patribus existimarunt verbum, *Cognoscere*, hìc non de congressu maritali esse accipiendum, sed simpliciter & latiùs de cognitione absolutâ, eo quòd facies Mariæ statim a Conceptione tanto fulgore corruscarit, ut nec aspici, nec agnosci posset. In hunc sensum laudatur sanctus Hilarius a S. Thoma in Catena aurea. Concinit Glossa ordinaria in Matthæum. Sed pia hæc meditatio, quæ nullum habet in Scriptura sacra, nec in traditione fundamentum, necessaria non est ad respondendum Helvidianis.

Ad tertium respondeo, Primogenitum non perpetuò illum dici, post quem alius, sed ante quem nullus genitus est: *Omne* (inquit Dominus ad Aaron, Numerorum 18.) *quod aperit vulvam ab omni carne, quæ offertur Domino, ab homine usque ad pecus, tibi erunt: tantummodo pretiis redimant primogenita hominum, & primogenita pecorum immundorum.* Definivit sermo Dei quid sit primogenitum: *Omne*, inquit, *quod aperit vulvam.* Alioqui si non est primogenitus, nisi is tantùm quem sequuntur fratres; tandiu Sacerdotibus primogenita non debentur, quamdiu & alia fuerint procreata, ne fortè partu postea non sequente, unigenitus sit, & non primogenitus. Idem constat ex cap. 12. Exodi, ubi Moyses scribit: *Factum est autem circa mediam noctem, & Dominus percussit omne primogenitum in terrâ Ægypti*, &c. Hic enim primogenitorum nomine etiam unigeniti intelliguntur. Ita respondet sanctus Hieronymus.

Qui fratres Domini in Evangelio dicantur?

Ad 4. Respondeo, Fratres Domini, vel fuisse Josephi filios ex priori conjuge; vel fratres fuisse, non naturâ, quasi eadem ex matre, aut eodem ex Patre geniti essent, sed cognatione, quo sensu nomen fratris in Scriptura sacra usurpari solemne est. Sic Abraham Loth nepoti suo dixit Genesis 13. *Fratres nos sumus.* Sic Laban ad Jacob Genesis 14. *Quoniam frater meus es, non servies mihi gratis.*

Fratres itaque Domini appellantur in Evangelio, filii materteræ ejus Mariæ Cleophæ, uxoris Alphæi, matris Jacobi minoris, & Josetis. Ita respondet sanctus Hieronymus, qui eorum opinionem acriori stylo refellit, qui S. Joseph viduum fuisse asserunt, cùm Deiparam duxit uxorem, & ex alia antea conjuge filios suscepisse: *Possumus enim*, inquit, *hac æstimatione possibilitatis contendere, plures quoque uxores habuisse Joseph, quia plures habuerit Abraham, plures habuerit Jacob, & de his esse uxoribus fratres Domini: quod plerique non tam piâ, quàm audaci temeritate confingunt. Tu dicis Mariam Virginem non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam ipsum Joseph Virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali conjugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit: & aliam eum uxorem habuisse non scribitur: Maria autem, quam putatus est habuisse, custos potiùs fuit, quàm maritus, relinquitur virginem eum mansisse cum Maria, qui Pater Domini meruit appellari.*

S. Josephi Virginitas.

Hanc etiam de virginitate S. Joseph sententiam propugnat Auctor Sermonis 14. in Nativitate Domini, olim sancto Augustino adscripti, nunc in Appendicem rejecti: *Habe*, inquit, *Joseph cum Maria conjuge tua communem virginitatem membrorum; quia de Virginis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi in carne sua, virginitate servatâ: sis autem & tu Pater Christi, curâ castitatis, & honorificentiâ virginitatis, ut de virgineis membris genitricis, socialis Christianis nulla sit zelotypia. . . . . Gaude itaque Joseph, nimiùmque congaude virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere conjugii, quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris.*

Sancti Josephi virginitati patrocinatur etiam Theodoretus, *Commentario in cap. 1. Epistola ad*

Gala-

Galatas, Explicans illa verba sancti Pauli: *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*; hæc enim habet: *Vocatur quidem frater Domini, sed non erat naturâ. Nec verò fuit Josephi filius, ut quidam existimarunt, ex priori matrimonio natus, sed Cleophæ filius erat, Domini consobrinus. Matrem enim habuit matris Domini sororem.*

Alii verò Patres *fratres Domini* fuisse Josephi ex priori uxore filios asserunt. Plures ita sensisse refert Origenes in cap. 14. Matthæi; in quorum sententiam ipse propendet. *Fratres autem Jesu*, inquit, *putabant nonnulli esse ex traditione Hebræorum sumpta occasione, ex Evangelio quod titulum habet, juxta Petrum, aut ex libro Jacobi filios Joseph ex priore uxore, qua convixerat ipsi antequam duceret Mariam: qui verò talia dicunt, dignitatem Mariæ in virginitate ad finem usque servare volunt, ac corpus illud quod designatum erat ut subveniret sermoni dicenti: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, cognosceret viri thorum, postea quam in eam pervenerat Spiritus sanctus, & virtus ex alto obumbrasset illi. Arbitrorque rationi consentaneum esse virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse Jesum, muliebris verò Mariam. Non enim plausibile est alii præter hanc virginitatis primitias adscribere*, At si virgo fuisset S. Josephus cùm Mariam duxit uxorem ipsi virginitatis primitiæ adscribendæ essent. Censuit itaque cum aliis Origenes S. Josephum alteri uxori nupsisse antequam B. Virginem Mariam duceret. In eadem Sententia fuit Eusebius, lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 1. *Tunc etiam*, inquit, *Jacobum qui frater Domini dicebatur, eo quod esset Josephi filius: siquidem Josephus Christi Pater fuit, cui Maria virgo desponsata, priusquam coirent, ex Spiritu sancto prægnans reperta est: hunc, inquam, Jacobum qui ob eximiam virtutem Justus ab antiquis cognominatus est, Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopatum primum accepisse perhibent.* Eidem sententiæ suffragantur *S. Gregorius Nyssenus Oratione 2. de Resurrectione Christi*, S. Epiphanius, *Hæresi 29.* quæ est *Nazaræorum*, & 78. quæ est *Antidicomarianitarum*. Et Gregorii quidem Nysseni sive Hesychii Presbyteri Hierosolym. cujus nomine Orationem illam inscripsit P. Combefisius, *Tom. 1. Auctarii Bibliothecæ Patrum*, locus insignis est, & Evangelicæ auctoritati innixus: *Quoniam*, inquit, *multarum Mariarum in Evangeliis mentio fit, tres numero omnes esse statuere debemus, quas Joannes comprehensim numeravit, cùm diceret: Stabat autem juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus, Maria Cleophæ, & Maria Magdalena. Nam Mariam Jacobi & Josæ matrem apud alios Evangelistas nominatam, Deiparam & non aliam esse credimus. Quoniam enim ita dispositum & destinatum erat, ut & divinus partus obumbraretur, & sanguinariis Judæis non manifestaretur, quod circa ipsum tempus quo ad lectum jugalem ducenda erat, Virgo ex Spiritu sancto concepisset: quemadmodum literis mandatum est, quòd & vir hujus & pater Jesu vocatus sit Joseph: eodem modo Josæ & Jacobi filiorum Joseph fabri ex prioribus nuptiis & præmortua uxore puerilem ætatem agentium, mater Deipara appellabatur. Hæc nimirùm obtrectantes etiam Judæi de Servatore dicebant: An non hic est filius fabri? Nonne mater ejus vocatur Maria, & fratres ejus Jacobus & Joses, & Simon & Judas? Atque idcirco Joannes quidem ut qui liberè divinam Historiam conscriberet, eam quæ stabat juxta crucem, id quod reipsa erat, matrem Jesu appellavit: cæteri verò Evangelistæ qui multùm circa œconomiam laboraverunt, certo consilio matrem eam Jacobi & Josæ appellaverunt (hi enim primi erant & insignes filii Josephi) hoc apertè significante Scriptura quod hac dispositione & ordinatione, utque inde concepta opinione, absque periculo Maria passioni salutari interesset. Nam si vulgus eam esse virginem scivisset, perdita forsitan fuisset ab invidis Judæis. Reperitur autem eam etiam unius solius filiorum Josephi matrem apud Evangelistas nominatam esse Mariam Jacobi, & Mariam Josæ. Marcus autem Jacobi parvi & Josæ matrem eam vocavit, quoniam alter erat Jacobus Alphæi, magnus idcirco, quia duodecim Apostolis connumeratus erat. Nam parvus non erat de numero eorum.* Eidem sententiæ patrocinatur Sanctus Hilarius, *c. 1. in Matthæum* ubi loquens de hostibus perpetuæ virginitatis B. Mariæ hæc habet: *Verùm homines pravissimi hinc præsumunt opinionis suæ auctoritatem: quod plures Dominum nostrum fratres habuisse sit traditum. Qui si Mariæ filii fuissent, & non potiùs Joseph ex priore conjugio suscepti: nunquam in tempore Passionis Joanni Apostolo transcripta esset in matrem, Domino ad utrumque dicente: Mulier, ecce filius tuus: & Joanni: Ecce mater tua: nisi quod ad desolatæ solatium charitatem filii Discipulo relinquebat.*

Fratres Domini fuisse S. Joseph ex priori conjuge filios, Veterum PP. plures senserunt. Hæc sententia ex apocryphis sumpta videtur. Non tamen est fidei contraria.

S. Chrysostomus, vel alius vetustissimus Auctor in Homilia *de Annuntiatione B. Mariæ*, quam Gregorio Taumaturgo tribuit Gerardus Vossius exponens illa verba, Isaiæ 29. *Dabitur liber obsignatus viro scienti literas*, eamdem sententiam confirmat. *Quis iste liber obsignatus*, inquit, *nisi omnino immaculata Virgo? A quibus dabitur? Sacerdotibus scilicet. Cuinam viro? Joseph fabro. Hic est ille Joseph qui honestis ante nuptiis conjunctus fuerat liberosque susceperat, uxorem amiserat, & ex illo tempore cum magna castitatis laude vixerat, in disciplina & correptione Domini liberos educans & instituens. Ideòque pergens Apostolus Paulus ut Evangelium prædicaret, & cùm unum ex his liberis offendisset, scripsit dicens: Alium verò Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini* (Galat. 1.) *non ut ex Virgine Maria, sed ex Joseph genitum.*

Hilarius Diaconus, in eadem opinione est. Ita enim scribit, in cap. 1. Epistolæ ad Galatas: *Jacobum vidit Hierosolymis, quia illis erat constitutus ab Apostolis Episcopus, qui & ipse priùs fuerat incredulus, sicut dicit Evangelista, Quia nec Fratres ejus credebant in eum. Hic Jacobus filius fuit Joseph, qui ideò frater Domini appellatus est, quia & Joseph pater ejus, etiam Domini pater nuncupatus est...... Hoc ergo modo dictus est Dominus frater Jacobi & cæterorum, quo & filius nuncupabatur Joseph.*

S. Cyrillus Alexandrinus, *lib. 4. Commentar. in Joannem in cap. 7. v. 5.* ubi ait Evangelista *Fratres Christi nondum in eum credidisse*, id quoque a Prophetis prænuntiatum asserit, præsertim a Jeremia, cap. 12. dicente; *Et fratres tui, & domus patris tui, ipsi etiam spreverunt te, &c.* Porro notat Cyrillus *Prophetam circumspectè admodum* fratres cùm dixisset, commodè subjunxisse: *Domus Patris tui, ne ipsi quoque ex beata Virgine nati censerentur, sed potiùs ex solo patre Joseph.*

Eidem sententiæ subscribit Theophylactus in cap. 27. Matthæi ubi locum Evangelistæ enarrans de mulieribus cruci Christi adstantibus, hæc habet: *Mariam autem matrem Jacobi & Josæ Deiparam dicit. Jacobus enim & Joses filii erant Joseph e priore ejus uxore. Verùm quia Deipara uxor Joseph dicebatur, meritò & filiorum ejus dicebatur mater, hoc est noverca.* Subscribit & Euthymius, in cap. 12. Matthæi. Hyppolitum quoque Martyrem Patrem antiquissimum idem sensisse constat ex Nicephoro verba ejus referente, *lib. 2. Histor. Eccl. cap. 9.*

Hanc sententiam ex deliramentis Apocryphorum depromptam contendit Sanctus Hieronymus

in cap.12. Matthæi. Sed viri eruditi non desunt qui potiorem existiment sententiam Patrum, qui fratres Domini non consobrinos; sed secundum hominum opinionem germanos, Josephi nimirum ex priori matrimonio filios asseruerunt. Ea namque cum Evangelio magis consentire ipsis videtur.

Triplici id confirmant argumento. 1. Accuratè describitur cognatio Christi Matthæi 13. v.55. *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria; & fratres ejus Jacobus & Joseph, & Simon, & Judas? & sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?* Et Marci 6. v.3. *Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, & Joseph, & Judæ, & Simonis; Nonne & sorores ejus hic nobiscum sunt?* At quando parentes probè novimus, quos ex eorumdem familiâ meliùs nosse solemus quàm liberos jam grandis ætatis? qui soli idcirco nominantur Joannis 6. v.42. *Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem & matrem?* Sensus igitur Judæorum, apud SS. Matthæum & Marcum est. Nonne eodem hic patre est prognatus, quo Jacobus, Joseph, & duo fratres eorum?

2. Fratres illi nominantur, qui matri adesse soleant. Unde Matthęi 12. v.46. *Adhuc eo loquente ad turbas ecce mater ejus & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.* Et similiter Marci 3. v.31. & Lucæ 8. v.19. Unà etiam iter suscipiebant, ut Joannis 2. v.12. *Post hoc descendit Capharnaum ipse & mater ejus, & fratres ejus, & Discipuli ejus.* Hi quoque in Judæam invitant, Joannis 7. v.3. *Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, & vade in Judæam, ut & Discipuli tui videant opera tua quæ facis.* Ubi non possunt intelligi cognati ejus filii Zebedæi Jacobus major & Joannes, qui jam ante Discipuli fuere (ut ex Matthæo & Marco constat.) Quos igitur alios capiamus fratres, quàm proximos? qui tum quidem nondum credebant, nec ex duodecim fuere; postea tamen crediderunt. Proximis sanè meliùs convenit quòd Matrem Jesu ut domestici comitarentur; eòque asseclæ essent Christi. Videlicet Josepho defuncto, cura omnis rei familiaris penes Mariam erat: ut fratres ejus necesse habuerint eum sequi, etiamsi necdum in eum crederent.

3. Tres Evangelistæ in eo conveniunt, tres fœminas spectasse Christum crucifixum [*Matthæi 27. v.56. Marci 15. v.40. & Joannis 19. v.25.*] Maria Salome, & Maria Cleophæ sunt una mulier, mater scilicet duorum Apostolorum, Jacobi Majoris & Joannis, filia Cleophæ, uxor Zebedæi. Maria Jacobi eadem est, quæ dicta est Mater Jacobi, Joseph, & Simonis & Judę. Atqui hi proximi sunt fratres Domini. Nempe fratres Christi credebantur, quia filii erant Josephi ex priori uxore. Quomodo igitur, Josephus creditus pater Jesu; ita hi etiam habiti sunt fratres Jesu. Unde consequitur Mariam Jacobi eamdem esse ac Matrem Domini. Atqui hoc ex eo quoque evincitur, quòd cùm tres mulieres a tribus nominentur Evangelistis; nisi Matthæo & Marco Maria Jacobi sit ea quæ Joanni est Mater Jesu; sequatur duos priores Evangelistas, cùm enumerare vellent præcipuas illarum quæ cruci adstitissent, omisisse Deiparam: quam minimè omnium oportuit præteriri, cùm omnium fuerit maxima, & Christus de Cruce pendens ad illam & Joannem sermonem illum habuerit, quem Evangelista Joannes narrat. Ita Viri quidam Eruditi. Quibus si objicio, parum esse verisimile, eam quæ verè mater esset Jesu, Jacobi non verè, sed summùm noverca; a Matthæo & Marco potiùs dictam iri Mariam Jacobi, quàm matrem Jesu: Respondent Matthæum & Marcum primò scripsisse Evangelium: ideòque sic vocasse, ut Josepho marito defuncto vocari soleret: idque quia in familia ejus Jacobus esset natu maximus, atque etiam, donec Jesus se miraculis patefecisset mundo, omnium notissimus.

Sancti tamen Hieronymi, Theodoreti, &c. sententiam de virginitate perpetuâ Josephi, alteri anteponendam censeo, tum quia magis pia est, tum quia nihil habet incommodi. Et Virginem esse decebat Virginis perpetuæ custodem, Matris Domini conjugem, Christi putatitium Patrem ac nutritium, ut sacræ Triadi personarum divinarum, quæ prima Virgo est, trias Virginum in œconomia Dominicæ incarnationis responderet. Adde alios Patres ex apocryphis hanc opinionem hausisse, nempe ex Evangelio Petri, aut ex libro Jacobi, quòd non solùm sanctus Hieronymus, sed multò ante ipsum Origenes testatur: quamvis in eam propendere videatur sententiam,

---

DISSERTATIO XLIX.

DE SANCTÆ VIRGINITATIS merito contra Jovinianum.

Virginitatis maius ac præstantius esse bonum atque meritum, quàm conjugii, SS. Patres adversùs Jovinianum ex Scripturâ sacrâ probarunt: primò ex differentia fructûs centesimi, sexagesimi, & trigesimi, quem terra bona verbo Dei fœcundata refert; de quo Matthæi 13. Christus loquitur. Trigesimus ad nuptias, sexagesimus ad viduas refertur, centesimus exprimit virginitatis coronam, (ut sanctus Hieronymus, *lib.1. adversùs Jovinianum*, cap.1. & sanctus Augostinus, lib. *de sancta virginitate cap.46.* exponunt.)

Secundò ex verbis Christi, *Matthæi* 19. ubi inter varios eunuchos, laudat illos qui se castraverunt propter regnum cælorum. Dicentibus enim Discipulis: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere:* Christus respondit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.* Quem locum etiam urget sanctus Hieronymus, *lib.1. contra Jovinianum, cap.7.* & sanctus Augustinus, *lib. de sancta Virginitate, cap.23.* Et de his spadonibus loqui Deum ait per Isaiam Prophetam, [*cap.56.*] quibus se dicit *Daturum in domo suâ & in muro suo locum nominatum, meliorem multò quàm filiorum atque filiarum.* Cùm autem dicit: *Dabo eis locum multò meliorem, ostendit & conjugatis dari, sed multò inferiorem:* (inquit sanctus Augustinus) qui & ponderat illa verba: *propter regnum Cęlorum:* & impiæ temeritatis eos arguit, qui Christum de iis locutum esse contendunt, ac eos præ cæteris commendasse, qui virginitatem servant ut præsentem dumtaxat molestiarum conjugalium necessitatem devitent. Tum hoc dato, & non concesso, sanctæ virginitatis hostes sic urget: *Itane tantâ dementiâ quisquam est contrarius veritati, ut in carne sanctos eunuchos meliorem quàm conjugatos locum in domo Dei habere credat, & pio proposito continentes, corpus usque ad contemptas nuptias castigantes, seipsos non in corpore, sed in ipsâ concupiscentia radice castrantes, cælestem & angelicam vitam in terrena mortalitate meditantes, conjugatorum meritis pares esse contendat? & Christo laudanti eos qui seipsos castraverunt, non*

pro-

propter hoc sæculum, sed propter regnum cælorum, Christianus contradicunt, affirmans hoc præsenti vitæ esse utile, non futuræ? Urget & illa verba Isaiæ loco laudato, ubi de spadonibus Evangelicis Propheta Evangelicus loquentem Deum inducit: *Nomen æternum dabo eis*. Ex quibus colligit, amplius præmium quod ipsis Deus pollicetur, ad hanc tantùm vitam non pertinere, sed ad futuram & æternam. Addit denique: *Æternum hoc nomen, quicquid illud est, spadonibus Dei, quod utique gloriam quamdam propriam excellentemque significat, non erit commune cum multis, quamvis in eodem regno, & in eadem domo constitutis. Nam ideò fortassis & nomen dictum est, quòd eos quibus datur, distinguit a cæteris.*

Eumdem esse sensum istius loci Sapientiæ 3. *Felix est sterilis: & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum: & spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversùs Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima:* ducet sanctus Hieronymus, *Commentar. in cap. 56. Isaiæ.*

III. Jovinianum expugnant Patres locupletissimo illo Apostoli testimonio, 1. ad Corinthios 7. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem.* Et ibidem: *Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis si sic permaneant sicut & ego...... Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit; meliùs facit.* Quæ verba exponens Sanctus Augustinus *lib. de sancta Virginitate, cap. 14.* & refellens Jovinianum, qui propter præsentem necessitatem, non propter futuram æternitatem, bonum esse abstinere a coniugio effutiebat, ita scribit: *Præsens ergo vitanda est necessitas, sed tamen quæ aliquid bonorum impedit futurorum: quâ necessitate vita cogitur conjugalis cogitare quæ mundi sunt, quomodo placeat vir uxori, vel uxor viro: non quòd ea separent a regno cælorum, sicut sunt peccata, quæ ideò præcepto, non consilio prohibentur, quia Domino præcipienti non obedire, damnabile est: sed illud quod in ipso Dei regno ampliùs posset, si ampliùs cogitaretur quomodo placendum esset Deo, minus erit utique cùm hoc ipsum minus conjugii necessitate cogitatur..... Proinde quia uxorem ducere, vel nubere, peccatum non est; si autem peccatum esset, præcepto vetaretur, propterea præceptum Domini de virginibus nullum est. Sed quoniam devitatis, remissisve peccatis, adeunda est vita æterna: in qua est quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda, cui consequendæ parum est liberatum esse a peccatis, nisi aliquid ipsi Liberatori voveatur, quod non sit criminis non vovisse, sed vovisse ac reddidisse sit laudis: Consilium, inquit, do tamquam misericordiam consecutus a Domino ut fidelis essem.*

Sanctus verò Hieronymus eumdem locum Apostoli contra Jovinianum expendens, observat ipsum, ubi dixit: *Qui matrimonio jungit virginem suam bene facit;* protinus hoc bonum extenuare & obumbrare comparatione melioris, dicendo: *Et qui non jungit, meliùs facit.* Nisi enim illaturus esset, meliùs facit, numquam præmisisset, bene facit. *Ubi autem bonum & melius est, ibi boni & melioris non unum est præmium: & ubi non unum præmium, ibi utique dona diversa. Tantùm est igitur inter nuptias & virginitatem, quantùm inter non peccare & bene facere; imò ut levius dicam, quantùm inter bonum & melius.*

Quia verò Jovinianus par in cœlo fore præmium conjugatorum ac Virginum protervè contendebat, operariorum in vinea Patris familias laborantium, qui denarium omnes acceperunt, parabolâ abusus; Sanctus Augustinus ipsam causæ illius Hæresiarchæ non favere ostendit. Denarius namque vitam æternam significat, quam omnes communiter habebunt. *Stella tamen a stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum. Hæc sunt merita diversa Sanctorum*, inquit sanctus Augustinus, *si enim cælum significaretur illo denario, nonne in cælo esse omnibus est commune sideribus? Et tamen alia est gloria solis, alia lunæ, alia stellarum. Si denarius ille pro sanitate corporis poneretur, nonne cùm rectè valemus, omnibus membris communis est sanitas, & ipsa si usque ad mortem permaneat, pariter & æqualiter omnibus inest? Et tamen posuit Deus membra, singulum quodque eorum in corpore prout voluit, ut nec totum sit oculus, nec totum auditus: & quicquid est aliud, habet suam proprietatem, quamvis habeat æqualiter cum omnibus sanitatem. Ita quia ipsa vita æterna pariter erit omnibus Sanctis, æqualis denarius omnibus attributus est. Quia verò in ipsa vita æterna distinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ sunt mansiones apud Patrem: ac per hoc in denario quidem non impare, homo vivet alius alio prolixiùs: in multis autem mansionibus honoratur alius alio clariùs.* 1. Cor. 15.

Sanctus Cyprianus, *lib. de Disciplina & habitu Virginum*, errorem Joviniani nondum natum profligavit. *Nunc nobis*, inquit, *ad Virgines sermo est, quarum quò sublimior gloria est, major & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas: quantòque plus copiosa virginitas numero suo addit, tantò plus gaudium matris augescit.* Et infra: *Primus enim centenarius Martyrum fructus est, secundus sexagenarius vester est. Ut apud Martyres non est carnis & sæculi cogitatio, nec parva & levis, & delicata congressio: sic & in vobis, quarum ad gloriam merces secunda est, sit & virtus ad tolerantiam proxima..... Quod futuri sumus, jam vos esse cœpistis: vos resurrectionis gloriam in isto sæculo jam tenetis: per sæculum sine sæculi contagione transitis: cùm castæ perseveratis & virgines, Angelis Dei estis æquales*, &c.

Et Epistolâ 62. ad Pomponium, Virgines singulari sanctitati consecratas, & Christo eximia quadam & singulari consecratione dicatas ait, quam violantes incestus reæ fiant. *Si superveniens maritus*, inquit, *sponsam suam jacentem cum altero videat, nonne indignatur & fremit, & per zeli dolorem fortassis & gladium in manus sumit? Quid Christus Dominus & Judex noster, cùm virginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam jacere cum altero cernit, quàm indignatur & irascitur? Et quas pœnas incestis ejusmodi conjunctionibus comminatur?* Porrò si majus crimen est Virginum propositum suum violantium, secundùm Sanctum Cyprianum, & majus meritum est earumdem virginitatem suam Sponso fideliter servantium.

Ante Sanctum Cyprianum Tertullianus virginitatem prædicavit ut matrimonio potiorem, cùm ait: *Virgines, in terris non nubendo, de familia angelica deputari* (lib. 1. ad Uxorem.)

Sanctus Methodius in Convivio decem Virginum totus est in commendatione Virginitatis.

Auctor libri *De vera Virginitate*, adscripti Sancto Basilio, virgines Angelis pares merito, imò

Deo simillimas prædicat; multaque ad earum institutionem præcepta tradit. Sanctus Gregorius Nyssenus idem argumentum tractavit, *Oratione de Virginitate*, nisi titulus auctorem mentitur. Sanctus Epiphanius in Expositione fidei: *Fundamentum*, inquit, *ac velut crepido quædam in Ecclesia virginitas est, quæ a plerisque colitur & observatur, & in illustri quadam gloria ac prædicatione versatur.*

Sanctus Ambrosius, *lib. 1. de Virginibus*, totam in virginitatis commendatione vim eloquentiæ pandit. *Non ideò*, inquit, *laudabilis virginitas, quia in Martyribus reperitur, sed quia ipsa Martyres faciat. Quis autem humano eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? Aut quis naturali voce complecti, quod supra usum naturæ sit? E cælo accersivit, quod imitaretur in terris. Nec immeritò vivendi sibi usum quæsivit e cælo, quæ Sponsum sibi invenit in cælo. Hæc nubes, aëra, sidera, Angelosque transgrediens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invenit, & toto hausit pectore... Postremò, non meum est illud, Quoniam quæ non nubent, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cælo. Nemo ergo miretur si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur. Quis igitur neget hanc vitam fluxisse de cælo, quam non facilè invenimus in terris, nisi postquam Deus in hæc terreni corporis membra descendit?* Et infra: *Quid est castitas virginalis, nisi expers contagionis integritas? Atque ejus auctorem quem possumus existimare, nisi immaculatum Dei Filium, cujus caro non vidit corruptionem, divinitas non est experta contagionem? Videte igitur quanta virginitatis merita sint. Christus ante Virginem, Christus ex Virgine: a Patre quidem natus ante sæcula, sed ex Virgine natus ob sæcula. Spectate aliud virginitatis meritum, Christus virgo virginis sponsus, & si dici potest. Christus virgineæ castitatis. Virginitas enim Christi, non virginitatis est Christus.* Et infra exponens illa verba Apostoli: *Qui matrimonio jungit virginem suam, benè facit, & qui non jungit, meliùs facit:* hæc habet: *Illa non peccat si nubat: hæc si non nubat, æterna est. Ibi remedium infirmitatis, hìc gloria castitatis. Illa non reprehenditur, ista laudatur.* Et lib. 3. *Criminis invidia hæc est, quia suadeo castitatem. Utinam convincerer: utinam tanti criminis probaretur effectus! Non vererer invidiam, si efficaciam recognoscerem. Utinam potuissem revocare nupturas.*

Sanctus Hieronymus, *lib. 1. adversùs Jovinianum* hoc de argumento uberrimè & luculentissimè disserit. Exponens inter alia hæc verba Christi: *Non omnes capiunt verbum, sed quibus datum est: & qui potest capere capiat:* hæc habet: *Proponit agonothetes præmium, invitat ad cursum, tenet in manu virginitatis bravium, ostendit purissimum fontem, & clamitat: Qui sitit, veniat & bibat, qui potest capere, capiat. Non dicit: velitis, nolitis, bibendum vobis est, atque currendum: sed qui voluerit, qui potuerit currere, atque potare, ille vincet, ille satiabitur. Et ideò plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum: majorisque gratiæ est offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris.*

Legenda est ejusdem S. Doctoris *Epistola 22. ad Eustochium de custodia Virginitatis*. Et *Epistola 8. ad Demetriadem, de Virginitate servanda*.

Sanctus Augustinus, *libro de sancta Virginitate, cap. 13.* Joviniani Hæresim confodit his verbis: *Habeant conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honestè, quia licitè, quia pudicè, quia socialiter procreant, & procreatos pariter, salubriter, instanter educant, quia thori fidem invicem servant, quia Sacramentum connubii non violant. Hæc tamen omnia humani officii sunt munera, virginalis autem integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis. Illa non est in potestate: illa non est in æternitate. Fœcunditatem carnalem non habet liberum arbitrium: pudicitiam conjugalem non habet cælum. Profectò habebunt magnum aliquid præter cæteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid jam non carnis in carne. Unde mirabiliter desipiunt, qui putant hujus continentiæ bonum non esse necessarium propter regnum cælorum, sed propter præsens sæculum.*

Et cap. 27. sic Virgines alloquitur: *Sequimini Agnum quòcumque ierit. Quò ire putamus hunc Agnum? Quò nemo eum sequi vel audeat, vel valeat, nisi vos Virgines. Quò putamus eum ire? In quos saltus & prata? Ubi credo sunt gaudia gaudia; non gaudia hujus sæculi vana, insaniæ mendaces, nec gaudia qualia in ipso regno Dei cæteris non virginibus erunt, sed a cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Gaudium Virginum Christi, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gaudia propria Virginum Christi, non sunt eadem non virginum, quamvis Christi.*

Et Epistolâ 143. *ad Julianam*, his verbis nobilem illam matronam compellat: *Omne datum, & omne donum perfectum, sicut dicit Apostolus Jacobus, desursum est, descendens a Patre luminum. Hinc ergo & sancta virginitas, quæ te filia volentem gaudentemque vicit, natu posterior, actu prior; genere ex te, honore ante te; ætate subsequens, sanctitate præcedens: in qua etiam tuum esse cœpit, quod in te esse non potuit. Illa quippe carnaliter non nupsit, ut non tantùm sibi, sed etiam tibi, ultra te spiritualiter augeretur: quoniam & tu ea compensatione major illa es, quod ita nupsisti ut nasceretur.*

Et Epistolâ 179. ad Probam. *Quis verbis explicet? quis digno præconio prosequatur, quàm incomparabiliter gloriosiùs atque fructuosiùs habeat ex vestro sanguine fœminas Virgines Christus, quàm viros Consules mundus? Nam volumina temporum si magnum atque præclarum est nominis dignitate signare: quantò est majus atque præclarius cordis & corporis integritate transcendere? Magis itaque gaudeat puella nobilis genere, nobilior sanctitate, quòd sit per divinum consortium præcipuam in cælis consecutura sublimitatem, quàm si esset per humanum connubium prolem propagatura sublimem: Generosiùs quippe elegit Aniciana posteritas tam illustrem familiam beare nuptias nesciendo, quàm multiplicare pariendo, & in carne jam imitari vitam Angelorum, quàm ex carne numerum adhuc augere mortalium. Hæc est uberior fœcundiorque felicitas, non ventre gravescere, sed mente grandescere; non lactescere pectore, sed corde candescere; non visceribus terram, sed cælum orationibus parturire. Dominarum igitur honore dignissima filia, perfruamini in illa quod defuit vobis; perseveret usque in finem, adhærens conjugio quod non habet finem.*

Denique libro *de Bono Conjugali*, cap. 25. *Virgines*, inquit, *integritatem ipsam Deo dicantes, multò maximè commonemus, ut tanta norint humilitate tuendum esse quod in terra interim vivant, quantò magis cæli est quod noverunt. Nempe scriptum est: Quantò major es: humilia te in omnibus. Nostrûm est de magnitudine earum aliquid dicere: illarum est de magna humilitate cogitare.* Ex quibus colligitur, statum sanctæ virginitatis præstantiorem esse apud Deum statu matrimonii: & Hæreticos postremi sæculi, qui vota impugnant, Scripturæ sacræ, & Traditioni Apostolicæ repugnare.

Lege

Lege Theodoretum, *lib.* 5. *Hæreticarum Fabularum cap.* 24. & Sanctum Joannem Chrysostomum, *lib. de Virginitate*, Tomo 4. Operum ipsius. Lege & Sanctum Athanasium, *lib. de Virginitate*, Tom. 1. S. Ephrem Syrum in Sermone *de Virginitate*: Sanctum Isidorum Pelusiotam, *lib.* 5. *Epist.* 218. S. Fulgentium Epistolâ 3. ad *Probam*, in quâ inter alia hæc habet, cap. 9. *Utriusque rei congrua discretione momenta pensantes tantùm dicimus a sanctis nuptiis, ubi nubunt qui se continere non possunt, sanctam virginitatem merito potiore distare, quantùm distant a bonis meliora, ab humilibus celsa, a terrenis cœlestia, a beatis beatiora, a sanctis sanctiora, a mortali connubio immortale connubium, a carne spiritus, ab infirmitate virtus, a fœtu transititia prolis permansuri germinis fructus, a perturbatione tranquillitas, a bono quod est cum angustia momentaneum, melius quod est cum lætitia sempiternum.* Et cap. 20. *Nec dubitamus dicere, tantùm a sancta virginitate carnis & spiritûs fidelium conjugatorum* [*licèt a Deo concessum*] *infirma mortalisque carnis hujus distare concubitum, quantùm similitudo perorum ab imitatione discernitur Angelorum*, &c. Lege adhuc ex Græcis Patribus Antiochum, *Homilia* 21. *de Virginitate*, Tom. 1. Bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ, & Sanctum Joannem Damascenum, *lib.* 4. *Fidei Orthodoxæ, cap.* 25. E Latinis verò B. Adhelmum Anglicanum Episcopum, lib. *de Laudibus Virginitatis*, Tomo 3. Bibliothecæ Patrum Parisiensis Editionis.

Opponesauctoritatem Sancti Augustini, lib. *de bono conjugali, cap.* 21. dicentis: *Non est impar meritum continentia in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham qui filios generavit.* Sed majoris virtutis majus est meritum: Virginitas itaque non est potior virtus castitate conjugali.

Respondeo ex ipso Sancto Augustino, *lib. de bono conjugali*, cap. 21. Quòd *Joannis cælibatus & Abrahæ connubium pro temporum distributione Christo militarunt: sed continentiam Joannes etiam in opere, Abraham verò in solo habitu habebat.*

Oppones secundò. Ex virtute pendet laus ejus qui virtute præditus est: si igitur virginitas conjugali continentiæ anteponeretur, quamlibet virginem præ qualibet conjugata laudandam esse, utpote majoris apud Deum meriti, consequens esset: quod cùm falsissimum sit, colligitur virginitatem non esse conjugio anteponendam.

Respondet S. Thomas, licèt virginitas melior sit ac præstantior continentiâ conjugali, posse tamen conjugatum esse virgine meliorem duplici ratione. Primò quidem ratione ipsius castitatis, si conjugatus magis animo paratus sit ad servandam, si opus esset, virginitatem, eo qui reipsa virgo est. Unde Sanctus Augustinus virginem instituens lib. *de bono conjugali*. *cap.* 28. jubet ut dicat: *Ego non sum melior quàm Abraham, sed melior est castitas cælibum quàm castitas nuptiarum. Quod enim nunc ago, ille meliùs egisset, si tunc agendum esset. Quod autem illi egerunt, sic ego nunc agerem etiam, si nunc agendum esset.* Secundò quia fortè insigniori aliqua virtute conspicuus est, qui virgo non est. Quamobrem sanctus Augustinus, *lib. de sancta virginitate, cap.* 44. ait: *Unde scit virgo, quamvis sollicita quæ sunt Domini, ne fortè propter aliquam sibi incognitam mentis infirmitatem nondum sit matura martyrio, illa verò mulier cui se præferre gestiebat, jam possit bibere calicem Dominicæ Passionis?*

Virginitatem majori veneratione prosecuti sunt Ethnici, quàm Hæretici mulierosi: licèt hanc virtutem naturæ viribus imparem agnoverint. Qua de re sanctus Joannes Chrysostomus in Tractatu: *Quod Canonicæ* viris cohabitare non debeant*, ita scribit: *Inter Græcos sanè quidam, licèt pauci, ita philosophati sunt, ut opum essent contemptores, & iram vicerunt. Virginitatis autem flos nullo modo apud illos floruit, in quo semper concesserunt nobis primam dignitatem, ingenuè fatentes rem supra naturam esse, & non humanam: & eapropter omnibus Gentibus summæ admirationi fuimus.* Hæretici autem nostræ ætatis nullo in pretio sanctam virginitatem habent, quæ Christo oppigneratur: nullæ apud eos consecrationes Virginum in primæva Ecclesia tam frequentes: nulla votorum religio. Veram Ecclesiam apud se esse gloriantur, & nullam Ecclesiæ veteris speciem servant. Reformationem clamarunt, & licentiam effrænem invexere. Monachis a sacris Virginibus claustra reserare, suas a Christo sponsas abstrahere, suos ab Ecclesia abducere Sacerdotes, gestiebant illorum Patriarchæ: cùm ipsi priùs castitatem, pœnitentiam, mortificationem corporis, omniaque virtutum austeriorum officia ejurassent, quæ ab Apostolicis temporibus viros sanctissimos in Ecclesia Catholica pepererunt. Joviniano certè similiores quàm Paulo Reformatores illos, fratres nostri segreges fatebuntur, si eorum Fidem, Moralem, Disciplinam, prædicationem, vitam, cum Fide, Morali, prædicatione, disciplina, & vita Apostolorum, ac Virorum Apostolicorum, absque præjudicio & studio partium contulerint.

** Id est, regulares fœminæ.*

HIS, CHRISTE JESU, Fili Dei vivi, qui neminem vis perire, qui Sanguinem tuum pro omnibus fudisti, precamur humillimè ut lumen infundas, quo hæc videant; ut velamen auferas e cordibus eorum; ut dispersos congreges in unum; Tibique Virginum Sponso, in vera Ecclesia quæ Virgo est, nobiscum servire, in unitate fidei & charitatis concedas: cui cum Patre, & Spiritu Sancto laus perennis, & numquam intermoritura dilectio.

FINIS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ SÆCULI QUARTI.



INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM, QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

A

sedi

B

C

tiam

D

Utrùm

S. Hie-

I

In-

L

M

N

O

bus

Q

R

S

Va-

V

FINIS.

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM

QUÆ IN NOTIS, ET IN ANIMADVERSIONIBUS CONTINENTUR.

FINIS.

